CVROSO LECTOR

Quando el gran Platon (curioso y candido = Lector) queria enseñar, y establecer alguna oppinion, ó doctrina tan subtil, y graue como lo era su ingenio; lo primero que hacia era el tratarla y comunicarla primero, con algunos de sus discipulos, de los mejores y mas aventajados de ingenio que en su escuela traia. Porque decia que cosas arduas, subtiles, y delicadas no eran para ingenios vastos, y groseros. Y desto decia el gran philosopho que tenia larga esperiencia. Y que con los tales era el tiempo mal gastado. Desta diferencia de ingenios, escriuio agudamente el Dr. Jº Huarte de Sn Jº. en su libro intitulado examen de ingenios, donde el curioso podra ver largamente. Antes de escriuir esta obra, en nuestro vulgar castellano, la trate con personas entendidas, y doctas en lo qual vbo varios pareceres. Vnos que fuese en latin, otros que en rromançe. Tome el segundo que es el de los impresores, y libreros, los quales me dixeron Señor si la imprimis en latin la condenais a un perpetuo empeño, aun es estudiante solo, asi la quiero, ó no la quiero, o estese ay. En rromançe los mas la abraçan de qualquier facultad que sean; sin los hombres humanistas, y aficionados de libros de capa y espada, que hay muchos, que no entienden latin, y lo son. Ademas que V. Md. escriue para todos, y con diferente gasto que en latin, vease por las sumas en rromançe, su gran gasto, y las de latin las tenemos solo hacien[illegible] presencia de libreria. V. Md. haga lo que fuere seruido, que este es nuestro pareçer, que no son de menos autoridad las obras escriptas en rromançe que en latin. Y vea esse memorial. El memorial contenia, los hombres doctos, que en todas facultades an escripto en rromançe, tan doctamente, ansi antiguos como modernos. La qual secta me determine sigir en nuestro lenguaje, viendo que no era el primero, yo, que la sigue y intento. Pues dos de A. vicena en los Arabes, trae origen escriuir sus obras en lengua arabiga. Y en tiempo de Hypocrates los Griegos, en el de los latinos G. alano, en nuestro español el Dr. y Maestro Alfonso chirino protomedico del Rey. D. Jº el 2º. y mas antiguo Zoir en granada en tiempo de D. Alonso el 8. escriuio la medicina en Arabigo en granada. En tiem

CVROSO LECTOR

Quando el gran Platon (curioso y candido = Lector) queria enseñar, y establecer, alguna oppinion, ó doctrina tan subtil, y graue como lo era su ingenio; lo primero que hacia era el tratarla, y comunicarla primero, con algunos de sus discipulos, de los mejores y mas abentajados de ingenio que en su escuela traia. Porque decia que cosas arduas, subtiles, y delicadas no eran para ingenios vastos, y groseros. Y desto decia el gran philosopho que tenia larga esperiencia. Y que con los tales era el tiempo mal gastado. Desta diferencia de ingenios, escriuio agudamente el Dr. Jº Huarte de Sn. Jº. en su libro intitulado examen de ingenios, donde el curioso podra ver largamente. Antes de escriuir esta obra, en nuestro vulgar castellano, la trate con personas entendidas, y doctas; en lo qual vbo varios pareceres.. Vnos que fuese en latin, otros que en rromançe. Tome el segundo que fue el de los impresores, y libreros, los quales me dixeron. Señor si la imprimis en latin la condenais a un perpetuo empeño, aun es estudiante solo, asi la quiero, ó no la quiero, o este se ay. En rromançe los mas la abracan de qualquier facultad que sean; sin los hombres humanistas, y aficionados de libros de capa y espada, que hay muchos, que no entienden latin, y los son. Ademas que V. Md. escriue para todos, y con diferente gasto que en latin, vease por las sumas en rromançe, su gran gasto, y las de latin las tenemos solo haciendo presencia de libreria. V. Md. haga lo que fuere serbido, que este es nuestro pareçer, que no son de menos autoridad las obras escriptas en rromançe que en latin. Y vea esse memorial. El memorial contenia, los hombres doctos, que en todas facultades an escripto en rromançe, tan doctamente, ansi antiguos como modernos. La qual secta me determine sigir en nuestro lenguaje, viendo que no era el primero, yo, que la sigue y intento. Pues desde Avicena en los Arabes, trae origen escriuir sus obras en lengua arabiga. Y en tiempo de Hypocrates los Griegos, en el de los latinos Galeno. En nuestro español el Dr. y Maestro Alfonso chirino protomedico del Rey. D. Jº el 2º. y mas antiguo zoir en granada en tiempo de D. Alonso el 8. escriuio la medicina en Arabigo en granada. En tiem

po del Emperador Carlos 5. el Dr. Luis Lobera su protome
dico. Dr. Afaro Dr. florenis, que tanbien lo fueron. Defilipo 2. el
Dr. fragoso dionisio daca. 3. Roman, Alonso nunez. Estrabagantes
el Dr. Monardes, Hidalgo de Aguero en medicina, y cirujia, Dr.
Laguna, Dr. Acosta, Juº calbo, Gmº morillo, Andres de leon, y
Lopez de leon. Lldº Huerta, Alexo de Habreu. Todos hombres
ingsines, y doctos escriuieron en rromance, y no por esso perdie
ro ellos y sus escriptos antes estan en mucha estima, y valor.
Y asi yo el menor de todos, en ingenio, y ciencia me determine sigui
lles con mi muchilla. No dudo yo escapar me del mal diciente
mor murador, que eso seria ser mas que todos, y peregrino solo,
aunque soy Romero. Pero sirbame de consuelo entre los antiguos
y modernos, este rrefran. Que mal de muchos goço de alguno)
con que sera triaca contra tu veneno. Muestrate agradecido
Curioso lector, y goça del veneficio, que grato otro te ofrece. Y ati
ende a lo que dice nuestro seneca español lib. 3. de benef. c. 17
Gratum hominem semper veneficium delectat; in gratum se=
mel. Y si tu naturaleça fuere tan ceril, y indomita; vença el
arte y la prudencia a tal naturaleça, como muchas veces lo hace:
y no te valga el decir. Nunquam Ars Naturam vincet. Re
cibe con begninidad el grato veneficio, que con amor, y sincer
ro celo te ofresco, y con el mesmo retorno, corrige mis faltas, y ie
ros. Pues dice Aristoles. Non omnes possumus omnia: nec omni
um ingeniorum aequalis est captus, sed alij plurimum & maiores,
alij pauciorum, & minorum sunt capaces.
Y siendo 10 de los menores mucho tendras q
enmendar. Vide, & vale mei, tui,
im memor

Todo hombre natural mente desea saber

R. 11062

TOMVS TERTIVS
Operum
LVDOVICI MERCATI

Medici à cubiculo Philippi secundi Hispaniarum Indiarumque Regis potentissimi, atque eiusdem Prothomedici, & in Vallesoletana Academia primariæ cathedræ Professoris emeriti.

In quo, libri quatuor de Morborum internorum curatione, nunc primùm in lucem editi continentur.

Libri etiam quatuor de mulierum affectionibus, varijs additionibus locupletati, & summa diligentia correcti.

AD PHILIPPVM SECVNDVM HISPANIARVM Indiarumque Regem potentissimum.



CVM PRIVILEGIO.
Madriti, apud Thomam Iuntam.

Anno Domini M. D. XC IIII.

PHILIPPO SECVNDO HISPANIARVM INDIARVMque Regi potentissimo, Ludouicus Mercatus Medicus á cubiculo felicitatem.

NOscit quidem scrutator cordium Deus, noscunt etiam qui mecum quotidie versantur, Rex potentissime, postquam domum mihi charam, & bona quæ ad senectutis solatium & filiorum educationem acquisieram, dimisi, nil amplius animum mentemq; meam occupasse, quàm salutis tuæ impensam curam summamq; diligentiam, nec non & Reipublicæ vtilitatem, mei et meorum aliquando oblitus. Semper enim inhumanum auaritiæ genus, aut rustico timore plenum iudicaui, labores, studia & lucubrationes subticere & celare, quæ multis existimassem profutura: maximè cùm singulari tua clementia et liberalitate, mihi, inter seruos constituto futurus sis patronus & protector. Nam quæ alia potentia, quæ insuper magnitudo, quale subsidium, nostris fortunis haberi potest sublimius, quàm Maiestatem tuã nostrum esse præsidium? Licèt enim antiquitas Alexandrum ob res mirabiliter gestas, magnum appellauerit, et Mercurium Ægiptiorũ regem, ob sacerdotium, sapientiam et regni gubernationem ter magnũ; in te vno simul omnia excellentiori modo adeo effulgẽt, vt diuina quadam prouidentia regnorum gubernacula tibi cõmissa fuisse, iure optimo arbitremur. Quippe sacerdotium, quis vnquam maiori condecorauit honore? quis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ religionem tutandã ac propagandam, maiori diligentia vsquã studuit? Quo iustissimo ac pio animo concilium Tridentinum, diu inceptum, sanctè, ac religiosè ter-

minari curaſti? atque non ſolùm regna tibi ſubdita, eius et ſanctorum Patrum ſanctiones, humiliter cuſtodire ſtudes, verùm & apud exteras nationes pace & armis incredibili diligentia ac ſumptibus præcaues, ne hæretica prauitate fœdentur. Teſtes, coactæ ſunt Gallia, Anglia & Flandrorum non paucæ prouinciæ, quarum & aliarum regionum, qui catholicæ & orthodoxæ fidei cultores eſſe cupiunt, ad te vnicũ ſubſidium, tanquam exules confugiunt, habitaturi in collegijs quæ per vniuerſam Hiſpaniam, huic miniſterio & hoſpitio, maximis ſumptibus et magno catholicæ religionis prouentu conſtruere iuſſiſti. A quibus & vbiq; terrarum diſperſas ſanctorum reliquas colligens, honore, cuſtodia & cultu (vt valet humana potentia) veneraris & venerari curas, tanquam totius Chriſtianæ Reipublicæ ſingularis protector. Supereſt adhuc tanquam fidiſſimum tuæ pietatis teſtimonium, magnificum illud ſumptuoſumq; & multis rationibus admirandum ſancti Laurentij opus, in quo veluti ſummam quadam complexus es poteſtatem, ſapientiã, maieſtatem, liberalitatem, ornamentum, artem, religionem et ardentiſſimum in Deum amorem, quibus regum, regnorumq; omnium ædificia ac ſumptus, longiſſimis interuallis ſuperaſti. Quòd ſi te regem cõſidero excellentia quadã in te vno eminere conſtat in regendis hominibus autoritatem, in audiendis populorum querimonijs facilitatem, attentionẽ & ſummam æquitatem, iuſtitiæ item ac pacis cuſtodiam, in bello fortitudinem, conſtantiam & magnanimitatem. Sed quis non admiretur ſapientiam tuam & in rebus deliberandis prudentiam? quippe in diſciplina militari, conſilium, quaſi architectonicus & bellorum magiſter adæquatiſſimũ præſtas: in pacis et Reipublicæ publica adminiſtratione ſic omnia pijs iuſtiſq; legibus prudenter moderaris, vt te omnes mirificè colant, venerentur & obſeruent. In priuatis verò negocijs et de quauis re deliberatione, ita conſilium iudiciumq; in rebus dubijs et arduis præſtas, vt ſumma ſpe & certa expectatione, te præſente ſalutem nobis cõſeruatam ac reſtitutam, & auxilium præſens tanquam à numine aliquo diuinitus nobis oſtenſum, ſummumq; præſidium noſtris fortunis cõſtitutum eſſe arbitremur. Quibus omnibus fretus, quanquam magnũ & ſummè arduum prouinciæ munus eſſe videam, veterum medendi præceptiones pleniore doctrina pluribuſq; obſeruationibus illuſtrare atq; locupletare, iudiciorum tamen ſeueritate minimè deterritus, quidquid periculi eſt ſubire, honeſtum glorioſumq; eſſe duxi. Medicinam etenim (Dei munere et beneuolentia hominibus conceſſam ad eorum vtilitatem, ſalutemq; tutandam) adeo noſtris temporibus mancam & quaſi nuper inchoatam conſpiceremus, niſi ætas dierumq; numerus multa nouiter produxiſſet, ſine quibus artis abſolutio non eſſet perfecta: quapropter ingenui animi eſſe iudicaui, ſi non ſummam quæ deſideratur perfectionem, adumbratione quadam maiorem exprimere, et ob id, hoc meorum laborum tertio volumine, quidquid diuturna meditatione longoq; medendi vſu quotidie obſeruatur, id in commune bonum ingenuoliberalique animo ſcribere. Quid etiam de quaque re in praxi cõtroverſa ſentiendum putarem liberè pronuncio. Sic multorum lutes diluo, dubia ſtabilire ſtudeo, obſcura illuſtrare, abdita patefacere, noua quam plurima et hactenus nõ cõprehenſa paſſim adijcio. Ad hæc rationibus & teſtimonijs frequenter vtor, rem omnem ita temperans, vt neque lectorem verborum profuſione onerarem, neque breuitate nimium conciſa ſuſpenderem. Et cùm mihi notiſſimum ſit, Rex Potentiſſime & Catholiciſſime, te adhuc grauiſſimis occupationibus detentum leuiora non aſpernari, ſumma quippe natus humanitate ſuauiſſimiſq; moribus neminem vnquã acerba animaduerſione et ſeueritate videris proſequutus, ſed tua clementia et animi lenitate, ſic omnium animos ad te allicis, vt mihi minimo ſeruorum tuorum anſam præſtiteris, hoc leue munus laborum meorum Maieſtati tuæ tutandum offerre, et nomini tuo Potentiſſimo Catholiciſſimoque dicare. Oro vt qua ſoles humanitate ac fauore proſequaris: quod mihi magnæ gloriæ apud poſteritatem fore ſpero. Et omnipotentem regnorum conditorem ac Regem Regum, qui tam multis, tamque illuſtribus argumentis te ſibi chariſſimũ declarauit, precor atque imploro, vt tua conſilia atque facta, præclaris cœptis auſpicijs, ad ſui nominis laudem, & Reipublicæ ſalutem dirigat, te inſuper regno, et regnum tibi cuſtodiat, & populis tibi ſubditis tutam tranquillitatem & pacem tribuat, et nominis tui memoriam conſecret immortalitati.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Doctor Luys de Mercado, Cathedratico de prima de Medicina en la vniuersidad de Valladolid, nos fue hecha relacion, que cõ mucho trauajo de vuestra persona auiades hecho vn libro de medicina, intitulado, De Internorum morborũ curatione, libri quatuor, y de otras enfermedades, y otros dos libros de morbo Gallico, con otras cosas muy notables y necessarias en el contenidas, el qual era muy vtil y necessario para el remedio de las enfermedades: y nos suplicastes os concediessemos licencia y facultad para le poder imprimir, y priuilegio por treynta años, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mãdado se hizieron las diligencias q̃ la pregmatica por nos hecha sobre la impression de los libros dispone, fue acordado, que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien: y por la presente por os hazer bien y merced, os damos licencia y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguiẽtes, que corren y se cuentan desde el dia de la fecha desta nuestra cedula, vos o la persona que vuestro poder huuiere, podays hazer imprimir y vender el dicho libro que de suso se haze mencion, y damos licencia y facultad a qualquier impressor destos nuestros Reynos que vos nombraredes, para que por esta vez le pueda imprimir, con que despues de impresso antes que se venda, le traygays al nuestro Consejo juntamente con el original que en el se vio, que va rubricado y firmado al cabo de Pedro çapata del Marmol nuestro Escriuano de Camara de los que en el nuestro Consejo residen, para que se vea si la dicha impresion esta conforme al original, o trayays fe en publica forma, en como por corrector nombrado por nuestro mandado se vio y corrigio la dicha impresion por el original, y se imprimio conforme a el, y que quedan assi mesmo impresas las erratas por el apuntadas para cada vn libro de los que assi fueren impresos, y se os tasse el precio que por cada volumen huuieredes de hauer, y mandamos que durante el dicho tiempo, persona alguna sin vuestra licẽcia, no lo pueda imprimir ni vẽder, so pena que el que le imprimiere aya perdido y pierda todos y qualesquier libros moldes y aparejos que de los dichos libros tuuiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere: la qual dicha pena sea la tercia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare, y la otra tercia parte para nuestra Camara, y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidentes y Oydores de las nuestras audiẽcias, Alcaldes, Alguaciles de la nuestra casa y corte y chancillerias, y a todos los Corregidores, Assistente, Gouernadores, Alcaldes maiores y ordinarios y otros juezes y justicias qualesquier, de todas las Ciudades Villas y lugares de los nuestros Reynos y señorios, assi a los que agora son, como los que seran de aqui a delante, os guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced que assi os hazemos, y contra el tenor y forma della y de lo en ella cõtenido, no vayan ni passen, ni consientan yr ni passar en manera alguna, so pena de la nuestra merced y de diez mil marauedis para nuestra Camara. Fecha en Madrid a diez y ocho dias del mes de Diziembre, de mil y quinientos y ochenta y siete años.

Yo el Rey.

Por mandado del Rey nuestro Señor. *Iuan Vazquez.*

PETRI IORDANIS IN MEDICA facultate Licenciati, & sanctæ Inquisitionis Vallesoletanæ Medici, in authorisopus

PRÆFATIO.

CVM ob subiecti dignitatem (vt Philosophus insinuat) quauis ars seu scientia sit alia præstantior, eminentem inter omnes locum sibi vendicare Medicinam inficiabitur nemo. Subijcitur enim ei humanum corpus, à Deo animæ gratia peculiari quadam ratione generatum. Nam mens, eodem asserente Philosopho, formarum præstantissima cùm esset, ita conformationem structissimam & pulcherrimam erat illius organum adepturum. Sed cùm humana conditio (ob primũ illud contagium) tot ægritudinibus obnoxia, tot subiecta sit casibus, adeoque imbecillis euaserit, vt à quauis vel leui aurâ labefactetur, sitque corporis & animi (vt sensit Plato) tantus consensus, vt inuicem suas affectiones secum communicent, Medicina, tanquam demissa cælitus, tantæ iacturæ tunc primùm adfuit toti homini impensè proficua & necessaria. Hæc hominis, si quid obstet, inquirit ortus, & iam in lucem editum à lacessentibus tuetur ac munit, imminentes auertit morbos, & contristantes arcet & propulsat, temperies corporis qualitatesque perpendit, structuram rimatur, partium connexionem intuetur & callet: vt ad summi opificis cognitionem ducat veluti manu, & ad tanti autho ris præstantiam miris laudibus extollendam, deliria & reliquos animi furores coercet ac tollit, ne in quo illi præcipuè indulsit natura, deficiat. & in quo eum maximè voluit à reliquis animantibus separare. Quin & caligines & halitus ipsam animæ sedem obscurantes dissipat, vt veram sapientiam, & rerum omnium integram cognitionem assequi rectiùs possit. Vnde Democritus vir, Hippocratis iudicio, sapiens ac beatus, & qui nũquã desipuisse Ciceroni visus est, cunctis hominibus, & ex his sapientibus maximè, Medicinam nimis ex vsu fore asseuerauit: quod oppressa mens morbo nihil agitare ratione, nihil cogitatione consequi possit: in noctibus Attici (vt refert Cœlius) extat Carneadem scripturum contra Zenonem elleboro corporis superiora purgasse, vt tractis ex animi domicilijs humoribus superuacuis, mens aptior & purior ad qualibet redderetur: multa sunt alia quæ corporibus præstat humanis, & ob quæ latè vagatur & fusè, quibus supersedere rectius duxi: non est animus cuncta persequi, nec eximias ipsius dotes encomijs extollere. Res enim per se notas verèque præclaras, satis est vel nudas oculis ostendisse. Sed ad illud cuius gratia hæc diximus, nostra conuertatur oratio. Si Medicina, tam est admirabilis, tam vtilis, tam necessaria (vt neminem latere arbitror) his, qui de ea sunt tantùm benemeriti, quique tantã in eius studio operam curamque posuerunt, quæ erit honoris amplitudo, quæ dignitas exhibenda? Priscis illis temporibus, quibus præmia pro meritis reddebantur, ad Deorum ritũ Medicos fuisse cultos testantur historia, Isidem videlicet, Osirim, Apollinem & Æsculapium, aliosque permultos, quos recensere esset longum. Quod fecit antiquitas non probo, affectum sanè ac iudicium laudo, quippe quæ rectè sensit & declararit, doctos fidosque Medicos permagnis fore honoribus excipiendos. Illa enim tempestate, quo propiùs aberat ab ortu (vt ait Cicero) hoc melius homines quæ erãt vera cernebãt. Rex magnus Artaxerxes, his frui qui consilio præstant, beatum iudicans, quid fecit reliqui, vt Hippocrate, viro artis Medicæ gloria satis celebri, ipse, regnumque suum potiretur? auri quantum vellet, & reliquos sumptus abunde suggerebat Persarum purpuratis æqualem fore pollicitus, pluraque si poscerentur daturus, repulsam tulit. Græci autem ob regem ab illo contemptum, & ab Illyrico in Græciam venientem fugatam pestem, Coorum posteris, vt Athenis puberescerent, quemadmodum Atheniensium liberis, concesserunt, & magnis ipsum publicè mysterijs, vt Herculem Iouis filium, initiarunt. Oculatissimus ex Græcis, & cæcus ille, qui satis superque perpendit, quæ esset cuiusque natura, qui status, & quæ deberet esse conditio, & si alias perspicue, iam hæc, vt credo, depinxerat, dum Machaonem, Podalirium, Chironem & Podalirium, non hominibus solũ, sed Dijs etiam ipsis subuenientes facit: cupiens tantus Philosophus, sub tali integumento, atque inuolucro præstantiæ Medici veram picturam ostendere. Hic erat honos, hæc laus, quam priscos illos accepimus Medicis vt vitæ tutoribus præstitisse. Si ætas ergo nostra aliquot eminentium Medicorum ingenijs efflorescit, qui laudari satis dignè non possunt, per quos res inæstimabilis vita, ac bona valetudo seruatur, quibus par rei pretium (vt ait Seneca) referri non potest, per quos Medicina tantum assequuta est incrementum, cur non eos humeris extollemus? cur non magnis

nis acclamationibus prosequemur? An, vitio malignitatis humanæ, vetera semper in laude, præsentia infastidio erunt? honorque viuentium & gloria quasi satietate languescet? an eorum iudicijs statur, qui omnia asserunt antiquos illos scriptores perfeciſſe, nihil intactum reliquiſſe, eaque posteros cura & solicitudine liberasse? neque enim Aristotelem abscribendo deterruit amplitudo Platonis, neque ipse Aristoteles, admirabili quadam scientia & copia, cæterorum studia perstrinxit, nec Hippocrates & Galenus, eorũ qui posteà scripserunt, ingenia hebetarunt. Permultos nostra hæc sortita est ætas, qui eam artem, aut scientiam, quam sunt profesi, sũ opere illustrarũt. Talis est nostro hoc seculo Ludouicus Mercatus vir acri ingenio, doctrina eximia, incredibili perspicacia & coniectura, ad quem tanquam ad mercaturam bonarum artium, sibi qui bene consulunt, proficiscantur. Nihil est quod discere quisquã velit, quod ille docere non posit, aliquid abditum quærentibus ille thesaurus est: de cõmuni & peculiari præsidiorũ artis Medicæ indicatione primũ scripsit, reliquis omnibus iacens fundamẽta, vbi omnes indicationes ab origine. cauſisque primis sic repetit, discernit, expendit, vt ad veram curandi methodum, non sit quod quisquam optare velit, aut possit: tradidit etiam de fœminarũ affectibus, opus plane perdoctum, perutile, & summè desideratum, in quo ingenium atque laborem eo vsque produxit, vt si quoduis eorum non perpetuo intenderet, sed parumper remitteret, re, proculdubio, careremus tam omni ex parte perfecta: de febrium essentia, differentijs, cauſis, dignotione & curatione sex edidit libros, quos nõ solũ ad vnguem est persequutus, sed multa quæ inuenta & excogitata fuere nunquam, cum maximo laborantium commodo, in lucem protulit: de pulsus arte & harmonia quid attinet dicere? quid de febri epydemica & maligna, quæ antea cum tot millium hominum interitu, effrænata grassabatur? Præterea hoc tertio suorum operum volumine iterum typo mandauit quatuor libros de fœminarum morbis, mille additionibus locupletatos. Et iam de curandis quibuslibet internis morbis, hunc librum in manus dedit, quem multis abhinc annis, non vigilijs, non laboribus parcens, excolebēat: vbi multa nunquam animaduersa conspicies, multa antea non satis enucleata: remediorum patebit selectorum campus, & totum sic rite concinnèque dispositum, vt facilè morborum essentiam inuenias, facilè medelam pares. An animum his rebus fortasis solùm appulit? quis legendis lectionibus accuratior, aut crebrior? quod prouentus discipulorum satis ostendit: quis vt ille visendis ægrotis aut deseruit, aut sufficit? quis nostrùm idem curæ, idem laboris insumet? in quo tam est assiduus, vt illo refici repararique videatur. Cunctis salutem habent in eo repositam, & ille, non sine suæ dispendio, laborat vt prosit cunctis. Ad illum præsentes, tanquã ad asylum, confugere, absentes accersere, reliqui autem in morbis inueteratis ad illius conspectum, quasi ad salutem, sanitatemque, prorepere. Iam quanta sermonibus eius fides? quanta modestia? quàm minima mentis elatio? adhæc, quàm parcus in victu? quam modicus in cultu? vt imaginem quandam priscæ frugalitatis præ oculis habeamus. Sed quid singula consector ac colligo, quasi aut oratione complecti, aut memoria consequi possim? cùm satius fuerit integra illibataque legentiũ animis reseruari, quã carptim breuiterque perstringi, quia ferè sequitur, vt illa de quibus taceas, intra se quis formet, animoque disponens, tanta quanta sint mente percipiat. Sed hanc ideo ausus sum subire prouinciam, quod ad moderationem & modestiam authoris submittenda erat Oratio, & magis perpendendũ, quid aures eius pati possent, quàm quid virtutibus deberetur: & quãdo is est animus, nec libet vltra progredi, vno illo ero contentus, quod satis nouerim, illum magis mẽ in sui laudibus parcum, quam vel moderatum velle. Si arbor ex fructu cognoscitur (vt generis humani Seruator exemplo nos docuit) quæ tua sit probitas, alijs quas inseras animi dotes contemplari, cuilibet erit facilè, referre nemini. Sex vtriusque sexus liberos suscepisti ex pari adeo virtute coniuge, vt dubitare quis cogatur a quo virtus in alterum deriuetur: sed consultius fuerit tibi ascribere, qui ita imbueris, institueris: nam vxori sufficit obsequij gloria. Ex filijs natu maior Iesu societate lætatur: huic secundus Carmeli domo cœli ideæ, in qua nudis pedibus incedit. Totidem filiæ: a teneris annis, solitudinem sunt amplexæ. Sed quid mirum? non est enim arduum, neque difficile ex vna religionis domo, qualis est tua, in aliam transmigrare. In reliquis autem idem tenor vitæ, cunctis idem propositum, eadem religio, pietas eadem: te imitari student, te subsequi: omnes habent mores eosdem, quia tuos habent. Sis ergo felix, vitaque fruaris quàm longæua, vt nouos (si qui restant) Medicinæ partus edas, tot erees illius alumnos, ægroti in te habeant lethalibus morbis tutelam, sani tantùm virtutis exemplum. Ad hæc autem sæpius euoluenda volumina, Lectorem hortari superuacaneum duxi, & quæ antea diuulgata sunt, & quæ nunc recenter excusa, satis erunt per se, vel vtilitate, vel necessitate commendata mortalibus.

SVMMA CAPITVM LIBRO-
rum de curatione morborum internorum.

Libri primi.

DE capitis dolore, & eius differẽtijs, caput. 1. pag. 1.
De partibus quæ in capite dolere possunt, cap. 2. pag. 2.
De cauſis quibus caput dolere potest, cap. 3. pag. 2.
De signis partis affectæ, & cauſæ lædentis, cap. 4. pag. 3.
De capitis dolore per consensum caput. 5. pag. 4.
De dolore capitis per essentiam, cap. 6. pag. 9.
De dolore capitis ex sanguine aut bile vel intemperamento calido, cap. 7. pag. 10.
De capitis dolore ex frigiditate, aut humoribus craſſis & frigidis, cap. 8. pag. 15.
De vertigine, caput. 9. pag. 24.
De incubo cap. 10 pag. 37.
De phrenitide & eius speciebus, ac de cerebri spacelo, cap. 11. pag. 41.
De lethargo & reliquis soporoſis affectionibus, cap. 12. pag. 67.
De apoplexia in genere, ac de ea quæ fit ex sanguine citra obstructionem, cap. 13. pag. 89.
De paralyſi cap. 14. pag. 98.
De conuulsione cap. 15. pag. 114.
De epilepsia & quomodo ex sanguine fiat, ac de motu etiam conuulsiuo, cap. 16. pag. 132.
De melancholia, cap. 17. pag. 151.
De mania & reliquis furoris generibus, caput. 18. pag. 189.
De læsa memoria, caput. 19. pag. 198.
De visus debilitate, defectu, & alijs vitijs, caput. 20. pag. 209.
De suffusione, caput. 21. pag. 224.
De optalmia, caput. 22. pag. 238.
De aurium dolore, cap. 23. pag. 249.
De tinnitu aurium, surditate & graui auditu, cap. 24. pag. 256.
De fluxu sanguinis narium, caput. 25. pag. 268.

Libri secundi.

DE grauedine, catharro & raucedine, caput. 1. pag. 277.
De angina & reliquarum partium oris inflammatione, caput. 2. pag. 287.
De tuſsi caput. 3. pag. 298.
De difficili respiratione, & de hydrope pulmonis, caput. 4. pag. 307.
De sanguinis sputo caput. 5. pag. 321.
De pleuritide & de cæteris thoracis doloribus, ac de pericardij, & membranarum interſepientium thoracem affectionibus, caput. 6. pag. 330.
De pulmonis inflammatione, ac de leuium arteriarum eius obstructione, caput. 7. pag. 351.
De suppuratione, caput. 8. pag. 363.
De tabe caput. 9. pag. 375.
De syncopi, & de venarum interceptione, caput. 10. pag. 389.
De palpitatione & tremore cordis, caput. 11. pag. 402.

Libri tertij.

DE cardiaca paſsione, seu oris ventriculi dolore caput. 1. pag. 415.
De canina appetentia & de bulimo, caput. 2. pag. 422.
De cibi fastidio, caput. 3. pag. 429.
De siti, caput. 4. pag. 434.
De singultu, cap. 5. pag. 441.
De nauſea & vomitu, caput. 6. pag. 449.
De imbecillitate & cruditate ventriculi, ac de eius intemperantijs, caput. 7. pag. 459.
De cholera morbo, caput. 8. pag. 475.
De lęuitate inteſtinorum, caput. 9. pag. 485.
De cœliaco fluxu, caput. 10. pag. 493.
De diarrhœa, caput. 11. pag. 499.
De dyſenteria, caput. 12. pag. 511.
De teneſmo, caput. 13. pag. 526.
De hepatica dyſenteria, & reliquis cruentis excretionibus, caput. 14. pag. 529.
De colico dolore, caput. 15. pag. 544.
De voluuloſo affectu, cap. 16. pag. 554.
De hæmorrhoidibus, caput. 17. pag. 562.

Libri quarti.

DE iecore in propria ſubstantia, ac in reliquis eius partibus obstructo, cap. 1. pag. 571.
De totius ventris & iecoris dolore, inflammatione & ſcirrho, caput. 2. pag. 583.
De iecoris intemperantia, & de omni eius & venarum imbecillitate, caput. 3 pag. 600.
De ſplenis inflammatione, duritie & obstructione, caput. 4. pag. 608.
De omnibus icteri ſpeciebus, caput. 5. pag. 617.
De malo corporis habitu, & de omni hydropis ſpecie, caput. 6. pag. 631.
De renum dolore, inflammatione & vlcere, caput. 7. pag. 672.
De mictu ſanguinis, caput. 8. pap. 677.
De mictu puris ex abſceſſu, & vlceribus veſicæ, ac renum, caput. 9. pag. 686.
De calculo renum, caput. 10. pag. 691.
De lapide veſicæ, caput. 11. pag. 701.
De vrinæ ſuppreſsione & de ea quæ veſica nõ patiente fit, caput. 12. pag. 712.
De vrinæ ſuppreſsione veſica non patiente. 713.
De ea ſuppreſsione quæ fit veſica affecta. 721.
De vrinæ ſtillicidio & ardore, caput. 13. pag. 729.
De vrinæ difficultate, caput. 14. pag. 736.
De vrinæ incontinentia, caput. 15. pag. 740.
De diabete, caput. 16. pag. 746.
De gonorrhœa, ſeu de ſpontanea profuſione, cap. 17. pag. 753.
De podagra, iſchiade, & de reliquis articulorum doloribus, caput. 18. pag. 760.

de hydropisia.

INDEX REFERTISSIMVS

eorum omnium quæ in his quatuor libris de morborum internorum curatione, notatu digna continentur. In quo prior numerus paginam, secundus verò lineam indicat.

ACETVM summopere nocet corporibus melancholia abundãtibus,& quare.171.32.
Acor nullo modo fit per putredinem, sed solùm per diminutã à frigiditate caloris actionẽ, & quare.463.31.
Adnatæ tunicæ morbi.211.3.
Angina solùm fit in musculis laringis,aut pharingis.287.36.
Angina in musculis gutturis à succo bilioso & sanguineo,in musculis verò gulæ à sanguine pituitoso,& melancholico potissimum fit.291.18.
Anglnæ laboranti ex pituita à cerebro descendente sanguinem mittendum non esse,vt Auicẽna consulit suspectum est.294.1.
Anginę triplex natura: prima, quæ fit per primogeneam affectionem musculorum mouentium laringem: secunda quę fit per consensum ex colli vertebra intro luxata: tertia ex vitio aëris inspirati: ad quam pertinet vt causa, caliginosus, fumosus que halitus carbonum in concluso cubiculo semi succensorum,& vapor ex feruenti musto eleuatus, quem Hyspani, tufo, appellant.
Anginæ veræ quatuor suat propriæ species chinangi, vbi gutturis interni musculi inflammantur: synanchevbi in faucibus fuerit inflãmatio: parachinangi quando in exterioribus fuerit gutturis musculis: si verò in partibus faucium exterioribus, & mento,parasynanche.286.36.
Angulorum oculi affectus.212.11.
Anima per spiritum corpori copulatur 199.9.
Animi deliquium est subitus casus animalis potentiæ, quæ fit retrocedentibus animalibus spiritibus ad cerebrum ipsum, quo fit vt desertis sensorijs,& citra spiritus manentibus nulla fieri possit eorum actio.390.29.
Animi deliquium in quo differat penes spirituum retrocessionem ad cerebrum à somno naturali,apoplexia,caro,catocho,& alijs soporiferis affectionibus,in quibus omnibus fit retrocessio spirituum ad cerebrum.391.26.
Animi deliquium est subitus casus vnius tantùm facultatis, syncope verò non vnius, sed omnium simul.391.46.
Animi deliquium passio est in qua cerebrum primò, & solùm patitur: in syncope verò quæ proprius est cordis affectus, cor primò patitur, sed non solum, quia simul compatiuntur reliquæ totius corporis potentiæ.392.3.
Animi affectiones corporis mutãt temperiẽ.161.11.
Apoplexia antequam naturalem potentiam vitiet interficit animal.89.4.
Apoplexia legitima, quæ ex vera cerebri obstructione fit, semper sit subitò: spuria verò non semper fit lentè.89.17.
Apoplexia quid sit.89.33.
Apoplexia ex venarum interceptione fit, vbi intercipiuntur,quæ sunt in animali arteriæ,aut soporales 92.8.
Apoplexiæ quatuor differentiæ,per quatuor differentias difficilis respirationis distinguntur.92.41.
Apoplexiæ curandi ratio.95.10.
Apoplexiam semper fieri à crassioribus succis Hypp. intellexisse,quando dixit fieri à melancholico humore.90.3.
Apoplętici quare respirent.92.25.
Appetitus naturalis, qui insurgit ex defectu humidi roridi, & animalis,qui ob id concitatur in ore ventriculi, qua nam ratione feratur magis in potum, quàm in cibum.435.36.
Arteriarum retrò aures sectionem tentare pro vertiginis curatione, temerarium est 36.35.
Arteriarum læuium pulmonis obstructio, eius signa, causæ , & periculi citissimæ mortis ratio.351.36. eius curatio.362.1.
Articulorum nostri corporis tria sunt genera: vel enim coalescunt ossa per symphysim,vel synarthrosim,vel per dyarthrosim.760.34.
Articulorum dolores vt verè articularis morbus fiat, hoc habent commune, quòd prærequirunt materiam fluentem , quæ prolabatur in caritatem articuli, nam alioqui non legitimus, sed spurius erit articularis morbus , quantumuis magnos inferat dolores.761.3.
Articulares affectus duplicem habent causam , nimirum articulorum impotentiam,& humorum abundantiam.762.40.
Articulorum morbos quilibet humor dupliciter potest efficere,vel per defluxum, vel per paulatinam congestionem.765.16.
Articulare morbum effecturi humores,per quas vias in articulos fluant.766.28.
Arthritis est dolor,qui omnes , aut plures articulos corporis occupat.769.26.
Ascites hydrops quid sit.635.45.
Auditio quid sit ex Arist.256.24.
Auditio grauis est diminuta auditio.261.24.eius causæ,ibidem, signa causarum,& curandi ratio.262.8.
Auditorius meatus, etsi possit vehementiora medicamenta in aditu sustinere dum dolet (quale est acetum)ea tamen dum ad interna perueniunt veteri omnino oportet, & quare.251.37.
Auditui , & tactui in auribus idem neruus seruit à quinta coniugatione disseminatus: lædi tamen potest sensus auditus sine læsione tactus , & è contra: quia tactus non à toto neruo,sed à ramusculis eiusdem per eandem partem disseminatis prodit.249.49.
Auditus præcipuum instrumentum,(& humori chrystallino in oculis simillimum) est aër naturaliter intra foraminula nerui auditorij cõtentus.256.16.
Auribus, si pro sedando dolore opium injicere oportuerit, cum castoreo debet cõmisceri , vt eius excessus corrigatur.252.3.
Auris tinnitus quare perciplatur manu super aurem posita.257.11.
Aurium morbi cerebro quàm citissimè communicãtur: oculorum verò vitia intra ipsos manent.249, 37.
Aurium doloris differentiæ,& ratio.250.12.
Aurium dolorem patienti , quando conueniat seronem occipitio affigere,vel fontanellam in brachio aperire.252.1.
Aurium tinnitus affectio est similis ei affectioni,quę circa oculos oborta suffusio nuncupatur.257.4.

Aurium

Aurium tinnitus triplex causa: vna quidem à bile feruente in venis: altera è ventriculo:tertia verò ex ipso capite.258.3.
Aurium tinnitũ fieri ab auditus perspicuitate,quomodo sit intelligendum.258.15.
Aurium tinnitum fieri per consensum, vel per primogeneam cerebri affectionem , quibus signis oporteat distinguere.259.42.

B.

BAlneis naturalibus quando vtendum sit in aurium doloribus.256.3.
Balneis quomodo vtendum sit in tabidis.387.15.
Bulimos à varijs authoribus diuersimodè vsurpatur.424.7.
Bulimos est casus appetentiæ à frigiditate exteriori, cum indigentia totius corporis , & imbecillitate stomachi,qui refrigeratus,& exsiccatus existit, & ob id appetit debiliter, ita vt non sufficiat quod resolutum est reficere, quo cogitur semper appetere.424.26.
Bulimos, & canina appetentia distinguntur natura, causa, & modo.424.41.

C.

CAchexia , seu malus corporis habitus quid sit 635.44.
Cæcos prudentissimos non paucos comperimus: surdos paucissimos.256.33.
Calculi vesicæ causa est crassitudo vrinæ ibidem collecta, & diu seruata.701.30.
Calculus renum, vide renum calculus.
Calculus vesicæ, vide vesicæ calculus.
Calor diminutus quare aliquando efficiat cruditatem citra acorem , aliquando verò acidam cruditatem.463.4.
Canina appetentia, vide fames.
Canina conuulsio , seu risus sardonicus ex septo transuerso vulnerato,qua ratione fiat.130.31.
Capite dolente, quibus signis cognoscamus , quæ nam pars capitis doleat, siue interna sit, siue externa.3.41. & deinceps.
Capite dolente quando ab eius venis sanguis mitti debet, & à quibus , & quibus instrumentis , vt à parte fiat euacuatio.14.30.
Capiti dolenti, siue à nuda intemperie calida, siue cum humoris affluxu,præmissa euacuatione, eadem topica sunt admouenda , & quæ.12.32. & deinceps.
Capiti dolenti à calida intemperie quando alia non prosunt, mirè prodest emplastrum ex folijs lactucæ, oleo rosaceo, & farina hordei.13.19.
Capitis dolor frequentissimus affectus.1.1.
Capitis dolorum remedia à Medicis,aut nulla, aut leuia inueniuntur, ob ignorantiam causarum,differentiarum,& patientium locorum.1.8.
Capitis dolor est depravatio tactus in partibus tactus propter vnitatis solutionem.1.16.
Capitis dolorum differentiæ omnes , tum ex doloris natura, tum etiam ex differentia partium capitis desumptæ, ibidem.
Capitis partes licèt omnes lædi possint, non tamen omnes possunt dolore affici.2.7.
Capitis singulæ partes quo doloris modo afficiantur,ibidem.
Capitis dolor Gallicus vehemens fit à causa impensè calida, aut frigida, quæ omnino partem corrumpere sit nata.3.10.
Capitis dolores quibus signis cognoscamus oriri à singulis humoribus.3.25.
Capitis dolores per primogeneam affectionem facti curationem magis expostulãt, quia magis habent rationem morbi: ijverò qui fiunt per consensum,mitigationem solam,quia tantùm habent rationem symptomatis.4.43.
Capitis dolores per consensum signa, siue à toto corpore, siue à ventriculo, iecore,splene,aut vtero consensus fiat, & singulorum medellæ.5.4. & deinceps.
Capitis dolori variisque eius affectionibus ex ijs, quę consensu inferiorum viscerum fiunt, prosunt pilulæ mirabiles ab authore descriptę.6. 34.
Capitis doloris ex ebrietate curatio.6.45.
Capitis dolor à quacumque causa oriatur,triplicitèr potest mitigari.8.28.
Capitis dolori à sanguine, aut bile orto, quomodo prosit secta vena: & quæ prius, quæ verò postea secari debeat : tum quando ortum ducit à suppressa aliqua,sanguinis consueta euacuatione: tũ etiam quando secus fit.11.14. & qua purgatione vti oporteat, ibidem.45.
Capitis antiqui dolores plerumque fiunt à causa frigida, ibidem.
Capitis antiqui & frigidi dolores acerbissimi sunt, & quare per graues repetunt exacerbationes, ibidem.
Capitis dolores à pituita,& frigido intemperamento orti,causæ.15.43. causarum signa.16.6. curatio, ibidem.
Capitis antiquisdoloribus à pituitosa causa obortis, regionis mutatio summopere est necessaria.16.37.
Capitis dolori à pituitosa causa oborto,vel à melancholia, missio sanguinis solùm debetur quando supressa est aliqua euacuatio, & vnde,& qua mẽsura facienda sit.17.9.
Capitis dolori antiquo quando sthybij vsus conferat.18.9.
Caput ex situs & propriæ naturæ conditione valde est doloribus obnoxium.1.4.
Caput aliquando dolet per essentiam affectum, aliquando verò per consensum.2.19.&.4.35.
Caput dolet vel ab intemperie,vel à cõtinui solutione. Intemperies autem,& continui solutio à varijs fiunt causis,& quæ sint,ibidem.
Caput,quod à frigida causa dolet,quo tempore dolet: quid habeat commune,& quid peculiare ex causarum varietate,& ex varietate locorum in quibus humores generantur,& permanent.15.25.
Caput vno è quatuor modis potest repleri, & quomodo singulis sit subueniendum.18.22.
Caputpurgijs non vtendum est,nisi in ijs capitis doloribus,aut affectibus , qui ex frigidis & crassis succis ortum ducunt.19.43.
Cardialgia quid sit.416.1. qua ratione differat à fame, cùm in vtraque adsit oris ventriculi sensus dolorosus,ibidem.11.
Cardialgia,cardiogmos,& cardiachi,licèt idem sonare videantur,longè tamen inter se differunt, & quomodo differant.416.24.
Caro affecti.omnes alias potentias ideò læsas habẽt, quia coafficiuntur ratione potẽtiæ imaginatricis defectus,& totalis eius vitij, non autem quia cerebri omnes partes essentialiter lædãtur, quemadmodum læduntur in lethargo.72.40.
Caroticos nõ intellexit Gal.lib.4.de loc.affectis.c.2. illæsam habere respirationem absolutè,sed respectu apoplexię.73.15.
Caros est paralysis,imaginatricis facultatis,sensum, motumque omnem excepta respiratione adimẽs,

propter anteriorís cerebri partis anguſtiam.71. 30. altera eius copioſior diffinitio,ibidem.45.
Caros faciliùs ſuccreſcit alijs affectionibus quàm lethargus.78.47.
Caruncułæ in meatu vrinario obortæ, quæ vrinam ſupprimit,curandi ratio.727.27.
Catalepſis fit ab oppletione venarum, & arteriarum,quæ per meninges diſſeminantur, aut ab humore frigido & ſicco, ſubitò affatimque replente prædicta vaſa, potiùs quàm ab intemperie nuda.74.31.
Cataracta quid ſit,& quomodo differat ab aquæ affuſione, & ſuffuſione, vide ſuffuſio.
Catharri, ſeu diſtillationes, aut quæuis aliæ fluxiones fieri nequunt à frigiditate cerebrum comprimente, vt à ſe exprimat humorem, veluti ſpongia compreſſa aquam. Tantam enim frigiditatem viuente animali cerebrum ſuſtinere non poteſt: ſed denſatis externis partibus ab externo frigore cerebri calor augetur, qui humores liquat, & vias dilatat, & ſic fit fluxio.279. 33. &.280.
Catharri, corizæ, aut raucedinis, quæ ſit cauſa, quis morbus,& quod ſymptoma.278.4.
Catharroſa quædam defluxio maiorem hominum partem inuaſit, non ſolùm in Hiſpania,ſed in vniuerſo ferè orbe, quæ ſemipeſtilens conſtitutio fuit,anno Domini. 1557 ante autumni ingreſſum,ſecumque coniunctam habebat febrem tertianæ duplicis naturam referentem. Quæ conſtitutio redijt anno.1580. ferè in vniuerſa Hiſpania toto æſtatis tempore.Et docetur eius curandi ratio.281.9.& deinceps.
Catharrus propriè eſt fluxus humoris excrementitij à capite ad ſubiectas partes propter vitiatam capitis coctionem, aut intemperiem ipſum alijs modis imbecillitantem.277.21.
Catharrus, ſeu deſtillatio dicitur quando humor, qui profluit,delabitur in os, & aſperam arteriam: coriza verò,ſeu grauedo, quando fluit in nares: raucedo autem,ſeu bronchos, quando procidit in fauces,vel laringem 277.30.
Catharrus ſuffocatiuus.282.17.
Catharrus an curari debeat ſanguine miſſo.284. 36.
Catharrus vtrùm indigeat purgatione.285. 17.
Cathoco, ſeu catalepſi laborantes, quæ ſigna habeant propria, quibus diſtinguãtur à lethargicis. 78. 11.
Cathocus periculoſior eſt lethargo,cauſę feritate,& potentiarum læſione.75. 5.
Cathocus ſoporoſus affectus.74.44.
Cæphalœa eſt antiquuus capis dolor: cephalalgia verò recens.15.13.
Cerebrum quare (frigiditatis comprimentis, & eius humiditatis exprimentis ratione) non poſſit eſſe cauſa fluxionum: vide catharri.
Cerebrum animalibus tributum non eſſe, vt ſenſus inſtrumentum ſit, ſed vt ſenſuum inſtrumentis vim ſentiendi impertiatur, docent Galen. & Raſius.2.12.
Cerebrum omnino ſenſu non carere vulnera capitis oſtendunt.In quibus diſcoopertum ambientis perſentit frigiditatem,ibidem.
Cholera morbus eſt affectus peracutus, & grauis, qui per vomitum,& alui fluxum protinus hominẽ tollit. Aut eſt acutus affectus cum vomitibus biliоſis multis,alijſque deiectionibus, ſuris quoque ſe contrahentibus, ac frigeſcentibus extremitatibus.475.35.
Cholera morbus dicitur acholidas, quia veteres ſic appellabant inteſtina,ibidem.
Cholera morbus pertinet ad expultricem ventriculi facultatem validiſsimè irritatam, non ſolùm ſuperioris,verùm etiam inferioris oris eius. 476. 4.
Cholera morbus nunquam ſit citra ſimultaneam euacuationem, cæterum plerumque degenerat in alterutram: nam ſolet vomitus ceſſare manente alui fluxu, & è contra.476.29.
Cholera morbus duplex: humida nimirum in qua excernitur humor: & ſicca in qua excernitur flatus.476.32.
Choleræ morbi ſiccæ cauſa eſt flatulentus ſpiritus acris in ventre, & eius vicinis partibus geniti. 478. 19.
Choleræ morbi curandi ratio in ſex operibus quæ exequi debent, conſiſtit.482.14.
Choleræ morbi ſiccæ curatio.485.16.
Choleram morbum quare aliquando cruda alimenta excitent, aliquando verò non.477.12.
Chyrſt allini humoris affectiones.212.14.
Cœliaca affectio eſt velox quidam exitus eorum, quæ per os aſſumuntur, verùm non omnino crudorum & incoctorum.493. 14.
Cœliaca ad omnes pertinet ventriculi facultates: hæc primò & perſe ab omnibus tribuatur retentrici,ibidem.
Cœliaca in quibus differat à lyenteria,ibidem.40.
Cœliaca longe deterior, & periculoſior eſt læuitas inteſtinorum,& quare.496.23.
Cœliacæ in vniuerſum proxima, & immediata cauſa eſt ventris ferè totius frigidum cũ humiditate ſordida intemperamentum, cum innati calidi, & humidi proprij immunitione, ac nonnumquã calidum.493.26.
Cœliacæ curatio ſi vitio alimentorum fiat,ibidem. 33.
Colici doloris cauſa non eſt ſola frigiditas humorum, ſed immediatior cauſa eſt eorum motus & agitatio, qui moti inter inteſtini tunicas, ſubitò & affatim vim naturæ inferunt, & per conſequens dolorem.545.26.
Colici doloris cauſæ eſſe poſſunt,præter craſſam pituitam,bilis retenta, inteſtini inflammatio, fæcum durities, & copia, flatuoſus ſpiritus, vteri & renum vicinia, & effuſio bilis acris & mordacis à iecore in eam partem, vel illi vicinam.546.14.
Colici doloris curatio.549.2.
Coli inteſtini inflammatio aliquando, & ſi rarò, poteſt efficere volvulum.546.30.
Colicus dolor quid ſit.544.12.
Colicus dolor quare in paralyſim aliquando commigret.546.11.
Colon inteſtinum, quem ſitum habeat?, & de hoc differentia inter Galenum & Paulum componitur.544.15.
Coma eſt dormiendi deſiderium præter naturam, aut lenta delatio, ſiue inclinatio in ſomnum,vel vigilans ſomnus, ſeu impotentia vigilandi, aut laborioſa vigilia.69.15.
Coma vt verè fiat,laborantes non dormiunt profundè, ſed delationem habent in profundum ſomnum.69. 28.
Coma duplex, alterum vigil, alterum ſoporiferum.69. 20.
Coma eſt debilis, ſeu infirmæ imaginatiuæ paſſio.69. 46.

Coma

Coma vigil quando a cauſa calida,& frigida in æquilibrio exiſtentibus fit, exquiſitius eſt, & præludium, & prima ſpecies typhomaniæ.70. 44.
Coma vigil,& eius ſpecies differunt à typhomania, & eius ſpeciebus, quòd in comate ſat eſt humores mixtos cerebrum irrigare: in typhomania verò id non ſufficit, ſed neceſſum eſt cerebrum, aut membranas mixto hoc humore inflammari.71. 13.
Comatis ſoporoſi tres ſunt cauſę,& comatis vigilis alię tres.70.15.
Conculſio membrorum in epilepſia, & rigore, ac ſingultu, licèt ab eâdem facultate fiant,& ob eandem cauſam, quomodo tamen differant inter ſe.443.14.
Condolentia quid ſit.4.41.
Conuelli qua ratione poſsit neruus citra paralyſim.118.1.
Conuulſio quid ſit.114.47.
Conuulſio cuius nam partis propria ſit affectio. 116.7.
Conuulſa pars mouetur inuoluntariè,& quieſcit voluntariè vt dolorem præcaueat.118.35.
Conuulſio non eſt ſolutio vnitatis, ſed contractio conuulſio eſt, & terminus, & finis extenſionis, ſeu ſolutionis illius extenſiuę.119. 30.
Conuulſio flatuoſa, Hiſpanè calambre appellata. 120.1.&.121.23.
Conuulſio mixtę naturę ex paralyſi,& conuulſione. 120.11.
Conuulſio per conſenſum fit quando morſus infertur à re acri, & mordaci alicui parti præſtanti, cuius conſenſu, aut vicinia plures, vel omnes partes compatiuntur: vel fit à membro aliquo ex inferioribus tranſmiſſa in cerebrum, aut neruoſum membrum,halituoſa aliqua ſubſtãtia acri,& mordaci.122. 7.
Conuulſio quare athletis non accidat,quantumuis magnam patiantur plenitudinem.122.35.
Conuulſio non accidit hectica febre laborantibus, quia lentè, & æqualiter exſiccantur. 123. 36.
Conuulſio, ex vulnere vna è tribus cauſis accidit: & quomodo curetur.229.28.
Conuulſio differt à conuulſiuo motu, quia in conuulſione impeditur facultas, & ſolùm membrum morbidum agitur à morbo: in conuulſiuo verò motu agit facultas, & patitur membrum: præterquam quòd facultate etiam differunt.443.1.
Conuulſioni ex repletione, & inanitione additur ex Galeno tertia,quæ ex frigiditate fit, non quòd alicui dictarum non poſsit reduci, ſed quòd peculiarem calorificis auxilijs poſtulet curationem.122.3.
Conuulſiui motus quare in lethalibus capitis vulneribus fiant in parte oppoſita parti vulneratę: paralyſis verò in eâdem parte.134. 13.
Cor tremorem poſſe pati ex Galen.& ratione probatur.403.13.
Cor quare non ſemper patiatur palpitationem ſpuriam, cùm vna ex eius cauſis ſit aqua in pericardio contenta, & verum ſit pericardium ſemper aquam continere.406.13.
Cordi ràrò accidit verus tremor.407. 17.
Cordi, qui ſunt proprij, & legitimi tremores. Et quomodo fiant, vel contremiſcendo, vel ſubſultando, vel vtroque modo.407.22.
Corneę tunicę morbi.211.3.
Cruentę excretiones licèt quatuor à Galen. conſignentur, differentiæ tamen ſeptem inueniuntur. 511.34.
Cruentarum excretionum, quę per aluum fiunt differentię omnes.529.8.

D.

DElyrium pertinet etiam ad memoriæ vitia, idque dupliciter.78.21.
Dentifricia, errhyna, maſticatoria, & gargariſmata, quando locum habeant, & quando non.20.40.
Diarrhœa eſt immodica per aluum excretio, alicuius humoris, ſine exulceratione, inflammatione, aut teneſmo.499.14.
Diarrhœa triplex,biliоſa, pituitoſa, aut melancholica.500.2.
Diarrhœa chyloſa.301.1.
Difficilis reſpiratio quid ſit, & quæ ſit eius natura, vide dypſnœa
Difficilis reſpirationis tres potiſsimæ ſpecies. 309. 5.
Difficilis reſpirationis tres cauſæ potiſsimæ. 306. 30.
Difficilis reſpiratio ſaluti, & morti ambigua eſt. 314.1.
Difficilis reſpirationis in acceſsione curandi ratio.314.15.
Difficilis reſpirationis extta acceſsionem curandi ratio.318.3.
Difficultas vrinæ, vide vrinæ difficultas.
Dolor capitis, vide capitis dolor.
Doloris mitigatio leuem recipit à cauſa differentiam: à doloris vehementia maximam: à particula verò affecta aliquam.251.34.
Diabetes eſt ſublta potus omnis per vrinas cum magna ſiti profuſio.746. 11. Et quare hunc affectum Medici tripliciter appellent, nimirum dyabetem hydropem matellæ, aut dypſacum, ibidem.
Diabetis curatio.750.13.
Dyſenteria qua ratione profit maniæ.194.30.
Dyſenteria eſt excretio cruenta per infernam aluum facta, quæ inteſtinorum abraſione, & exulceratione tantùm cruenta efficitur: eſt enim diarrhœa ad maiorem feritatem deducta.512.3. &.529.4.
Dyſenteria non exquiſita quæ ſit.515.10.
Dyſenteria quare oportet, vt fiat ad hoc, vt per fluxum ventris ex purgati,ij, qui iam ſunt victi à natura, humores,liberent corpus à lienoſis affectibus, & ab alijs ſimilibus. Et quare non ſufficit diarrhœa ex eodem humore facta.515.44.
Dyſenteria hepatica, vide hepatica dyſenteria.
Dyſenteriæ veræ natura tribus conditionibus integratur: nimirum. vlcere, dolore, & humore acri erodenti, atque mordaci cum fluxu ventris.512. 18.
Dyſenteriæ curandi ratio.517.3.
Dyſenteriam ſolùm id vlcus inteſtinorum conſtituit, quod ab humorum acrium, & mordacium eroſione prodit.512.15.
Dyſenteriam quomodo cognoſcamus fieri in inteſtinis gracilibus, aut in craſsis.514.3.
Dypſnœa,ſeu difficilis reſpiratio,in communi ſignificato,ſignificat omnem difficilis reſpirationis ſpeciem.307.42.

Dypſnœæ ſeu difficilis reſpirationis natura in ſuo peculiari ſignificato eſt creber anhelitus: huius enim tymptomatis natura, non in magnitudine, aut velocitate motus, ſed in crebritate ſolùm ſita eſt.308. 7.
Dypſnœam ſeu difficilem reſpirationem, cuius naturam in crebritate conſtituit Galen. quare quantum attinet ad magnitudinem, & paruitatem, aliquando aſſerat debere eſſe magnam cum crebritate, aliquando verò eam paruam ſtatuat.308.21.

E.

Epilepſia quomodo differat à vertigine.24.37.
Epilepſiâ quid ſit.131.8.
Epilepſia triplex: epilepſia nimirum quando cerebrum per eſſentiam afficitur: analepſia quando afficitur per conſenſum à ventriculo: & catalepſia quando fit per conſenſum à quauis alia parte.133.21.
Epilepſia non poteſt fieri à nuda intemperie. Et quare.137.2.
Epilepſia fieri poteſt ex ſanguine.139.7.
Epilepſiæ curatio.140.40.
Epilepſiæ varia nomina, & nominum ratio.133.22.
Epilepſiæ motus in cerebro, primò fiunt à virtute naturali expultrice, adiuta tamen à vi dilatante, & comprimente cerebrum.135.11.
Epilepſiæ cauſa non eſt ſola obſtructio, ſed obſtructio, & mordicatio. Ab obſtructione oritur ſenſuum læſio: à mordicatione verò oriuntur motus conuulſiui.135.19. Et deinceps.
Epilepſiæ per conſenſum, minor noxa ſenſuum accidit, & vehementior motus conuulſiuus, quia minor eſt obſtructio, & maior acrimonia: in ea verò, quæ per eſſentiam fit, maior adeſt ſenſuum læſio, & minor concuſſiuus motus, quia maior eſt obſtructio, & mordicatio minor.136.17.
Epilepſiæ cauſa differt à cauſa apoplexiæ, & paralyſis: quòd ad generationem apoplexiæ, & & paralyſis humores conſcendunt in propria forma craſsi, & tenaces: ad generationem verò eſſentialis epilepſiæ, ſpumoſiores, leuiores, & rariores facti, vt ſpuma per os excreta indicat.137.17.
Epilepticos poſt vigeſimũ quintum annum ſanitati non poſſe reſtitui, verum non eſt, neque id voluit Hypocrat. Et quid de hoc ſentiendum.140.1.
Errhyna, maſticatoria, dentifricia, & gargariſmata quando locum habeant, & quando non.20.40.
Erryhnorum vſus in capitis dolore ex frigidis, & craſsis humoribus.20.6.
Exercitia laborioſa ſunt, quæ debentur pituita redundantibus corporibus vt illa exſiccent, leuia enim potiùs impinguant.16.32.

F.

Fames, ſeu appetentia canina, eſt deprauatus cibi appetitus in intenſione, ſeu magnitudine peccans, prodiens ex oris ventriculi vitio.424.4.
Famis, ſeu appetentiæ cibi os ventriculi præcipuũ eſt organum.423.28
Famis quinque differentiæ.422.8.
Famem naturalem quinque motus præcedũt.422.41
Faſtidij triplex ſors, & triplex cauſarum differentia.431.11.
Faſt diũ cibi cibũ nõ appetere, & cibi abominationẽ licèt vnius videantur rationis, & potentiæ, cũ hoc tamen, non ſolum diſtinguntur nomine, ſed re, & ratione vitiatæ potentiæ.429.41.
Flatibus generandis non ſolùm requiritur calor paulo diminuto intenſior, ſed materiæ flatuum ea tenacitas, qui non poſsint ab eodem calore reſolui.478.36.
Flatus & ſpiritus non ſunt idem.478.46.
Fluxiones à cerebro quare fieri non poſſunt à frigiditate ipſum comprimente. Vide catharri.
Fluxus alui ex colliquatione curatio.506.12.

G.

Gargariſmata, errhytna, maſticatoria, & dentifricia quando ſint ex vſu, & quando non.20.40.
Glandularum triplex differentia, officium, & natura reperitur in ore.288.13.
Glaucoma eſt quando chryſtallinus humor tantùm denſatur, & reſiccatur, quòd natiuum calorem mutet in glaucum.225.25.
Gonorrhœa eſt feminis inuita, & præter voluntatem excretio, quæ continuò naturalibus non intentis, ex retentricis naturæ facultatis imbecillitate prouenit 754.4.
Gonorrhœæ cauſa aliquando eſt vel nimia veneris abſtinentia, maximè ſi ea priùs aſſuetus fuerit homo, vel immodicus coitus.755.18.
Gonorrhœæ conſuetudo nunquam ſalubris eſt, & quare.756.19. eius curatio, ibidem.34.
Gurgulio, ſeu columella quid ſit: & variæ eius nomenclaturæ, ob diuerſas, quibus inſigniturdiſpoſitiones.287.41.
Gutta ſerena quid ſit: & eius ſigna ex Cornelio Celſo: vide viſus priuatio commoda.

H.

Hæmorrhagia ſanguinis è naribus fluorem ſignificat, ſi nõ exprimatur particula per quam fluit.268.14.
Hæmorrholdes qua ratione prodeant potiùs in ano, quàm in alia quauis corporis parte: cùm certum ſit mille alijs in locis reperiri poſſe venarum extremitates, per quas eodem modo natura ſanguinem fundat.
Hæmorrhois eſt ſanguinis profuſio per venas ani, aut in illis tumor ab affluente, & contento ibidẽ ſanguine.563.5.
Hectici quare non patiũtur conuulſionem ex ſiccitate: vide conuulſio.
Hepatica dyſenteria legitima, & illegitima.53.1.
Hepatica affectio non ad cuiuſque facultatis hepatis læſionem ſequitur, ſed eius tantùm potentiæ vitio fit, qua ab omnibus alijs corporis particulis diſsidet, nimirùm ſanguificę.531.27.
Hepatica dyſenteria legitima quid ſit.631.17.
Hepatica dyſenteria, & malus corporis habitus licèt conueniant in hoc, quòd fiant ab vno hepatis vitio, nimirum diminuta ſanguinis generatione: differunt tamen penes hoc, quòd in hepatica dyſenteria it per meſeraicas ad inteſtina: in malo verò corporis habitu, per venas ad membra.635.36.

Hepatica

Hepatica dyſenteria, & malus corporis habitus differunt à quauis hydropis ſpecie tanquam principium, & via à termino: terminantur enim malus corporis habitus, & hepatica dyſenteria in hydropem.634.3. differunt etiam aliter.635.19.
Hepaticæ dyſenteriæ, veræ & legitimæ curatio.542.28.
Hepaticæ dyſenteriæ legitimæ, & impotentiæ ſanguificę facultatis, an ſola intemperantia ſit cauſa, ſiue calida, ſiue frigida ſit, vel quid aliud quod maioris ſit momenti.533.41.
Hydropem tympaniam alijs hydropis ſpeciebus grauiorem, & periculoſiorem eſſe, non ſolùm (vt vulgo fertur) ob difficultatem curationis, verùm etiã ob affectus naturam & conditionem.635.6.
Hydropi quando conuenit varijs vſtionibus circa vmbilicum manantia vlcera excitare.651.17.
Hydropicis quando, & qua cautione facienda ſit paracenteſis, ibidem.
Hydropis tympaniæ curatio.654.37.
Hydrops qua ratione proſit maniæ.194.32.
Hydrops pulmonis, eſt aquoſæ, ſeu ichoroſæ ſubſtantiæ in thorace, & pulmone collectio.309.44.
Hydrops pulmonis plerumq; ſuccedit hydropi aſciti 310.37.
Hydrops verè non eſt, niſi ex vitio ſanguificationis hepatis fiat: quare aliquæ aliæ hydropis ſpecies ab ilijs cauſis obortæ, quæ adducuntur ab aliquibus authoribus, reijciuntur.632.1.
Hydrops malus corporis habitus, & hepatica dyſenteria, qua ratione inter ſe differant, vt diſtincti affectus ſint, ſi conueniunt in cauſa: oriuntur enim omnes à frigida hepatis intemperie.632.37.
Hydrops Anaſarca quibus modis poſsit corpori ſuccreſcere.658.15. eius curatio.656.36.
Hydoplon eſt dum pus ſub tunica cornea colligitur ad dimidium nigri in parte infima oculi accedens, aut totam corneam replens, & ſimul pellucens, cum dolore pulſatorio, rubore totius oculi, & tem porum dolore.225.18.
Hypoſphagma, ſeu ſuggillatio, eſt effuſio ſanguinis per tunicas oculi in ſpatia, quæ ſunt circa venas.225.15.

I.

Icteri flaui variæ nomenclaturæ, & earum ratio.617.23.
Ictero affectis quare bilis, quæ ad cutem tranſmittitur febrem non inducit, aut aliquem tumorem præter naturam. Et quare ibidem non putreſcit, vt vt in herpete.618.11.
Icterum ante ſeptimum diem in febribus obortum malum eſſe, quomodo intelligat Hyppocr. 622.12.
Icterus niger.617.23.
Icterus medius inter flauum, & nigrum.617.44.
Icterus albus, ibidem.
Icterus ex veneno, vel expurganti pharmaco obortus quomodo debeat curari.624.35.
Iecoris ſtructura.571.31.
Iecoris obſtructionum variæ differentiæ à locis deſumptæ.572.32.
Iecoris obſtructio quæ propriùs & abſolutè nomẽ obſtructi iecoris præſtat, quæ ſit.673.6.
Iecoris dolor, & inflammatio.584.11.
Iecoris inflammatio quomodo per ſigna diſtinguatur à pleuritide, & ab inflammatione muſculorum abdominis dextri lateris, & aliorum membrorum ſub hypochondrio dextro.586.38.
Iecoris inflammati curatio.591.6.
Iecoris inflammatio ſi ſuppuretur quomodo debeat curari, & quando, & quomodo ſit aperienda.595.8.
Iecoris ſcirrhus in quem degenerat inflammatio eius.597.17.
Iecoris intemperantia, & varij eius affectus.600.27.
Iecur varijs morborum generibus magis eſt obnoxium, quàm quæuis alia corporis pars.572.22.
Ileos quid ſit, vide voluulus.
Incontinentia vrinæ, vide vriniæ incontinentia.
Incubus nihil aliud eſt quàm prauum inſomnium cum noxa reſpirationis, propter vaporem craſſum poſteriores cerebri meatus obſtruentem.37.37.
Incubus in quo differat ab inſomnijs.38.42.
Inteſtini recti paralyſis.114.13.
Iſchias præcipua & grauior articulorum affectuum ſpecies eſt, & quare.786.36.
Iſchias rarò hominem dimittit ſi ſemel aſſueſcat, qui verò ex ſanguine fit dolor (quod rarò accidit) citiſsimè curatur.788.25.
Iſcuria eſt vrinæ ſuppreſsio ex affectu veſicæ.721.37.

L.

Læuitas inteſtinorum ſic dicitur, etiam ſi ventriculi potiſsimùm ſit affectio, magis quàm eorum, quia vulgo in hoc affectu notior eſt inteſtinorum, quàm ventriculi læſio, & quia non tarò hæc affectio primò & per ſe inteſtinis tribuitur.486.8.
Læuitas inteſtinorum, ſeu lyenteria, eſt eorum, quæ deuorata fuerunt celerrima excretio, ea forma qua ingeſta fuere.486.17.
Læuitas inteſtinorum vt ſit, an neceſſum ſit alimenta ex toto inconfecta exire.487.7.
Læuitas in teſtinorum duplex: legitima, quæ fit ob defectum retentricis facultatis, vel ob irritamentum expultricis: & illegitima, quæ vel fit per complicationem vitij plurium facultatum, & excretionum, vel per vitium ſolius concoctricis.489.5.
Læuitate inteſtinorum laborantes quomodo poſſint ex cibo alimoniam ſuſcipere, & diu viuere, ſi talia deijciunt alimenta qualia fuere deuorata.486.24.
Læuitatem inteſtinorum ſi vitia inteſtinorum concitant, dubitatur cuius nam facultatis erit læſio, retentricis, an concoctricis.487.23.
Læuitatem inteſtinorum an poſsit excitare vitium inteſtinorum, ventriculo illæſo.487.7.
Læuitatem inteſtinorum quomodo intelligendum ſit in meliuis tendere quando apparet ructus acidus.488.20.
Læuitatis inteſtinorum duplex cauſa: nimirum imbecillitas facultatis retentricis ventriculi, quæ ab humiditate, & aliquali frigiditate fit, & exulceratio ventriculi.486.37.
Læuitatis inteſtinorum, an cauſa ſit polita interna facies ventriculi, & inteſtinorum, ex cicatrice, aut pituitoſo ſucco.487.18.
Læuitatis inteſtinorum quare cauſa non ſtatuatur concoctricis facultatis imporentia, ibidem.21.
Læuitatis inteſtinorum legitimæ curatio.490.14.
Læthargi ſignum pathognomicum vtrum ſit delyrium, diſputatur.81.13.

Lethargi pathognomicũ signum est delyrium, quem admodum phrenitidis, diuersa tamen est delyrij sors. 82.12.
Lethargicis paratur syrupus peculiaris vtilissimus. 85.18.
Lethargicis quando prosit cucurbitas summitati capitis affigere: & quando eas oporteat scarificare. 86.18.
Lethargo affecti omnium functionum facultatum rectricum, præsertim memoriæ imminutionem patiuntur. 78.15.
Lethargo vero affecti vtrùm patiantur perpetuum delyrium disputatur. 80.7.
Lethargo affecti ex necessitate naturæ mali, non cõstant mente: cum hoc tamen non delyrant vero delyrij genere à causa calida oborti, sed imminutæ memoriæ consensu. 81.2.
Lethargo affecti delyrant, quia symulachra, quæ sunt in memoria diminutæ, vel prauæ æstimatiuæ, aut imaginatrici referuntur. 201.20.
Lethargus non est interim dum pituita non putrescit, sed caros & tunc lethargus fit cum febris excitatur. 76.2.
Lethargus vt fiat, necessum est lædi potiùs cerebri substantiam quàm meninges, idque iuxta eius porositates, & temperiem. 77.18.
Lienis morborum differentiæ. Vide splenis.
Linguæ paralysis. 112.32.

M.

MAnia propriùs verti debet furor, quam insania. 190.16.
Mania, seu furor symptoma est principum facultatum omnino corruptarum: maximè rationis, & imaginationis, cùm constet memoriam non deficere. 191.1.
Mania nunquàm fit ab humore pituitoso, cùm ad eam humor irritans, & mordens exigatur. 192.34.
Maniæ quinque species: nimirum melancholia, furor, amor, rabies, & hydorolchos, ideſt lupina insania. 190.1.
Maniæ causa est intemperies calida & sicca, habitualis, quæ vel in vniuerso genere venoso, & iecore exiſtens cerebro communicatur vel in solo capite sita est. 191.25.
Maniæ, qua ratione prosit dysenteria. 194.30.
Maniæ, qua ratione prosit hydrops. 194.32.
Masticatoria auxilia in capitis dolore ex frigidis, & crasis humoribus. 20.27.
Masticatoria, errhyna, dentifricia & gargarismata: quando locum habeant, & quando non. 20.40.
Meiendi actui duæ actiones interſunt, eęque diuersę, naturalis nimirum, & animalis: quarum aliqua deficiente, actionẽ hanc fieri est impossibile. 740.22.
Melancholia morbus est in cerebri intemperie sicca, & frigida sita, ob vitalis caloris vitium, siue nuda exiſtat, siue cum affluxu sit materiæ etiam melancholicæ. 156.41.
Melancholia morbo laborantes non solùm habent læsam imaginationem, verum etiam illis non ex toto salua supereſt ratio. 157.29.
Melancholia abundantibus corporibus, acetum summopere nocet & quare. 171.32.
Melancholia ex amore. 179.3.
Melancholia hypochondriaca 180 47.
Melancholiæ nomine quid intelligendũ sit. 153.19.
Melancholiæ morbus per symptomata diffinitur, & quæ sit eius diffinitio. 155.26.
Melancholiæ morbi triplex species. 162.10.
Melancholica delyramenta ex pituitoso humore fieri nequeunt: benè tamen possunt fieri delyria, & mẽtis commotiones. 160.1.
Melancholici an semper habeant mœstitiam. 159.6.
Melancholicis quibus mitti debeat sanguis, & quibus non. 167.23.
Melancholicis quando debeant secari venulæ nasi, aut frontis, & quando magis conueniat hæmorrhoides, aut varices hirudinibus aperire. 173.27.
Melancholico leuamẽ præstari potest ex diſsuasione cõceptæ opinionis, etiam si affectio melancholica in frigido & sicco cerebri intemperamento sita sit, & quare. 160 34.
Memorandi facultas quomodo suum exequatur munus. 199.5.
Memoria est habitus phantasiæ, vel imaginis eius rei, quæ imaginationi subijcitur, vel est thesaurus rece ptarum per imaginationẽ imaginum rerũ. 198.35.
Memoria tripliciter lædit, corrupta nimirum, dimi nuta, aut abolita. 199.38.
Memoria, seu recordatio propria est rei absentis per imaginis spectationem cùm temporis præteriti cognitione, representatio, facta à memorandi facultate stimulata ab imagine seruata. 200.42.
Memoria tribus omnino actibus perficitur. Primus est motus spiritus ad significandam speciem memorabilem: secundus retentio specierum expressarum. Tertius verò, qui affert, & resignat speciem memorabilem imaginatiuæ, & intellectui. Primus, & tertius actus per se læduntur à frigiditate, & ex accidenti à calore: secundus verò ab humiditate. At qui impensa etiam siccitas difficiliùs imprimi rerum imagines permittit. 202. 18.
Memoriæ duplex est actus: vnus cùm rerum symulachra diu seruat: alter cùm ex imaginis apprehensione rem ipsam representat: illa quidem passio est, hæc verò actio, vt dici possit memoria agens, & patiens. 200.34.
Memoriæ læsio si natiua fuerit non debet fortioribus medicamentis curari: qualia sunt, quæ conficiuntur ex anacardo: nam præter id quòd nõ proficiunt magnas alias noxas inferunt. 205.12.
Memoriæ deperditæ quando necessaria sit fontanella in brachio aperta: vel seto occipitio affixus. 209.37
Memoriam qui deperditam habent omnino, nec delyrare possunt, quia non referuntur symulachra reliquis potentijs, nec discurrere, quia carent symulachris rerum, quibus intellectus practicus habet opus. 201 9.
Memoriam ex toto auferre sola potest frigiditas, imminuere verò sola humiditas. 203.17.
Memoriam non quæuis cerebri frigiditas læsam reddit, sed ea solùm, quæ valet condensare & extingere, immobilesque reddere illius partis spiritus, & cerebri substantiam veluti solidare. 203.29.
Memoriam diminutam frigiditas minor efficere nõ potest, si positiua sit, sed vel non lędit, vel efficiet abolitam, benè tamen poterit memoriam imminuere si natiua sit, etiam si sit in eodem intensionis gradu. 204.4.
Metus, & mœstitia quare affectus cùm sint vitalis facultatis possint monstrare imaginatiuæ potentiæ læsionem. 160.23.
Mictus sanguinis vno è quatuor modis prodire potest à venis, quæ vniuersum renem circundant. 679. 22.
Mictus sanguinis ex vesica curatio. 685.19.
Mictus puris ex vesicæ affectu, quomodo distinguatur ab eo, qui est ex alijs partibus.
Musculus quare dicatur præcipuum motus voluntarij instrumentum. 119.27.

Nausea

N.

NAusea est inanis quædam vomendi necessitas, qua ventriculus citra manifestam excretionem ad vomitum mouetur. 449.41.
Nerũ orum opticorum affectiones. 212.20.

O.

OCulorum omnes morbi recensentur. 210.9. & deinceps.
Oesophagi parálysis. 113.14.
Onix est cùm sub tunica cornea pus colligitur ex vlcere eiusdem corneæ, mediam solum corneæ partẽ circuli instar occupans. 225.22.
Opthalmia vera & legitima solius adnatæ vera est inflammatio, ex sanguine affluente frequentiùs orta. 239.17.
Opthalmia duplex, illegitima, quę pseudoopthalmia appellatur, & à causis externis, aut à flatu tantùm fit: & legitima, quæ veram inflammationem constituit, & solùm fit per affluentem humorẽ. 239.24.
Opthalmia quando habeat rationem morbi, & quando symptomatis ibidem. 32.
Opthalmiæ nomen, ratio nominis, & eius species 238.24.
Opthalmiæ causæ. 239.38. signa. 240. 20. præsagium. 241.36. curandi ratio. 242.6.
Opthalmiam fieri per consensum quomodo sit intelligendum. 239.21.
Opthalmiam patientibus quando opus sit frontis venas inurere, vel setonẽ occipitio affigere. 249.22.

P.

PAlpebrarum omnes morbi singulatim recensentur. 210 9.
Palpitatio cordis motus est præternaturam à flatu in corde incluso, qui exitum quærens agitat se cum continentia membra, donec vel resoluatur, vel expellatur. 402.16.
Palpitatio & tremor cordis differunt natura, modo, & causa. 402.37.
Palpitatio quædam est legitima, quædam verò spuria, & vide ibi palpitationis causas. 405.1.
Palpitatio spuria quare non semper cordi accidat, cũ vna ex eius causis sit aqua in pericardio contenta, & semper pericardium aquã contineat. 406.13.
Palpitationis natura, tum in alijs partibus, tum etiã in corde in quo consistat. 404.1.
Paralysi prodest vstio eius vertebræ, per quam nerus in resolutam partem perreptat. 114.33.
Paralysim frequentius patitur latus sinistrum, quàm dextrum. 105.22.
Paralysis quid sit. 98.17 & 29.
Paralysis in quibus differat ab apoplexia 98.10.
Paralysis duplex: ex quisita, & spuria. 98.30.
Paralysis est symptoma conuulsioni omnino contrarium. 98.37.
Paralysis quomodo fiat conductione, & quid sit, & quotuplex. 99.6.
Paralysis quomodo fieri possit ab humore melancholico, aut bilioso. 104.1.
Paralysis ab intemperamento nerui fieri potest, dum vias arctare potens fuerit, non tamen à carnis intemperamento. 104.19.
Paralysis quare possit alteram tantùm corporis medietatem occupare, altera incolumi manente, cùm per dorsalem medullam, quæ vna est, & nullo septo diuisa, fiat defluxio. 104.38.
Paralysis sinistra minus periculosa est quàm dextra, diuturnior tamen: dextra verò breuior, & periculosior. 105.27.
Paralysis curandi ratio. 105.31.
Paralysis ex dolore colico. 114.20.
Paroraſis, seu hallucinatio differt à suffusione: quoniam solùm color obiecti mutatur, vt in ictericis, eo quòd tunica cornea est bilioso humore imbuta, nullo humore inter chrystallinum, & corneam contento. 224.27.
Partis affectæ notitia inter theoremata, & methodos curationis primum locum obtinet, & quare. 2.1.
Penis resolutio. 113.23.
Pericardij, & membranarum intersepientium inflammationis signa, & curatio. 330.25.
Pericardij inflammatio pleuritide grauior affectio est. 331.4.
Phrenitici quare non sentientes, validiores, quàm cõtra, ædant motus. 55.19.
Phrenitici non habent memoriam vitiatam, vt rationem, vel phantasiam, sed imminutam. 56.7.
Phreniticis si vrina supprimatur, aut alui excrementa quid agendum. 67.28.
Phrenlticorum vigiliæ quomodo subueniendum sit. 66. 17.
Phreniticum quando purgare oporteat, & quando non. 62.30.
Phrenetide incipiente à seipsa, audácter, copiosè, & bis eadem die sanguis mitti debet. 60.34. Verùm si ex alio morbo prodeat, parciùs, & cautiùs, mitti debet. 61. 28.
Phrenitide affectis ex quo loco sanguis mitti debeat. 60.40.
Phrenitidis causæ. 56.25. signa. 57.12. præsagium. 59. 27. curandi ratio. ibidem. 44.
Phrenitis, quæ est delyrium cum febre tres habet differentias: aut enim est pseudophrenitis, id est delyrium perpetuum cum febre cerebro affecto per consensum à septo transuerso inflammato: aut est delyrium cum febre non perpetuum, sed cum lucidis interuallis, quæ paraphrenitis dicitur, & per consensum fit: aut est perpetuum delyrium cum febre capite primario affectu laborante 42.26.
Phrenitis frequentius fit ab inflammatione membranarum, quàm cerebri. 49.26.
Phrenitis ex inflammatione duræ membranæ cerebri frequentius fit à causis externis vt à vulnere: ex inflammatione verò tenuis membranę frequentius fit à causis internis. 49.24.
Phrenitis, quæ ex vera inflammatione membranæ suboritur, exquisitior est alijs. 50.34.
Phrenitis in quibus differat à cerebri sphacello, & de hac re plura, & pulchra. 51.1.
Phthysicis lac paratur, aut vt pus abstergat serosa sui parte, aut solutam vnitatem vniat parte caseosa, vel partem, aut vniuersum corpus reficiat, quod præstat parte butyrosa. 386.3.
Phthysis quare non reducitur ad eam siccitatem, quæ cum calore adaucto simul adiungitur: siquidem in idem videtur coincidere, cùm sola vlceris ratione, quod in phthysi succrescit, dissideant. 376 42.
Phymosis est palpebrarum inflammatio: chemosis palpebrarum & albi oculorum: opthalmia verò solius adnatæ. 239.20.
Pituitosis corporibus, maximè quæ desidem habent vitam, nullũ præstantius inuenitur præsidium, quàm corpus leiunum exercitijs committere. 16.30.
Pleura, quæ membrana (vt aliæ) est, qua ratione frequentius quàm aliæ inflammationibus tenetur. 332.10.

Pleura arterijs caret, quia calorem à corde sibi vicino susceptat,& ventillationem à pulmone. 334.11.
Pleuriticis aliquando sanguis mittendus non est. 343.35.
Pleuriticis vnde mittendus sit sanguis, à parte affecta,an à distanti.344.1.
Pleuriticis thoracem candenti ferro, vel insciſſorio, ne affectio in ſuppurationem commigret,perforare periculi ſuſpicione non caret,quantumuis ab authoribus commendetur,niſi tranſacta.14.die id præter modum expoſtulet mali vrgentia.350.31.
Pleuriticorum quare quidam magis doleant cubãtes ſupra latus contrarium, quidam verò ſupra affectum.334.26.
Pleuritidi quando conueniat cucurbitula dolenti loco affixa.Et de hoc authorum ſententiæ.350.39.
Pleuritidis ſigna.333.32.
Pleuritidis curatio,an ſemper à ſanguinis detractione ſit incipienda.341.37.
Pleuritidis coctio de genere ſuppurationis non eſt, ſed tantũm eſt humoris præparatio, & veluti via ad coctionem.347.20.& ſuppurare in pleuritide nephas eſt.ibidem.
Pleuritis eſt inflammatio membranæ, quæ coſtas ſuccingit,aut muſculorum intercoſtalium.332.6.
Pleuritis alia eſt legitima alia illegitima, & alia notha,& plures ſunt eius aliæ ſpecies, quæ ad has reducuntur.332.42.& 333.1.
Pleuritis aliquando fit cũm pulſatione adiuncta, & quare.334.15.
Pleuritis vera qua ratione à reliquis diſſideat,& quo modo quæuis ſpuria dignoſcatur.337.17.
Podagra eſt articulorum pedum inflammatoria defluxio cum dolore:& chyragra manuum.773.10.
Podagræ quando fontanellæ conueniant, & vbi. 785.45.
Podagram effecturus humor qualis naturæ eſſe debeat.764.12.
Potentiæ rectrices ſingulæ ſeorſim,vel duæ, vel omnes ſimul quibus modis præternaturam afficiantur: & qui affectus ab earum læſis actionibus proficiſcantur. 78.8.
Pſeudophrenitis, quæ ſepto tranſuerſo inflammato fit, penes quid differat à paraphrenitide.46.30.
Pſeudophrenitici quare inflammationis ſepti tranſuerſi,& doloris ratione paruam, & frequentem habent reſpirationem, ſi verum eſt, quod delyrantes dolorem non ſentiunt.48.11.
Pſeudopleuritis licèt omnia quinque ſigna pathognomica pleuritidis habeat, cum hoc tamen vera pleuritis non eſt,ſitque dum ex frigore dolor alicui laterum incumbit, & quibus ſignis hæc à vera diſtinguatur.338.30.
Pulmonis hydrops quid ſit,vide Hydrops pulmonis.
Pulmonis læuium arteriarum obſtructio quę affectio ſit,quibus ſignis cognoſcatur, & quas habeat cauſas: & quomodo breuiſsimum mortis periculum inferat. 351.36.eius curatio.362.1.
Pulmonis inflammatio à quo humore fiat. Et quare magis à pituitoſo quàm ab alijs.353.12
Pulſus qua ratione fiat durus in quibuſuis pleuræ inflammationibus,cùm non omnibus ſit communis; & æqualis influxus. 335.29.
Pupillæ affectus.211.36.
Puris mictus. Vide Mictus puris.686.2.

Q.

QVinta vertebra ea eſt ad quã vſque à poſteriori capitis parte fieri debet inunctio calida in canina cõuulſione,ſeu ſardonio riſu.131.35.
Quintus dies, & ſextus termini ſunt in quibus ante ſeptimum per morbum regium bonum poteſt fieri iudicium, ſi alia accidat euacuatio,quemadmodũ poſt ſeptimum fieri poteſt nono,vndecimo, & decimo quarto.623.11.

R.

RAtio ſola citra imaginatricis vitium lædi non poteſt,nec phantaſia citra rationis vitium, & Galeni authoritatibus reſponderur.54.12.
Renes quem vſum corpori præſtent.677.30.
Renes tribus vaſorum generibus fruuntur. 678.45.
Renum calculi differentiæ quatuor ſumuntur, à materia,figura, magnitudine, & loco.691.35.
Renum calculi quare non fiunt in pueris,ſiquidem per ipſos deſcendit apta materia,& eoſdem calore renum pollere eſt arbitrandum.704.24.
Renum calculum, qui iam ad exitum moueri incipit, quadruplici mouendi via curandum eſt citiſsimè pellere.Quando citius laborans à doloribus eruatur.698.4.
Renum calculus quis affectus ſit.691.20.
Renum dolor à quibus cauſis excitetur.665.10.
Renum inflammationis natura & curatio 667.19.
Renum vlcera quomodo curentur.672.38.
Reſpiratio quare ſuperſit apoplecticis.92.23.
Ructus acidus quomodo intelligi debeat, quòd ſit bonum ſignum in lyenteria.488.20.

S.

SAnguinis è naribus fluxui immodico etiam ſi criticus ſit, prouidere oportet : iudicatorias enim ſanguinis vehementes eruptiones peſſimas eſſe,& ad conuulſiones ducere Hippo.docet. 268.42.
Sanguinis è naribus fluxus vno è tribus modis poteſt contingere 268.29.
Sanguinis è naribus profuſio ſoli homini contingit inter cætera animalia: & quare.269.35.
Sanguis è naribus quare frequentius viris, quàm fœminis fluat.ibid.
Sanguini ſputum eſt crebra, & parua ſanguinis per os facta reiectio.320.20.
Sanguis per os à quibus partibus poſsit exire.320.24. Et ſigna ad cognoſcendam affectam partem. ibidẽ. 41.curandi ratio 323.42.
Semen qua parte fiat: qua etiã ad tempus recipiatur, ſeruetur̃que, & per quas vias tandem excernatur, & quomodo fiat eius excretio.753.11.
Semen qua ratione excernatur in epilepticis, quorũ motus ſunt vehementiores.753.34.
Senſus alij à viſu,quare non læduntur in vertigine,ſi læſio ſit ob ſpirituum deprauatum morum.27.13.
Senſus deperdi poteſt manente motu,& ecõtra, intemperiei ratione,etiam ſi per eundem neruum fiat vtriuſque tranſmiſsio, quia à contrario temperamento perficiuntur.104.24.
Septum tranſuerſum duobus modis poteſt inflammari: vno frigida,ac pituitoſa inflammatione: & altero calida,& acutiſsima , & quomodo vtraque curari debeat.331.24.
Singultui, ſi à ſola frigiditate oriatur, medetur ſola vociferatio, vel anhelitus voluntaria cohibitio,vel cogitatio intẽta,vel timor.447.20.
Singultus eas tantùm ſortitur cauſas, quæ natæ ſunt citrà alterius morbi interuentum, mordicationem inferre,& naturam excitare.444.22.
Singultus eſt deprauatus, & contra naturam ventriculi motus,qui conuulſionis modo efficitur, cùm tamen conuulſio non ſit.441.29.
Singultus eſt expellentis facultatis ventriculi hora, & ſymptoma,quod etiam ſequitur facultatis retentricis ventriculi vitium non potentis cibos complecti,& retinere:ſed id ex accidenti fit.443.23.
Singultus,& nauſea,erſi ab eiſdem humoribus, & in eiſdem ventriculi tunicis infartis fiant, differunt tamen,quia in ſingultu ſunt magis infarti, in nauſea verò minus.452.1.
Singultus,nauſea,& vomitus differunt in modo quo facultas in vtroque affectu operatur.442.16.
Singultus non ſunt cauſæ repletio,& inanitio,ſed ſolùm acrimonia,& mordacitas.443.27.& 444.16.
Singultus quare potiùs dicatur motus conuulſiuus, quàm conuulſio.442.43.
Siti à iecoris ingenti calore oborte, miſsio ſanguinis ex ſaluatella medetur,vel ex baſilica dextra.441.9.
Sitis ingens contemnenda non eſt, cùm plures ea perijſſe ſint viſi.438.19.
Sitis ob deperditionem roridæ ſubſtantiæ fit,qua ratione leuiter protinus ab ingeſto potu alimentoſo,vel quouis alio, appetitus potus confeſtim ceſſat ante deperditi refectionem. Quod etiam dubitatur de fame,& animi deliquio, quod ex ſpiritũ, aut cibi penuria inſurgit.438.43.
Sitis triplex naturalis,non naturalis, & præter naturam.434.27.
Somni non eſt proprium delyrium, ſed ab eo animo alienum: non enim accidit ſomni,aut proprij ſymptomatis ratione quominõ in diminuris memoria, & imaginatione,non deprauatis conſiſtit. Quare lethargicis non eſt proprium delyrare 69.39.
Somni præter naturam,ſeu ſoporoſarum affectionum differentiæ.98.41.
Somnus eſt potentiarum cerebri vinculum, non tamen omnium,ſed ſenſuum externorum.68.4.
Somnus naturalis appellatur actio,non quòd fiat à potentia peculiari, ſed quòd à cauſa fiat ſecundum naturam in vſum ſalubrem,& neceſſarium.68 29.
Somnus naturalis eſt naturæ actio, præternaturalis verò paſsio.68.1.
Somnus præternaturam paſsio dicitur, quia ſomni cauſæ modum excedentes,ſomnum faciunt præternaturæ modum : & tunc animal pati dicitur. ibid.35.
Soporoſę affectiones longiſsimè differunt, ab epilepſia:quomodo verò differant,diſtinguitur ex motionibus corporis.78.28.
Soporoſi affectus penes quæ differant inter ſe. 78.34.
Soporoſis omnibus affectionibus prodeſt aqua ſtillatitia,quæ deſcribitur.84.25.
Sphacellatum eſſe cerebrum quid ſit: in quibus differat à phrenitide : & de hoc vide plura valde pulchra.50.42.
Spirituum abundantia viſum non lædit,aut debiliter lædit,& per breue admodum tempus 216.36.
Spirituũ craſsities in oculis affectio eſt, quæ ad morbum in vitio temperamenti ortum,à craſſo ſanguine,aut vapore craſsioris alimenti reducitur.217.5.
Spiritus eſt vinculum animæ,& corporis. 199.9.
Spirituum paucitas in oculis non conſtituit morbum organicum,nec morbum in temperatura,ſed peculiarem affectum,qui reduci debet ad naturam cauſæ à qua oboritur .216.7.
Spirituum varia diſpoſitio varias cauſas viſus præter naturam efficit.Differentiæ.217.29.
Splenem prętitit corpori natura, vt iecur, & venoſum genus à feculeto ſanguine expurgaret.602.5.
Splenis dolentis medella.612.16.
Splenis inflammatione affecti medella.ibidem.15.
Splenis morborum differentię.609.10.
Splenis obſtructio.616.30.
Splenis ſcyrrho vtilia ſunt medicamenta ex chalybis limatura parata. Quorum deſcriptiones vide.614.30.
Splenis ſcyrrhus.613.17.
Sternutatoria valentiora,qualia ſunt piper, euphorbium,elaterium,pyrethrum, & elleborus,raro debent in vſum venire, niſi dum affectio grande minatur periculum,aut laborans ſenſu caret.20.10.
Stomacace ſeu ſtomacheria antiqui appellant,quãdo ſplenis affectio ventri communicatur.608.36,
Stybio præparato non ſine miraculo multi paſſim vtuntur: & quomodo eo vti oportear ad antiquos capitis dolores, qui alijs medicamentis non cedunt.18.9.
Stillicidium vrinæ eſt,quando guttatim, parùm, & frequenter vrina excernitur,idque cum calore, acvi,& nonnunquam cũm dolore.729 5. Quomodo differat ab vrinæ difficultate.ibidem.
Stillicidium vrinæ eſt veluti recti intestini teneſmus.736.29.
Stillicidium vrinæ ſæpiſsimè viſum eſt in veſicæ lapidem commigraſſe.732.4.Eius curatio.ibidem.
Stupor quid ſit 98.19.
Subuerſio eſt laxitas quædam ventriculi, quæ ex diſtemperie,aut ex copioſa,& inundante humiditate proficiſcitur citrà aliud vitium humoris. Quibus de cauſis ventriculus ſubuertitur, & veluti nauſea mouetur.449.26.
Suffumigiorum vſus in capitis dolore ex frigidis & craſsis humoribus.21.1.
Suffuſio, aquæ affuſio,& catharacta quid ſint,& quomodo inter ſe differant.224.32.
Suffuſio ſit iuxta chryſtallinum: aqua nuncupata, in medio loco inter chryſtallinum & pupillã: catharacta verò,iuxta ipſam pupillam.226.2.
Suffuſionis omnes differentiæ reducuntur ad Incipientem,ſientem,& factam.228.21.
Suffuſio per eſſentiam,& ſuffuſio per conſenſum, & tres ſuffuſionis ſpecies,quæ à loco ſumuntur,quibus ſignis cognoſcatur, & diſtinguatur inter ſe. 229.6.
Suffuſio quæ poſsit manu artificis curari, & acu deprimi,& quæ non.230.17.
Suffuſio quædam eſt illegitima,quæ fit humore albugineo condenſato,& verſo in tunicam,quæ incurabilis eſt: quædam verò legitima, & propriè talis, quæ ex humore,aut vapore ſit aliunde in oculum confluente,& concreſcente,curabilis eſt.226. Quomodo verò hæc ab illa per ſigna deſtinguatur. 229.9.
Suffuſio quædam eſt per conſenſum, & quædam per eſſentiam,& omnes earum differentię 227.12.
Suffuſio quis præter naturã affectus ſit,& quomodo illi cẽt ſymptoma ſit vnum,ſequitur tamen tria morborum genera ſecundum tres loci differentias. 226.37.
Suffuſio quomodo differat à viſus debilitate, ſeu offuſcatione.225.8.
Supinitas ventriculi quid ſit 449.32.
Suppreſsionis vrinæ à carunculà in meatu vrinario oborta,curatio.721.29.
Suppreſsio vrinę,vide vrinæ ſuppreſsio.
Suppuratio eſt collectio puris intra thoracis cauitatem,quę vel ex dirupto abſceſſu pulmonis,aut thoracis,vel ex fluente pituita à capite, vel alia parte in

ſa pulmonem,aut thoracem ipſum ſit. Quę poſtmodũ caloris præter naturam actione in pus migrat. 394.40.
Suppuratoonem thoracis per vrinas expurgari, niſi actio naturæ eſſet,periculo carere nõ poſſe.373.14.
Suppuratio inflammationum internarum quare perniciosa ſit,& formidabilis cum coctione fiat ſimilel,quæ humorum putreſcentium ſit invaſis, hæc autem ſalutare beneficium ſit.363.30.
Suppuratio plura ſignificat. Et quid propriè ſit. 363.1.
Suppurati qui ſint quos ſecare, aut vrere oportet : & an indiſtinctè eiuſdem ſit vſus vſtio, ac ſectio, & quo loco ſectionem moliri oporteat.373.41.
Suppuratum thoracis tumorem antea quàm intro rũpatur, ſecare,aut vrere conuenit,vt puri per externam partem pateat exitus,& quomodo id fieri debeat.372.1.
Surditas aliquando ſequitur morbos in intemperie, nõnunquam in compoſitione, & rarò in ſoluta vnitate.262.35.
Surditas per conſenſum,ab ea quæ ſit per primogeneam affectionem quomodo per ſigna diſtinguatur.263.12.
Surditas,aut ſubſurditas ab ortu contracta,aut ſi poſt natalem annorum duorum ſpatio ſit confirmata,irreparabilis eſt.263.32.
Surditas quæ à bile ſit,cuius Hipp.& Galen. aliquando mentionem faciunt, critica eſt,& eam curat natura aliqua euacuatione,& non indiget topicis auxilijs: omnes verò aliæ ſurditates à frigida ſiunt cauſa,& maximè à craſſa pituita, topicisque remedijs indigent.263.2.
Surditati confert oleum magni momenti, & vſu probatum quod deſcribitur.266.32.
Syncope ab animi deliquio differt loco affecto, modo affectionis, & facultatum læſarum diuerſitate: præterquam quòd ſyncope includit in ſe animi deliquium, quòd ſubitus ſit omnium virium lapſus 392.8. Et de hoc vide plura in verbo animi deliquiũ.
Syncope eſt ſubitus virium omnium caſus 390.17.
Syncope quędam eſt legitima,quędam ſpuria.389.45.
Syncope quomodo differat ab animi deliquio.390.
Symptomatum poriſsima differentia ea eſt, quæ ex partis affectæ diuerſitate ſuboritur.25.13.

T.

TAbes propriè quid ſit 373.45.
Taraxis eſt ſicca, & leuis inflammatio omniũ oculi tunicarum, quæ diuiditur in geropthalmiam,in qua oculus plurimum dolet citrà materiæ conſpicuum affluxum,aliquando ad palpebras ſeſe extendens, & ſcleropthalmiam,quæ lippitudinem cum tenſione,& immobilitatem oculorum inducit 239.2.
Tenebricoſa vertigo non eſt idẽ cũ ſuffuſione.24 40.
Tenebroſitatis viſus ratio in tenebricoſa vertigine non ad cerebrum, ſed ad oculos ipſos referenda eſt: & quare.25.26.
Teneſmus eſt inanis quædam egerendi cupiditas ; & eſt ſymptoma quod tantùm pertinet ad rectum inteſtinum.525.7.
Teneſmus habet peculiare, quòd cauſæ fixionem, & permanentiam in affecta parte requirat 526.18.
Teneſmus à flaua bile ſola non fit propterea quòd fluidus humor cùm ſit parti non hæret. ibidem.21.
Teneſmus ex veſicæ calculo.526.35.
Theophilus cuius Gal meminit libro de differentijs ſymptomatum, phreniticus non fuit, ſed melancholicus,& quare.55.2.
Tinnitus aurium,vide aurium tinnitus.
Tremere nullum membrum poteſt,niſi voluntariè moueatur ex Galen.403.11.
Tremor eſt motus diminutus,quia à diminuta facultate ſit.99.35.
Tremor verus rarò cordi accidit.407.17.
Tremorem poſſe pati cor ex Galen.& ratione probatur.403.13.
Tremores quidam ſunt legitimi, quidam verò illegitimi;& quid vterque ſit,& quomodo fiat.406.37.
Tremores cordis proprij,& legitimi qui ſint,& quomodo fiant vel contremiſcendo, vel ſubſultando, vel vtroque modo.407.22.
Tremoris,& palpitationis differentiæ.407.2.
Tuſsi ſubueniendæ quid præſtent medicamenta arteriaca,& vechica, & quid vnumquodque eorum ſit.305.2.
Tuſsim mouet aliquando id quod incidit in aſperas arterias, eo quòd non confluit confertim, parum eſt,& meatum non vitiat, vel lateri arteriæ fixiùs adhæret.259.31.
Tuſsis ſymptoma eſt ex morbo, & facultate ſimul factum: differet tamen motus naturæ à reliquis eius motibus dum tuſsim efficit, inſtrumento, facultate,& excernendi modo.299 3.
Tuſsis eſt vehementiſsima efflatio, quam natura molitur, vt plurimus ſpiritus celerrimè erumpens exturbet ea,quæ inſident eius itineribus.298. 28.
Tuſsis duplex,altera vera, & genuina, quæ animalibus inſtrumentis eſt propria, alteraverò ſpuria & illegitima,quæ potius naturalibus potentijs,& inſtrumentis accidit,quam Galen. tuſsiendi deſiderium appellat.300.12.

V.

VEntriculi imbecillitas eſt eius vitium in coquendo,& appetendo.459.38.
Ventriculi imbecillitas proprius dici meretur cùm ventriculus incoctione deficit, quàm cùm in alijs muneribus aberrat 460.8.
Ventriculi frigiditas non excitat appetentiam comprimendo,& vacuando,ſed mordendo.426.11.
Ventriculi dignitas apprimè expenditur.415.10.
Ventriculus à triplici cauſarum genere vitiatur : aut enim cauſa pertinet ad facultatem, cuius actio ſit abolita,diminuta aut corrupta,aut ad ventriculum ipſum malè configuratum: aut ad ea,quæ extrinſecus ventriculo occurſant.460.36.
Vertiginem quare concitet externa cauſa in gyrum ſeſe mouens, cùm neceſſum ſit omne ſymptoma immediatè à morbo proficiſci 29.34.
Vertiginoſi qui concidunt: non ſolùm anteriorem, verùm etiam & poſticam cerebri partem habent læſam.25.35.
Vertiginoſi quare exiſtimant caput circũuolui.27.34
Vertiginoſis quando ſcindi debeant venæ ſub lingua,& quando debeat fontanella aperiri in occipite,quando etiam opus ſit ſeronem affigere. 36.38. Quando verò in brachio aperienda ſit fontanella, & quando in cruere.37.2.
Vertigo,& tenebricoſa vertigo,non ſolùm nomine, ſed ratione maioris,& minoris differunt. Et vide pene quæ differant 25.10
Vertigo immediatè ſequitur obſtructionem, ſiue à frigida cauſa fiat vt Hipp.refert,ſiue à calida vt Galeno placuit 28.6.
Vertigio quid ſit, & vertiginis ſpecies.24.17.

Vertigo

Vertiglo quomodo differat ab epilepſia ibidem. 37.
Veſicæ calculi cauſa eſt vrina craſſa diu ibidem commoraus.701.30.
Veſicæ calculi quare non ſemper generentur in his ſenibus, qui habent vrinas nimis craſſas, in quibus clariſsimè pituitæ multa ſubſidet copia.702.1.
Veſicæ lapides quare non omnibus aut plurimis pueris fiant, cùm omnibus ijs eadem ferè ſit viuendi ratio eruditatibus gignendis apta, & in omnibus etiam vigeat ſufficiens calor, quæ cauſæ ſunt generationis lapidis.702.18.
Veſicæ lapis quare non fiat ex calculis renum veſicã adeuntibus, quinimò protinus reijciantur,quantumuis magni ſint,& paruus lapillus in veſica contentus adeò tenaciter ibidẽ inhæreat, quòd in immedicabilem creſcat molem.704.40.
Veſicæ lapis adeò miſerabile malum eſt, vt neque curatum, nec citra curationem periculo careat. 708 27.
Veſicæ lapidis curatio.709.4.
Veſicæ vlcus à quacunque cauſa prodeat, vel omnino ſaneſcit,vel rarò,& cum difficultate. 688.29.
Veſicæ pus tribus de cauſis grauius fœtet,quàm aliarum partium.686.17.
Vident noctu clariùs,qui vel igneos habent oculos, vt quibuſdam animalibus contingit,vel ſubtiliores ſpiritus,qui tunc minus diſsipantur lucis ſplendore fugato.217.17.
Vident omnium acutiſsimè ij,qui multos,ſubtiles,ac lucidos habent ſpiritus, atque in vnum coactos, nullo aliunde impedimento accedente.217.27.
Viſio ſi corrupta fiat,vel in numero,vel in ſitu, vel in motu,aut quiete obiectorum,cognoſcetur cerebrũ eſſe læſum,& ab eo vitium prodire ex alterius ſenſus læſione: neruos opticos, quòd ſubitò fiat affectio : oculum ipſum, quòd lente & paulatim. 218.41.
Viſionem fieri per extra miſsionem, & per intus ſuſceptionem ſimul,probabilioribus rationibus conſtat.216.43.
Viſionis læſio ob vitium humorum, aut tunicarum oculi.217.38.
Viſum non lædit ſpirituum abundantia, aut debiliter lædit.& per breue admodum tempus.216.36.
Viſum acuere,& clariorem reddere, quæ remedia poſſint, quando aljs auxilijs affectio non cedit. 222.21.
Viſus debilitatis differentiæ omnes.213.6.
Viſus variæ affectiones ex varijs ſpirituum affectionibus obortæ.217.27.
Viſus priuatio omnimoda (quæ gutta ſerena dicitur) eſt quando quis apertis oculis non videt, maximè ſi accedat ipſorum oculorum innoua conſtitutio: item ſi ſub tò fiat,tanquam vitium cuius natura in obſtructione ſita eſt.219.6.
Voluuli vniuerſa curatio ſita eſt in hoc, quòd intercludatur via inteſtinorum, per quam alui excrementa deorſum feruntur, atque eorum tranſitus intercipiatur.555.45.
Voluuli curatio.560.7.
Voluulus, ſeu ileos quid ſit, & quare ſic dicatur. 554 39.
Voluulus,qui eſt paſsio tenuium inteſtinorum, vtrũ fieri poſsit vitio aliorum inteſtinorum.555.1.
Voluulus an malorem inferat dolorem, eo qui fit in ileo.556.7.
Voluulus quibus ſignis diſtinguatur à colico affectu. 557.39.
Voluulus an hoc habeat inſeparabile, quòd nihil inferiùs per inteſtina deſcendat.ibidem.43.
Voluulus adeò periculoſus affectus eſt,vt ex ijs, qui eo afficiuntur, pauci ſuperſtites viſi ſint.559.37.
Vomitus eſt expellentis facultatis motus, quo pellit quod ſibi eſt moleſtum in ventriculo.449.42.
Vomitus vtrùm ſit euacuatio naturalis,an præter naturam 449.43.
Vrinæ ſuppreſsio ex affectu veſicæ.721.37.
Vrinæ ſuppreſsionis à caruncula in vrinario meatu oborta, vel à calculo inibi detento, curatio. 727.27.
Vrinæ expulſio legitima tria prærequirit, & ſic ob tres cauſas vrina non redditur.721.39.
Vrinæ ſtillicidium,vide ſtillicidium vrinæ.
Vrinæ difficultas eſt quando vrina magno cruciatu, atque dolore,aut cum vi, & efficacia, nec non & meiendi libidine expellitur,cæterum in maiori quãtitate quàm in ſtillicidio.736.26.
Vrinæ difficultas eſt penis, & veſicæ,veluti dyſenteria inteſtinorum difficultas.736.28.
Vrinæ difficultatis præter cauſas externas duplex eſt cauſa.737 5.eius curatio.738.25.
Vrinæ incontinentia duplex eſt: altera propria, quæ pertinet ad muſculi claudentis veſicam affectum: altera verò impropria,quæ pertinet ad veſicæ corpus 741.5.
Vrinæ incontinentia quomodo differat ab ſtillicidio.741.11.
Vrinæ incontinentia plerunque accidit pueris,& valde ſenibus;illis ob immodicam humiditatem : his ob virtutis deffectum à frigiditate impenſa.743.11. eius curatio,ibidem.
Vrinam ſupprimi veſica non affecta quatuor modis contingit, & quouis modo fiat,lethalis eſt affectio.713.17.
Vueæ tunicæ morbi.211.26.

X.

XEroptalmia eſt pruriginoſus ſine fluore palpebrarum, & adnatæ affectus.210.13.
Xiloaloës.441.44.

Z.

ZEdoaria tuberculis arteriarum læuium pulmonis vtilis.362.16.
Zeraſorum aqua ſtilatitia epota mirè prodeſt epilepſiæ.144.24.

FINIS.

DE INTERNORVM MORBORVM CVRATIONE.

LIBER PRIMVS.

De capitis dolore, & eius differentijs. Caput I.

NIHIL profectò in humanis affectionibus frequentius medicis accidere ſcimus, quàm capitis dolores & affectiones, tanta varietate & immanitate inſignitas, vt vix comprehendi, nedum curari poſsint. Eſt tamen caput ex ſitus & peculiaris naturæ conditione ijs doloribus, non ſolùm obnoxium, ſed & ſummopere tentatum: qua ratione fit, vt præ frequentia pauci ad medicum confugiant, eo maximè, quod experiantur, medicos nullam aut leuiſsimam in eo malo adinueniſſe medicinam, quæ euidenter proficua ſit. Quod profectò ob id accidiſſe arbitror, quia cauſas & differentias, varietatemque patientium particularum non exactè expenderint, vt Auicẽna & ipſo antiquiores ſcrutati fuerunt. Quare diligenter ſtudebo, partes quæ in capite afficiuntur, apertiùs diſtinguere, doloriſque differentias monſtrare, & cuiuſque peculiares cauſas, vt facile cuique debitã curandi rationem ſcribere poſsis.

Conſtat itaque, capitis dolorem nil aliud eſſe, quàm depravationem tactus in partibus capitis propter vnitatis ſolutionem: quem quoque conſtat multis nominibus ab authoribus inſigniri; Auicenna enim ſodam: Raſius cephaleam vocat, Alexander cephalalgiam. Cæterùm in Galeni, & Pauli, ac Ætij doctrina, cephaleam eũ capitis dolorẽ eſſe ſcriptũ reperimus, qui diuturnus, & ægrè curabilis exiſtit; cephalalgiam verò, eum qui nuper incepit, & facilè ſoluitur, & aliquando omnem capitis dolorem. Ex differentia quoque partium capitis, non minores priſci authores adinuenerunt doloris differẽtias: nam cum altera tantùm eius pars afficitur, hemicranea nuncupatur, quæ ſi inueterata fuerit, ad cephaleam, ſi verò recens ad cephalalgiam referenda eſt. Appellant etiam monopagiam vnius partis capitis dolorem, quem alij clauum appellarunt. Item alius dolor dicitur caribaria, quæ eſt capitis grauitas cum ſomno, vt ebrijs frequenter contingit. Quibus doloribus galea accedit, quæ eſt vniuerſi capitis compreſsiuus dolor: adeſt & crotaphos dolor, qui aliquod temporũ vehementer cruciat, vt placet Aureliano 1. chron. paſsio. Neque credendum eſt, has omnes doloris differentias forte & inutiliter artem noſtram inueniſſe, ſi quidem iuxta cuiuſque naturam & conditionem, prudentia artificis auxilia medica variare tenetur.

De partibus quæ in capite dolere possunt. Cap.II.

QVm inter theoremata,& methodos curationis primũ sortiatur locũ partis affectæ notitia,(cũ debitã cuiusq; auxilij materiã,& locũ per quẽ adhiberi posit,præscribat:quid enim profuerit humectãdũ,refrigerãdũue esse,nosse, ni exactè quis sciat,qua peculiari ratione id teneatur seligere,cũ quæuis pars pro sui cõditione & natura,id sibi iure optimo adscribat.)Ob id sanè primũ,quarum partium ratione caput dolere possit,expendendum est,distinguendumque signis euidentibus. Licet enim caput omne,omnesque eius partes lædi possint,dolere tamen non omnibus,sed quibusdam contingit: sic enim carnosa cutis,quæ capillis vestita est, dolorem quendam persentiscit, grauiorem tamen, quæ subiacet membrana,cranium ambiens,ob id pericraneum appellata:ab his etiam duplex membrana, cerebrum ambiens non leuibus doloribus cruciatur. Item certò quodam modo cerebrum ipsum dolorem etiam degustat; licet ex Rasio,& Gale. lib. 1. de cauſ. sympthó. constet,cerebrum animalibus tributum esse,non vt sensus sit instrumentum,sed vt sensuum instrumentis vim sentiendi impertiatur: cũ hoc tamen,sensu non omnino carere monstrãt vulnera capitis, in quibus cerebrum discoopertum frigiditatem ambientis persentit, & ab eadẽ molestatur, licet doloris conditio leuissima sit. Vltimo tamẽ neruea quæuis substantia ab eo exorta dolorem infert,eo quidem maiorem aut minorem, quo purior,aut alijs permixta fuerit, siue vasa sanguinis aut spiritus sint,(quæ certo quodam modo dolorem inferunt) siue membrana. Atqui licet hæ partes sint,quarum ratione caput dolet,cum hoc tamen statuendum est,non semper vno & eodem modo ipsum dolere, sed aliquando causa doloris in ipso capite existente (quam doloris sortem medici appellant per essentiam,aut per primogeneam capitis affectionem) aliquando verò causa aliunde vigente caput cõsentire,& dolere:quem dolorem per consensum appellarunt Antiqui,vt latius paulò inferiùs suum monstraturus.

De causis quibus caput dolere potest. Caput III.

LIcet partes,quas in capite dolere posse,varias esse statuerimus,cũ hoc tamẽ ab eisdẽ & simillimis causis affici est euidentissimũ. Quippe fit dolor, vel ab intẽperie intẽsa,vel à cõtinui solutione,siue pars carnea sit,siue mẽbranacea, aut neruea. Proficiscitur quidẽ ab intẽperie,vel simplici,vel composita,sine materia,aut cum ipsa: illa quidem vel in toto cerebro,vel in arterijs,membranis,neruosisque corporibus. At soluta vnitas fit ab acri humore erodente, putri,bilioso,salso,& ab his, quæ similares partes,vt cunque erodunt, incindunt,distendunt,vehementerque calefaciunt,aut refrigerant,vel humectant cum repletione,aut siccant cum corrugatione. Tandẽ continuum soluitur à vulnere,casu, contusione,punctura, maligna qualitate,vt in lue venerea,carie,distensione. Distensio verò ferè fit à copia humorum,vel flatuum: humorum quidem,vel omniũ aut plurium,vel cuiusuis. Fit etiam obstructione,cum videlicet angustias meatuum capitis intercipit humor crassus & viscidus,aut spiritus vehementer vaporosus in vasis, in suturis ossium,aut inter membranas capitis turgens existit. Occasiones autem dolendi non leues existunt neque paucæ, nam adest & æstus, perfrictio capitis,& lotio, quæ plerumq; fœminis hoc malum accersunt, refrigeratio,

ratio,ebrietas,casus,ictus,victus,immodica venus, vapor aliquis ab intermissa accessus,vel ab alia re in caput,fumus,aut grauis odor,& vltimo adstricta iuxta iugulũ vestis,quæ sanguinẽ ad caput regurgitare cogat. Sũt & aliæ causæ,quæ nõ doloris,sed differẽtiarũ eius effectrices existũt,vt grauatiui,plenitudo,maximè humorũ crassorũ;pungẽtis,humoris acrimonia,mẽbranã dilacerãs;pulsatilis,spiritus turgẽs,tẽsiui, flatuosa substãtia;aut plenitudo,quæ partẽ cauã replet:antiqui doloris, causa frigida,aut impotẽtia partis,cõtinui,perstãtia causæ, periodici,cõsensus ab alia parte demãdatus,aut noua causæ cõgestio,vnius vel plurium partium capitis, extensio materiæ ad plures,vel congregatio eiusdem in vna,vehementis,aut debilis,natura partis affectæ,si neruea sit,vel causa impensè calida, aut frigida, quæ omnino partem corrumpere sit nata,vt contingit in cephalea Gallica. Quas sanè causas diligẽter considerare oportet,nam longè plures in se complectuntur,quæ huic affectioni proficuæ futuræ existunt.

De signis partis affectæ & causæ lædentis. Caput IIII.

NOn sat est,causas doloris,& dolẽtes partes numerasse,ni quis diligẽti animo eas nitatur dignoscere ac distinguere:quapropter cordatus medicꝰ tenetur,si rectè curatur est,omniũ cognitionẽ exequi. Dignoscere quidẽ potest,& causas,& affectas sedes ex quatuor potissimũ:nimirũ ex relatione eorũ quæ præcesserũt,ex cognitione laborãtiũ particularũ,ac ex accidẽtibꝰ, quæ cuiq; ppria sunt:ex loco dolẽte,& ex doloris qualitate. Externas itaq; occasiones venaberis,facta diligẽti interrogatione,an laborans insolatũ,ebrietatẽ,perfrictionẽ, ictum,vel quãuis aliã passus fuerit:verũ si nihil horum præcesserit,coniectandum erit,vel intemperiẽ esse naturalẽ,aut morbo cõtractã,nudãq;, vel cũ materia. Circa quã cõsiderabis iterũ quãtitatẽ humorũ vel vaporũ,ac rursus qualitatẽ & peculiarẽ conditionẽ:præterea malã formationẽ,aut obstructionẽ. Sic enim dolores à sanguine ortos mõstrat,venarũ turgor,rubor faciei,& oculorũ,& vita præhabita, gignẽdo sanguini apta,vt latius inferiùs leges:verũ ex hac causa dolor,plerunq; in frõte viget: & cũ pulsu si arterijs sanguis cõmunicetur:à pituita,in occipite cum grauitate & frigoris sensu,remissus & persequens cũ sensuum hebetudine,mẽtis pigritia,ac lõgiori somno & faciei albo colore:à bile, in dextro latere, dolor erit erodens ac perforãs plerũq;,& mẽbranas feriẽs, mõstrans oriri à tenui bilioso q; sanguine,vel ab spiritu redundãte,qui turgẽtes ac distentas reddit arterias,factus vehemẽtissimus ac pulsans:cuius fere generis est dolor omnis,qui statis horis,quotidie siue in febre,siue secus,recurrit:est etiã acutus,mordicatiuꝰ, pruriginosus,& vlcerosus sine grauitate:adest & punctio narium,vigilia intẽsa cũ insomniorũ rixa: color faciei citrinus cum siti intensa. A melancholia verò dolores plerunque in sinistro latere elucent,nisi dum corpus vniuersum melancholia scatet, dolor est remissꝰ sed pertinax cũ liuido faciei colore. Flatuꝰ etiã partiũ tẽsionẽ efficit,quã quoq; mollitur humorũ mitiorũ copia, qui inter caluariã & pericraneũ,aut inter caluariã,crassãq; meningẽ sese insinuãt:hoc quidẽ fit vel ab omnibꝰ humoribꝰ,vel à quibusdã,vel ab eorũ quouis:quorũ omniũ,& etiã intẽperaturarũ simpliciũ inferiꝰ specialioria,& pecularia signa reperies. Prẽterea dignosces extimã cutẽ dolere vel tactu solo,ad cuiꝰ cõpressionẽ dolor exacerbat,aut ex pilorũ cõmotione,vel excisione;idq; maximè,si circa tẽporũ musculos,dolores & pulsationes cõpareant,& arteriæ,aut venæ retro aures intumuerint,aut rubræ sint:in quibꝰ etiã tota capitis cutis adeò riget, vt vel leuiter tãgi minimè admittat. Quod etiã disces ex causarũ

notitia,prodit enim externus is dolor ab externis cauſis, vt ab inſolatu, exercitio,igne,ſordibuſue,aut calidioribus tegumentis:dimitto ictum & percuſsionē. Si tamen cū prædicto dolore palpebrarum quoque dolor adiungatur,credibile eſt,pericraneū etiā affici:palpebræ enim intus prædicta tunica veſtiūtur,ſicut & oculi adnata appellata tunica,ab eodē pericraneo ſuſcepta:quos etiā dolere,ipſo dolente, conſentaneum eſt: præterquā quòd ſi ita accidat,punctorius neceſſario ſuccreſcet dolor:nā talis eſt mēbranarū cōditio. Cæterū ſi cū hoc,quod exterius caput dolere cōſtet,pulſus quoq; in ipſo cōpareat,certū eſt,arterias vt plurimū affici,ſicut venas,cū dolor apparet grauatiuus,& ipſæ tument, ac rubore & tēſione turgēt,aut ſaltē(ſi nolis cōcedere, ipſas ſenſu eſſe præditas) intra ſe doloris cauſam cōtinere. Verū ſi ex his ſignis nullū præfuerit,ſed caput dolore crucietur,iſq; ad oculorum radices peruenerit,exiſtimandū eſt,internas mēbranas cerebrum veſtiētes affici: quippe hæ,oculorū neruos appellatos opthicos ambiūt, & ob id dolitare quoq; earū radices neceſſū eſt;maximè ſi pūctorius & profundus adfuerit dolor. At ſi pulſatorius,aut grauis ſit,prædictarū mēbranarū venas aut arterias affici magis exiſtimabis. Sed quia neruea aliqua ſubſtātia,ex his quæ à cerebro oriuntur,nō rarò doloribus cruciari aſſolet,exquirendum etiā eſt qua via id dignoſcas:quod profecto diſces, quia aliqua ex his partibus, quæ ſenſum aut motum ab eo neruo excipiūt,ſimul dolore coafficitur. Sic profectò quibuſdā aures dolēt,alijs lingua,pleriſq; vſq; ad humeros & thoracē dolor extenditur, cōſortio neruoſæ ſubſtātiæ,quæ à cerebro dolēte oritur. Cerebrū enim ipſum dū dolet,grauitatis ſenſum præſe fert:ſed id prōptè diſces ex ſomno,ſi frigida fuerit cauſa, aut ex immodica vigilia, ſi calida. Sed hæc omnia clariùs diſces ſi expenderis partium naturam,quod ſecundo loco propoſuimus,& ſitum,ac doloris modum. Sic etenim neruoſorum corporum magis aderit punctorius dolor, arteriarum pulſatorius,ſtupidior in venis,& cerebri ſubſtantia, in perioſtio ſuperficialis,altus in meningibus,intra caluariam ad radices oculorum extēſus,in plenitudine autem grauis:in acri humore & vapore rodēs:ſed vapor diſtendit magis,humor verò magis mordicat. Vbi diſtenſio adeſt,citra roſionem,ſpiritus flatuoſi vel humoris non rodentis copiam indicat. Diſtenſio cum pulſu membranarum inflammationem ſequitur:cum grauitate copiam membranis conceptam, & inhærentem; ſine grauitate & pulſatione,copiam crudi flatus. Qualiter verò noſſe oporteat dolores per conſenſum,mox leges.

De capitis dolore per conſenſum. Caput. V.

PRædictis ſanè partibus vni vel pluribus,aut omnib⁹ dolores ſuccreſcere poſſūt, vno è duob⁹ modis:per primogeneā nimirū affectionē,cauſa in ipſo cerebro exiſtēte,vel per cōſenſū à mēbro alio affecto. Quod ſanè fit trā miſſo in cerebrum humore,vel vapore,aut ex cognatione partium, quā cum multis caput obtinere certū eſt,aut propter ſimilitudinē(ſimilia enim facillimè interſe compatiuntur)aut vltimò propter continuitatem, velut cum nerui aliqua pars dolet,mirum non eſt,ſi cerebrum à quo oritur, quoq; doleat: quam ſanè doloris rationem condolentiam medici appellant.

Conducit proculdubio nō parum ad curationē hæc conſideratio, nā dolores qui per primogeneam capitis affectionē oriuntur,pleruncq; vt morbi cōſiderantur:quo fit,vt rarò eorum mitigationi innitēdum ſit, niſi plurimum vrgeāt, quod ad ſe curationem omnino vertant,nam ſemper primogenei affectus ablatio-

tionem ſtudendum eſt moliri:at affectus qui per conſenſum fiunt,ſolam prærequirunt in capite mitigandi prouidentiam;curationem verò,ſi ea nō profuerit, non capiti,ſed mandanti membro adminiſtrare oportet.

Pati verò caput per cōſenſum,eo facilè diſces,quòd nulla doloris euidēs cauſa in capite appareat,vt æſtus,frigus,fumus,odor,aut ictus,quæ ſolent caput primariò afficere. Item quia is qui per conſenſum fit,plerunque intermittit,aut cedit, aut creſcit,altero à quo prodit creſcente, vel ſubſidente;licet aliquando poſt febrium acceſsiones,etiam per aliquod tempus præſit dolor,quantūuis per cōſenſum ſit. Prætereà conſtabit per cōnſenſum eſſe,quod ſemper illi adiungatur alicuius alterius membri læſio, à quo conſenſus in caput proficiſcatur, velut ex vētriculo,aut vtero affectis(quod frequētius accidit)oriri conſpicimus, licet exiecore,& alijs partibus etiam malum ſuboriatur. Quòd ſi prædictorum ſignorum aliquod non adſit,& in cæteris homo ſanus appareat,credibile eſt, caput primario affectu laborare,idque maximè, ſi affectio vetuſtior facta ſit, & capitis ipſius actiones oblædantur, ſentiamuſque in ipſo peculiare aliquod intemperamentum, aut in ſenſibus incommodum,vt latiùs ſuo loco dicturi ſumus.

Signa doloris per cōſenſum

Patitur igitur caput per conſenſum à toto corpore, velut in febribus & plenitudinibus, aut totius corporis vitijs conſpicimus: idque vno è duobus modis, aut vtroque ſimul: minante nimirum natura criſim, vt accidit in fluxionibus ſanguinis narium, & in vomitibus, vel ex venoſo genere ſucco efferueſcente, & capite ſuſceptante calidos acreſque vapores, vel humores eiuſdem conditionis. Quare prouidendum eſt protinus huic malo, ne in maius commigret:ſed prius expendiſſe oportet, dolores qui ex criſi prodeunt, nullam admittere, nec expoſcere curationem,niſi fortè ex commotione ventriculi ad vomitum proficiſcantur.

Præſidiū.

Eo enim tempore oxyrhodino capiti adhibito, præcauēdum eſt,quo minus caput aliquid ſuſcepter; quod inſtante fluxu ſanguinis per nares adhibendum non eſt,neque alio diuerſionis genere vtendum. Verùm ſi vomitus aut quæuis alia corporis motio criſis ratione non fiat,toti corpori prouidendum eſt,vel curato eius affectu,iuxta propriam naturam,vel plenitudine depoſita,aut cacochimia expurgata.

Si conſenſu ventriculi caput doleat.

Inter partes,quæ pluribus rationibus capiti annexa,& conſentiens eſt, vētriculus proculdubio exiſtit:primò quia facile ab eo elatos vapores ipſum ſuſceptare ſcimus, quibus mille modis pati certū eſt. Item propter nimiam continuitatē, quā habēt hæc duo membra,ob neruos ſextæ coniugationis,quorū ratione ſola condolentia & continuitate, citra materiæ acceſſum mouentur.

Signa.

Dignoſces vētriculū dolori cōſentire,ex nauſea,vomitu,cibi faſtidio,dolore,anxietate,oris eius tremore;maximè ſi cibus præceſſerit multus,iſq; crudus adhuc ſit,vel praua qualitate affectus. Item diſces ex oris amaore,aut ſapore deterrimo,qui ceſſant,ſicut & dolor,ab aſſumpto cibo per aliquod tēpus, maximè ſi per vomitum,eius quod ventriculum infeſtat,aliquid excernatur. Cæterùm flauam bilem eſſe diſces,eamque reiectā à iecore in vētriculum,ex ſiti,oris amarore,anxietate,inflatione,calore & appetentia deiecta:ſicut pituitam ex nauſea, ex ſomno cum dolore,& ad actiones pigritia, ventris fluctuatione, deterrima coctione, & accido,inſipido, aut mucillaginoſo oris ſapore. Huic affectioni protinus medeberis, ne in aliam grauiorem commigret,vno è duobus modis:primò per ea quæ dolorē lenire habent,ſi dolor vrgētior fuerit;ſin aliter,

Cauſæ.

Modus ſubueniē di huic affectioni

minimè, sed per eam, quæ causam demunt, & consensum delidunt, cui vsui materiam à ventriculo protinus educere oportet; quæ si cum nauseatiua satietate coniuncta fuerit, ventriculumq; adhuc infestauerit, nullo alio auxilio citiùs educitur, quàm vomitibus ex decocto seminis raphani, & fœniculi, cũ modico oxymellite. At si laborans difficulter vomuerit, non erit abs re, modicum olei adijcere: quam curationem seruabis in his omnibus, quibus in cauitate ventriculi, pituita vel flaua bilis abundauerit. Hoc vno seruato, quòd in satietate nauseatiua sat est vomere, aut ventrem oleo absynthite, nardino, aut de napha invngere: vel si cibus iam descenderit ad ventrem, clystere ipsum educere, cui adijcere oportet succi siclæ ℥ iiij. & hieræ picræ ʒ j. Verùm in humoribus, qui ventrem infestant, & aliunde in ipsum profluunt, non licet prius vomitibus vti, quàm vel totum corpus, vel ipsum ventrem expurganti pharmaco euacues. Quo facto, ventriculi quoq; regionem inunges, & bilem (si hanc redundare compertum sit) expurgabis expresione ϑ iiij. rhabarbari in aqua cichorij, cum ℥ iij. syrupi solutiui ex rosis nostris. Quod etiam facies ℥ iij. mannæ, vel ℥ j. casiæ fistulæ cum modico rhabarbaro, vel infuso, ϑ iiij. rhabarbari, in sero lactis: posteà verò si quid flauæ bilis adhuc fluctuauerit, vomitibus educes. Verùm si flauam bilem crasiorem compertum sit, infarctam esse tunicis ventriculi, vomitibus ne moueto, sed rem paulatinis purgationibus agere oportet. pilulis de hiera, simplici Galeni, de aloë, de rhabarbaro. Sed quod magis ex vsu futurum arbitror, est, singulis diebus, aut tertio quoq; masticandam rhabarbari electi. ℥ ß. præbere: quem vsum etiam præstat dilutum absynthij amari. Si tamen pituita abundauerit, ante vomitum purgabis ʒ. j. agarici, vel ʒ. iij. diaphiniconis, aut iiij. electarij indi maioris, aut minoris: quem etiam vsum præstant pilulæ mastichinæ, de agarico, de saga peno, & de therebyntina, cum modico puluere diarhodonis. Quod si pituita infarcta fuerit adhærensq; ventriculi tunicis, vtendum est ante purgationem melle rosaceo, aut oxymellite, quæ ipsam incindãt, & à vẽtriculo separent: post verò pilulis mastichinis, aut de therebyntina, & rhabarbaro frequenter vtendum est, vel alijs quæ conficiuntur ex pari portione agarici, mastichis, aloës & rhabarbari, quas esse magni momenti arbitror, si quis pondere ʒ. j. septimo quoque die sumat. Verùm siue flaua & crassa bilis, siue pituita exusta (quæ diuturnum efficiant affectum) infarcta fuerit, vtor non mediocri euentu per aliqua interualla, bis nimirum, aut ter in mense pilulis, quæ hac lege fiãt. Senæ ʒ. vj. passularum mundatarum. ʒ. iij. liquiritiæ rasæ. ʒ. ij ß. foliorũ fumi terræ, borraginis, betonicæ & cichorij & absynthij anà. ʒ. j. fiat decoctum in aqua borraginis aut fumariæ, vel absynthij, & facta collatura, adde vini albi modicum (cuius ℥ iij. cum pari portione syrupi solutiui rosarũ Perficarum non inutilem efficies purgationem) Huius autẽ decocti sumito ℥ viij. & in eis macerato, cum modico vino rhabarbari ʒ. j ß. squinanti ϑ j. & facta collatura adde pulueris hieræ. Gal. ℥ j sæpe agitando, donec puluores totum eum humorem absorpserint, & addito syrupo rosarum solutiuo, redigito in formam massæ pilularum, quas multis capitis affectionibus ex his quæ consensu inferiorum viscerum succrescunt, ex vsu fuisse comperimus. In omnibus tamen causis clysteribus solicitanda est aluus, mitioribus in flaua bile, & acrioribus in pituita.

Huic causarum doloris generi facilè reduces eũ qui ab ebrietate prodit: quippe tunc ventriculo crapula & vino grauato caput consentit. Quo fit, vt cum ex vita & victu ante habitis, constet ex ebrietate caput dolere, coniectandum sit,

sit, an præsit adhuc vinum in ipso ventriculo, aut secus, sed solùm crassi & caliginosi halitus perstent adhuc in ipso capite: si primum, vomitu ventrem inanire oportet, idque ex tepida cum modico aceto. Quo facto, ebrietateq; sedata, si adhuc dolor perstet, (nam tunc magis elucet) curandum est omni arte caput refrigerare his quæ modicè repellant, vt oleo rosarum cum aceto, aut omphantino, cum nenupharino, & aceto rosaceo. Quòd si adhuc perstiterit dolor, caput ablues decocto braſicæ tepido, vel prædictis oleis addes modicum camemilini, ac vltimo superpones capiti braſicæ folia, quæ & ibidem posita, & decocta cum lenticula & aceto, comestaq;, mirum in modum medetur doloribus ex ebrietate concitatis. In reliquis verò somnum & quietem, ac victus parsimoniam, & aquæ potum instituere oportebit.

Si iecoris consensu fiat.

Quod si iecur malo causam præstiterit (quod dignosces ex eius caliditate, præsertim manuum, ac pedum ex dextri hyppocondrij grauitate & squalore, ex rubra vrina, & ex oris amarore & siti) per se vel flauam bilem in ventriculum regerendo, maximè cum venter dolet per interualla & in dextro hyppocõdrio murmur & dolor adsunt; tunc quidem initium curationis à sanguinis detractione auspicaberis, si plenitudo subsit à vena lateris dextri, sin aliter ex iecoraria. Quòd si hæc sufficere non videantur, sed adhuc caput doliter, necessum est conijcere aliquid sanguinis caput iam ascendisse, quem ex communi vel cephalica vena minuere & deriuare necessum est. Quo facto curabis sanguinem à feruore vindicare sero lactis, & frigidis apozematis, & inunctionibus: & tandẽ flaua bile expurgata modo nuper dicto, partem topicis disponere oportet. Iecur enim temperabis rosaceo, succo lactucæ, cucurbitæ, vel plantaginis sæpius loto, vel vnguento santhalorum cum pulueribus rosarum, vel corali, superpositio filtro serico madido aqua rosarum, vel modico sero. Quòd si adhuc perstiterit malum, caput aqua tepida temperabis, vel decocto violarum & rosarum.

Si splenis consensu fiat.

Verùm si ab splene malum oriatur (quod cognosces ex sinistri lateris dolore, tumore, tensione, flatu: item quia in capite persentitur flatus & dolor, cum tensione, mœrore & alijs etiam melancholicis accidentibus) quod frequentius quam à iecore accidere scimus, certum est, vel humorum transmissione fieri, vel flatu & vapore ab eo membro in caput irruentibus: raro enim in ijs membris condolentia contingit, sed vitium ab vno in aliud membrum commigrat per venas & arterias: in iecore quidem per venam cauam, in splene verò per arteriam magnam, quarum propagines & trunci per iugulum bipartiuntur intus & extra, numerosa sobole à postica parte in anticam, facta ramorum diuisione, & productione. Quo fit vt maiori ex parte ij dolores sinistram aut anticam capitis partem, potiùs affligant, quàm posticam (quod in vtero contrario modo accidit) nam præter adductam à me superiùs rationem in parte antica capitis, panniculi futuris inseruntur, & vasa, arteriæ præsertim: ac materia omnis eo peruenit facilius futurarum ratione, quæ rariores ea parte sunt, craneum tenuissimum & fistulosum, ac tenuium vasorum maior copia. Quo fit vt cum alio migrare humor seu vapor non possit, quia illuc desinunt vasa, ea parte dolor frequentiùs concitetur, quàm in parte postica. Neque ob id existimandum est, si iecur affectum sit, dextram partem, & si splen, sinistram potissimum dolere: quippe prædicta ratione id fieri non potest, fit tamen ob consortium venarum eiusdem lateris, etiam si à diuersis tunicis originem ducant. Itaque si ab splene malum oriatur, purgandũ copiosius est, sanguis tamen

parciùs mittendus. Sat enim est ex saluatella sinistræ manus, vel ex basilica eiusdem lateris sanguinem fundere, ac si laborans æmorrhoidas obtinuerit, ab ipsis per hirudines sanguinem demes. Purgabis enim sic affectos, vt capite De melancholia abundè scriptum reperies: interim tamen scito ipsis prodesse confectionem Hamech simplicem, dissolutã sero lactis: vel purgabis syrupo ex infusionibus rosarum ponderé ℥ iij. cum infusione. ʒ. iiij. foliorũ sennæ. Porriges etiã prunorum damascenorum numero quinq;, si priùs saccharo, & infusione ʒ. v. sennæ confeceris. Verùm si affectionem noueris inueteratam esse, & alijs remedijs nõ cedere, modò morbi Gallici suspicio sit, modo secus, tutò vti licebit. ij. aut. iij. gr. stibij, optimè præparati, dũmodo laborãs febriens, aut imbecillus nõ existat. Quod si benè successisse comperies, iterato eodem præsidio vteris, adaucta vel minutà quantitate, prout laborantem citra noxam tolerare visum sit. Spleni insuper prouidebis ijs, quæ capite De splene indurato scripta reperies.

Si vteri consensu fiat.

Nullum profectò membrum sua vitia promptiùs in caput regerit, quàm vterus; nam & per condolentiam ob continuitatẽ neruosæ substantiæ, & spinalis medullæ, ac per vaporum transmissionem, & per venas etiam & arterias, quibus maximè vterus capiti communicat, consensum fieri certum est. Discès tamen, dolorẽ ab ea parte proficisci, quòd maximè posterior capitis pars dolore prematur, ob peculiarẽ ipsius partis & vteri societatẽ, per venas & arterias, sed maximè ob spinalẽ medullã vtriusq; partibus cõmunẽ. Sed causam potiùs regerendã arbitramur in vapores illuc ab vtero ascẽdẽtes per vias corporis cõmunes, & ob humores per venas in caput irruentes: quod potissimũ accidit ijs, quibus mẽses, vel puerperiũ defecerũt, sed maximè ex eorũ & feminis corruptione. Cũ hoc tamẽ scimus, in plerisq; fœminarũ, & maximè in virginibus caput iuxta tempora cũ pulsu dolere: quod procul dubio prodit ex meserei, aut vteri obstructionibus. Quorum omnium prouidentiam latissimè scripsimus lib. nostro. de fœminarũ affect. cap. de varietate doloris capitis ab vtero.

Mitigandi omnem dolorẽ ratio.

Supereſt tamen nunc docere, si dolor vrgeat plus quàm causa ipsa, siue per consensum, siue essentialiter operetur, eandem ferè mitigandi rationem communem esse omnibus, etiã si dum per essentiã caput laborat, satius sit anodina etiam adhibere, quæ aduersus causam pugnare possint. Verùm habito solùm doloris respectu, mitigãdi ratio triplex insurgit: vna per pharmaca, quæ verè anodina dicũtur: alia per ea quæ quodãmodo aduersus causæ inclementiã pugnant: tertia verò & vltima per narcotica appellata auxilia. Primum enim anodinorũ genus partem lenire, mollem, & æquabilem reddere habet, ac dulci sensu quẽ mouet, omnem molestiam compescit, & partes humiditate propria ne diuellantur, efficit. Huius generis sunt oleum dulce, sed mediocris ætatis; chamemellinum, de semine lini, amygdalarũ dulciũ, lumbricorũ, sambuccinũ, buryrũ; vitella ouorũ, lac muliebre, assungia gallinæ, anseris, & cuniculi: decoctum, aut altheæ, maluarum, lilij, & seminis lini, cum rosaceo, aut violaceo, & lacte. Prodest & in forma solida, id quod recipit succi maluarũ ℥j pthisanæ hordeaceæ colatæ ℥ j. ß. olei rosacei ℥ ij. ceræ ʒ. ij. fiat vnguentũ. Quæ sanè omnia omnibus doloribus, & à quacunq; causa ortis, & in quibusq; corporibus, etiam plenis, proficua esse scimus: quorũ maiorẽ rationẽ reperies. lib. 2. nostro. de præsidi. indic. c. de anodinis. Secundi autem generis anodina sunt, quæ præter id quod partem leniant, & mulcebrem reddant, aduersus causam nonnihil pugnare habent: cuius naturæ sunt calida omnia, in doloribus qui à frigida causa ortum ducunt,

ducunt, & frigida in ijs qui à calida, quorum loco nuper citato & sequentibus capitibus vberem copiam scripsimus. Tertij generis anodyna, vt quæ stupefacientia sint, & sensu orbantia, administrare non oportet, nisi dum ex doloribus, aut vigiliæ vehementia, aliquod grauius malum pertimescimus. Quo tempore hæc duo consideranda sunt: primum, à leuioribus esse incipiendum, ijs scilicet quæ amica frigiditate somnum conciliant, veluti est lac omne, maximè aqua rosacea admixtũ, vel vnguentũ rosaceũ naribus & tẽporibus adhibitũ. Prodest aqua tepida, vel decocto lactucæ caput abluere, maximè si addideris papaueris capita, aut violarũ flores vel maluarũ folia, nymphææ, solani, aut mãdragoræ, cũ oleo nenupharino, vel papaueris, cũ modico camemellino: prodest & inunctio nuper dictis partibus facta ex oleo papaueris, aut rosaceo, maximè vnguẽto populeone admixto: cui si necessitas vrget, addes opij lacte mulieris liquati. gr. iij. quo frõtẽ illinies, dũmodo paulò pòst, saltim somno incepto, auferas: iuuat, & prædictum vnguentum olfacere, dummodo ab hoc præsidio caueas pueros & frigidiores fœminas. Secundum præceptum est, quòd mox à narcoticorũ adhibitione, pars vino vel aqua calida abluatur, donec calorem vi narcoticorum extinctum, reduxisse comperias. Intrinsecus verò Philonij ʒ. ß. porrigere poteris: conciliat enim somnum, quod in vigilijs intensissimis, & grauioribus sympthomatis maximi momenti esse solet.

De dolore capitis per essentiam. Cap. V I.

DOlet pari quoque ratione caput per essentiam, seu perprimogeneam affectionem, multis modis: quippè vel à causis, quæ extrinsecus ipsi occurrant molestatur, vel ab his, quæ intus latent, impensè afficitur: illæ sanè sunt velut insolatus, ignis, ebrietas, (quæ licet externa non sit, inter manifestas recenseri meretur) plaga, ictus, casus, & reliqua, quæ ipsum lædere nata sunt; quarum curationem paulò inferiùs referam, si priùs dixero, quales sint internæ causæ, & quam vnaquæque expostulet curandi rationem.

Lædit, dolereq; cogit caput intemperamentum quoduis, siue frigidum, siue calidum, humidum, aut siccum, siue ex his compositum existat. Constat etiam, caput dolere ex affluxu alicuius humoris ad caput ipsum: quem sanè mouet, vel vniuersum corpus eo abundans, illucque tanquàm ad imbecillum membrum transmittens, vel in ipso capite genito, vel excremento aliquo præter naturam aggregato, vel facto ex conspurcato alimento ab ipso capite malè affecto. Læditur non minus per essentiam à flatuosa aliqua substantia, non quæ aliundè transmissa caput imbecille reddat, sed quæ ob impotentiam eiusdem, in eodem genita sit: quæ sanè acerbissimos, molestos & diuturnos solet concitare dolores. Verùm cum constet apud Authores, quatuor esse intemperamenta, quibus caput dolere potest, quatuor etiam humorum affluxus, qui illis respondent, sanguinis nimirum, pituitæ, & vtriusque bilis; oportuit ob id cuiusque seorsum meminisse, ad duo tantùm capita omnia reducendo: quorum primum humorum, & intemperamentorum calidorum naturam & curationem complectetur: alterum verò frigidorum.

De

De dolore capitis ex ſanguine, aut bile vel intemperamento calido. Caput. VII.

VEnibus ac fœminis, hiſq; maximè quibus menſes deficiunt, vel vita adeſt epulis, & ocio dedita, ſanguinem abundare, coniectabile eſt, maximè ſi alicui eorum ſuppreſſa fuerit conſueta ſanguinis profuſio, vel mutilatum aliquod membrum, quibus certum eſt, ſanguinem quoq; per corpus præter naturam diuagari, quod plerunq; eſt febris præludiũ & cauſa. Qui ſanè dum ex cauſa aliqua, vel externa, vt inſolatus, vini potio, aut intẽpeſtiuum exercitiũ, vel interna, vt animi perturbatio, feruidus fuerit, facilè caput irruit, & maximos dolores cõcitat, præſertim ſi ob aliquã occaſionẽ imbecillũ ſteterit.

Signa huius cauſæ. Quod facilè ex hac cauſa fieri dignoſces, ex capitis laſſitudine grauante cum tenſione, expulſuum caliditate vehementi, (licet non mordaci) circa tempora, & ex venis iuxta oculorum adnatam, ſatis eminentibus ac tumidis: quibus accedit faciei rubor, & calor, pulſus magnus, vrina rubra, ægri natura, ætas, ante acta victus ratio, anni tempus, locus, ſomnus longior, & leuamen à frigidis, nec non augmentum à calidis. Quod etiam potiſsimum dignoſces, ſi adſit febris ex continentium genere, aut earũ quæ ſanguinis putridi naturã referunt, quippe dolores ex ſanguine, aut bile raro citra febrẽ accidere comperimus, niſi cauſa externa accedat, quæ prædictos humores moueat, aut ſuppreſsa ſit conſueta eorum euacuatio. Bilem quidem dominari, & dolorem, ac calorem ab ea proficiſci cognoſces, quia dolor eſt acutior, pungens, erodens citra grauitatẽ cum ingenti capitis ardore: quibus accedit oris amaritudo, pallor faciei, pulſus velox, vigilia, vrina ruffa, intenſa, aut crocea, & aliquando alba ac tenuis, quæ aſcenſum bilis ad caput deſignat. Quibus accedit etiam ætas, regio, anni tempus, & propria laborantis conſtitutio, quæ ad bilioſam naturã omninò vergunt: præcedũt velut cauſæ, inedia, ira, labor, vigilia, alimenta calida, & ſicca, pituitoſorum & ſanguinis largior euacuatio, & febris continua, aut intermittens de genere tertianarũ. Quæ ſanè omnia communia ſigna exiſtunt omni intemperamento calido, aut ſicco, vel calido & ſicco ſimul, licet quod citra materiam eſt, potiùs calorem aut ſiccitatem, atteſtatur, quam præ ſe ferat grauitatis aut abundantiæ veſtigium aliquod.

Præſagiũ. Cautè quidem & prudenter ac non leui diligentia his doloribus prouidendum eſt, vt qui, ſi cum febre fiant, præludiũ exiſtant futuræ phrenitidis, vel ſurditatis, aut viſionis deprauatæ: ſi tamen citra febrem fiant & vehementer affligãt, diſtenſiones neruorum, inflammationes oculorum, vel eorum prominentiam ac ſubuerſionem, vel cæcitatem, item animi torporẽ, læthargum, aut comitialẽ affectum prænunciant; idque maximè dum remedijs non cedit affectio, ni fortè aqua, vel pus per nares, palatum, aut os effluxerint.

Curandi ratio. In curatione autem, ante quàm manus auxiliares adhibeam, lectores monitos velim, præter euacuantia præſidia, communia eſſe reliqua quæ topica appellantur, doloribus omnibus, qui ex intemperamento calido prodeunt, ſiue cum materia calida ſit, ſiue citra ipſam: nam refrigerare & humectare, calori & ſiccitati ſolis, vel cum ſanguine, aut bile conuenire certum eſt. Quapropter, quæ dixero præſidia particularia ad ſanguinis & bilis calorem & ſiccitatem cõpeſcendam, ad nudas intemperantias proficua etiam eſſe, credendum eſt.

Victus ratio. Si quis igitur ſanguine abundante capitis dolorem patiatur, primitus victum ſibi

ſibi paret parcum, frigidum, & pauciſsimi nutrimenti, vt ciborum parſimonia plenitudo deliteſcat, & frigiditate reſtinguatur ſanguinis feruor. Quo factũ fuit, vt tantopere (non ſolùm ſanguine redundante, ſed quouis modo capite excalefacto) Gal. 2. loco. vetuerit vini vſum ex Apollonij ſententia: item ſolis exceſſum, aut loca calida: & balnea calidiora, excandeſcentia, clamores, animi perturbationes, & mentis concitatiores motus, nec non repletionem, maximè calidorum. Quo fit vt cibaria frigidiora eſſe oporteat, (vt mox diximus.) Cuius naturæ ſunt lactucæ, ſcariolæ, cucurbitæ, melones, pullorum carnes, & iura eorũ, ptiſana, etiam, amylum, & his ſimilia. Bibant aquam hordei cum ſacchar o, & tãto frigidiora exquirant alimenta, quanto affectio magis ad bilis naturã acceſſerit: licet in ea copioſior cibus, quã in ſanguinea ex vſu ſit, in vtraq; tamẽ vinum ex toto auferẽdum eſt. Solem etiam, ac vociferationẽ, laborioſa exercitia, animi perturbationem, & reliqua, quæ ſanguinem mouere nata ſunt, vitare oportet.

Curatio repletionis. Sanguinem igitur redundantem, (ſi ciborum parſimonia non ſatis fuit) protinus eſſe mittendum conſulit cauſæ conditio: quiſi ſolũ in capite ſit, à cephalica ſanguinem demes, maximè ſi dolor fixus ſit: nam perſeuerante malo, vena frontis, aut ea quæ poſt aures eſt, aperienda venit, vt ex 5. aphor. 68. ex Gal. docetur. Ac licet vacuationis alicui⁹ ſanguinolẽtæ ſuppreſsio præceſſerit, primitus plenitudinem demere oportet ſanguine miſſo (ſicut dum plenitudo citra ſuppreſsionem adeſt) ex communi vena: poſtea verò antiquam vacuationem reuocabis, ſiue per hæmorrhoides, ſiue per vterum, aut fluxũ ſanguinis narium id fieri oporteat. Verùm ſi à toto corpore abundantia in caput conſcendat, axilaris, ſeu interna vena, primum tundẽda eſt, & maximè ſi doloris cauſa & perennis fons ſit in hepate, aut liene: nam tunc prodeſt ad euacuationem cauſæ antecedentis, & ad generationem prohibendam. Vltimò tandem ab his venis ſanguinem detrahes, quæ proximæ capiti ſunt: nã prima ſanguinis detractione, plenitudinem demimus: ſecunda antiquam & conſuetã vacuationem reuocamus, aut per proximas & cõmunes eius partis venas, quod ſupereſt deriuamus: tertia verò & vltima quod in capite adhuc reſiduum eſt, cõterimus. Cui ſanè operi efficiẽdo, ex vſu eſt, ventrẽ prius ab excrementis exonerare clyſteribus, quæ vim habeãt emolliẽdi & repurgãdi. Poſtea verò ſi dolor adhuc perſtet, cucurbitulis cum ſcarificatione, aut citra ipſam, reliquias conterere oportet. Quo facto, penſitandum eſt, ſi fortè bilis cauſam dolori præſtiterit; nã eo tempore parciùs mittendus eſt ſanguis, & vberiùs refrigerãdum, eoq; magis quo ſincerior, & ſola apparuerit. Verùm ſiue ſanguini admixta fuerit, vel ab eo degenerauerit, aut ex iecoris ardore genita ſit, tunc ſanè & euacuandi & miteſcendi feruoris gratia, ex baſilica dextri lateris (moderatius tamẽ) ſanguinem demes, vel ex ſaluatella eiuſdem manus, quippe hæc, & copiam euacuat, & iecoris & ſanguinis feruorem refrigerãdo reſtinguit. Cæterùm ſi adhuc in capite vigere ſanguinis bilioſi copiã certum ſit, ex cephalica tutius eo tempore arbitror fore, ſanguinem detrahere, pareciùs tamen quã è reliquis venis, ne forſan laborãs in furorem aut inſaniam agatur, bile effræniori facta, niſi affectio in capitis externa parte fuerit; nam tũc audaciùs ſanguinem licebit detrahere.

Quibus ſanè factis, & in bilioſis doloribus, & in his qui ex ſanguine prodeunt, dum vacuationibus per venam ſciſſam affectio nõ cedit, credibile eſt, plurimum ſanguinis in bilem commigraſſe, vel cum ipſo redundare: tunc quidem (vtcunque fiat) compeſcere & præparare oportet, ſerapijs, apozematis, & fri-

frigidioribus poculis,quo facilius medicamento purganti postmodum cedant. Primò tamen clysteribus, quæ præter id quod aliquid expurgẽt,& ad inferiores partes euocent, ventrem quoque & viscera refrigerent, rem aggredieris.Huius naturæ est,quod conficitur ex decocto hordei,maluarum,violarum,rosarum & capitum papaueris, cui facta collatura, addes sacchari rubei, & olei rosarũ,& violarum,anà ʒ.j. & ß.benefacit etiam pulpæ casiæ fistulæ. ʒ. ß.præstat quoque ex sero lactis, saccharo, & amygdalarum dulciũ oleo parare aliud: sicut id quod efficitur ex lacte quatuor seminum frigidorum cum mucillagine psylij, & aqua hordei:quod summopere arbitror profuturum in eo dolore, qui proficiscitur à sola bile. Serapia etiã porriges granatorum, agrestæ, acetosæ,portulacæ, cichorij,vel acetosum, simpl. Itẽ aquã hordei, borraginis,acetosæ,portulacæ, cichorij,violarum, & cucurbitæ, ex quibus & aqua pluuiali,aut fontana,niue refrigeratis,gustui gratum,& malo proficuum parabis potum:maximè si solis aquis admiscueris,syrupi rosarum, aut violarum modicum:quibus laborans vtatur lõge à pastu,& noctu post primũ somnum.His factis,bile redundante,non semel purgandum est,sed facta purgatione vna moderata,deinceps paulatim,& per interualla,prout iecur ipsam produxerit, vel sanguis in eam cõmeauerit,expurgabis, & reuellere ad infernã aluũ curabis. Quod facies primitus casia cũrhabarbaro, syrupo solutiuo cũ expresione rhabarbari:manna cũ eodẽ rhabarbaro, aut aqua lactis,quod magis probo in biliosis.Præstant & ʒ.iij.syrupi violarũ ex infusionibus cũ expresione ϑ.iiij.rhabarbari: quòd si adustũ aliquid fuerit,porrigito laborãti ʒ.j.cõfectionis Hamech,simplicis,aut catholici,ac superbibat. ʒ.iiij.aquæ lactis,aut hordei,vel portulacæ. Quo semel facto,quia vel iecur indies flauã bilẽ gignit,vel ex sanguine feruido producitur,necessariũ etiã erit,per vices & interualla eius copiam minuere,exhibito prædictorum medicamentorum aliquo,cæterum in minore quantitate, quantum sat sit, vt laborans bis,ter ve aluum exoneret. In quo sane opere cauendum est ab his pilulis quæ bilem ex capite purgant,& maxime dum ex ascensa fit bile à iecore aut alia parte:nam tolerabilius est,dum in capite gignitur,quia semper pariter fiunt crassi etiam succi,alioquin mirum non est,si laborans dolore non curato,in furorem aut aliud malum procidat.

Topica. At si persenseris humorem satis esse purgatum, vel mox à prima purgatione, vel facta sufficienti detractione sanguinis, ad topica seu particularia auxilia te conferes,& capiti prouidebis auxilijs,quæ calorem compescant,& caput refrigerent:hoc vno animaduerso, quod eademmet proficua sunt capiti solùm per simplex intemperamentum laboranti,ac dum affluxu calidi humoris afficitur, dũmodo sufficiens vacuatio humoris fluentis præcesserit.Galenus enim consulit, vnamquanque causam prius esse abscindendam,deinde ad simplex intemperamentum deueniendum.Parum enim interit quatenus ad topica auxilia attinet, intemperantia sola sit,an præcesserit humoris affluxus,nisi quod in nudo intẽperamento, tantùm alterantia auxilia adhibenda sunt(nec nocebit aliquandò repellentia admiscere:)at in intemperamento,quod prodit ex affluxu,à repellentibus inchoandum est, ne quid amplius caput recipiat: itaque primò hæc auxilia adhibenda sunt,sed cum aliqua adstrictione,quantum videlicet sat sit,ad repellendum,quod mox à principio opus est,deinceps vim modicè digerendi, per ea tandem quæ moderatè calefaciant,aut forsan sat erit,quòd attemperent:vltimò tamen quòd roborent. Sic enim primitus sanguine misso, & capite abraso, su-

turæ

turæ eius coronali, vt iubet Galen. 2. pharma.loca.actu frigida, & in biliosa cau sa & nuda distemperie,niue refrigerata adhibere oportet oxyrrhodina:cuius cen sus est oleum rosaceum cum quarta aceti parte,(non quòd dolorem leniat; nam potiùs irritat,sed quod penetrationem molliatur aliorum quæ sibi admixta sunt) cum modica aqua rosacea:nec minoris momenti est oleũ citoniorum cum muca gine psylij:præstat etiam oleũ omphancinũ,vel ex folijs oliuæ virẽtibus,& cõtusis paratũ cum nenupharino,& prædictis aceto & aqua hordei,maluarũ, ac violarũ: quibus primò caput irrigabis,& mox linteum eis madidum superpones. Prodest quoque ipsum caput madefacere decocto rosarum,violarum,florum salicis,& capitum papaueris,& foliorum lactucæ cum aceto.Conciliabis etiam somnũ,si fronti adhibueris mucilaginem psylij cum albumine oui,& modico puluere coriandri præparati. Verùm si æstus adhuc creuerit,vel affectio bilis particeps extiterit, oleum violaceum,de nenuphare,& florum nympheæ,aut papaueris prædictis addeitem succum lactucæ,plantaginis, solatri cum mucilaginibus psylij: item lac seminũfrigidorũ omniũ. Quibus etiã addere oportet,aut per se adhibere succum plantaginis,centinodiæ,semperuiuæ,poligoni,granatorum accidorum, portulacæ,vmbilici veneris,rosarum, capreolorum vitis,omphantij, mespili,cucurbitæ & cucumeris:quibus etiam adde vnguenti populeonis,quod visum fuerit,vt fiat linimentum,quibus tempora & nasum inunges:emplastrũ etiam ex folijs lactucæ, oleo rosaceo,& farina hordei mirum in modum prodesse scimus,vbi reliqua non profuerunt,maximè addito oleo papaueris.Cerata quoque conficies,quale est illud Galen.ad fracturas,quod diu subigatur cum succo portulacæ. Proderit etiam linimentum quod recipit mucaginis seminis psylij,altheæ,& citoniorum,extractæ aquâ plantaginis.ʒ vj. agitentur cum modico aceto:& si his modicum ceræ addideris,aut vnguenti refrigerantis Gal.plurimum prodesse cõperies.Prodest & vnguentũ quod recipit olei rosacei omphancini ʒ iij.coriãdri,rubearũ rosarum myrthilorũ,coralli anà ʒ.j.ceræ albæ.q.s.aceti parum; fiat vnguentum. Aliud etiam parabis ex succis,quod recipit,summitatũ vitis,plantaginis,& solatri anà.ʒj.olei rosarum omphancini vel nenupharini ʒ iij.coquantur ad succorum consumptionẽ, & adde ceræ albæ.q.s.seminis berberis,seminis coriãdri & intibi anà ʒj.myrthilorũ ʒ.ij. aceti parum misce, & fiat vnguentum.Quibus factis, maximè si calori siccitas adiuncta sit,caput abluere oportet decocto foliorum lactucæ,capitum papaueris,rosarum,violarum,florum nenupharis, meliloti,& ramentorũ cucurbitæ. Prodest & ablutio ex sola aqua hordei,& oleo violarum,aut ex lacte caprilo, vel si ingens fuerit necessitas, ex aqua lactis cum oleo amygdalarũ dulcium & violarum. Confert & decoctum seminis citoniorum,psylij, lactucæ & portulacæ, cum violis & oleo rosarum,& modico aceto.Quòd si somnum conciliare simul,& dolorẽ lenire volueris,decoctum parabis,quod recipit capitum papaueris, & seminis altheæ,anà.ʒij.seminis lactucæ & cucurbitæ anà.ʒ ß.seminis hioschyami.ʒ.j.coquãtur,& vtere: ex vsu etiam est caput vngere oleo hioschyami. His autem,quos veremur plurimum refrigerare,vt in pueris, fœminis,& imbecillibus, ex vsu est id quod recipit olei rosacei, & camemelini, anà. ʒ j. aceti. ʒ ß. mucilaginis, seminis citoniorum, psylij,& altheæ,anà.ʒ j. At si citra stuporem refrigerare placuerit, ex chymolea terra, vel ex ea quæ in officinis,vbi acuuntur enses residet, cum lacte muliebri, & albumine oui emplastrum conficies. Reficiunt item vires, & partem simul roborant odoramenta, quæ ex rosis,violis, nymphea, salicis folijs,

capitibus, & floribus papaueris,& huiuſmodi odoramenta ſpirant: ex quibus etiam paſtillum conficere poteris cum ſeminibus cucurbitæ, portulacæ, acetoſæ,papaueris albi,ſanthalis, & camphora: ſuper caput etiam inſperges puluerem roſarum,nymphææ, violarum,papaueris, mandragoræ,ſeminis lactucæ,ſanthalorũ,caphuræ & ſimiliũ: vel ſacculũ ex eis cõficies,qui recipiat coriãdrorũ.ʒ.ij. florũ nympheæ.ʒ.iij.violarũ,roſarũ,anà.ʒ.ij.ſeminis lactucæ, & papaueris anà.ʒ.j.corali rubei.ʒ.j.℈.ſanthalorum rubeorũ.ϑ ij. fiat puluis. Præſtat & caput inungere hoc linimẽto quod recipit(maximè vbi vrget vigilia)olei roſarũ,& myrthi,anà.ʒij. aquæ plantaginis, & violarũ,ana.ʒ iiij. aceti roſati.ʒ ℈.vnguẽti populeonis.ʒ.ij.vnguenti refrigerãtis.Gale.ʒ j.diſſoluãtur omnia,& parti linteis molliſsimis adhibeãtur.Calorẽ & ebrietatem arcent ſertula capiti admota,aut coronæ modo cum violis, meliloto, & roſis intertexta. Prodeſt & coriandrum cũ roſis linteo exceptũ, & aceto incoctum.Iuuant braſicæ folia capiti admota,aut nympheæ folia.

Quòd ſi vigilia plurimum vrgeat,vt non rarò aſſolet; tũc ad ea quæ præter id quod refrigerent, ſomnum quoque concilient, confugiendum eſt, incipiẽtes ab ſpongiæ fotu hoc modo parato:excipe foliorum, & florum nympheæ,violarum, granorum hordei viridis,foliorum ſalicis,lenticulæ,portulacæ,lactucæ,ſolani, vmbilici veneris anà. m. j. foliorum hyoſchiami. m. ℈. coquantur ſecundùm artem,& collaturæ.li.adde ſucci lactucæ. ʒ ij. Ante tamen potui porrigere poteris, aquæ dulcis balneũ vel lactis,vel olei amygdalarũ dulciũ,aut lactis quatuor ſemifri.m.Quòd ſi hæc & prædictæ inunctiones nõ profuerint, porrige per os id quod recipit decoctionis lactucæ,& portulacæ modicæ expreſsæ.ʒiiij.ſyrupi papa.ʒj.detur per tres horas à cœna. Poteriſq; etiam ad philonij vſum peruenire.

Verũ ſi hæc omnia prodeſſe nõ videãtur,arbitrari oportet,aliquid iã bilioſi, vel ſanguinei humoris in capite firmatũ eſſe,quod nec retroceſſu, nec repercuſſu ſeparari à parte potuit:quare id per eandẽ partẽ cõterere oportet,aut euacuare, vel per proxima deriuare: ſic deriuamus ab ipſa parte,à quacunq; proxima ſanguine miſſo,vel pharmacis reſoluẽtibus parti adhibitis,aut alijs vacuationũ generib⁹,cuius naturæ ſunt,cucurbitulæ brachijs,ſcapulis,vel occipitio(niſi laborãs facilè paralyſi capiat,aut ſuſpectus ſit)adhibitæ,nec nõ & miſsio ſanguinis ex cephalica:ac ſi propri⁹ accedere placuerit,ex venulis naſi,ſetis ſcalpẽdo,& folio arũdinis,aut feſtuca,vel herbis quibuſdã aculeatis,vel aſperis:itẽ frõtis,vel quæ poſt aures eſt incindes,vel hirudines capiti,aut nariũ extremitati,poſt aures,& venis quæ in caluaria eminẽt,adhibebis.Præſtat quoq; id beneficiũ vena ea quæ ſub lingua eſt:atq; licet arterias ſecare poſt aures à pleriſq; ſcriptũ ſit,ob chirurgorũ in ſecãdo imperitiã,& q.a difficulter coaleſcũt,rarò mihi arriſit; cõſulo tñ ei⁹ auxilij loco,venas quæ ſunt in tẽporibus,& frõte ferro cãdenti ſecare,dũ per eaſdẽ affectio capiti cõmunis efficitur; aut eodẽ ferro prædictas arterias vrere,quo fluxionis timor minor ſit: nõ tamẽ deſunt,qui vt fluat ſanguis ſpirituoſus, ſcindũt,ſed graue eſt;ſufficit enim decurſum ſpirituoſi ſanguinis interdicere.Cui vſui eligẽda eſt,vt ex Gal.colligim⁹.6. de ſanitate tuẽda,&.3.methodi,quæ magis emicat,calet ac rubet,& vbi dolor acerbior eſt.Sed videndũ an per internos arteriarum ductus malum ſuccreſcat, tunc enim externas ſecari inutile eſt,vt Gal.aduertit. 3.de locis affect.cap.8.quo tempore faſciam repellentibus,& his quæ refrigerant & adſtringũt,collo alligare oportebit,quo anguſtior fiat tranſitus ad ſuperiora,quod vaporibus etiã calidis reprimendis,comprimendiſq; proficuum exiſtit.

Quibus factis,& antea, & interim dum fiunt,eas quæ ſuperſunt in corpore & capite;reliquias,quæ non in vaſis,ſed in carne, aut tunicis inhærent,reſoluẽtibus conterere opus erit.Quapropter ex vſu eſſe ſolet corpus balneis aquæ dulcis mandare,vel caput ipſum:quod ſi adhuc amplius diſcutere volueris,decoctum parabis camemali, meliloti,& coriãdri præparati:quo facto frigidis odoramẽtis,& aſperſionibus ſuper faciem,& lectum vteris, maximè ex aqua roſacea cum aceto, aut aqua frigidiſsima,vel inſperſis floribus,& fõlijs frigidis, tandem ipſum omni ingenio roborabis;vtens prius cõſerua lactucæ,cõſerua ſymphitis;diacorallo,manus Chriſti,diatragacanto,diamargaritone frigido: prodeſt & diacodion ſimplex & compoſitum,phyloniũ,pilulæ de cinogloſa, trochiſci de ſuccino, hordei viridis ſuccus,ellectariũ triũ ſanthalorũ, & conſeruæ omnes cordiales.

De capitis dolore ex frigiditate, aut humoribus craſsis & frigidis. Caput VIII.

Dictum eſt,capitis dolores diuiſos eſſe in recẽtes nouiterq; factos,& in inueteratos;aut diuturnos;hos quidẽ appellatos cephalicos, illos verò cephalalgicos:in qua diuiſione ſciendum eſt,cephaleã,ſeu dolorẽ capitis antiquũ,plerumq; proficiſci à frigido intẽperameẽto,& cauſis eiuſdẽ naturæ.Id enim eſt quod dixerat Hippoc.6.vulgar.In Cranone morbi antiqui frigidi,noui verò calidi:quo fit vt iuxta optimam rationem complectamur cephaleam ſub claſſe frigidorum dolorũ.Sed habẽt antiqui,& frigidi dolores id propriũ;quod præter diuturnitatẽ,qua protrahuntur, acerbiſsimi admodũ ſunt,& per graues exacerbationes repetunt:quod fieri arbitror,quia ſenſim,& paulatim congregata cauſa frigida in prædictam magnitudinem prorũpant.Sed placet in hoc capite huius doloris meminiſſe,qui à frigida cauſa cum materia,vel citra ipſam,originẽ trahit,ſiue cephaleam,ſiue cephalalgiam conſtituat. Frigidi igitur intẽperameẽti occaſione multis caput dolere aſſolet,adeò,vt tanta ſit doloris varietas,quòd neque diſcerni facilè, neque ſubinde curari,aut prodeſſe auxilia,quæ alioqui proficua eſſe poſsint.Nam licet caput in omnibus frigidis cauſis hoc habeat commune dum dolet,vt cõſtrictione & alteratione ſubita doleat,habet tamen hoc peculiare,vt id ſolùm contingat,dũ à nuda diſtemperie dolet.At dum ex humorum affluxu dolor concitatur, non leuem ſuſceptat in propria doloris ratione differentiam ex humoris ſubſtantia, quæ vel tenuis nimium eſt, ac fluida, vel viſcida, & ãdhærens, aut craſſa & terreſtris, ac melancholica: in quo profectò non leue in curatione reperies diſsidium, aut vt rectius loquar, confuſionem. Naſcitur præterea eadem difficultas, & iudicio noſtro grauior, ex loco generationis, & permanſionis prædictorum humorum: quippè aliquando totum corpus pituita & melancholia ita abundat, vt malum etiam id caput ex ſe ſortiatur:namque à ventre crudos,caliginoſoſque vapores colligit,& in aquam vertit: item ab vniuerſo corpore,aut aliqua eius parte,quæ alimentum ſibi commiſſum in excrementum craſſum, pituitoſum ac denſum commutat.Ex quibus itẽ cauſis prodit flatuoſam,ſubſtantiã ex debilitate partis,ob dictam impotentiam excitari.Quæ ſanè omnia, ſi quis in frigidis doloribus curandis expenderit,mirum non eſt,ſi feliciorem poſsit polliceri euentum,quàm qui ea ignorat.

Habet is pituitæ & frigidi intemperamenti doloris apparatus, cauſas communes & varias: nimirùm victum frigidum & humidum, vitam ocioſam,ſatietatem aſsiduam, ventris cruditatem, aut intempeſtiuum exercitium. Habet

etiam tanquam cauſam,immodicam ſanguinis aut bilis euacuationẽ,largiorem potum,aut partis alicuius principis impotentiam:quod etiam ſolet efficere,nebuloſum & pluuioſum tempus. Quo fit vt ſic affecti his temporibus grauiùs ſe habeant: cuius cenſus eſt frequens inanitio, & aquæ vſus, anni tempus, & regio frigida.

Cum affectus de ſe, cum dolor adeſt, monſtratore non indigeat,cauſam ſolum cognoſcere opus eſt:quam dignoſces ex dolore grauatiuo & tenſiuo cum totius corporis grauitate, ex magna etiam inſomnium propenſione:quibus accedit pigritia in actionibus, facies alba, ædematoſa, & nimis tactu frigida, ſed maximè circa tempora: adſunt etiam ſic affectis,os,nares,& oculi tumentes,ſitis nulla, pulſus paruus,& mollis,vrina cruda,& craſſa,temperamentum pituitoſum,& eius naturæ,ætas,anni tempus,& cœli conſtitutio.

Curatio. Verùm cum frequentiùs ex frigida cauſa,ſiue melancholia ſit,ſiue pituita, huiuſmodi dolores prodeant, expendendum primò eſt, quale principium cauſæ obtinuerint,vt ab eo facto exordio,curatio ex voto ſuccedat. Primò ſi ex victu, vitæ inſtituto,aut alia cauſa ex his quas retulimus,pituita in corpore copioſa generetur,ea conſideratione facta, triplex erit medendi ratio: vna,quæ cauſam præcauendo auferat: ſecunda,quæ pituitæ iam genitæ copiam demat: tertia, quæ capiti prouideat,ſiue in ipſo cauſa ſit,ſiue aliunde fluat. Circa primum cauſas pituitæ generatrices auferre oportet,vt ſi victus ſit ſuaptè natura pituitam generans, in ſicciorem mutet & calidiorem: qualis eſt auium, præcipuè montanarum, aut cuiuſque carnis aſſæ vſus: vel ſi elixatis vti placuerit, condimentis & aromatis calidis decoquendas eſſe cenſeo.Sic & vſus paſſularum, & amygdalarum cum reliquis quæ vim habent calefaciendi, præſtat,& potus ex vino modico,diluto aqua cinnamomi, aniſi,radicis chinæ, aut ſpartæ parellæ, vel ſaſafraſæ indicæ, qui ſanè potus omnibus cauſis frigidis proficuus exiſtit, maximè ſi hydromellitis aliquid admiſcueris.Denique hanc occaſionem demes mutatione alimentorũ in ea,quæ cõtraria ſunt:ob id ſi vita ocioſa cauſa fuerit, facta leui purgatione,exercitiũ imperabis,& quantitatem alimenti demes, quippè in pituitoſis humoribus,maximè his corporibus quæ deſidẽ vitã habent, nullũ præſtantius adinuenies præſidiũ,quàm ieiunũ corpus exercitijs cõmittere: quæ ſanè paulò laborioſa eſſe oportet:leuia enim potius corpus impinguãt. Verùm ſi immodicus ſomnus malũ præſtiterit, vigiliam ſolito largiorem imperabis,ſic & potus parſimoniã:at ſi larga bilioſorum & ſanguinis excretio pituitæ cauſa fuerit, roborare vniuerſi corporis vires oportet,& calidis vti alimentis.

Poſtmodum pituitæ generatæ prouidẽtia docet,à quauis cauſa oriatur, ipſam protinus eſſe purgãdã,ſi regionis mutatio in hoc malo ſummoperè neceſſaria nõ profuerit.Huic vſui,cũ humor ſit ex propria natura craſſus,frigidus,aut tenax,qui difficulter medicamentis cedit, præparari anteà deſiderat,his quæ extenuẽt,incidant,& extergant:cuius naturæ eſt mel roſaceum,& ſyrupus capillorum Veneris ſtatim ab initio cum aquis maioranæ, & melliſſæ.At ſi maiores vires humorẽ expoſcere conſtet,vtêris ſyrupo glyciricæ,deuiſantijs, & oxymellite cũ aqua fœnicũli,aut berbenæ. Quòd ſi efficacius parare volueris, prebe ſyrupum ſthœcados,detracto croco,oxymel ſimplex,aut cõpoſitũ,cum quinq;,aut duabus radicibus,addito in grauioribus modico oxymellitis ſcyllitici:conferunt & ſyrupi de praſio,& de achoro cum aqua melliſſæ,maioranæ graminis(maximè in fœminis quæ obſtructionem patiuntur) vel hyſſopi,cinnamomi,aut radicis chinæ, vel berbenæ,nã digerit

gerit pituitam,vtcunque ſumatur. Quod ſi pituita fuerit ſalſa,addere oportebit aliquid ſyrupi borraginis,portulacæ,aut violarum. Quibus præparatam vtcunque materiam modicè purgare ſtudebis hoc medicamento, quod recipit foliorum ſenæ.3.iiij.coquantur in ℥ vj.aquæ lupulorum,& graminis,& facta collatura, adde agarici throchiſcati.ʒ.j. ſyrupi ſolutiui roſarum Perſicarum ℥ij. Proſſunt & boli ex catholico,& confectione Hamech ſimplici, anà. ʒ.vj. valet & electarium diaphinicon,pondere.ʒ.iiij.cum ℥ iij.ſyrupi ſolutiui roſarum: proſunt, & pilulæ ex hiera Gal.& de aſayeret. anà.ϑ ij.

Purgata iam vtcunque pituita, quam neceſſum eſt in toto, aut partibus capiti proximis abundare, coniectandum eſt, an aliquo modo liceat in his doloribus ſanguinem mittere?In qua re ſciendum eſt,eo tempore prædicto auxilio opus eſſe,quo ſuppreſſa vacuatio aliqua apparet, maximè ex ſanguine pituitoſo: quo tempore parcè mittendus eſt,ſicut copioſè,dum ſanguis copioſius abũdat:verùm ſi melancholici ſanguinis affectio particeps fuerit, ex vſu erit ſanguinem ex hæmorrhoydibus fundere,ſicut in fœminis plerũque ex venis tali:cõiectabile enim eſt,ipſam pituitam obſtructiones effecturam, adeò, vt improſperè menſes fluãt. Præterea à quacunque cauſa dolor excitetur,ſi vehementia vrgeat,duabus de cauſis vena tundenda venit:vna,quòd vix dolor tantus eſſe queat, ſine materiæ calidæ acceſſu:altera verò,quia verendum eſt ne cerebrum inflammetur, aut ſpiritus plus iuſto, aut inflãmẽtur aut reſoluãtur.At ſi cauſa frigida ſit,prædictam doloris exacerbationem expoſtulans,amplum fieri venæ vulnus deſiderat, quo expirare etiam aliquid ex craſſa materia poſſit.

Deinceps verò craſſos & frigidos humores iterum incidere & conterere, opus erit,nam humoris natura,& conditio non patitur ſimul & affatim expurgari. Cui vſui ſumes ℥ iiij. decocti,quod recipit quinque radi cum aperientium,anà ℥ j.ber benæ,maioranæ,radicis ireos,& acori, anà.ʒ.ij.cartami.ʒ.vj.foliorũ hyſſopi, maioranæ,calamenti,bugloſæ, borraginis anà.m.ſ.ſeminis carui, aniſi, fœniculi,anà ʒ.ij. glycyrricæ.ʒ.j.ſ.coquantur addito modico aceto,& facta collatura,adde alicuius ex prædictis ſyrupis. ℥ij.& vtere: ac ſi laborans fuerit calidioris naturæ,vel febre corrept⁹,adde ſyrupũ borraginis,roſarũ,vel chicoreæ.Quo facto per interualla ad expurgantia pharmaca,quæ nuper retulimus te cõferes,inter quæ,maioris momenti ſunt,pilulæ de agarico,de ſarcocola,ſine quibus,cochiæ,aut fœtidæ,ſed primas tenent pilulæ Arabicæ.Prodeſſe enim mirum in modum ſcimus eas quæ recipiunt rhabarbari electi, aloës optimi,agarici trochiſcati, myrrhæ,anà. ʒ. iij. croci.ʒ.j. ſanthalorũ citrinorũ,roſarũ,rub.myrobalanorũ,chebulorũ,anà,ʒ.ſ. caryophyllorum ϑij. puluerizentur omnia ſubtiliſsimè, deinde aſpergãtur ſucco roſarum puro, & permittantur exiccari,& eodem modo fiat ſepties:poſtea cum melle roſaceo, fiant pilulæ, quarum ſumet. ʒ. ſ. aut vnam, bis, aut ter, in menſe.

Quod ſi hæc quidem prodeſſe adhuc non videantur,non eſt plurimũ innitendum pharmacis quæ expurgandi vim habeant, ſed ſemel,aut bis in hebdomada prius euomere,quod præſidium ſummoperè eſt laudandum,maximè cum ex ventriculi cruditatibus,aut præcedente crapula dolores proficiſcuntur, vel cũ venter ita eſt imbecillus,quòd ea occaſione plurimum pituitæ congregat, corporiq;, & capiti præſtat:quo tẽpore pilulis maſtichinis purgabis frequẽter, aut rhabarbaro maſticato, tertiò quoq; die ſumpto,pondere ϑ j. aut. ʒ.ſ.

Verùm ſi vniuerſum corpus pituitoſum ſit natura vel morbo, præmiſſis quæ

hucuſque diximus, corpus ſudoribus committendum eſt: eo maximè ſi compertũ fuerit, affectionem eſſe morbi Gallici participẽ, ex ligno guayaco, & ſpartæ parellæ, ſin aliter ſulphureis balneis vtendũ eſt, quæ diſcutiant materiam, & attenuatam facilè reddant.

Solent tamen huiuſce mali incrementa eò peruenire, vt neceſſarium ſit vſque ad experimentum procedere: dixerat enim Celſus: Vbi ratio non præſtat, temeritas adiuuat. Sunt enim auxilia quædam, quæ temeraria primo acceſſu, & diffioi lia videtur, verũ ſi quis prudens eis vtatur, ſalubria & tuta proculdubio faciet. Huius cenſus eſt ſtybium præparatum, quo non ſine miraculo multi paſsim vtuntur, licet aliquando vtentibus id accidat, quod refert Celſus, de empiricis præſidijs loquens. Non quòd non contingat, ſaneſcãt qui eis vtuntur, ſed quòd ſæpè fallat eorum ſalus: ſtybium enim vehementiſsimum eſt medicamentum, & læthale ex prio genere, cuius ego libenter in antiquis & vehementiſsimis capitis doloribus, & qui alijs præſidijs cedere nequeũt, adhiberem grana tria, & in fœminis grana duo, & prout res ex voto ſucceſſerit, vel adderem, vel demerem, à præſcripta quantitate: exhiberemq; cum quarta vna ſacchari roſarum prædictum puluerem, vel cũ vino, aut iure pulli. Verũ in fœminis & in corporibus, quæ robuſta non ſunt, ſi neceſsitas nos eo medicamento vti cogat, quatuor, aut quinque grana, linteo inuoluta per noctem in vino macerari permittendum eſt; manè verò vinum laboranti porrigere oportet, facta mediocri expreſsione.

At ſi caput doleat, quod in ipſo cauſa ſit, & cauſæ principium, longe aliter rem conſiderare oportebit, & viam curationis inſtituere. Nam primò compertum eſt, caput repleri poſſe vno è quatuor modis, nimirum, quod calidum & humidum exiſtat præter naturam, & ob id ſuſceptandis excrementis aut vaporibus idoneũ, atque eadem ratione ineptum eis diſcutiendis atque conterẽdis: quo fit, vt repleri neceſſariò contingat: ſecundò, quòd affectum ſit aliquo intemperamento fixo atque permanenti, ita vt ex alimento proprio excrementa vel ſuccos generet intemperamento reſpondentes: ſic enim frigidum & ſiccum caput pauca craſſa ac ſicca gignit excrementa, ſicut frigidum & humidum pituitoſa, quibus caput & repleri & affici neceſſum eſt. Tertiò inſuper contingit caput repleri, defectu proprij & innati caloris: quo neceſſum eſt crudum aut diminute confectum ſupereſſe ſuccum ex alimento ſibi præſtito, ac ex conſequenti crudis his ſuccis repleri & abundare atque affici. Quartò verò, & vltimò, id accidere non raro cõſpicimus, vitio facultatis ſecernentis, quæ propria & natiua excrementa pellere nequit, vel propria & peculiari impotentia, vel defectu, ob coarctationẽ, vel obſtructionem, viarum. Quibus ſuppoſitis, conſiderandum eſt, non eſſe vno & eodem modo cũ omnibus his cauſis agẽdũ. Nã ſqualidum & humidum caput, præmiſſa eius quod ſuſceptauit leui purgatione, refrigerari & exiccari diligẽter deſiderat, quo refrigerio minº ſuſceptat, & magis diſcutit, & ſiccitate, ſi quid ſupereſt, ebibitur, exiccaturque ſimul: ſed à quo caput ſuſceptet, videndum eſt prius. At dum ex aliquo intẽperamento abundantia prodit, demẽda primò eſt efficacioribus phatmacis, maximè ſi contraria intemperamento conſtent qualitate: poſtea verò temperãdum caput eſt, vt poſtulauerit intemperiei cõditio. Verùm ſi proprij & innati caloris defectu caput repleri contigerit, leuius adhuc facta vacuatione ipſum roborabis, nõ calidis vtcunque, neque frigidis aut temperatis, ſed ijs tantũ, quæ ſimillima ſunt calori natiuo illius hominis, antequam in morbum incidiſſet. Vltimò quidẽ ſi defectu & impotẽtia excernẽtis facultatis malum oriatur, frequẽtius quod cõgregatur euacuare ſtu-

ſtudebis, nõ ſolùm ijs quæ per ventrem purgãt, ſed alijs quæ caput purgia appellata ipſum proprius euacuant. Qualiter autem hæc omnia exequi tenearis, & quibus medicamentis, dicã, ſi prius in memoriã reuocauero, q; ſi caput doleat in ſe habẽs dolendi principium, nimirum imbecillitatẽ, quæ parum exonerare ab excrementis valeat, expultrice languida exiſtente, aut copioſa generet, vel flatus à diminuto calore: tunc curandum eſt in prima cauſa audacius vacuare, ſicut in ſecunda liberalius roborare, & modicè vacuare. Quippè vbi impotentia ob intemperamentum mali cauſa eſt, facultas ea ratione facta languidior vacuationibus, plura congregat: quo fit, vt caput ob id ab excrementis immune reddere oporteat medicamentis, quæ pituitam & craſſos humores à capite euacuent, ea lege quam adduximus libro noſtro ſecundo de recto præſidiorum vſu. Verùm ne quid in hac parte deſit, expendendũ eſt hoc munus præſtare inter alia medicamenta, pilulas Arabicas, & eas quæ cõficiuntur ex aloẽ, agarico, turpeto, & rhabarbaro partibus æqualibus. Cuius efficaciæ conficiuntur aliæ ex decocto ligni guayaci, aut ſpartæ parellæ, addita aloẽs. ʒ j. pro. ʒ x. decocti, quæ ſimul bulliant, donec ſpiſsitudinẽ nanciſcantur aptam pilulis efformandis, quarum. ʒ. j. ſingulis noctibus porriges. Conficiuntur & aliæ non minus vtiles, quæ recipiunt puluerís hieræ Gal. rhabarbari optimi, & agarici trochiſcati, & mirobalanorũ cheb. & citrinorum, maſtichis, anà ʒ j. florum ſthœcados. ʒ. iij. puluerís foliorum ſenæ. ʒ. ij ℈. epythimi. ʒ. j. formentur cum melle roſaceo, quarum quantitas ſit. ad. ʒ. ij. Alias item cõficere poteris, quæ recipiunt agarici trochiſcati. ʒ. ij. turperi. ʒ. j ℈. ſalis gemmæ, & zingiberis, anà ℈ j. infundantur omnia in vino albo, & facta leui ebullitione, & forti expreſsione, adde puluerís hieræ diacolocynthidos ʒ. ij. puluerís hieræ picræ. ʒ j. malaxentur cũ vino prædictæ expreſsionis, & fiat maſſa, cuius ℈ ij. porrigere poteris. Prodeſt etiam ſyrupus purgatiuus ex ligno guayaco, & radice chinæ confectus hac lege, decoctionis ligni, & radicis cõſummatæ, lib. 2. agarici trochiſcati. ʒ j. rhabarbari optimi, ʒ. vj. foliorũ ſenæ. ʒ j. &. ℈. florũ ſthœcados, & maioranæ, anà. ʒ ℈. berbenæ. m. j. flores, & herbæ bulliant in decocto, & facta collatura, adde, quãtũ ſit ſatis ſacchari, aut mellis, & antea quam ex toto fiat ſyrupus, conijce agaricum, rhabarbarum & folia ſenæ in ligatura; cuius medicamenti. ʒ ij. vel iij. porriges.

Alter etiam conficitur ad putredinem inhibendam, delendaſque obſtructiones, qui recipit radicis graminis, petroſelini, aſparragi, anà. ʒ ℈. ſeminis aniſi & fœniculi, anà, ʒ. j. betonicæ, ſthœcados, ana. p. ij. florum cordialium. p. j. paſſularum mũdatarum. ʒ ℈. liquiritiæ. ʒ. ij. polypodij quercini. ʒ ℈. agarici trochiſcati, ʒ j ℈. foliorum ſenæ mũdatorum, & in fine decoctionis poſitorũ. ʒ ij. fiat decoctio in aqua puriſsima, ad lib. 1. in collatura diſſolue ſacchari albiſsimi. q. s. vt fiat ſyrupº mediocriter coctus, cuius bis in hebdomada, aut ſemel ſumat laborãs. ʒ j ℈ cum ʒ ij. hydromellitis, aut decocti ligni ſancti, vel radicis chinæ. Quòd ſi vehemẽtiorẽ efficere libuerit, addes. ʒ j foliorum ſenæ, & turpeti. ʒ ℈.

Verùm ſi ne hæc quidem prodeſſe videãtur, credibile eſt, caput contraxiſſe eam intemperiem, quæ nata ſit quotidiana excrementorum generatione caput afficere: quare neceſſe erit, præſidia ea adhibere, quæ ipſum ab expurcitia eorum excrementorum liberet, vt eſt omne caput purgiorum genus, quo vti non datur niſi in his doloribus, aut capitis affectibus, qui ex craſsis & frigidis ſuccis ortum habent: nam qui ex bile, tenuibuſq; ſuccis fiunt, cum repellentibus & diſcuſſorijs auxilijs facillimè cedant, his maioribus opus non habẽt. Sic enim primò gargariſmatis pituitã per os duces, quale eſt id quod recipit ſalicis, thymi, maioranæ & hyſſopi,

anà,m. ℈. coquantur ad tertias & facta collatura, accipe lib.j.cui adde oxymellitis ſimplicis. ʒ.ij.oxymellitis ſcquillitici. ʒ.j.& vtere. Prodeſt decoctum ligni guayaci cũ cinnamomo, & cariophyllis,addito melle roſaceo,& modico aceto.Iuuat etiã idem decoctum cum vino ex maiorana, pulegio,aniſo cum oxymellite,& ſyrupo de ſthœcade,quibus vteris non ſolũ cauſa capitis curandi,ſed præcauendi pituitæ, fluxum ad thoracem,aut alias partes.

Eundem quoque vſum præſtant errhyna appellata medicamenta,quæ cõmoto ſternutamento, vel citra id caput purgãt,quale eſt quod recipit,nigellã torre factã, cũ ſucco maioranæ, in nares, cũ pœna dũ laborans ieiunus eſt, immiſſum,quippe id tempus ſternutationi idoneũ exiſtit.Prodeſt etiã immiſſus ſuccus,ſampſuci,aut betonicæ, vel eorum decoctum,item ſuccus maioranæ,vel decoctum eius,betæ, & anagalidis adiecto pipere,caſtoreo euforbio,gallia muſcata: ex quibus cũ ligno aloë,ambra.& moſco trochiſci fieri poſsũt.Sed aliud vtili⁹ parabis, quod recipit ros marini,maioranæ,matricariæ, anà. p. ℈. glycyrricæ.ʒ.ij. paſſularũ ſine acinis. ʒ.℈. mellis. ʒ.j.zingiberis,&pyrethri,anà.℈.j.in aqua ſufficiẽti fiat decoctũ ad dimidias. Præterea cõficies aliud quod recipit, olei de ſpica. ʒ.j.elaterij.ʒ. j.moſchi,gr.ij.illiniantur nares interius : item ad id ſucco maioranæ vteris : conficies, item aliud, quod recipit decocti maioranæ, betæ,anagalidis, cucumeris agreſtis cum modico melle, fiat decoctum, cui adde Galliæ muſcatæ.gr. vj. & ex medicamentis, quæ valentius mouent, ſternutamentum, addere poteris momentum: ſunt hæc piper, euphorbium, elaterium, pyrethrum,& eleborus : ſed hæc raro adhiberi conſulo, niſi, dum affectio grande minatur periculum,aut laborans ſenſu careat, interim tamen doloribus capitis ſatis eſt ſuccus maioranæ, betæ,aut anagalidis, vel hydromeli,cum puluerib⁹ ſpicæ,aut galliæ muſcatæ:quæ omnia in narem immiſſa, aut inſpiratione atracta,facile pituitam ex capite ducunt.

Reliquias quoque humoris in capite relictas incredibili efficatia euacuant auxilia maſticatoria vocata,velut eſt quod recipit maſtiches.ʒ.ij. piperis.ʒ. ℈. radicis caparrorum.ʒ.j.cum aceto ſquillitico formentur pillulæ.iij.quarum vnam ore teneat maſticando laborans,expuatque quoad os defluxerit:Bene facit etiam quod recipit, ſtaphiſagriæ puluerizatæ.ʒ.ij.condiſi.gr.xij.excipiantur melle & fiant,trochiſci:aliud etiam paratur, quod recipit pyretri,ſtaphiſagriæ, anà.℈. ij.liquiritiæ. ℈.j.maſtiches.ʒ.j.fiant pilulę. Præſtat & pyretri radix maſticata: item maſtichis. gr.ij. quæ ſi quis ore frequenter agitet maximam mollietur à capite purgationem.Idem beneficium præſtat bolus ex cera, & maſtice confectus,vel ex ficu arida,& maſtiche:item agaricus inſtar ciceris ore maſticatus:ſed lõgè vtilius eſt ambarum ore ante cibum ſæpius maſticatum, idque maximè vbi caput imbecille fuerit.Præſtat idem beneficium conditum ex acoro,aut paſtillus ex aromatico roſacco,& ladano,vel qui fit ex agarico,cinnamomo,ambaro,& maiorana.

Proſunt quoque dentifritia confecta ex ſale,& aliquo ex nuper dictis medicamẽtis panno lineo exceptis,& vino, aut hydromellite madefactis. Sed in vſu horũ medicamentorũ,quæ per os & nares à capite purgãt,expẽdendũ eſt, dẽtifritia & maſticatoria,ex vſu non eſſe,his,qui in ore, faucibus,aut pulmone,vlcus,aut inflãmationẽ obtinuerint,tũc enim herrithna cõmodiora ſunt:ſed hæc nocẽt, his,quibus oculi male ſe habent,quo tempore gargariſmata proficua ſunt.

Quibus factis,ea medicamenta capiti ſunt admouenda, quæ præter id quod pituitam diſcutiant, & per inſenſibilem halitum expurgent, caput etiam roborent

roborent, cuius naturæ varia reperiuntur apud Authores. Quippe caput ſuffumigare multis modis proficuum exiſtit,maximè ſi fiat ſtyrace,aut alio ex nuper dictis paſtillis, quos ad maſticandum vtiles eſſe diximus:interim tamen ex vſu eſt quòd recipit ſeminis melantij,ſuccini,anà ʒ.j.ſtyracis calamitæ, velzoini, anà ℈.j. macis, cariophyllorum,nucis muſcatæ anà g. viij.terãtur in puluerem craſſum,& fiat ſuffitus.Proſunt & trochiſci ex pari põdere myrrhæ & maſtichis,ſi diſſoluantur aqua roſacea & fiant paſtilli: loco tamen ſuffumigiorum pomum odoratum conficere oportebit,quod recipiat cinnamomi,cariophyllorum,nucis muſcatæ, ligni aloës, puluerꝭ maioranæ, anà. ʒ. ij.galliæ muſcatæ. ʒ.℈.ſeminis angelicæ.ʒ.j.moſchi,ambræ,anà.gr.iij. fiat puluis, & addito ladano cum modico oleo iaſminorum,aut naphæ,fiat pomum,quod etiam ſuffumigiũ vtiliſsimum fore arbitror.Præſtant quoque eundem vſum (ſi ſuauiſsimè & ſine multa frictione ac ſemel aut bis in hebdomada id feceris) lauacra & inunctiones ex oleis nuper dictis, & decocto berbenæ,corticum caparris,maioranæ,& raſuræ guayaci,& alijs quæ ſuperiùs retulimus. Item alio vteris.q.r.roſarum.p.℈.ſaluiæ,foliorum myrthi,maioranæ,camemali,ſingulorum.ʒ.ij.℈.agarici.ʒ.ij.bulliant in lixiuio.Eiuſdem ſunt efficaciæ fotus qui fiũt ex decocto iuniperi,baccarum lauri,& cineris ſarmẽtorum cum modico vino aut aqua vitæ.Sed in his affectionibus plus præſtat,caput frequentiùs roborare,quàm pertinaciter vacuationibus inniti:ob id recenſere oportet, quæ capiti appoſita ipſum euacuando roborant: cuius naturæ eſt quod recipit radicis cucumeris ſyluęſtris,foliorum abſynthij,anà.m.j.bulliant in hydreleo ad tertias,quo caput inũges, & ex fæce piſtata cataplaſma conficies. Prodeſt & inunctio ex oleo amygdalarum vbi ferbuerint,ſerpilum,lauri folia,maſtix,ſpica, mentha,maiorana,thymus, pulegium,nux muſcata,cariophyllus,aut cinnamomum:quibus,dum fit ebullitio, adde vini rubei parum.Conficies etiam oleum arte chimica extractum, q. r.therebyntinæ.li.j.maſtichis,cinnamomi,nucis muſcatæ anà.ʒ.j. cariophyllorũ, cedoariæ,galangæ,ladani,anà.ʒ.j.℈.ſucci ebuli,ſucci cucumeris aſinini, anà. ʒ. j. olei camemali,& liliorum anà.lib.℈.vini rubei.lib.j.℈. ſerpili viridis, m. j. puluerizentur puluerizanda,& proiecta in alembicũ igni apponatur, & oleo inde extracto abraſum caput illiniatur.Præſtat etiã eũdẽ vſũ id oleũ,quod recipit radices cucumeris aſinini conciſſas minutim, abſynthij coma in hydreleo incoques,& hydreleo inũges, ac materiam emplaſtri modo parti appones. Præſtat Fauentini vnguentum quod recipit ſucci anthemidis. ʒ.iiij.ſucci roſarũ.ʒ.ij.ſucci ruthæ, & brioniæ,anà ʒ.j.℈.ſucci radicum altheæ.ʒ.ij.alabaſtri puriſsimi in puluerem redacti.ʒ.iij.alabaſtrum per diem & noctem infundatur in oleo, & cum cera alba fiat vnguentum. In graui autem dolore, mitigandi,& curandi gratia, recipe huius vnguenti. ʒ.℈. opij.gr.ij.miſce,& illini tempora & partem dolentem:quod etiam præſtat vnguentum aragon,agripæ vel martiatõ, vel mitridatũ vetus,adiecto modico vitriolo romano vſto,quãtitas ſit.℈.j.,pvntijsviij.cuiuis vngẽtorũ.Prodeſt ceratũ de euforbio vel emplaſtrum de gratia Dei,vel de radice cucumeris agreſtis. Prodeſt roborandi, & diſcutiendi gratia,puluis capillorum veneris ſparſus ſupra caput:aut alter qui recipit,ſalis minutim inciſi,& milij torrefacti,duplam portionẽ, vtriuſque quantum ſit ſatis:vel ſic confice,baccarum lauri.ʒ.iiij.puluerꝭ ligni aloës.ʒ.ij.foliorũ bethonicæ,berbenæ,florum ſthœcados,anà.ʒ.j.& ℈.fiat ſacculus,qui aceto feruenti fumigatus in vſum dirigatur. Pileum quoque conficies ex puluere,qui recipit,bethonicæ,ſambuci, melliſæ,anà. ʒ.j.coriandri præparati.ʒ.℈.florum anthos & ſthœcados camemali,meliloti,roſmarini,maioranæ,corticum citri,granorum alchermes, cariophyllo-

ryophyllorum,& radicum cyperi,anà.ʒ.ij. Conficies aliũ,quod recipit pulueris betonicæ, roris marini, radicis caparris,& florum, ac seminis maioranæ, & sthœcados,anà.ʒ.ij.pulueris rosarum,coci infectorũ,anà.ʒ.j.& ℈.diambræ,& diamusci,anà. ℈.j.misce.Alium conficies,qui recipit pulueris nucis muscatæ,macis,seminis angelicæ,anà.ʒ.j.cinnamomi.℈.ij.coci infectorum,& coriandri præparati,anà.ʒ.iiij.ligni guayaci.ʒ.ij.santhalorum,citrinorum.ʒ.j. diamusci. ʒ. ℈. sin verò flatus abundent, tempora illinies,& desuper linteum aqua naphæ madentem pones.Quod si minus olentem velis conficere pulverem,&resoluentem magis,sic facito.Recipe cranei hominis,li.j. cornu cerui. ʒ. iij. corali rubei,macis,cinnamomi,costi anà.ʒ. iij.vrantur omnia simul,in vase fictili,crudo hoc est,nouo, in furno, donec redigi possint in pulverem,& vtere.In quorum præsidiorumvsu,probo magis,singulis diebus aliquem ex dictis pulueribus super caput pilis abrasis inspergere,quàm pileum conficere:nam præterquam quòd virtus medicamentorum,non ita fit capiti communis,ex sordicie pilei non rarò caput dolere assolet. Coctionem etiam & discussionẽ iuuabis,si laborãti porrexeris theriacam mytridatis, auream alexandrinam, vel electarium diamoscum dulce,aut pliris cum mosco,aut diambrã; ex quibus põdere.ʒ.j.fiant boli,quorum mane sumat laborans.℈.ij. bis,aut ter in hebdomada. Prodest & cõserua acori,enulæ,aut sthœcados,quibus admiscebis prædictos pulueres,vel aliquid diamusci,diarhodonis, aromatici rosati, diagalangæ, aut electarij de gemmis: ex quibus & conserua violarum,aut borraginis conditũ conficies maximè vtile.Quòd si humiditatem cum frigiditate prævalere cognoueris,prædictis auxilijs addes aromata,& quæ vim habent exiccãdi, vt moschus, ambra,lignũ aloës, nux muscata,cedoaria,cinnamomum,castoreum,cortex,citri,zingiber,cyperus,& pronici,& peonia,& pleraque alia,quæ cap.De catharro reperies.

Verùm quia frequenti euentu comperimus,huiusmodi cephalicos dolores, & maximè hæmicranicos,periodicos esse,ac reuersiuos,ob id studendum est,causam periodicationis nosse,& ipsam peculiari diligentia infirmare & illidere. Dolor igitur,qui per vices & interualla repetit, siue ordinatè, siue secus subsequatur,triplicẽ sortitur causam:vnam quidem prodeuntem à consensu alicuius partis primariò affectæ, siue communio fiat per spiritum, siue flatum ab ea transmissum in caput, (quod ex doloris vehementia,repetito insultu,& cita solutione nosces)siue per humorem,qui diutiùs durat, siue per colligantiam (quod nosces ex cõdolentia partium, quæ in medio sunt)siue quouis alio modo. Secundam constituit externa causa,quæ capiti imbecilli, accedens acerbissimos dolores exagitat,velut vociferatio, lucis splendor repentè perceptus, solis æstus, fumus, & alia id genus existunt. Tertiam verò & vltimam gignit humoris praui in capite congestio, ob deprauatum, & habituale totius capitis,aut alicuius partis eius intemperamentũ natum talem succum gignere:à quo vel flatus ex leui occasione excitantur, vel copia aut vitio partem distendens, aut exulcerans,dolores vel ingentes vel diutinos fabrefacit.Quapropter iuxta has occasiones cuique prouidendum erit:nam si dolor fuerit per consensum,prouidendum est primò mandanti membro,posteà capiti.Qua in re dum affectus iam in capite firmatus conspicitur,sciendum est,fontanellam aperiendam esse infra membrum mandans,& alteram in brachio.Verùm si ex causa externa dolor prodierit,ipsam fugere oportebit,& omni arte caput (vt dictum est)roborare ac firmare : nam in solo ipsius robore ac reductione ad antiquum temperamentum,idque sensim & paulatim,sita est omnis eius causæ prouidentia.Cæterũ si hæc prodesse non possunt, coniectabis,caput contraxisse iam in

eo affectu habitum, & esse factum intemperamentum, præsertim frigidum, ac ipsum propagare noua quotidie excrementorum generatione. Quod sanè ita esse, multis rationibus est arbitrandum : tũ quia non conficit proprium alimentum:tũ etiam quia excrementa,tã propria,quã aliũde transmissa,non facilè expellat,ac discutiat : tùm vltimò, quod facile admittat vapores & materiam quamuis aliunde transmissam.Nosces tamen,flatus esse calidos,aut spiritum arteriarum,signis nuper adductis : at frigidos esse,caliginosos & crassos,quod sæpè afferant capiti grauitatẽ, (non vt humores in vna parte, aut cũ sensuũ oblæsione) protensam tamen ad oculorum radices : præterquàm quòd dolor extenditur vsque ad aures cum quodam sybilo, qui incipit circa primas colli vertebras, qui à calido agitatus & attenuatus nondum discutitur,sed extenditur.Flatibus igitur prætermissis,si aliunde prodeãt, quia tunc ad curationem consensui debitam pertinẽt, considerare oportet occasionem incidendi inprædictam doloris exacerbationem:nam maioris sæpè solet esse momenti,siquidem aliquando prodit à sanguine vaporoso & feruenti, hepatis aut venarum vitio, nonnunquam ab spiritibus vitalibus, calidis & igneis superiùs raptum habẽtibus . Quas sanè occasiones sanguine misso infirmabis potius,quàm deceptus doloris natura, & capitis impotentia, alijs, quæ calore aut adstrictione, prodesse scribuntur . Quare studendum est,si vitium firmatum fuerit,vel emũctorium efficere, per quod natura quotidie excernat,quod singulis diebus congregat, vel ipsam reddere robustiorem, reddito temperamento ad antiquum statum & præpeditis occasionibus.In quo sanè opere nullum aliud auxiliũ præstantius,& efficacius reperies,quàm caput ferro candenti inurere,qua parte dolor viget magis, cauens tamẽ capitis futuras . Sat enim erit,si in ipsa futura dolor fuerit,prope ipsam inurere:nam arbitramur,id auxilium ex vsu esse his,quibus dolor adest citra morbosum corporis apparatum,& in extima capitis parte. Verùm si cognitum fuerit, materiam protensam esse in toto capite, confugiendum est, tanquam ad præstantissimum præsidium ad setonem in occipitio affixum,idque maximè in pueris,vel in brachio in adultis : qua parte commodius est fontanellam altero,aut vtroq; brachio aperire,siue intus siue extra caput doluerit.

Verùm si his omnibus factis, adhuc iterum leui causa laborans in dolorem per assuetas periodos incidat,hoc linimẽto vtêris,q.r.terræ sigillatæ,boli armenici, anà. ʒ. j. hypocistidos, acatiæ, anà.ʒ.j.albuminum ouorum conquassatorum, n.iij. aceti.ʒ.ij.misce,& vtere in calidiori capitis intemperie.Item conijce,an affectio per venas frontis, & temporum communis fiat capiti, & ei parti appone, quantum venam ipsam capiat emplastri confecti ex tecamaca, (frigido existente intemperamento) aut carana, vel eius quod conficitur hac lege:excipe olei maioranæ,& ireos,q.s.pulueris ligni aloës, caryophyllorũ,spicæ,galliæ muscatæ,styracis,anà.ʒ.℈. malaxentur cum ladano,mastiche,& gummi,sed prius mastichem,ladanum,& styracem dissolue in prædictis oleis,ac postmodum pulueres adijce, vt fiat emplastrũ, addens castorei.℈.ij.pulueris galangæ,ac seminis maioranæ & angelicæ,anà.q.s.vt fiat emplastrum.Prodest ex mythridato cũ prædictis pulueribus,& oleo belzoino & styracis,factũ emplastrũ. Quibus factis,& interim dum fiunt,caput imbecillum diligẽter roborare studebis, his nimirum quæ & facilis ac optimi sint nutrimenti cibarijs,& alijs quæ intemperiem corrigant;tertiò ijs quæ modicè adstringant, ac vltimò ijs,quæ aromaticam habeant vim,& cerebro grata existant, nam plerunque prædicta impotentia originem ducit ex habituali humiditate & frigiditate: qua propter necessum est,roborantibus calidis & siccis vti : cuius efficaciæ est electa-

rium.q.r.nucis muſcatæ,macis,cubebarũ,roſarum,calami aromatici,amomi, anà 3.j.muſci,ambræ,croci,caryophyllorũ,anà. ℈ij. margaritarũ,hyacintorum,ſerici combuſti,vel inciſi,anà.3.ß.maioranæ,ſeminis baſiliconis,corticũ citri,anà. 3.jß. ſanthalorum omnium,ſpodij,anà.3. ij. cãphoræ.℈j. ſacchari albi.li.ij. aquæ roſarũ & maioranæ, anà. 3. iij. fiat electarium, cuius laborans ſumat ante cibum.3.j.aut 3. j ß. Proſunt & vinum aromatis conditum, & puluerũ prædictarum ſparſio ſupra caput:item odoramenta naribus grata,ſed non vehementis odoris. Item ambarum maſticare ſummoperè caput roborare ſcimus, nec non & ipſum vino bis in menſe abluere; maximè ſi in eo incoquantur lignum guayacum, flores ſthœcados,lignum aloës,& reliqua id genus.

Sed animaduertiſſe oportet,hæc omnia præſidia hæmicranicis doloribus quoq; præſtatura,ſi parti eius dolenti tantùm adhibeantur.

At ſi affectio morbi Gallici ſoboles fuerit,per ſudationem, & alia auxilia, quæ morbo Gallico proficua ſunt,rem agere oportebit: quorum maximam copiam adduximus libro eiuſdem affectionis.

De Vertigine. Caput. IX.

EST vertigo(quæ nil aliud eſt, quàm primarum ſenſationum deprauatio, cum motus imbecillitate, propter inordinatum ſpirituum animalium motũ: quo fit vt in hac affectione nobis caput,& ea quæ cernũtur, circumagi videantur) Græcis dynos appellata cui ſanè affectioni cum tenebricoſa quædam viſus offuſcatio acceſſerit, ſchotoma,ſeu tenebricoſa vertigo,ab omnibus nuncupatur,quam Paulus ingentem vertiginẽ appellat. Quo fit,vt iuxta optimam rationem Galen.4.acut.diſcrimen poſuerit inter dynos,& ſcotodynos,id eſt,inter vertiginẽ,& tenebricoſam vertigi nem, ſcotomiã à Barbaris appellatã. Quippè dynos ſeu vertigo ea tantũ affectio cenſenda eſt,in qua omnia quæ ſeſe oculis offerũt,& caput ipſum, ac totũ ſubinde corpus videtur circũuolui:ea tamẽ in qua præter id,quod omnia in gyrũ videtur moueri,viſus etiã ita obtenebratur,vt laborãs tenebris obduci referat,ſcotodynos, ſeu ſcotomia affectio vocatur:quibus etiã Authores nõ contẽnendi, tertiã ſuper addunt,eã ſcilicet,in qua laborantes concidunt,& prolabuntur, ni protinus ſubueniantur.Denique vertigo vno tantùm conſtat ſymptomate, inſpectorum, & capitis falſa circumuolutionis imagine:tenebricoſa verò vertigo duobus, præcedenti nimirum,& viſus offuſcatione:tertium verò ſymptoma ex prædictis & deprauato motu conſtituitur,quo laborantes concidunt.

Diſident eæ affectiones à pleriſque earum quibus aſsimilantur, multis numeris:nam vertiginem(licet multi arbitrentur eſſe epilepſiæ ſpeciem) conſtat ab ea differre,quia in epilepſia ſenſus omnes oblæduntur,quod in vertigine longè aliter contingit. Alij cenſent,tenebricoſam vertiginem idem ſymptoma eſſe,ac eſt ſuffuſio à latinis dicta, cum plurimum inter ſe diſsideant. Nam licet in vtraque ſpectra quædam ante oculos volitare videantur, ſuffuſio tamen ſolum eſt oculorum,aut neruorum opticorum affectio:at verò in vertigine,cerebri,& ſpirituum eius oblæſio. Præterea neque credendum eſt, aliquid cum epilepſia commune obtinere,licet laborantes in ea aliquando concidant: ſiquidem in ea ſpirituum vitio

vitio laborantes procidunt, in epilepſia verò neruorum,& muſculorum.

Has ſanè tres vertiginis ſpecies ex neotericis maior pars arbitratur differre,ſolùm maioris, aut minoris ratione, cum in omnibus conſpiciantur omnia in gyrum conuolui:nihilominus tamen longè magis & aliter inter ſe differunt(vt mox probabo)ſi prius dixero affectionem hanc nomen ſumpſiſſe à ſymptomatè in eadem vulgatiſsimo. Quapropter vt magis eluceſcat propoſitũ dogma, expendiſſe oportet,ad quas partes propriùs referenda ſint hæc ſymptomata:item cuius potentiæ vitia exiſtant,vnius ne an plurium:& à quo morbo vel cauſa originẽ trahant, & quibus modis medellam ſuſceptare poſsint.

Circa primum,iuxta optimam rationem conſtat,Galen. dixiſſe,diſtinctas eſſe vertiginem ſimpliciter dictam,& tenebricoſam vertiginem:atqui vt conſtet non ſolùm nomine,aut maioris vel minoris ratione differre,expendẽdum eſt: primò diſsidere ratione particulæ affectæ:cenſemus enim eam eſſe potiſsimã morborũ, & ſymptomatũ differentiã,quæ ex partis affectæ diuerſitate ſuboritur.Sic enim in vertigine anterior cerebri vẽtriculus,qua parte ferũt imaginãdi potẽtiã præeſſe, primario afficitur:aliquando verò trahens in conſenſum oculos,vt in phrenitide probabit ex medico delirante: plerunque verò per conſenſum, vt euidẽti ratione, aut vt rectius loquar,demonſtratione probari poteſt. Quippè vertigo duobus fit modis;vno oculis apertis,dum res externæ apparent circulariter motæ,falsò tamẽ, quia ſpiritus rectà nequeunt oculos adire.Secundò, quia multi ex his qui vertiginem patiuntur,clariſs etiam omninò oculis,idem ſymptoma perpetiũtur, haud ſecus,quàm apertis,ob falſam motionẽ quã ſpiritus interni potentijs repræſentãt, ita vt verè cõſtet,ſat eſſe prædictã cerebri partẽ in hoc affectu læſã exiſtere. Quòd ſi velis neceſſariò viſorios ſpiritus in neruis opticis exiſtẽtes,variè etiã moueri,non renuã:cum hoc tamẽ in tenebricoſa vertigine,licet neceſſum ſit, cerebrũ quoq; oblædi,& ad oculos ſpiritus variè moueri,nihilominus tamen tenebroſitatis viſus ratio non ad cerebrum,ſed ad oculos ipſos (tranſlata ad neruos opticos materia) referenda eſt:quos caliginoſo ſpiritu obductos, vel eorum ſpiritus prædicta caligine offuſcatos eſſe comperimus,ita vt euidenter conſtet, vertiginem principiũ ſortiri à cerebro primitus:maximè in his quibus arterioſum genus intemperatum eſt,feruido & ſpirituoſo ſanguine,aut flatu plenum: & tenebroſitatem ab oculorum oblæſione,cum aliud,ſit & longè diuerſum,ſpiritus variè & inordinatè moueri,& longè aliud caligine obſcurari.Illud enim vertiginem, hoc verò tenebricoſam vertiginem efficit.

Præterea ij qui ex vertigine concidunt,præterquam quòd partes nuper dictas læſas habent,neceſſum quoque eſt,læſam obtinere poſticam cerebri partem, aut ſpiritus qui in ea morãtur per conſenſum affici ab ſpiritibus motis in ãnterioribus cerebri ventriculis.Qui ſanè dum mouẽtur,cogunt reliquos moueri,& inordinatè gradum,concentumque motus animalis efficere:quo fit,vt cõcidant ſic affecti, cũ non poſsint rectè & ordinatè ſe mouere. In quo ſanè affectu nemo dubitauit, aliam partem à prædictis(nimirum poſticam) affectã eſſe,ac ex conſequenti prædictos affectus loco diſsidere.

Quod verò facultate quoque diſiungãtur,manifeſtũ eſt:nã vertiginẽ fieri læſa imaginatiua potentia,dubitauit nullus;aliquando tamen cũ læſione oculorũ, & ſæpius citra ipſam,vt facilè probari diximus in his qui vertiginẽ patiuntur,& oculos habent clauſos:cũ hoc tñ credẽdũ eſt imaginationẽ lædi per cõſenſum ex falſa ſpirituũ viſoriorũ repræſentatione,quæ in ſenſibilis cõmunis perceptione aberrat,

quantũuis in proprijs ſenſibilibus nõ decipiatur,quia res proprijs coloribus diſcernit:cæterùm ſitum diſtantiam,& quantitatem nequit vt ſunt percipere, ſed falſò moueri repræſentant, vt ipſi ſpiritus mouentur.In qua re in memoriam reuocare oportet,quod cap.de phrenitide dictum eſt,nimirum imaginatiuam potentiam, licet in toto cerebro reſideat, præeſſe tamen & operari in anteriori cerebri parte, non quidem in ventriculo eiuſdem partis, ſed in molli & laxa cerebri ſubſtantia ſpiritibus plena,quorum adminiculo ſua exequitur munia, non quidem ope ſpirituum qui in ventre ſunt: nam præter id quòd ſenſorijs externis deſeruiunt, vt viſui, & auditui ſolùm externarũ rerum ſpeciebus admiſcentur,& veluti primò ſuſceptant, vt ſpiritus animales in cerebro reconditi vbi viget imaginatrix vlterius recipiant & iudicent: & cum ſpiritus illi in cauitate reconditi aliqua occaſione vel cauſa circumaguntur & mouentur, neceſſe eſt quòd ſpecies rerum externarum ſibi adunctas imaginatiuæ referant ſe quoque mouentes, licet revera quieſcant: ob id oculis & imaginatrici falſo imponunt ſe mouere,vel caput aut vniuerſum corpus circumuolui: Secundò præmittendũ eſt, longè aliud eſſe, imaginatiuam decipi ſpiritibus cauitatum cerebri prauè motis, & aliud vitiari & corrumpi, ita vt eius iudicium & actus proprius circa rerum ſpecies peruertatur, vt in phrenitide, mania & melancholia contingit, eo quòd coniunctum ipſius potentiæ inſtrumentum ſeu organum (nimirum anterior cerebri ſubſtantia cum ſpiritu ibidem immerſo) vitietur, & quodammodo corrumpatur. Quippe hac ratione læſa imaginatiua, neceſſariò læditur ratio, vt in melancholia & phrenitide latiùs probatum eſt,& nequit aliter fieri,ſiquidem intellectus operatio efficitur per conuerſionẽ ad phãtaſmata,quæ ſi praua,erronea,& vitiata, ac corrupta à phantaſia prodierint, ratiocinium quoque & diſcurſum vitiari neceſſum erit. Atqui cum ratio in vertigine non lædatur, ſiquidem optimè diſcurrit ratiocinaturque homo, longè verius arbitrandum erit, imaginatricem potentiam non lædi per propriam & eſſentialem corruptionem & vitium,bene tamen concedendum eſt,lædi per conſenſum,hoc eſt, per deceptionem à vitiatis ſpiritibus intra cauitates cerebri exiſtentibus,quibus circulariter motis,falſò videntur res externæ moueri,quia falſus imaginatrici motus à ſenſu viſus (etiam ab eiſdem ſpiritibus decepto)defertur:ſat tamen eius iudicium nullo pacto peruertitur,quin iudicet ſenſus falſitatem,præſertim ratione integra manente,vt dictum eſt:& hac lege ſtatuere oportet imaginatricem lædi,nimirum potẽtia hac decepta potiuſquã corrupta. Quo fit,vt ſi vapores aliqui extranei & excrementitij per hos ſpiritus ferantur,ſpiritibus ipſis ſine agitatione remanentibus,vt in ſpurijs ſuffuſionibus contingit, tunc profectò praua quædam obiecta(non vera, vt parietes & ligna aut terra) vt culices & feſtucæ, per aerẽ aut externa obiecta moueri cernimus. Ratio eſt, quia ſpiritus (qui ſpecies rerum ſuſceptant) quieti manent, & ſic res externæ quietæ quoque vt re vera ſunt, apparent: at repreſentantur extra imagunculà illa è mouentia vt vapores ſitus motum habent. Præterea viſus obtenebrationem, omnibus eſt in confeſſo, nulli alteri potentiæ pertinere quam viſiuæ: quo fit, vt dum ambo hæc ſympthomata iunguntur, complicatus ſit affectus, non ſimplex, conſtans quidem ex læſione vtriuſque potentiæ, imaginatiuæ nimirum & viſiuæ. Item dum laborantes in hoc affectu procidunt, certum eſt, motiuam quoque potentiam pati, ac perconſequens affectum eſſe adhuc magis compoſitum, ex viſiua, imaginatiua, & motiua potentia læſis. Quibus rationibus credendum eſt, hos affectus longe inter ſe dif-

differre, ſiquidẽ potentiæ ad quas pertinent, inter ſe diſtinctæ ſunt,& ſeorſim vnũquenque fieri poſſe,licet ex omnibus aut pleriſque ſympthoma vnum frequentius contexatur.

Conſtat etiam,diſſidere ratione morbi à quo oriuntur, quod facile probari poteſt, ſiquidem vniuerſa morbi ratio, dum oculi obtenebratione obſcurantur, pertinet ad obſtructionem factam à vapore craſſo in neruis opticis & oculis immorante: at in vertigine prauum obſeruant ſitum,& deprauatè inſuper mouentur ſpiritus, præterquam, quòd intemperamentum etiam anterioris cerebri ventriculi, necnon & obſtructionem, quæ nata ſit ſpiritus prauè ad motum diſponere, præeſſe comperimus: poſterior tamen cerebri pars per conſenſum afficitur:& ſic euidenti ratione conſtat, morbo etiam inter ſe diſſidere,& aliquando alterum morbum & alterius partis,reliquorum eſſe cauſam.

Dubitabit etiam aliquis iuxta huius ſympthomatis naturam,quanam ratione, ſi ob ſpirituũ motũ deprauatũ ſenſus viſus oblæditur & phãtaſia,cũ ſpiritibus quoque alij ſenſus indigeant,cur etiam cæteri ſenſus in hoc affectu non oblædantur vt viſus: ſiquidem neceſſum erat, læſionem quoque ad omnia ſenſoria peruenire, vt ſpiritus. Cui dubitationi dicimus, id duabus rationibus euenire: prima, quia cum potiſsima occaſio huius ſympthomatis ſita ſit in ſpirituum læſione, & nullus reliquorum ſenſuum indigeat ſpiritu ipſo rectà ſeſe mouente ad ſenſoria, vt viſus, (nam in reliquis vt cunque moueantur ſpiritus, fiet ſenſatio) ob id læſa imaginatione ob ſpiritus improbè ſe mouentes, nullum ſenſorium præter viſum oblædi erat neceſſum. Secunda, quia motus ille fictitius qui in rebus externis apparere videtur, nullum alium ſenſum poterat commodius decipere,quam viſum,cuius foret obiectũ, ſi re vera extitiſſet: & ob id ſolum hoc ſenſoriũ lædi erat neceſſum.Ac licet ab obiectis fictitijs aliorum ſenſuum decipiatur etiam imaginatiua potentia, eorum affectio vertigo cenſenda non eſt, niſi dum oculi oblæduntur.Quippe,qui hanc dubitationem mouent, decipiuntur quidem arbitrantes,vel imaginatiuam potentiam eſſe ſenſum communem, quo læſo,omnes ſimul ſenſus oblædi oportet,vel ſaltim eam dum læſa eſt,vitiare poſſe omnes ſimul.Hi enim ignorant,imaginatiuam lædi ex quouis ſenſorio læſo,reliquis manẽtibus ſuperſtitibus:& ſi ipſa primò lædatur,vni aut alteri poſſe ſuum vitium præſtare,iuxta idolum conceptum,non omnibus,licet plures etiam lædere poſsit,non tamen omnes vt ſenſus communis, qui reliquorum eſt origo.

Dubium.

Dubitatione inſuper dignum eſt,cum actio ſenſus non fiat niſi ſpecies proprij obiecti ad potẽtiam deueniant,quî fieri poſsit, quòd aliquis erret aſſerens propriũ caput circũuolui, ſi ipſum intueri eſt impoſsibile,ſicut ab eo ſpecies recipere. Cui dicimus in hoc affectu non apparere caput moueri,ſed vniuerſum corpus,ad cuius motum imaginamur caput quoque circumuolui: præterquam quòd ſpiritus intro moti cogunt potentiam falſo imaginari,quæ ſenſus non percipit, quinimo ſenſus ipſe quoque decipitur.

Dubium.

Quis mor bus in his affectibus reperiatur.

De morbo autem à quo hi affectus proficiſcantur,non ſatis cõſtat inter authores: nam Hipp.3.apho.ex frigida cauſa plerunque prodire ſcribit,reducens ad ſimilem ætatem & hybernum tempus huiuſmodi mala. Gale.tamen ad calidũ reducit morbũ,vt 3.de locis affect.apertè colligitur. Paulus vero cũ Hipp.ad frigidum.Raſius ad vtrunq;.Verũ ſi quis rẽ ex proprijs principijs venari ſtuduerit,reperiet,vniuerſam mali naturam ad frigidum aliquando,& aliàs ad calidũ intemperamentũ reducendam fore:ſed non quouis modo ad quodcũque, ſed ad id tantũ intempe-

ramentum,quod ita connaturale factum & habituale sit,vt contracto semel morboso apparatu,adeò lãguidum reddat caput,vt ipsum facile à quauis causa pati efficiat: quò fit, vt concurrente aliqua quæ spiritus commoueat ipsosque prauè disponat,protinus prædicta sympthomata succrescant. Præterea nõ sat est nosse,qualem affectum caput obtineat, vt in hoc sympthomate dilabatur homo,ni exacte quis pẽsitet & noscat immediatum sympthomatis affectum. In qua re arbitramur immediatũ affectũ esse obstructionẽ, cuius ratione in vijs spirituum,cauitatibusq; magnis,sinibus & arterijs, flatus,vapores caliginosi,frigidique humores fabrefiũt, vt Hipp.refert:vel calidi vt Galen.Qui sanè non efficiunt damnũ in cerebro,vt in soporiferis affectionibus & reliquis eius naturæ,eo quòd quieti sint & permanẽtes, sed quia mouẽtur: ad quorũ subinde motũ,spiritus moueri cõtingit, prædictaque sympthomata efficere. Quippe agitatio illa causa est formalis & essentialis vertiginis,cum nihil aliud sit, quã prædictus inordinatusq; spirituũ motus, in anterioribus cerebri ventriculis. Quo fit vt ab eadẽ causa nunc mota,nũc quieta,varia succrescant sympthomata: sic profecto sympthomatis huius immediatior causa est spirituum circumuolutio,cui proxima est obstructio,quæ etiã prodit à prædictis spiritibus prauè motis:morbosum verò capitis intemperamentũ,siue calidũ sit siue frigidum,dum imbecillitatem parit,hæc omnia antecedit, ita vt nulli prædictarum causarũ resistere possit cerebrum præ imbecillitate.Sic etenim duplex cõsideratur affectus in ipso capite,vnus per essentiã,alter verò per consensum,causa mouens & exagitans spiritus,vel in ipso capite genita,vel à vẽtre,vtero,iecore, vel aliunde demandata:quæ sane prædictã obstructionẽ à peruersione spirituum factam,nata est mouere,siue flatus sit,siue caliginosus & nebulosus spiritus,siue humor aliquis, cui capitis imbecillitas resistere nequeat.

Causæ. Causas habet vertiginosum sympthoma duplices: quædam enim intemperamentũ seu affectum quem in capite præesse diximus,pariunt:quædam vero sympthomata ipsa mouent,quarum per consensum prædictum sympthoma plures mouent.Cæterùm vt prædictæ causæ aliquid agere possint,necessum est,caput imbecillum esse aliqua ex prædictis intemperantijs.Intemperant enim caput ad frigiditatem frequens crapula, frigidorum ciborum esus, potus frigidi immoderantia, iter per frigida & niuosa loca, præsertim si diu fiat, aut hyberni noctium frigus sub diu perceptum vel intempestiuo mox ab ignis discessu,vltimò frequẽs medicamentorum caput purgantium vsus,maximè eorum quæ bilem purgant: vel si copiosius sanguinem misseris, aut immoderatè venere vtatur laborãs:præterea frequens ciborum in ventre cruditas.Caput tamen ad calorem intemperãt contrariæ omnino causæ, quæ quidem non solũm id malum possint inferre,verùm & caput ipsum imbecille reddere, ita vt facilè vel matetiam aliũde susceptet vel ipsummet generet,quod grauius est & frequentioris accessionis causa existit. Quam sane imbecillitatem & eius efficientem causam vel intemperamentum, aufferre prius oportet, si quis velit radicitus huic malo mederi:frustra enim causas mouentes præcauebis,si morbosus apparatus in capite adhuc præsit. Verùm quæ hunc affectum(hoc est vertiginosum sympthoma)mouent causæ,variæ sunt: nam quædam obstructionem & spirituum deprauatum motum efficiunt:quædam remotiores cum sint,prædictas causas mouent, vt in affectum prorrumpant:quales sunt humores validè& subitò agitati,vapores crassi & caliginosi, inordinatè se mouentes:etiam omnis calida feruidaque intemperies, siue arteriarum sit,siue cerebri,inflammati etiam spiritus ab æstu& incalescente sanguine.Quo fit, vt

vt à quauis interna siue externa causa adeò exacerbẽtur, vt protinus cerebri actionem interturbent & corrumpant.Quod profecto potissimè fit à causa calida humores extenuante & in feruorem agente:aut à frigida,quæ neq; externa sit,neque nimis intẽsa,si interna fuerit:quippe illa ventres & humores coerceet & firmat potius quã cõmoueat: hæc verò, sicut illa,summam impotentiã parit,quæ flatus mouere nequit:media autẽ inter has intẽperies vapores inultos,& caliginosos gignit, qui diuturnã & incessabilẽ vertiginẽ efficiũt.Causa etiam est meatuũ densitas,qua vapores intercluſi obstruũt,vt veluti in fornace per vẽtriculos cerebri vagantes spiritus dimoueant,velut in crysibus imperfectis cõtingere scimus.Ieẽ causa est vaporũ ad caput transmissio è ventriculo per inediam aut cruditatem, vel ciborum corruptionem,aut eorum,vel humorum aggregationem, vel feruorem,in iecore aut in toto corporis ambitu,vel in quauis eius parte.

Cæterũ causæ externæ quæ has omnes mouent & in accessionẽ deferunt laborantes, sunt animi subitus & violentus motus,solis æstus,ignis approximatio,aspectus etiam rerum circulariter se mouentiũ,exercitiũ intempestiuũ, & incõsuetus ac subitus lucis aspectus, vt conualescentibus & imbecillibus accidere solet.Dolor etiã atrox,vigilia,ictus,aut percussio capitis,tonitrua,vel sonitus excedẽs,crapula,& deniq, omnia,quæ vel spiritus vel humores in capite cõtentos subito in feruorem moueat,vel flatus aliũde in ipsũ trãsuehant.Verũ vt quis harum causarũ armoniã & modũ in hoc sympthomate excitando exactè expendat,sciat natiuam imbecillitatem & morbosum capitis intemperamentũ causis, tam internis, quã externis facilè cedere & consentire,dũ ipsi accedũt:adeò vt non possit spiritus cõtinere,aut recta distribuere,vt par erat, & secundũ naturam assuescit. At humores & caliginosi halitus (siue in capite geniti sint,& morbũ efficiant per essentiam,siue aliũde transmissi,morbum per consensum concitent)moti aliqua causa interna,aut externa ex prædictis, mouent spiritus,tam motiuos quàm sentientes(si diuersi sunt) sed hos maximè,eosque tenebris offuscant & caligine obducunt,ac circulariter moueri cogunt vt ipsi moueantur. Quo fit,vt ex motu deprauato spirituum interius facto,quæ extra cernuntur,ita vertiginosè moueri videantur: & ex caligine quam vapor in ipsos imprimit,tenebrosus supersit visus.Ex quo etiam motu prodit,si vltra pergat,spiritus motui seruientes perperam moueri,& laborantes amittere motus firmitudinem, & graduum concentum,ita vt pluriimi eorum procidant & statim dilabantur.

Disputatione dignum iudicaui circa prædictas causas,qui fiat,quòd externa causa in gyrum sese moueris,hoc sympthoma conciret,cum necessum sit,omne sympthoma immediatè à morbo proficisci? Cuius dubij occasione duo expendẽda sese offerunt:primũ sane est,quod ex sympthomatis,quædã potius causam quàm morbum insequuntur, vt in ictero,cuius color vitiosus humore potius biliosum quàm obstructionem sequitur. Secundũ est,quod causæ illæ externæ affectum primo in cerebro efficiunt,nimirũ obstructionem ex inordinato spirituum motu,quã potissimam huius mali causam arbitramur. *Dubium.* *Enodatio.*

Præterea adhuc scisitabitur aliquis,qui fieri possit, quòd motis intro spiritibus ad motum corporis, in his qui circulariter se mouent,corpore quiescente, adhuc vertigine homo corripiatur? *Dubium.*

Item quæritur,cur spiritibus intro motis,ad motum inordinatum corporis res externæ se mouentes appareant? *Dubium.*

Etiãquerit,quare resexternęcirculariter motę,extra caput vertiginẽ moueãt:Primę autem *Dubium.*

Enodatio. autem ex his dubitationibus dicimus, quòd cum humorum & ſpirituum natura inſtabilis & fluxa ſit, concepto ſemel motu, quieſcere protinus nequeũt, & ſic motus durat ſua ſpõte adhuc quieſcẽte corpore. Quod probatur exẽplo in his exterioribus habito, nam mota phyala aqua plena, poſteà verò quieſcente, etiam aquam
Enodatio. diu moueri cõperimus. Et vt ſecundo dubio reſpondeamus, conſtat, motis ſpiritibus corpus veluti in gyrum & res externas apparenter moueri, quia talẽ pariũt ſenſationem moti ſpiritus, ac res externa mota, quòd non recta (vt par eſt, vt obiectũ in loco videatur) prodeant. Quippe certum eſt, quòd dũ aliqua proportio (qualis inter res viſas & potentiam requiritur) dependet à duobus, quouis deficiente aut euerſo, proportio deliteſcit & viciatur. Sed requiritur ad viſionem, certa obiectorum adiacentia, ex loco diſtantia, & reliqua: hæc tamen ex obiecto ſit & potentia, ergo quouis deficiente aut euerſo, neceſſum eſt, res ipſas apparere permutatas. Nam moto ſenſu vel ſenſato, neceſſum eſt mutari proportionem & operationes
Enodatio. vnius ad alterum. Sic enim vt tertio dubio ſubſit ſolutio, dicimus, quòd eo fit, quia cum oculus vndique ad motum rei externæ circulariter ſe mouẽtis moueatur, fit vt etiã oculorũ ſpiritus eo motu agitẽtur & vertiginoſè cernãt: quod cõtingit in re externa, ſed moto medio, ſiue aer ſit, ſiue aqua, vt in nũmo in eam proiecto conſpicitur, qui ſanè mutari ad varia loca videtur, ob variã vndarũ aquæ mutationẽ. Sic etenim multi credũt, eos fieri vertiginoſos, qui vehemẽter circulariter ſe mouent, quia dimouent variè aërẽ mediũ, per quẽ ſpecies viſibiles à re demandatæ, variè quoque ad oculum perueniunt, & ob id vertiginem efficiunt.

Signa. Signa autẽ quibus affectus hic monſtratur, facillima ſunt: quippe laborantes omnia vident circumuolui, ſi ſola vertigine corripiantur. Verũ ſi affectio oculos etiam oblædat, accedet inſuper tenebroſitas: ſicut dũ motiui ſpiritus etiã oblædũtur, titubatio, inconſtantia, & graduum claudicatio, ſubituſque caſus accedunt.

Eſſe autem hanc affectionem per primogeneã paſſionẽ in cerebro dignoſces, vt Gal. ſcribit. 3. de locis affec. ex aurium tinnitu, capitis dolore & grauitate, ſenſus alicuius, vel pluriũ oblæſione, & etiã quia cũ flatus in capite gignuntur, adeſt arteriarum pulſus manifeſtior, & in odoratu ſenſibilis læſio. Itẽ quia affectus primarius raro aut nunquam à ſympthomate abſoluitur, vel ſaltem remanet in cerebro prõptitudo quædam ad paſſionem ſuſceptandam adeò apta, vt facilè à quauis cauſa in vertiginem laborans procidat.

Verũ quia non ſat eſt nouiſſe caput primario affectu laborare, ni exactè cõſtet, quo humore abundet, aut quæ diſtemperies in eo vigeat, ob id hæc ſpecialiùs diſtinxiſſe oportebit. Sãguinẽ igitur abundare docẽt faciei rubor, & dulcis oris ſapor, venarũ tẽſio, & extuberãtia, capitis grauitas, ſomni longiores, frequẽs pulſatio circa tẽpora, ſplẽdores circa oculos, pãdiculationes, & vrina craſſa, ac rubra, & aliquando tenuis & clara atq; perſpicua, quæ ſanguinẽ illũ in caput cõfugiſſe mõſtrat. Itẽ inſomnia, quæ ſanguinẽ atteſtãtur, expectra rubentia, dũmodo nulla perturbationis cryticæ excuſatio poſsit adferri. Bilẽ autem flauã mõſtrant moleſtus capitis ſenſus, vigilia citra capitis grauitatem, color flauus, obiecta viſa citrini coloris, præcedens plerunque nauſea, oris amaritudo, vrina tenuis & ſubflaua, pulſus celeritas & duricies: quæ omnia viſũtur vbi hepar feruidũ eſt, & in vẽtrẽ bilẽ reiecerit. At pituitã mõſtrãt albus faciei color & tumor, capitis grauitas, ſẽſuũ ſtupor, ſomnus lõgior, in ore quandoq; inſipiditas, quandoq; vero ſalſugo, ſputitio multa, vrina alba & cruda, ac vertigo diuturna cũ pulſu tardo & raro. Melãcholiã verò atteſtãtur faciei color obſcurus, timor, prauæ cogitationes, eructationes accidæ, & vrina tenuis ac pellucida.

Quòd

Quòd ſi per conſenſum fiat, id facilè diſces ex ſignis & peculiaribus ſympthomatis, eius partis à qua cõſenſus demãdatur. Vt ſi à toto corpore, quia cũ à ſomno laborantes excitantur, vehementius corripiuntur: ſi tenuis ſit vrina & pauca, aluus dura, color totius cutis humori redundanti ſimilis, corpus torpet, & citra manifeſtam cauſam laſsitudine premitur. Verùm ſi ventriculi vitio id fiat, deiecta appetentia, nauſea, dolor & morſus ipſius, prauorum ciborum appetitus, aut canina appetentia, vel cibi faſtidium, cruditates & flatus aderunt, & à cibo leuamen, ac poſt modum in cibi diſtributione, (maximè ſi laborans intempeſtiuè moueatur, aut ira concitetur vehementi) iterum vertigo reddit. Si verò ex vtero prodeat, præcedit vteri præfocatio, dolor, inflatio, rugitus, menſium ſuppreſsio, diminutio, vel ordinis perturbatio, aut vitium. Quòd ſi affectio ex iecore vel ſplene prodeat, peculiaria cuiuſque membri ſympthomata id facilè monſtrabunt. Sic profectò ſi affectio ſit per eſſentiam in capite, ceterum acceſsio ſuccreſcat ex occaſione ab alio membro petita, difficilè quidem cognitu eſt, tamen id diſces, quia ſic affecti frequenter concidunt in vertiginẽ, & à varijs cauſis, tamen interualla habent omnino ſanitatis ſtatui ſimillima: quia capitis morboſa imbecillitas, nequit externis cauſis reſiſtere, tamen ſua ſponte nihil gignit, quod acceſsionem natum ſit mouere, ſed patitur quauis externa occaſione.

Quippè adeò graue malum eſt vertigo, vt vel epilepſiam, vel appoplexiam plerunq; minetur, maximè ſi alicuius membri ſtupor præcedat, at ſi diu duret, capitis potẽtias perdit. Verùm ſi loco eius dolor capiti ſuccreſcat, ſignum eſt ipſam affectionem in eum dolorem commigraſſe, quòd leuius malum eſt: nonnunquã verò ſurditatis eſt præludium, aut ipſam accerſit. *Præſagium*

Curandi autem ratio in huiuſmodi affectu duplex eſt: altera quæ ipſi debetur dum per conſenſum ſit: altera verò, dum per primogeneam affectionem in capite oritur. Nam qui hoc malo premitur, vel ex vehementia cauſæ læditur, vel eã diſpoſitionẽ nactus eſt, quòd leui de cauſa in acceſsionẽ procidat: habet enim præſentem internam cauſam, ſeu morboſum apparatum, adeò vt nihil ſuperſit, quàm quod ab extrinſeco, aut ab intrinſeco moueatur. Vtcunque tamen ſit, duplex erit rurſus medendi ratio: vna quæ acceſsioni debetur, quæ cõmunis eſt vtrique morborum ſorti, ei nimirũ qui per eſſentiam dũ in acceſsione eſt, & ei acceſsioni quæ fit per conſenſum: altera verò quæ morbo ante quàm in acceſsionem degeneret, ex vſu eſt. Cum autem is affectus per conſenſum oritur, noſſe prius oportet, à qua parte conſenſus demandetur, & tunc ſi neceſsitas non vrget, ab eo affectu curationis principium auſpicari oportet; ſin aliter, acceſsioni prouidendum eſt. Quòd ſi affectum curare velis, id quidem facies iuxta naturam partis affectæ, & affectionis, quam patitur: nam aliam præſcribit ſibi curationem affectum iecur, aliam ventriculus, aliam vniuerſum corpus; & ſic de reliquis eius particulis ſubaudies. Sed inter has, quæ peculiarem in artifice requirit diligentiam, ventriculus proculdubio eſt, vtpotè à quo plerunq; vertiginoſus affectus principium ſortitur. Mox verò expendendum eſt, quòd ſiue vertiginoſus affectus per conſenſum fiat, ſiue primariò, quatenus ad acceſsionis curationem attinet, præmiſſa totius corporis aut partis tranſmittentis prouidentia, vna communisq; eſt ſedandi vertiginẽ ratio: quã in triplici eſſe differentia ſcimus: nam vna halitus caput irruentes longiſsimè diſtrahit: ſecunda impedit ne caput aſcendant: tertia verò, ſi quid in ipſo receptum eſt, vel ibidem genitum, vt in ea vertigine quæ fit per eſſentiam, diſcutit per inſenſibilem halitum. Circa primam, dum laborans vertigine premitur, quo faciliùs *Curandi ratio.*

halitus distrahantur, frictionibus vtendum est, cucurbitulis, & vinculis, iuxta brachia, & femora, nec non & pedum ablutionibus. At si affectus ex vteri consensu fiat, prius hæc omnia cruribus, & femoribus affigenda sunt, postea verò brachijs. Verũ si cõsensus ex vẽtriculo prodeat, quod sæpius accidit, impedies halituũ ascensum triplici modo: primo, adhibito clystere, mox ab accessionis principio, quod recipiat, hieræ picræ. ʒ. vj. aut catholici. ℥j. Quòd si euacuatis cruditatibus per infernam aluum, affectio non quieuerit, & accessio duodecim horarum spatium transgrediatur, leui medicamento inferna aluus turbanda est, (cauere enim sic affectos à vomitu oportet, si caput per essentiam patiatur: nã Rasius, & Mesues, solùm vomitu iuuari eos referunt, qui ob ventriculi vitium patiuntur) manna, casia, aut serapio ex nouem infusionibus. Sed in ventriculi cruditatibus peculiare existit præsidium hieræ simplicis Galeni vsus, vel pilularum forma, vel cum modico casiæ admixta. Cæterum si nec his affectio quieuerit, præcauẽdum est, ne halitus caput irruant, exhibito medicamento, cuius potentia sit, aut ascendentem halitum compescere, aut in ventriculo immorantem discutere. Primi vsus sunt syrupus rosarum, granatorum, de rosis siccis, de acetositate citræ, myrthilorum, cum aqua plantaginis & capitum rosarum. Quòd si nidorosa cruditas, ac bilioſi, & mordaces humores huius affectus causæ fuerint, peculiari quadam efficacia halitus extinguit frigidæ potus, præterquam quòd vias coarctat: pari lege ea adhibenda sunt medicamenta aut alimenta, quæ lenientia sint, & mulcebrẽ habeant substantiam, quale est amylum, farina hordei, lactuca, portulaca, & ferrata aqua. Prodest mirum in modum vsus decocti. q. r. radicis cichorij. ℥j. absynthij, agrimoniæ, betonicæ, anà. m. j ß. aquæ lib. ij. bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & facta collatura, accipe. ℥ iij ß. ad desyrupi cichorij cõpositi. ℥ j. ß. oxymellitis simplicis. ʒ. ij. aut squillitici. ʒ j. syrupi fumariæ. ℥. j. porrige tertio quoq; die. Pari ratione prosunt in hac causa, & pituita etiam nimis infarcta, pilulæ quas scripsimus. cap. de dolore capitis, per consensum à ventriculo, ex descriptione nostra.

Verùm si ex crudis humoribus, aut accidis affectio suboriatur, à leui purgatione ex therebyntina cum casia, vel manna, cum succo rosarum, aut nuper dictis pilulis: sed maximè cum hiera, & diaphincæ: quod magis probo, quàm cum agarico, si venter nauseabundus sit; sin minùs cum eo, ventrem inungere oportet calidis & roborantibus medicamentis, & sumendum præbere electariũ diarrhodon, vel aromaticum rosaceum. Cæterum ad discutiendos flatus in ventriculo, sæpius porrigenda est feruentissima aqua, quæ præterquam quòd humorum malitiam retundit, coctioni etiam plurimum prodest, & ventriculum insuper abluit, ac ad vacuationem non parum iuuat, & actuali calore quẽm secum fert, flatus, antequã caput irruant, mirum in modum discutit. Quòd si hæc satis non sit, vti oportet anisso, dauco, cinnamomo, aut eorum decocto cum camemalo, caryophyllis, cimino, & alijs calidioribus. Quem quoque vsum præstant, syrupus de mentha, de corticibus citri, mel rosaceum, diaciminum etiam ac dianisum, diagalanga, cum pulueribus corticum citræ, & alijs quæ consimilem vim sortiãtur: item theriacæ, aut mithrydati modicum. Præstat insuper conditum. q. r. conseruæ florum cordialium, myrobalanorum, chebulorum, & emblicorum, zingiberis conditi, anà partes æquales: & omnibus contusis, cum syrupo de corticibus citræ fiat conditum. Quibus factis, si adhuc malum redierit, ad vlteriorem purgationem licet peruenire, ex hiera Galeni, aut pilulis, mastichinis. His sanè omnibus ex vsu etiam erit, potum instituere ex radicis chinæ decocto, aut ex indica sasafrasa, vel ad sulphurea balnea, aut ad sudationes confugere.

Quòd si ex sanguinis vbertate in capite, vel in toto corpore ob arteriarum & venarum feruorem accessio suboriatur, diuúque durauerit, & frigidioribus non quieuerit auxilijs, tunc profecto verendum non est sanguinem mittere (licet Paulus & alij id vetuerint, forsan in frigida causa id intelligentes, aut in capitis imbecillitate) parcè tamen & quantum sat sit, vt quod plurimũ est imminuatur, vel feruidum quodammodo refrigescat. Quippe grauius est epylepsiam, aut apoplexiam ex perstante accessione succrescere, quam in eadẽ, dictis conditionibus, eò quòd authores id non commendauerint, aut metuerint, irrationali timore, præsidium, (si prudenter fiat) proficuum differre. In quo etiam ancipiti & graui casu, Mesues aures aperire, aut post ipsas scarificare iubet, vel hirudines naribus affigere, aut humeris cucurbitas & collo, aut vltimo hæmorrhoydes fluentes efficere. Verùm si ne hæc quidem omnia prodesse videantur, tunc profectò curandi methodus docet, pellere à capite, quod in ipso receptum est, & adhuc moratur. Primò itaq; post prædictam vacuationem, oleo & aceto rosaceo admiscerem olei camemali parũ, & quo corpus purius ab excrementis fuerit, & affectio quodammodo inclinauerit, eò magis remitterem rosacei admixtionẽ, adderemq; ex calidioribus aliquid. Cæterum frigidiore existente sanguine, vel copiosiori pituita, quæ vehementer calefaciunt, & digerunt, sunt adhibenda, tùm perinunctiones ex oleo anethino, rutaceo, & de castoreo: tùm per capitis ablutionẽ ex decocto camemali, anethi, rutæ, florum sthœcados & similium. Ex quibus etiam capiti tegumentum, aut cucufam (vt aiunt) parare poteris, quæ capiti affixa eandem gratiam præstet. Neque minoris est momenti, quòd aliquis astantium masticato fœniculi semine, vehementer inspiret in oculos laborantis: discutit enim flatus spiritum variè mouẽtes. Quibus si adhuc affectio non quieuerit, vehementioribus aluus inferior turbanda est, quæ sanè iuxta idæam & naturam humoris peccantis eligenda sunt: tùm per ænemata acriora: tùm verò per pilulas mastichinas, alephanginas, & de agarico. Sed præstat sæpius ventrem purgare pilulis ex hiera simplici Galeni, cum agarico confectis, aut ex terebynthina, & rhabarbaro: & tandem omni arte laborantẽ ab accessione reuocabis, & diligenter studebis, quo vel nunquam, vel tardiùs redeat.

De vertigine per essentiam.

At si vel accessio, his adhuc diligenter & prudenter factis, diu durauerit, vel frequenter reuertatur, credendum est, morbosum apparatum, & essentialem capitis affectum, omne medici consilium, & omnem diligentiam ad se vertere, & euocare. In qua sanè re omni arte curandum est, noste illius morbosi apparatus causam, nec non & essentialem affectum: sed illam arbitramur reducendam fore ad capitis imbecillitatem, ortam quidem ex nudo intemperamento, aut ex eo & affluxu similis materiæ ibidem genitæ, vel aliundè transmissæ. Verùm quia rarò in temperamentum à materia absoluitur, ob id distinguere oportet, quæ ab excessu & intemperie, ad calidum, aut ad frigidum prodeunt: nam hæc vel facultatem vitiant coctoriam, ita vt ex alimento sibi commisso excrementum progignat, cuius excessu caput ociśimè in vertiginem procidit: vel etiam expellentem cerebri potentiã lædit, ita vt excrementa quæ à coctione supersunt, pellere à capite nequeat: quibus redundantibus, facilè prædicta affectio suboritur. Cum hoc tamen frequentius nobis contingit videre caput affici, eò quod plus quàm par sit, susceptet quia versus caliditatem & humiditatem intemperatum existit. Nam cum hac intemperiè afficitur, facilè ob contractam impotentiam, & ob situs etiã cõmoditatẽ cucur-

cucurbitæ modo, quidquid vaporoſum, & excrementitium eſt, cum vias & foramina habeat præcaliditate patentiora, ſuſceptat. Accedit autem his occaſionibus alia ex eadem imbecillitate orta, nimirum flatuoſa ſubſtantia in eodem capite genita, ac ex diminuto, & vitiato calore eleuata, & non diſcuſſa, quæ cum abundet, mirum non eſt, ſi ſpiritus animales, ſicut & reliqua excrementa commoueat in gyrum ratione commoditatis loci. Quæ omnia ſi quis diligenter examinet, facilè reperiet, quantum difficultatis obtineat præſentis affectus curatio: quippè licet caput imbecille ſit in omnibus his cauſis, non ob id vnam expoſtulat medendi rationem.

Curandi ratio. Dum enim concoctrix facultas languida exiſtit, triplex inſurgit medendi ratio: prima quæ docet vniuerſum corpus ab excrementis & humoribus redundantibus immune reddere, quo purgantibus liberalior ſubſit locus, vt caput à crudis excrementis faciliùs expurgetur: impoſsibile enim eſt robur capiti addere, neque intemperamentum corrigere, ni prius vagantia excrementa eduxeris: ſed exequendum eſt huiuſmodi opus lentè, paulatim, & leniter. Secunda docet intemperiem corrigere, contrariorum prudenti vſu: & poſtremam partem roborare ijs auxilijs, quæ cap. de dolore capitis, abũdè diximus: vtrumq; tamẽ cautè eſt agendum; nam imbecillũ caput neque minimum citra damnum ſcit pati errorem. Contrario prorſus methodo vtendum eſt, dum facultas expellens improbè, aut diminutè proprio munere vtitur: tunc enim purgandum eſt frequentiùs, & roborandum minus ac tardius: nam quæ roborant, quodammodo comprimunt in ipſo capite excrementa, ob idque caput laxare, & lauare tepida, ac emollire decoctis herbarum remollientium, ex vſu ſemper fuit. Denique tertio vel quarto quoque die, aut per rarius interuallum, pilulam vnam, aut duas porriges, quæ recipiũt therebynthinæ abietis. ℥. ʃʃ. aloës. 3. iij. agarici. 3. j. ʃʃ, vel alias quæ conficiuntur ex hiera, maſtiche, & agarico. Sed interim dum hæc fiunt, & reliqua quæ mox ſcripturus ſum, viuendi ratio, & victus inſtitui debent, iuxta virium & affectus indigentiam, ex paucis, ſimpliciſsimis & facillimæ ſubſtantiæ edulijs, ac omninò flatu exſortibus: cuius naturæ ſunt teneræ & iuuenculæ aues, cum potu ex radicis chinæ decocto, vel ſpartæ parellæ, aut aromate aliquo: cum veneris abſtinentia, ſomno citra diurnum, quiete poſt cibum, habitatione ſereno aëri expoſita, & ab inſolatu, & frigore præmunita; & vltimò vita ab animi perturbationibus immuni. Qua ſanè viuendi ratione inſtituta, corpus alio modo purgabis, factis nimirum bolis ex catholico, & diaphenic. cũ puluerib⁹ hieræ ſimplicis, & ſaccharo. Cui ſanè pharmaco, & alijs quæ ſeligẽtius purgãt, exhibẽdis, corpus & humorẽ præparabis melle roſaceo, oxymellite, & ſyrupo ſthœcados, cũ decocto quod recipit, ſeminũ peoniæ ſcorticatorũ, coriandrorũ præparatorũ anà. ℥ ʃʃ. ſaluiæ, betonicæ, cichorij integri, epithymi, ana. m. j. liquiritiæ raſæ. 3. iij. florum roris marini. p. j. coquantur ſecũdum artẽ, & prædictis ſyrupis adde huius decocti, ℥ iij. A quo iterum pilulas porrigere oportebit, quæ recipiunt, pilularum cochiarũ, 3. j. fœtidarum. ℈j. trochiſcorum alandahal. g. iij. fiant cum oxymellite pilulæ ſeptem. In quo caſu non erit abs re, dum caput excrementis ſcatet ſimul cũ ſanguine, & ob id graue pondus perſentit, ipſum ex cephalica mittere: vel quod magis probo, ex hæmorrhoydibus. Poſtea verò munus expellentis facultatis languidæ adimplere opus erit, vel ipſam excitando gargariſmatis, apophlegmatiſmis, errithnis, & dentifritijs, ac omnium caput purgiorum genere. Expurgari inſuper caput poteſt inſenſibili euacuatione, & conſpicua: hoc quidem per auxilia

lia nuper dicta exequendum venit: illud verò per fomenta, lotiones, balnea, ſudores, frictiones, pulueres & alia id genus.

Ad primam igitur deueniendo, poſtquam abſoluta fuerit corporis purgatio, vt dictum eſt, non videtur abs re cucurbitam cum ſcarificatione brachijs, aut ſcapulis affigere, aliquando verò vertici, maximè ſi flatus cauſam præſtiterit: quo facto, manè priusquàm è cubiculo egrediatur laborans, expurgare caput oportet, narium emunctione, expuitione frequenti ex palato extracta: poſtea tamen pectinis attritu, & linteo, vel ſpongia ſicca caput ita fricetur, vt leuiter incaleſcat: tunc gargarizandum eſt decocto ſaluiæ, radicis caparrorum, nucis muſcatæ, roſarum, addito oxymellite, aliquando ſimplici, alias ſquillitico: per nares etiam ſaltem alternis diebus pituitam attrahere oportebit, eo quod recipit, decocti radicis ireos, maioranæ & ſaluiæ ℥ v j. mellis roſati, ℥ j. aquæ vitæ. ℥ ʃ. trahatur tepidum naribus. A quo altera, aut tertia die maſticatorium porriges, quod recipit radicis pyretri. 3. ʃ. nucis muſcatæ. 3. ij. radicis caparrorum. 3. j. maſtichis. ℥ j. cum cera fiant trochiſci maſticandi. Neque plurimum errithnis innitendũ, ſæpius enim vehementiùs quam par eſt, cerebrum & ſpiritus mouent: quibus factis, ad ea quæ inſenſibiliter caput purgant, veniendum eſt: cuius naturæ eſt lotio ex lixiuio ſarmentorum cum thure, ligno aloës, & ſaluia: vel cum decocto quod recipit, ſerpili, florum camemali, maioranæ, roſarum, & roſmarini, anà. m. ʃ. agarici ligati, 3. iij. baccarum lauri, radicis iridis, & aſari anà. ℥ ʃ. fiat ſecundum artem, & cum ſpongia vtere. Poſſunt etiam fieri pilei ex prædictis, cum puluerib⁹, thuris, ſthœcados, maioranæ, coriandrorum, nucis muſcatæ, granorum iuniperi, caryophyllorum, ligni aloës, & roſarum, ac ſimilium. In aurem quoque infundere prodeſt, guttulas aliquot olei laurini, amygdalarum amararum, coſtini, iaſminorum, aut caryophyllorum. Præſtat & caput inungere oleo vbi ferbuerint ſquilla, ruta, ſerpilum, & ſatureia. Vltimò tamen reliquias conteres, eo quod recipit ſucci abſynthij, ſucci marrubij, ſuci ſthœcados, anà. ℥. iij. maſtichis, rhabarbari, camedreos, & camepyteos, ana. 3. iij. hyſſopi. 3. j. agarici ad pondus omnium, puluerizentur omnia ſubtiliſsimè, & excipiantur melle cocto: cuius porrige. 3. ij. vel. iij. eſt enim mirabilis efficaciæ in conterendis, & expurgandis craſsis humoribus. Cuius loco vti poteris theriaca, mithridato, & alijs ſimilibus, quorum capite de epilepſia copiam reperies: prodeſt aliquando caput iuxta ſinciput longè à futuris inurere.

Poſteà verò caput roborabis, cauſa exiſtente frigida, eo quod recipit, ſaluiæ, 3. ij. florum labendulæ, hyſſopi, menthæ, anà. 3. ʃ. caryophyllorum, nucis muſcatæ, cinnamomi, zingiberis, granorũ paradiſi, cedoariæ, & galangæ, anà. ℈j. calami aromatici, 3. ʃ. peoniæ. 3. j. fiat puluis, cuius manè, aut nocte, porrige. 3. j.

Calido igitur exiſtente capite, ſuſcipienteq; per arterioſum & venoſum genus, copioſũ, vel malignũ humorẽ, ſedata acceſsione, medendi ratio cõſulit, tribus præſidiorũ generibus vtendũ eſſe. Primò quidẽ cũ & materiã, & occaſionẽ mali præſtat calida intẽperies: cui vſui ſanguinẽ protinus mittere expediet, gratia quidem præſeruationis (& curationis etiã ſi corporis præfuerit plenitudo) ex talo primo, vt cõſuluerat Gal. li. de ſangui. mi. c. j. mox ex cõmuni vena, quæ totũ corp⁹ reſpiciat, ea ſanguinis copia extracta, quę fat ſit plenitudini, & ſanguinis feruori: poſteà verò ſequẽti aut altero die interpoſito, ex cephalica ſanguinẽ detrahes, quorũ neutrũ facies, anteq; vẽtrẽ ſolueris. Quòd ſi vlteriùs caput feruere, æſtuareq; adhuc conſtite

rit,

rit,non erit abs re cucurbitas brachijs, & ſcapulis, aut occipitio affigere, aut ſi nimis intumuerint,ſcarificare.Qua in re proficuum arbitror fore,ab hæmorrhoy dibus per hirudines ſanguinẽ fundere:quo facto,corpus & caput refrigerare tentabis,ea lege quàm adduximus,capite de dolore capitis ex cauſa calida.Verùm ſi coniectabile ſit, ex feruore bilioſum aliquid ſupereſſe,rhabarbari infuſo, aut ſenæ,cum ſyrupo ex infuſionibus violarum vtêris:nec non & caſia fiſtula,aut manna cum ſero lactis. A quibus progrediendum eſt ad ea auxilia, quæ vim habent caput roborandi:cuius naturæ eſt puluis qui recipit,coriandri præparati ʒ ß. raſuræ eboris. 3.ij. ligni aloës.ϑj.cum ſucco roſarum fiat maſſa,& cum modico ſaccharo pilularum forma,noctu dum laborans it dormitum,ſumat.3.j.Miro etiam modo caput roborat,puluis ex vermiculo faciente ſericum exſiccato, & in puluerẽ redacto,qui poſteà ſparſus per vniuerſum caput, mirabili quadam efficacia ipſum roborat, & firmat. Cuius etiam cenſus eſt alter qui recipit,camemali & florum ſthœcados,anà.m. ß.roſarum.p.ij.coralli.3.iij.puluꝛis coriandri præparati. 3. iiij. galliæ muſcatæ.3.j.ex quibus factũ pileum plurimum prodeſſe conſtat. Aliũ item huic vſui conficies,ſi calor minor ſit quàm flatus copia,quod recipit ligni aloës.3.j. macis.3.j.&.ß.origani,& ſpicæ,anà. ϑ j.roſarum rubearum,corallorum, ſanthalorum rubeorum anà.3.j.puluerizentur omnia,& ſupra caput inſpergantur: ferunt etiam ex Rufi ſententia, 3.j.&.ß. radicis vitis albæ potui datam ſummoperè prodeſſe.

Quod ſi neque ſanguinem mittere ex venis maioribus,aut ab ea quæ in carpo manus eſt,vel ex hæmorrhoydibus,aut cucurbitulis,quidquam proſit, maximè ſi ea iterum atq; iterum tentaueris,& purgationibus, tùm maioribus,tùm paulatinis vſus fueris,confugiendum ſine dubio eo tempore eſt ad ſudationẽ ex decocto guayaci,ſpartæ parellæ,vel radicis chinæ,maximè ſi morbi Gallici ſuſpicio aliqua fuerit.Ac ſi ne hæc quidem prodeſſe videantur, veniendum eſſe conſulit vrgentiæ ratio ad duo auxiliorum genera,quorum primum vias intercludit, per quas à toto corpore,aut ab aliqua eius parte ad cerebrum aliquid tranſmittitur: continet enim celebratam illam arteriarum retro aures ſectionem,quam priſci illi authores tanti ſemper fecerunt. Quod præſidium, præterquam quòd ſuſpectum eſt,ſterilitatis(ſi Hipp.credendum ſit)author exiſtit:quippe arterias vtcunque ſoluere,periculo non vacat.Præterquam quòd etiam ſi ſcindantur,aut tuto vri poſſint,non ob id credendum eſt,vias omnes per quas caput ſuſceptat,protinus claudi, cum ſæpius per interna vaſa malum caput aſcendat,quæ nec vſtione, nec ſectione,ſecanda ſunt:quapropter temerarium eſt, dubium & ſuſpectum præſidiũ tentare,dum periculoſius exiſtit malo præexiſtenti.Verùm in grauioribus malis, & quæ alijs auxilijs ceſſura non ſunt,à perito chirurgo frontis & temporum venas potius auderem vrere.Cæterum ſi id tentare non audeas,ad ſecundum auxiliorum genus te conferes,quod docet ſi venæ in capite plurimum turgeãt,capitis plenitudinem deponere,venis quæ ſub lingua ſunt ſciſsis,& ſanguine ab eis profuſo.Non deſunt qui conſulant,ferro candenti caput aliquibus locis vrere, quod ſanè minus ſuſpectum videtur,maximè dum res in deſperationem venerit:cuius ſanè loco adinuenit ars noſtra aliud non minoris momenti & tutioris conditionis, nimirum in occipite fontanellam aperire,vel eidem parti ſetonẽ affigere. Quod præſidium licet proficuum huic malo exiſtat,eis tantùm ex vſu eſt, quos vertigo deijcit,& in acceſsione proſternit:nam cum certum ſit,poſterioribus cerebri ventriculis affectionem communicari, verendum eſt, ne laborans in epilepſiam, apoplexiam,aut ſaltim paralyſim commigret: & ob id ea parte aperto ſetone,aut fontanella,longè magis prodeſſe creditur. At cùm affectio ſolùm in vertiginoſa circumuolutione, aut viſus tenebroſa offuſcatione conſiſtit,(ſignum profectò læſionis anteriorum cerebri partium) longè vtiliùs exiſtimo, fontanellam brachijs aperire, aut eiſdem partibus ſetones affigere. Verùm ſi ſors tulerit, quòd ex vteri conſortio, vel iecoris, aut ſuppreſsis hæmorrhoydibus, vel quauis alia vacuatione,vel vlcere,aut fiſtula manantibus,(quod non rarò contingit,)ſupprimantur: item dum tumor aliquis inferiorum partium deliteſcit, proculdubio neceſſum fore arbitror, vel antiquam reuocare fluxionem, vel loco eius, fontanellam in cruribus aperire, per quam natura tranſmittat quod per dictos affectus aſſueuerat expellere.

De incubo. Cap. X.

EST quidem incubus ea affectio,in qua laborantes inter dormiendum,graue aliquod ſibi incumbere arbitrãtur, vel ab aliquo ita opprimi & vexari,vt voce ac reſpiratione deperdita,veluti ſuffocari videantur, ac vires etiam adeò labefactari & torpore premi,vt licet aliquod graue periculum(quod falſò imaginãtur)fugere conentur,minimè poſſe exiſtimẽt, etiã ſi ipſis appareat propè eſſe refugiũ.Quapropter à Græcis ephialtes appellatur,& à Latinis ab incumbẽdo,& premẽdo incubus; Arabicè verò amudalã dicitur,ſeu albeidalam,vel algiatũ:quam etiam affectionẽ appellat Auicenna ſtrangulatorem:Auerrous autem haliatum : vulgares tamen nonnulli dæmonem, alij puerorum interfectorem, aut grauedinem nuncuparunt. Præterea conſtat nomine incubi,varia etiam poſſe intelligi apud authores:ſic Themiſon.2. Epiſt. lib. pnigaliona vocauit,quòd ægrotantes ſuffoceꝛ. Plinius autem noctis aut faunorum ludibria nominauit: excogitabat autem antiquitas ſiluanos eſſe dæmones hominum oppreſſores, de quibus vulgò profertur, deſuper in aëre ſuper dormientem incumbere, & ob aëris immutationem quam efficiunt, ſuffocationem quodammodo & angorem inducere: ſic latiùs ſcriptum reperies apud Soranum, lib. cauſarum. Præterea conſtat apud beatum Auguſtinum. 15. de ciuitate Dei, & beatum Thomam. 1. parte,dæmones etiam reperiri, quos incubos & ſuccubos vocant. Vltimò verò nomine incubi affectum quendam corporeum in cerebro exiſtentem,ſubaudire oportet, qui præludium exiſtit melancholiæ,inſaniæ, aut apoplexiæ, qui nil aliud eſt quam prauũ inſomnium cum noxa reſpirationis,propter vaporem craſſum poſterioris cerebri meatus obſtruentem.

Quænam pars in ipſo affectu afficiatur,& à quo morbo prodeat, quale etiam ſympthoma, & cuius facultatis exiſtat vitium, non ſatis compertum eſt. Quippè multi cenſent, neruorum muſculorumque paſsionem eſſe, decepti torpore quo frequenter ſic affecti corripiuntur: ſed credibile eſt,in hoc affectu primò caput laborare, idque quoad eius ventriculos: qua ratione conſtat affici velut pars inſtrumentalis: ſic enim ſequitur tantùm morbos organicarum partium, eos maximè qui ex obſtructione fiunt, ſemiobturatis foraminibus, per quæ ſenſus & motus diſſeminantur. Quo fit, vt conſtet, non eſſe nudum

ventriculorum cerebri intemperamentum,vt multi sunt arbitrati, siquidem subitò aufertur, sed humoris crasi, vel vaporis caliginosi aliquid adiunctum habens, quo obstructio efficitur. Sic enim prædictum morbum sequuntur tria sympthomata grandioris momenti: nam primò imaginationem lædi constat, cum sic affecti arbitrentur(& quod grauius est,sæpe id credunt)se aliquo incumbente premi, aut in se irruente vexari;quod fugere cum nitantur, minimè valet. Quippè dum imagines cerebro adseruatæ quietæ sunt & tranquillæ,nec fluctuãt, nec immoderatè agitantur,somnia distincta digestaque,& verosimilia contingunt. Quòd si perturbatio aliqua vel corpori, vel spiritibus contigerit, in somnia fiunt præter naturam,in quibus rerum effigies vehementiùs agitatæ apparent:non quales verè sunt,sed intortæ,& monstruosæ : & licet falsa hæc oriatur imaginatio,non tamen credendum est,hoc vitium in deprauatam imaginatricem esse referendum:inter dormiẽdum enim,licet falsas imagines concipiat homo,non tamen imaginatiuam deprauatam esse coniectandum est,siquidem incubus nil aliud est,quã prauum insomnium cum noxa respirationis. Item motus efficiunt sic affecti torpidos,quòd ipsi & sensus ferè omnes oblædantur, idque maximè in partibus à cerebro remotis, quia ad eas difficiliùs virtus demandatur, quo cerebrum certo modo obstrui constat.Item sequitur difficilis respiratio, quæ forsan sympthomatum potissima existit causa: partim quidẽ quòd vis motiua non integrè descendat ad musculos thoracis,& membra respirationi seruientia;partim quòd ipsa respirationis organa diminutè tempore somni moueantur: partim insuper,quòd thorax sit membrum primò affectum,à quo caput per consensum afficitur:(nam arbitrari citra capitis vitium,sola thoracis læsione id posse fieri,alienum à ratione iudico,cum sic affecti sæpe in apoplexiam,aut epylepsiam procidant,malo per essentiam facto) quod indicat pondus thoracem opprimens, & difficilis eius motus inchoata actione, ex fumis nimirum & flatibus qui tunc excitantur, pulmonem & septum transuersum prementibus: haud secus,quàm si quis humorum crassorum copiam in vasis thoracis obtineat, noctu collecto intus calore agitantur humores & rariores fiunt, quo & respiratio difficilis redditur, & imaginandi quoque potentia vitium contrahit per consensum, haud secus quàm in hypochondriaca melancholia.Sed coniectabile est,ex quauis læsione,siue in neruis quæ torpidum efficiat sensum, siue in musculis quæ motum impediat,siue in respiratione quæ suffocationem minetur, semper imaginationẽ lædi,& præ mali timore fingere mille monstra,quæ post somnũ discusso obstruente vapore,& apertis meatibus,subitò euanescunt,ac forsan laborantem excitant: nec displicet eorum sententia,qui tenent,incubum,& terribilia insomnia etiam proficisci à ventriculi & cordis læsionibus, illud quidem in his qui lumbricos habent,& hoc in melancholicis. Pari etiam ratione prodit capite sanguine pleno, minanteq; epylepsiam,aut alium grauiorem affectum,vt ex Gale.constat.4.apho. comment.67.fieri in corporibus plenis,vbi aliquid humoris in caput irruit,effectu rum prædictarum affectionum aliquam.

Sed disidet hæc affectio ab insomnijs, quòd insomnia citra aliquod vitium corporis, quod morbum efficiat, aut minetur, monstris & imaginibus plena sunt: at verò in incubo, nusquã hæc accidentia finguntur, neque in eo imaginatiua potentia læditur, quin aliquis affectus in corpore præexistat.Disidet etiã læsio imaginatiuæ potentiæ in hoc malo à vertigine, quòd in ipsa à rebus externis frequenter laborantes in accessionem procidant, in incubo verò ab interno

no solùm affectu.Ob id enim constat,vertiginosos non pati inter dormiendum, sed solùm in vigilia,qui autem patiuntur incubum,è conuerso:quia necessum est calorem naturalem somno vegetiorem factum,in crassos, viscidosque humores agere,& halitus caliginosos ab eis eleuare: quo fit,vt diu disipatis aliquibus, ad pensum dispendij spirituum, huiusmodi vitia non accidant. Ex quibus constat morbum esse obstructionem, & sympthoma esse noxam functionum animalium interiorum, & exteriorum ferè omnium, & in deprauata etiam imaginatricis potentiæ actione consistere,eo modò ac dictum est,cum diminutione sensus & motus.

Causa autem huius affectus triplex necessariò existit, iuxta tria grauissima accidentia,quæ oriri ex hoc malo comperimus.Prima sanè est,quando halitus quidam caliginosus & densus irruit cerebrum,orta ex infimis corporis fedibus à crassis, crudis,frigidisque humoribus,aut crassa bile,vel melancholico sanguine, qui sanè thoracem lædunt, & dum caput replent prædicto vapore seu halitu, torporem inducunt, semiobstructis spirituum vijs, & imaginandi quoque potentiam lædunt: ex quibus prodeunt torpores in motu & sensu, ac in imaginatiua potentia cogitationes deliræ. Prodit insuper ex hac causa non rarò epilepsia, quippe quæ plerumque ex flatu, aut humore in ipso attenuato originem trahit. Sunt verò qui non possint intelligere;qua ratione nebulosa substantia spirituum transitum interdicere possit. Qui, obsecro,animaduertant, haud secus rem se habere in cerebro à prædictis causis, ac se habet solis radius à nubiloso, vel nebuloso aëre, qui licet solis radios omnino interdicere non possit; potest tamen lucem & splendorem turbare, ac impedire. Quod profectò si eodem modo in neruis accidat, mirum non est, si improbè quoque suum munus exequantur. Item dubitabit forsan aliquis, quanam ratione epilepsia non succrescit ex accessu prædictorum flatuum ad caput? Cui dicendum est, eos nec mordere cerebri substantiam, nec adeò ipsum obstruere,ac necessum est,vt epilepsia succrescat,nisi affectio admodum creuerit, aut diu durauerit. Fit autem hoc sympthoma primò somni accessu, quia naturalis calor non plurimum valens,sufficiens est hos flatus eleuare,discutere autem minimè, nisi adueniente altera somni parte, quæ caloris naturalis vlteriori actione inceptum opus perficiat, & prædictos halitus discutiat.Secunda autem causa est crassus etiam & nebulosus vapor, non tamen aliunde transmissus, vt in præcedenti, sed ab eodem capite ex alimento improbè confecto, aut humoribus ibidem immorantibus exortus : quem sanè inter dormiendum, leuiter operante capitis calore eleuari scimus, & eandem turbationem inferre. Est quidẽ affectio ex hac causa prodiens, apoplexiæ & paralysis præsaga : nam arguit humorem in capite redundantem iamiam casurum in foramen illud, quo obstructo, prædicta mala succrescunt. Tertia verò & vltima causa, paucis tamen nota, plenitudo est multorum & crassorum humorum existentium intra venas, præcipuè thoracis & partium vicinarum, earum maximè, quæ respirationi subseruiunt: aliquando verò fit à paucis, sed crassis eisdem partes,& eas quæ propè cerebrum sunt, obsidentibus. Quos equidem, cùm subagit mouetque calor inter dormiendum,maiorem infert duplici ratione in respiratione pressuram,prima propter nouũ morbũ in prædictis partibus,quo fit,vt cùm non possint instrumẽta hæc respirationi liberè inseruire,suffocatio verè subsequatur. Secũda quia coniectabile est,non dilatari tantùm dicta instrumenta inter dormiendum,

prædicto modo affecta,ac tempore vigiliæ:cuius dilatationis defectu, & ob primam etiam cauſam,periculum ſuffocationis imminet,quod apprehendens imaginatiua potentia,errans,ob vapores etiam illuc aſcendentes,imaginatur ſuffocationem illam eſſe ab incumbente aliquo grauante atque premente extrinſecus, quo fit,vt prædictum ſympthoma ſuboriatur.

Signa. Diſtinguitur autem,an ab hac,aut ab illa cauſa prodeat affectus(nã ſympthoma ſeipſum oſtendit)certiſsimis quibuſdam ſignis. Quippè ſi per primogeneam capitis affectionem fiat, expergefacti laborantes, licet reſpirare difficulter deſinant, & velociùs ſe poſſe mouere cognoſcant, nihilominus tamen per aliquod temporis interuallum, imaginandi potentia non redit ad priſtinum ſtatum,quia cauſa mali in capite,aut eius venulis, & vicinis ſedibus immoratur,& cũ iuſto ſit craſsior,difficulter diſſoluitur.Prætereà,ſi per conſenſum ab halitibus aſcendentibus fiat affectio,expergefacti laborantes protinus reſipiſcunt, argumentum quidem,cauſam tenuiſsimæ eſſe ſubſtantiæ, vel nullam in cerebro obtinuiſſe fixionem. At à thorace affecto fieri monſtratur, quia expergefacti laborantes, licet mente conſtent, diu tamen difficulter reſpirant, quaſi à citatiori curſu excitati: argumentum profectò, mali principium eſſe in reſpirationis inſtrumentis.

Curandi ratio. Curandi verò ratio quadruplici conſideratione contenta, magna diligentia exequenda venit,antè videlicet quàm in grauius malum commigret affectio. Prima quidem victum inſtituit, & vitæ parſimoniam, cum affectio ex craſſorum humorum redundantia plerumque oriatur. Cauere inſuper oportet victum, qui flatibus efficiendis idoneus ſit: à vino abſtineant, aut quàm tenuiſſimo vtantur: interdiu non dormiant, & noctu longè à cœna, & manè leui ac longiuſculo vtantur exercitio; & ſomnus item non ſit corpore ſupino, nam qui ex thorace laborat, ocius hac occaſione ſuffocatur.

Secunda, vacuandi modos præſcribit, habita prius conſideratione, an ſanguinem mittere liceat. Cui operi exequendo diligenter conſiderabis, an ſanguis quodammodo abundet, vel humor abundans ſanguini admixtus exiſtat: tunc enim, & maximè ſi ſuppreſſa fuerit aliqua ſanguinis conſueta vacuatio, ſi neque ætas, neque vires, aut quidquam aliud vetuerit, prudenter oportebit ſanguinem mittere,parcè quidem & per longiſsima interualla.Verùm ſi ex ſuppreſſa aliqua ſanguinis vacuatione affectio ſuboriatur, tunc enim vel ipſam ad conſuetum locum reuocabis, vel à parte proxima ei, per quam ſanguis fluere aſſueuerat,liberaliùs ſanguinem mittes: vt ſi ex vtero aut ex hæmorrhoydibus, ex talo; vel ſi diu ſuppreſſus ſanguis ſit, ex iecoraria vel ſplenetica vena. At ſi ex naribus fluxio præfuerit,tunc ex brachio, ſicut dum plenitudo grandior ex ſuppreſsione apparuerit. Item cucurbitis vtêris, ſi per nares fluere aſſueuerat; ac ſi grandior fuerit affectio, ex eiſdem naribus, aut vena frontis ſanguinem mittes. Tertia verò docet corporis & capitis craſſos viſcidoſque humores, aut melancholicos præparare, & per commodam regionem educere:quod ſanè facies iuxta idæã humoris, quẽ redũdare cognoueris,adhibitis ſerapijs,apozematis,pilulis,& alijs purgantibus pharmacis,quæ capite de melancholia adducemus:Sed prouidendum eſt parti conſentienti, nam ſi venter mali cauſa fuerit,non erit abs re,à vomitu principiũ curationis auſpicari,ſin aliter,à peculiari purgatione.Purgãt autẽ ſpecialius in hoc affectu caput pilulę Arabicæ, cũ pulueribꝰ foliorũ ſenæ & oxymellite ſquillitico,præmiſſa purgatione ventriculi:

Item

Itẽ, therebynthina abietis cũ rhabarbaro,& pulueribus foliorũ ſenæ,aut ſyrupus de pomis ſine croco,cũ infuſione ʒ.iiij.foliorũ ſenæ aut ij.epithymi.Quam ſanè curationem(modo in capite malũ firmatũ ſit,modo ab aliquo inferiori mẽbro, præſtetur)potius per epicraſim & repetitas vices inſtitues,quam per confertas, & ſubitas vacuationes:vt paulatim præparatis peccantibus ſuccis,citra viriũ diſpendiũ (ne ob id & humorũ magnã agitationem)in grauius malum affectio degeneret. Quartũ verò & vltimũ curationis mẽbrũ docet,ſi quid in capite reliquũ eſt, diſcutere,& ipſum roborare,exhilarareq; ipſius ſpiritus,ac apertiores reddere meatus. Quod profectò faciẽs,præmiſſis acribus clyſteribus,quæ recipiant: ſucci mercurialis & ſiclæ.ʒiiij.hieræ picræ,aut diaphæniconis.ʒ.vj.vel hieræ logodij.ʒ.iij.ſi affectio grauior ſit.A quibus vaporum aſcẽſus compeſcere oportebit, cui vſui porriges.ʒ ij.carnis citoniorũ ſaccharo conditorũ,ſine odoramẽtis:quo facto & corpore purgato, ſumat laborans theriacæ veteris.ϑ ij.conſeruæ bugloſæ.ʒ.ij.ac ſuperbibat ſi materia pituitoſa, aut melancholica fuerit,ſyrupi ſthœcados & borraginis anà.ʒ ß. oxymellitis.ſ.ʒ.ij. aquæ ſtilatitiæ betonicæ, abſynthij, & burſæ paſtoris anà ʒ j. ſeminis vel radicis peoniæ,& nucis muſcatæ anà.g.viij.quod qui dem facies ea lege tertio vel quarto quoq; die.Item ſemel in menſe purgabis aliquo ex prædictis pharmacis,vel prunis damaſcenis infuſione foliorũ ſenæ cõditis.

Diebus tamẽ intermedijs ſumat laborãs cõſeruæ acori.ʒ.j.cum prædictis aquis. Vſui quoq; eſt ʒ.j.electarij diamuſci dulcis in tabellas confecti,dum laborãs it dormitum.Diſcutiet quoq; flatus puluis q̃ recipit aniſi. ʒ.ij.aromatici roſati. ʒ.j. cinnamomi. ϑij.ſacchari.j ʒ. ſumat à paſtu cocleare vnũ.Caput quoq; aſpergat pulue re qui recipit corticis citræ.ʒ.iij.caryophyllorũ.ʒ.ij.ciperi.ʒ.j.coci infectorũ.ϑ.iiij. coriãdri præparati.ʒ.ij.&.ß.ſampſuci, betonicæ,anà.ϑ j.ſthœcados.ϑij.roſarũ rubearum.ʒ.ij.fiat puluis,quo etiã vti poteſt cum æquali pondere ſacchari mox à cœnã. Sed præſtat maximè eadem hora potus aquæ feruentiſsimæ. Verùm quia ſic affecti vel corde contremiſcunt, vel timidiores ſunt, prouidendum etiam cordi eſt epithemate,aut ſacculis quæ recipiant: pulueris corticum citræ, galangæ, ciperi, occimi, & ſeminis angelicæ,anà.ʒ.ij.florum anthos,ſthœcados, & bugloſæ anà.ʒ.iij.pulueris diamargaritonis frigidi.ʒ.ij. fiat ſacculus. Dum verò affectus in capite viget,topicis prædictis frequentius vti oportebit,parcius tamen, & per interualla purgare:at ſi ex conſenſu totius corporis vitium ſuboriatur,vberius purgandum eſt.Cæterum ſi affectio ex læſo thorace prodeat,eandem curandi legem adſeruabis,quam capite de difficili reſpiratione ſcriptam latius reperies: verum capiti prædicta auxilia adhibebis.Ferunt tamen non contemnendi authores,omnibus cauſis huius mali proficuum eſſe corallum collo appenſum,aut radicem peoniæ,vel pyritem lapidem.

De phrenitide & eius ſpeciebus,ac de cerebri ſphacelo. *Cap. XI.*

Ractaturo mihi phrenitidis naturam & præſidia, tria ſeſe offerunt diſcutienda, iuxta tres eiuſdem mali differentias. Nimirum phrenitidem propriè vocatam,pſeudophrenitidem & paraphrenitidem, atque ob id multa quæ his omnibus ſunt communia, primo ſcribam,poſtea verò, quæ cuique illarum propria exiſtunt docebo.

Phrenitis igitur nil aliud est quam desipientia seu delirium cum acuta febre ex capite principaliter affecto, maximè per inflammationem membranarum eius. Itaque communi significato, ille affectus est, in quo mens vtcunque sit, læsa videtur, vt constat ex Galeno lib. 1. prorrc. comment. 4. nam cum phrenitis à phrenos, hoc est, mente dicatur, ob id communi vocis acceptione, quæuis mentis oblæsio phrenitis nuncupatur. Sic enim Gale. lib. de comate. cap. 4. prope finem. ex Hipp. mente phrenitidem multis deliramenti nominibus insigniuit, dicens: Quandoque delirabat, quandoque amens fuit, intermisso spiritu loquutus est, desipuit, non fuit apud se, insaniuit, insania tenebatur, non intelligebat, & obloquebatur: quæ omnia in his quorum læsa mẽs est continguntur. Quæ sanè nomina licet omnia delirium significent, cum hoc tamen delirij quantitatem etiam per ea Hipp. voluisse monstrare docuit Galen. 6. popu. part. 6. commen. 19. vbi hæc eadem nomina quantitatem desipientiæ declarare scribit. Verùm cum à multis corporis affectibus mentis actiones euerti contingat, ob id primò studuerunt prisci illi medicinæ parentes, iuxta corporis diuersum morbum, nomen quoque diuersum huic mentis alienationi imponere. Sic profectò tot læsionũ mentis nomina scripta reperiuntur: melancholia nimirum, mania, lycanthropia, amẽtia, & phrenitis: quæ quidẽ licet certo quodã modo læsæ mẽtis actioni cõueniant, dissident profecto non parũ morbo à quo mentis ipsius actio perturbatur. Communi tamen diuisione, vniuersa actionis ipsius læsio (quippe mens ipsa, vt quæ incorruptibilis sit, & nulli adstricta organo, vitiari non potest, sed solùm eius actus iuxta phantasmatum ad quæ conuertitur vitia) in duplicẽ dissecta est affectum: quorum alter citra febrem est, sub se comprehendens melancholicos & maniacos affectus: alter verò delirium, & mentis alienationem cum febre, quod sub se continet phrenitidis omnem speciem. Hanc sanè triplicem sortiri differentiam omnibus viris doctis compertum est: quippe phrenitis, quam delirium cum febre diximus Galenum appellare, vna est pseudophrenitis dicta, id est delirium perpetuum cum febre, cerebro tamen nequaquam primo affecto, sed solùm lege consortij, idque non à quauis parte, sed solùm dum ab ipso septo transuerso inflammato consensus suboritur: cuius cum cerebro tanta est per neruos communio, vt ipso affecto, protinus caput perpetua passione afficiatur, idque cum febre ob cordis viciniam, vt latiùs sum secunda huius capitis parte monstraturus. Altera phrenitis est delirium etiam cum febre, sed non perpetuum, quam potius paraphrenitidem dixeris, laborantibus, vt aiunt, ad dilucida interualla deuenientibus, quòd per consensum etiam suboriatur. Tertia verò & vltima huius mali sors est, perpetuum delirium cum febre, capite tamen primario affectu laborante. Quare iuxta optimam rationem arbitror Auic. fecisse, qui huic affectioni duplex imposuit nomen, alterum commune, quod Arabica lingua scribitur carabitus, id est, mentis alienatio, cuius significato cõplexus est id quod Gale. nomine phrenitidis stricta significatione accepto vocabulo: alterum verò sirsem, quod apud Persas, quorum nomen est, inflammationem significat etiam in cerebro, vel in eius membranis: itaque primo nomine id quod nos paraphrenitidem nuncupamus, insigniuit: secundo verò veram phrenitidem.

De paraphrenitide.

Verùm quia frequenter accidit ex negligentia in delirio per consensum habita, velut in plerisq; febribus contingit, veram phrenitidem, malum alioqui grauissimũ & ferè incurabile suboriri, placuit primo loco de paraphrenitide sermonem instituere, vt non solùm hoc vno capite constet phrenitidis vera curatio, verùm

verùm & præcautio, cum imminet. Frequenti etenim experimento cõfirmatum est, plures eorum qui moriũtur ex acutis & malignis febribus, aut internis inflammationibus, potius ex phrenitide aut alio graui capitis affectu (in quẽ prædicta febris commigrat) mori, quam ex vi & efficacia primi mali. Sic enim qui febrientes commoriuntur, quo tempore delirantes apparent, tremuli fiunt, cõuulsi, aut somno graui oppressi, mutata vaporosa febris materia, & nonnunquam ipsa in aliquẽ ex prædictis affectibus. Est igitur paraphrenitis delirium non perpetuum cum febre. Ad cuius integram notitiam expendendum est, vtcũque in caput irruant halitus calidi & mordaces ex vi febris exorti, qui ob tenuitatem propriam neque ob structionem, neque spirituum commotionẽ efficere possint, cerebro solùm cale facto, turbationem menti inducunt.

Cæterum dubitabit aliquis, & meritò, quî fieri possit, vt cũ halitus caput ascendunt, nonnunquam somnum, sæpe capitis dolorem, aliquando vertiginem, quandoque incubum, & sæpe delirium inferant, cum halitus sit idem, & pars affecta eadem? Cui dubitationi dicendum est, hoc discrimen nasci ex eo morbi genere quod halitus in caput inferunt, neque non & ex parte quæ læditur. Quippè halitus ascendentes, aut capitis tunicas & velamina soluunt tensione, aut exesione, ex copia vel acrimonia caloris facta: quo tempore mirandum non est, si dolorem inferant, vel cerebri substantiæ, & medulæ foramina, per quæ spiritus visorij in oculos permeant, prædicti halitus inordinatè obstruant: quo fit vt intra cerebrum spiritus interturbent, & vertigo necessario subsequatur: sicut dum obstructio ab eisdem fit in parte postica cerebri, & imaginandi quoque potentia læditur, incubus prodit, torpidis ab obstructione factis motus instrumentis: quo etiam modo somnus efficitur ferè. Verùm dum his halitibus cerebri substantia distemperatur, spirituſque aliquò etiam modo alterantur, vt facultatum principũ actiones euertant, nulli dubium est, deliramenta & mentis alienationem prodire. Qua prorsus ratione arbitror dictum esse Galen. 3. de locis affect. dupliciter posse lædi cerebrũ: vno modo vt pars est instrumentalis, velut in prædictis affectionibus oblædi dictum est: aliò verò vt simplex, ex intemperamento, quo tanquam immediato instrumento potentiæ illius partis læduntur: à quo læsionis modo deliramenta prodeunt. Quod sanè alijs nominibus insinuauerat, dicens, læsionem quæ accidit cerebro, vt instrumentum est, pertinere ad corpus, quia ob eam læduntur sensus externi, & motus primario & euidentiùs: eam verò quæ ad ipsum pertinet, vt simplex pars est, pertinere ad animam, hoc est, iuxta mentem Galeni ad tẽperamentum, & vt alij interpretantur, ad interiores animæ potentias. Et ob id ab huiusmodi cerebri intemperantia, saltem fiente, tanquam à morbo, licet totum suum esse habeat in fieri in cerebro, & in facto esse in partibus mandantibus, prædicta deliramenta prodire est credendum.

Habet autem naturam prædicta affectio sitam in læsione essentiali aliarum corporis partium, aut totius, susceptо earum vitio in cerebro. Quo fit vt in accessionũ incrementis, & in augmento magnarum, ardentium, & malignarum febrium, putridis, & exustis fuliginibus caput irruentibus, plerũque eluceſcat, cum à causa dependeat, quæ fixionem aut permanentiam non habeat in ipso, sed præludium sit veræ phrenitidis. Nam exustæ & acres fuligines, cũ hoc quòd tales sint, calidæ quoque existant, & vaporosæ, caput calefaciendo dilatant, imbecillitantq;, vel inducta vigilia si præualeat calor, vel nimio somno, si vaporosa conditio, & tandem disponunt, vt facilè si quid humoris, vel redundauerit in toto corpore, vel contineatur

neatur in cerebri ſubſtantia ſimul cum vaporibus per vaſa tranſmiſſum, aut ibidē in præternaturalem ſortem mutatum, in prædictum, aut grauiorem affectum prorumpat. Cæterū dum ſolus halitus caput irruit, cum tenuis ſit ſubſtantiæ, vt dictum eſt, facilè diſcutitur & euaneſcit, & ſic protinus delirium ſubſidet extincto febris & humorum feruore, donec iterum denuo ſufficiēs halitus caput peruadat, & idē deliramentum concitet. Neque enim credendum eſt, quamuis halitus portionem id malum poſſe efficere, ſed requirit certam in copia & natiua diſpoſitione: qua ratione, licet ſemper aut frequenter aliquid eorum caput infeſtet, ſaltem in cōtinuis febribus, non ob id ſemper ſed per interualla mentem turbat.

Cauſæ. Cauſas habet hoc delirij genus flāmeam in corde aut in quauis corporis parte caliditatem, quæ capitis potentias eo modo quem diximus turbet. Sic tanquam peculiarem habet (vt dictum eſt) febrium omnium præcipuè bilioſarum, ſummum acceſsionis vigorem, & continuarum augmentum. Pari ratione fit ab inflammationibus, quæ vel nimio dolore affligunt, aut incompeſcibilem vigiliam inducūt, vel calore ingenti excandeſcunt, aut ſupurantur: denique in omni calorifico affectu in quo flāmea ſit in corde & pulmone caliditas, dummodo augmentum & decrementum atque interualla ſuſcepter, proculdubio prædictus affectus reperitur: & in his inſuper qui adeo imbecille habent caput, vt quantumuis febricula ſit leuis, protinus in deliramentum procidunt, quos citius in maius malum caſuros certum eſt, ni diligentia præueniantur. Denique proficiſcitur à febre, ſicut phrenitis vera febrem producit.

Signa. Ficta quadam ſimulatione plerique delirantium ſtudent, & medicos & aſſiſtentes decipere: nam plerunque multa loquuntur & agunt, quæ in ſe conſiderata à ratione aliena non videntur. Verū ſi quis occaſionem, perſonam, modum, & reliqua id genus conſideret, proculdubio reperiet figmentum eſſe: nam multa ſunt quæ neque fœminarum honeſtati, aut virorum authoritati, vel cuiuis occaſioni cō uenire videntur: idque hac ratione iudicabis delirij eſſe præludium, maximè ſi præceſſerit vigilia continua & intenſa, ſomnus turbulentus, in quo ægri exiliunt, & ſomniorum imaginibus interdum detinentur & loquūntur, ac ſimiliter obliuiſcuntur eorum quæ dicunt, & cum reſpondent ferociores ac iracundi apparent, vltra innatam & genuinam modeſtiam. Sic enim dixerat Hippo. oculi audacia delira. Occipitio præterea frequenter condoleſcunt, ſignum certè halitus aſcendentis per vaſa quæ in poſticam cerebri partem inſeruntur. Item paraphrenitici ſubito delirant, & prima interdum die, phrenitici verò quarta die, vt Ætius aduertit. Denique ſi quis diligēter laborantes intueatur facile diſcet, dum aliquod ex prædictis ſignis præfuerit, longis interuallis diſtare à propria natura, conſuetudine, & conditione, ſignum certè occultæ perturbationis potentiarum. Quibus cognitis vereri oportet, ne priſtinum delirium ſubſequatur, quod ſi acceſſerit & permanſerit, citra intermiſsionem, phrenitis proculdubio iudicanda erit, maximè ſi vrina & alui excremēta decoloratiora apparuerint ſicut paraphrenitis, ſi per interualla repetierit, nullo ex prædictis ſignis eluceſcente.

Curandi ratio. Tribus omnino vijs præcauenda venit prædicta affectio: vna quæ halitus generationem, quò poſsibile fuerit, impediat: ſecunda quæ præcaueat eorum aſcenſum ad caput: tertia quæ prouideat, quo minus caput ipſos ſuſceptet, aut à ſuſceptis læda tur. Primam ſanè aſſequeris his præſidijs, quæ vim habent extinguendi feruorem & excalefactionem humorum, qualia ſunt frigida, acidaque medicamenta aut alimenta: velut eſt frigidæ potus, qui creſcente febre exhibitus cū ſaccharo roſaceo maximi

maximi eſt momēti. Huius cenſus ſunt ſerapia & apocemata, quæ recipiūt aquam per mortariū lapidetum percollatā, aut ſtillatitiā cichorij, borraginis, bugloſæ, ſcorchioneræ, acetoſæ & decoctionis hordei, quib⁹ addere oportet ℥. j. aut ij. pro duabus aquæ libris, ſyrupi roſarum, aut violarum, acetoſæ, granatorum, vel de ſucco limonum. Quos ſanè potus, vel ex aqua fluuiali aut fontana factos, niue aliter refrigeratos, maximè ſi æſtiuum tempus popoſcerit; porrigere liberaliter poteris.

Sic exteriùs quoque aërem temperabis, frigidis aſperginibus ex aqua & aceto, vel ex aqua roſacea, puteali admixta. Item dum morbus non eſt malignus, ſed ſolū intenſione peccans, corpore ſatis euacuato, cordi epithemata affiges: ab eo enim & pulmone, in quibus feruor & incendium magis vigent, huiuſmodi halitus caput aſcēdunt, quapropter ipſi adhibere oportet epithemata, confecta ex prędictis aquis cordialibus, cum modico aceto roſaceo & ſucco pomorum dulciū, ac pulueribus diamargaritonis frigidi, vel electarij de gemmis, filtro ſerico exceptis, aut moliſsimo linteo & cordi adhibitis. Curandum tamen eſt, ne diu nitamur apocematum exhibitioni vel epithematum vſui, ne cor plus iuſto refrigeretur, aut retrocedāt vſtilagines febrium, ſed per interualla & vices eis vtēris. Cauendum inſuper in vtroq; auxiliorum genere eſt ab his, quæ vehementer adſtringūt, idque maxime in internis inflammationibus, niſi dum aſcenſus ad caput maius faceſſit negotium: quo tē pore admiſcenda ſunt quæ incindendi vim obtineant, tum vt protinus permeent frigida, tum verò ne inhibeatur omnino cutaneus effluxus.

In quo ſanè opere non minoris eſt momenti vlteriùs ſanguinem mittere: nam quæ non ſolū vbi ſufficienter miſſus non eſt, verū vbi vehementiæ febris ſatisfactū eſſe iam videtur. Nam ſi vires adhuc conſtiterint, gratia præcauendi imminens periculum, iterum mittendus ſanguis eſt. Qua occaſione vel ex ſaluatela, ſi æſtuoſus videatur laborans, aut ex cephalica, ſi capite nimis grauatus, ſanguinem mittes. Vlterius tamen ad inferas ſedes quod in caput fertur diſtrahes, clyſmatis quæ purgādi vim obtineant iniectis, quibus adijcere vel electarij ſucci roſarum ʒ. iiij. vel catholici ʒ. j. liberè poteris, vt ſi quid excrementoſum in primis venis & in inteſtinis abū dat, leui negotio educas, quominus ab eo halitus cachoetici eleuari poſſint.

Verùm ſi ſperas ex cachochimiæ vbertate maius futurum eſſe malum, & copioſius vapores caput aſcendere, ſiue delirium per acceſsionum incrementa ſuccreſcat, cum morbus eſt interpolatus, ſiue continuus extiterit, exacerbationes tamen habens, tunc quidem maximi momenti arbitror, leui aliquo pharmaco expurgāti vti, cuius cenſus eſt caſia fiſtula, manna, vel ſyrupus ex infuſione roſarum. Quibus non renuo, vrgente maiori malo, dilutum rhabarbari aut foliorum ſenæ adijcere, quo minori facta materia minus euaporet, & protinus febris compeſcatur. Verùm ſi delirium fuerit continuum, & nullo modo quieuerit, ego quidem non auderem expurganti vti pharmaco: quippe credibile eſt eo tempore, ob ingens incendium materiam rariorem fieri, & citatiùs moueri, quo fit, vt pharmaco agitata ocius in cerebrum qua tēdit, irruat. Quod velim intelligi, ni tanta ſit bilioſi humoris copia, quòd maius minetur malum hac ratione turgens facta, quam dum mouetur, ſi minor fiat. At ſi purgare formidaberis, ſanguinis miſsione, vel frigidis & compeſcētibus feruorem rem ages tutius.

Secunda curandi ratio, ſi halituum generationem ex toto interdicere fuerit impoſsibile aut perdifficile, his perficietur auxilijs, quæ motum materiæ ad caput impediant. Quod ſanè opus dupliciter facies: nā vel id quod caput irruit, iam iā prope ipſum

ipſum eſt, aut à toto vel à parte aliqua affecta proficiſcitur, vt illuc eat: hoc vero ad quam diſtantiſsimas partes reuellere frictionibus frequentiſsimis, vinculis dolorificis, cucurbitulis femoribus adhibitis, aut ſuris affixis, & nonnunquã ſcarificatis, maximè dum plenitudo ſatis depoſita non eſt, & vires non patiuntur vlteriorẽ ſanguinis detractionem. Id quoque beneficium præſtabis crurum lauacris, ni timueris macularum in morbis malignis retroceſſum: quo tempore id præſidium parabis in conclaui calido & tẽporibus æſtiuis, aut maculis iam euaneſcentibus, licet lauacra aliquando plus ipſas maculas euocent; eſt enim hoc præſtantiſsimum auxilium, tum quia calorem euocat ad infimas & extimas partes, tũ vero quia calore & laxitate partium per eaſdem, quod attraxerat diſcutit. At cum iã iam halitus caput aggredi cõſtiterit, brachia ligabis, ablues, & fricabis, ac eiſdem & ſcapulis cucurbitas cum ſcarificatione affiges, & clyſmatis etiam nuper adductis veteris. Verùm inter ea quæ prædictos halitus magis diſtrahunt, proculdubio eſt cucurbitarum vſus per dorſum è regione cordis, & maximè dum ſcarificantur: quippe tunc & reuellunt, & ventilant, & mille alia beneficia præſtant, quòd à parte primo affecta vſtilagines ad cutim euocent.

Tertia autem curandi ratio iis tantũ auxilijs conſtat, quæ topica vocantur: quæ ſanè tunc locum obtinent, cum duæ prædictæ indicationes præceſſerint, & his conſtant medicamentis, quæ præter id quod à capite (ſi quid cõtentum in eius venis eſt) pellant, refrigerant quoque & ipſum temperatius reddant, (ne amplius ſuſceptet,) aut ociſsimè repulſu liberent. Primũ ſanè faciem & collum molibus linteis madefacies, ligabiſque aqua roſacea madidis, vel addito modico aceto, aut ex aqua frigida cum eodem aceto roſacco vel lacte muliebri. Sed capiti mox adhibebis lac, potiſsimum muliebre, ſolum, aut cum aqua roſacea, vel aquam hordei cum ſucco limonum. Quod tamẽ communius eſt, oxyrrhodinum appellatur, ex oleo roſaceo & quarta aceti parte confectum, cui ſi addideris aquæ roſaceæ modicum, vtilius facies: Ad arcendam tamen vigiliam, addere oportet prædictis ſucci lactucæ modicum: quibus ſi affectio non quieuerit, ſcito breuiter in phrenitidem commigraturam fore.

De pſeudo phrenitide

Studui hanc paraphrenitidis ſpeciem, quæ ſepto tranſuerſo inflammato accidit, à prædicta paraphrenitide ſeiungere, quòd perpetuum obtineat delirium, & à vera phrenitide, quòd per conſenſum fiat, & quia diuerſiſsimis longè ſignis ab vtraque diſſideat, & diuerſiſsimam curationem expoſtulet. Fit autem pſeudophrenitis (ſic eam placuit appellare) ex inflammatione ſepti tranſuerſi, quam duplicem poſſe eſſe experimento & ratione cõſtat: vnã quidẽ ex fluxili aut tenui pituita vel ſanguine aquoſo reliquã vero, ex bilioſo & mordaci. Sic illa diuturna exiſtit, citra febrẽ & deliriũ aut dolorem (niſi in ſuppurationem agatur humor) hæc vero acutiſsima, cum ardentiſsima febre, delirio & difficillima reſpiratione. Illa enim quæ ex frigido fit ſucco, quia neceſsitatem plurimum non auget, reſpirationem & pulſum nõ adeo mutat, vt 4. de præſagatione ex pul. Gal. inſinuat, ſequitur tamen hanc tumor & hypochondriorum tenſio, ob muſculorum tenſionem. Cum autem pituita hæc tenuis tẽporis tractu craſſeſcit, ſuccreſcit dolor, item & difficultas reſpirandi, ac pulſus duities cum maiore hypochondriorum tenſione, ſinè tumore manifeſto: quod ſi febris aliquando accedat, ſignum eſt ſuppurationis, & mox delirium ſuccreſcit: quod ſi febris non ſubſequatur, laborans tabe contabeſcit & moritur. Verùm ſi ex bilioſo fiat recremento, cum protinus ea parte concluſus putreſcat, ſequitur facilè febris intenſiſsima, item deliriũ perpetuum.

Idque

Idque non alia ratione, licet plures medici aſſerant diuerſum, quam per conſenſum & communionem, quam cerebrum per varias neruorum propagines habet cum ipſo. Quo fit, vt ſepto inflammato, delirium ſit perpetuum, potius quam quouis alio membro principe inflammato, quia ſepto inflammato communicatur flogoſis & incendium per continuitatem nerui à ſepto in cerebrum: quo fit, vt tamdiu duret delirium, quandiu ſepti inflammatio. At in reliquorum viſcerum inflammationibus non ita, quia fit conſenſus per euaporationem ſolùm, non per hanc & colligantiã, vt in ſepto: item quia ſepto præſtitit natura neruos perpetuo ſe mouentes inter dormiendũ videlicet, vt & in vigilia, quia effecturus erat perpetuo naturalem reſpirationem: & qua ratione ſemper mouetur, eadem ſemper cerebrum à quo perpetuo recipit, perpetuo patitur: quæ ratio me coegit pſeudophrenitidẽ appellare, hoc eſt ſpuriã phrenitidem, quia cerebrũ modo dicto ferè per eſſentiam: ex pleura verò, iecore & reliquis viſceribus minime: quia delirium in his fit per tranſmiſsionem, quæ adeò continua non eſt, ſicut communio quæ fit per neruos.

Habet enim ſeptũ magnam cum præcipuis membris colligantiam & communionem: cum corde quidem ob arteriam magnam, quo fit, vt febris ardentior ſit: cum cerebro, per neruos, cum iecore per venam cauam. Sequitur etiam in his antequam delirent, reſpiratio parua & frequens, vt docuit Galen. 5. de locis. cap. 3. Adeſt & hypochondriorum tenſio citra euidentẽ tumorẽ, vt conſtat etiam. 1. popu. part. 3. comment. 18. ex quo vt refert. 4. de præſa. ex pul. mox ſequitur delirium cum inæquali reſpiratione, modo parua ob dolorem ac tenſionem, modò rara ob delirium. Adeſt & circa hypochõdria pulſus, vt docuerat Hipp. 1. prog. 31. & popu. 1. part. 3. commen. 18. dixit enim, ſi pulſus inſit in hypochõdrijs, maniã aut perturbationem ſignificat. Qua parte expendendum eſt, pulſum in hypochõdrijs, vt duo dixit ſignificare, ita prorſus à duabus cauſis proficiſci: quippe aliquando prodit à ſepti tranſuerſi inflammatione, & tunc maniã, hoc eſt grande delirium (non veram maniã, quæ ſine febre eſt) quale ſolet maniacis accidere, ſuccreſcit: nonnũquam verò perturbationem oſtendit ſolùm, vt in melancholicis affectionibus cõperimus, & tunc prodit ab arteriæ quæ iuxta dorſum eſt, pulſatione, vt in pleriſque fœminarum, quæ hypochõdriacis affectionibus premuntur, non rarò comperimus: nec non & in viris: nam ob id dixit Hipp. ſi pulſus inſit in hypochõdrijs maniã (hoc eſt grande delirium) aut perturbationẽ, hoc eſt, peruerſionẽ imaginatricis in aliqua re: non quidem dixit maniã, & perturbationem, ſed alterum, iuxta cauſæ diuerſitatem & naturam, vt etiam lib. de fœm. morb. proprio. cap. de arteriæ pulſatione expoſuimus.

Fieri autẽ ex hac parte delirium, & huiuſmodi accidentia cognoſces, quia nullũ apparet in capite aut facie ſignum caloris, neque ſtillat ſanguis è naribus, vt in vera phrenitide. Item in hoc affectu febris primò exoritur, & poſtmodum deliriũ: at in vera phrenitide & febris, & deliriũ pariter ferè hominem apprehendunt, licet Ætius quarto die delirium fieri referat, quod eſt, ſenſibiliter eo die apparere, etiã ſi ferè ſimul ingruant: & hoc eſt quod Galenus ſcripſit lib. de locis affectis, nimirũ delirium ex ſepto inflammato parum à continuo diſtare, hoc eſt, quod alterum vnà cum febre, & reliquum paulò pòſt incipiat. Prætereà habet tanquam peculiare, & proprium hæc affectio tenſa hypochondria, dura, ac ſi mens libera ſtetiſſet, dolentia, maximè iuxta medium thoracem. Sed potiſsimum cognoſcitur ex reſpirationis differentijs: nam dictum eſt à Galen. mille in locis, ſic affectos breuiſpiros

eſſe,

esse,hoc est, habere frequentem respirationem, iuxta Hippoc. decretum primo prognosticorum dicentis. Spiritus frequens dolorem significat aut inflammationẽ in partibus quæ supra septum transuersum sunt; cum ex propria natura qui delirãt respirationem habeant raram, vt idem Hipp. eadem parte scripserat dicens. Magna vero & ex longis interuallis delirium indicat: nam sic respirare eius est, qui neque quando desistere ab actione oporteat, nouit, neque rursus quando incipere: at vero paruam & frequentem efficere respirationem eorum est, qui inflammata habent instrumenta respirationi seruientia, ita vt non audeant præ dolore distendere, & præ inflammatione cogantur frequenter respirare, signum quidem prædictæ inflammationis.

Dubium. Forsan dubitabit aliquis & non citra rationem, quî fiat, quòd sic affecti delirantes paruam & frequentẽ (eò quòd præ dolore non audeãt plurimũ distendere respirationis instrumenta, sed frequẽter ob id cogantur ea mouere) efficiant respirationem, cum delirantes omnino dolorem non sentiant, quo possint se à maioribus motibus retrahere, aut paruam efficere respirationem. Itaque aut concedendum est omnino non delirare, aut si delirant, breuispiros non esse. Cui dubitationi dicimus, sic affectos omnino delirare & nullum sentire dolorem, licet dolendi causam obtineant, cum hoc tamen non posse magnam & ex longis interuallis edere respirationem, qualem phrenitici habent, quòd instrumenta ob inflammationẽ & maximum impedimentum (etiam si id natura efficere conetur) distẽdi nequeant: quò fit, vt necessariò, licet delirent, parua fiat respiratio, & ea ratione, ac ob incendium, frequens. Habet tamen hoc specialius vt inæqualitatem maximam obseruet, ob varias delirantium apprehensiones, quæ tamen licet paruitatem mutare nequeãt, quia inobedientia instrumentorum id renuit, cum hoc tamen in ea paruitate cõperimus inæqualitatem non leuem, sed longè maiorẽ interraritatẽ & crebritatem: quippe aliquãdo creberrimam efficiunt respirationem, nonnũquam verò raram: magnam tamen nunquam. Huius autem affectionis curationem capit. de pleuritide latiùs scriptam reperies.

De exqui sit a phrenitide. Phrenitidem perpetuum esse delirium (quia causam in cerebro fixam sortitur) cum febre (quòd inflammatio sit) nemo dubitauit, licet aliquando in principijs inflammationis resipere laborantes videantur, vt refert Hippo. lib. 3. popul. parte 3. com. vltimo, in historia illius qui in Dealcis horto habitabat. Quæ sanè causa maximæ eruditionis viros coegit asserere, perpetuum delirium non esse de essentia phrenitidis. Verũ etiam si id aliquando accidat, arbitrandum est fieri, quòd nõdum firmatum sit malum, & quòd cõfluxit, dissipauerit natura maiori ex parte, & redeũte iterum fluxione, malum & delirium presiùs firmantur. Cui sanè intermissioni, quæ certè possibilis est, medicus non subinde plurimum fidere debet, credens inflammationem non esse: nam sæpè, si præsidia id non vetuerint, periculosiùs & grauiùs reuertetur. Quam etenim inflammationem multa sibi ad notitiam & curationem prærequirere certum est: nam primò scire oportet, quæ pars cerebri in ea afficiatur: secundò, quis affectus præter naturã sit: tertiò, à quo humore & causis oriatur: quartò quibus signis innotescat, & vltimò qua ratione curari debeat: sed quia veræ & maximæ propriæ differentiæ huius affectus, à loco affectu, à forma, & ab effectrice causa desumendæ sunt, ab affectæ partis cognitione incipiendum esse duxi, licet non desint qui à sympthomate à quo nomen sumit affectio, id etiam debere fieri statuant: quorum sententiam sequi mihi hac in parte non displicebit.

Circa

Circa primum variè sensisse authores, & varium quoque fuisse Gale. euidenter cuique eorũ scripta euoluenti constabit. Quippe Rasius primo conti, piam meningem solùm in hoc affectu pati, euidenter insinuauit. Item Serapionis decreto constat duræ tantum meningis esse affectionem: cuius etiam sententiæ fuit Zoar. Verùm Auicenna prima 3. tra. 3. cap. 1. inquit Carabitus est apostema calidum, in velamine cerebri subtili ac grosso absque corpore eius: cuius decreto constat vtriusque membranæ esse affectionem, quæ cerebri substantiam non pertingit. At Galen. lib. 4. de præsag. ex pul. capit. 8. & 9. cerebrum in phrenitide posse inflammari & eius membranas fatetur: de cerebro autem quod maius infert dubium, sic refert. Cerebri quidem substantia omnes potest pati inflammationis species, excepto scirrho, quod dictum idem author interpretatur primo pror. dicens, phrenitidem esse irrigationem cerebri ex immodica bile. Quæ omnia si diligenter expendas, reperies proculdubio contraria, aut saltim diuersa existere. Ego autem arbitror cerebri substantiam irrigari posse biliosis & tenuibus humoribus, qui postea inflammati, succensi ac putrescentes, febrem excitant & delirium, ob loci affecti conditionem. Cum hoc tamen contingit, & Galen. ex Hippocra. refert, frequentiùs phrenitidem ex membranarum inflammatione fieri, & maximè tenuis, vt docet Galen. 4. de causis puls. qua in parte licet ex sola meninge fieri asserat, arbitrandum est id esse dictum, quia cerebrum nequit ex propria natura inflammari, quin tenuis membrana simul oblædatur, & ob id reijcit in eius membranæ vitium prædictum accidens. Asserimus tamen, cerebri substantiam aptiorẽ esse ad lethargum efficiendum: de dura verò membrana sentiendum est frequentiùs posse inflammari, vt Barbari asserunt, & deliriũ efficere, non mox à principio vt si tenuis inflammetur, tamen à causis externis, vt in capitis vulneribus frequentissimè conspicimus, sicut tenuem membranam potissimum ex internis: & sic authorum decreta stabunt quodammodo vera. Nam cerebrum irrigari & inflammari ea ratione ac delirium efficere à flaua bile, nemo est qui ambigat: sed quia laxioris est substantiæ, & prædicti humores tenues, rariùs id continget, quantò frequentiùs pituita irrigari, quæ crassior est & lethargum effectura. Membranæ autem frequentiùs efficiunt phrenitidem, sed interior à causis internis, & exterior ab externis frequentiùs afficitur: vtcunque tamen sit, in phrenitide principem animæ sedem, puta cerebrum læsum esse opus est.

Pars affecta.

Affectus natura. Affectus tamen natura & conditio non ita constat, neque ex authorum mente & decretis aliquid firmum ac stabile colligi potest: nam licet apertum sit & commune cerebri esse inflammationem, non tamen satis constat, qua via cerebrum inflammari possit. Verùm ne in dirimendis controuersijs, plus temporis quàm scribendi institutum postulat, conteramus, asserendum est, phrenitidem omnem, cerebri inflammationem (in qua tria morborum genera necessariò reperiuntur, nimirum præter naturam tumor, qui partis vitiet figuram, & calida intemperies ob humorum succensionem, aut putredinem, & vltimo soluta vnitas) re vera nõ esse. Nam si quis rem hãc diligentiùs pensitet, reperiet proculdubio non semper hæc omnia in phrenitide adesse. Quod sanè dogma vt exactè teneas, scito, si Galeni decretis Pauli, & Ætij standum sit, nomine inflammationis hac in parte (præter eam diuisionem, quæ dissecat inflammationẽ in siccam, hoc est, in incensionem, & in humidam, quæ tumorem durum & dolentem designat, cuius hîc meminimus) tria esse intelligenda, omnia quidẽ phrenitidem,

& phreniticum etiam deliramentum inducentia. Primum irrigationem cerebri à bilioso humore,vt ex Hipp.adduximus primo prorr.&.1.popular. nam phrenitidis causas scribens,inquit:A flaua bile fit,cerebrum & eius membranas occupante.Quo tempore efficitur quidam modus phrenitidis hecticæ,cuius meminerat Gale.1.in.1.prorre.comment.33.dicens: Phrenitide ex bilioso succo genita,cum is in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipsius nondum toti cerebri corpori permista, tumultuosæ fiunt desipientiæ: procedente verò tempore,simile quidpiam contrahitur lanis, quæ ab his qui infectores vocantur tincturam accipiunt;talis igitur cerebri veluti tinctura,desipientiã hecticã,vt latius inferiùs probabo.Secundum,efferuescentiam & succensionem, aut trãsitum humorum qui sunt in venulis membranarum cerebri ante integram inflammationis constitutionem,& sic constat quosdam fieri phreniticos, citra id quòd præcedat grauis dolor,qualem inflammationis principium inferre solet,ante,inquã, quã laborans conspicuè delirare incipiat.Quod sanè fit,quia sola adest humorũ copia,& transitus cum leui efferuescentia,citra id quòd humores afficiant morbum in soluta vnitate.Cuius(dum adhuc humores in venis præsunt,ac in via existunt ad spatia non naturalia,& verã inflammationem)meminerat Gale.1.popu.part.2.comment.73.sub nomine delirij vigoris febrium. Quippe statuens ex bile fieri ardentẽ febrem,dum in venis putrescit interiorum viscerum paruis,aut phrenitidẽ si in spatia carnis cerebri,aut membranarum decidat,inquit: Verùm priùs quã inhæresçat profluens venas in his sitas,non phrenitides:cæterũ quæ in vigoribus sunt febrium deliria efficit. Ex quo loco non licet colligere esse spuriam phrenitidem,quia non haberet perpetuum delirium,vt ex humore transeunte per dictas venas fieri est necessum, neque veram phrenitidem,sed pseudophrenitidem(vt quæ à septo fit inflammato)licet nuncupare: quia tamen delirium non est ita vehemens,& cum tremoribus ac in phrenitide vera, appellat iure optimo simile delirium ei quod fit in febrium vigoribus, & hac ratione cum phrenitide venit annumerandus huiusmodi affectus.

Tertium verò & vltimum,verã arbitror esse inflammationem, quæ in spatijs fit & porositatibus partium,vbi ad eas ex venis excurrit humor, tumoremq; efficit præter naturã atq; abscessum,& prædictos morbos,ad quos iure optimo hunc affectum reduces. Ex quibus omnibus licet vera phrenitis fiat, quatenus continuum est delirium cum febre,& affectio per essentiam in capite, eam tamen ex tribus memoratis,exquisitiorem iudicamus phrenitidem,quæ ex vera inflammatione mẽbranæ suboritur:cui proculdubio & pathognomonica signa, & verũ in hoc affectu præsagium propriùs conuenit.Quòd si hanc membranarum inflammationem solam velis veram phrenitidẽ(vt vulgò fertur)appellare;non recusabo: quantumuis authores nõ contemnẽdi, solam cerebri substantię inflammationẽ, arbitrentur exquisitiorem:dummodò intelligas cerebri substantiam posse(vt dictum est)certo modo inflammari,& longè grauiorem affectum gignere,quàm sit vera& exquisita phrenitis.Quippe tanta est huius affectus vehementia cùm hominem apprehendit,quòd intra quartam diem,sæpè mortẽ accersat.Hanc profectò cerebri inflammationem censeo esse,quã Hipp.designauit.7.apho.51.dicens: Quibus cerebrum sphacelatum est,in tribus diebus pereunt,si verò hos euaserint, sani fiunt.Huius etiam morbi meminerat idem Hipp.3. de morbis sub nomine sideralionis,seu sphaceli cerebri, necnon &.2.eiusdem operis lib.Item inflammationis cerebri meminit quoque Paul.& Ætius. Oriba.& Auicenn. qui omnes diuersum

diuersum constituunt à phrenitide caput, quòd re vera multis modis inter se dissideãt.Nam licet consimiles videãtur,affectionis & loci affecti similitudine: dissidẽt tamẽ,quòd phrenitis plerũq; membranis accidat:hæc verò affectio,nõ nisi cerebri substãtiæ,idq; nõ in superficie irrigationis instar,vt sæpè phrenitis etiã efficitur,sed in penitioribus & abditis eius partibus & vẽtriculis;quo fit,vt etiã sympthomatis ratione,lõgissimis interuallis dissideãt.Nã in phrenitide cõmuni adest deliriũ, verũ, licet sensus lædantur,nõ tamẽ deperdũtur:in hac verò cerebri inflãmatione,ita sensus omnes deprehendũtur, quòd nullũ appareat delirij genus, sed ante integrã huius mali inuasionẽ,laborantẽ apprehendit ingens capitis dolor,vniuersæ spinæ per dorsum cõmunicatus,à quo statim omnes sensus,tã interni quã externi deprehendũtur,solo manente motu,qui adeo validus in plerisq; subest,vt vix vno loco se cõtinere possint.Nam sic affecti mox exiliũt,tentantes omnẽ inordinatũ motũ manibus,cruribus,ac vniuerso corpore,quibus se ipsos & astantes veluti concutientes perdũt:capillos & barbam euellũt,ac velati carnem dilacerant, quod Paulus per anxietatem expoſuerat.Cũ hoc tamen procedẽte morbo, ob partis principis corruptionem,corpus langueſcit adeo,vt nullum videatur supereſſe sensus vestigiũ,etiãſi vehementer lædas, febre tamen vigente validissima. Quæ sanè omnia arbitrandum est, proficisci, quòd inflammatio substantiam corpusque cerebri intrinsecus occupet, cuius ratione omnium cerebri actionũ orbari videntur; præterquam in parte neruosa,ad quam adeunt spiritus animales.Verũ cum hoc sentire nequeunt, quia mens ægrotat. Sed quia interiùs supra modum affliguntur maximo illo incendio,irritatur quãmaximè natura,& motus illos vehemẽtissimos molitur, quòd nerui spiritu nõ priuẽtur.Atque hæc est huius morbi natura & conditio,orta quidem ex copioso & feruido ac bilioso sanguine in substantiam cerebri prolapso, cũ febre tamen, qua differt ab illo inflammatorio cerebri affectu, cuius meminit Galen.2.apho.42.constituens secundam causam apoplexiæ, vt proprio cap. reperies. Differt insuper à phrenitide, ea nimirum quæ fit per cerebri irrigationem; quia in ea non penetrat ad intima humor,vt in sphacelo. Antè tamen quàm differentias ex causa subducta ratione sequar,eas quæ à sympthomate sumũtur,enodare fas erit,siquidem adeo principales existunt,quod nomen huic affectioni imponere visum sit.Cuius ratione ni cito præueniatur,in veram corruptionem & sphacelum cerebrum commigrat,ac si euadat,vacuationibus conuenientibus, maximè à venis nasi sæpius factis,mirum non est,si sui & aliorum immemor supersit laborans, aut mẽtè commotus vel tardus. Huius affectionis meminisse hac in parte placuit, vt quæ rarò accidat, & ob id longè minùs cognoscatur ac distinguatur à phrenitide,cùm aliquo modo similis videatur,sed re vera(vt dictum est) mille modis dissident,nec omnino consimilem admittunt curationem.

Sympthoma autem,à quo nomen sumpsit phrenitis, de genere est deprauatarum actionum,maximè rectricum cerebri & sentientium interiorum.Ex qua sanè læsionis sorte (ob Galen. quem perperam intellexerunt) multi arbitrantur tres esse phrenitidis species, dissidentes penes trium animæ potentiarum cerebri læsionem. Quippe vnam censent nasci ex phantasiæ vitio, aliam cogitatiua læsa, tertiam vero ex vriusque iactura, quum ex memoriæ vitio phrenitis non fiat, licet in eis etiam oblædatur. Et nituntur suam positionem firmare, eò quòd hæ potentiæ non solùm re vera inter se differant, sed & loco etiam affecto: nam anteriorem cerebri partem, phantasiæ, posteriorem memoriæ, & mediam cogitatiuæ tribuunt. In qua sane re, cùm difficile sit creditu sede esse distinctas,

licet mihi compertum sit, non esse confusas, distinctionem tamen localem assignare, perdifficile arbitror. Quapropter censendum est cum beato Augustino lib. de anima & spiritu, & Alexandro aphro. in institutione de anima, & cum Themistio lib. de memoria, vnicam tantùm sentientis & cognoscentis animæ potestatem esse, quæ modò sensus communis, modò phantasiæ, modò memoriæ, facultatis nomen pro functionis varietate sortitur, quam sentientis animæ essentiam seu virtutem, vnicam esse, sed diuersis facultatibus præditam, primus omnium cognouit Hippocra. lib. 1. de officio medici. Nam loquens de his animæ potentijs, quibus cognoscimus, generatim duarum solùm potentiarum meminit, sensus videlicet & mentis. Attamen, quamuis anima sentiens vnicam generalem virtutem & potentiam sortita sit, in speciales potentias & facultates, penes proprias functiones dissecatur. Verùm quoniam operationes non à solis facultatibus, sed simul cum suis organis fiant, efficitur, quòd licet vna generali facultate conueniant, cùm hoc tamen penes diuersas functiones, diuersis organis exequutas, distinguantur. Cùm enim phantasia sit vis discretiua, quæ rerum omnium imagines, à sensibus forinsecus allatas, ante se positas contempletur & discernat, & memoria sit susceptiua discursuum & imaginum, & earum sit etiam reseruatrix, necessum est diuersa sortiri organa, quibus operentur, ad quorum læsionem compatiantur. Quibus omnibus superior est intellectus, nullo pacto organicus existens, neque eo indigens, sed solùm per conuersionem ad phantasmata agens. Phantasiæ tamen & memoriæ muneribus duæ reperiuntur in cerebro aptæ organorum sortes, (præter eius ventres, spirituum contentores) nempe ipsius mollis substantia seu parenchyma, & rursus spiritus per ipsam immersi & disseminati, quippe venæ & arteriæ nutritoriæ potiùs facultatis, quàm imaginatricis aut memoriæ, ministerium implent. Sic profectò cum imaginatrix, rerum sensibilium species discernat, & varia spectra producat, videtur in actione potiùs consistere, sicut memoria magis in passione: quæ rerum & imaginum susceptiua & reseruatiua est. Quo fit, vt imaginatrix organum requirat actioni magis paratum, veluti spiritus est, & memoria corpus & substantiam cerebri, quæ passioni & receptioni, atque reseruationi aptior existit. Quippe spiritus & calor, cuius est mouere & agere, potissimum agentis vim habent, sicut cerebrum, in quo magis & intimiùs recipiũtur rerum imagines, vt diu & tutiùs quietæ & adseruatæ maneãt, ad memoriam conducit. Quæ sanè organa non ita facultatibus separatim inseruiunt, quòd à sibi ipsis proprios vsus etiam non mutuentur: siquidem neque cerebri substantia sine spiritibus, neque spiritus sine cerebri substantia, in qua, ceu in peculiari subiecto, adseruãtur, vtilitatem aliquam facultatibus afferre possint, quamuis in vniuerso cerebri corpore, tum substantia, tum spiritus reperiantur. Quò fit, vt hæ duæ facultates per vniuersum cerebri corpus sint disseminatæ, nihilominus tamen, cerebri pars posterior, cum magis densa sit, & subinde minus spirituosa, licet spiritibus etiam opus habeat, anterior magis rara, laxior, porosaque, & subinde maiori spirituum copia affluens; fit vt quemadmodum medici tum Arabes, tum Græci statuerunt, memoria in posteriori cerebri parte euidentiùs operetur commoditate illius partis, licet in toto cerebro resideat: imaginatrix verò in anteriori, iuxta cerebri ventriculos, ob eandem commoditatem & instrumenti aptitudinem: quia in ventriculis spiritus etiam vberior est copia, quamobrem statuendum est, omnes in toto cerebro esse, separari tamen hoc

hoc est vigere earum actus, & operari certis quibusdam locis, vt dictum est. Quo fit, vt ea parte læsa, lædatur primo & euidentiùs potentia, quæ ibidem operatur, vt constat ex distinctione læsionis prædictarum potentiarum. Nam licet cerebrum sit earum sedes, cum hoc tamen, quælibet peculiare habet in ipso temperamentum & organi differentiam, qua velut instrumento proprio, perfectius operatur, licet ipsa toti cerebro innitatur. Quod sanè intelligendum est, de his potentijs quæ organo vtuntur corporeo: nam ratio seu mens nullo indiget neque vtitur, quia incorruptibilis est, & separata substantia, agens per conuersionem ad phantasmata. Sic dum cerebrum inflammatur, non omnes protinus læduntur, quia etiam si totum cerebrum incalescat, non omnes vna intemperantiæ sorte oblæduntur, quòd diuerso modo oporteat anticam partem intemperari, vt phantasia euertatur ab intemperantia apta ad extimatiuæ actus læsionem: & rursus memoriam non quod vis intemperamentum lædit, sed certum, nimirum contrarium ei, quo quæuis harum potentiarum operatur: & cum vna intemperies nequeat omnibus contrariari, neque omnes vno temperamento vti, sed determinata determinato, eo fit, non posse omnes lædi ab vna cerebri intemperie, nisi vera sit inflammatio, quæ structuram etiam euertat. Præterea licet hoc certum sit, non ob id constat fieri diuersas vnius mali species, eo quòd varia subsequantur deliramenta: alioqui vnius etiam febris, quòd diuersa suboriantur sympthomata, variæ quoque aderunt species. Est quidem verum in vno eodemque morbo, diuersarum potentiarum fieri sympthomata, cæterum illa non constituunt diuersas illius morbi species, sed varias morbificæ causæ, aut morbi ipsius vires. Quo fit vt sympthomata harum potentiarum potius constituant gradus vnius morbi, quàm diuersas species: quippe phantasia, vel halitibus solum ascendentibus cerebrum perturbatur, quòd sensus falso immutentur & facilè phantasiam euertant: ratio est, quia in se lædi non potest, nisi ex cerebri aliquo intemperamento, quòd ipsa phantasmata vitiet, quo falsum de rebus efficere assensum cogitur. Sed de memoria aliter est sentiendum, nimirum à grauioribus causis lædi, vt probat dius læsio, quæ semper in declinatione magnorum morborum succrescit, ob causas præternaturam diu operantes: quapropter, huiusmodi deliria non species, sed gradus phreniticis constituere nata sunt.

At si quis dixerit, à causa quæ memoriam aut rationis actum lædit, necessariò phantasiam lædi, & ob id non posse distingui, vt Galen. 2. de cau. sympthom. & 4. de locis affect. statuit, respondendum est, non omne intemperamentum, quamuis potentiam posse lædere, sed determinatum, determinatam & certam, nisi in his laborantibus, in quibus vera fit inflammatio in sphacelum commigratura, aut multa bilis cerebrum irrigat, vt omnis cerebri temperies, & omnis eius structura euertatur, sicut in vera phrenitide comperimus, in qua omne delirij genus apparet, licet confusè. Quapropter (vt mea mens tenet) arbitror phrenitidis species ex modo inflammationis potissimum venandas fore: quas sanè tres esse diximus, vt quæ variam curandi rationem ex propria natura & ex humoris peccantis conditione præscribant: non quidem ex diuersa delirij specie, quæ specificam curationis differentiam non præstat, nisi ad summum, quo ad magis & minus: ni dicere velimus, quòd ea ratione qua Galen. sumit nomen sympthomatis, pro morbo, eadem etiam *Dubium.*

neoterici (etsi licentiosiùs) decepti Galen. diuisione, secuerunt morbum ad diui-
sionem sympthomatis. Sed falluntur profectò; siquidem vera morbi ratio in in-
flammatione sita est, quæ nullas per deliramenta patitur diuisiones. Et ob id iu-
re optimo, phrenitidem potiùs per eius substantiam dissecare possemus, quàm
per accidens, cum hoc tamen, quia nomen sumit ab accidenti, per ipsum diffi-
nire licet.

Sic phrenitis nil aliud est, quàm delirium perpetuum cum febre acuta, propter
tumorem calidum cerebri, aut membranarum eius. Sed per verbum illud deliriũ,
subaudire oportet principem cerebri functionem deprauatam, cuius nomine in-
telligimus phantasiam & rationem solùm; non seorsum vnamquamq; per se, vt
Galen. statuit, sed vtrasq; simul: quippe solam rationem vitiari posse non censeo;
vt exemplis à Galen. positis, constat. Illud tamen in hac re statuendum est, quòd
ratio sola, citra imaginatricis vitium obkedi non possit, neque phantasia citra ra-
tionis vitium. Nec probat contra hanc veritatem Galen. authoritas, qui delirium
Theophili, ex læsa ratione fuisse explicuerit, quantũuis media cerebri pars inflam
metur: quia non minus læditur phantasia, quam si anterior ventriculus inflamma
retur, vt in illo qui proprijs nominibus vasa nuncupabat, & tandem per fenestras
proijciebat. Quo tempore rationem per accidens deprauari est arbitrandum; vt
in Theophilo qui discurrebat, quatenus circa praua phãtasmata versabatur, & eà
quæ falsa erant, tanquam vera iudicabat: quod in melancholia affectis pari ratio-
ne comperimus, si quidem arbitrantur, & credunt imaginationes, timore & tri-
stitia plenas, veras esse. Cuius doctrinæ gratia (licet Galen. aduersari videa-
tur) expendendum est (vt Galen. sententia, perperam forsan intellecta, verior ma-
neat) mentem humanam ad hoc, vt operetur, corporeo organo nõ indigere; quod
noscens Arist. 2. de Ani. tex. 92. dixit: Quam partem mens seu intellectus habeat,
difficile est imaginari: hinc fit, vt læso corpore ipsam per se nullam noxam incur-
rere possit. Cæterùm quia ad hoc, vt operetur, eget aliquo existente in corpore,
nempe imaginatiua subministrante sibi phantasmata: ob id ipsa, quoad propriam
operationem considerata, aliquam corporis partem (non sedem, quia sedes corpo
ribus debetur) veluti locũ, in quo proprias functiones edat, iure optimo exoptat.
Quo fit, vt cum imaginatiuæ facultatis munus, cuius mens indiget, sit in ca-
pite, ideo Arist. 30. part. problem. problemate. 3. &. 18. parte, problem. 1. &. 7.
poli. 15. statuit intellectum in capite locari quodammodo: nimirum quia in capi
te, per mediam imaginatiuam propria munia exequitur. Quibus suppositis, con-
stat, quod læsa imaginatiua ceu proprio rationis organo, necesse est, vt per viam
causæ instrumentariæ intellectio quoque offendatur: & è contra ex læsione ratio-
cinatricis, per viam signi, imaginatiuam fuisse læsam statuendum est: dummodo
intelligamus, imaginationem per se lædi, suo modo: ratiociniũ verò per accidẽs,
hoc est læsa imaginatione. Læditur etiam ratiocinandi ministerium vitio memo-
riæ, quia cum discursus & ratiocinatio per compositionem & diuisionem fiat, &
ij actus citra memoratricis facultatis ministerium fieri nequeant, hinc fit, vt læsa
memoria ratiocinandi quoque munus oblædatur: eo magis, quo ipsius me-
moriæ lapsus fuerit maior: siquidem læsis his duabus potentijs, quibus intelle-
ctus opus habet, necessum est, eius actũ seu ratiocinium vitiari quoque. Quo fit,
vt statuẽdum sit, vtcũque in ratione vitium appareat, ab imaginatrice vel memo
ria læsa semper primò prouenire, non autem per se. Neque obstet Galen. authori-
tas, qui Theophilũ medicũ deliraſſe vitio imaginatricis, ratione illæsa, & lanificũ ratio-

ratione vitiata, cũ integritate imaginatricis affirmat, nã si quis rẽ diligentiùs cõsi-
deret, & Galen. ipsum attentiùs legat, reperiet, neque Theophilum phreniticum,
sed melancholicum fuisse vitio imaginatricis. Primò, Theophilum phreniticum
non fuisse constat ex Gale. lib. de diff. sympt. qui solùm dixit simpliciter deliraſſe,
cum specificasset phreniticum fuisse eum, qui vasa per fenestras proijciebat. Et
confirmatur ex. 4. de locis aff. vbi phreniticorum delira recensens, Theophili nõ
meminerit, quia non fuit phreniticus, sed melancholicus, vt apertè ex eodem Ga
len. 8. in. 6. popu. 15. quo loco Theophili malum referens, apertè ait melancholicũ
fuisse. Neque est aduersus nostram sententiam Galen. dictum. lib. de diff. sympt.
de lanifico, in quo solam rationem fuisse læsam videtur testari, siquidem quarto
de locis affect. de eodem verba faciens, dixit, nõ esse seruatam imaginatricem, sed
sensitiuam notitiam, & vt ego arbitror memoriam: nam vasa suis nominibus nun
cupare, memoriæ potiùs actus est; & ea proijcere, imaginatricis errantis, cum vi-
tio rationis iudicantis bonum esse puerum proijcere. Quòd si in lanifico imagi-
natio læsa non erat, quòd vasa nominabat, ergo neque in Theophilo, quòd fami-
liares cognosceret, & tibicines suis nominibus appellaret. Quibus videtur su-
peresse probatum, rationem non lædi per se, neque imaginatricem sine vitio ra-
tionis.

Supereſt etiam dubitandum in sympthomatis phreniticorum, qua nam ra- *Dubium.*
tione vis sensitiua interior lædatur, & tactus aliquando penitus deliteſcat, adeò
vt dolorem non sentiant, motiua verò permaneat & ad tempus intendatur, qui-
nimò quo sic affecti vehemẽtiùs delirant, eo fortiores edunt motus actiones. Cui
dubio respondent multæ rationes: prima quòd cerebrum cum sit principium sen
sus & motus, sensui præstat patiẽdo & motui agẽdo: in phrenitide verò calor qui
augetur, præstat & iuuat actus motus, ineptiusq; reddit cerebrum ad sentiendum.
Sed commodior videtur alia quæ monstrat, motum exequi naturam in postica
cerebri parte, & sensus omnes in reliquo cerebro, in quo constat phrenitidẽ resi-
dere, ac ex consequẽti necessum esse sensus omnes primò oblædi, deinde motum.
Præterea calidiras reddit neruos omnes ficciores, & ex cõsequenti potẽtiores ad
motum, ineptiores tamen ad sensum. Sed alia ratio mihi proprior videtur, nimi-
rum, quòd causa validioris motus sit, sensuum, præcipuè tactus (nam alij plerumq;
perspicaciores euadũt) diminutio: quippè sic affecti, nullam molestiam, nullumq;
dolorẽ sentiunt, & cum vires motiuæ eo maiores sint, & ad laborandũ prõptiores,
quo sensus minimè defatigantur, ob id, quo intensiùs deliranr, minus fatigantur,
quantumuis vehementiores edant motus.

Sed de memoratrice potẽtia non leue succreſcit dubium: an videlicet ea læsio- *Dubium.*
ne possit lædi, qua reliquæ potẽtiæ in phrenitide læduntur? Ansam præbuit huic
dubitationi Gal. qui nullum protulit læsionis eius verbum in explicatione phreni
tidis, cum euidentissimum sit, ipsam in quauis phrenitide læsam quoq; apparere.
Quod sanè euẽtu quotidiano conspicimus, siquidẽ postulata matula, meiere obli-
uiscuntur, aut linguam si semel medico monstrauerint, recondere: sed etiam respi
rare, præ obliuione plerunq; desinant, adeò vt magnam, & ex longis interuallis
respirationẽ efficiant, quod est inseparabile delirij indicium. Censeo tamẽ in hac
re consultò Gal. memoriæ læsionẽ à phreniticis delirijs ablegasse; & solùm memi-
nisse phantasiæ & rationis, aut vtriusq;: primò, quia in phrenitide memoria nõ de-
prauatur, sed imminuitur, adeò vt necessum sit ad mictum & respirationem eos
monere. Præterea cum memoriã potiùs in pasione quàm actione consistere

rationabile sit,(siquidē eius munus solùm est phantasmata & ratiocinia recipere & conseruare)imaginatricem & rationem prauè agere posse constat, hanc verò solùm diminui,aut nihil recipere vel conseruare:nam si prauas imagines vel ratiocinia seruauerit,id vitium in phantasiam & rationem, non in memoriam debet referi, licet reminiscentiam nonnihil aberrare & corrumpi posse, non rarò visum sit, referens vnum pro alio, vt cap. de læsa memoria latiùs explicaturi sumus. Et ob id,statuendum est in phrenitide memoriam non vitiari, vt rationē vel phantasiam,sed imminui:idque non propria morbi ratione, qui in caliditate nimia situs est,& nequibit efficere sympthomata,quæ propriè frigidos sequuntur affectus,vt delæsa memoria constabit: sed imminuitur in phrenitide memoria, quia ob varias,diuersas & multiplices imagines adeò distrahitur,quòd à proprijs muneribus auersa,omnino obliuiscivideatur. Cùm hoc tamen læsione propria imminui etiam in phrenitide potest:cæterum nō ratione frigiditatis humoris(vt dictū est,nisi mista sit materiæ frigidæ aliqua portio)sed dum postica cerebri pars inflammatur,ob viarum coarctationem & obstructionem,ac membranarum læsionem:quo fit,vt diminutè quoq; agere cogatur,à copia humorum ea parte contentorum,vt sæpe in vulneribus capitis cōtigisse visum est,ob cranei fracturam,& compressionem ab osse fracto,quod in osse anteriorem cerebri partem cōprimente,etiam conspicimus ab imaginatiua læsa, cuius ratione cæteræ compatiuntur. Quo fit,vt licet memoria non lædatur nisi ex accidenti in phrenitide,nō ita ratio deprauetur, ac si per essentiam læderetur. Quod constat,quia ij, quibus per consensum imminuitur, recordantur posteà eorum quæ delirando egerint, secus res se habet de reliquis, quibus obliuio diu durat, & præteritorum nihil recordantur.

Causa. Causas in hoc morbi genere licet varias conijcere, vt cognita quæ propriùs affectum gignit,faciliùs curationem instituamus: sic ab externis & eis, quas procatarticas nuncupant,aliquando phrenitidem fieri conspicimus:cuius naturæ est valida capitis percussio,ictus & casus,dum membranas cerebrum ambientes oblædunt,siue id cum vulnere sit,siue secus:item ira,feruor,ebrietas, biliosorum excrementorum retentio,medicamentum exurens & calidum ingestum, maximè corpore pleno:sic & frictiones,exercitiū,& insolatus,eâdē plenitudine,aut cachochimia existentibus. Causæ verò intrinsecæ sunt omnes,quæ motum humorū & efferuescentiam efficere natæ sunt,siue febris, siue, quiuis alius affectus sit. Solet enim phrenitis vel incipiens,nullo alio morbo neque febre præcedentibus succrescere,quæ febrem habet vt accedens,vel febrem malignam, aut quāuis aliam exurentissimam sequi:cuius materia in cerebrum migrans, phrenitidem concitat. At materialis causa vtcunque fiat(cuius maior prouidentia habenda est)non vnica existit,iuxta omnium decretum: nam multi bilem, alij sanguinem, nonnulli adustos humores causam huic malo præstare proferunt. In qua sanè re scimus,vtrunque posse accidere:nam sanguinem cum flaua bile ita misceri in eo affectu constat,vt Paulus ex solo sanguine fieri fateatur. Item aliquādo ex bile pallida,vel ex tenuiore sanguinis parte oriri cōtingit:in quibus omnibus mitiora subsunt deliria,& cum risu,quòd prædicti humores,aut naturales sint,vel parum à natura dissideant,aut admixtam habeant serosam,pituitosam,ac humidam substantiam. Item prodit phrenitis à flaua bile,quæ vel cerebrum irrigat,vel membranas inflammatione afficit,quod sanè malum,prædictis fit deterius & acrius, ob vstionem,quæ omnium grauiorem efficit phrenitidem. In quare non est credendum, ex ea

ex ea assatione talem fieri,quæ ipsam in atram deducat: quippe hæc maniam potius quàm phrenitidem efficere nata est. Verùm si accidat in ardentissimis febribus,flauam bilem aduri in cerebro, ferina & atrocissima succrescunt deliria, quæ multi arbitrantur ex atra bile proficisci. Cæterū re vera,cum flaua bilis præ nimia adustione,iam in atram commigrauit,impossibile est phrenitidē efficere:quippè, hæc neque putrefieri potest,neque febrem succendere,vt constat ex cancri generatione,quem ferūt,ex atra bile fieri,& ob id rectè dictum est antiquis,ex atra bile maniam fieri:conceditur tamen dum bilis exuritur & generatur atra, posse phrenitidem fieri,minimè tamē dum in atram versa est. Ex quo euidens supereſt phrenitidis differentia ratione causæ,quādam nimirum esse legitimā ex flaua bile velamina cerebri inflāmante,quādam verò spuriā, quæ vel ex alijs fit humoribus,calidis tamen,aut calidis admistis,vel per cerebri fit irrigationem.

Signa sunt ea omnia,quæ in paraphrenitide adesse retulimus: cæterum ante- *Signa.*
quam ea,quæ ab authoribus tanquam peculiaria afferuntur,scribam,studui distinguere maximis & facillimis signis,quando per irrigationem,quando verò per efferuescentiam,aut per verum abscessum phrenitis fiat. Quippè efferuescentiam monstrat stilla sanguinis narium,mox incipiente delirio apparens,sicut posteà iudicium,maximè si cum conferentia fiat,& copiosior sit profusio. Sic & feruoris causa quæ præcesit aut adest. At irrigationem monstrat præcedens vertigo, aut insomniorum varietas,& tandem delirium cum propensione ad somnum, ac peculiari imaginatiuæ læsione. Sic profectò veram phrenitidem monstrat præcedens & ingens dolor,qui distento cerebro,membranarum distensionem indicat, aut si in membranis sit malum,earum diruptionem,& dilacerationem, quòd solet esse abscessus præludium. Præterea id monstratur,quòd plerunq; in hac phrenitidis specie omnium potentiarum ferè actus oblæduntur;nam cum sanitati homo restituitur, memoriam esse adhuc læsam facilè monstratur. Præterea, has species distingues propriùs ex pulsu, quàm ex quouis alio signo: nam quæ sola efferuescentia fit,pulsum habet magnum,celerem,& frequentem,vt quæ in vsu consistat adaucto,instrumentis non plurimum reluctantibus:quæ verò in irrigatione cerebri sita est,magnum etiam habet pulsum,neque mollem neque durum, non tamen æque celerem,neque crebrum,sed vndosum,cum dolore obtuso & oculorum prominentia & citrinitate. Item,mordicationem à tenui & mordaci succo, vel à consimili vapore,seu vstilagine monstrat pulsus paruus,durus, celer, & creberrimus,& conuulsiuus in fine,qui membranarum inflammatarum soboles fit, vt paulò inferiùs referam. Quòd si materia sparsa per cerebri substantiam sit, desipientia à Galen.hectica appellata.1.pro.33.succrescit,quam dignoscees, quia æger quietus iacet,nec solùm non tumultuosè exclamet exiliatq; vt antea,sed neque prorsus loquatur,aut figuram decubitus permutet, adeò vt dormituri specimen præbeat si dimittatur:cū hoc tamen manus lentè dimouet,quasi quidquā contrectās,vel inuenire cupiēs,quæ facit clausis palpebris,ac si quis loquatur ipsum,mox aperit,& continuò claudit velut dormiturus. Habet insuper pulsum languidum, angustum,& exiguum:quidam horum summissa voce loquuntur,& manus tremulas habēt, quæ omnia virtutē sumoperè languere,& phrenitidem hecticam factam iam esse,maximè si post oculorum prominentiam,quæ primo mali accessu succrescit,sic affectis oculi cauantur & saqualidi apparēt. Verùm si sanguis malo causam dederit,præter signa adducta cap.de dolore capitis, delirium erit cum risu, imaginata & visa referuntur rubra,febris vniformior,pulsus maior & plenior,

lingua

lingua primò rubra,& procedente morbo nigra,oculi tamen rubri,& lippa pleni apparent.Sic bile redundante, delirium cum rixa & contentione,vigilia intensior, oculi & facies citrino colore inficiuntur,mox nigredine & asperitate: narium aderit tenuitas, tractio frontis ad superiora cum febre ardentissima & acri. Cæterum si magis exuratur bilis, deliria erunt ferina ipsique delirantes percussores & inquieti cum pulsibus durioribus,paruis, & celerioribus. Pari ratione,si materia mixta sit, deliria quoque & prædicta signa mixta erunt.At phrenitis quæ ex membranarum sit abscessu,pulsum habet paruum,durissimum,celerem,& creberrimum,conuulsiuum in fine,ob membranarum inflammationem, & trementem in principio,ob membranarum mordicationem ab acri succo,præludium quidem futuræ phrenitidis,vt paulò inferiùs referam.

His habitis, est in genere tanquam pathognomicum & inseparabile signum, mentis aberratio, turbulentia, & facultatum interiorum erroneus actus: cæterùm non subitò & affatim, vt in paraphrenitide, sed sensim & paulatim, quod solet esse certum inflammationis præludium. Verùm si his signis compertum fuerit aliquid iam inflammationis esse in cerebro, deinceps inquirendum est, sit ne id verum, & à quo humore, & in principio ne sit, an in augmento, & quid ex eo affectu prædicere liceat. In primis incipiente cerebri inflammatione per irrigationem aut secus,necessum est primitus vigiliã adesse, eamq; continuam,quod in paraphrenitide non accidit: nã perstans & vigens causa,quæ iam in cerebro immoratur,animales potentias ad operandum perpetuò irritat,& sic conspicimus præ nimio calore mentem nutari, & nugari(quod Hippocra.refert)& laborantes præter consuetudinem loquaces esse.

Vrina autem apparens, aut delitescens,id quoque ostendere habet: quippe delitescit,& omninò supprimitur,signum alioqui ingentis læsionis facultatum interiorum,eoquòd laborantes neque pondus, neq; acrimoniam vrinæ persentiunt, quo fit,vt nõ cogãtur excernere obliuiosi facti. Verũ si quando apparuerit,habet hoc inter alia signa, quòd & futurã,& instantẽ & præsentẽ monstrare possit,phrenitidem. Futuram quidem ex circulari spuma desuper natante,quæ flatus vbertatem commostrat, quos subinde caput ituros arbitrandum est, ac aliquando secum humores delaturos phrenitidis authores:quod quidem ex propria natura licet indicare non habeat, prædicta tamen coniectura venari possumus, & eo quòd simul,aut seorsum appareat turbulenta & confusa, ac nonnunquam remissiùs colorata: ex quo iam conijcere oportet,non longè futuram phrenitidem. At vrina alba & perspicua præsentem iam phrenitidem monstrat, quippe ea apparente,euidens fit argumentum,humores vrinam tingere solitos caput iam ascendisse,ac cerebrum vel irrigare vel inflammare.

Ex pulsu etiam phrenitis haud difficulter cognoscitur: quippe parui sunt omnes, duri & frequentes, tanquam membranarum inflammatarum, quos esse magnos est impossibile, nisi cerebri substantia affecta sit vt anteà dixeram.

Verùm cùm inflammatio iamiam in augmentum tendit, succrescit protinus ferocitas, audacia, & in omnibus rebus temeritas, ingentis læsionis potentiarum euidens signum. In quibus etiam respiratio crescente malo,magna & rara fit: rara quidem ex obliuione, vt ex Hippocrat. constat. 1. prognost. 27. quippe hæc eius est, qui neque quando desistere ab actione oporteat nouit,neq; rursus quando incipere: magna autem efficitur ob id & ob ventilationis indigentiam

tiam. Sed iam humore ex toto commigrante in cerebrum,excrementa vel omnino supprimũtur, quia facultas distracta varijs imaginibus est, vel quia flaua bilis confugit in cerebrum,& non irritat potentias naturales ad nocui expulsionem:quòd si excrementum aliquod apparuerit albicans, est quia aliò migrarunt humores.Sunt præterea sic affecti parum bibentes,vt ex Hipp. constat. 1. prorre. &.6.popu.non quidem quòd siti careant,& potu non indigeant,sed quòd non appetant,quia non sentiunt.Lucem etiam effugiunt,nequeunte natura propter imbecillitatem ferre splendorem: sponte autem (morbo existente in statu) oculi lacrymantur & squalidi fiunt ob viciniam exurentis inflammationis:ipsorum venæ sanguine apparent turgentes, & rubent ob communionem membranarum cerebri,& ob id lacrymæ inuoluntariè fluunt: tùm etiam ob acrimoniam,ac ob facultatis languorem,quæ nequit continere humores sibi commissos. Multis verò succrescit toto morbi discursu pedum & manuum tremor:qui sanè si laborãti qui non delirat accidat, futuræ phrenitidis signum existit: si verò deliranti eueniat, certum est inflammationem adeò insignem extensamq; esse,quòd neruosam substantiam attingat, quod multi arbitrantur esse firmatæ phrenitidis(vt aiũt) signũ: ego autem censeo nullam esse phrenitidem quæ firmata non sit: ni velimus distinctionem constituere inter inflammationem membranarum,quam firmatam censemus,& eam,quæ ex irrigato cerebro suboritur,quæ non firmata censeri potest.Tandem omnibus phreniticis accidit obliuio tam stupida,vt neque sui neq; suorum recordentur:inter quos multi postulata matula meiere obliuiscuntur: alij festucas carpunt & euellunt pilos,ac mille alia monstra fingunt gestientes manibus,pedibus & toto vultu.Multis stilla sanguinis è naribꝰ prosilit, quæ si copiosior fuerit,præludium salutis existit,sin aliter,maioris mali. Inter quæ signa alia non pauca numerare potuissem,ni existimassem plus iusto tractationem protrahere, multa enim in ægris reperiuntur,quæ potiùs cõsideratione singulorum corporũ, quàm scriptura constabunt.

Præsagiũ.

Adeò est prauæ & lethalis conditionis phreniticus affectus ferè omnis, vt opus non sit prolixa oratione monstrare eius sæuitiam & perniciem: solùm mihi est in animo lectores monere,ne hecticam phrenitidem, ob fucatam mansuetudinem contemnant:quippe solet longè grauiùs & certiùs accersere periculum. Appellamus enim hecticã phrenitidem,more Galen.lib.1.prorre. comment. 33. eam in qua desipientiæ sunt vniformes,blãdæ,obscuræ,tremulæ,& contrectabiles, ita vt ferè desipere laborantes non videantur.Talis enim phrenitidis conditio, causa & natura fixa est,stabilis ac radicata tincturæ modo bile flaua cerebrũ tingente & irrigante,& ob id maioris periculi.Obscuram quidem phrenitidem appellauit loco citato Gal.quòd paucis manifesta sit,& subinde nõ præuisa deterior efficiatur.Sic dum laborans inuoluntariè vrinã reddit,malum etiam haberi debet, sicut prolabi ad pedes,& continuò delirare aut multùm,vt.3.popu.3. 73.sic deterior est phrenitis quæ cerebrum occupat, ea quæ velamina. Item cũ virium maxima iactura, aut cum comate adiuncta,cum excrementorum albo colore, cum oculi tortura, vel sudore circa caput,cum partium extremarũ frigore,tumore,liuore,aut cõuulsione,vel bilijosis & minutis vomitibus.

Curandi ratio.

Curandi verò ratio in hoc affectu,siue incipiendo procedat,siue febribus malignis aut exurentibus succrescat,quadruplex existit:prima sanè humorem paratũ fluere ad partem affectam respicit:secunda,humorem fluentem: tertia, humorẽ iam fluxum in partem ipsam,aut in venis partis affectæ contentum: quarta verò

& vl-

& vltima accidentibus docet subuenire, quæ aliquando maius facessunt negotiũ quàm ipsa affectio.

Circa primam igitur curandi rationem, quæ duplici integratur vacuationum genere, sanguinis nimirum missione & expurgatione, grande nobis se offert negotium, (si prius dixero victus institutionem parcam, tenuis substantiæ & refrigerantis conditionis debere esse, qualis pullorum caro & ius est: itẽ potus frigidæ aquæ non tamen coriandro decoctæ, vt placuit Auicen. & alijs, quippe mentem ex propria conditione commouere habet, vt placuit Dioscoridi. lib. 1. cap. 66.) nam in vtroque auxilio exequendo, variæ reperiuntur difficultates, & varijs modis in cuiusque vsu medicus quantumuis prudens sit & mente exercitatus, hæsitabundus existit.

De sanguinis igitur missione quæ primo sese offert, dubitatur an fieri debeat, & quando, & qua ex parte. Circa primum, multi sunt qui verentur in phrenitide sanguinem mittere, quòd affectus merè sit biliosus, & statutum sit, biliosam & quamuis aliam cachochimiam purgatione solùm demendam fore. Verùm si rẽ diligentiùs expendamus, constabit proculdubio cunctandum non esse sanguinẽ mittere, etsi morbus à flaua bile suboriatur: quippe credendum est, hanc solam rarò cerebrum ascendere, nisi cum sanguine per venas commixto, licet aliquãdo ab ea mixtione secernatur vi naturæ potentis pellere & separare ipsam à sanguinis consortio, tanquàm id quod inutile existit. Quod aliquando efficit natura errans transmittensque in cerebrum, aut cùm sanguis in corruptelam cõmigrauit, & in febrium statu in phrenitidẽ fit commeatus: quo tempore alia via incedendũ est. At in incipiente mox id auxilium tentare oportebit, nam cùm affectus grauis sit, & citò laborantem interempturus, ea præsidia ex propria natura postulat, quæ pari celeritate auxilium præstent: huius profectò naturæ est sanguinis detractio, potiùs quàm expurgans medicamentum. Quibus etiam accedit, quòd cùm huiusmodi tumores præter naturã, aut defluxus ad caput, per vasa fiant, citiùs quod influit per incisionem vasorum, quàm expurgatione extrahetur: insuper quia sanguinis missio euacuatio est eius naturæ, quæ ex æquo omnes humores educit. Ex quibus iam constare arbitror, sanguinem esse mittendum, eoq; copiosiùs, quò magis affectus sanguinis fuerit particeps, vel corpus plenius & morbus incipiens, ac non ab alio affectu exortus: quippe phrenitidem fieri vno è duobus modis certum est, aliquando à seipsa incipiens, nonnunquam verò ex alio morbo prodiẽs. Sic dum incipiens est, audacter, copiosè, & bis eadem die sanguinem detrahes, tardare enim dixerat Hipp. in talibus malum est. Quod intelliges siue affectus fiat per irrigationem, siue per absessum, siue per efferuescentiam: quippe hæc differentia nihil in sanguine mittendo euariat, licet in refrigerationis aut repulsionis indicatione modum instituat, nam refrigerandum est audaciùs in efferuescentia, repellendum in absessu cum aliqua resolutione, & ferè resoluendum in irrigatione cum modico attemperamento. Verùm quoad locum sanguinis detractionis, consensu vnanimi doctissimorum virorum constat, primam detractionem ex communi vena, quæ & plenitudinem deponat, & reuulsionem quodammodo moliatur, efficiẽdam esse, nisi affectus suboriatur ex menstruorum, puerperij, vel hæmorrhoydum suppressione: tunc enim ex talo semel aut bis sanguinem detrahes: reuulsionem enim commodiùs ad originem fluxionum molieris, quàm ad aliam partem, vt cõsuluerat Gale. 3. artis medi. Quo tempore si hæc prodesse nõ videantur, maximè si femoribus cucurbitulas cum scarificatione affixeris, aut cruca

crura ablueris, dubitandum non est, ex cephalica sanguinem esse mittendum, quia rationi consonum videtur, aliquid iam in capite esse receptum, quod per proximas venas euacuari desiderat. Quod sanè præceptum subaudiendum est, cum etiã hæmorrhoydes supperesse fuerint, aut euanuerint varices: quas si sanguine misso ex talo non reuocaueris, teneris iterum eas excitare sanguine per hirudines extracto, aut quouis alio modo. Itaque scissa ea vena quæ & plenitudinẽ demat, & impetum reuellat, (maximè ad originem, alioqui periculum est ne citatiorem reddas ad affectam partem humoris impetum) aut suppressam euacuationem reuoces, eãdem die si expedit cephalicam tundes, & pro viribus sanguinem extrahes, aut iteratò sequenti die facies, donec alia indicatio ex quatuor adductis subsequatur. Idque maximè efficere studebis, si eã constiterit esse cerebri inflammationem, quam grauiorem esse diximus: nam vt periculosior est & acutior, ita vehementer & breuiter agentia expostulat auxilia. Quapropter, sicut in ea purgandum non est, mox à principio retrahes: in quo opere non plurimum laborabis, sed si expedit eãdem die ab vniuersali euacuatione mox ad eam quæ ex cerebro sanguinem alliciat, deueniendum est, sic ex venis nasi, maximè internis, per hirudines aut quouis alio instrumento, bis & ter sanguinem demes, fluereque longè copiosiùs sines, quàm in quauis alia phrenitidis specie. Quo facto, & interim dum per cucurbitas, aut quouis alio modo humorem diuertis, aut deriuare studes, hirudinibus post aures affixis, caput attemperabis, non oxirrhodino, sed lotionibus ex decocto maluarum, lactucæ, solatri, semperuiuij, violarum, portulacæ, & acetosæ, cum modico aceto rosaceo. Prosunt etiam emplastra ex eisdem herbis tepidis capiti apposita, quæ dũ incaluerint mutãda sunt: à quibus aqua dulci & temperata caput frequenter ablues: & post modum decocto camemali, altheæ, & fœnugræci, ac meliloti. Posteà verò sternutatorijs vteris, cutiens purgantia medicamenta, quòd nullius sint vsus in re adeò celeris motus & desperata, vt in qua cerebri substantia sphacelari creditur: atque hæc de peculiari hac phrenitidis specie sufficiant.

Verùm si phrenitis ex alio morbo prodeat, maturiori opus est consilio in extrahendo sanguine: nam considerare eo tempore oportet, an corpus ratione morbi præcedentis euacuatum sit satis, nec ne: quòd si primum sit, non videtur audaciùs sanguinem esse mittendum. Quippe credendum est, delectas quodammodo fore ex morbo præcedenti vires, & ob id illis aliquid esse condonandum: verùm si vires constiterint, longè audaciùs sanguinem detrahes quàm incipiente phrenitide, idque duplici ratione, & phrenitidis nimirum incipientis, & præcedentis aut forsan adhuc vigentis morbi. Verùm si sanguis quodammodo missus fuerit & vires non admodùm validæ, credendum est phrenitidem potiùs fieri ex mutatione morbi in ipsam, quàm ex nimia plenitudine: qua in re sanguinem extrahes, sed parciùs quòd neque vires neque plenitudo aliud expostulent. Cæterùm vt id opus minori sanguinis dispendio magis prosit, ex vena cui è directo caput respondeat fieri debet. Et ob id in his qui ex ardenti febre aut maligna phrenitici fiunt, cephalicam in carpo manus aut propè humerum tundimus, idque bis aut semel prout vires tolerare visum sit, aut postulauerit affectus vrgentia.

Scire tamen mox à sanguinis detractione oportet, qua lege purgandum sit in hoc affectu: namque graue est & mille dubitationibus plenum, certam & determinatam occasionem huic præsidio in eo inuenire. Est enim in hac re medicorum schola in duas classes dissecta: quarum altera tenet purgandum non esse nisi

inclinante phrenitide, quorum ratio est, quia cùm potissima huius mali causa sit motus, agitatio, & efferuescentia humorum ad caput, exacerbantur & mouentur ociùs & in caput citiùs irruunt medicamento purgante commoti. Nam hæc est medicamentorum purgantium conditio, saltem eorum quæ eligendo purgant: quæ enim his mitiora existunt, mouent quidem humores, euacuant tamen quàm pauciſsimum, ita vt maius sequatur ex motu damnum, quàm ex vacuatione commoditas. Quibus rationibus multi decepti omnino se abstinent ab expurgantium medicamentorum vsu, non sine magno laborantium incommodo. Altera verò medicorum classis contrariam omnino tuetur sententiam, adeò vt nullum reperias laborantem hoc malo affectum, cui protinus expurgans non porrigant. Fulciunt huius sectæ authores suam opinionem validis rationibus: nam asserunt, potissimam huius mali causam stare in bilis, siue flauæ siue cuiusuis naturæ sit, redundantia, & ob id vel nullo vel pauco sanguine misso, tanquàm in mera cachochymia medicamento vtuntur purganti, Quòd si arguas, inflammatæ partis humorem esse crudum, minimèque medicamento cessurum, respondent mentem eorum non esse ab inflammata parte quidquam detrahere, sed antecedentem materiam, vt aiunt, educere, & simul ad contrariam partem reuellere. Quorum profectò dogma vanum omnino non est, maximè cum sibi persuasum habeant, plus commodi naturam susceptura ex euacuatione nocui, quàm ex humorum turbatione damnum. Quibus addunt quartam, quæ meo iudicio efficacior existit: nimirum humorem phrenitidem efficientem, turgentis naturam & conditionem sortiri: qua ratione cum in morbis quibuslibet incipientibus, si materia turgeat, nullo alterius rei habito respectu, necessum sit expurganti medicamento vti, eâdem prorsus & in phrenitide: si quidem turgere, nihil aliud est, quàm naturam errabundis motibus hinc inde humorem agitare, quem ob id nitimur ante coctionem purganti medicamento educere, ne in caput membrum adeò princeps prolabatur. Mihi autem & plerisque nostri temporis medicis neutra harum opinionum, vt iacet placuit: quippe alienum videtur ab omni ratione, omnes aut nullum ex his qui hoc morbo afficiuntur purgare. Et ob id media incedendum esse via sum arbitratus, præhabita tamen hac distinctione: nimirum si affectus adeò in cerebro firmatus sit, vt maiorem humorum copiam confluxisse illuc constet, frustra & erroneum iudico, expurganti medicamento, siue leui siue eligenti vti. Verùm dum affectus in principio aut in augmento est, considerare tunc oportet, an adhuc superſit copia, aut vitiosi alicuius succi exuberantia, quæ demenda necessariò sit: tunc quidem vtroque auxilio rem ages, eò nimirum quod distrahat, & eo quod etiam citra maximam turbationem aliquid educat, maximè si laborans leuiter delirauerit, nam si intensiùs, nequaquam. Cæterùm cum laborans delirat & tantùm futuræ aut imminentis phrenitidis signa adsunt, tunc profectò necessum est, siue cocta, siue cruda materia sit, protinus expurganti medicamento vti, maximè si cachochymiam dominari cognoueris. Verùm si eo tempore multum sanguinis cachochymiæ esse admistum cognitũ fuerit, ipso extracto, sat erit blandioribus vti pharmacis, ita vt quò plus sanguinis extraxeris, eò mitiùs (licet seligenti medicamento) expurges, ne grandioribus euacuationibus & paucis diebus factis, naturã plurimum subuertas. Sic enim vrgente plurimum cachochymia, quò minus sanguinis extrahere datur, eò longè audaciùs purganti innitendum est pharmaco. At verò in delirio per cõsensum ab

ab humorum efferuescentia extra vasa, verendum est, si sanguinis missio id non interdicat, ne protinus vera fiat phrenitis: tempore tamen quietis & longè dissito à febris vigore, non displicebit aliquod ex leuioribus porrigere pharmacum, quale est illud quod rhabarbari dilutum recipit. Si tamen phrenitidem incipere nobis cognitum sit, idq; fieri ex motu & efferuescentia humorum, verendum est ne expurgantibus intensiùs efferuescant, & maior fiat in caput eorum ascensus: præterquàm quòd cum laborans medicamenti molestiam non sentiat, quia mente est captus, naturam non habebimus adminiculantem ad vacuationem, & irrita fiet medicamenti assumptio. Quapropter vel sanguinis detractionibus vel alijs præsidijs, quæ inferiùs referam, impetum aliò transferes. Verùm si delirium fiat ob sanguinis feruorem in capitis venulis, vereri omnino oportet expurgantis vsum, sicut dum iam in capite abscessus factus est. Quòd si non ex efferuescentia (quod plerunque solet prope statum contingere, in quo tempore vereri & vitare omnino purgationes oportet) sed ex flauæ bilis vbertate inflammatio principium sortiatur, minimè subuenies sanguine misso neque distractionibus, sed eo tempore prorsus purgandum est rhabarbaro, aut eo medicamento quod bilem educat. Quippe his purgationibus præmissis, leuioribus refrigerantibus, & his quæ intensam humorum caliditatem compescant vti satis est. Quibus sufficere assolet mannasucco aut infuso rosarum liquata, casia fistula, syrupus ex 9. infusionibus, addita rhabarbari infusi & expressi. ʒ. j. &. ß. quòd si corpus robustum fuerit, ex electuario rosarum Mesue. ʒ. ij. aut. iij. in aqua borraginis, vel sero lactis cum modico syrupo violarum dissolues. Itaque prope statum aut in nimia humorũ efferuescentia, vel laborante plurimum mente capto, in hoc affectu purgandum non est, sed alijs auxilijs inflammationem cohibere curandum.

Secundum curationis præceptum versatur, non circa humorum quantitatem, sed potissimùm circa eorum motum & ascensum ad caput, quo vtendum esse consulit medendi ratio, mox à quantitate deposita. Cui sanè præcepto referenda sunt omnia auxilia quæ reuellendi, aut distrahendi humores ad distantes partes & ad contrarias, vim & efficaciam obtineant. Cuius naturæ sunt frictiones partium inferiorum, & dolorificæ ligaturæ, quæ tantum doloris inferant, quantum sat sit, vt naturam ab incepto motu retrahere & alium denuò aggredi cogant. Præstant & lotiones crurum, his quæ quodammodo attemperent feruentem calorem, & partim etiam ad distantia loca euocent humores: quales sunt quæ conficiuntur ex rosis, violis & chamemalo ac folijs canarum. Cucurbitulis etiam id munus exequeris, quòd earum efficacia sit ab alto & à distantissimis corporis partibus attrahere: quòd si plenitudinis adhuc & imbecillitatis subsint signa, eas scarificabis. Neque innitendum plurimùm distractioni est: quippe coniectandum erit, morbum firmatum iam esse in cerebro, vt deriuatione potiùs quàm distractione opus sit: & ob id scapulis, humeris, & supernis brachiorum partibus affigendas esse magis probo. At si affectio ex suppressa vacuatione fuerit orta, maximè si ex puerperio aut sanguine menstruo sit, suras scarificare & copiosum sanguinem fundere, profuisse non rarò fuit mihi compertum. Inhibebis etiam fluxionis impetum ligato collo fascia madida aqua frigida, aut aqua rosacea & aceto. Sunt quoque quibus non displiceat dorsum inungere aqua & aceto, aut vnguẽto rosaceo loto sæpiùs in aceto, restinguũt enim hac lege venarum feruorẽ, & arteriarum calorẽ cõpescunt,

maximè earum quæ ſunt prope dorſum, à quibus frequentiùs cerebrum damnum ſuſceptat.

Tertium præceptum docet non ſat eſſe, plenitudinem & cachochymiam depoſuiſſe, neque humoris impetum frænaſſe, ſed præter hæc omnia neceſſum eſſe, ſi quid in capite receptum eſt, quod inflammationem aut irrigationẽ moliatur, ipſum à cerebro pellere: nam hæc eſt vera huius affectus curãdi ratio. Perficies tamen prædictum opus tribus modis: cui vſui expendendũ primò eſt humoris euntis in caput aliquid adhuc immorari in venis per quas defertur iuxta caput, & aliquid etiam iam in ipſum confluxiſſe, vbi vel abſceſſum, vel irrigationem molitur. Quapropter duo exequenda ſeſe offerunt: vnum quidem deriuare per proximas ſedes quod adhuc in venis immoratur, quò aptior ſecuriorque ſubſit repulſioni aut diſcuſioni locus. Quippe hac ratione cẽſeo millies improſperè hæc auxilia adhiberi: nam dum vaſa illa plenitudine premuntur, neque repulſui cedunt, neque reſolutioni: quamobrem ex cephalica primò aut cucurbitulis eadem parte affixis ſanguinem fundes. Quod verò iam in capite contentum eſt, ab ipſo euacuabis: primò tranſmiſſa materia quæ ibidem eſt ad aliam partem: ſecundò extracta ſenſibiliter aut inſenſibiliter. Tranſmittitur quidem ad aliam partem duobus modis: nam vel trahitur, vt nuper dictum eſt, & deriuatur cucurbitis, vinculis, lauacris aut omni alio dolorifico auxilio, brachijs & ſcapulis præſtitis, nec non prope ceruicem: vel rurſus pellitur vi & efficacia repellentium medicamentorum. Sunt autem ea in varia differentia, prout affectus grauior aut mitior fuerit: ſic primò mali acceſſu oxyrrhodinum adhibebis confectum ex oleo roſaceo & quarta aceti parte, quòd ſi biliоſiſſima ſit materia, violacei olei modicũ addes, & ſucci acetoſitatis citri loco aceti. ℥ j ℈. & pari penſu ſanguine redundante excepto violaceo. Cui ſi plurimum æſtuauerit caput, adijcere oportet ſucci cucurbitæ, lactucæ, ſemperuiuiæ, ad minus quintam aut ſextam partem. Verùm in hac re cauendum eſt ab his quæ impenſè refrigerant & repellunt, quippe quæ nõ rarò ex phrenitide lethargum accerſant. Quapropter cõſultum eſt, huiuſmodi auxilia actu calida adhibere: quod factum fuiſſe arbitror, ob id, & vt citiùs permeent ad intima, & ne cutis extima obturetur præpediaturq; fuliginum expulſio: Gale. autem. 2. de compo. phar. lo. hyeme calida aut tepida, & æſtate frigida ſcribit eſſe adhibenda. Expendendum quoque eſt, aliquando mitiora repellentia ex vſu fore, ea nimirum quæ attemperandi ſolùm vires habeant. Qua ratione authorum non pauci lacte vtuntur aqua roſacea aut ſolùm frigida admixta: nam ſæpe temperatum caput nocuum à ſe pellere potens efficitur. Aufertur autem à capite materia vno è duobus modis: primo ſanguine miſſo ab eis partibus quæ materiam contentam in cerebro facilè educant (nam difficulter per dictam reper cuſsionem commeatus fit ad venas) ſic profectò poſt vniuerſalem vacuationẽ, reuulſionem & repulſum, ſanguinem detrahes, primò affixa occipitio grandi cucurbita & ſcarificata: quòd ſi id prodeſſe non videatur, ſæpè ex vſu fuit ſanguinem mittere ex vena frontis vel naſi, ac ſi probè non fluxerit hyrudinẽ parti ſciſſæ adhibebis, quæ ſuctu è profundis partibus ſanguinem alliciat. Item magni ſæpiùs momenti fuit, ex venulis intra naſum: nam qua ratione iudicatoriè per eaſdem ſolet natura phrenitidem finire, eadem & ars poterit. Sunt etiam qui conſulant, venas ſub lingua tundere, quod fieri poſſe perdifficilè arbitror in his qui mente non conſtant. Verùm ſi hæc non proſint, non eſt plurimum innitendum deriuationi aut repulſui à capite, ſed tranſacto morbi impetu, curan-

curandum eſt vltimò, quæ in capite contenta ſint, reſoluere & per inſenſibilem halitum vacuare. Quod ſanè opus cautè & prudenter facito, ne ex intempeſtiuo reſoluentium vſu, maior ſubindè calor & intenſior efferueſcentia concitetur.

Sic enim poſtquam mox à principio morbi, & interim dum ſanguis mittitur, aut ſecus, vel purgatione vtimur, repellentia auxilia adhibita fuerint, citra alterius qualitatis admiſtionem (niſi pituitæ aliqua portio admiſta fuerit, quæ ſomnolentum concitet delirium, nam tunc camemali modicum admiſcebis) morbo tamẽ eunte in augmentum, reſoluentium aliquid adijcies, velut eſt decoctum camemali, aut oleum eius, ita vt. ℥ iij. olei roſacei, quartam camemelini, aut decocti eius addes, tantumq; deinceps augere teneris reſoluentia, quantum morbus augeatur: quòd ſi neceſsitas repellendi iam non inſtet, quòd nihil denuò fluere conſtet, curandum eſt omni arte prorſus reſoluere: quippe hoc malum, nullam admittit ſuppurationem. Erunt autem reſoluentia huic vſui proficua, in duplici differentia: quædam enim noſtro calori ſimillima exiſtunt: quædam verò paulò efficaciora. Sed modeſtiùs reſoluentibus primò occurſu vteris, ne parte humoris tenuiori reſoluta, craſſa difficiliùs diſcutiatur, & amens ſuperſit laborans. Quapropter ſat erit ſpongia actu calida, madefacta oleo liliorum, camemelino, aut decocto maluarum, melilori, fœnugræci, & camemali. Præſtat tamen, antequam merè reſoluentibus vtaris, hoc præſidium capiti adhibere, quod recipit, capitum papauerum numero ij, ſeminis lactucæ, pugil. ℈. corticis radicis mandragoræ. ʒ. j. florum cordialium. anà. p. ℈. camemali. p. j. caryophyllorum. nu. vj. contundantur, & fiat puluis, quem mittes in arietis pulmonem, vel in corpus pulli gallinæ, vel columbæ, & capiti appones. Quod facies, non vt ſimul reuellas & digeras, (quippe ratiò eodem pharmaco id conſequeris, cùm omnino contraria ſint opera,) ſed vt ſomnum inducentia penitiùs & commodiùs immittas, vi diaphoreticorum admixta. Quinimò arbitror, potiùs adinuicem ſe iuuare diſcutientia & repellentia, nõ tamen immixto opere, ſed eò quòd repellentium adminiculo, diſcutientia intrò pelluntur, & diſcutientium ope, repellentia magis permeant ad intima, quod ſolùm vi ſua non poſſent: & ob id forſan à Galeno & veteribus dictum eſt, in principio, vbi facilius eſt repellere, his eſſe vtendum, creſcente verò affectu, vbi ad penitiora loca confluxerit humor, admiſcenda eſſe diſcutientia: non quidem vt diſcutiant, ſed vt repellentia deuehant ad intima. Præterea quæ noſtro calori ſimillima ſunt, ſecuriùs reſoluunt, velut arietis pulmones, quiferuentes capiti appoſiti dõec refrigerentur, miro modo prodeſſe ſolent: præſtat item vituli, ſuis, arietis vel capreoli omentum. Quòd ſi pulmones aut omẽtũ ad manũ haberi nõ poſsint eo numero & ea diligẽtia, quòd eis frequẽter vtaris, incoquere ea oleis prædictis, vel aqua & camemalo, ac reliquis herbis calidis oportet, & modicum aceti immiſcere, & capiti calẽtia lineo molli inuolura apponere. Verũ ſi neq; hæc omnia prodeſſe poſsint, ad ea quæ maiorẽ calorẽ obtinẽt cõfugiendũ eſt: qui ſanè calor nõ vtcunq; exquiri debet, ſed cũ hoc quòd maior ſit prædicto, naturali ſimillimus exiſtat. Sic pulli columbarum per dorſum ſciſſi, abiectis interaneis, capiti appoſiti, hũc vſum præſtant: cuius naturæ eſt pullus gallinaceus, & maiorẽ inſuper calorem præſtat catulus nuper natus. Quòd ſi his omnib⁹ adhuc, vno aut altero die tẽtaris, nil cõmodi cõſequaris, cõſultiſsimũ fore arbitror, ſummo capiti cucurbitas affigere, quibus per ſuturas aliquid expiret, euoceturq; ad cutẽ: ac ſi rubor cõpareat & tumor, ſubtus cucurbitã ipſam ſcarificabis, quo auxilio mirum non eſt, ſi conſequaris quod reliquis omnibus

non valuisti: maximè si mox vtaris lauacris aquæ dulcis calidæ, vbi ferbuerit aliquid ex discutientibus memoratis. Hoc tamen diligenter & prudenter obserua bis, ne in ea phrenitide id fiat, quæ ex febre maligna, aut quauis alia ardenti dege nerauerit, sed solùm vbi ipsa incipiendo processerit: ac si quãdo in febribus id tentaueris, (quod tutum non fore semper arbitror) id facito, multis euacuationibus corporis priùs factis, ita vt nulla sit plenitudinis, aut vitiosi succi redundãtia in corpore & infimis corporis partibus: sed solùm vbi constiterit in capite vniuersam materiam collectam fuisse. Præterea caput abluere oportet decocto camemali, florum sthœcados, & capitum papaueris. Tãdem, hæc omnia iterato facies, donec constet delitamẽta mitiora esse, & pulsum molliorem: quo tempore cõiectãdum est, affectum quodammodo iam declinare.

Verùm quia in hoc malo frequenter accidẽtia maius faciũt negotium, & morbum longè intensiorem reddunt, studẽdum quidẽ est ipsa mitigare & lenire: nam præter dicta mala quæ operãtur, vires quoq; prosternere nata sunt, adeò vt curato primo malo, sæpè ob defectum virtutis laborãtes intereant. Sed inter omnia, maioris est efficaciæ vigilia: item vrinæ & alui suppressio nõ sunt parui momẽti, quas mitigare magna diligentia, curandum est.

Vigilia verò, inter accidentia quæ huic morbo succrescunt, maximum facessit negotium, siue hunc affectum sequatur, siue ipsum antecedat: sæpè enim ipsa suffi ciens est, humores ad caput accersere, ac phrenitidẽ cõcitare, præsertim in malignis & ardentissimis febribus. Vtcunque tamen sit, duobus modis succrescit: vno ex humore mordẽte & irritante potẽtias ad perpetuò operãdum, quo fit, vt vigilent: alio verò à calore seu vapore cerebrum exiccante & mordẽte: quippe cum exiccet liberas & expeditas reddit spirituum vias ad sensoria tendẽtes, quò fit, vt ea etiam ratione vigilent, quia nõ est vapor, neque humor qui eas dem obturet: impediatq; spirituum trãsitum ad sensoria, vt ociari possint. Cùm verò ex humore ante phrenitidem, aut in ipsa, vel post viget, vnum habet proprium & peculiare, in præsidijs quæ exposcit, quòd ea plerunq; ex vsu etiam sint, quæ phrenitidi ipsi sunt proficua. Sic oxirrhodinis quæ diximus addere oportet oleum de papauere, aut nenupharis, vel oleum in quo incoxerit semperuiuiæ, vel cicutæ aut mandragoræ modicum. Item cum vigiliæ ratio in maximo calore & ingenti siccitate consistit, stilloticas aquas, aut decoctum ex prædictis, vel lactucæ, portulacæ, cucurbitæ, papaueris & aliorum huius naturæ efficere oportet, & prædictis admiscere, aut ex eisdem & oleis cum modica cera vnguentum conficere: quibus si necesse fuerit plurimum vrgeat, addes opij grana duo, & tempora & frontem illinies: quod sanè antea efficere tentabis oleo rosarum, de semine cucurbitæ, vnguento rosaceo, ex cucurbita, aut pupuleone. Præstat etiam mirum in modum nares & frontẽ illinire vnguento quod conficitur ex vnguento rosaceo, mucagine psyllij, & oleo violarum. Sed fidissimo experimento comperimus, multis ex hac causa vigilantibus profuisse inunctionem capitis ex frigido oleo violaceo, superpositò oxirrhodino. Quæ sanè omnia, conuulsiuis motibus ab eadem causa prodeuntibus, mirũ in modum profuisse cõstat, sicut si ex plenitudine oriatur vel resolutẽtia, vel aliter euacuantia, vt in vera curatione morbi nuper retulimus.

Idem beneficium præstabit capitis ablutio prædictis aquis: sed potiùs enematis refrigerantibus, interim dum hæc fiunt, vteris vt mox referam. Somnum etiã conciliant syrupus violarũ, portulacæ, & de papauere cum multa aqua portulacæ vel hordei, lacte amygdalarũ dulcium, aut decocto lactucæ vel cucurbitæ. Quòd si hæc

si hæc non prosint, ad ʒj vel ʒ. ß. philonij perfici aut Romani confugiẽdum est, quem dissolues syrupo violaceo & aqua portulacæ: sæpè etiam somnum conciliat modicum casiæ fistulæ laboranti ante cœnam porrigere, ac desuper bibere, & posteà ipsum ad vigilandum cogere: quæ enim vetita sunt, frequentiùs appetuntur. Præstant iusculum in quibus capita papaueris sicca & cucurbita viridis incoxerint: sed miro modo somnum conciliant crurum lauacra ex decocto rosarum, violarũ, lactucæ, & lenticulæ palustris. Maximi etiam est momenti, somni tempore porrigere id quod recipit emulsionem. ʒ. j. aut. ij. seminis papaueris in aqua nenuphatis extractam, syrupi papaueris. ʒ j. confectionis de hyacintho. ʒj. Iuuat etiam soni tus aquarum currentium & susurrus aut cantus lenis cum armonia & modulatione. Præstat & collum circundare fascia aqua frigidissima & aceto madida, parũ ante horam somni apposita: & frigidam etiam aquam superbibere, aut apozima aliquod: cui adijcies syrupi rosarum aut violarũ, vel de papauere modicũ. Clysmata quoque non minùs somnum conciliant, maximè si receperint decoctum cucurbitæ, lactucæ, capitum papaueris, hordei & maluarum, cum oleo violarum & rosarum & saccharo albo citra alterius rei admistionem: quæ sanè cum viscera attemperent, teporem etiam capiti communicant, aut saltem quod ipsum petit, minus acre & mordax efficiunt: quod etiam præstat lac quatuor seminum frigidorum maiorum, cum decocto florum & foliorum violarum viridium, & verrucariæ herbæ.

Inter alia accidentia quæ huic affectioni succrescunt, frequenter conspicimus vrinam & alui excrementa ex toto cohiberi, cùm omnino qui hoc affectu laborant, sensu orbentur. Ex quo prodit, vt præ distensione partes his muribus dicatæ inflammentur, tendantur & in tumorem eleuentur, & quod morbus efficere non valuit, sympthoma consequatur. Sic enim vrinam euocabis his quæ emolien di vel calefaciendi ac modicè partes laxandi vires obtineant: cuius naturæ est vnctio ex oleo amygdalarum dulcium, sesamino lumbricorum & scorpionum. Prosunt & fomenta quæ parantur ex decocto seminis lini, fœnugræci, maluarum, altheæ & meliloti: quod sanè vesica aut spongia exceptum, & è regione vesicæ appositum magni est momenti. Hos etiam frequenter ad meiendum excitabis: ac si nihil ex his profuerit, hastula petroselini, iunco viridi aut chartere vtinam educere tentabis. Aluum deinde excitabis enematis & suppositorijs, quæ acriora sint, qualia sunt, quæ cõficiũtur ex hiera logodij & sale gemeo: quod si efficaciùs efficere velis, addes pulpæ colocynthidis modicum: cui vsui scripta reperies non pauca lib. nostro. de fœmi. morb. cap. de fœtu mortuo.

De lethargo & reliquis soporosis affectionibus.

Cap. XII.

VT vigilia, ita profectò & somnus duplex existit: naturalis nimirũ quãdo natiuus calor labore fessus, exolutus & exiccatus indiget humido vtili, cuius ratione in viscera conuertitur: præter naturã verò, in quo ob immodicam humiditatem idẽ calor natiuus nõ potest foras progredi, vt in omni somnoléta affectione cõperim⁹. Itaq; cũ somn⁹ naturalis actio sit, & animali nõ parũ vtilis ac necessaria, ob id distinguendũ mihi est primò, qualis somnus ex naturæ instituto prodeat, qualis verò secus, vt hũc tueri & euocare studeamus, illum verò propellere.

Constat igitur ex dictis, somnum esse naturæ actionem, passionem verò cũ non naturaliter succreuerit. Qualis verò naturæ & conditionis sit hæc actio, non satis cõstat, nec vnam de hac re authores proferunt sententiam: quod tamen verius arbitror, esse somnum esse potẽtiarum cerebri vinculum, vt communi ferè omniũ consẽsu. Cum hoc tamen intelligendum non est, omnium cerebri potentiarum vinculum esse. Quippe solum re vera constat, sensuum exteriorum ocium & quietem esse: nam reliquæ potentiæ interiores, & motus qui voluntatis imperio subditus est, dum somnus naturalis existit, ferè immunes à vinculo manent. Hinc profectò fit in insomnijs homines moueri, loqui, respirare, & alios actus motiuæ potentiæ exequi, quantumuis orbari videantur sensibus reliquis: vt de se retulerat Galenus libro de motu musculorum, qui cum dormiens iter egisset, nondum recordatus fuit donec à lapide offensus excitaretur. Ratio quidem huius euentus est, quia tunc vniuersa cogitatiuæ vis ad motum conuersa est, & etiam in somno sola cerebri anterior pars obstruitur, non postica, & cum in hac vigeat motiua potentia, & in illa sentientes omnes, fit profectò, vt sensibus orbetur dormiẽs non motu, quia interiores facultates quodãmodo sopitæ iacent, vt neque discernere, neq; imaginari quidquã perfectè possint, leuẽque vim habet in has facultates phantasmatum repræsentatio: quò fit, vt nulla insomnia sequantur. Cæterùm, dum causæ somni vel mediocres sint vel leues, imaginatrix facultas libera manet ex parte, & ex rebus quas vigilans gessit, senserit, aut cogitauerit, spectra plurima sibi componit, quæ ceu vera sint dormiens intuetur, & vi discretrice affusa, & proinde non reluctante, eis fidem adhibet, nesciens se dormire: secus res se habet in leui somno, vbi etiam si phantasia amplius libera sit, & memoria atque ratio operentur, eis rebus fidem non adhibet homo, quia cognoscit se non dormire: quò fit vt hæc insomnia non dicantur, neque is somnus, quia minimum à vigilia distat. Quamobrem, sicut in somno naturali non omnes potentiæ ociantur ex toto, ita non semper dormiens orbatur motu aut alijs internis. At cùm causa naturalis terminata est, & vapor consumptus, expergiscitur, vi superiori conuersa validèque agẽte, eximit obstructionem, & soluuntur sensus, ac excitatur animal. Appellatur tamen naturalis somnus actio, non quòd fiat à potẽtia peculiari; sed quòd à causa fiat secundũ naturam, & in vsum salubrem ac necessarium: ex moderata nimirum vaporosaque substantia, qua coarctatis ad sensoria vijs, somnus conciliatur naturalis: item, ex retrocessu caloris & spiritus ad viscera, tum propter alimentum, tum propter diurnum ipsorum dispendium. Qui etiam suboritur à modica frigiditate, qualis noctu succrescit. Verùm vbi vtraque causa naturæ modum excedit, siue impense frigida, siue copiosiùs humida, somni prodeunt præter naturæ modũ, & tunc pati animal dicimus. Passio item naturæ efficitur eo tempore somnus, & præter naturam redditur, cum antẽuerit tempus consuetum, & intempestiuè dormiunt laborantes, aut diutius quàm par sit, (præterquam in pueris & crysibus) aut difficulter expergiscuntur, vel expergefacti iterum profundè dormiunt. Ex quibus varietatibus plures soporosæ affectiones accedunt, quæ licet vno accidentis modo conueniant, materia tamen ac vehementia & loco affecto in ipso capite dissident. Quapropter mihi multa sese offerunt primo expendenda, vt clarior euadat difficilis hæc tractatio.

In primis quod Græci medici, coma, caros, & cataphorã vocant, Arabes subeth nomine comprehendunt. Est & catoche siue catalepsis, quam Neoterici & Latini detentionem seu congelationem appellãt. Est & lethargus, in quo somnus profundus

fundus existit, sed cum cerebri inflammatione, alioqui nõ differret à reliquis. Quas omnes hoc vno capite complecti placuit, vt quæ (licet inter se non leuem differentiam sortiantur) vnam eandemque curandi methodum exposcant, & medicam materiam parum diuersam.

Priùs tamen monendus mihi lector est, soporosas affectiones in duplici esse differentia: nam quædam veluti præludium existunt maioris profundioris que somni, & aliquando hæ cædem per se non parum periculi & molestiæ laborantibus adferunt: hanc sanè affectionem, quæ verè maiorum est præludium, Galen. lib. de comate capi. 2. & lib. 1. prorr. com. 1. cataphoram vocabat, sed Hippocra. vocabulo vtens, coma inscripsit, nihil aliud volentes per hæc verba significare, quàm propensionem seu delationem in somnum: ita vt qui sic affecti sunt, vt Galen. placuit. 3. popu. parte prima com. 7. nequeant vigilantium munia obire, sed si ea aggrediãtur mox coacti sua sponte iterum dormiunt: caros etiam aliquando in lethargum cõmigrat. Sed cuiusque seorsum meminisse oportebit.

Est igitur coma in genere, dormiendi desiderium præter naturam, aut lenta delatio siue inclinatio in somnum, vel vt alij diffiniunt, vigilans somnus, seu impotẽtia vigilandi, aut laboriosa vigilia. Huius affectionis peculiaris cõditio est, rarò esse per se morbum, sed semper succrescere alijs cerebri, vel aliarum partium affectionibus: quod magni fore arbitror momenti ad veram & genuinam curationem instituendam. Cuius profectò mali duplex est species: nam eorum qui in somnum propensi sunt, quidam licet clausas habeant palpebras, dormire tamen nequeunt, quod sympthoma vigil coma alij vocant, & Paulus lib. 3. cap. 6. cathocon nuncupauit. Quæ Pauli verba à quibusdam prauè intellecta, in hæsitationem plures duxerunt, nescientes distinguere hanc affectionem ab eo cathoco, cuius meminerat cap. 10. eiusdem libri. Quidam verò ex his mox dormiunt, sed non profundè, licet diu, affectio quidem finitima lethargo, & ob id dictum sympthoma coma soporiferum nuncuparunt. In quo sanè affectu, vt ambiguitatem multorum Hippoc. & Galeni locorum diluamus, statuendum est, vt verè coma fiat, laborantes non dormire profundè, sed delationem sortiri in profundum somnum, ad eum cerebri facultates incitatæ, non tamẽ profundo somno correptæ ob materiæ conditionem, quæ acredinis & caloris est particeps: quo fit, vt anxij & inquieti existant, ac nonnunquam inter dormiendum delirent. Itaque cùm vna eademque causa sopire & delirare semper efficiat, impossibile est, ingentem desipientiam aut grauẽ soporẽ inducere: vt constet eorum error, qui coma profundum somnum nuncuparunt, neq; adhuc sporiferum, ni velis comatis nomine sopores omnes intelligere. Quò fit, vt meritò dubitauerit Hippocra. 1. prorr. vtrùm comatosi & per initia vigilantes verè phrenitici sint: nam licet vigilijs simul læderẽtur ac multarum partium dolore, vbi eos nõ apertè desipere, sed potiùs dormire meminit, meritò propter vtrũque an phreniticos ipsos appellet, ignorat: vbi constat somni non esse propriũ, quinimo alienum delirium, vere tale ex deprauatione facultatum existens: quod in multos retorqueri potest, qui lethargicis proprium esse hac lege delirare statuunt: cum re vera licet aliquo modo id accidat non somni neque proprij sympthomatis ratione, quinimo in diminutis memoria & imaginatrice non deprauatis consistit, vt latiùs mox constabit in lethargi signis. Quibus sanè omnibus comatis sortibus commune est, quòd laborantes nequeant oculos eleuare, sed mox grauati dormire cupiant: vt cunque tamen sit, vtrunque sympthoma est debilis seu infirmæ imaginatiuæ passio, vt Gal. placuit. lib. de diff. sympt. cap. 3. & sic in vtroque labo-

Decomate

laborantes loquuntur & delirant,quod in alijs ſoporoſis non reperies. Sed relictis ſignis & cauſis ſomnolenti comatis, quippe quæ finitima ſunt his quæ in lethargo reperiũtur,præterquã quòd dormiẽtes delirant,& expergefacti reſipiunt, de viglii expendendum eſt, ſic affectos comate grauari,vigiles eſſe, verſutos & phreniticis nonnunquam perſimiles, quos ſi tetigeris magis delirant,ac mox oculos eleuant, & tangentem toruè aſpiciunt,& in ſomnum iterum delabuntur,varijs imaginibus cogitationibuſque ſomno intercepto,ita vt vigilare cogantur,vt ſic affecti agrypno comatoſi, quaſi vigiles dormientes dicantur,quia ſomni deſiderio inani tenẽtur.Cũ hoc tamẽ ſubitò ſe mouẽt & deſipienter loquuntur,exiliunt inſtar ſpaſmi: quem quidem affectum medium inter phrenitidem & lethargum,Gal.lib.de pulſ. ad Tyr.cap.11.& 3.popul.parte 3.com.39.arbitratus eſt.Exiſtit etiam alia vigilis comatis ſpecies,quæ nomẽ generis obtinet,in qua laborantes delirãt inter dormiendum,& ſi excitaueris aut loquaris,aſpiciunt incontinenter, & magis egrediuntur à ſe,& malum facere tentant.

Cauſæ. Itaque ſoporoſi comatis natura ex vna trium cauſarum prodit:prima ex multa pituita in cerebro collecta: ſecunda ex frigiditate ſola:tertia verò ex reſolutione ſpirituum. Sunt & aliæ tres cauſæ vigilis comatis:vna quidem imbecillitas virtutis ab extinctione caloris natiui, vt iam inde perfrigeretur cerebrum, quæ in potentia vigilandi nuncupatur, & morti exiſtit proxima:nam ſic affecti præ infirmitate palpebras attollere nequeunt, reſoluta animali potentia:quo fit vt morti proximi commiſsis palpebris, dormientium inſtar, iaceant cum pulſu paruo & languido. Secunda verò ex varia humorum miſcela aut natura prodit: nimirum à ſanguine copioſo cum bile, vel ab excalefacta& acri pituita, aut ex bile pituitæ admixta, vel ex vaporibus eiuſdem naturæ. Sic profectò in ebrietate,acceſsionum incrementis, aut morborum augmento facilè laborantes dormire comperimus: cùm videlicet calor febrilis ſurſum quæ cruda ſunt, in cerebrum rapit,aut vbicunque ſint, agitans & in feruorem ducens euaporat,quo calore vigilare cogat,& humiditate in ſomnum inclinet. Ex quibus humorũ aut vaporum miſcelis conſtat proculdubio tertia cauſa,in qua laborãtes aliquãdo plus iuſto dormiunt, & nõnunquam intenſius vigilant,prout magis vna cauſa cerebrum irruit vno tempore,& altera alio. Quæ omnia ſi quis exactè pẽſitauerit,reperiet vigil coma duobus modis fieri,licet ex cõtrariorum varia miſcela ſtatutum ſit ſuccreſcere,vno quidem per cõſenſum ab halitibus calidis & humidis vtcũque ſit: nam cum vapor ſua ſponte humidus exiſtit,ſi aliqua occaſione incaleſcat,aut etiam ſua natura calidus ſit, facile caput occupans, qua parte imaginatiua potentia viget, in ſomnum laborantem ducit, atque calore vigiliam concitat: quod pari ratione contingere ſcimus, dum halitus diuerſæ naturæ eundem locum conſcẽdunt.Secũdo idẽ conſtat fieri per eſſentiam, capite contrarijs humoribus irrigato, aut ex ſolo ſanguine vt multi autumant.Verùm quia miſceri hos humores tribus modis contingit,ſic prædictã affectionem tripliciter quoque fieri eſt arbitrãdum: nã dũ bilis in mixtione præualet,verè fit coma vigil,in quo laborantes longè magis delirant, & licèt clauſas habeant palpebras, minus dormiunt. Dum verò pituita prædominatur,dormiunt quidẽ preſsius,ſed delirãt minus, ac expergefacti minus vociferãtur & deſipiunt, ſed citiùs quam primi in ſomnum dilabuntur. Verũ dum vtraq; cauſa in æquilibrio eſt,exquiſitius exiſtit coma vigil:& hanc affectionem nonnulli ex medicis arbitrati ſunt eſſe typhomaniam, nos autem cenſemus eius eſſe præludium & primã ſpeciẽ. Quippe tripliciter eam fieri,verius quã vulgariter creditur, arbitran-

arbitrandum eſt:nimirum dum cerebrum prædicta humorum miſcela irrigatur: item dum cerebri tunicæ inflammantur flaua bile,& cerebrum pariter pituita irrigatur:vltimo verò, & quòd propiùs typhomaniam gignit, eſt dum cerebri ſubſtantia aut tunicæ ipſæ miſcela prædictorum humorum inflammantur: nam Galen.diffiniens hunc affectum,medium ſtatuit eſſe inter phrenitidem & lethargũ, qui inflammationes ſunt, ex quibus ſimul iunctis typhomaniam ſequi eſt arbitrandũ,haud ſecus quàm ſtatuitur eſſe œdema eryſipelatodes,aut eryſipelatẽ œdematodes:Galen.enim.1.prorr.phrenitidem comatoſam euenire refert,& affectus etiam comatoſos phreniticos appellat. Quapropter cum dixit idem author,coma vigil ex miſcela pari vtriuſque humoris eſſe typhomaniam, arbitrandum eſt, locutum fuiſſe de typhomania quoad modum ſympthomatis ex delirio & ſomno conſtituta:nam dum veram eius rationem exquirit,ſtatuit medium eſſe affectum inter phrenitidem & lethargum. Itaque ex his conſtabit differre vigil coma & omnes eius ſpecies à typhomaniæ ſpeciebus,quòd in comate ſat eſt humores cerebrum irrigare,in typhomania quæ verè eſt affectio inter phrenitidem & lethargum,non id ſufficit,neceſſum enim eſt cerebrum,aut membranas mixto hoc humore inflammari,vt verè conſtituatur typhomania.Atque hæ ſunt cauſæ & differentiæ comatis,cuius non parua habenda eſt prouidẽtia,ſiue alijs ſuccreſcat morbis,ſiue incipiendo procedat: maiorũ enim malorũ ſolet eſſe præludiũ. Quippè à comate ſine vigilijs,quod vel profundum eſt,vt caro, vel ſaltim ſomniculoſum, licet phrenitis non prodeat,ſuccreſcit quidem lethargus: ſi verò initio vigilia ſit, cui accedat ceruicis capitis & lumborum atque hypochondriorũ dolor,ij in phrenitidem incurrunt,tantò quidem celeriùs,quantò plura fuerint reliquorũ ſignorum phrenitidis.Verùm ſi cum comate vigilia adſit,ambigua res eſt: nã modò ſic affecti phrenitici fiunt,modò ſine ipſa morbum tranſigunt, modò ipſis lethargus ſuccreſcit,modò neutrum:quapropter alijs ſignis innitendum eſt magis, vt prædictio certior euadat.

Coma ſoporiferum,ſeu profundus ſomnus idem ferè eſt, quod carus, licet aliquo modò euarient: quia in hoc omnium ſenſuum videtur omnimoda ablatio, in illo verò ſecus.Erit igitur carus paralyſis imaginatricis facultatis, ſenſum motumque omnem,excepta reſpiratione adimens, propter anterioris cerebri partis anguſtiam,vitium quidem ad cerebri corpus & ventres ſimul attinens, vt in apoplexia & epilepſia contingere ſcripſerat Galen.4.de locis aff. cap.2. in ſopore tamẽ ventres magis quàm corpus,vt in epilepſia. Quo fit,vt ſomnus ſequatur profundus,oculis perpetuò clauſis,& omnis ſenſus atque motionis priuatio:nam licet aliquo modo puncti ſentire videantur,id potiùs ſignum vitæ videtur cũ nihil reſpondere poſsint.Quàm ſanè affectionem tribus modis vſurpari apud authores comperio:vno quidem pro ſomno difficili qui ſequitur diuturnas vigilias, qui criticus dici ſolet & vtilis vt cauſa & vt ſignum, qualis apparet in pueris & ægris quibuſdã poſt intenſam vigiliam,vt aduertit Galen.2.prorr.comment.29. Secundo modo dicitur profundus ſomnus,cerebro oppreſſo ex vtilis humidi copia, vt in ebrietate contingit,qui neque abſolutè bonus neq; malus dici poteſt, niſi ſub diſtinctione,vt refert Hippoc.5.aphor.5.dicens:Si ebrius quis repentè obmutuerit,conuulſus moritur,niſi febre corripiatur,aut qua hora crapula ſoluitur,vocem recuperet. Tertius verò continet verum carum,qui propriè talis dicitur, nimirum ſomnus profundus,è quo ægri tametſi pungantur,excitari non poſſunt,cùm ſenſus & motus priuatione,rationis & memoriæ læſione à copia materiæ frigidæ aut craſſæ & lentæ

lentæ ſine putredine,quæ anteriorem cerebri partem occupat,aut à compreſsione ventriculorum cerebri vel muſculorum temporalium ab ictu,vt in caluariæ fractura,in qua dura membrana cum medio ventriculo opprimitur, item à multo vapore prauo,aut inſigni refrigeratione ex narcoticorum vſu ortus,manente ſola reſpiratione libera.

Placuit in definitione cari cauſas etiam complecti,vt magis conſtet eius natura & conditio. Verũ quæ pars cerebri in eo afficiatur,diſſerendum nunc ſupereſt. In qua dubitatione omnes fatentur,vt re vera euidentius eſt,anteriorem eius partem magis affici, deinde cùm plena humore ſit, oculos reddit clauſos,ac nihil reſpondere permittit,quantumuis clamoribus excitetur homo,ob humoris copiam palpebras & linguæ muſculos occupantem. Quod autem poſteriores lædantur vẽtres ac reliquæ potentiæ infirmentur,licet Hippocra. verba lib. de coacis præ. parte 2.commonſtrent,non ſubinde conſtat quonam modo id fiat. Affectiones inquit Hippocra. ſoporoſæ fatuitatem inducentes,ſtuporis detentionem inducentes,&c. Quibus conſtat per ſoporem ſiue carum fatuos ipſos ægros,atque ſtupore affectos reddi:ac ex cõſequenti extimatiuam læſam obtinere ſimul cũ imaginatiua & memoria,ac inſuper ob ſtuporem,motiuam: ex quo inferunt cum Galen.2.de cauſ. ſympto.medici omnes,cerebri partes ſimul lædi vniuerſas, licet quæ anterior eſt longè magis. Verũ ſi quis rem diligentiùs penſitet,reperiet non opus eſſe cauſæ efficaciam & præſentiam omnes cerebri ventres & partes attingere,vt omnes potentias lædat: nam ſi id neceſſariò oportuiſſet, neque reſpirationem ſic affecti obtinuiſſent immunem. Quo ab apoplecticis diſsidẽt,neque leuiter ab hoc affectu excitarẽtur. Quo in dubio ſtatuendum eſt,quod cùm læſio in ſic affectis immodica eſt,aut vt rectiùs loquar ablata,tunc quidem vt omnes oblædantur,cauſam domicilium omnium attingere opus non eſt,vt in lethargo comperimus, in quo multi medicorum arbitrati ſunt,eſſe inflammationẽ in puppi cerebri,quæ vſque ad eius anteriorem partem pertingit,vt conſtat ex ſomno,imaginatricis læſione,& memoriæ iactura,quia læſio non fit à frigiditate adeò intenſa, quæ ex toto omnes potentias auferre ſit nata:ſed omnes imminuit à longe minore intenſione & copia cauſæ;quàm reperiatur in caro,licet modus affectionis deterior ſit & periculoſior quã in ipſo caro,quia conſtat ex inflammatione,aut humoris vbertate,quæ vniuerſum cerebrum irrigat. At in caro licet vigeat magis cauſa in anteriori cerebri parte (& ob id etiam à lethargo differat,qui in poſtica viget magis) omnes tamen potentias oblædit,quia imaginatiuam ex toto aufert: (ſicut lethargus memoriã magis) quæ ſanè adeò potens cauſa eſt,vt alteram animæ potentiam velut ex toto auferat,reliquas quoque plurimum lædere euidentiſsimum eſt, vt Gal.refert 4.de locis affect. cap.2.dicens. Quòd ſi aliquando tota anterior cerebri pars afficiatur,ſupremum ei ventrem conſentire neceſſum eſt,atque mentis quoque actiones vitiari: proinde qui ita affectus eſt,neque ſenſus neque motus munere fungitur, ſpirandi tamen facultas haud quaquam læditur, vocaturque hic affectus caros. Itaque reliquarum potentiarum actionem arbitrandum eſt in hoc affectu potiùs coaffici,ratione defectus imaginatricis & totalis eius vitij,quàm quòd cerebri partes eſſentialiter lædãtur. Nam euidentiſsimum eſt,imaginatiua ex toto ablata,nullam potentiam poſſe ſua munia exequi,& ob id ociantes videtur etiã auferri,licet certum ſit potiùs defectu miniſtrantis imaginatiuæ lædi,quam re vera. Ex quo etiam conſtat longè præſtantior differentia inter lethargum,in quo omnes & earum ſedes læduntur, & carum,in quo ſolùm anterior pars,licet reliquæ potentiæ videantur lædi. Item cõſtat euiden-

euidentior ratio,quare reſpiratio in caro non læditur,in lethargo plurimum. Quibus quoque euidentiſsimum eſt,periculoſioré eſſe lethargum,in quo eſſentialiter omnes cerebri partes oblæduntur,licet potentiæ non ex toto auferantur,vt mox ſum monſtraturus,quàm in caro,in quo potentiæ reliquæ per conſenſum ab imaginatiua ablata,oblæduntur. Et ob id credendum eſt fieri, quòd carotici aliquando breuiſsimo tempore excitati redeant ad naturalem ſtatum, lethargici verò rarius. Quibus etiam conſtare arbitror,qua lege intelligendum ſit illud difficile Galeni verbum loco nuper citato, capite nimirum. 2.lib. quarti de locis, in cari eſſentia enodanda, vbi ſtatuit, quòd quia anterior cerebri pars vniuerſa læditur, ob id laborantes omnino ſenſu & motu priuantur, ſalua manente reſpiratione: cùm difficile ſit credere, non coincidere catum cum apoplexia. In qua re ſtatuendum eſt, Galen. eſſe intelligendum de his ſenſibus, qui in anteriori cerebri parte magis vigent, ſiquidem ibidem cauſa mali vehementius infixa eſt, non de tactu, quem leuem ſortiri comperimus, quia minor facultatis actio ei ſufficiens eſt, quàm motui, quo ob id omnino orbari videntur. Præterea arbitrandum eſt, Galenum non dixiſſe illæſam eſſe reſpirationem abſolutè, ſed reſpectu apoplexiæ: nam ob id dictum eſt à medicis omnibus, reſpirationem ſeruari ſecundùm naturam, quia in apoplexia adeò difficilis eſt, vt ſuffocatione periclitentur laborantes, quòd eſſentialis ſit cerebri ea parte læſio, in caro verò ſecus: & ob id caro affecti non moriuntur vitio reſpirationis, quia alterius potentiæ conſenſu ſolùm oblæditur, non primariò vt in apoplexia poſtica, cerebri parte affecta.

Curandi ratio.

Cathochi nomine multa ſubintellingunt authores: nam per ſimilitudinem à perſtantia & firmitudine cephalcam ægrè ſolubilem, & eodem modo ſe habentem, cathocham appellauit Hippoc. lib. 5. de coacis pre. text. 12. & 17. Præterea per cathocum ex veteribus Aſclepiades catalepſim intellexit (quod nos idem eſſe mox probaturi ſumus) Diocles verò & Hippoc. aphoniam intellexerunt. Philippus & Archigenes exolutionem. Cæterum communior ſententia eſt, cathochum ſeu catalepſim nil aliud eſſe, quàm detentionem ſeu congelationem, in qua laborantes veluti congelati, rigidi, & tenſi, eâdem figura qua deprehenſi ſunt, apparent & permanẽt: & ob id ſcriptum eſt lib. ſin itionum. Cathochus eſt cùm ſenſu priuatur animal, corpuſque omne velut gelu obrigeſcit. Eſt inſuper in cathocho aſpectus, qualis intuentium, & aliquid volentium, ad conſuetudinem potiùs quàm ad audaciam pertinens: oculis enim ſunt apertis & fixis ac intuentibus. In quo ſanè affectu, conſtat cerebrum eſſe oblæſum, magis verſus partes ipſius poſteriores, vt placuit Galen. lib. de differentijs ſympthom. cap. 3. & affectum eſſe ſympтoma noxæ functionum animalium principum omnium, ſed maximè imaginatiuæ, ſeruata tamen reſpiratione. In cuius affectus enodatione, primò cum Galen. 4. de cauſis pul. cap. 16. & lib. ad Tyro. cap. 8. ſtatuendum eſt, cathochum idem eſſe cum catalepſi, vt anteà dixeram.

Præterea cauſam & immediatũ huius ſympthomatis vitiũ nunc ſeſe offert explicandum: in quo tanquam occaſionem eius humorum motus arbitramur: nam aliquando ex delirio, in ipſum fit commeatus, nonnunquam ex febribus malignis, non rarò ex cephalea veternoſa, ſæpè ex ebrietate, ex inſolatu aut cauſis quæ craſſum ſanguinem ad cerebrum, aut ad ipſum agitare ſunt aptæ. At cauſæ quæ morboſum præſtant apparatum citra controuerſiam ſunt, craſſa, frigidiſsima, ac ſicciſsima pituita: ſic enim Galenus. 2. aphoriſmorum

comment. 3. frigidam ac ſiccam cerebri intemperiem ex frigidiori ſicciorique materia ortam eſſe teſtatur: nam certum eſt plerunque fieri per obſtructionem, & ob id ſubitò, quia ſic ſubitò ſoluitur. Cui etiam conſentit Ætius, qui ex atro humore fieri eſt arbitratus. Quod etiam confirmauerat Galen. 3. de locis aff. cap. 5. vbi demonſtrat, epilepſiam non poſſe fieri à nudo intemperamento ſicut neque apoplexiam, vt etiam probat cap. 7. eiuſdem libri, quia ſubitò fit & ſoluitur, quantumuis 2. apho. comment. 3. contrarium videatur poſſe probari. Quippe eo loco non intelligit Gal. per refrigerationem vnà cum ſiccitate iunctam, nudam intemperiem, ſicuti neq; per frigiditatem humiditati admixtam, ſolam intemperiem, ſed nititur per ea verba declarare, qualis naturæ ſit materia quæ malum generat. Accedit inſuper vltima cauſa, quæ à reliquis diuerſiſſima eſt natura & lædendi modo: nam ex multis authorum collatis cathochi cauſam ſanguinis concretionẽ eſſe in magnis venis poſterioris cerebri partis, ſiue calor influës, vel propter copiam ſanguinis, aut obſtructionem vaſorum interceptus ſit, ſiue ad extinctionem agatur. Quæ ſanè cathochi natura, cauſa & modo agendi à communi diuerſiſſima eſt: nam in vero cathocho, poſterior cerebri pars ex omnium conſenſu, longè magis afficitur, idque ab humore frigido & ſicco: quo fit, vt rigidũ ſubſit corpus prædicta cauſa affectum: quòd exorta à cerebro, eo humore rigeãt etiã, & veluti dura ac denſa efficiantur. At in hac vltima cathochi cauſa, non ventrem poſtremum à pituita craſſa & ſicca, ſed ex ſanguine melãcholico & craſsiori eas veras oppleri, quæ ab occipitio rectà procedũt ad ſinciput: maximè ſi ſanguis ibidem concreſcat, intercipiatq; aditum.

Sed in catalepſi dubitandum eſt, an à frigida & ſicca intemperie fieri citra humorum affluxum poſsit, cùm id ex Galen. videatur poſſe colligi. Multi quidem interpretantur, & ex Ætij dogmate eliciunt, per frigidũ & ſiccum intemperamentum, melancholicum ſuccum cerebrum opplẽtem, intelligendum fore: & ſic referunt Ætium voluiſſe, cùm dixit, ex ſanguine fieri cathochũ ſiue catalepſim, nimirum ex ſanguine melancholico. Verùm id multis rationibus videtur veritati aduerſum: nam & melancholicos frequentiùs in eum affectum caſuros fore certum fuiſſet, & rurſus ex nudo intemperamento longè minùs conſtat fieri poſſe, cùm (vt dictum eſt) ſubitò ſoluatur & fiat. In qua re ſtatuendum eſt, potiùs ab oppletione venarum & arteriarum, quæ per cerebri meninges diſſeminantur fieri, aut ab humore frigido & ſicco, ſubitò affatimq; replente prædicta vaſa, potiùs quàm ab intemperie nuda. Cui generationis modo reducitur ſanguinis vbertas in prædictis vaſculis, vt Ætius ſtatuit: & hanc cathochi ſpeciẽ illegitimã arbitramur, eò quòd obſtructio potiùs fiat in vaſis prædictis, quàm in cerebri cauitate poſtica, vt dictum eſt. Quòd ſanè diſtinxiſſe ad curationem oportebit: nam in his copioſiùs ſanguinem fundes, in alijs verò quæ lentè fiunt & paulatim, non ita. Denique ex hac ſanguinis copia aut ſiccitate ligni inſtar, rigidi ſuperſunt ægri, & eodem ſtatu quo deprehenſi fuerunt ſine ſenſu ac motu. Eſt præter has alia non minoris momenti cauſa, nimirum lumbricorum vbertas: quorum dum viuunt & mouentur, efferueſcentia & deterrimus vapor in cathochum inexpugnabilem laborantes ducit.

Præterea, cathochus generaliter ſumpta acceptione vocabuli, inter ſoporoſos affectus numeratur, plurimoſq; gradus intenſionis ac remiſſionis ſortitur: nam initio loquelam non adimit omnino, neque principum facultatum actionem, poſteà verò ingraueſcente malo, omnia abolentur: ſed antè quàm laborantes in hunc

hunc ſtatum conſcendant, contremiſcunt, ſicut alij ingemiſcunt: & nonnulli iuſſi vt linguam exerant vtcunq; intelligentes, id conantur efficere: alij memoria tenent quæ audiunt, audiunt tamen obtuſè, præſentes agnoſcũt, ſed neq; loqui poſſunt, neque corpus mouent. Alijs autem ſic malum increuit, vt Gal. diſcipulo accidit, quòd immoti rigidiq; inſtar ligni iaceãt. Quibus fit, vt cauſæ feritate & potentiarum læſione conſtet lethargo eſſe periculoſiorem, licet Paulo ſub vigilis comatis ſpecie & natura cathochum complectatur, ſed non verum cathochum; quippe tantum certa quædam comatis ſpecies ea parte explicatur: nam de vero cathocho. cap. 10. iuxta communem omnium mentem abundè diſſeruit. Dimitto hac in parte, Ætium in natura, ſignis & cauſis huius affectus, longè diuerſum fuiſſe à Galeni mẽte: arbitror enim per cathochum alium potiùs intellexiſſe affectum, diuerſum à cathocho Galen. quem febre carere ſtatuit, cum contrarium poſſet colligi ex Ætio.

Lethargus igitur, vt refert Cælius Aurelianus, variè ab antiquioribus vſurpabatur: ſed eis acceptionibus breuitatis cauſa prætermiſsis, duobus modis propriùs ſtatuendum eſt accipi: (licet Hippoc. 6. popu. part. 5. text. 32. expreſsè lethargum nominet omnem ſoporoſam affectionem) vno quidem cõmuni nomine, pro ſympthomate, hoc eſt, profundo ſomno profundo; quo tempore idem eſt quod carus, & citra eſſentiale vitium in capite aliquando fieri poteſt: ſæpè quidem per conſenſum, & tunc diffinitur per inexpugnabilem dormiendi neceſsitatem: nam lethargus affectio cerebri eſt, à celeri & repentina obliuione nomen habens, quia vt nonnulli referunt, eſt delirium intermiſsionis expers, ſopori & celeri obliuioni coniunctum. Quò fit vt multi exiſtimauerint, omnem ſomnum lethargum dici debere, licet à frigido fiat ſucco & non putreſcente, vt in cauſarum enodatione mox leges. Interdum verò lethargus pro morbo eſt vſurpatus (cuius ſympthoma eſt profundus ſomnus & ſtupida obliuio) cum tumore frigido poſterioris cerebri partis, vt ex Gale. refert Cardanus. 7. apho. comment. 59. quippe inquit, apoſtema eſt in puppi cerebri vbi memoria læditur, à quo etiam ſympthomate Arabes ſuam mutuarunt diffinitionem. Itaque lethargus ſopor eſt præter naturam, continuus, cum febre lenta, à pituita putreſcente, quæ locum in quo princeps animæ pars reſidet, humectat & diluit, innuens non poſticam ſolùm partem, ſed omnes occupare. Ex quo etiam prodit eſſe ſegnitiem ſeu ignauiam & exolutionem totius corporis, cum infirmitate facultatis animalis, à perfrigerato & made facto aut reſoluto neruorum principio: qua finitione deſignatur ſympthoma & particula patiens. Nomen habet hæc affectio ab obliuione & captura ſeu inertia vel (vt Aurelianus ſtatuit) ab ocio, quia in ea ægri ſtupidi iacent cum ſopore, obliuione, & inertia, ob deficientem vel infirmum imaginatricis motum: & ſic lethargus multiplex colligitur apud Archigenẽ & Poſidonium: nã aliquando naſcitur vitio hypochondriorum: nonnunquàm primum inuadit: item non rarò morbum alium ſequitur, vt phrenitidem læthali mutatione, & ſæpè in morbis habet incrementa cum febre, quia cerebrum madeſcit fuſis & liquatis frigidis, craſsis & motui ineptis humoribus: nonnunquàm ſuccreſcit ante febris incrementũ contracto ad interiora ſanguine, vt in maligus viſcerum inflammationibus. *De lethargo.*

Præter dictos modos quib⁹ lethargũ fieri ſcimus, ſtatuẽdũ eſt eius cauſam frigidã admodũ exiſtere, vt in caro, ſed neceſsũ eſt, eã eſſe putreſcentẽ, licet non deſint qui teneãt, nõ op⁹ eſſe putrefieri, quia videbatur potiùs ſubſequuturũ vigil coma, quã lethargũ. In qua dubitatione expẽdiſſe oportet, quòd licet Gal. nullibi, præter quã *Cauſæ.*

13. methodi, dixerit fieri ex putrida pituita: nam vbique refert ex frigidiſsima, cum hoc tamen ſtatuendum eſt, quòd interim quòd pituita non putreſcit, lethargus non eſt ſed carus, & tunc lethargum fieri, cùm febris excitatur. Nam cùm Galen. 4. de præſag. ex pul. & 3. popu. part. 3. com. 45. ſtatuerit, ex pituita dupliciter fieri lethargum, cùm febre, aut citra ipſam, loquutus eſt de lethargo prout ſympthoma deſignat, hoc eſt, ſomnum profundum non prout morbum dum citra febrem poſſe fieri ſtatuit: nam verum lethargum, per febrem diffiniri certum eſt, vt altera diuiſionis pars oſtendit. Et ſic ob adductam rationem lethargus quatenus ad ſympthoma attinet, mediæ eſt naturæ inter comavigil & carum: nam in lethargo laborantes profundiùs dormiunt quàm in comate vigili, leuiùs verò quàm in caro, quia loquuntur & delirant, tantùm inquam, quantùm materia calidior eſt, materia cari, minus verò quàm coma, quia acrior eſt in eo materia: at in lethargo tantùm ſomnus efficitur profundior, quantùm denſior eleuatur ex putredine vapor: quia aptior eſt ad ſomnum conciliandum, quàm putredinis calor ad vigiliam inducendam: præterquam quòd febre, & ea ex ratione eiuſdem affectus orta, ab vtriſque diſſidet, quia de genere eſt inflammationum, quæ in cerebro ſuccreſcere poſſunt. Quo ſignificato, eſt affectio phrenitidi quodammodo contraria, humore ex quo fit & loco, quia lethargus magis in cerebri ſubſtantia efficitur, quòd nequeant membranarum venulæ craſſum humorem, à quo lethargus concitatur, ita facilè ſuſcipere. Sit ne lethargus vera inflammatio, an ſolum cerebri irrigatio non leue dubium eſt, ex vtraque enim parte multæ extant rationes, & authorum contrariæ ſententiæ. Quippe Auice. apoſtema frigidum nuncupaſſe conſtat: & Galen. 7. apho. abſceſſum in principe parte cerebri ex materia pituitoſa ortum: item affectionem phrenitidi contrariam ſecundùm ſpeciem, & multi etiam alij ex authoribus idem profitentur. Verùm extat, ſententia Galen. 7. apho. 73. & 4. de cau. pul. 13. 1. prædi. 1. compendio de pul. 3. apho. 30. & 3. de locis aff. quibus locis ſemper lethargum diffinit per irrigationem cerebri à pituita, & per læſionem cerebri, vt pars ſimilaris eſt. Sed his authoritatibus prætermiſſis, ſtatuendum eſt, ſemper fieri in cerebri ſubſtantia ex humorum frigidorum irrigatione: quem ſanè humorem, vno è duobus modis ſcimus lethargum excitare, nimirum, pituita collectionem, ſeu aliquo modo tumorem intra cerebri ſubſtantiam efficiente: non quidem tumorem durum & verum abſceſſum, qui cauitates cerebri comprimat, (læderentur quippe eo tempore ſenſus & motus,) ſed pituita in minoribus poroſitatibus collecta, vt totum cerebrum quodammodo tumefiat, haud ſecus quàm ſpongia aqua imbuta. Quo fit, vt ſolùm hac lege, intelligendi veniant authores ſtatuentes apoſtema eſſe, non quòd abſceſſus ſit, & cerebrum lædatur vt pars inſtrumentalis triplici morborum genere, licet quodammodo creſcere videatur cerebrum, ſed vt ſimplex, cum humorum ſuccenſione, aut eadem pituita totum cerebrum irrigante, dummodò ibidem putreſcat, quod eſſentiale eſt in hac affectione. Qua etiam parte expendiſſe oportet, aliquando, quinimo non rarò, bilem eſſe potiſsimam lethargi cauſam, quatenus vehiculum ad cerebrum efficitur eius pituitæ, quæ effectura eſt lethargum, vt ex Galen. habetur 1. pror. com. 1. dicente: Nonnunquàm & in horum alterum, res ita deflexit, vt vel bilis vel pituita ſuperior ſit, ægerque reddatur aut phreniticus, aut lethargicus: arbitror tamen eo tempore non fieri legitimum lethargum, ſed alterius affectionis participē. Fit itaq; hic morbus læſo cerebro, quatenus pars ſimplex eſt &

& inſtrumentalis ſimul, vt ſuperiùs dictum eſt. Extat præter id non mediocris momenti differentia in generatione huius affectus: quippe aliquando incipiendo procedit citra alterius morbi præexiſtētiam: nonunquā verò febribus malignis ſuccreſcit, vel cuiuis alteri morbo, in quo pituita, quæ denſata præfuerat, vi cauſæ alicuius liquetur ſoluaturq; & materia huius mali efficiatur. Quo fit, vt ex caro fiat ſæpè lethargus, & non è contra, quia craſſa illa cari materia tenuata & putrefieri incipiente, migret in affectum periculoſiorem, licèt ſomni profunditas ſit minor. Verùm, quia cauſarum materialium notitia nulla alia neceſſaria exiſtit, hæc dixiſſe ſit ſatis, cùm de ſympthomatū huius affectus & reliquorum, qui mentem turbant varietate & natura diligentiùs philoſophari oporteat. Quippe, licèt pituita in cerebro præter naturam contenta, cauſa ſomnolentarum affectionum in genere ſit, nihilominùs tamen, vt locum euariat in ipſo, ita & ſympthomata diuerſa eſſe oportet. Nam ſi ipſum cerebrum lædat, quatenùs pars ſimplex eſt, & cùm hoc ad anteriorem eius partem vitium attingat, ſomni proculdubiò concitabit eas differentias, quas hucuſquè memorauimus in ſoporoſis affectionibus: verùm ſi mediam eius partem vel poſtremam, ſtoliditatem quidem, vel amentiam gignit, licèt hæc in ſomnolentis etiam reperiantur, & dùm memoria læditur. Cæterùm vt lethargus fiat, neceſſum eſt lædi potiùs cerebri ſubſtantiam, quàm mininges, idquè iuxta eius poroſitates, ac temperiem, vt placuit Hipp. & Gal. qui repleri cerebrum frigidis ſuccis, per lethargū ſtatuunt: quod profectò non licet de ventriculis intelligere, vt multi perperam nituntur monſtrare, quantumuis dictum ſit, poſtremam cerebri partem in eo affectu lædi magis, nam de poroſa ſubſtantiæ parte ſubaudire oportet, non de ventre. Quippe ea eſt ſomni naturalis differentia à lethargo, inter alias quas à principio huius capitis adduximus, quòd ille maximè in anterioribus cerebri partibus viget, lethargus verò maximè in poſtica, licèt ad anticam ſeſe extendat: item ille ſolùm fit collectis animalis viribus, lethargus autem prohibitis, coercitis & infirmatis, & ob id ille à cauſis ſecundùm naturam, hic verò à morbo: item ille reficit potentias, interim dum actus cohibet, hic autem minuit, & actus ſimul vitiat. Quale autem animalium actionum vitium ex ſomnolenta hac affectione ſuccreſcat, diſces facilè ſi conieceris, potentias cerebri omnes ſimul vel ſingulas lædi poſſe, vt dictum eſt, idque vel diminutè, vel ex toto ablatè, aut corruptè, vt latiùs in enodatione ſignorum leges. Sed omnes ſimul diminutæ lethargum efficiunt, quod ad curationem diſtinxiſſe, non parum refert. Cæterùm ex memoratis rationis vitijs nuper adductis, prima illa defectu imaginatricis fit, ſecunda æſtimatiuæ, & tertia memoriæ, quòd inſtrumenta deſint ad ratiocinandum idonea. Quippe plures obliuioſi efficiuntur poſtica cerebri parte læſa, ſtolidi ob nuper adductam rationem. Quæ ſanè ſympthomata euariari aliquando comperimus, ac diſſidere ab his, quæ ex ſanguine in eiſdem locis exiſtente, contingit ſuboriri. Quippe is in primo ventre abundans, leuem ſomnum (niſi præ nimia copia, cerebri ſubſtantia comprimatur, aut ventres obturentur: nam tunc grauiorem cōcitat, vt colligitur ex Gal. lib. 1. prorri.) ſolùm habet efficere: verùm ſi alias cerebri partes obſideat, deliria cum riſu & hilaritate concitat ſimul cum leui ſomno. At bilis vbicunq; ſit in cerebro, delirium cum feritate & iracundia ac ingenti vigilia concitat: melancholia verò, in priori parte vigiliam, in media delirium cū timore & mœſtitia, in poſtrema autē cathocū ſeu cathalepſim, ob impenſam ſiccitatē qua pollet, & interdū memoriæ iacturā, ob innatā frigiditatem. Verùm ſi prædicti

dicti humores cauitates potiùs cerebri obstruant, quàm substantiam intemperent,tunc quidem affectiones fiunt à prædictis longè diuersæ:qualis naturæ est apoplexia, epilepsia, incubus,& vertigo, vt cap. sequenti latiùs sum monstraturus.

Quibus præmissis,antequàm lethargi signa aggrediar,conferentiam, differentiamque harum soporosarum affectionum adinuicẽ constituere oportebit,vt subsit clarior cuiusque harum conditio & natura: nam hæc etiam signorum munere prædictas affectiones ostendent.Sed in primis sciendum est, potentias cerebri interiores,quas rectrices medici appellant,vno è duobus modis affici posse:primo, dum singulæ per se seorsum læduntur:secundo,dum plures aut omnes simul:vtcũque tamen sit,siue omnes siue vna lædatur,id illis accidit vno è tribus modis,nimirum diminutè,aut corruptè,vel omnino ablatè.Ita profectò, cùm omnes simul vitiãtur,mistum quoddam delirij genus proficiscitur: dum verò ex toto auferuntur, apoplexiã sequi omnibus est compertum, vel carum, cathochum aut catalepsim. At dum omnes simul imminuũtur,sed memoria potissimum,proculdubio lethargus,coma seu cataphora proficiscuntur. Sic cum ratiocinatrix, (vt Galen. statuit lib.de symptho.diff.cap.3.)omnino deperditur,anæa,siue amentia dicitur:cùm verò hæc eadem imminuitur,moria siue fatuitas nominatur,cùm autẽ vitiatur, propriè delirium vocatur:& ferè pari ratione cùm imaginatrix offenditur,easdem læsiones perpendimus:sed magis elucet eius omnimoda ablatio in caro & catalepsi, cum verò imminuitur,in lethargo,& cum vitiatur,in phrenitide.Et quamuis non desint,qui ad memoriæ vitia non pertinere delirium referant,experimento fidissimo comperimus,duobus modis ex huius potentiæ læsione delirium proficisci:vno dum diminuitur,& defectu specierum discurrere seu ratiocinari homo nõ potest: alio verò,cùm praue ministratrerum adseruatas species,& sic ratio praue etiam discurrit,& mãsuetum quoddam delirij genus prodit,vt paulo inferiùs latiùs sum probaturus.Itaque, ex his læsionũ sortibus,has soporosarum affectionum differentias facilè erit distinguere & nosse. Quas etiam affectiones, sicut & alias quas mox referam,longissimè ab apoplexia differre facilè constabit:nam parum aut nihil habent respirationem mutatam, apoplexia verò plurimum.Item innotescunt prædictæ affectiones & dissident ab epilepsia,quòd soporosi laborantes,citra motum,velut mortui iaceant,epileptici verò varijs, inordinatis & vehemẽtissimis motibus, hinc inde agitantur,licet in omnibus potentiæ interiores diminutæ aut ablatæ videantur. Præterea differunt inter se soporosi affectus, & innotescit in cerebro affecta pars,quia in lethargo plerunque capitis posterior pars euidentiùs læditur,licet anteriores etiam collædantur,vt stupida admodum obliuio ostendit, & potentiarũ anterioris partis diminutio: at in caro,pars anterior magis quoad ventres,licet substantia etiam intemperetur, atque posterioris etiam ventris, vt monstrat immobilitas,non tamen cauitates ventriculorũ solùm,sed etiam substantia, alioqui epilepsia fieret. Differunt insuper,quia licet vterque affectus à frigiditate fiat,carum nuda intemperies progignere potest,lethargum verò nequaquam: itẽ carus fit aliquando per consensum, lethargus minimè, quia inflammatio cerebri est. Præterea,materia quoque differunt,cuius differentiam facilè cognoscere possumus:nã licet in vtroq; affectu,frigidus, crassus, viscidusq; humor causã præstet, tamẽ in caro neq;humor putrid⁹ est,neq;febris succrescit affectionis ipsius ratione, ob id profundior est in eo somn⁹ quã in lethargo,in quo ratione caloris,facili⁹ excitatur laborans, quàm in caro: quò fit,vt caros faciliùs alijs affectionibus succrescat,

quibus

quibus veluti sympthoma existit,vt vehementibus febrium accessionibus,cerebri compressioni,fracto nimirum craneo,& lumbricis quoque atque medicamentis calidis laxantibus assumptis. In lethargo verò,putrescit in cerebro humor,& ob id perpetuò febris accedit:carus autem dissidet à catalepsi,quia in ea,si Gal. credendum est,laborantes nõnihil loquuntur,in reliquis autem omnibus silent, præterquam,quòd rigore & tensione ob humoris siccitatem, cataleptici à reliquis dissident:insuper ij aliquando oculos habent clausos,& frequentiùs apertos,reliqui verò semper habẽt clausos.Sic profecto,qui caro sunt correpti ab omnibus profundi tate somni dissident,nam mortui effigiem æmulari videntur,&non sine magno labore excitantur,ita vt minimè vera sit expergefactio illa, sed solũ veluti quoddam vitæ signum existat. At, qui cathoco seu cathalepsi laborant,licet lethargicorũ signa quoque habeãt, præ se tamẽ ferunt alia, quæ pecularius sui speciem referunt, vt est supinus decubitus,colli distensio,vt optimè Aurelianus aduertit, genarum rubor,febris & vocis defectus,palpebrarum adapertio,& infixa atque immobilis intentio luminum,tanquam quidquam intento intuitu aspicere cupientium. Sequitur etiam lacrymatio, tãquam sentientium atque dolẽtium,saltus quoq; adest, & palpitatio latenter commouens musculos, maximè eos,qui buccas agũt:mouẽt aliquando supercilia,digitos,ac manus,adest & singultus creber,& sonans ventris inflatio,potissimùm circa stomachum, dentium stridor,oris apertio cum saliuarũ fluore,& si ante oculos quid moueas,immobiles obtinent Ætij decreto, licet aliquando,vt Auerrous refert,mouere & quasi loqui videantur ac suspirare,cum motu labiorum:item perpuncti sentiunt, & odoramentis videntur delectari. Pulsus habent lethargicis persimiles,non tamen adeò debiles & molles,neque inæquales. Verùm cũres morti proxima est,in his & alijs soporosis affectionibus,feruor plurimus efflorescit incute,spiritus difficilis,mentum quoque pectori affigitur,musculorum qui buccas agũt motus tanquam ridentium:sudor igneus apparet,& in vultu varij colores,& maculæ rotundæ atque in gutture stridor.

Signis autem (præter dicta) quibus prædictæ affectiones monstrentur opus non est,siquidem omnibus sic affectis somnus grauis perpetuò adest. Verùm signis indigemus,quæ vel futurum præmonstrent,vel præsentem ab alijs sui census distinguant. Futuram somni profunditatem monstrant obliuio omnium rerum stupida,& ad respirationem & ad reliquos corporis motus tarditas:propensio item tenacissima in somnum,à quo nihil leuatur laborãs,& cum hoc interrogatus si quid doleat,nihil respõdet:adest & taciturnitas,insolita mœstitia,oscitatio iugis, & crurum extensio,tanquam mox expergescentis,& plerunque adeò sic affecti reddũtur stupidi,vt si quid petierint aut loquantur, mox præ obliuione in medio substant & taceant,aut submissa voce loquantur. Facies præterea tumida & splendida apparet,ob pituitæ copiam caput iam ascendentem,sudor circa caput ipsum & ceruicem, ob eãdem rationem emergit,lingua alba & multa saliua plena, & ea ratione ad loquelam tarda: vrina alba & veluti iumentorum excernitur, vel cum saliuosa spuma supernatante, quæ humorum crassitiem & turbationem ostendit: pulsus altus,mollis,debilis,intermittens magis quàm intercurrens,dicrotus aliquã do,si inflammatio cerebri membranas attingat, vndosus tamen semper, maximè si sopor iam accedat cum lenta quadam febre. Pulsum tamen arbitramur magnũ fore, quia facultas nõ æquè languet,ac in peripneumonia,magnũ etiã ob vsum adauctum,non æquè celerem & crebrum,quia satis est magnitudo,mollẽ ob hurem peccantẽ,non quidem, vt multi censent,ob molliciem partis affectæ, siquidẽ

Signa.

eam dū flaua bilis inflāmat, fiunt pulſus duri: ex quo cōſtat non niſi ex humore pituitoſo mollitiē prodire, intercurrens efficitur minùs quàm intermittens, quia maior eſt facultatis impotentia, quæ ob id intermittit, quamuis ſit vſus adauctus adeò vt intercurrentes efficiat. Adeſt inſuper ſic affectis aluus ſoluta ob pituitæ copiā, nonnunquam verò adſtricta, propter obſtructionem pituitæ, & eius inundationem, quæ ſenſum hebetat.

Dubium. Prodit ex præfatis ſignis non leue dubium circa lethargi inconſtantiā, & obliuionem, ac mentis turbationem, reperiatur ne in vero lethargo perpetuum delirium, aut ſecus, non omnino conuenit inter omnes authores: rei tamen veritas eſt, impoſsibile eſſe, laborantem vero lethargo, mente conſtare, ſi quis partis officium & læſionis magnitudinem diligenter examinet, vt variæ authorum ſententiæ inſinuare videntur. Nam cùm verum ſit, in lethargo omninò ferè memoriā aboleri, & imminui ratiocinatricē & imaginatiuā, hinc profectò fit, quòd mente conſtare non poſsint. Cuius dubij occaſione ſtatuendum eſt, primò cerebri ſubſtantiam in hoc affectu lædi, ac inſuper eius cauitates, non ventres, ſed quæ poroſitates vocantur. Secundò præmittendum eſt, ratiocinatricem per morbos vitiari, ac delirium fieri duobus modis: vno quidem ratiocinandi: aut imaginandi potentia corruptos edente actus, quod medici verum appellant deliriū cui ſimile prodit aliud ex memorandi potentia, prauo ordine & modo ſuppeditante ratiocinatrici reſeruatas ſpecies, prodiens â compoſita intemperie, ex humore frigido & putrido calore contracta: alio verò modo, memoria abolita, vel plurimùm diminuta, maximè infirmis exiſtentibus ratiocinandi & imaginandi potentijs, quod magni eſt momenti ad ratiocinationis errorem: nam ſi vel omninò omnes defeciſſent, aut pariter imminuerentur, vel ſaluæ ſuperfuiſſent, vtiq; nullum eſſet in ratione vitium, attineretq; ſympthoma ad amētiam potius. At in lethargo, in quo ob defectum memoriæ, cùm ratio parum infirma eſt, ſtudens diſcurſum efficere, ob defectum materiæ, ſpecierum nimirum in memoria ſeruatarum, prauè diſcurrit laborans, ac mente vacillat, aut ſi placet, delirat vna ex his delirij ſortibus: nam alia, & quæ vera eſt delirij natura nequit, quantumuis eſſentiā lethargi ſitam eſſe multi medicorum ſtatuant in pituitæ intra cerebrum incaleſcentia, aut putredine: ſiquidem maioris momenti & efficaciæ eſt, pituitæ lentor, & innata frigiditas ad immobilitatem potentiarum, quàm ſit calor ille lē tus, ac paruus ad corruptionem & erroneum actum, vt verum fiat delirium. Quippe, ſi admodum creuerit putredinoſus feruor, iam tunc mixta fiet affectiō ac typhomaniæ finitima. Quibus ſuppoſitis, ſic dirimenda controuerſia eſt, nimirùm, impoſsibile eſſe laborantem vero lethargo, mente conſtare, ſi quis partis affectæ proprium officium & læſionis magnitudinem (vt dictum eſt) diligenter examinet. Quod profectò varijs in locis Gal. inſinuauerat: maximè vbi phrenitidē & lethargum contrarias eſſe affectiones ſtatuit, cæterùm eiuſdem partis: maximè 3. de locis affec. ca. 5. & li. 1. 3. metho. ca. 21. & Hipp. li. 2. de morbis, & alij etiam authores idem teſtantur. Cōſtat igitur ex contrarietate diuerſum ſympthoma oriri, ex eadem læſione eiuſdem partis, earundem quoq; facultatum læſio. Quo fit, vt neceſſariò delirent & errent ratio & imaginandi potentia: non quidem ratione propriæ corruptionis (quia cauſa mali calida ſufficienter non eſt, cui proprium exiſtit has potentias euertere & vitiare, non minuere, vt frigida quæ lethargum creat) quod neceſſum erat, ad veram delirij rationem (vt ex adducta diuiſione delirij, facilè probatum ſupereſt) ſed per conſenſum & defectu ſpecierum memoriæ,

moriæ quibus reliquæ potentiæ opus habent, ad proferendum rectum de rebus diſcurſum. In qua re, habeatur vt vera concluſio, lethargo affectos, ex neceſsitate naturæ mali, non conſtare mente, cum hoc tamen non delirare vero delirij genere, in quo principes potentiæ ex propria læſione & calida cauſa orta, corruptas edunt actiones; ſed imminutæ, memoriæ conſenſu. In quo ſtatuendum eſt lethargum differre abſtultitia, vbi ratiocinandi potentia aut oblæſa eſt, aut plurimū diminuta: & pari ratione ab amentia, vbi omnino memoria deſtituuntur laborantes. At vbi omnes prædicto ordine imminuuntur, vt in lethargo, hac ratione delirant homines. Sit ne ſufficiens memoriæ amiſsio, ad huiuſmodi delirium efficiendum, cùm memoria ſolum circa res præteritas verſetur, ſiquidem de præſentibus & futuris poteſt homo elicere iudicium, latiùs diſputatum reperies, cap. de de perdita memoria.

Dubium. Vlteriùs ſciſcitandum eſt, ſit ne delirium hoc, pathognomonicum lethargi ſignum. Cuius doctrinæ gratia præmittendum eſt, in lethargo neceſſariò adeſſe delirium, ſicut in phrenitide, aliquando ſtupidam obliuionem, vtrumque tamen diuerſa ratione & modo, vt affectiones inter ſe etiam diſſident. Nam in phrenitide oblitio ſuccreſcit, non tantùm memoriæ vitio, quantùm ob vehementem imaginum & ſpecierum euerſionem & diſtractionem adeò preſſam, vt obliuiſcantur laborantes meiere, poſtulata matula. In lethargo autem delirant homines non quidem primario ratiocinatricis vitio, ſed quia illi diminutè referuntur rerum ſimulacra & ſpecies, & ob illum calorem ex putredine contractum, quilicet inſufficiēs ſit, ratiocinatricem primò euertere, euertit tamen ſpecies ratiocinatrici præſtitas, quo adeò prauè diſcurrit homo, vt poſtulata matula, bibere aliquando conetur, ac ſi vas potui aptum fuiſſet. At qui cum hæc omnia ex intemperie illius partis, tanquàm ex primo morbo proficiſcantur; ſi putridæ pituitæ calor verum delirium effeciſſet ratione læſa, vt phrenitidis æſtus vigiliam vtique & potentiarum conturbationem efficeret in lethargo, non ſomnum: verùm cum id non poſsit, quia calor in eo affectu non eſt ita efficax, quòd humoris humiditatem & lentorem ſuperare poſsit, fit quòd vigilia non ſuccreſcat, nec rurſus reliquarum potentiarum contētionem & actum, ac ex conſequenti, nec delirium, quia inſufficiens eſt ad mentis perturbationem, impediente etiam ſpecierum eius mobilitatem pituitæ craſsitie & lentore: euertit tamen eas quas memoria præſtat. Conſultò prætereo in hac diſputatione varias & expreſsiſſimas tum Hippoc. tùm Galen. & reliquorum inſignium virorum ſententias, quibus apertiſsimè conſtat, vero lethargo affectos neceſsariò delirare, tum quia in rebus quæ rationem habent in promptu, fruſtra ſemper ſum arbitratus authorum ſententijs plurimum inniti, cùm eorum varietas potiùs opinionem, quàm ſcientiam generet, tùm verò quia nullus eorum expreſsit delirij modum ad differentiam, qua delirium hoc efficitur pathognomonicum lethargi ſignum. Diſtingues tamen ipſum à phrenitide & eius delirio, (non quidem ſolùm vt res ſe habet in pleuritide, quia nullum habet ſolum pathognomonicum ſignum, ſed quinque illa ſimul iuncta, pathognomonica exiſtunt, ſi quidem quodlibet eorum alicui alteri affectioni pathognomonicum efficitur) ſed præter id, quòd febris, delirium & ſopor ſimul iuncta, lethargum commonſtrant ſolùm per ſe delirium id valēt oſtendere: idque non tantùm ex rixa & contentione, qua carent lethargo affecti, verùm ex modo euertendi ratiocinium, iuxta Galen. tradita exempla de lanifico, & de laborante qui iubebat tibicines expelli: quò delirij modo ſeiungit læſam rationem à læſione imaginatricis. Sic profectò in lethargo, præter delirij

mani-

manſuetudinem, varia deliramenta confundi, & omnem rationis & imaginationis modum euerti comperimus, cum obliuione & ſomno. Quo manifeſtum efficitur rationem, vitio potiùs memoriæ, quod eſt huius affectionis propriſsimum, quàm ipſius aut imaginatricis lædi: quo veluti digito ſignamus lethargum ipſum, ac à delirio phrenitidis ſciũgimus, niſi dum adeò creſcit phreniticus affectus, quòd omnes potentiæ oblædantur, ſed id delirium iam ſuccreſcit in ſtatu aut fine phrenitidis, hoc verò in principio lethargi. Quo fit, vt cùm authores hæc nõ ſcripſerint, mihi non placeat delirium à ratione lethargi ſeiungere, nec illi concedere deliriũ, quale in phrenitide reperitur, ſiquidem tantùm diſtat lethargi delirium à phrenitidis delirio, quantùm humor huius, ab illius humore, & quantùm lethargi calor, à calore phrenitidis feruentiſsimo, & rurſus quantùm pars affecta, quæ in lethargo præcipuè eſt poſtica, ſicut in phrenitide media, aut antica. Quibus rationibus perſuaſus cenſeo, delirare homines in vtroque affectu, cæterùm diuerſa delirij ſorte quæ ſufficiẽs ſit ſuum proprium & peculiare deſignare affectum, tãquam pathognomonicum ſignum.

Curandi ratio lethargo proficua.

Triplex profectò in lethargi curatione inſurgit medendi ratio & via: quarum vna ſolũ eſt profitua præludijs lethargi, quo eius generatio inhibeatur: alia quidem ei lethargo, qui ex alio morbo procedit: tertia vero ei, qui incipiendo fit. Nam licet in ſoporiferis affectionibus vna ſubſit ferè medendi ratio, tamen nonnihil mutari ratione alicuius ſingularis intelligendum eſt. Sic profectò curandi ratio in comate & præludio lethargi, præmiſſa victus ratione exiccante, & quæ in primis qualitatibus mediocritatem habeat, tàm in potu quàm in reliquis, duplicem præſtat conſiderationem: alteram quæ huic malo prouidet, cùm ſympthoma eſt pituitoſæ vel continuæ alicuius febris, quæ maligna ſit, vel mixti humoris: alteram verò, quæ primariò caput apprehendens, poſtmodùm febrẽ toti corpori impartitur. Vtriuſq; enim ſeorſum meminiſſe oportet, ſi priùs dixero cari maximam habendam eſſe prouidentiam in his febribus, quæ per acceſsiones repetunt, & longè magis in cõtinuis, vt Hipp. li. de morbis, & alij etiã præſtãtiſsimi viri teſtantur, quod etiã intelligendũ eſſe velim de comate, quãtũuis primo acceſſu videatur parui momẽti, dũmodo id in cõtinuis intelligatur, in quibus indies creſcit, ad morbi vſq; augmentũ ſopor: nã comatoſæ affectiones in interpollatis, nõ æquè ſunt graues & periculoſæ, q; ad remiſsionẽ aut intermiſsionẽ deueniat laborãs. Quippe ſicut paraphrenitis in biliоſis ſanguineiſq; morbis phrenitidis ſolet eſſe præludiũ, ita prorſus carus in interpolatis & cõtinuis, atq; coma in cõtinuis ipſis. Cari enim materia in vtriſq; niſi à natura valida diſcutiatur aut coquatur, facta ſolũ à calore attenuatione, facilè ſuccẽditur & ſomnus fit grauior, aut cõmigrat affectio in lethargũ, qui lõgè eſt caro periculoſior. Quapropter ſtatuendũ eſt, carũ rariùs in cõtinuis ſuccreſcere, ſed cũ accidit, grauius malum portendere quã coma in vtriſq;, licet frequentiùs accidat continuis, ſicut interpolatis carus, quia in his forſan aliquid acceſsionis tẽpore excidit in cerebrũ cũ craſsiori halitu, q; difficilẽ diſcutitur: q; in cõtinuis nõ eſt verẽdũ, quia intra vaſa maiora aut mediocria putreſcũt humores. Itaq; cũ febri alicui malignæ vel alteri cõditionis, comatoſus ſopor acceſſerit, duplex inſurgit cõſideratio: febris vna, quæ cauſæ vicem habet: & incipientis mali altera: illa quidem, vt quæ principium alterius exiſtit, aliqua ex parte cõtraria alteri expoſtulans præſidia: hæc verò quatenus ad ſympthoma attinet, his quæ expergefaciũt opus habet: quatenus verò ad morbũ, principij inflammationum aut fluentium humorum more curatur. Sed habent ambo affectus vnam communem & generalem indicationem, nimirum materiæ

materiæ ſeu humoris peccantis euacuationem, & omnino eiſdem præſidijs factã. Quippe incipiente aut imminente ſomno à febris humore vel vapore concitato, ſanguinem protinus demes, ſi ſufficienter ratione febris præexiſtentis miſſus non fuerit: & febris reſiduo ac ſympthomati prouidebis. Quòd ſi iam febris occaſione ipſum ſufficienter extraxeris, iterum venam tundere, nihil febri & eius humoribus nocebit, ſi vires conſtiterint: incipientem enim fluxionem aut tumorẽ præter naturam inhibebis. Verùm id facies ex vena quæ in carpo manus eſt, vt quæ è directo capitis euacuare per ſibi proximas venas habeat: ſi tamen vires id non permittere videantur, cucurbitulis ſcarificatis id facies. At ſi ſomnus profundior iam apparuerit, ex vena naſi aut frontis ſanguinem demes, & ſi ſufficiens copia ſion fluat ex ea parte, aut fluxa non profuerit, vel ante huiuſmodi ſciſſionem ſi viſum fuerit, grandem cucurbitam occipitio affiges, & crebris ſcarificationibus factis, iterum affixa cucurbita ſanguinem extrahes. Sed mox à principio & interim dum hæc fiunt capiti prouidendum eſt oxirrhodino, cui adijcies plus aceti, nimirum tertiam partem & admiſcebis oleum camemelinum, cuius quantitatem adaugebis, imminuta quantitate olei roſacei, quo magis ſomnus profundior factus fuerit, & ad ſtatum peruenerit affectio, vel aceto acerrimo feruefacies camemali flores, & oleo roſaceo acetum admiſcebis quod valentiùs diſcutit.

Verùm ſi vel id factum ſit, vel non profit, vtrique affectui prouidebis, diligenter exhibito purgãti pharmaco, quod pituitoſos & crudos ac putridos humores protinus educat: nam dum firmatum in capite malum non eſt, purgare ſeligenti pharmaco tanquam in turgentibus neceſſum exiſtit. Quòd ſi id fieri non poſsit, aut factum non ſuffecerit, non erit abs re tertio quoque die aliquod expurgans medicamẽtum cum ſyrupis admiſcere, quod prohibeat humorum ad caput maiorem aſcenſum: huius naturæ ſunt ſenæ folia, vel agarici modicum, aut expreſsio ſeminis cartami aut aliud his ſimile. Interim tamen dum hæc fiunt ad clyſteria, ſuppoſitoria, topica auxilia, & reliqua confugiendum eſſe conſulit rei vrgentia. Inſuper tamen ligaturis, frictionibus, ſiccis cucurbitulis, & maximè in ipſa ſomni vehementia & ſtatu vti oportebit, quibus quod ad caput irruit pellatur diſtrahaturque. Ac ſi quid receptum iam in capite apparuerit, ſupra prædictam oleorum inunctionem, pulueremſparges reſolutioni idoneum, qui recipiat coriãdri præparati. ʒ.iij. camemali, ſtœchados, betonicæ, meliſæ, anà. ʒ.ß. piperis longi. gr.vj. caryophyllorũ, ſpicæ, macis anà. ϑ.j. & ſi laborans robuſtus fuerit, euphorbij ʒ.ß. quo veteris, dum pituita citra collectionem apoſtemoſam cerebrum inundauerit, maximè cum cõſtiterit oxirrhodinum nihil profeciſſe. Cui vt ex vſu fiat, admiſcere opus erit, vel olei ſeu ſquilliciti vel liliorũ aut ſeminis rutæ ʒ. ij. in reliquis verò febri prouidebis, vel ex eiſdem fomentum parabis ſæpius philtro aut ſpongia exceptum & capiti adhibitum, ac ſi non profuerit ad maiora auxilia deueniendum erit, vt mox audies.

Verùm ſi lethargus ex alio affectu inceperit, duplex inſurgit conſideratio, vna dum per viam iudicij ſeu decubitus humorum præexiſtentem morbum gignentium fit, febre quæ præfuerat remiſsiori facta: tũc quidem nulla eſt in curatione aut quam leuiſsima habenda totius corporis prouidentia, neque per ſanguinis detractionem nec per expurgans medicamẽtum, ſed ſolùm capiti prouidendũ tanquam mẽbro recipiẽti, cui ea auxilia adhibebis quæ mox referam: ſi priùs dixero reliquã conſiderationem eſſe dum morbi præexiſtentis materiæ aliquam portionem mittit in cerebrum natura errans, parte in reliquis vaſis manente, cui ſimilis caſus eſt dum lethargus incipiẽdo procedit, in quibus pars materiæ illuc tranſmittitur, pars verò

vero remanet in toto. Quo tẽpore coniectandum eſt, in morboſo hoc apparatu (ſiue morbum efficiat, ſiue ſecus) motum, qualitatem & quantitatẽ. Primò quidem motum, quem vno è tribus modis exequitur natura cum in affectionibus errat: primo velut fit in principijs acceſsionum, eorum morborum qui commigraturi ſunt in lethargum, in quibus materia pituitoſa tenui ſanguini admixta, à vaſis maioribus ad minora mittitur, futuræ acceſsionis cauſa, in quibus forſan aliquid excurrit in cerebrum, quo vel ſomnus fit grauis, vel principium ſi ſuccreſcat ſortiatur lethargus: ſecundo fit per febris incrementa capitis pituita liquata, quæ primò ſomnum allicit, ac poſt modum putrefacta lethargum, vt non rarò contingere ſcimus in internis & malignis inflammationibus, & æſtuantibus ac malè morigeratis febribus. Tertio verò mouetur pituita in cerebrũ, in febribus & alijs bilioſis affectionibus, à bile efferueſcente ac deferente eandem in cerebrum ipſum. Quos ſanè motus non vno modo compeſces, ſed quemque pro natura & conditione propria: nam dum in principijs acceſsionum ſit, purgare protinus ſtudebis phlegmagogo medicamento, aut colagogo ſibilem illuc ducere pituitam compertum fuerit, ea lege quam mox ſtatuam. Verùm ſi ex calore liquante malum oriri comperias, mox caput præmunire ſtudebis, & ab eo quod denſatum aderat, modo ſupradicto deriuare. Cæterùm ſi ex deferente bile fiat, bilem curandum eſt purgare non pituitam, quantumuis ab ea ſomnus prodeat: ſic enim motum præpedies, & qualitati atque quantitati deinceps expeditiùs prouidebis. His habitis, ſimul quantitatem demes & alio transferes, humores, ac ipſorum qualitatem frænabis, nunc vno vtens, nunc alio auxilij genere.

Deinceps verò conſiderabis, ſit ne quantitas humoris quæ peccat ſimplex in viſcere aliquo, ibidemque ad caput fluens, aut ſimul cum ſanguine admixta: nam pro ratione huius aut illius, principium curationis à ſanguinis detractione, aut ab ex purganti medicamento auſpicaberis. Sic profectò, ſi conſtiterit cum ſanguine illuc migrare, aut ſuppreſſam fuiſſe aliquam ſanguinis vacuationem, vel cerebrum iam inflammari ac febrem creſcere, ſiue incipiendo fiat lethargus, ſiue ſecus, mox à ſanguinis detractione ex media, ſi plenitudo ſubſit, ſin aliter, aut ſecundo ex humerali, vt Gal. placuit li. de ſanguinis miſſ. cap. 16. incipiendũ eſt, protinuſque purgatione vtendum (ſi affectio firmata non ſit) quo morboſus apparatus in caput nõ migret. Præterea, omni diuerſionis genere ſtudendum eſt, humorem à capite, quiſquis is ſit, repellere oxyrrhodinis & omni diſtractionis genere, vt antea dictum eſt: præterquam quòd oxyrrhodino addes de coctum aut oleum calidarum herbarum cum maiori aceti portione. Cauendum tamẽ eſt, ne ſomnus ſit in potentia vigilandi, nam his auxilijs longè deteriorem facies. Verùm ſi his factis ſomnus adhuc perſtet, expergefacere omni arte laborantem oportet, per aceti acerrimi calidi olfactũ cũ ſpõgia vel pulegio, nuce muſcata vel caryophyllis pyrethro aut euphorbio, cepa vel elio feruefacti. Item euulſis è pedum digitis vehementer pilis, vt acri dolore excitato facultas vigeat; plantas etiam ſale & aceto calidis perfricabis, & cucurbitas ceruici & ſuris, femoribus & ſcapulis cum multa flamma affliges. Neque licet plus aut pluries earum ſcarificare, niſi redundantis ſanguinis ſignum apparuerit: quippe tenuior & calidior imminuetur ſanguis, craſsiori & frigidiori relicto.

Interim tamen dum hæc adhibentur, acribus clyſmatis aluus citanda eſt, quæ virtutem habeant à capite trahendi, velut eſt quod recipit diaphenicon, electuarium Indum, de ſucco roſarum quantitate ʒ.iiij. aut quinque, adiectis ʒ.ij. ſalis cum oleo

oleo rutaceo, camemali, vel anethi, adiectis alijs quæ caput reſpiciunt, vt vapore pe tente caput deuehatur facilè vis medicamentorum trahentium ad eam partem. Irritanda inſuper aluus eſt glandibus confectis, ſolito grandioribus & craſsioribus, nimirum quæ ſemipalmi magnitudinem æquent: quæ ſanè conficiuntur ex hiera logodij quantitate trium drachmarũ, addito aut ſuperſparſo ſale, vel colocynthidis pulpa, & filo appenſa proſunt. Quibus perfricare anũ oportet, vt laceſsita & irritata obtuſa potentia faciliùs excitetur, & rurſus ratione doloris materia ad infimas ſedes reuellatur: nam in lethargicis potiùs his & ſimilibus materia aliò tranſferenda eſt, quàm ſanguinolentis diſtractionibus.

Verùm ſi robuſtum fuerit corpus, & pituitoſum humorem redundare compertum ſit, expediet aliquando vti expurganti medicamento, potiùs gratia eius quod in corpore redundat, quàm eius quod caput iam obſedit. Cæterùm, quia materiæ frigiditas adeò tenacem efficit affectum, ſicut & copia periculoſum, ob id omni arte curandum eſt materiæ inclementiam frænare, ipſamq; ſyrupis & potibus modicè calefacere & extenuare, vt melle roſaceo, ſyrupo ſthœchados, oxymellite ſimplici, vel de duabus radicibus aut quinque, cum decocto apij, fœniculi, capillorum veneris, aniſi, cinnamomi, & alijs calidioribus, ni febris vehementia vetuerit. Cui vſui ſyrupũ conficies qui recipit radicis graminis, petroſelini, & aſparragi anà ℥ ij. capil. ven. m. j. hyſſopi, meliſæ, betonicæ anà. m. ß. aniſi & fœniculi anà. ʒ. j. ſemi nis apij & petroſelini ana. ʒ. ij. florum camemali & ſthœchados anà. p. j. fiat decoctio, & in libris ſeptem eius diſſolue mellis roſacei. ʒ. iiij. ſacchari. q. s. fiat ſyrupus. Cui tertio quoq; die adijcies decoctũ trium drachmarũ foliorum ſenæ, à cuius exhibitione ſuppoſitorium acrius porriges, quo excitata natura feliciùs expurget, quod medicamentum mouerit: nam hac lege non paucos reſtitutos vidimus. His enim præparatis materia & corpore, ad auxilia quæ quantitatem humoris reſpiciunt, deueniendum eſſe conſulit rei ratio. Antè tamen quàm purgantia medicamenta inſtituas, conſidera, ſit ne aſcenſus humorum ad caput potiùs bile deferente pituitam, quàm ex vbertate pituitæ ipſius: nam ſi primum, quantumuis affectio pituitoſa videatur colagogis medicamentis purgabis, quo minùs bilis abundet, ac ea ratione minùs pituitam ad cerebrum ducat: quod plerumq; nobis vſuuenit in febribus continuis & bilioſis. Verùm ſi pituitã prædominari compertum ſit, quemadmodum in pleriſque febribus ſpurijs, & in lethargo incipiente, tunc quidem phlegmagogis rem ages. Sic ſi affectio apoſtemoſa non ſit, aut iam inclinans, ſanguine miſſo vel pituita vberiùs in corpore vagante, medicamento vteris confecto ex agarico & hiera, ſi febris vrgentia non vetuerit, vel infuſum porriges. ʒ. j. &. ß. agarici: in quo diſſolues diaphenici ʒ. iij. vel pilularum aggregatiuarum & cochiarum anà, ʒ. ß. & cum ſic affecti deuorare pilulas non poſsint, eas diſſolues aqua fœniculi, petroſelini, aſparragi, hyſſopi, vel meliſæ, & in his qui graui ſomno premuntur, addere poteris ſyrupi roſarum. ℥. ß. cum caſtorei g. xij. refert Oribaſius ex Rufo Epheſo nullum aliud eſſe lethargo correptis æquè vtile & efficax medicamentum ad purgandum pituitam, quam bilis admixta in caput detulit, ac ſcamoneum cum caſtoreo exhibitum: nam licet ſtatutum ſit bilem purgare, refert tamen idem author etiam pituitam expurgare, maximè vt dictũ eſt, bile admixta: porriges tamen vel leue dilutũ. g. iij. aut iiij. cum caſtorei ℈ j. ſyrupo ſolutiuo roſarum Perſicarum admixto. Quòd ſi laborans medicamentum ſumere renuerit, quòd obliuioſus exiſtat, ſuppoſitorijs & clyſteribus rem ages.

His enim vacuato vniuerſo corpore,ad vacuationem capitis veniendum eſt, quod opus prudenter aggrediendum eſſe conſulit rei difficultas:quippe protinus à principio vtendum non eſt his quæ caput purgant, (neque dũ febris viget aut præeſt,ſi ipſam ſequatur lethargus:nam ſolùm in incipiente à ſeipſo & dum inclinat proficua ſunt,aut cùm lethargus per viam decubitus originem traxit,) nam ſternutamentis,gargariſmatis,& quouis alio caput purgiorum genere plus ad ipſum trahes,quàm ab eo detrahere poſsis: præterquam quòd gargariſmata & maſticatoria nullum poſſunt præſtare beneficium,quòd laborans omnino mente nõ conſtet. Sternutamentis verò,ſi affectio apoſtemoſa non ſit,irrigationibus,& linimentis vti ſolùm conceditur(dummodo laborans epilepticus non ſit)quòd hæc plerunque acceſsionem accerſant: præterquam quòd ante ipſorum adminiſtrationem corpus inanire oportet, & ſi affectio apoſtemoſa ſit caput ipſum. Cuius indicationis gratia,viribus cõſtãtibus,ex vena quæ eſt in carpo manus, vel ab hæmorrhoydibus(quod maximi vſus eſſe experimentũ monſtrat quotidianũ)vel ex vena naſi,ac ſi probè non fluxerit hirudinem ſciſsioni adhibebis, quæ ſuctu ſanguinem demat,vel cucurbitulam occipitio cum multa flamma adhibebis & ſcarificabis, curans ne nimia ſanguinis profuſione cerebrum refrigeretur, cum hac lege ſæpius in profundiorem ſomnum laborantium plures prolabantur. Quo caſu ex vſu erit cucurbitas ſummitati capitis affigere,eandemque partem calorificis præſidijs perfricare : quòd ſi in tumorem & ruborem eleuari pars videatur,tunc quidem cucurbitam ſcarificabis, & iterum eandem partem vel fricabis, vel ablues calorificis lauacris: quod facito ſi affectio ex febre maligna non prodierit, aut iam ſufficienter corpore euacuato, adeò vt conſtet ſolùm caput vitium ſuſcepiſſe, nihilque in corpore manere, aut in partibus capiti vicinis, quod vi cucurbitarum in caput deferatur:quippe ſi ea prudentia hoc præſidio vſus fueris non parum beneficij afferes.

Quòd ſi affectio ex imbibitione pituitæ in partibus capitis præfuerit (præter vniuerſalia auxilia) reis quæ parti adhibentur addere oportet vtriuſque piperis aliquid, ſinapis, caſtorei,& euphorbij modicum:neque non ex eiſdem madidu penna in nares immittenda eſt, donec ſternutamentum excitetur. Quòd ſi mitioribus vti velis, vt à principio efficere oportet, pulegium, thymum, origanum, hyſſopum, calãmintham,ſthœcadem,calamum aromaticum,& alia id genus aceto incocta,naribus ita admouebis, vt calidus vapor ad cerebrum perueniat.Item nares inunges linimento quod recipit olei irini ℥ j.aceti ſquillitici ℥.ß. caſtorei. ʒ.j.ſuccꝰ radicum fœniculi.℥ ij. nucis muſcatæ. ʒ.ß. Eundem quoque vſum præſtat id quod recipit olei irini & nardini anà ℥. ß. medullæ ſquillæ tritæ cum aceto ſquillitico. ʒ.ij.caſtorei & euphorbij anà. g.x. fiat linimentum. Præſtat item eundem vſum vnguentum marciaton & aragon, cum oleo ruraceo. Neque minoris momenti ſunt, ſi eiſdem caput illinias & ſuperſpargas puluerem qui recipit ſatureiam, caryophyllos, cortices citri,rutam & thymum :quibus addes. ʒ.j. pliriſarcoticum Nicolai.Præſtat etiam eundem vſum,& ſomnum mirum in modum arcet,halitus acerrimi aceti per infundibulum in nares immiſſus. Dentifricia quoque à capite pituitam non minus trahunt, quæ conficies ex aliquo puluere ex nuper dictis, quibus linteo inuolutis dentes fricare oportet. His peractis,iterum tentabis materiam in capite contentam per inſenſibilem halitum reſoluere medicamentis ſæpius dictis, et alijs quæ mox referam, dummodo lege ſancitum ſit,reſolutionem non eſſe indiſtinctè aggrediẽdam in quouis ſomno pro-

profundo:ſed priùs diſtinguendum eſt,an ſomnus ex irrigatione cerebri proficiſcatur, vel ex apoſtemoſa affectione:nam licet idem ſit ſympthoma, cùm diuerſa ſit affectionis ratio,diuerſæ quoque conditionis præſidia eſſe oportet. Nam in tumore præter naturam cauere oportet acria & vehementer diſcutientia: quippe in hoc caſu neque dropaciſmis neque ſinapiſmo,aut alio ex fortioribus diſcutiẽtibꝰ vtendum eſt.Sed ea tantùm præſtabis quæ natiuum partis calorem adaugere ſint nata:cuius naturæ eſt oleum camemali & decoctum eius,maioranæ,vel roris marini,arietis etiam pulmones recenter extracti,vel columbarum pulli, aut canum catuli per dorſum ſcis, & alia quæ calorem naturalem ęmulentur:nam quæ acriorem ſortiuntur naturam,maiorem efficiunt inflammationem & maiora mala.

Verùm ſi ſoporoſa affectio ex eis ſit quæ ex irrigatione cerebri proficiſcuntur, audaciùs oportet quæ authores ſcribunt adhibere.Cui vſui caput primo abradere oportet & linteis quibuſdã modicè aſperis fricare,& mox inũgere oleo camemelino,anethino,rutaceo,roris marini,de caſtoreo,& de euphorbio.Interim tñ caput abluere oportet decocto camemali,anethi,maioranæ,ſthœcados, pulegij, thymi, rutæ,additis etiã ſi neceſsitas poſtulauerit, caſtoreo aut euphorbio: tandẽ fouebis ex vino & oleo camemali,vbi incoxeris ſerpillũ,ſatureiã,pulegium,& origanũ,addito modico aceto.Quo facto caput inũges oleo de ſquilla, de gagate,de piperibꝰ, de maiorana aut de rore marino, præſertim ſi eis addideris theriacæ magnæ, aut mithrydati modicũ.Valet etiam & oleũ roſaceũ cũ modico caſtoreo,maximè ſi caput nimiũ æſtuauerit. Vteris etiã præſidio Pauli,capite proprio in hiſtoria cuiuſdã mulieris ſcripto,maximè ſi tẽpus hybernũ fuerit, ac deſuper appoſueris ceratum quod recipit olei laurini. ℥iiij.ceræ tãtundẽ,liquefiant in duplici vaſe fortiterq; agitentur,cũ ſucco rutæ,& adde caſtorei puluerizati.ʒ.j.Quòd ſi id præſtare viſum nõ ſit,ſinapiſmũ conficies,quod recipit euphorbij,caſtorei & piperis nigri anà.ʒ.j.aſſæ fœtidæ,ammoniaci,anà.ʒ.ij. cineris capillorũ.ʒ.j.&.ß.ſeminis rutæ.ʒ.j.olei liliorũ & laurini anà. ℥ iij. ceræ quod ſufficiat & fiat vnguentũ.Licet hæc & lõgè grauiora à veteribus medicis,Aſclepiade nimirum,Themiſone & Heraclide ſcripta reperiantur,ego tamẽ conſilio Aureliani perſuaſus,ſummoperè lethargicis eſſe aduerſa arbitror.Inquit enim lib.2.acutarũ paſsionũ cap.9.loquẽs de ſinapiſmis antiquorũ. Hæc peccãter ex epilepticorũ curatione atq; præfocationis matricis transferẽda iuſsit:cũ conſtet etiam in ipſis adhiberi non oportere ſynapim,etiã ſi cronicas paſsiones quadam corporis nouatione excludat, acutas autem vel celeriùs irritans acribus in magnitudinem tollit:omnis enim acrimonia tumoribus incongrua: nam aliquo temporis ſpatio æger omnis tanquàm aduſtus igne excitabitur, ſed rurſum grauiùs opprimitur : & paulò inferiùs de ſynapi aduerſus antiquos verba faciens,inquit:Adducit ad ſemet materiam, ſicut inflatæ atque in ruborem deductæ eius appoſitione partes demonſtrant,eamque adductam tenendo cogit & viarum perficit denſitatẽ: dehinc odore penetrando mẽbranas inurit, & tanquã acre colliriũ oculorum mẽbranas inflammat.Quapropter perſuaſum mihi habeo prædicta pharmaca tãtũ lethargo eſſe aduerſa,quãtũ proficua caro & reliquis quæ calore aut inflammatione careant. Prætercà,ſi malum vrgeat,loco prædictorum dropaciſmis veteris,quæ poſtquã ſemel capiti adhæſerint,violẽtia quadã ſunt extrahenda,vt euocato calore & cõmota etiã pituita,facilè per inſenſibilẽ halitũ euaneſcat.Verũ ſi pituitæ vbertas atq; frigiditas ſinapiſmis vti coegerint,ipſa ſubiges ex aqua vt vult Oribaſius,nõ ex aceto vt Archigenes:cui etiã vſui vtile eſt Aureliani medicamẽtũ ex caprillo ſtercore, maximè ſi ſquillæ liquorẽ aut acetũ admiſcueris,

cum vrtica & euphorbio. Item aliud mitius parabis quod recipit nucis muſcatæ, macis, galangæ, anà.3.ij. florum ſthœcados, roſarum, roris marini anà.3.j.ſ. corticũ citri.ʒj. ſquinãti, ſpicæ celticæ anà.ʒ.ß. fiat puluis tenuiſsimus. Sed conficies aliud quod recipit piperis, ſinapi, & euphorbij anà.3.j. miſce & cum melle anacardino caput illini. Verùm quia mellis anacardi in pleriſque frigidarum affectionum maximus eſt vſus, placuit hac in parte modum ſcribere, quo ipſum poſsis conficere. Anacardos ſeptem diebus in aceto macerabis priùs contritos, & quoque donec tertia pars abſumatur, ac refrigerare ſinito, & quod ſupernatat oleoſum mel eſt anacardinum: Albucaſis autem in aqua macerat contritos anacardos.

His præmiſsis, quæ Deo fauente ſufficere videntur, prouidendum eſt, ſymptho matis omnibus, quæ non minùs ſolent faceſſere negocium, quàm morbus ipſe. Quippe in aliquibus adeò aluus ſupprimitur, nec non & vrina, vt mortem afferre plerunq; videantur: quapropter ad ea auxilia quæ in vltima parte præcedentis capitis huic muneri vtilia eſſe diximus, confugiendum eſt.

Tam eſt ſæua huius affectus natura, vt ſæpe laborantes quæ poſſumus, & quæ nõ poſſumus efflagitent, & ob id, licet aliquibus nouum præſidij genus videatur in hoc morbo fontanellã aut ſetonẽ occipiti affigere, rationi cõſonũ & affectioni pro ficuũ mihi viſum fuit. Qua in re arbitror, eis ſoporoſis affectionib⁹ ex vſu eſſe, quæ vel diuturnæ ſunt, vel per interualla repetunt: nã certũ eſt, eas eſſe vel epilepſiæ vel apoplexiæ præludiũ. Quapropter in caro & catalepſi curationis & præſeruationis gratia, vtile futurum arbitror brachijs fontanellam, aut ſetonem affigere. In lethargo verò quòd inflammatio ſit cerebri & breuior affectio, minimè poſſe beneficium præſtare certum eſt, ſicut neque in his comatoſis affectionibus, quæ febrem habent comitem, vel per conſenſum fiunt.

Prodeſſe etiam omnibus affectionibus ſoporoſis certum eſt, vſum theriacæ & mithrydati, ſed maximè inſtillatitiam aquam, quæ ex theriaca, mithrydato, confectione alchermes cum ſucco fœniculi & radicum eius, rutæ, & peoniæ, extrahitur: cuius cochlearia duo mane ſummoperè ventre ieiuno profuiſſe comperimus: cuius etiam efficaciæ eſt mel ſquilliticum, cuius compoſitionem reperies capite de epilepſia.

De apoplexia in genere, ac de ea quæ fit ex ſanguine citra obſtructionem. Cap. XIII.

ESt quidem apoplexia grauiſsimus morbus, qui primo caput obſidet, et protinus ac ſubitò ſenſu & motu vniuerſum priuat corpus, quòd exitus ſpiritus animalis à cerebro prohibeatur, & vitalis aditus à corde ad cerebrum præpediatur. Appellant Latini attonitum, & Galen. lib. de totius morb. temp. attonitã concidentiam ſeu cataptoſim appellauit: necnon & ſideratum morbum, maxima profectò cum cõſideratione: nam hoc affectu correptus, omnibus eſt conſpicuum veluti percuſſos fulmine apparere: attonit⁹ verò dicitur, quaſi citra tonũ reddẽs laborãtes, cũ tota ſalutis ratio ſtet in tono, cõmẽſuratione & armonia corporis & actionũ eius. Eſt proculdubiò grauiſsimus affectus: nã primo & citra mediũ aliquod vniuerſas animales potẽtias, motiuas nimirũ & ſentiẽtes ex toto perdit: quo à ſoporiferis affe-

affectionibus, & maximè à lethargo differre videtur, vtpote in quo omnes diminuuntur: nam in apoplexia omnimodo abolentur. Præterea tam eſt grauis & periculo plenus, vt mox reliquas corporis potentias in conſenſum alliciat, & vitalem defectu ventilationis: verùm ante quàm naturalem vitiet; interficit animal: adeò eſt truculenta & ſæua eius natura.

Sed dubitare hac in parte oportebit, an apoplexia omnis ſit ſubitus viriũ omniũ animalium caſus: quia Hippoc. 2. de morbis, &. 3. eiuſdem parte. 3. contrarium ſtatuiſſe viſus eſt, dicens: Qui icti ac ſiderati dicuntur, cùm cerebrũ multa immunditia vitioſorum humorum repletum fuerit, anterior capitis pars primò dolorem ipſis infert, & ſuſpicere non poſſunt, aliqui ambobus oculis, aliqui altero: & ſopor ipſos tenet, & deſipiunt, & tempora ſaliunt, & febris tenuis habet, & corporis impotentiam. Quibus verbis euidenter conſtat non ſubitò fieri. Præterea, primo prædictionum ſect. 2. 50. hæc refert verba in confirmationẽ dictæ ſententiæ: Subitaneis apoplexijs ſi febris mediocris ſoluta q; & diuturna ſuperuenerit pernicioſa: vbi dari aliquam apoplexiam nõ ſubitam expreſsè docet. Altera verò ex parte extat Galeni mens. 2. aphor. 42. &. 3. &. 4. de locis, &. 2. de cauſis ſympto. vbi ſemper ſubitò apoplexiam fieri eſt arbitratus. Cui dubitationi dicendum eſt, legitimã apoplexiam & quæ vera cerebri obſtructione fit, neceſſariò ſubitò ſuccreſcere: nam hæc eſt ratio & lex morborum qui ab obſtructione pendent: verùm quia ſunt alij ſucci, qui potiùs copia quàm craſsitie & obſtructione hunc affectum excitant, ob id iure optimo ſtatuendum eſt, ſic genitam apoplexiam ſpuriam & illegitimam eſſe, & hac ratione lentè fieri, ſicut dum ex alio morbo fit cõmeatus in apoplexiã, vt ex cõſuetis ſuppreſsis vacuationib⁹ plerunq; accidere ſcimus, præmiſsis illis accidentibus, quæ ab Hipp. locis citatis numerantur. Cum hoc tamen ſtatuendũ eſt, non omnem ſpuriam apoplexiam lentè fieri, quinimò conſtat plures ex ſpurijs celeriores & breuiores eſſe legitima, vt facilè cõperimus in his qui ex cõpreſsione ſpirituũ aut cerebri vel ex venarũ interceptione cõmoriũtur, vt paulò latiùs mox ſum probaturus. *Dubium.*

Præterea vt hæc & quæ dicturi ſumus pateant, neceſſum eſt ſcire, pertinere hãc affectionem ad cerebri ſubſtantiam & cauitates: quo fit vt vtraque potentia, ſentiens nimirum & mouens, ſimul oblædatur: ſentiens quidem ratione compreſſionis & læſionis ſubſtantiæ cerebri: mouens verò vitio inſtrumenti, hoc eſt, læſione cauitatis meatuũ cerebri. Ex quo ſequitur, apoplexiam eſſe ſubitam & omnimodam priuationem ſenſus & motus, propter exquiſitam in cerebri ventriculis & poroſitatibus anguſtiam: & vt inquit Aurelian. eſt oppreſsio ſæpè ſine febribus repẽtina, & quæ paulò pòſt ſenſibus priuat, ſemper celerrima, & nunquam tarda eſſe probatur. Importat quidem verbum illud, repentina, duo, nimirum affectionem ab obſtructione cerebri ſuboriri, & eam eſſe omnimodam, adeò vt actioni alicuius potentiarum nullus ſubſit locus, ſiquidem id monſtrat ſubitò fieri, & à multis etiam & craſsis humoribus: nam ſubitò obſtruere nequeunt tenues & pauci. Ex quibus euidenter conſtat, morbum eſſe obſtructionem, vel compreſsionẽ cerebri, ſympthoma quidem ablationem facultatum animalium.

Cauſam verò legitimæ apoplexiæ, tãtùm eſſe humores craſſos & viſcidos, ex Gal. conſtat. 3. de locis affect. & lib. 2. de cauſis ſympto. quod probat quia ſubitò fit, & ſoluitur: licet aliqui arbitrẽtur: (cuius farinæ eſt Cardanus) potiùs ex atra bile fieri quàm ex pituita, deceptus forſan ſententia Hipp. 6. aphor. 54. qua parte hæc refert verba: In morbis melãcholicis ad hæc periculoſi decubitus, apoplexiã corporis, vel *Cauſæ.*

conuulsionem,vel furorem,vel cæcitatem significat. Ex quo loco arbitratus est quæ diximus,& innitens leuibus quibusdam rationibus, tenet apoplexiã ex atra bile oriri. Quibus omissis,Hippocr.cuius sententiæ experimenta consentiunt,neque hunc,neque illum humorem absolutè causam statuit,sed omnem crassiorem succum,quisquis is sit:nam licet lib.de flatibus scribat,flatus intercipientes vasa id quoque posse efficere,vel vinum commouens materiam prædictam ad cerebrũ, aut vinum ipsum replens,non de legitima loqui est arbitrandum. Quapropter vt apoplexiam duplicem constituimus,spuriam nimirum & legitimam,ita profectò duplicem causarum sortem consignare est necessum: si prius dixero constare legitimam apoplexiam ex vera cerebri substantiæ & cauitatum obstructione & frigido etiam intemperamento,maximè cum humorum crassorum præsentia: illegitimam verò ex compressione cerebri,aut spirituum vitalium,vel ex animaliũ ingenti resolutioñe,extinctione,congelatione,aut suffocatione, vel oppressione, & vltimò ex vitalium prohibitione, quo minùs caput ascendant: & sicut illa semper fit à crasis succis,ita hæc aliquando à multis & vitiosis,quãtumuis tenues sint. Quapropter mirandum non est, si ex scriptoribus aliquem comperiamus asserentem à tenuibus fieri apoplexiam,& non subitò, siquidem id de spuria intelligendum venit.Sic profectò prætermissis authorum varietatibus, cẽseo apoplexiã legitimã & exquisitã, proficisci ex quouis crasso humore,siue pituita sit,siue melancholia,vt Hippoc.fatetur loco citato,&. 7. de coacis prænotionibus: sed illud per transmutationem alterius melancholici affectus fieri, aut potiùs cathochum ea parte intellexisse:nec non & lib.de flatibus vt anteà retulimus.Siquidem in vera apoplexia tria tantùm requiruntur,nimirum obstructio & compressio cerebri & meatuum eius: secundum quòd subitò fiat: tertium verò quòd fiat à crassis & densis humoribus.Quibus sic statutis,cũ plerunq; caput pituita abũdet potiùs quã alijs humoribus,credendum est ab ea frequẽtiùs fieri,potiùs quàm à quouis alio. Spuriam verò apoplexiam constat frequenti experimento fieri posse vno è duobus modis:primo quidem attritis,compressis & suffocatis spiritibus totius corporis,quemadmodum videre est in athletarum corporibus,quæ vt refert Gal.1. aphorism.3.subitò commoriuntur,compressis à nimia totius venosi generis plenitudine spiritibus vitalibus & animalibus:coarctantur enim arteriæ & nerui atq; comprimuntur vicinia venarum,donec suffocatione periclitetur homo. Præterea fit nonnunquã præ sanguinis crassitie aut cõgelatione vel plenitudine quæ obstruat iugulares venas, aut potiùs venã cauam,vt explicat Galen.comment.eiusdem lib. 27.vt intelligendus venit Hippoc.lib.4.de ratione victus, de venarũ interceptione loquens.Cui etiam causæ reduci potest flatus venas intercipiens,& vinum, vt lib.de flatibus docuerat Hipp. namque aufertur prædictis occasionibus influxus spirituum à corde in cerebrum.Quam sanè interceptionem etiam senibus accidere scimus alia occasione,nimirum quòd à cerebro in dicta vasa influat pituitosus, sed tenuis humor,qui eadem obstruat,vt refert Hipp.lib.de locis aqua & aëre dicens: Senioribus destillationes accidunt subitò interimentes à cerebro.De sanguine itaq; multo & crassiori dubium non est id posse efficere, quotiens carotidas & arterias intercipit,quæ contexunt cerebri plexum,vt ca.de syncope script.im repe ries.Sed apoplexiam hanc statuendum est,similem esse frigidæ syncopi, vt constat 4.acuto.& multi catalepsim nuncuparunt:calor enim innatus cũ spiritu prædicta plenitudine suffocatur,quia difflari non potest:nam cùm supra modum impletæ fuerint,premi virtutem,grauariq; est necesse, ac sequi extinctionis caloris natiũ peri-

periculum,& propter multitudinem atq; copiam, suffocationem similem ei qua veri apoplectici periclitantur, & ob id vera apoplexia censenda non est. In quo à syncope frigida maximè differt: præterquàm quòd pulsus priuatione desident,nã in syncope vel paruus est aut nullus,in apoplexia verò plenus & magnus: q; in illa dissipentur spiritus aut ad cor trahantur:in hac verò per naturales ductus intrò,foras,aut contra ferri non possunt,vt antè.Quo fit,vt torpeãt,& refrigerentur sanguisq; concrescat,sicut in mortuo corpore,nõ à vehementi frigore aut siccitate,vt in catalepsi,sed suffocato calore & intercepto spiritu,quo liquidus erat ac fluxilis.Ob eamq; causam, quàmplurimis horum accidit faciei rubor ob sanguinis copiam,quæ illic mansit,sed plerunque pallor,spiritibus illuc non ascendẽtibus ob interceptionem venarum,oculorum immobilitas & veluti quidam functionũ torpor,læso neruorum principio, manuũ porrectiones aut stridores dentium.

Quod in Galen.legeris.2.de placitis negantem carotidũ & iugularium venarũ sectione,compressione,aut obstructione apoplexiam fieri, intellige statim, quòd accidere oportebat,si iuxta Peripateticorum dogma,animalis vis à corde per arterias cerebro & corpori influeret:nam licet intercipiantur,non tamen subitò moritur homo,aut priuatur mox omni actione, sed post resolutionem eorum spirituum qui præfuerant in cerebro.Itaq; fit hæc affectio suffocatis in toto corpore spiritibus ob ingentem plenitudinem,& eo quòd sanguis crassus figitur in his venis & coalescit intus immotus,viam spiritibus obstruens, vnde interceptio dicta est, quod multi guttam in cor cadere dixerunt. Fit etiam ex compressione arteriarũ cerebri(quo secunda huius affectionis causa efficitur)& eius substãtiæ,(quo vterq; spiritus suffocatur:)idque ab ingenti frigiditate vel ab alia re cõtundente caput,vt videre est in vulneribus ipsius. A sanguine etiam multo & pituitoso, vel calidissimo ascendente per iugulares & apopleticas,aut quasuis alias venas ad cerebrum: qui replens venulas membranarum cerebri,facilè spiritus vitales extinguit, & insuper cerebrum comprimit donec sensu priuetur animal,& motu quoque, coarctatis etiam ventriculis cerebri,vt in inflammatorijs affectionibus aut tumoribus præter naturam cerebri non rarò accidit.Huius autem apoplexiæ speciei meminit Hippoc.4.acutorum,vt comment.23.&.27.explicuit Galen.necnon & lib. de sanguinis miss.dicens:Nam hoc pacto apoplexiæ proueniunt,multo nimirum sanguine in principiũ animantis confertim irruente: Nam sanguis abundantior in validis exercitationibus cerebrum adiens & occupans(vt statuit.3.aphorism.20.) non per obstructionem ventriculorum,vt reliqui succi apoplexiam efficientes,sed propter eorundem constipationem & constrictionem,cuius ratione vis animalis ad inferas partes diffluere impeditur.Quia profectò ratione censeo Galen. dixisse 2.apho.42.duplici de causa fieri apoplexiam,oppletis nimirum ventriculis cerebri humore frigido aut crasso(vt vulgariter omnes ferè apoplexiæ,& eæ quæ legitimæ sunt,fiunt) aut ob aliquam dispositionem inflammationi similem, quæ in cerebro constituta sit.Sed dubitabit forsan quispiam,quæ nam intersit differẽtia inter prædictam apoplexiam,& cerebri inflammationem,quam ex abundãtiore sanguine in cerebro capi de phrenitide diximus fieri.Verum ne quis existimet idem esse, expendat, sanguinem in cerebri inflammatione à venis excidere & in cerebri substantiã sese infundere,ibidemq; præ ingenti calore adeò inflamari quòd in gãgrenã facilè commigret: at in apoplexia in venis adeò copiosum contineri, quòd præ nimia venarum turgentia, cerebri ventres adeò prelsè coarctetur,quòd spiritibus nullus sit ad sensoria & motus instrumenta liber aditus.Et ob id arbitrandum est

Gal. nõ dixisse inflãmationẽ efficere, ſed affectũ inflãmationi perſimilẽ ob calorẽ copioſioris ſanguinis, nõ quidẽ ob materiæ putredinẽ: quo fit vt ſic affecti febre nõ corripiãtur, quẽadmodũ hi quibus cerebrũ inflãmatur: & ob id apoplexiã à vera cerebri inflammatione fieri nunquam viſum eſt, ſed tantũ ab affectu hoc inflammationi perſimili, qui nil aliud eſt, quàm maxima venarum & vaſorum à ſanguine calidiori repletio. Differt autem hæc apoplexiæ ratio ab ea quam ex venarum interceptione proficiſci ſtatuerant antea Hippocra. & Galen. quòd ſolis cerebri vaſis oppletis fiat ea quam nunc exponimus: illa verò vt Galen. explicat lib. de cauſis mor. c. 3. vbi intercipiuntur quæ ſunt in animali arteriæ aut ſoporales. Harum tamen affectionum, quas nomine ſpuriæ apoplexiæ aut ei perſimili comprehendimus, plures compertum eſt fieri à tenuibus ſuccis & corruptis humoribus (dummodo bilis non ſit) vel à vini ſubſtantia crudiori illuc delata, dum in cerebri cauitates non procidant, nam tunc legitima fiet apoplexia, ſi ſuccus craſſus ſit: ſin aliter epilepſia aut alter affectus hiſimilis. Itaque conſtat ex dictis, legitimam apoplexiam ab humore craſſo, obſtructione, & ſubitò debere fieri: illegitimam verò, licet ſubitò & aliquando celeriùs interimat, fieri cõperimus à prædictis cauſis, quæ multis diſident interuallis, & aliquando lentè & alijs affectionibus præeuntibus, illegitimam efficere ſunt natæ, non tamen obſtruendo cauitatem cerebri craſsis ſuccis, ſed compreſſa ſubſtantia aut coarctatis cauitatibus, vel interciſis aut aliter læſis ſpiritibus: quæ ratio me coegit eã numerare inter ſyncopis ſpecies, ſicut inter apoplexias, quòd ſubitò priuet ſenſu & motu ac ocyſimè interimat.

Præter ea quæ hucuſque diximus expẽdiſſe oportet, verbum illud diffinitionis (omnimoda priuatio ſenſus & motus) nõ enim videtur excludere reſpirationẽ, ſiquidem ad inuicem ſe habent reſpirare & viuere. Atqui ſi verum eſt, animal ex toto reſpiratione priuari, ſicut aliarum potẽtiarum actionibus, fruſtra ſanè videretur curationem inſtituere: ſupereſt igitur reſpirationis aliquid. Quòd ſi motus nullũ in reliquis membris appareat veſtigium, coniectandum eſt certas quaſdam fibras à quinta coniugatione neruorum ortas naturam huic miniſterio adſeruaſſe incolumes, præcauens animalis interitum. Præterquam quòd cũ omnino reſpiratione homo non orbetur, puſilla vis quæ à cerebro deriuatur, (ſiquidem cerebri meatus & ſubſtantiæ eius poroſitates non ſunt adeò coarctatæ, neque ſpiritus adeò extincti, quòd aliquid eorum permeare non poſsit:) licet cæteris membris mouendis non ſufficiat, ſatis quidem eſt reſpirationi efficiendæ: cui etiam ſecundùm naturã ſatis eſt quiuis facultatis influxus, & ob id omnino reſpiratione non priuatur apopleticus. Cuius rei gratia aſſerimus, ſagaciſsimam naturam tantùm reſpirationi prouidere: quòd ſi caſu aliquo cunctis alijs actionibus priuetur, hãc tantùm vſque ad vltimum inſtans viribus & poſſe conatur ſeruare: haud ſecus quàm in dormientibus, in quibus licet omnino videatur ociari, ſolam tamen fabrefacit reſpirationem: quam etiam in apopleticis adſeruat præſagationis & curationis gratia: quippe tantum mali præſagare licet in apoplexia, quantum reſpiratio fuerit vitiata, & pro eiuſdem vitio, máiora aut minora auxilia ſunt adhibenda, iuxta quatuor differentias difficilis reſpirationis, quibus quatuor apoplexiæ differentiæ diſtinguntur, diſsidentes quidem periculo & curationis diligentia. Prima differentia eſt, cum ad ſenſum ex toto aufertur reſpiratio, quæ ſanè licet ex toto non ſit conciſa, ſenſui tamen ita eſt occulta, vt iam ex toto animantis interitum minetur: & hæc efficit illam apoplexiæ ſpeciem, quam Hippocra. fortem appellauit, ac cenſuit minimè poſſe ſolui. Hanc ergo nõ cenſeo in apoplexia poſſe dari, niſi velut mortis præludium: quinimo certius arbitror mortis ſignum. Quippe hac ſola ratione apoplexia differt à ſyncope frigida & vteri ſtrangulatione, quòd in apoplexia, deficiente reſpiratione, protinus intereat animal, quia vitium eſt eſſentiale cerebri: at in alijs adhuc remanet vita ex arteriarum motu: qualiter autem id ſit intelligendum mox audies. In ſecũda reſpiratio fit cum maxima difficultate, in qua laborans vix poteſt thoracem dilatare: quam etiam includendam cenſent authores nomine fortis apoplexiæ. Tertia verò eſt, quæ apparet quidem, cæterùm inæqualis & varia, & hanc tanquam mediam conſtituunt inter fortem & debilem apoplexiam. Vltima quidem ea exiſtit, in qua reſpiratio parua quidem apparet, & quæ vſui caloris ſatisfacere nequit: cæterum æqualis, & hæc eſt quæ leuem apoplexiam omnino deſignat.

Signa verò quæ in huiuſmodi affectu conſideranda ſeſe offerunt, ſunt procul dubio in quadruplici differentia: nam quædam futurum ſeu imminens malũ præ- *Signa.*
nunciant: quædam verò præſens mõſtrant, & ab alijs ſibi ſimilibus diſtinguere docent, neque non & ſpuriã apoplexiam à legitima: quædã rurſus viuens ne, an mortuus ſit homo, venantur: & vltimò alia differentias apoplexiæ monſtrare & diſtinguere inter ſe valent. Neque fruſtra quidem eſt huius affectionis tot ſigna exquirere, ſiquidem & ad cognitionem & ad curationem proficua ſemper comperiuntur, & non minoris momenti in hoc graui affectu ad certius præſagium proferẽdum. Primi quidem generis ſunt, quæ Aurelianus refert dicens. Indigeſtio frequens, maximè vini craſsi, vſus lauacri frequentior aut intempeſtiuus, vel dum ſit, dimiſſo exercitio: vſus etiam veneris frequens, potiſsimùm in ſenibus, concidunt quippe in his præ caloris & ſpirituũ defectu cerebri membranæ. Item vulneratio piæ meningis, & in pueris ob aliquam occaſionem vehemens ſaltus membranæ cerebri, quæ dum mouetur, vicinis oſsibus ſe impingit. Quibuſdam verò ante morbi acceſſum, præcedũt grauedo vel dolor capitis inſolitus, aut vertigo vel aurium tinnitus, aut infirma ad aſſuetos labores efficacia: vultus mœſtitia, palpitatio membrorum & maximè labiorum, tremula loquutio, & veluti minus expreſſa aut interrupta: obliuio etiam mox dictorum, vultus tumor, & egeſtionum difficultas, ac nõnunquam loquelæ & ſenſuum leuis priuatio, à qua mox laborantes redeunt. Affectum quidem præſentem ſpuriam eſſe apoplexiam monſtrat, & ab humoribus corruptis fieri, non repẽtinus caſus, ac diuturnior, & protracta mors: verùm quæ ſpuria eſt ob ſpirituum ſuffocationem, cunctis alijs breuior & perniciosior exiſtit, cùm vitalem facultatem protinus in conſenſum trahat: nam quæ legitima eſt, non vitam vt hæc, ſed vitales actiones protinus demit. At ſpuria quæ ex manifeſto ictu aut caſu oritur, notiſsima eſt & diutiùs protrahitur. Sed vtcunque ſit, præſentem affectũ monſtrat, vocis amputatio, mentis & actionum omnium oppreſsio ex repẽtino caſu, immobilitas totius corporis, quibuſdam ſuſpenſio palpebrarum atque oris aperti diſtantia, articulorum etiam gelidus torpor, & parua ac difficilis reſpiratio: quo ſolo ſigno ſic affecti à catalepticis & ſoporoſis affectionibus diſsident. Color inſuper his efflorescit plumbeus, lacrymæ inuoluntariæ, thoracis ſtridor, & ſuperiorum partiũ ſudores frigidi erumpunt, maximè in deterius labentibus, ſicut dum in melius malum habiturum eſt, partes incalescũt, & quodammodo moueri ac ſentire incipiũt. Tertij generis ſunt ea ſigna, quæ reſpirationẽ eſſe vitiatã aut omninò ſuppreſſam monſtrant, veluti eſt ſpeculum ori appoſitum, quod ſi halitus fœdauerit, laborantẽ viuere coniectandum erit. Eandem certitudinem præſtat carminatæ lanæ aut goſpij fruſtum iuxta os & nares applicitum, cuius pilos ſi moueri cõſpexeris, viuere homi-

hominem conijcito:eiuſdem efficaciæ eſt vas aliquod aqua plenum ſupra vẽtrem poſitum, cuius aqua ſi moueatur vitæ præſtat probationem. Verùm licet viuere nullo horum ſignorum conſtet,non tamen ob id protinus vita orbatum eſſe hominem eſt proferendum, aut ſepeliendum committere mox licet, ſed differre oportet donec vel pars aliqua liueſcat aut fœtore æſtuet aliquãtulum corpus: ſæpe enim ex præcipite deliberatione, viuos ſepultos fuiſſe aliquos ſtrenuos viros proditum eſt, & non multis ab hinc diebus conſpeximus. In qua re vt certior de reſpiratione ſubſit coniectura, ſciendum eſt, reſpirationem poſſe vno è duobus modis aboleri in apoplexia,ſyncopi,& venarum interceptione:primo quidem ſubitò & confertim & mox à principio mali vniuerſam aboleri,vt in hyſtericis fœminis cõtingit,ſecũdo verò ſenſim & paulatim in creſcendo mali ſæuitiam,& ex cõſequenti reſpirationem pari gradu vitiari imminuique ſenſim & paulatim, donec natura omnino deuicta,reſpiratio & pulſus pariter euaneſcant. Sic profectò inſubita vtiuſque euaneſcẽtia,vt in hyſtericis contingit, ſpectare oportet donec pars liueat aliqua,aut fœtore corpus æſtuet, quia facilè in vtrãque actionem pulſus nimirũ & reſpirationis laborantes redeunt,quo fit,vt eos protinus ſepelire non liceat.At in alijs quibus ſenſim & paulatim vt affectio creſcit, ita pulſus & reſpiratio imminuuntur,credibile non eſt vitam adhuc ſuperſtitem eſſe,quia ſuperante morbo potentias, actione priuantur ob integram & completam corruptionem: quod cenſeo fore magni momenti ad rectum de morte aut vita iudicium eliciendum,in ſubitaneis & improuiſis mortibus. Signa quidem quarti generis ſunt,quæ cerebrum eſſe affectum per primogeneam affectionem oſtendũt,veluti eſt pallor & plumbea albedo totius faciei, oculorum lacrymæ, ſpuma per os excreta,aut ſaltem tenuis quædam ſaliua,& vltima aliorum ſignorum priuatio:nam ſi ex aſcẽſu pituitoſi ſanguinis per iugulares venas ad cerebrum fiat,ex earum tumore & tenſione id facilè diſces,ſicuti ex oculorum prominentia & venulis rubeis vel per totum caput eminentibus:ita ex diſſolutione ſpirituum,aut ex ſubita ſuffocatione, ex repentino caſu citra reſpirationis veſtigium facilè diſces,ſicut ex faciei conſumptione.

Præſagiũ. Ex nulla alia re certius ad ſalutem aut mortem in apoplexia deſumi poterit præſagium, quàm ex maiori minoriue reſpirandi difficultate,quòd hæc ſola magnitudinem cauſæ ſequatur.Nam ſi laboranti omnino intercipiatur reſpiratio, ita vt ad ſenſum thorax videatur non moueri,quaſi de repente ſtrangulatur æger,& apoplexia dicitur acutiſsima,in qua medici fruſtra vitæ prædictis probationibus vtuntur: hoc autem tantum in apnea vteri aut ſyncope frigida fieri debet, in quibus calor cordis ita refrigeratur, vt ſola arteriarum motio ſine reſpiratione vitam tueatur. Quocirca licet in ſignorum tractatione hanc vitæ probationem adduxerim vt aliorum authorum placitum ſequerer potiùs, quàm quòd in apoplexia exiſtimem neceſſariam eſſe,eſt arbitrandum:nam ſi æger adhuc viuit & non reſpirat,aut apopleticus non eſt, vel ſyncopi coniungitur, cùm hoc tamen eam fortiorem apoplexiam reliquis appellarunt medici, in qua reſpiratio aboletur: ſed tunc iam non ſupereſt vita vt in ſyncope,ſed mortis eſt præludium. Præterea mortem portendit ſudor circa frõtem & ceruicem,qui potiùs ex impẽſo labore ad reſpirationem moliendã,quã ex alia cauſa ſuboritur.Item apoplexias repente ſuccreſcentes ſoluit febris,quæ vel lenta non eſt,vel diuturna:nam talis erat quæ Numeno ſuperuenit & cum hoc mortuus eſt 2.prorr.50.Ratio huius ſalutaris præſidij eſt, quòd calor febris ſuperueniens iuuet, aut quia intemperiem maximè frigidam emendat, aut quia flatus diſcutit,vel quia frigidos humores calefacit, craſſos atte-

attenuat, & lentos ſeparat ac fundit & abſumit, aut quia omnia ſimul efficit, vt in apoplexia ex pituitæ repentino affluxu: quia tamen nihil horum lenta febris præſtare poteſt,nihil iuuat. Ex quibus conſtat, febrẽ non quamuis neque cuiuis apoplexiæ prodeſſe poſſe, niſi maior ſit mediocri,vt 2. de morbis dixerat Hippocra. quam ſtatuit ſeptimanos ſanare,ac etiam forti apoplexia correptos, nam quod ars nequit, natura ſæpe valet efficere. Eſt adeò pernicioſa huius affectus conditio, vt quem ſemel apprehenderit, vel omnino perdat vel graui aliquo affectu mancum reddat,ſic enim plerunque ſi res ex voto naturæ ceſſura eſt,in hemiplexiam commigrat,ſin aliter & frequenter in mortem.

Curandi ratio. Quibus exactè penſatis,(ne nobis in cognitione & præſagatione turpiter hallucinari contingat,) audaciùs medendi rationem inſtituemus. Quæ quidem futura eſt duplex:altera quæ cauſam illidat, & prima quæ ſympthoma,quòd vrgentius ſit, quàm citiſsimè auferat. Sic profectò huius primæ ratione non licet protinus ad magna auxilia deuenire,ſed alijs leuioribus acceſsionem compeſcere & infirmare: nam vbi leuis obſtructio eſt,aut concreti humores,vbi flatus aut craſſus caligo ſuſq; halitus cauſam præſtat,vbi vitalis ſpiritus vapore intercipitur,ſatius eſt primo acceſſu hominem agitare,concutere aut duriuſculè fricare,vel dolorificis vinculis vti,vt concreti humores fundantur, ac ſpiritus animales exitum habeant,& vitales aditum,& ad excitandam etiam naturæ vim,commouendamque materiam ab obſtructa parte.Cui vſui prodeſt frictio èx oleo calente,& maximè earum partium quæ magis refrixerint: prodeſt & plantarum pedum pruritus: aeſi laborans vetuſtior ſit,inanitus,flatuoſus & ventre ieiuno,aquæ vitæ modicum cum nuce muſcata in nares injicito.Prodeſt etiam vellicatio barbæ & pubis cum ſinapi vulgari: ſal ori etiam iniectus,quibus laborans facilius excitetur. Verùm in reliqua medendi ratione,quæ cauſam auferre tenetur, primò conſiderabis, qualis ipſa præfuerit quæ apoplexiam excitauerit,& qualis etiam immanitas atque ſæuitia eiuſdem affectus. Sic enim dũm prodit ex ſpirituum ſuffocatione præ nimia totius corporis abundãtia,aut eò quòd iugularibus plenis ſpiritus vitales in cerebrum non tranſeunt, vel quòd arteriæ capitis comprimantur,& ob id ſpiritus ſuffocentur, ſi vitæ ſubſit veſtigium,mox ſanguinem mittere oportebit,prudenter tamen:nam ſi compreſſam habeant reſpirationem laborantes,ſignum quidem eſt periclitari præ copia: quapropter venam ſciſſa cauè (hoc eſt,ne fiat laborante iam poſito in maximo diſcrimine) ſanguinem extrahes:quòd ſi probè id tulerit,iteratò amplius extrahes, iuxta Hippoc.decretum.1.apho.3. Cæterùm prudenter id opus aggredieris,nam aliud eſt ſanguinem mittere ante acceſsionem,vt intelligendus venit Hippocr.aliud quidem laborante iam acceſsione correpto. Verùm ſi ex pulſibus conieceris primam ſanguinis detractionem non toleraſſe, ſat erit extractus ſanguis, ne medico mortis crimen imponatur:at ſi,vt ſæpe ſolet,huiuſmodi laborantes interitui ſubito aut proximo obnoxij ſteterint, cucurbitulis,frictionibus,ligaturis,& omni diuerſionum genere atque prognoſticis totum negotium committes.

Cæterùm ſi ob pituitoſum ſanguinem aut coproſum per iugulares venas in caput aſcendentem,compreſſo cerebro ac ſuffocatis ſpiritibus arteriarum & ventriculorum ipſius,apoplexia ſuboriatur,promptius remedium eſt ſanguinem mittere,vt in præcedenti cauſa. Verùm ex qua parte,non ſatis inter authores conuenit: nam ex Auicen.conſtat à malleolis eſſe fundẽdum,quod multi neotericorum omnino tanquam inutile damnant, arbitrantes ex brachijs ſatius eſſe ob mali virgentiam & viciniam partis affectæ:ex antiquioribus tamen multi à venis naſi autfrontis.

tis.Pauci verò audent, ruſtico quodam timore perterriti iugulares venas ſcinde re,tum ob timorem ſuffocationis ex ligatura,tum propter fluxum difficulter compeſcibilem: verùm has ſecare vrgente periculo,maximè ex conſenſu alterius viri docti,tutum eſt,ſi ſciſsio paruiſsima ſit & nulla facta ligatura,quòd venæ cõſpicuæ ſint,& ea non indigeant:nam promptiùs per has venas ſe ſe exonerat caput, quàm per quaſuis aliarum.Quòd ſi earum ſciſsio non profit,ad cephalicam confugiendũ eſt,& bis die ſanguinem fundes, ſi vires permiſerint,ac deuenies mox ad venas frõtis aut naſi. Item cucurbitis vteris cum ſcarificatione aut ſecus, & omni diuerſionis genere: cauens ne repellentia adhibeas, quia venæ interiores maxima turgent plenitudine, quam longè preſsiorem & fixam efficies. Præſtat enim fomentis vti laxantibus aut modicè diſcutientibus cum laxitate: quod miniſterium præſtare ſolet aquæ dulcis balneum moderatè calidum, quo partes laxantur & ſanguis faciliùs reſoluitur aut extrahitur,quod conſulueratHipp.3.acut.59.& 1.popu. part.3.in his quibus minùs quàm par eſt ſanguis è naribus fluxerit. Poteris etiam decoctum conficere ex maluis,violis,fœnugræco,althea,& ſimilibus:atque in hac cauſa hæc ſufficere videntur.Cauendum tamen eſt à ſanguinis miſsione, ſi ex frigore ſpiritus extincti,aut diſsipati quouis alio modo exiſtant,nam longè magis peribunt diſsipabunturque quàm affectionis ſubſit præſidium: cuius contrarium accidit cùm ex compreſsione aut ſuffocatione ſpiritus in cerebro pereũt: quod ſanè obſeruaſſe,magni eſt momenti in curatione, alioqui mirum non eſt, ſi ſalutari auxilio ægrum citiùs perdas. Verùm ſi huiuſmodi affectio ex ſuppreſsione menſium, hæmorrhoydum, aut alicuius ſanguinolẽtæ euacuationis prodeat, eandem proti nus euocare oportet. Quo ſolùm caſu arbitror intelligendum fore Auic.loco citato,quo in apoplexia ſtatuit ſanguinem eſſe mittendum ex talo : licet ex neotericis plures conſilio antiquorum ex poplitibus ſanguinem mittere conſulant: quod iuſſum eſſe arbitror,donec vel ſuppreſſa fluxio redeat,vel eius defectus ſuppleatur, imminuaturque à capite vbertas ea ratione facta.

Verùm ſi quid iam in capite receptum,pituitoſum, craſſum,aut crudum fuerit, nulli dubium eſt,quin triplici via procedendum ſit in curatione, ſi priùs conſideres,an vigẽte in cerebro aut toto corpore pituitoſo vel craſſo quouis ſucco,poſsibile ſit aut vtile ſanguinem mittere:In qua ſanè re, vt quæ vel hominem liberet, vel protinus interimat,vt Celſus ſtatuit, te gerito, vt Aurelianus conſulit,qui maxima priùs facta diſtinctione,id opus aggrediẽdum aut prætermittendum eſſe conſulit. Quippe monet ſanguinem eſſe mittendum,ante quàm humores præ frigore concreti liqueſcant & fundantur:nam ſi antea ſanguinem miſeris, nulli dubium eſt craſsiores & frigidiores fieri, & malũ longè læthalius.Et iubet fundẽdos eſſe oleis, ſyrupis, frictionibus,& omni calorifico ingenio: nam ſi ante id opus ſanguinem fuderis,non fluent. Quod ſanè præceptum mihi non diſplicet, dummodo affectio ab externo frigore principium ſortiatur : quo ſolo caſu calorifica & fundentia præmittenda ſunt,aut vbi vniuerſum quod fluxurum erat, iam fluxit. Quippe cùm natura ex apoplexia emiplexiam melioris gratia ſæpe moliatur, tenuata fluxibilioriq; reddita pituita,quo faciliùs diſcedat, ſeſeque ſeparet ac diducatur à foramine ad neruea as partes:ſic ars id quoque efficere poterit, vbi nihil fluxurum ad cerebri cauitatem ſperauerit:nam ſi quid ſupereſt (quod ex venarum turgore,rubore, & tumore cutis,faciei,& capitis diſces:nam in quibus nihil ſupereſt fluxurum, ferè in omnibus partibus cutis collapſa apparet)ſatius eſt ſanguinem primò mittere, licet parciùs aut per vices:& poſtmodum quod ſupereſt tenuare,fundere,& per inſenſilem

lem halitum digerere:nã prædicta tenuatio mille præſtat beneficia,tùm ad diſcuſsionem moliendã,tùm vt medicamentis purgantibus faciliùs cedat humor, tùm verò vt ſanguine miſſo promptiùs fiat ad vaſa retroceſſus, ſi præmiſſa inanitione fieri poſsit.At ſi iam prædicta occaſio præterierit,vt tutò venæ ſciſsione vtaris, differre oportet,donec modicum inclinare affectionem comperiamus, ac corpus non ita rigidum exiſtere,vel facies iam rubra apparuerit,vel ſaltem non plumbei coloris : nam ſignum eſt humoris fuſionem & calefactionem cepiſſe iam naturam. Tunc inſuper conſiderabis,an nimia venus,vel quid aliud vires infirmauerit,(poteſt quidem eſſe repletio humorum, quæ ſanguinem fundi expoſtulet, & ſpirituum inanitio, quæ id prohibeat) quòd ſi id non vetuerit, ventre clyſmate actiori præmunito, venam cephalicam tundes, parumque ſanguinis fluere ſines: ac ſi plus extraxiſſe ſit opus, partitè & per vices facito,interim dum acceſsio remittitur: quod dignoſces ex liberaliori reſpiratione & vehementi ac magno pulſu. Quòd ſi malum adhuc perſtet, viresque etiam conſtent, alteram cephalicam vulnerato, ſi ſolius ſit cerebri affectio: at ſi vires affectæ fuerint, cucurbitas cum ſcarificatione affiges:Aretei tamen & aliorum antiquorum conſilio,maximè prope iugulares venas & ſub mento,vel ſi corpus obeſum fuerit,pluribꝰ cruicis, ſcapularũ, & brachiorũ partibus hyrudines appones,idque maximè ſi venæ conſpicuæ non ſint:idque iteratò facies. Quibus factis laborantem agitato & concutito ac violenter fricato:nam ſæpe obſtructio à pauciſsima fit materia aut craſſis vaporibus,quibus hæc ſolent ſufficere.

Verùm ſi ſors id non tulerit,tunc quidem ad primam indicationem veniendum eſſe conſulit caſus vrgentia, quæ ſanè docet corpus euacuare, & ad particularia auxilia commodè ſuſcepta præparare ac diſponere.Id ſanè fit his,quæ corpus ab errante pituita expurgent:primò enematis quæ conficiuntur ex decocto ſaluiæ,ſthœcados & camemali, cui adde agarici & expreſsionis eius.ʒ.ij.medullæ cartami.ʒ.iiij.cẽtaureæ minoris.miſſ.ſ.colocynthidis.ʒ.j.&.ſ.bulliant in prædicto decocto,& facta collatura adde hieræ logodij.ʒ.ſ.mellis roſacei.ʒ.iij.olei rutæ ʒij.ſalis cõmunis.ʒ.ij.miſce:etſi ob ſenſus hebetudinem nihil excernat labꝰ,vtẽdũ eſt ſuppoſitorio,quod recipit hieræ diacolocynthidos.ʒ.ij.caſtorei,ſeminis carui,& rutæ anà.ϑ.ij.ſalis gemæ.ϑj. cum melle fiat ſuppoſitorium filo appẽſum. Quo facto,eadem die ad purgãtia pharmaca deuenies, quæ cum ſolida deuorare nequeat laborans,liquore aliquo diſſoluta infundes: & licet non nullis diſpliceat in hoc affectu purgandi vſus,rationes tamen ſunt nullius momenti, & vrgentia mali ac neceſsitas magna. Sic ad ſuperuacuam materiam deducendam,& ad eam etiam quæ obſtructionem molitur deueniendum, ſi verũ eſt(vt re vera eſt) caput poſſe mendicamentis aliuum ducẽtibus purgari,maximè cùm prædictus affectus apoſtemoſus non ſit,& humor iam extra vaſa poſitus, quem ſanguinis detractione minuere eſt impoſsibile.Primò purgabis catapotiis ex agarico,de aſaret,aggregatiuis,cochijs,fœtidis,& de ſarcocola:quibus admiſcere oportet,pilularum de euphorbio aliquid,vel modicũ euphorbij,aut caſtorei.Quippe elleborũ addere, cùm vomitũ cieat ad caputque euocet, non placet. Ex quibus ſanè medicamentis ad ʒ.j.&.ſ.aut.ij.vſque porriges,diſſolueſq; in aqua vitæ, aut in liquore roſarum ex infuſionibus,& per infundibulum in ventriculum laborantis immites.Quæ ſanè curandi ratio,prima vel ſaltem ſecunda die exequenda venit citra vlteriorem præparationem,cùm caſus vrgentia eam non admittat.

Verùm ſi res ex voto ſuccedat, aut ſecus, niſi in præcipitium laborantem

ire experiãs, ad vlteriorem purgationem corpus & humorem præparabis. Primùm sanè facies inunctionibus per totum corpus factis, maximè iuxta dorsum & ceruicem, oleo calido camemelino, anethino, liliorum, rutaceo, & similibus, cum vehementi frictione, quæ & pituitam extenuet & vniuersum corpus ad calorem moueat. Interim tamen ventri & visceribus prouidebis oleo de spica cum pulueribus ciperi, cinnamomi, macis & caryophyllorum. Secundum quidem exequeris serapijs, quæ vtcunque humorem præparent & eius halitus ad caput ascendentes: Cuius naturæ est mel rosaceum, syrupus sthœchados, menthæ, & de corticibus citræ cum oxymellite simplici aut squillitico, vel aqua stillatitia ex squilla: cuius etiam efficaciæ est mel squilliticum cum aqua vitæ, cuius meminimus capite præcedenti. Si tamen his factis, aliqua salutis subsit spes, quòd venaberis ex faciliori respiratione, vel ex leui aliquo sensu aut motu, tunc quidem studendum est iterum corpus purgare liquata prædictarum pilularum. ʒ.j. in aqua vitæ, & facta collatura laboranti singulis diebus vel tertio quoque die præstita. Interim tamen auxilia præstare poteris, quæ simul materiam præparant, discutiunt, purgant, & calorem augent: actuentur: sic profectò manè aut prope somnum laboranti porriges, postquam aliquantisper quieuerit ab alijs auxilijs, id quod recipit hieræ simplicis, ʒ.j. &, ß. vel hieræ diacolocynthidos. ʒ. ß. theriacæ veteris vel smaragdorum. ʒ. ß. dissolue in aqua vitæ & calendulæ anà. ʒ j. Prosunt quoque hiera Pachij, aut trochisci ex ea facti, quã adducit Scribonius Largus multos Romæ ab hoc affectu reuocasse. Item hiera logodij, maximè si melancholici succi aliquid præsit. Neque minoris momenti est medicamentum quod recipit conseruæ iridis, calami aromatici, acori anà. ʒ. iij. conseruæ saluiæ. ℥j. diu agitentur in mortario cum aquæ vitæ aut mellisophili. ʒij. & facta forti expressione potui detur. Eiusdem vsus est id, quod recipit seminis rutæ, santhali citrini, nucis muscatæ anà. ℈ ij. ponantur in manica Hippocr. & collentur quater cum aquæ vitæ aut calendulæ anà. ʒ j. &. ß. & fiat potio. Cuius & pretiosioris est efficaciæ aqua instillata è nucibus muscatis, auribus, palato & naribus indita: quo præsidio sic affectos posse reuocari, Deo auspice censeo. Valet etiam post purgationem id quod recipit, pulueris diamusci & diambræ anà. ℈ j. castorei. g. vj. aquarum chelidoniæ, saluiæ & rutæ, anà. ʒ j. &. ß. fiat collatura fiat potio.

Verùm si factis purgationibus, quæ sufficere videbantur, res non cedat, coniectandum est humorem solidioris esse substãtiæ, exposcereq; efficaciora pharmaca, cuius census est id quod recipit agarici. ʒ. j. pulpæ colocinthydis. g. ij. electuarij indi maioris. ʒ. iij. dissoluãtur in aqua vitæ & facta forti expressione fiat potio. Quòd si per epicrasim purgare etiam velis, porrige id quod recipit pilularum fœtidarum & cochiarum anà. ℈ j. trochiscorum de alandahal. g. iij. macerentur in aqua vitæ & mellisæ, & facta expressione potandam præbe. Quòd si velis magis discutere & calefacere quàm expurgare, eo vtere quod recipit, castorei. g. iiij. trochiscorum de alãdahal g. ij. oxymellitis squillitici. ʒj. aquæ chelidoniæ maioris & vitæ anà. ʒ. j. fiat collatura. Sed tamen in his omnibus exhibendis, vt res ex voto cedat, corpus priùs vel sanguine misso vel expurganti medicamento vacuasse oportebit.

His autem præmissis, mox deueniendum est ad secundum auxilij genus, quod per propria capitis emunctoria docet cerebrum expurgare: hęc autem sunt caputpurgia appellata, quibus cautè vtendum esse consulit affectus natura: nam si sternutatoria à principio adhibeas, plus lædes materia attenuata & commota ad affectam partem, quam possit à postica cerebri parte ad anticam euocari. Quapropter potiùs

potiùs eo præsidio vtendum esse censeo, post corporis & capitis euacuationem ad reliquias conterendas, quàm ad caput primò euacuandum. Qualia autem hæc debeant esse, capite de lethargo reperies. Quibus addere oportet euaporationes, quas magis semper probaui quàm suffumigia: ea autem fiunt ex ruta, ex squilla, castoreo, & euphorbio aceto feruefactis: cuius vaporem naribus trahat laborans. Mouet etiam sternutamentum succus anagalidis vtriusque, ceparum, brasicæ, siclæ, aut enulæ, ireos, marrubij radicis, & nigelæ, & vltimò cucumeris agrestis, cum pulueribus piperis, castorei, elebori & euphorbij. Ex quibus cum melle rosaceo, hydromellite, oxymellite simp. vel squillitico, mille medicamentorum sternutamentum mouentium formas effingere poteris.

Tertia & vltima curandi ratio his perficitur auxilijs, quæ vim habẽt calefaciendi & exiccandi caput ipsum: quibus non rarò accidit medicis incautis vt grauior & pressior fiat affectio: nam cùm caloris sit fundere & extenuare, facilè id malum sequitur, nisi prudenter eis vtaris. Quapropter illa adhibere oportet capite & corpore satis purgato, & primò à leuioribus facto initio, nempe ab oleo laurino, de lateribus, rutaceo, de castoreo, & de piperibus cum modico aceto: vel cum cera facto molli vnguento. Excitat quidem apopleticum, & mirè materiam discutit oleum de vitriolo: quod si paratũ nõ sit, dissoluãtur. ʒ. ij. vitrioli in. ℥. j. olei de spica, de costo, aut de castoreo, aut de squilla, hoc modo. Excipe squillæ scissæ in rotulas ʒ ij. castorei. ʒ. ß. vitrioli. ʒ. iij. fiat decoctio in olei costini & vini anà lib. ß. ad consumptionem vini: & facta collatura vsui serua. Præstat & potio quæ recipit castorei ℈ j. mastichis, seminis rutæ, santhali citrini, nucis muscatæ anà. ℈. ß. & cũ aquæ vitæ & labendulæ anà. ʒ ij. ponantur in manica Hippocr. & collentur quater, cuius ʒ ij. infundantur per gulam. Omnibus autem prodesse comperimus aquam stillatitiã ex nucibus muscatis, maximè si instillatio fiat cum aqua vitæ. Non minoris momenti à plerisque scriptorum habetur illud præsidiũ quod recipit squillæ contusæ ʒ j. mellis rosacei ʒ iiij. conseruæ iridis, calami aromatici, acori anà. ʒj. conseruæ saluiæ ʒ ij. theriacæ veteris ʒj. &. ß. aquæ vitæ ʒvj. instillentur in duplici vase & liquoris stillatitij præbe. ʒj. Iuuat etiam interim dum caput purgijs vtimur, caput abradere & inungere oleis calidis, in quibus ferbuerit pulegium, serpillum, & semen maioranæ, aut vngatur caput oleo de labẽdula, aut de been, in quo incoxerint caryophyllus, nux muscata, muscus odoratus, semen rutæ, & reliqua huius census. Præstat etiam sinapismis vti, quæ recipiant olei rutacei ʒiij. picis nigræ lib. ß. liquefiant in duplici vase, deinde adde pyrethri, piperis albi anà. ʒ. ij. extende super pãnum & capiti affigendum cura. Quem etiam vsum præstat aliud quod recipit ficus pingues leuiter coctos, deinde cum duplo seminis sinapis contunde, & ad formam emplastri adhibe. Valenter quoque ad extimas partes trahit digeritq; materiam emplastrum quod recipit oxicrocei vel emplastri de Vigo ʒiij. agitetur fortiter cum oleo laurino, & adde sinapis, pyrethri, piperis, staphisagriæ & euphorbij anà. ʒ. ß. Ex quibus etiam pulueribus cùm ficubus & puluere sulphuris, nucis muscatæ, anacardi, seminis vrticæ & fimo columbino emplastrum non minoris momenti parabis. Quem quoque vsum præstat caput abluere, aut spongia vel philtro fouere decocto saluiæ, rorismarini, rutæ, sthœcados, maioranæ, pyrethri, & similium cum aqua vitæ aut vino. Sed cauendum est in hoc affectu à theriacæ, vel mithrydati nimio vsu, nam periculum est, ne pressiùs somnum concilient.

De Paralyſi. Cap. XIIII.

PAralyſis ſeu paroſis idē eſt apud Græcos,ac inter eoſdem emiplexia aut paraplexia,& apud Latinos reſolutio. Eſt quidem affectio apoplexiæ finitima & in multis ſimillima,in alijs quidem diſpar.Sic profectò quemadmodū in apoplexia vniuerſum corpus ſenſu & motu orbatur, ita prorſus in quauis reſolutionis ſpecie,modò vnius ſit mēbri,modò plurium aut medietatis corporis,pari lege ſenſus & motus abolentur.Itaque quemadmodum in apoplexia nerui vel patiuntur, vel compatiuntur ; ita & in quauis reſolutionis ſpecie. Diſident tamen quia in apoplexia ſemper oblædūtur ſenſus & motus ſimul,in paralyſi verò alterum eorum lædi poteſt, reliquo manente illæſo. Item in apoplexia nerui oblæduntur per conſenſum ab obſtructo cerebro:quod licet in paralyſi quoque accidat vt in emiplexia, ſæpius tamen nerui ipſi vitio proprio afficiuntur.Secundò etiam diſident,quia in apoplexia oblædūtur ſenſus interni & externi ſimul,in paralyſi verò ſolùm tactus & motus, licet aliquando in pernicioſa paralyſi etiam interiorum potentiarum eluceat affectus. Erit itaque paralyſis ſeu reſolutio, ſenſus & motus priuatio, non quidem vniuerſalis, ſed partis alicuius,vnius aut plurium , ſeruatis tamen vt plurimum internis ſenſorijs.In ſtupore verò ſeu torpore qui pars eſt vel præludium huius mali, vel vt Galeno placet,leuis quædam paralyſis,motu leuiter læſo,ſenſus non amittitur, ſed debilitatur,cùm nil aliud ſit,quàm difficultas quædam ſentiendi,ſiue tactus diminutus propter tactoriæ facultatis imbecillitatē.Cuius etiam naturæ tremor eſt,nimirum motus voluntarius imminutus propter facultatis imbecillitatem: ſed ſtuporem duobus modis contingere ſcimus:vno cùm laborans obſcurè & obtuſè ſentit,alter verò cùm diminutè etiam,& cum hoc perperam ſentit:ſicut cùm ſtupent brachia aut crura ex incommodo ſitu, videntur veluti formicæ per id membrum decurrere. At in paralyſi exquiſita vtroque priuatur pars ægra, ſeruatis vt dictum eſt, internis ſenſorijs, quòd vitium non ſit in cerebro, ſed in neruis ab eo vel ab ſpinali medulla exortis. His habitis conſtituendum eſt paralyſim nil aliud eſſe quàm tactum vel motum voluntarium ablatum,propter ſpiritum animalem ad organa prædictarum functionum non influentem. Quam duplicem arbitramur eſſe, exquiſitam vnam ,& reliquam illegitimam & ſpuriam: illa quidem eſt in qua nerui ſenſum & motum ſimul amiſerunt : hæc verò in qua motu incolumi ſenſus aboletur,aut è contra,& finitima eſt legitimæ : nam paralyſis propriè potiùs eſt motus quàm tactus affectio. Eſt igitur ſympthoma conuulſioni omnino contrarium : quòd in hac partes in latitudinem agantur, in paralyſi verò in longitudinem, quia & cauſa & morbus, ſicut ſympthoma, diuerſa admodum exiſtant. Neque nos turbare debet Pauli locus , quo ſtatuit reſolutas partes vel conuelli vel laxari, idque vel à repletione vel ab inanitione fieri. Cui etiam ſubſcribere videtur Ætius libro. 6. capit. 3. caniam conuulſionem, mandibularum muſculorum reſolutionem appellans. Nam vel licentioſiùs videntur loqui, vel generaliùs vtuntur nomine reſolutionis pro omni motus priuatione, ſiue ſit per conuulſionem,ſiue per paralyſim:quoniam ſi quis eorū affectuum naturam exactè inueſtigare ſtudeat, reperiet neque paralyſim, & prædictam conuulſionem eundem poſſe eſſe affectum, neque vnam eandemq;

eorum cauſam,neque eundem efficiendi modum,neque conuulſionem paralyſi ſuperuenire poſſe, item neque reſolutionem particulis contractis accidere, niſi eam pro arctiori neruorum poſitu deſcribas, idque non eorum longitudini, ſed latitudini referendum erit:niſi cùm ex luxatis fractisue ſpinæ nonnullis vertebris aut oſsibus alijs, aut denique eiſdem neruis diuiſis, paralyſis ſuboriatur:tunc quidem præcipuè nonnulla in latitudinem membrorum ſubſequitur coarctatio.Cuius doctrinæ gratia,non omnino contemnenda eſt Celij Aureliani ſententia hoc eodem capite, qua parte duplicem magni momenti conſtituit reſolutionis differentiam:nam altera(inquit)fit conductione(vt verbo eius vtar)altera verò extenſione:conductione fieri paralyſim veteres illi Empirici arbitrabantur, cùm membrum contrahitur in his,in quibus neruis trāſuerſis omnino præciſis, poſt vulnus cicatrice dura & magna obductum , membrum reſoluitur & ſic contrahitur, vt nō extendi poſsit:fit quidē extenſione,cū laxatis neruis membrū ſenſu ac motu priuatū, flaccidū,languidū,extēſum protēditur aut trahitur:& ſubdit idē author, crus paralyſi vitiatū conductione fieri breuius,extenſione verò longius,vt luxationem factam quidam putent.Præterea idem author non longè à capitis principio, per paralyſim ex conductione pari penſu intelligit amiſſum membri ſenſum ac motum alimenti defectu,hoc eſt,per atrophiam,quo malo iam plures affectos vidimus:nam cùm ad ſenſum & motum pars requiratur calore & optima carnis & alimenti copia prædita , & hæc omnia in atrophia deficiunt , ex nerui corrugatione & prolapſione , proculdubio ſenſu ac motu priuari contingit.Quam tamen diuiſionem præterid quod vtilem cenſeam,arbitror tamen ſapere quodammodo eorum opinionem,qui morbos omnes aſtrictos aut laxos ſtatuebant. Sed nos clarioris doctrinæ gratia,hunc affectum diuidimus , in paralyſim per propriā partis læſæ paſsionem,& in paralyſim per conſenſum:nam iuxta hanc diuiſionem arbitramur longiſsimis interuallis diſsidere.

Ex quo conſtabit ſympthoma in hoc malo eſſe de genere abolitarum actionum ſenſibilium exteriorum, ſed maximè motiuarum,in vna aut pluribus corporis particulis.Prodit tamen prædictū ſympthoma à morbo neruis, aut ſpinali medullæ proprio:qui ſanè vnus non eſt,cùm plerunq; ad intemperamentum prædictarum partium reduci poſsit, nonnunquam ad coarctationem neruorum , & eiuſdem ſpinalis medullæ:frequenter tamen ad obſtructionis certum quendam modum in neruis & medulla ſpinali(vt paulò inferiùs latiùs ſum monſtraturus) & aliquando ad neruum ſciſſum.

His affectionibus addere oportet ſtuporem & tremorem:quippe hic motus eſt diminutus(quanuis à Gal.conſiderante vniuerſum modū motus,compoſitū ex impotentia facultatis & grauitate membri,motus præter naturam appellatus fuerat) quia vt paralyſis ab ablata fit facultate, hic verò à diminuta , quæ pondus corporis aut membri ſibi conſuetum & commiſſum vt ſolet , non mouet ſed minutum & interciſum efficit motū. At ſtupor diminuta quoque ſenſatio eſt:ſed de tremore,hæc ſatis ſint quòd plura dicturus ſim cap.de cordis tremore & palpitatione,& cap.de cōuulſione.Quibus præmiſsis,vt cōſtet qualis ſit in paralyſi morbi natura, ſciendum eſt, idem omnino accidere prædictis partibus, dum hoc affectu premuntur,ac aëri quem habitamus & reſpiramus, à nebula vel craſſa aliqua ſubſtantia, quæ ſolis beneficio animalia in aëre degentia omninò priuent. Certum quidē eſt,licet ſol à nebula vel nubibus aliquid nō patiatur,nos tamē hac occaſione eius lumine & calore priuari. Sic omnino partes noſtri corporis dum neruus

aliquis caliginoſo aliquo ſpiritu aut craſſo humore imbuitur, beneficio animalis potentiæ deſtituũtur,& ſic particulæ ſenſu & motu orbãtur. Et ſimili ratione, cùm nerui origo vbi fertur aliquod eſſe foraminis veſtigium obſtruitur, tunc illuſtratione priuatur, haud ſecus quàm dum neruus ipſe à re aliqua adhærẽte comprimitur vel ex toto diſcinditur. Itaque non vna eſt vt diximus in hoc affectu morbi ratio, ſed ad quatuor neceſſariò reducenda venit, nimirum ad obſtructionem, ad intemperamentum ſimplex aut cum affluxu materiæ, ad compreſsionem nerui, & ad eius ſciſsionem. Obſtructionem autem in ſolo nerui principio, qua parte perforatione inſignitur, fieri eſt arbitrandum: & ob id hæc paralyſis conditio & ſors verè per conſenſum appellatur, vt Galen. ſtatuit lib. 1. de loc. affect. qui ſeparato præſidio à digitis, dorſoq; adhibens, laborantem ſanitati reſtituit. Alter verò morbus ſolis neruis & ea parte eorum adeſt, qua & paralyſis. Quod ſanè contingit aut quia à vaſis frigido humore inundantibus refrigerantur nerui, & ſpiritu influenti deſtituuntur, aut quia in ipſis neruis viget mali cauſa: nam aliquando neruus obtenebratur caliginoſo halitu, nonnunquam laxior & mollior efficitur humore ibidem imbibitõ, ita vt neq; neruus motui ſit aptus, quia id opus ſiccitate exequitur, neq; rurſus illuſtratio liberè fieri poſsit. Nonnunquã verò ex toto ſcinditur neruus: quo fit, vt vel illuſtratio ob continui ſeparationem euaneſcat, neq; ſi eam poſsit continere cogere neruus partem poſsit, adhuc ſanitate reſtituta, quia ob cicatricẽ conductionem patitur & paralyſim, ſic ab Aureliano ex hac cauſa appellatam: & ob id paralyſi affectas partes extenſas comperimus, immobiles & cõductas aut ſtabiles. Præterea ſit ex compreſsione, vel nerui vel cerebri: oritur quippe hæc reſolutionis ſors ſecto aut rupto neruorum principio, inchoato ſphaceliſmo cerebri, aut intercepto facultatis commeatu & coarctatis neruis, qui ad inferiores partes veniunt, à ſanie, ſanguine effuſo, oſſe depreſſo, vel tumore aliquo. Quod etiã malum fieri poteſt in quouis nerui corpore aut exortu, vt in luxationibus vertebrarum dorſi comperimus, vbi etiam plures alij morbi reperiuntur. Quæ ſanè omnium morborum genera, aut in parte cõſiſtunt reſoluta, aut in toto nerui proceſſu, aut in eius parte aliqua, aut in origine ſolùm, aut in ipſo cerebro, aut in medullæ principio. Ex quibus iam conſtare arbitror, qualis affectio ſit paralyſis, quaſq; ſortiatur differentias. Quibus tamen modis hæc affectio fiat, nunc perdiſcendum eſt: nam ſicut obſtructione in ſubſtãtia & cauitatibus cerebri, qua parte ſpiritus ad neruos deferuntur, apoplexiam propriè dictam fieri dictum eſt: ſic in principio dorſalis vniuerſalem partium ſubiectarum paralyſim ſuccreſcere, aut in alterutro foramine vel alterutra parte emiplexiam dextri aut ſiniſtri lateris.

Verùm quia frequentiùs hæc affectio extremis, intimis, ac extimis corporis partibus, per conſenſum potiùs quàm eſſentialiter accidit, & quia vera curandi ratio conſulit mandanti membro primò eſſe ſubueniẽdum, ob id profectò ſtatui priùs diſſerere, cui parti in ſpina præſidia adhibẽda ſint, in cuiuſuis particulæ paralyſi: ſic vt licet à cerebro omnis ſenſus & motus oriatur, non quidem omnibus particulis à quouis neruo, ſed ſingulis à certo & determinato & qui peculiari in loco originem ſortitur. Conſtat enim aliquando dimidium corpus oblædi, dextrum nimirum, vel ſiniſtrum, linea ipſum per medium quaſi diuidente: nonnunquam crura ambo reſoluta ſunt, nunc vnum, ſic & brachia: aliquando faciei partium aliqua, vt maxillarum muſculi, nũc lingua ſola afficitur, aut oculorum alter, nunc quidẽ ſenſus auditus perijt, vel olfactus. Fit etiam aliquando vt motus pereat illæſo ſenſu, nonnunquam è contra cuenit, ſæpè tamen vterque vnà perit. Quæ ſanè mala

cùm

cùm aliquando ex vitio partis ipſius quæ ſenſu & motu caret, prodeant, vt in vehementi frigore aut gangrena conſpicimus: aliquando verò ex conſenſu originis: ob id à quo loco quæuis prædictarum partium hoc fruatur beneficio, expendendum duxi. Sic profectò ſiue in neruo ipſo, ſiue in eius exortu morboſa ſit affectio, pars quæ ab eodem gubernatur, ſenſu & motu orbatur protinus. Sic cùm reſpiratio ſuperſtes euadit, cæteris particulis affectis aut aliqua earum, ſignum eſt, à collo infra & in ipſo affectum eſſe: nam dum initium ſpinalis medullæ occupat obſtructio, ſolæ capitis partes & ſentire & moueri poſsunt: eſt enim hæc acutiſsima paralyſis, vt quæ reſpirationem etiam oblædat. Cùm verò laborantes voce orbantur, vocales neruos affici conſtat, eoſque oriri per quartam vertebram, ſicut in defectu reſpirationis, eos qui ab alijs ceruicis & ſpinæ partibus prodeunt. Si tamen oculi reſolutionem patiantur, eos qui à ſecunda coniugatione è caluaria emergunt affici eſt certum: ſicut dum palpebræ collabuntur, eos qui à tertia per foramen oſsis orbitæ tranſeunt. Sic labra reſoluta atteſtantur latum muſculum pati, contextum quidẽ è ramis primarum vertebrarum & tertiæ coniugationis: lingua verò quæ balbutit, in his qui ab apoplexia emergunt & alijs qui hoc affectu corripiuntur, læſos eſſe neruos à tertia & ſeptima coniugatione in ipſam perreptantes. At reſoluta omnino manu, neruos à principio ceruicis vel quintæ vertebræ reſolui eſt compertum: in quo ſanè affectu aliquando in quibuſdam brachij partibus ſenſus quidem adſeruatur ob neruos ſeptimæ aut octauæ vertebræ, ſed cùm hi læduntur, thorax etiam coafficitur. Sic in reſolutione parui digiti & media parte anularis, afficitur neruus in cauitate cubiti, licet à ceruice principium etiam ſortiatur: in alijs verò tribus, cæteris illæſis, vulnerata eſt ſpinalis medulla. Crura verò cùm reſoluuntur aut pedes, in vertebris lumborum & iuxta inguina affectionem eſſe monſtrant. Pari quoque penſu in veſica, ano, & pudendo, reſolutio certum quoddam habet mali principium iuxta prædictas partes: ſic dum deſcendit rectum inteſtinũ, muſculos ſuſpendentes malè eſſe affectos conſtat, quos eſſe in ipſius lateribus ex diſſectione comperimus. Verùm ſi alui excrementa retineri non poſsunt, ſphincter reſolui apparet: in reſolutione verò muſculi veſicæ, & cùm pudendum erigi non poteſt, nerui ab oſſe ſacro veſicæ inſerti ac pudendo proculdubio afficiuntur.

Quibus ſuppoſitis ſtatuendum eſt, ſpinalem medullam vnam eſſe & non bifidã (vt ſtatuerat Auic.) à ſumma vertebra vſque ad infimã (quippe in hoc munere eſt quaſi cerebri vicaria, & cerebrum vnum factũ, in cerebellum degenerat iuxta ſpinam) & à cerebro ſuſceptare facultatem, quam per exortus neruorum ſingulis partibus impartitur. Cùm hoc tamen non ſe habet in hoc opere promiſcuè, ſed dextra eius pars neruis in dextram partem diſtributis mandat, & ſiniſtra in ſiniſtrã (quo autem modo id fiat, paulò inferiùs leges) quo facile erit cuique colligere, dum affecta eſt aliqua corporis pars, reliqua illæſa, quã habeat peculiarẽ cauſam & originẽ. Nam ſemper affectus ſiue ſit obſtructio, ſiue compreſsio, ſiue inciſio aut intemperamentũ ſimplex cũ humore, primũ in vno conſiſtit loco, ab eo autem infra reliquæ partes eius conſenſu lædũtur. Erit igitur vel integra paralyſis, aut ſpuria, vel torpor, aut ſtupor, prout in quauis prædictarũ partiũ ſpirituũ trãſitus omnino aut ex parte interciſus, compreſſus, aut obſtructus fuerit.

Qui huius mali cauſas inueſtigare ſtuduerit, expendat in duo genera eas omnes poſſe facilè reduci: nimirum in facultatũ vitiũ, vel in læſionem inſtrumentorũ motui & ſenſui ſeruientium: facultatis enim vitio fit paralyſis, cũ ipſamet deficit aut infirma eſt in ipſo principio & fonte: quia adeò exiſtit languida & puſilla, vt *Cauſa.*

reliquis partibus vim ſuam & efficaciam impartiri nequeat, vt euidenter comperi mus in grauiſsimis & diuturnis morbis dum inclinant. Interdum etiam ipſa facultas aliquo afflicta incõmodo, colligit ſe & retractis ſpiritibus, orbatas ſenſu & motu reddit partes, vt quando ex caſu inſigni cerebrum commotum eſt, vt ſtatuerat Galen. 7. aphor. 58. At refertur cauſa in inſtrumentum, cùm vitium aliquod in medulla ſpinæ aut in neruo vel proprio ipſius vel alterius conſenſu contractũ eſt, quo omnino aut aliquo modo intercipitur tranſitus ſpirituum, vitiantur verò inſtrumenta obſtructione, intemperie, compreſsione, & diuiſione. Quo fit vt cauſæ paralyſeos ſint eæ omnes quæ obſtruere vel obumbrare poſſunt paruum illud neruorum foramen, aut nerui ipſius ſubſtantiam craſſorum humorum copia, ſiue pituita ſit, ſiue admixta exiſtat melancholia, vel à tuberculo aut quouis alio tumore caput nerui obturante, ſi id accidat. Ex intemperamento prodit, quia denſior fit nerui ſubſtantia, vt ab impenſa frigiditate neruum cõdenſante, vel à pituitoſo ſucco, ſed fluxili, aut forſan bili permixto, quo faciliùs in nerui ſubſtantiam ſeſe inſerat pituitoſus humor. Item prodit à nebuloſo ſeu caliginoſo halitu eandem nerui ſubſtantiam obtenebrante atque denſante, vt apertè videtur ex Hippocr. conſtare. lib. de flatibus dicente. Quòd verò ſtupor, attonitus, vel ſideratio à flatibus fiat, hoc eſt vapore, deinceps demonſtrabo: cum ergo flatus multi frigidi penetrẽt ac inflẽt carnes, partes corporis, ſtupidæ inſenſibiles fiunt: & ſiquidem plurimi flatus per vniuerſum corpus diſcurrant, totus homo ſideratur, ſi verò per partem, partem illam ſiderant & percutiunt, atque vbi abierint flatus, ceſſat & morbus: quamdiu autem permanſerint, conſiſtit. Quæ vitia plerunque ebrijs aut crapulis deditis hominibus accidiſſe comperimus, quos correptos aliqua prædictarum affectione, leuiter & citra aliquod auxilium ſanitati reſtitutos vidimus. Quæ ſanè mala ſolent neruo accidere, non ſolum à frigore vt dictum eſt ob externum aerem, ſed à frigidis medicamentis, & alimentis etiam craſsioribus & frigidioribus, ita vt præ nimia copia prædictorum, vaſa vicina neruos afficiant. Compreſsionem autem efficit externa cauſa, vt ſi à duriori aliquo corpore aut inſtrumento prematur exteriùs neruus, aut ſi laqueis & vinculis aut totum membrum, vel neruus cum detegitur intercipiatur & aſtringatur: quod etiam contingere ſcimus, dũ interna aliqua particula ſcirrho aut inflammatione corripitur, quæ in tumorem elata vicinum membrum cõprimat. Idem etiam contingit ex luxatione vertebrarum vel cuiuſuis articuli à ſua ſede excidentis, oſſe occupante ſpatium nerui, comprimenteque ipſum. Quæ verò ſint cauſæ, quæ neruum diuidere poſsint, omnibus in conſpicuo eſt. Fit etiam paralyſis ex mutatione alterius affectus in neruum ipſum, vt in colicis doloribus ac ingentibus inteſtinorum cruciatibus. Quod ſanè non eſt arbitrandum fieri, quòd pituita ab inteſtinis illuc migrare poſsit, vt plerique authorum arbitrantur, ſed ſolùm huiuſmodi mutatio fit in eo dolore qui prodit ex defluente pituita ad inteſtina per venoſum genus. Quippe eo tempore facilis erit commeatus à venis in neruean ſubſtantiam, vt latiùs diſputatũ reperies capite de dolore colico. Denique vt ſumma quadã complectar prædictas cauſas, exiſtimandum eſt, eam poſſe hunc affectum excitare, quæ vtcunque neruos obſtruere, cõtundere, comprimere, emollire, atque intemperare poteſt: ſic profectò ictus, caſus, contuſio, ſomnus in loco paluſtri & humido, vel in ſpelunca aut in domo recenter gypſo polita, & vbi lunæ radius infigatur: item exercitiũ à cibo, vel ſomnus aliquantulum moroſus. At continentem cauſam arbitramur eſſe humorem aut craſſum ſanguinem, vel nimis dilutum, vt vias ſpirituũ intercipiat, vel ex humiditate extinguat, aut neruos molliẽdo diſſol-

diſſoluat, quod ratiùs accidit, niſi dum copioſius exiſtit, ſicut & caliginoſus halitus. Nec arbitrandum eſt melancholicum ſuccum id malum non poſſe efficere: quippe aliquando ex eo ortum duxiſſe viſum eſt, vt oſtendit intenſa & inſolita vigilia, præſertim cùm in cerebro malum principium habet: ſiquidem certiſsimum eſt à pituitoſo aut ſeroſo ſucco potiùs ſomnum induci quàm vigiliam: quod ſanè ad curationem nouiſſe, magni eſt momenti, vt Tralianus aduertit ca. proprio. Pari cenſu æſtimanda eſt luxatio vertebræ aut membri alicuius diſlocatio: cæterũ luxatio ad latera futura eſt, nam ſi intrò aut extra proſiliat vertebra, non quidem priuat ſenſu aut motu partes infra luxationem.

Signis autem non affectum, ſed affectus differentias & cauſas venari hac in parte inſtituo: quippe affectio notiſsima eſt, vt pote in qua ſeruatis potentijs interioribus, tactus & motus pereunt. Sic enim primò diſtingues, ſit ne affectus per conſenſum, an per primogeneam membri affectionem: hoc autem oſtendit membri ipſius paſsi externa cauſa, quæ in ipſum membrum ſuam vim impreſsit: præter quã quòd peculiaris in ipſo & conſpicuus apparet defluxus, colore, tumore, ac mollitie manifeſtus, quo tempore pulſus eſt paruus, tardus, rarus, debilis, & mollis, cũ vrina cruda, alba, & craſſa, aut alba & perſpicua. Quòd ſi nullo horum exiſtente, & mẽbro ſano apparente, mouere ſe aut ſentire nequiuerit, tũc quidem aliũde ſibi illatũ fuiſſe malũ cõijcito: quo ſanè cognito, ſpecialiùs ad cauſæ cognitionem deuenies, ſtudens primò noſſe, an vitiũ conſiſtat in partis intemperamento (quod præter id quòd ad eſſentiale partis vitiũ pertinet, magni eſt momenti ad curationem nouiſſe) idq; oſtendit membrũ ipſum tactu frigidũ, & quauis leui frigiditate offenſum: quod etiam atteſtantur externæ cauſæ, vt externũ frigus quod præceſsit, frigida medicamenta, & vſus frigidorũ ciborũ. Quuam quoq; notitiam præſtant humores corpus inũdantes, maximè pituitoſi & crudi, præſertim in cerebro exiſtentes ac dẽ labẽtes ad mẽbra cum tremore, aut torpore, & conſpicua frigiditate. Obſtructionem verò huic malo cauſam præſtare, oſtendunt ſubitus euentus poſt inſolatum, vini potionem, aut febrem paruam, maximè pituitoſam aut per defluxũ factam: in qua cauſa ſicut in cõpreſsione neruoſarũ partiũ pulſus parũ à ſanis immutãtur, aut febriles differẽtias præſeferũt. Cui accedit priuatio ſignorũ reliquarũ cauſarũ, quæ compreſsionem aut coarctationem in neruo, medulla aut cerebro natæ ſunt efficere, ſicut neque plaga, ictus, tumor aut luxatio: nam cùm ab his vel à ſolutione continui prouenit, euidentior cauſa eſt, quàm quòd ſignis opus habeat. Caliginoſum enim & craſſum halitum cauſam eſſe monſtrat, non omnimoda motus & ſenſus priuatio. *Signa.*

Periculoſiſsimus plerunque eſt, aut ſaltem ex eo laborantes non curantur, vel tardiſsimè, is affectus in ſenibus, vt pote in quibus frigidæ affectiones nũquam maturantur, vt de raucedine & de grauedine dixerat Hippocra. Sed omni ætati periculoſa exiſtit ea paralyſis, quæ vel potentias interiores lædit ſimul cum membro reſoluto, vel ſaltem reſpirationem vitiat. Item grauiſsima eſt & diuturnã, quæ ex luxatione fit, ni citò præueniatur, ante quidem quàm vel tumor fiat, aut humor durior in cauitate oſsium factus coaleſcat, & connaturalis fiat. Sic ſalubrem eam paralyſim iudicamus, quæ neq; reſpirationem neque potẽtias interiores vitiat, & etiã in qua reſoluta membra non admodum extenuantur: ſignificat quidem calorem non plurimum (ob quietem & immobilitatem membri, vt refert Hippoc. 6. popu. & 2. de fracturis) extinctum eſſe, ſed adhuc adeò vigere, vt concoquat & aſsimilet: ſic & ſalubris cenſenda eſt, cui præſidia aliquid prodeſſe conſpicimus. *Præſagiũ.*

Sed

Primum dubium. Sed antequam auxiliares manus huic affectioni adhibeam, enodare ſtudui difficilia quædã, quæ in huius eſſentia, cauſis & curatione ſeſe ſolẽt offerre. Pleriſq; dubitatum eſt, an à melancholia vel bile paralyſim fieri contingat, cùm illa ſiccióres, bilis verò calidiores reddat neruos ipſos: ita vt ſiccandi ac mordendi conuulſionemque efficiendi vires habeat potiùs, quàm reſolutionem. Cùm hoc tamen cenſemus, melancholiam humori pituitoſo aliquando admiſceri, & longè graulorem paralyſim efficere ob humoris duritiem & renitentiam: ſic de flaua bile ſentiẽdum eſt, quæ cauſam huic malo præſtare poteſt, non quidem materialem, ſed motiuam, & quæ humores pituitoſos fundendo in neruos deuehat. Itaque quò melancholia remoratur pituitæ ſubingreſſum in nerui ſubſtantiam, ita etiam difficiliorem parit eiuſdem reſolutionem, & ad natiuũ ſtatum regreſſum: & pari ratione, quò bilis citatiorem reddit ad motum pituitam, ita faciliorem eius diſcuſsionẽ molitur.

Secundum dubium. Secundò dubitatur, an reſolutionis cauſa eſſe poſsit carnis intemperamentum, ita vt ineptitudo eius cauſa ſit cur membrum non probè ſentiat vt voluit Auicenna? Quòd verò id non ſufficiat ad vitium ſenſus, argumento eſt febrilis calor, qui plurimum carnem intemperatiidem probant hydropicorum membra, quæ plurimum algent, vt ea ratione non poſsint ſentire: cum hoc tamen in neutro apparet ſenſus & motus læſio. In qua re cenſemus nerui ſolùm intemperamento id poſſe accidere, dum vias coarctare potens fuerit: nam licet ex vicinia cauſarum frigidarum torpor ſubſequatur (vt antea dictum eſt) potiùs id fieri arbitror ex compreſsione aut coarctatione figuram & vias vitiante, quã ex intemperie neruis præſtita.

Tertium dubium. Tertiò dubitatur, vtrùm deperdito ſenſu, motus ſeruari poſsit, aut è contra, licet non videatur par ratio. In qua re poſthabitis aliorum ſententijs, diſtinguendum eſt, an dubitatio intelligenda ſit de ſenſu & motu per eundem neruum tranſmiſsis, nam dum fit per diuerſos, nulli dubium eſt apertè poſſe fieri. Verùm vt intelligatur qua lege hæc diuerſitas fiat in eodem neruo, expendendum eſt, per diuerſam temperaturam perfici motum in neruis, ac in eiſdem ſenſus perficitur: ſenſus enim humidioribus fit neruis, motus autem ſiccioribus. Quo fit, vt dum neruus redditur humidior, ineptior fiat ad motum quàm ad ſenſum: dum verò ſiccior euadit, ineptior ad ſenſum quàm admotum. Ex quo conſtat, quòd licet neuter exceſſus alteram actionem iuuare poſsit, in neruis ſimilibus actionem non admodum ſenſibiliter lædit, in diſsimilibus verò contrariam actionem omnino perdit. Quo etiam fit, vt poſsit deperdi ſenſus mutata temperie nerui qua perficitur, manẽte ea quæ ad motum neceſſaria eſt, licet intenſior fiat, nam à ſimilibus minor fit laſsus, quàm à contrarijs.

Quartum dubium. Dubitatur quartò, qua nam ratione tam religioſè caueat natura alteram corporis partem, altera exiſtente læſa. Cuius enodationem facilè diſces, ſi expenderis in homine ac reliquis animantibus, plantis etiam, & maximè earum ſeminibus, ſingulas partes ita medio denſari & obcaleſcere, vt commeatus & commigratio nulla ſubſit: quod in perineo eminentia extans facilè indicat. Sed dubitandi ratio eſt, cur in dorſali cauitate, quoniam vna eſt eius diuiſio, non reperiatur quæ in ventriculis cerebri reperitur: id quod Galen. 8. de vſu partium exactiſsimè diſſeruit, dubitans quanam ratione alterius lateris reſolutio accidat, cùm ſpinæ medulla vna ſit, & nullo ſepto partita: nam de cæteris partibus, quæ vel binæ ſunt, aut velamine diſiunctæ, vt nares, oculi, aures, teſtes, & eiuſdem farinæ par-

partes, mirandum non eſt: de ſpinali tamen medulla non eſt ita facile credere, maximè cũ Auicẽ. arbitretur ipſam ſepto vt cerebrũ diuidi: & cũ id ſenſui per diſſectionem latuiſſet, & euidenter etiam conſtet, cerebrũ antequam in medullam deſinat, vnum fieri corpus cerebellum appellatũ, omni diuiſione carens, dubiũ obſcurius apparet. Qua ratione à prædicta ſententia deſiſtendum eſſe ſum arbitratus, cũ Hippoc. 6. popul. parte 2. qui ſtatuerat, cũ abſceſſus fiant ſemper per rectum, ita vt affecta dextra cerebri parte in dextram materiam decumbat, & ſiniſtra in ſiniſtram: ita prorſus ſtatuendum eſſe in apoplexia, cũ cauſa mali in alterũ latus medullaris ſpinæ magis inclinat, potiùs ipſum perdere, quia nerui per eam partem exorti obſtruũtur lædũtur quẽ, cæteris qui è contraria oriũtur illæſis: ſicut contingit dum humor adeò eſt copioſus, quòd omnem ſpinæ cauitatem impleat, partes vtriuſque lateris reſolui. Siquidem arbitrandum eſt, per vaſa quæ ſunt in meningibus ipſam medullarem ſubſtantiam ambientibus, defluxum fieri. Nam credibile eſt, humorem proiectum à vaſis potiùs obſtruere neruos ab eo latere exorientes quòd nullũ ſit impedimentum, quàm alterius, quòd vt id fiat neceſſum eſt humores omnem medullæ ſubſtantiam peruadere: quod ſanè non cõtingit niſi dum copioſus eſt humorum defluxus.

Quintum dubium. Docet quinta dubitatio, cui laterum frequentiùs reſolutio accidat: neque deſunt qui leuioribus rationibus moti, dextrum frequentiùs reſolui aſſerant, quòd calidus ſit & magis trahat, & quòd ſiniſtrũ plenum cũ exiſtat, ob ſui conditionem & defectũ caloris, neceſſariò à ſe nitatur pellere, & cũ non habeat vnde niſi in dextrum, ob id ipſum frequentiùs exolui ſtatuunt. Veritas tamen rei eſt, dextrum robuſtius eſſe natura & caloris naturalis copia, & ea ratione faciliùs à ſe pellere, ſi quid illi moleſtum fuerit, & ſiniſtrũ ob natiuam imbecillitatem & defectum caloris faciliùs recipere, & ob id frequentiùs affici. Rationes verò contrariæ non egent dilutione, quia leues ſunt.

Sextum dubium. Vltima dubitatio eſt, vtra reſolutio deterior ſit, dextra ne an ſiniſtra? cui ſine argumentis dicimus, ſiniſtram minus periculoſam, quia proportionalis eſt ſiniſtro lateri, vtpote frigidiori: quam etiam arbitramur eſſe diuturniorem oblateris frigus & natiuam imbecillitatem, dextram verò breuiorem & periculoſiorem.

Curandi ratio. Curandi verò ratio & via tot habet neceſſariò partes, quot cauſas huiuſmodi affectionem obtinere compertũ fuit: quamobrem, indicatione ſumpta ab vnaquaque earũ, curationẽ aggredi ſtudebo. Sic profectò ſi cognitũ fuerit, ſimplex intemperamentũ cauſam huic malo attuliſſe, certũ eſt contrarijs omnino rem agendam fore, ita prorſus dum frigida viget intemperantia, eaq; ab externa cauſa concitata, purgato leuiter corpore (ne calorificis, ſi quis humor abũdat, licet mali cauſa non ſit, liquatione maiori ad partem, maior fiat decubitus) ſtuphis, balneis calidis, inunctionibus, cucurbitis, & denique irrigationibus ex oleo laurino vel quouisalio calido rem ages. Item his confer oleũ è lateribus & aqua vitæ, & ex coſto cũ aqua ſulphurea: maximè ſi corpus vniuerſum linteo vino calidiſsimo madido inuoluas, diuq; eum tuearis calorem externis cooperimẽtis aut pellibus arietinis recẽter excoriatis. Verũ ſi ex ſpirituum reſolutione, vt in languidis corporibus, aut ex facultate animali eſſentialiter læſa ob aliquem cerebri affectum paralyſis oriatur, his quæ caput roborent, ſpiritus reficiant, & cerebri ſubſtantiam ad natiuum temperamentum mutent, vtẽdum potiùs, quàm reſolutione aut vacuatione vel quouis alio ex paralyticis auxilijs.

Præterea dum ex luxatione vertebræ aut alterius articuli membrum aliquod reſoluitur,

ſoluitur, perdiſcere primò oportet, an ad interna corporis & eius cauitatem luxatio ſit; quippe hæc rarò aut nunquam curationem admittit, eamque ſolùm auulſione cutis ſupra luxatam vertebram & picatis medicamentis, quæ poſtea dum euelluntur, ſecum efferant luxatam vertebram. Cum hoc tamen exiſtimandum eſt, non fieri omnino paralyticum corpus, dum intrò vergit vertebra, & longè minus dum extra proſilit: ſed in eius curatione præcauere omni diligentia inflammationem oportet, ſanguine protinus miſſo, & oleis ac auxilijs anodynis, & quæ modicè reppellant, qualia paſsim apud chirurgos extãt, & nos latiùs lib. 2. de recto præſidiorum vſu adduximus. Sedata tamen inflammatione reductioni luxati oſsis incumbendum eſt, & tandem corroborante Vigonis aut alio ſimili vteris.

Quòd ſi ex ictu aut caſu, vel alia plaga reſolutio proficiſcatur, eadem eſt in vniuerſalibus vtendum methodo, quippe ſanguis primò mittendus eſt, iuxta laborantis vires, & caſus vel ictus magnitudinem, idque audacter, licet parciùs quàm ſi percuſsio citra reſolutionẽ fuiſſet. Quo facto, fluxio quæ paralyſim molitur, inhibenda eſt his quæ modicè aſtringant & leuiter calefaciant, vt oleo cyperino, ſthœcados, nucis cupreſsi, & myrthino cum modico roſaceo, additis ex eiſdem rebus pulueribus, cum roſis & caryophyllis. Verùm ſi his inflammationem inhibere nõ poſsis, iterum ſanguinem detrahes, & anodynis vteris, vt lacte cum roſaceo, vel ſolo roſaceo, aut cum modico vino, vel camemelino oleo cum aſungia gallinæ: ac ſi aliter fieri non poſsit & ſuppuratio partis læſæ vrgeat, parti reſolutæ adhibebis quæ mox diximus: parti verò inflammatæ emplaſtrum ex maluis, farina tritici, & pulueribus roſarum, cum butyro recenti bacino, ita vt quamcitiſsimè inflammatio ſuppuretur, vt ſubſit reliquæ curationi locus.

Si tamen ex criſi, vt in febribus malignis & quæ copioſum habent humorem, aut in apoplexia, quæ melioris gratia in particularem reſolutionem commigrare aſ ſolet, affectus ſuboriatur, primum eius impetum expectare oportet, & naturam permittere operari, minimèque fluxionem eo tempore cohibere: cum Hipp. dictũ ſit 2. primi popul. abſceſſus iuuãdos eſſe: & licet iuuare nõ ſit opus, longè minus eſt naturæ impetus inhibẽdus: quod perperam cõſuluerat Auic. & Matthæus de Gradi: nam per huiuſmodi defluxionem ſeſe natura à maiori malo tuetur: qualiter verò curationem aggredi oporteat, mox audies, nam eadem eſt cum ea, quæ requiritur in reliquis fluxionibus, excepto repellentium vſu.

Verùm ſi ab impetuoſo & ſubito fluxu, nerui originẽ obſtruẽte, aut ſeſe in nerui ſubſtantiam inſinuante eodemq; vel à capite vel à toto in aliquod mẽbrũ irruẽte reſolutio prodeat, conſiderandum primò eſt, ipſum præpedire repellentibus, perdifficile eſſe & timore plenũ: ſed ſatius fore fluxionem auxilijs finire, ne adeò furioſe in membrum irruat. In quo caſu à clyſmate vehementi, quod vires habeat leuioris purgationis, vel à pharmaco leui incipiendum eſt: tandem vti oportet vacuationibus, quæ humorem minuãt, vel ſanguine miſſo, ſi vires & humorum idea permiſſerint. Quibus autem conditionibus id fieri debeat, iam audies, ſi priùs dixero paralyſim duobus modis laborantem inuadere: vno quidem ſubito & inopinato caſu, quod obſtructione media fieri eſt arbitrandum: alio verò paulatim & ſenſim, vt cùm per imbibitionem fluxilis pituitæ in nerueam ſubſtantiam fit. Inter quas hæc erit in curatione differentia, quòd illa mox expoſtulat ſanguinis detractionem aut expurgationem iuxta ideam cauſæ, idque ſi expedit eadem die: hæc verò lenta, aut venæ ſectionẽ non admittit, vel quàm parciſsimam. Quorũ auxiliorum vſum & rationem aggrediar, à vitæ & victus inſtitutione ſumpto initio.

Sic

Sic profectò, ſiue hoc ſiue illo modo corpus reſolutio apprehẽdat, primis diebus victũ quãparciſsimũ porrigere oportet, & mox procedẽte affectu ſenſim adaugere, vt vires eius diuturnitati ſufficiãt. Sẽper tamẽ adhibẽda ſunt in principio quæ leuiter incindãt, attenuẽt, & detergãt, poſteà verò calefaciãt exiccentq;, dũmodo leuiter corpꝰ priùs purgaueris. Ita quidẽ ſic affectis porrige primo acceſſu mel roſaceũ in prima mẽſa, & hepar gallinæ, aut oua ſorbilia, ſecunda vel tertia die: poſteà verò aſſas carnes vel elixas cinnamomo, caryophillis, aut nuce muſcata: eaſq; eliges ex montanis, vel ex domeſticis, quæ milio aut furfure nutriantur. In prima menſa paſſulis vteris, vel amygdalis toſtis: in vltima verò cinnamomo, aut aniſo toſto vel ſaccharo condito, aut drageta ex corticibus citræ, vel ligno aloẽ confecta. Fugiant ſic affecti grana pini (licet multi cõmẽdent) quòd oleoſa ſint & pinguia, & ob id caput grauantia. Potus ſit hydromel, ex decima aquæ portione aut paulò plus: aqua autem ſit decocta cephalicis medicamentis, vt melliſa, ſthœcade, ſaluia, maiorana, caryophillis, vel ſparta parella, china, aut ligno guayaco, ſi plurimum neceſsitas vrgeat: quòd ſi aceti aliquid aut acetoſi miſcueris, non erit abs re: maximè ſi craſſam materiam ſubeſſe compereris. Sed præſtat non parum oxymellitis modicum cum decocto guayaci, radicis chinæ, vel ſpartæ parellæ admiſcere, aut ex prædicto decocto hydromel conficere: ſed maioris momenti eſt vaſa potui apta ſulphure interiùs linire, ibidemq; diu potum permittere immorari, quo virtutem ſulphuris conſequatur. Denique omni arte attenuandum, calefaciendum & exiccandum eſt, non ſolùm in quibuſuis cibis & potibus, ſed in pane ipſo, quem oportet eſſe bis coctum confectumq; cum aniſo aut melanthio. Item laborans degat in parte ſicca & modicè calida, vel eam ſuffumigijs quæ caput non repleãt, talem reddes. Abſtineat præterea laborãs à vino, niſi vel in declinationẽ, vel virtutis aut ventriculi gratia, idque ſit tenue, oligophoros appellatum, admixtum tamen aliqua ex prædictis aquis. Item à potu aquæ, & à ſomno maximè meridiano cauendum eſſe conſulit affectus natura, quòd materiam intrò agat, & cerebrum humoribus oppleat: nocturnus tamen non excedat quinque aut ſex horas: ſolium habitet laborans lucidum, aut ad regionem calidam & ſiccam confugiat, curetque vitare omnia animi pathemata, & omni arte eruditatem ſtudeat ſubterfugere. *Victus ratio.*

Vitæ ratione ſic inſtituta, primo medici acceſſu conſiderandum eſt, triplicem eſſe in hoc affectu curandi legem: vnam quæ vagantem corporis humorem auferat: alteram quæ quod obſtruit aut imbibitum eſt, & in neruis affectis continetur, inſenſibiliter diſcutiat aut extergat: tertiã verò & vltimam, quæ robur membro affecto conciliare doceat. Circa primam igitur, ante omne auxilium clyſmate vtendum eſt, quod cruda recrementa auferat, vt ſanguinis detractioni ſi opus fuerit, locus ſubſit, aut leui quodam pharmaco, maximè ſi à crapula affectum proueniſſe comperiamus: clyſteria autem ſint quæ capite præcedenti adduximus. Protinus autẽ cõſiderabis, liceat ne primò ſanguinẽ mittere, an priùs vti expurganti medicamento: cuius rei occaſione expẽdendũ eſt, an mẽbrũ reſolutũ imbibitione an obſtructione reſoluatur, vel nimia ſanguinis crudi vbertate. Nam vbi mucidum eſt, & humore imbibito infirmum, nullo ſanguine miſſo, corpus purgabis, & membrũ affectũ exiccatione ad antiquũ ſtatũ reduces. Verùm ſi obſtructione afficiatur, ſanguinẽ quidẽ mittes, ſed parciùs, quantũ videlicet impetum humorum aliò auertas, & vt purgationi ac topicis auxilijs ſit locus. At ſi venoſum genus ſanguine crudo abũdet, liberaliùs ſanguinẽ detrahes & audaciùs purgabis, & lõgè minus partẽ affectã medicamẽtis irritabis. Verũ ſi omnino pituitoſus ſit affectus, & corpus crudius *Sanguinis detractio.*

ac ſine febre,abſtinendũ eſt à ſanguinis detractione,niſi corpus fuerit admodũ iuuenile,aut fœmineum cui menſtrua defecere,vel tempus fuerit veri proximum, aut corpus robuſtum,& cui vacuatio aliqua ſanguinolenta ſuppreſſa fuit. Vnum tamen hoc memoria tenendum eſt præceptum (etiãſi cauſa id expoſtulet) ne ſanguinis plurimum extrahas & confertim:ſatius enim eſt, vacuationes partiri (niſi in percuſsis, & in his qui ab alto ceciderunt,aut quibus hæmorrhoydes ſuppreſſæ fuere) quàm Raſis conſilium exequi,qui ad tres vſque libras iubet ſanguinem fundere,ad amotionem cauſæ coniunctæ:maior profectò ſequeretur refrigeratio, & maior oblæſio. Itaque prout mali cauſa magis minùs ue acceſſerit ad ſanguinis naturam & copiam,eò audaciùs,prudentiùs tamẽ licebit copiã ſanguinis demere:itẽ prout ſobriè vixerit:nam qui ſobrius fuit & in hunc prolapſus eſt affectum,ſanguinis detractionem & expurgationem expoſtulat,ſed parciùs ac primò facta ex cephalica,vt cum minori ſanguinis diſpendio,plus ex affecto loco extrahatur. Religioſi enim homines cùm hoc affectu corripiuntur,potiùs ex defectu reſolutionis excrementorum,& ex praua coctione ob vigiliam & reliquũ vitæ inſtitutum,ſanguine crudo abundant,quàm alimenti crudi copia & ingluuie:& ob id primò,ſed cautè ſanguis eſt mittendus,ſaltem vt purgationi humoris crudi ſubſit locus.

Purgatio. Quo facto,protinus vel ſequenti die vniuerſum corpus phlegmagogis medicamentis purgare oportet:primò ſi affectio ex his ſit quæ paulatinè ingruunt, medicamentum adhibebis leue,quale eſt hiera Galeni cum agarico anà. 3.j. additis caſtorei.g.iij. Verùm ſi ex his ſit,quæ ſubitò & affatim fiunt,vel præmiſſa fuerit præ dicta purgatio,tunc ad maiora medicamenta tutò deuenire cõceditur. Huius naturæ eſt turpetum,agaricus in maiori doſi,pilulæ de agarico,Indæ, alephanginæ, aſaieret,fœtidæ & cochiæ. Mirabilem etiam præſtant vſum aliæ quæ recipiunt agarici trochiſcati.3.ij.turpeti.3.j.ſalis gemæ,zingiberis anà.ℑj.diacolocynthidos. 3.j. fiat maſſa,cuius.3.j. porrigi poteſt. Præſtat & in robuſtioribus medicamentum quod recipit hieræ diacolocynthidos.3.j.maſtichis,bdelij,anà. g.xij.nucis muſcatæ.g. viij.cum ſirupo ex.9.infuſionibus fiãt boli. In forma autẽ potabili porriges aliquod ex prædictis pharmacis diſſolutum in decocto polipodij,ſeminis apij & aniſi,ſaluiæ & maioranæ,vel addito electuario Indo cum ſyrupo ex infuſionibus. Purgato his quæ diximus mediocriter corpore,ac præpedito mali augmento,lentiùs deinceps progrediendum eſt præparata iterum materia ad vlteriorẽ euacuationẽ melle roſaceo,oxymellite.s.ſyrupo de praſio,de hyſſopo,de mentha,de ſthœcade, cũ decocto melliſæ,addito modico ſyrupi de ſquilla & aquis iuæ arteticæ, radicis chinæ,ſpartæ parellæ & alijs huius cẽſus,quæ corpus & humorẽ præparent ad maiorẽ purgationẽ. Poſt quã tamen plures alias moliri oportet bis,ſemel ve in hebdomada exhibito medicamẽto quod virtutẽ habeat paulatim expurgãdi: cuius naturæ eſt diacarthamũ,agaricus,hiera ſimplex Galeni cũ agarico,vel infuſio foliorũ ſenæ cũ modico oxymellitis.s. Sed vtiliores ſunt huic vſui pilulæ cochiæ Raſis,quæ recipiũt hieræ picræ.3.ij.interioris colocynthidis.ℑj.diagridij.g.vj.turpeti,ſthœcados, anà.3.ſ.cũ ſucco fœniculi fiant pilulæ,quarũ bis in hebdomada vnã porriges quindecim granorũ. Quòd ſi mitius agere velis, aliquã ex vulgaribus adhibebis, veluti eſt alephãgina,arabica,vel ea quæ conficitur ex hiera Galeni,& agarico anà.3.j.turpeti. ℑj. cuius porrigere poteris 3.ſ. aut.ℑij.

Vomitio. His factis,vniuerſum etiã corpus(excepta paralyſi linguæ)per vomitũ purgabis, nam cũ diuturnior redditur hæc affectio,coniectabile eſt,ventriculũ illi fomentũ præſtare:ob idque ipſum per vomitũ expurgare oportebit: quapropter ſemel in hebdo-

hebdomada,facta priùs rhodomelle præparatione,aqua tepida exhibita ipſum cogere ad vomitum neceſſum erit.

Interim tamẽ dũ hæc adhibemus,ſecundã indicationẽ exequi oportet,quæ docet diſcutere per inſenſilẽ halitũ id quod adhuc in parte affecta cõtinetur. In quo opere exequẽdo conſiderare iterũ oportet, an ex obſtructione dorſi paralyſis oriatur,vel ſolũ per irrigationẽ nerui fiat:nã ſi illud primũ ſit,fruſtra parti reſolutæ auxilia adhibemus:quippe ſatius foret dorſo,vtpote parti primo affectæ. Huius autẽ naturæ ſunt auxilia quæ calida exiſtũt & tenuiũ partiũ:ob idq; oleo calẽti ſed tẽperie nõ ita calida principio partes reſolutæ fouendæ ſunt,vt camemelino,anethino, jaſminorũ,de lilio,de nucib⁹,maioranæ,roris marini,raphani,ricini,laurini, vel de vulpe,de hyperico,de ſtirace,de galbano,de coſto,de cucumere aſinino, de ſinapi, de pipere,de euphorbio,de pyrethro,& alijs eiuſdẽ naturæ: quibus à leuiori facto exordio,cũ flocco lanæ pars fouenda eſt,vt excitato calore vis naturæ quoq; elluceſcat,materiæq; cruditas & durities vincãtur(nõ tamẽ renuo mẽbrũ quod per conſenſum patitur,calidioribꝰ ex his fouere:nã defectu motus conſueti, ſæpe membri alimentũ ita recrudeſcit & abundat,vt diſcuſsione & coctione etiã indigeat, alioqui fiet etiã affectio in mẽbro per eſſentiã)neq; erit abs re anteà partẽ abluere aqua vitæ,aut vino feruefacto herbis & ſeminibus nuper dictis. Quòd ſi velis inunctionem parare. R. olei jaſminorũ lib.j. aquæ ſaluiæ,aut ſucci iuæ,vel vini in quo iua incoxerit.ℑiij.caſtorei aut piperis,aut galbani.ℑj.fiat decoctio ad aquæ,vini,aut ſucci cõſumptionẽ,poſteà facta vehemẽti expreſsione,oleo vtere. Præſtat etiã antiquiſsimũ oleũ,vel in quo ſquilla incocta ſit. Aliud itẽ cõficies,quod recipit terebinthinæ lib.ij.laterũ recẽtiũ oleo de jaſminis extinctorũ,maſtichis,& ſtiracis anà.ℑ.j. belzoini lib.ij.ſ.fiat inſtillatio in alẽbico vitreo & fluent tres liquores,quorũ tertius eſt pretioſiſsimus. Valet & oleũ balſami,vel ſtilloticũ aliud,quod recipit thuris,maſtichis anà.ℑij.ligni aloẽs.ℑj.caryophillorũ,galangæ,cinnamomi,zedoariæ, nucis muſcatæ,cubebarũ,anà.3.iij.myrrhæ,aloẽs,ladani,ſarcocolæ,caſtorei,anà.ℑſ.baccarũ laurj,nucleorũ pini,anà.3.vj,ireos,ariſtolochiæ rotũdæ,dictamni, conſolidæ maioris ana.ℑij.ſucci herbæ paralyſis ℑv. terebinthinæ abietis. ℑiiij.radicis valerianæ, angelicæ,acori,aſari,cyperi,calami aromatici ana.3ij.florũ labẽdulæ. ℑiiij. nucis vnguẽtariæ lib.ſ.cõtundãtur omnia,quo mcliꝰ miſceri poſsint,ponãturq; in alẽbico, & inſtillabit primò aqua,deinde oleoſum quid,tandem veluti mel,& omnia ſunt probatiſsimi vſus. Eſt & aliud vnguentum quod recipit vnguenti de bdelio ℑiij. liquefiat in duplici vaſe cum oleo de terebinthina & de ſquilla ana.ℑiij.& vtere.

Itẽ ex aſſata vulpe aut decocta,plena tamẽ betonica,ſaluia,calẽdula,iua arteticaprimula veris,& rore marino,pinguedo eliciatur,quæ per ſe aut alijs vnguentis admixta,maximi eſt momẽti. Benefacit etiã vnguentũ quod recipit olei vulpini & laurini ana.ℑij ſ pinguedinis vrſi.ℑj.ſagapeni,opopanacis anà.3ij.vnguẽti marciati.ℑj.ceræ quod ſufficiat vt fiat vnguentũ. Eiuſdẽ naturæ eſt idem vnguentum marciatõ & agripæ cũ aqua vitæ & ſucco ſaluiæ. Curabis tamẽ vt ab omni inunctione ne pellibus vulpinis aut agni pars iuxta ignẽ inuoluatur: pellis autẽ ſit ſuffumigata aut aſperſa pulueribus thuris, maſtichis,caryophillorũ,cinnamomi, ligni aloẽs, ſeminis angelicæ,nucis muſcatæ,cyperi,& ſaluiæ.

Sed experimẽto multorũ probatũ eſt,reſolutis partibꝰ prodeſſe id præſidiũ qđ recipit vini rubri lib.j. olei lũbricorũ lib.ij. aquæ vitæ ℑij.cornu cerui ſpõgioſi.ℑiij.pulueris camemali ℑj.ſalis ℑſ.maſtichis 3vj.bulliãt oĩa in duplici vaſe advini cõſũptionẽ: præſtat aũt ad robur & firmitudinẽ cõciliãdã,maximè dũ morbꝰ inclinare cœperit.

Cuius conſimilem vſum præſtat aliud quod hac lege fit: ciconia in plumis, ſed viua tandiu coquatur dum carnes ab oſsibus recedant, in mortario teratur, rurſus in oleo coquito, coctâ ſacculo fortiter collato, & adiecta ſcobe, adde ceræ colophoniæ, ſepi, olei laurini lib.ij. olei maſtichini, medullæ cerui, adipis vrſi anà lib.j. galbani, terebinthinæ anà ℥ iiij. miſce omnia & vtere.

Idem beneficium præſtat oleum de cato hac eadem lege confectum, vt de ciconia dictum eſt. Valet & vnguẽtum, quod recipit radicis acori. ℥j. radicis ireos. ℥iij. camepiteos, primulæ veris, ſaluiæ, ſthœcados anà. m.j. olei laurini & de lilio anà lib.j. vini optimi lib.j. ſ. coquantur ſimul ad vini conſumptionem, & poſtquã efferbuerint, adde cardamomi, calami aromatici, caſtorei, bdelij, anà. ʒ.j. facta forti expreſsione, adde ceræ & mellis modicum.

Verùm ſi affectio vltra progrediatur, & quæ hucuſque diximus parũ prodeſſe videantur, vngenda tota ſpina eſt, ſed maximè ea pars à qua neruos reſolutæ partis oriri cõpertũ ſit. Primò quidẽ leuioribꝰ, vt oleo camemali, liliorũ, irino, laurino, de angelica, balſamo, de vulpe, de cato, de terebinthina, de belzoino, de ſquilla, de caſtoreo, vel oleo dulci vetuſtiſsimo addito modico ambræ griſiæ, vel admixtis aliquando pinguedinibus cati, vulpis, taxi, leonis, viperarum & ſerpentum, aut medullis cum aqua vitæ lotis, admixto ſucco camemali, ſaluiæ, rutæ, angelicæ, & ſimilium.

Quòd ſi hæc prodeſſe quidẽ non videantur, ad efficaciora præſidia deueniendũ eſſe cõſulit rei ratio, quemadmodũ eſt illud à Gainerio, cap. de paralyſi ſcriptum, quod refert ab Heremita alchimiſta acceptum: cenſeo tamen robuſtis corporibus fore proficuum. Sed optimum exiſtimatur id quod recipit olei nucis indicæ ℥j. de piperibus, & de terebinthina, anà. ℥ j. &. ſ. ſ. ſucci ſaluiæ & rutæ, anà. ℥ j. caſtorei. ʒ ij. piperis longi & pyrethri, anà. ʒ. ſ. ſ. ſagapeni, opopanacis, bdelij, anà. ʒj. pinguedinis taxi ʒ. vj. pinguedinis viperæ. ʒ. j. &. ſ. ſ. fiat vnguentum

Sed inter alia auxilia mirè prodeſſe fertur oleũ de ſulphure, de thymo, de ligno guayaco cum ſquilla, aut ſolum. Item aqua ſtillatitia, quæ incredibilis eſt efficaciæ in materiæ reſolutione et caloris euocatione, recipit aſæ fœtidæ, ammoniaci, bdelij, euphorbij, caſtorei, cardamomi, anà. ʒ. ij. belzoini, gũmi elemni, terebinthinæ & maſtichis anà. ℥. ſ. ſ. baccarum lauri, pyrethri, cubebarum, nucis muſcatæ, triũ piperum anà. ʒ. j. carnis ſquillæ, & radicis narciſi anà. ℥ ij. radicis cucumeris agreſtis ℥ ſ. ſ. camepiteos, ſaluiæ, florum & foliorum roris marini, & trifolij anà, p. ſ. ſ. omnia in vino per noctem temperentur & inſtillentur in alẽbico vitreo: cuius ſtillationis ſecunda pars efficacior exiſtit. Cui conſimilis alia paratur, quæ recipit florũ thymi, aut ſummitatum eius, labendulæ, ſthœcados, nucis muſcatæ cõtuſæ, caryophyllorum, macis, ciperi, galangæ, piperis longi, & nigri anà. ℥j. zedoariæ, ſpicæ nardi, calami aromatici, coſti, & cinnamomi, anà ℥ ſ. ſ. ſalis cõmunis leuiter torrefacti lib. ſ. ſ. miſceantur vino albo & vrina pueri & inſtillentur: eſt enim mirabilis efficaciæ, etiam ad vngendam ſpinam, roborat enim & diſcutit.

Quòd ſi ne his quidem pars calorẽ vitamq; ſuſcipere videatur, ipſum cucurbitis paruis & plurimis euocabis: quod multis vetuſtiſsimorum empiricorum, vt Aurelianus refert, viſum eſt, & obſeruatum adeò religioſè, vt & parti affectæ & origini neruorum profuiſſe, ſit compertum. Sic quidem vbi mentum paralyſi vitiatum eſt, cucurbitæ temporibus affigendæ erunt, aut buccarum muſculis, vel ſub aurium laminis. Manibus tamen vitiatis, affigendæ ſunt humeris aut eorum ſummitatibus & muſculis vel cubitorum nodis. Item cruribus vitiatis, femo-

femorum articulis affiges, quà vertebrarum ductus in caput oſsis femoris inſeritur, coxendicis etiam acetabulo: & ſic eodem ordine alias partes refert, ſicut gratia reuocationis ſpirituum animalium, dorſo per ſpinam. Verùm in prædictis audaciùs licebit vti hoc præſidio, quàm in alijs: in omnibus tamen caloris euocandi gratia: cui vſui parum immorari cucurbitulas oportet, ne attractus ſpiritus & calor reſoluatur: quarum loco frictionibus linteo aſperiori factis vti oportebit: aut manu inuncta, aut madida oleo rutaceo, vel de angelica aut aqua vitæ.

Quo facto ſtatuendum eſt, hac lege vtendum eſſe his topicis auxilijs: primò quidem à frictione, à cucurbitis, & oleis incipiendum: poſteà à linimentis: tandem ab vnguentis, & ſuperpoſita pelle vulpina ſuffumigata: deinde verò emplaſtra molliora adhibenda ſunt, tandem quæ diſcutiunt, vt acopa: poſtremò roborantia & metaſincritica: in omnibus tamen cauentes ne pars exulceretur.

Verùm quia deuenire ad balnea & vniuerſales ſudationes tutum non eſt, quin priùs, quantum mali ſæuitia permiſerit, maior pars ſuperuacui humoris conteratur, ob id interim dum hæc omnia adhibentur, præparare humorem & corpus oportebit ſerapijs, & frequentioribus purgationibus, quarum paulò anteà latiùs meminimus.

Quo facto, ſequenti die conſeruis huic vſui proficuis vteris, qualis naturæ eſt ſaluiæ, ſthœcados, gencianæ, enulæ, acori, ireos, & zingiber conditum, ac nux muſcata, doſi. ℥ ſ. ſ.

Pulueribus quoque non parua ineſt vis iuuandi reſolutos: cuius cenſus eſt diaciminon, dianiſon, roſata nouela, diambra, diamuſcus: in parua tamen quantitate, ne caput feriant. Prodeſt & ille qui recipit pulueris inuolucrorum teſtium caſtorei & priapi cerui, qui fiant per vſtionem in vaſe fictili, & extinguantur vino albo ℥ ſ. ſ. cinnamomi, galangæ, caryophyllorum anà. ʒ. j. ſacchari albiſsimi. ℥iij. miſce, & præbe. ʒ. j. cum modico vino albo diluto aqua ſaluiæ, cui ſi addideris pulueremdiambræ, aut diamuſci, commodiùs facies.

Conteres etiam humorum reliquias omni caputpurgiorum genere, gargariſmatis præſertim & maſtichatorijs: conficies autem gargariſmata hac lege. Excipe paſſularum ſine granis. p. j. ficuum num. x. ſummitatum thymi, ſeminis cartami aut vrticæ ℥j. turpeti, ſtaphiſagriæ anà ℥. ſ. ſ. decoquantur in hydromellite & collaturæ adde ſyrupi ſthœcados vel mellis ſquillitici pro lib. ℥j. &. ſ. ſ. Item conficies aliud quod recipit prædictæ decoctionis lib. ij. mellis roſacei. ℥ iij. oxymellitis ſquillitici ℥ j. Quibus ſanè veteris ſequenti die ab expurganti pharmaco & ventre ieiuno: quod facies quatuor aut quinque dierum ſpatio, ſineſque pituitam per os defluere, & aliquando gargariſmati addes theriacæ magnæ ʒ. ſ. ſ. Proſunt etiam oris collutiones ex ſinapi & hydromellite ſquillitico cum de cocto ſaluiæ, pulegij, calaminthæ, coſtæ, zingiberis, & galangæ.

Maſtichatoria etiam non parum prodeſſe comperimus, ea maximè quæ recipiunt medicamenta vim habentia trahendi à capite, vt pyrethrum, ſtaphiſagriam, & reliqua huius naturæ: ſed alia his mitiora haud ſecus proficua, parantur ex maſtiche, nuce muſcata, ſale, zingibere, radice acori, cyperi, & angelicæ: quibus ſi addas theriacæ vel aureæ alexandrinæ modicum, miræ eſt efficaciæ.

His factis, ſi adhuc membrum reſolutum videatur crudum & mucidum, ipſum lauacro excitabis & calefacies. Primò quidẽ decocto maioranæ, ſaluiæ, origani, calamenti, calendulæ, ſarmentorum vitis, pulegij, ſerpilli, ſthœcados, radicum ireos,

betonicæ,ebuli, foliorum & baccarum lauri & iuniperi: ex quibus aliquod eligere poteris,ac decoctum conficere aqua,vino,vel aqua vitæ. Cui simile aliud efficies,quod recipit cineris canarum & osium cerui anà lib. j. cineris cupressi, lauri, myrthi,& roris marini lib.ij.aquæ fluuialis quod sufficit:decoquãtur leuiter,& adde salis communis & fæcis vini anà lib. ß. Quòd si videatur plus iusto esse lixiuiũ efficax, temperare ipsum aqua poteris, & mox spongia aut linteis suffumigatis partem exiccabis. Quòd si mitiùs exiccare & roborare partem volueris,eo oportet vti lauacro,quod recipit radicis cyperi, galangæ, calami aromatici.ʒ.iij. ligni guayaci rasi. p. ij. saluiæ, calaminthæ, abrotani ,foliorum cupressi,& roris marini, anà. m. j. florum sthœcados, roris marini,& saluiæ anà. p. j. fiat decoctio in aqua,& adde aquæ vitæ. ʒiij. posteà quiescat per tres horas,& cibo vtatur mediocri.

Balnea & sudationes

Quòd si balnea naturalia haberi possunt,longè sunt cæteris præsidijs pretiosiora,& maximè quæ sulphurea sunt:ad quæ proculdubio, alijs prius tentatis est confugiendum,tanquam ad peculiare huius mali præsidium. Verùm si ea haberi nõ possunt,aut laborans illuc præ impotentia,loci distantia,aut paupertate adire nõ potuerit,sudationibus ex ligni guayaci, spartæ parellæ,aut radicis chinæ decocto vtendum esse consulo(maximè si morbus in vetustatem deuenerit) sed aquam huic vsui proficuã sic parato. Accipe ligni guayaci lib.j. corticis eiusdẽ. ʒiiij.asphalti.ʒij.macerẽtur in xij.lib.aquæ per noctem,& fiat coctio ad tertias:cui adde mellis communis lib.ij.clarificentur addendo vini albi lib. j. belzoini & cinnamomi ana.ʒ.j.& laborãti summo mane præbe.ʒiiij.Si tamẽ laborans imbecillior natura aut morbo sit,ex radice chinæ sudationẽ institues,facto decocto ʒj.eius, & spartæ parellæ.ʒij.in lib.xij.aquæ,& facta eadem consumptione,additoq; modico melle, aniso & cinnamomo.

Hæc profecto huic affectioni sufficere videbantur,ni ratio, natura & conditio affectæ particulæ aliquid peculiarius postulasset, cuius ignoratione, medicos in maximam hæsitationem, & laborantes in graue damnum prolapsos non rarò conspeximus. Quapropter in calce huius capitis studui breuiori compendio recensere quæ peculiarem conditionem habent, vt cuique parti hoc morbo affectæ prodesse possint.

De linguæ resolutione.

Sic proculdubio in linguæ resolutione,præmissis vniuersalibus purgationibus, & alijs quæ hucusq; dicta sunt,ad ea auxilia quæ partem respiciant,peculiariùs veniendum est. Quippe huic affectioni prodest sanguinis detractio ex venis quæ sub lingua sunt:hac lege,quòd si altera tantùm linguæ pars resoluta sit(vt his accidit, quibus hoc malum euenit vitio neruorum linguam mouentium:nam quibus tota lingua resoluitur,plerunque ex cerebro mutuatum habent damnum) ex sana sanguis mittatur:si verò tota lingua,ex quauis eius vena,siue dextri,siue sinistri lateris. Quod facies alijs tentatis præsidijs,& signis copiosi sanguinis, maximè circa partem affectã apparentibus,& in his qui balbi nõ sunt à natura: quippe hi multa abũdãt humiditate,cui proficua sanguinis detractio nõ est. Prodest & grãdis cucurbita cũ scarificatione occipitio affixa:in quẽ quoq; vsum sub mẽto posita maximæ esse vtilitatis,multis visum fuit. Alijs rursus,earũ loco arrisit magis vesicatoriũ medicamentũ ceruici appositũ,quo à vesicis penicillo ruptis aqua fluat, medicamẽtũ autẽ conficiebãt ex cãtharide,abiectis capitibus & alis. Quibus factis, vtẽdum est oris collutionibus mollioribus,quas hac lege parabis. Excipe nucis muscatæ. ʒ.j. cũ succo saluiæ,formẽtur pilulæ lupinis persimiles, quarum vnam ore semper habeat labo-

laborans. Idem præstant folia saluiæ,itẽ pilula ex nigella cum sale,pari ratione succus ex folijs angelicæ scissis extractus, aut radix eius cõmanducata:itẽ & ficus cum saluia pistatus,aut saluia cum mastiche:quod si efficacius efficere velis,castorei modicum addes, vel caryophyllorum, nucis muscatæ,salis communis momentum, maximè si cum cera ex eisdem orbiculos confeceris, quorum vnus ore teneatur. Item frequenter colluatur os muria aut aqua oliuarum cum sale,vel vtatur gargarismate aliquo ex prædictis rebus facto, aut ex aceto melle & sinapi cum decoctione saluiæ,superaddito modico oxymellite squillitico,cũ thymi,nepetæ,vel hyssopi decocto: item colluatur os theriaca aut mithrydato. Vngantur præterea maxillarũ latera & pars posterior ceruicis,aut retro aures,aliquo ex prædictis vnguentis, aut eo quod recipit olei costini,de euphorbio,& de angelica,de castoreo anà.ʒ.j. sagapeni,opopanacis, castorei anà.ʒ.j.ceræ rubræ vel viridis quod sufficiat,vt fiat linimentum.

De œsophago resoluto.

Neque desunt inter neotericos,qui in resolutione laringis & œsophagi,prodesse referant nuper dicta auxilia, quæ nuper in resolutione linguæ proficua esse diximus. Sed cùm non sit ita facilè nosse,quando œsophagus resoluatur,vt illi adhibeãtur nuper adducta auxilia, ob id expẽdendum est,tunc maximè hoc malo laborare, cùm cibaria laborantes deuorare possunt quæ crassæ sunt consistentiæ, liquida verò nequeũt. Cuius rei causa est,quòd cùm pars superior œsophagi in sese contrahi oporteat ad cibum deuorandum,cùm ipse crassus est & corpulentior,leuiori motu descendit,quã cùm liquidus existit,quòd leuiter expellenti facilè cedit, & maiori opus habet compressione,qua resolutum œsophagum carere certum est.

De vesica resoluta.

Vesica tamen resoluta peculiare inter vrinæ affectiones paulò inferiùs obtinebit caput,sicut & penis resolutio, cuius meminimus lib.3.de fœminarum affectionib. capite de virorum sterilitate. Cum hoc tamen,ne huic capiti aliquid deesse videatur, expendendum est, vesicam resolutam per externam eius regionẽ præsidia susceptare,sed potissimum iniectionibus per syringam factis ex oleo liliorum, de costo,laurino,de nucibus:& inclinante affectu, admixtis etiam quæ vim aliquã astringendi habent cum calore,velut est oleum nardinum & de absynthio. Iniectiones autem parantur ex decocto enulæ,ireos,saluiæ,herbæ paralysis, artemisiæ, & lauri, cum oleo antiquo,& de angelica. Sed quia sæpe his & similibus inutiliter solet exulcerari vesica, placuerunt mihi semper magis auxilia extrinsecus adhibita, cuius naturæ est inunctio ex oleo antiquo, de angelica,de ligno guayaco,de pipere,& similibus,addito castoreo. Sed maioris momenti esse arbitror emplastra quæ vim habeant resoluendi,cõfecta ex pulueribus & oleis supradictis, ac ex alijs gũmi specibus, quas sæpe memorauimus:cuius efficaciæ etiã creditur esse cucurbita renibus adhibita.

De pene resoluta.

Penis autem resoluitur varijs de causis:nam cùm præter modum vi & manu extẽditur,aut ob natationem, refrigerationẽ, vel equitationẽ nimiam iuxta cuiusq; etiam contrarietatem,facile est eius resolutioni subuenire. Verùm cùm ex defluxu alicuius humoris ad musculos quibus extenditur,resolutio fit,præcipua curandi ratio est per generalia auxilia citra sanguinis missionẽ. Cui affectioni experimento didicimus profuisse sudationes ex ligno guayaco,& vnguenta quæ vim habent calefaciendi & resoluendi,sicut inclinante affectu,ea quæ efficaciam habent gignendi flatus, quorum latiùs meminimus capite citato. Sed in vniuersum cauẽdum est in hoc affectu ab his,quæ nimis digerunt & calefaciunt: quippe hæc semen imminuunt,& flatus discutiũt,quæ ad penis excretionẽ plurimũ cõducunt. Quãobrem

omnia roborantibus ſunt admiſcenda,velut eſt id quod recipit olei veteris vel nucum ℥ j.olei pinearum & auellanarum ℥ j.& ʒ.zibeti ʒ.ij.renum & caudæ ſtincorũ & cineris priapi tauri & cerui,anà ʒ ʒ.ſeminis cepæ & erucæ ʒ j.& ʒ. ceræ modicũ, vt fiat vnguentum,quo renes,latera & inguina vſque ad podicem vngantur.Fouẽdæ etiam partes hæ ſunt eo quod recipit olei maſtichis, ℥ ij. ſanguinis draconis, & maſtichis,anà ʒ ij. aluminis ʒ j. ceræ quantum ſit ſatis.Prius tamen partes vino calido, aut aqua vitæ fouebis:vel ſi affectio inueterata ſit, veteris lixiuio,quod recipit cineris inuolucrum,teſtium caſtorei aut priapi tauri ℥ ij.fiat lixiuium,in quo decoquendæ ſunt nuces cupreſsi.Præſtat ore ſumere theriacam,aut confectionem quæ recipit pinearum infuſarum melle aut auellanarũ & phiſticorum anà ℥ ij.medullę ſeminis fraxinæ ℥ ʒ.ſeminis erucæ,zingiberis,& vulbi anà ʒ j.medullæ ſeminis peoniæ ʒ j.& ʒ.cinnamomi ϑ ij.cum melle deſpumato fiat confectio in forma ſolida.

De recto inteſtino reſoluto.

In reſolutione verò recti inteſtini,præter generalia auxilia, fomẽtis veteris, inſeſſionibus,& ſuffumigijs,quæ fiant ex herbis & vnguentis ſæpius repetitis . Hoc tamen habet peculiare hæc affectio quod beneficiũ ſuſceptet ex cucurbita oſsi ſacro adhibita : quę omnia ano etiam reſoluto proficua eſſe comperimus,dummodo in vtraque affectione oſsi ſacro adhibeantur emplaſtra,quæ ex pice,therebyntina,ladano,ſanguine draconis,hypoſtide,& alijs quæ vim habeant adſtringendi & roborandi partem,conficiantur.

Si ex coli eo dolore fiat paralyſis.

At dum paralyſis ex colico dolore prodit,curationem inſtitues, non ſanguine miſſo,ſed frequentibus clyſmatis & purgatione : nam qua ratione materia migrauit à collo & inteſtinis ad muſculos & neruea ſubſtantiam,eâdem prorſus curandum eſt,eam ad conſuetum emunctorium euocare. Præterquàm,quòd colici dolores ſolùm qui à pituita confluẽte à venis ad inteſtina fiunt,ſunt qui in paralyſim commutãtur:non qui ex crudis ſuccis in eiſdem partibus genitis,licet ex authoribus non deſint, qui id quoque aſſerant.

Præter quæ omnia auxilia, quædam alia non minoris momenti reperiuntur, quæ ſanè omnibus partibus reſolutis proficua ſunt:velut exiſtunt ea quæ dorſo adhibẽtur,qua parte neruus diſſeminatur in reſolutum membrum:cuius naturæ fuit illud quod Galenus ſemouit è digitis eius qui è curru ceciderat,& colli vertebris adhibuit non ſine magna aſtantium admiratione & laborãtis vtilitate. Eius etiam conditionis exiſtunt pleraque ex his quæ parti reſolutæ adhiberi poſſe diximus, quæ iterum repetere non placet:& vſtiones etiam vertebræ eius per quam neruus in reſolutam partem perreptat, quibus antiqui loco reſoluentis auxilij vtebantur: ſed id tanquam vltimum præſidium haberi debet,tẽtatis priùs dropaciſmis & alijs reſoluentibus auxilijs.

De conuulſione. Cap. XV.

Rauiſsima eſt hæc affectio,& quæ mille laborantes perdit,alioſque mancos & omnino munijs vitæ proficuis inutiles efficit:& plures etiam medicos in hæſitationem & anguſtias agit(vt quæ illis ſit periculoſa,his tamen obſcura & abditas obtinens cauſas, difficiliaque ad diſtinctionem & cognitionem ſigna) & ob id paulò diligentiùs eam expendere ſtudui,vt euidentior ſic appareat medendi ratio.

Definitio

Eſt itaque conuulſio,vt Galen.placuit 6.apho.39. paſsio quædam inuoluntaria, ad

ad ſimilem diſpoſitionem venientibus partibus neruoſis ei,quam etiam in motibus voluntarijs aſſumunt:quippe retractio quædam eſt neruorum ad ſuam originem.Nam in eum ſitum neruos muſculoſq; conuulſio hæc ducit,in quẽ, facultate motiua pro imperio voluntatis agente,ducerentur : itaq; ſolùm hæc affectio à motibus ſecundùm naturæ legem factis diſsidet , quòd hi ex imperio voluntatis:illi verò à ſolo fiant morbo facultate nequaquam operante , ſed patiente,quia eſt voluntarius motus impeditus propter violentam muſculorum cõtractionem, & ob id dicitur actio læſa:non quidem vt multi arbitrantur,irritata, quinimò vincta,impedita,& ligata quominus poſsit,etiamſi velit,membrum mouere. Nam vt in conuulſione conſideramus duos modos,alterum, quem motum conuulſiuum nuncupamus,& reliquum veram conuulſionem,ita prorſus ſympthoma duplex, & duplex facultatis motiuæ vitium ſuccreſcit:alterum eſt ipſius facultatis depraua tus & conuulſiuus motus,proprius epilepſiæ ab irritamento productus: reliquum verò ab eadem animali facultate prodiens,quòd etiamſi poſsit & vellet , quia non deeſt facultas vt in paralyſi,membrum mouere non audeat , neque tentet dolorem timens:qua ratione veram conſtituit conuulſionem,ſicut in motu conuulſiuo,etiamſi velit quieſcere nequeat.Ex quo prodit in vtroque facultatem lædi,corruptam edens actionem,eo modo quo dictum eſt,nimirum in conuulſione vinctam & impeditam,in conuulſiuo motu vitiatam. Denique vera cõuulſio ea eſt, quæ non eſt interrupta motibus & acceſsionibus,ſed firma iam & cum diſtenſione,in qua cõtracti ſeruantur muſculi ab infarcto humore,in ipſorum vilis aut neruis:quo vt dictum eſt ab epilepticis motibus differre comperimus,quia in illo facultas licet integra ſit & velit, nequit membrum mouere , quòd vi morbi contrahatur : in hac verò, nequit ipſum firmare , quòd vi cauſæ facultas prauè operetur.

Nomen.

Fuit autem huic affectioni nomen inditum duplici ratione: tum ex ſympthomate , hoc eſt,ex retractione,quæ in membro fit,& ob id Græci appellarunt ſpaſmum.Cuius vocis ſignificatum variè vſurpatur apud Græcæ linguæ peritiores, quippe ſpaſmos propriè neruorum diſtenſionem interpretantur, maximè Celſus lib.2.cap.1.cæterùm ſpaſma diruptionem in fibris neruaceis & mẽbranaceis,quæ extenſione ferè dirumpuntur,appellarunt:nam citra vulnus extenſio continuitatem diſſoluit:quem affectum propriè conuulſionem nuncupamus,ſicut diuulſionem reliquum , quantumuis multi neothericorum contrarium aſſerant:nã licet ſpaſma neruoſarum partium diſcontinuatio ſit citra vulnus,cum hoc tamen id in vera conuulſione accidere ſcimus,vt conſtat ex dolorum vehementia . Quo fit, vt iure optimo Galen.cõuulſionem,per ſolutionẽ continui diffinierit: at ſpaſmos, propriè quidem diuulſio eſt,& ſic à pleriſq; vſurpatur pro neruorum diſtenſione: ſpaſma verò ſeu neruoſarum fibrarum tenſiua ſolutio, conuulſio vera eſt , ad fibras muſculorum & tendonum neruaceas attinens:ſed hæc alijs,qui in Græcis literis peritiores ſunt,curioſiùs expendenda relinquo:ſat enim eſt ſcire, conuulſionem ſignificare quandam continui ſolutionem citra vulnerationem in prædictis partibus:per quem quidem ſolutionis modũ.Galen.3.metho.ipſam diffiniuit: quã profectò ex vi in membrũ illata,fieri erat neceſſum,quæ enim conuellũtur,extendi et rumpi proculdubiò videntur . Quo fit, vt Latini authores iure optimo conuulſionem nominauerint ,quòd ſolutionem continui adeſſe ſit neceſſum : quia membra non ſolũ eò vſq; proueniunt in conuulſione,quò ſecundũ naturam voluntas mouere ſolet,ſed multo violentiùs et diſtantiùs,ſi locus fuiſſet. Atqui licet

locus

locus non ſit quo ampliùs moueatur, ſemper tamen habet extenta motus inſtrumẽta: quo fit vt diuelli capita muſculorũ & tẽdines oporteat, & cruciatus, vigilias, ac acerbiſsimos dolores inferre. At ſi aliquando membrum citra dolorem conuelli accidat, id crede factum, quia non vltra terminum naturalem eõuellitur, vel quòd ſenſim & paulatim fiat illa eõuulſio, aut quòd tendines & ligamẽta ſcirrhoſa facta ſint & dura, & ob id ſenſus expertia.

Dubium. Ex his enim quæ definitio & nomen huius affectus important, in dubitationem vertere oportet, quæ ſit pars quæ primò & per ſe in conuulſione afficiatur: & rurſus cum partibus neruoſis accidant conuulſio, tremor, & reſolutio, quæ paſsiones ſunt motricis facultatis, quæ ſit inter ipſas differentia, ſiquidem vnius partis & potentiæ læſiones exiſtunt. Circa primum euidenter conſtat, eas partes in conuulſione læ-
di, quibus mouendi miniſterium natura præſtitit: atqui cùm hæ variæ ſint ſortis & naturæ, nondum ſatis apertum eſt, cui harum primò & per ſe conuulſio genuina & peculiaris ſit affectio. Quippe turpe eſt quod authores fere omnes ſta-
tuunt, nimirum conuulſionem ad cerebrum, ſpinalem medullam, ad neruos, ad nerueam ſubſtantiam, ad fibras muſculorum, & nonnunquam ad tendines attinere: quibus ſubſcribit Gale. 1. de vſu part. enumerans ordinem partium mo-
tu arbitrario ſe mouentium, primum conſtituit cerebrum, mox neruum, tertiò muſculum & deinde tendonem. Quod Auerr. 2. collig. cap. 28. placuiſſe non videtur: quia ea tantũ præſtare motũ poſſunt, quæ ſe mouere queũt, & cũ cerebrũ & neruus nullũ habeant de ſe motum, videbantur excludenda, quia ſolũ corpora quæ mouent, vt muſculus & tendo ſunt annumeranda, nõ quidem quæ facultatem miniſtrant aut deferunt: præſertim cùm in doctrina eiuſdem met Galeni contrarium conſtet: nam lib. de motu muſculorum, primum motus inſtrumentum muſculum efficit, nonnunquam neruum, ſæpe verò, vt lib. artis med. tendinem, nulla facta cerebri aut ſpinæ mẽtione. Verũ ſi quis rem diligentiùs expendat, reperiet Gal. appellaſſe primũ motus inſtrumentũ muſculũ, non quidem immediatũ ſed cõmune, & neruũ vt delatorem non vt inſtrumentũ: haud ſecus quã dicimus oculũ eſſe videndi inſtrumentũ, & humorẽ chryſtallinũ pari ratione, hũc tamẽ immediatũ & præcipuũ: ſic in muſculis & neruis tendo immediatũ eſt & præcipuũ motus inſtrumentũ: modò ad pẽſum, cùm enim conſtet, immobilitatem defectumue motus & paralyſim ad neruos referendam eſſe, videbatur ad eoſdem poſſe reduci primò vitiatã motus actionem, hoc eſt conuulſionem. Quod oſtendũt plurimæ partes quæ neruoſæ ſunt ſubſtantiæ, citra vllã muſculi compoſitionẽ, vt oſtendũt ventriculi tunica, vterus, & inteſtina, quibus conuelli (vt in ſingultu conſtat) non rarò cõtingit: ergo ad neruеam ſubſtantiam & non ad muſculoſam videtur cõuulſio pertinere. Ex altera verò parte euidẽter ex Galen. lib. de motu muſ. colligitur, motus exequutionẽ muſculis tantũ eſſe peculiare & propriũ munus. Præterea lib. artis med. ſcribit, partẽ principẽ motus effectricẽ in muſculo ligamentũ eſſe. Quæ omnia ſi exactè cõferãtur, diuerſa ratione vt dictũ eſt, motui ſubſeruiũt, neruus nimirũ, vt facultatis delator, muſculus vt vniuerſum inſtrumentũ, tẽdo verò vt præcipua in inſtrumẽto particula, cui immediatè actio tribuenda eſt; & ob id conuulſionẽ aſſerimus primò tendini propriã eſſe, ſecũdariò muſculis, remotiùs verò & ſolũ per quandam ſimilitudinem neruis: ſic enim vteri aut ventriculi motum, non conuulſionem ſed per metaphoram & ſimilitudinẽ, eo quòd extendãtur & contrahantur vt muſculi, dicuntur conuelli: quem ſane motum potiùs motum conuulſiuũ, quàm conuulſionẽ dixeris. Quinimo hac ſola ratione cõſtabit, ad neruũ non poſſe cõuenire con-

conuulſionem, quia pars neruea, quòd muſculis careat, non verè conuellitur, ſed motum ſolùm patiatur conuulſiuum. Itaque ſolùm tendo & fibræ muſculorum quæ motum à neruis recipiunt, conuelli verè & propriè poſſunt, & ob id partes cõuulſæ maximo dolore cruciãtur, quia neruus illæſus eſt, & ſenſũ ac motũ parti præſtat. Cum hoc tamen ille motus qui fit, nõ prodit à facultate, ſed à ſolo morbo emulante motum voluntarium. Nam qua ratione natura contrahit muſculi ventrẽ, & tendonẽ, ea ratione retrahit capita & partes oſsis in quas inſeritur: ita prorſus vẽ tres muſculi membri conuulſi in latum extenſionem nanciſcuntur à cauſa morbi ducti, eundem modum motus efficiunt, quia pari ratione membrum ad originem & principium inſertionis muſculi per quem mouetur, deducit. In qua re expendendũ eſt (vt alteri dubitationi reſpõdeamus) vt clariùs hæc doctrina conſtet, quòd licet tremor, conuulſio & paralyſis motus ſint vitia & ſympthomata, nihilominus tamen diſsident peculiari quadam ratione, nimirum quia in tremore facultas & inſtrumenta illi ſeruientia læſa ſunt: in paralyſi ſola facultas læditur per ſe, aut in neruo qui delationis miniſterio ſeruit, reliquis motus inſtrumẽtis illæſis manentibus: at in conuulſione facultas & neruus, vt delatoriũ eſt inſtrumentum, citra vitium exiſtunt, ſentit enim particula & optimè moueretur quatenus ad facultatem attinet: at verò inſtrumenta motui ſeruientia vt muſculus & tendo, affecta ſunt adeò vt ſi animal velit motum efficere, non audeat præ dolore, licet pati facultatem hac ratione dicendum ſit, quòd mouere membrum ſibi commiſſum non poſsit: nil verò patitur in actu retractionis, ſed in priuatione extenſionis: coacta enim & vincta eſt ad motum efficiendum, verens ne motu dolor ſupercreſcat, etiam ſi in contractione illa conuulſiua nihil ipſa operetur, vt apertè innuerat Gale. 2. de cauſ. ſympto. aſsimilãs conuulſionem paralyſi, quòd in vtraque vincta & coercita ſit natura, ac ocians præter naturam & voluntatem: ſed in conuulſione otiatur, quantumuis ſecũdum naturam præſit in parte conuulſa: at in paralyſi ociatur quidem membrũ, ſed non eadem ratione, ſed quia ad eum non peruenit facultas propter obſtructionem, vel quia licet perueniat, afficitur & obruitur, obſcuratur, & præpeditur humore vel vapore vt dictum eſt. Quo ſanè fit, vt conſtet motum deprauatum in conuulſione, hac potiſsimum ratione ab omnibus alijs deprauatis motibus, qui fiũt in inſtrumentis voluntati ſeruientibus, differre: nam motus qui fit à ſolo morbo citra facultatis adminiculum, à ſolo inſtrumento perperam affecto, hoc eſt, ſoluto ob diſtenſionem aut dilatationem partium muſculi plus iuſto, factam ab aliqua cauſa ibidem incluſa, prodit. Quod ſanè malum muſculus patitur, non ſolũ ob eius carnẽ humore plenam, ſed aliquando ob venas arteriaſue nimis diſtentas, neruoſque ipſos aut tendonem humore nimio diſtendente tenſos: cæterùm præſente facultate in neruis quo differt à paralyſi, non tamen operante, quo diſtinguitur à tremore. Quibus ſic conſideratis conſtabit, neruum poſſe quidem conuelli & contorqueri, ac in latum extendi, ita vt vitiet muſculum aut tendonem, vt ſtatuerat Galen. lib. 2. de rigo. cap. 2. Cæterùm paſsio retractionis membri ad originem, ſolius eſt muſculi, vt docuerat lib. 3. de ſympthom. cau. cap. 2. nam ſi ſolum ſpectemus motus organum, ad ſolum muſculũ referenda eſt conuulſio: ſi verò cauſam mali, etiam nerui poſſunt in latum extendi, vt dictum eſt: quo tempore ſuccreſcit ea affectio, quã Hippocra. & medici alij appellant diſtenſionem. Quippe ob id cenſeo dictum eſſe ab Hipp. 7. apho. 13. Ab æſtibus fortibus conuulſio, aut diſtenſio neruorum, malũ: quo fit, vt ex his locis conſtet differentia inter conuulſionem & diſtenſionem neruorum, ne quis exiſtimet, prò eodem ab authoribus vſurpari, vt antea dictum eſt.

Dubium. est. ¶Cum hoc tamen dignum disputatione esse sum arbitratus quibus modis & qua ratione neruus conuelli possit,hoc est in latum extendi,citra paralyseos genę rationem.In qua re statuendum est,nerui tunicas quibus à cerebro vestitur,adeò quouis succo repleri posse,vt in puncturis neruorum conspicimus, vt protinus & faciliter in latum extendantur citra paralysim,& contrahatur subinde membrum ea ratione.In qua sanè conuulsione necessum est,sensum & motũ superstites manere in membro,quod esset impossibile, si nerui substãtia impleretur(nam in hoc sita est omnis huius rei differentia) tamen cum hoc retractio membri à tendone fit & musculo in latum extenso ratione nerui ipsum tendentis. Prætereà licet aliquo modo conuelli partem conspiciamus ratione repletionis aut inanitionis substantiæ nerui,non ob id arbitrandum est esse veram conuulsionem.In qua re considerare oportet, quòd dum nerui substantia aliquo succo maduerit, non potest vlla ratione conuulsionem excitare,dum per vniuersum fit neruũ:quia cùm conuulsio,vt quæ dolorosa affectio sit,subitò & affatim debeat fieri, repugnat naturæ nerui quæ solida est,& conditioni humoris facturi solutionem cõtinui,& subinde conuulsionem,quia futurus est crassus,quo subitò & affatim fiat:nã cũ in neruo aliquis humor imbibitur,tenuis necessariò & fluxilis futurus est, ac lentè & sensim madefactionem effecturus,vt citra dolorẽ fiat,quemadmodum in paralysi. Quo fit,vt cùm hac ratione imbibitur,neque solutionem,neque contractionem,neque conuulsionem vlla lege posit efficere,sed solùm paralysim:nam licet aliquo modo continuum soluisset,nullus sequeretur dolor,nullaque extensio, quia sensu ob id partes priuantur.Quapropter arbitrandum est,quòd si quando neruis ipsis aliquis conuulsioni similis affectus(nam vera conuulsio ipsis nequit accidere, quòd musculorum sit propria passio)succrescat,non intrat nerui substãtiam vniuersam, sed solùm cauitatem illam,quæ in eius exortu existit,quia crassus ac terreus qualis ille futurus est,nequit vltra permeare,haud secus quàm in cathocho contingit, in quo hac ratione rigidũ manet ac veluti conuulsum & tetano affectum vniuersum corpus,ob neruosum genus hac sola ratione affectum:& ob id non solùm neruea substantia motioni fit inepta ob prædictam tensionem,sed & sensationi ac distributioni motiuæ facultatis:& hæc est in hac controuersia mea mens, saluo meliori iudicio.

Ex qua quidem doctrina euidenter constabit alia differentia inter paralysim, conuulsionem,& tremorem,cùm hi affectus proprij sint instrumentis motui seruientibus,& in conuulsione & paralysi membrũ quiescere & immobile esse videatur,sit ne ratio quietis vna & eadem in vtroque? Cui dicimus disidium esse quòd in conuulsione fiat motus,inuita tamen potentia, & quiescat voluntariè,vt dolorem precaueat: quia licet ad neruos & vniuersum instrumentum mittatur facultas, neque ipsa mouet, neque id tentat ob dolorem à motu & tensione membri factum, hoc est actio ablata,per facultatis inuoluntariũ otiũ: quia licet possit mouere,quòd adsit influxus potentiæ,non vult,cauens dolorem qui in motu excitatur:& ob id dicimus colligatam esse:in paralysi verò quiescit membrũ,quòd facultas non demandetur ad instrumenta motus.Ex quibus etiam prodit alia differentia,nimirum, quòd in paralysi læditur neruus vt instrumentũ delatoriũ facultatis: in conuulsione verò,neruus & cætera motus instrumenta lædũtur vt componentia,& vt operationis motiuæ instrumenta,eò quòd à solo morbo moueri cogantur contra voluntatis imperium , & citra facultatis motiuæ adminiculum.

Quo

Quale sit in hoc affectu sympthoma,quis morbus,& à quo prodeat,si Gal.attẽtè legas obscurum variumque reperies.Nam.2.de cauf.symptho.conuulsionẽ inter sympthomata annumerat.6.aphor. 39. quandoq; inter morbos reponit temperamenti,aliquando verò inter morbos figuræ:plerunq; tamen vt.3. popu. non permanentem affectum esse scribit. Verùm id dictum esse à Galen.intelligendum venit ob varios conceptus quos de conuulsione scribit. Nam primò appellat affectum non permanentem cùm motus est conuulsiuus,potiùs quàm vera conuulsio, vt in epilepsia conspicitur , quæ ex facultatis irritamento non ex morbo originem trahit . Prætereà conuulsionem hoc aut illo modo diffinit, prout nunc in ea vitium figuræ considerat magis vt affectum, à quo læsionem illam prouenire est certum : vel vltimò causam læsionis. Itaque retractio nerui ad suam originem , sympthoma est in genere noxæ functionum animalium motiuarum: quippe vincitur & ligatur animalis potentia, ita vt si mouere membrum possit, non velit: morbus verò intemperamentum cùm humore aut citra, vel figuræ vitium,quod membrum retrahi cogit,& quidquid sit,dolorem sibi habet comitẽ.Quod plerunque à certo quodã solutionis modo immediatè prodit: nam extensio hæc ex humore fit: hæc autem est quodammodo continui solutio, quæ sanè,quò maior fuerit,citra veram continui separationem,conuulsionem efficit maiorem,presioremque retractionem : nam quæ per partium integram separationem fit solutio,conuulsionem non efficit. Quo fit,vt nullo modo verum possit esse quod multi asserunt,nimirũ solutã vnitatẽ morbũ esse in conuulsione, cũ re vera vt musculus à re aliqua in latũ extenditur,ita magis soluitur,& ex vtroque damno vt sese tueatur natura membrũ etiã contrahi permittit, quæ contractio conuulsio est & terminus ac finis extensionis, seu solutionis illius extensiuæ. *Quo mor-bus.*

Quot nam sint huius affectus differẽtiæ,euidẽter iam constabit, si priùs dixero ad rationẽ motus voluntarij præ requiri musculum,secundũ electionem se ad sua initia quæ musculorũ capita vocantur contrahentẽ.Cæterũ hæc contractio in medio fit musculi,& ob tendinẽ quoq;, à quo os vel membrũ etiã cõtrahitur:qua sola ratione censeo dictũ esse à Galeno & plerisq; antiquorũ,musculũ esse præcipuum motus volũtarij instrumentũ,nimirũ quia potissima huius motus ratio stat in contractione facta in medio musculi.Caput autẽ eius,qua parte neruus inseritur, & simul cũ ligamẽto coit, ex quibus tẽdo in quẽ musculus desinit,cõficitur:tẽdo itaq; sensu participat,eò q; constet ex neruo à quo sensum mutuat,& ex ligamẽto,quod omnino sensu caret.Pari etiã ratione cũ ex morbosa causa membrũ cõtrahitur,ad suã quoq; originẽ vergit:dissidet tamẽ quia in cõuulsione muscul⁹ nõ cõtrahit sese in vẽtre,sed vt Gal. lib. de motu musc.& lib.de tremore ad fi.docet, quia à morbo in quauis musculi substãtia existẽte retrahitur præter naturã & sine volũtate,parte ipsa morbo affecta sese cõtrahente,quia à re aliqua præter modũ in latũ extẽditur. Atqui cùm in quouis mẽbro sit duplex tẽdonis insertio:altera quæ in partẽ anticã, & altera in posticã ipsum agat,fit proculdubio duplicem tantùm suboriri conuulsionis(hoc est retractionis ad suã originẽ)speciem:alterã quæ motũ æmuletur ad anteriorẽ partem,quã empostotonos dicunt:& reliquam ad posteriorem partem opistotonos appellatam.Verùm quia musculis ex vtraq; parte agẽtibus, medio & tonico motu membrũ rectum continere stareq; cogunt,ob id alter & tertius præter naturã è directo respondet,tetanus seu rigor appellatus.Cuius sanè affectus has solùm tres deprauati motus differentias Galenũ annumerasse constat lib. de diff. sympto.& de tremore &.4.apho.57.quod etiã plerisq; authorũ placuit vt Celso. *Differẽtiæ.*

L Sed

Sed circa præfatam doctrinã videtur dubitãdum,an ſubſit præter dictas aliqua alia cõuulſionis ſpecies:& licet apud priſcos authores nulla alia reperta ſit,rationi conſonũ & experimento frequenti confirmatũ eſt,admittendã quoq; fore eã quã Fernelius vir magnæ eruditionis adiunxit,flatulentam ab ipſo appellatã,qua ſæpè manuũ pedumq; digiti,nonnunquam & crura vel extenduntur,vel in ſeſe cõtrahuntur ſummo dolore,ſed eo breui,& qui frictione ſola miteſcat. Appellatur hæc affectio Hiſpano ſermone(calãbre)cuius cauſa eſt craſſus lentuſq́ue vapor in neruorum propagines inſiliẽs,qui illas haud ſecus atque citharæ chordas implet atq; conuellit:proinde ocioſis,vino & crapulis deditis frequenter ſuccreſcit: cuius naturæ cenſeo eſſe eã quã Gal.lib.2.de ſympth. cau. cap.2. ab ſpiritu flatuoſo ſtatuit poſſe fieri.Præter prædictas cõuulſionis ſpecies alia mixtæ naturæ reperibilis eſt, & iam cõperta,quæ mixta exiſtit ex paralyſi,&cõuulſione,nimirũ quãdo pars quæ conuellitur,modò etiã reſoluatur,& poſteà iterum conuellatur.

1. *Dubium* Dubitatione præterea circa prædictas ſpecies dignũ exiſtimaui,an ſint aliæ motus differentiæ præter anticã & poſticam, in his qui præter naturam fiunt,ſiquidẽ in his qui ſecundùm naturam comperiuntur,adeſt etiam ad dextram ad ſiniſtrã, ſurſum & deorſum,& nonnunquam circulariter. Cui dubitationi dicendum eſt verum eſſe in omnem poſitionem poſſe membra conuelli,ſed reliquas ad prædictas tres eſſe neceſſariò reducendas:ſiquidem motus membri circularis ex omnibus muſculis ſucceſsiuè agentibus in pleriſq́ue partium ſuccreſcit,& reliqui motus ab eiſdem,vario tamen modo incepto motionis principio.

2.*Dubium* Præterea diſcernendum eſt,an rigor ex duplici conſtet conuulſione. Circa huius dubij enodationem Auic.arbitratur.2.3.cap.8.tetanũ conuulſioni opponi, potiùs quàm quòd verùm ſit ex duplici conuulſione cõponi:eò quòd membrũ nullo modo videatur cõuelli,neque volũtate,neq; vi:quod ſanè videtur perdifficile: nã ſi cõuulſio diſtat à voluntaria actione ſola motus voluntati obtemperantis ratione,dum pars in neutram partẽ moueri poteſt voluntariè, cur non erit credẽdum ex duplici conuulſione conſtare,ſi quidem cõtractis vtrinque muſculorum vilis, ob id ſtabilitas ſequitur & rigor partis.Quapropter ſtatuendũ eſt,ex duplici conuulſione conſtare,quantumuis Auic.contrarium videatur ſentire.

3.*Dubium* Vltimò expendendum ſeſe offert,moueatur ne pars quæ rigida ſtat ex morbo, aut ea quæ ex voluntate extenſa eſt.Quã quidẽ controuerſiam multi ſic dirimũt, aſſerunt enim motus ſignificatũ apud Ariſt.vnum eſſe vulgarius, pro ſucceſsiua nimirũ acquiſitione termini motus:alterũ verò rarius,quo etiã medici & Aſtronomi vtuntur,pro paſsiua quadam limitatione mobilis ab agente,qua niſi quidpiam obſtaret,mobile moueretur mutaretq́ue locum.Sic etenim dicunt diſtentum caput in vtranque partẽ conuelli,contrahi,moueriq́ue,quoniã niſi oppoſita cõuulſio obſtaret,cõtraheretur non minùs antrorſum quàm retrorſum:quæ ſanè interpretatio licet congrua quodãmodò videatur,Galeni tamẽ placita non ſapit. Nam cùm aiunt,& ex eodẽ Galeno nitũtur probare,extentã manum & hominẽ ſtantẽ moueri,eius mentẽ non aſſequi proculdubio videntur,cùm lib.de cauſ.ſympht.2. &.5.de motu muſc.ſæpius referat prædicta omnia quieſcere:& lõgè magis ab eius ſententia videtur diſcedere,cùm fateantur omnia moueri eo ſignificato quo motus non deſignat membri actionem, ſed paſsiuam quandam limitationem, cùm lib.de tremore cap.4. ſcribat, tentionem illam aut contractionem manus,actionem manus eſſe, caſum verò paſsionem. Sed in hac dubitatione expẽdendum eſt,Galeni ſententiam eo prolatam fuiſſe, quo vtilis exiſteret præſagationi & curationi: nam locis adductis docet differre,aut ſaltem non ſemper idem eſſe,ſed fieri vt pars moueatur ociante facultate motrice,nempè in caſu membri & paralyſi:fieri etiam vt pars quieſcat facultate motrice validè agente,vt in tetano & aui in aëris vno loco volitante:cùm enim repugnet grauitati,facultas, vt ipſi reſiſtat omnibus muſculis operari tenetur,alioqui membrũ ſua grauitate concideret.Quod ſanè dogma præſagationi eſt profuturum:nam hac lege per decubitũ in lecto,actionum aut facultatis impotentiã vel robur iudicamus:ſic & curationi prodeſſe conſtat:nam hac lege Hippo.lib.de vlceribus,vlceratas partes quieſcere & ab actione ceſſare præcipit:hoc eſt,eum ſitum obtinere quo nullus muſculorum laboret. Ex quibus intelligitur in dictis caſibus membra quieſcere quidẽ, cæterũ vim motricẽ operari,aut à cauſa præter naturã pati vt in cõuulſione,dum vel cõtrahit vel cõtractas continet partes.Ita enim in diſtẽto membro morboſa conuulſio vel cõtrahit vel contractos ſeruat muſculos,quãuis ob aduerſæ partis conuulſionem membri cõtractio non ſequatur:ita etiã membri quies accipienda eſt, vt ad ſenſum intelligatur,licet facultas exiguis motibus viciſsim moueat vtrinque.

Cauſæ. Quod verò ad cauſas attinet non leuem habet hæſitationem, cùm priſci illi ſapientiſsimi Hippoc.& Gale.& poſt ipſos reliqui,non ſatis pro rei dignitate ipſam explicuerint.Priùs tamen quàm eorum mẽtem enodare aggrediar, neceſſum eſt monſtrare,medicos omnes ſtuduiſſe diuidere conuulſionem (non iuxta partem affectam,vt de tetano & eius partibus dictum eſt)ex modo agendi cauſarum. Sic enim conuulſionis vnam ſtatuunt ſpeciem,factam per eſſentiam & permanentẽ: aliam verò fientem & per conſenſum,vel quam potiùs appellant motum conuulſiuum,velut is eſt,qui epilepſiam conſtituit. Quibus aliam dictum eſt Fernelium addidiſſe, ex flatu muſculis aut neruoſis partibus incluſo. Hanc etenim differre à prima,vera & permanẽte cõuulſione cõſtat,quia incõſtãs eſt & leuiter ſoluitur,vel flatu reſoluto,licet ſympthomata,& dolores pari modo gignat. Differt etiã à conuulſiuis motibus,licet ambo à flatu fieri poſsint,quòd motus cõuulſiuus comitem habeat naturæ actionẽ:at hæc conuulſionis ſors ſolùm paſsionẽ, vt quæ à morbo fiat, præterquam q; conuulſionem habet permanentẽ interim dum durat, quod epilepſia non habet.Similiter etiam differunt, quia in cõuulſione membrum poſt mortem quieſcit cupiens moueri,in epilepſia verò membrũ præter voluntatẽ mouetur,cupiens tamen quieſcere.His habitis,non erit difficile modũ & naturã cauſarũ inuenire,ſi priùs quid ſenſerint authores dixerimus.Sic aliquando Hipp.5.ſectione aphoriſ.duas tantũ conuulſionis cauſas annumerauit,inanitionẽ nimirũ & repletionẽ(vel vt alij dicunt,humiditatẽ & ſiccitatẽ) nonnunquã verò tres, prædictis addentes conuulſionẽ per conſenſum,quã Arabes ſpaſmũ non proportionatũ ad materiã vocant,nos autẽ motum conuulſiuũ. Quibus etiam quartam addidit Gal.in methodo,nimirum conuulſionẽ ex frigiditate contractam: & vltimò eam, quam ex flatuoſa ſubſtãtia fieri diximus. Nec deeſt Ariſtot.qui.7.de hiſto.ani.cap. 12.ſtatuit pueros maximè omniũ conuelli in plenilunijs,eo quòd tunc tẽporis aër humiditate grauidus facilè neruos puerorum,alioquin infirmos malè afficiat. Præterea numeratur inter externas cauſas vigiliæ & timor, recurrentibus in timore neruis ſimul cum ſpiritibus ad interiora, aut ad originem, quemadmodum in pueris facilè comperimus,ſicut in his frequens ablutio,alui adſtrictio, lac craſsius, ploratus & prauorũ ciborum frequẽtior vſus. Hæc ſanè omnia propoſita ſunt vt conſtet,cui prædictarũ ſpecierum peculiaris ſit dictarum cauſarũ quælibet. In qua quidem re ſtatuendum eſt,in ea conuulſione quæ fit per propriam muſculorũ &

neruoſarũ partiũ paſsionẽ,quæ perpetua eſt & nullo motu interrupta, proficiſcẽte à ſola morbifica cauſa natura nihil agente,triplicem cauſam eſſe: vnã quidẽ repletionem,alteram inanitionem,& tertiam frigiditatem,quã Gal. addidit,non quòd alicui dictarum non poſſet reduci,ſed quòd peculiarem calorificis auxilijs poſtulet curationem. Altera rurſus conuulſio eſt per conſenſum nuncupata: quam potiùs motum conuulſiuũ dixeris quàm conuulſionẽ: prodit qui dẽ hæc non à morbo vt reliquæ tres ſpecies,ſed ab agente natura pelenteq; cauſam ipſam. Huius autem noſcimus duas differentias,iuxta duplicis cauſæ naturam : altera quidem fit, ex morſu à re acri & mordaci illato in partem aliquam principem: cuius conſenſu aut vicinia plures,aut omnes partes compati non rarò conſpicimus. Sic enim ventriculi acerbiſsimus dolor plerumq; in conuulſionem ducit crura,pedes & manus,licet ventriculus principium neruorum non ſit. Altera verò prodit à membro aliquo ex inferioribus, tranſmiſſa in cerebrũ aut neruoſum membrũ halituoſa aliqua ſubſtantia acri & mordaci: cuius ratione morbus cõcitatur, vt hyſtericis fœminis non rarò accidit. Sed quia conuulſio per conſenſum ad caput de epilepſia pertinere cõſtat,ſolùm hac in parte eius quæ fit per eſſentiam cauſas in animo eſt expendere,relegans etiã ad eã parte rationẽ quare in capitis vulneribus eadẽ pars reſoluatur,contraria tamen conuulſiuum motum patiatur.

Primi itaq; generis conuulſionũ ſpecies Auic. diuiſit in materialem , quam humoroſam ſeu ex repletione factã neotherici nuncupant;& in immaterialẽ, quæ ex ſiccitate ſeu inanitione aut euacuatione prouenit : nos autem ex Galeni mente quartam addidimus ex frigiditate ortam, ſimul cum ea quã Fernelium addidiſſe diximus. Ad primam igitur deueniendo quã ex humiditate ſeu ex repletione fieri dictum eſt,ſtatuitur eam fieri ex craſſo humore neruos,muſculum & tendonẽ in latum tendente , quo neceſſum eſt quoad longitudinem coarctari. Sic enim intelligendus venit Auic. qui refert hunc affectũ fieri,cùm reſoluitur humor apoſtematis ad dilatandos neruos. Itaq; craſſus humor breuiores efficit muſculos , quòd eoſdẽ repleat & tumeſcere faciat,haud ſecus quàm funibus & citharæ chordis accidere ſolet,vbi humore madeſcunt: cauſa tamen immediata conuulſionis eſt,doloris quidem ſolutio continui , & huius atque vitiatæ figuræ extenſio in latum,& contractio adeò preſſa vt membrum verſus originem trahatur. At huiuſmodi extenſionem efficere poſſunt omnes humores,ſiue venas,ſiue arterias , ſiue poroſas partes muſculorum,tendonum,aut tunicas neruorum (ea lege quam diximus) repleant,doloroſa & tenſiua affectione.

Dubium. Si quis præfatam doctrinã vt iacet ſolùm expendat,forſan iudicabit aliquo modo falſam: ſiquidem nulla eſt maior plenitudo & in pluribus partibus facta, quã ea quæ in athletarum corporibus viſitur: ſed hæc rariùs commigrat in conuulſionẽ, ergo repletio non eſt potiſsima conuulſionis cauſa: & aſſumptum probatur : nam adeò magna eſt in prædictis corporibus,vt & vaſa rumpantur,& calor natiuus ſuffocatione periclitetur præ nimia copia. Cuius dubitationis gratia ſtatuendum eſt, plenitudinem poſſe tria mala inter alia efficere,primum dum à venis nihil exſudat aut excurrit in alias partes , ſed intra vaſa manens , ſuffocat arteriarum calorem ob nimiam coarctationem: ſecundum quo tempore à venis exilit , aliquid ſed per ora vaſorum in inanitates articulorum,aut partiũ vicinarum excurrit effecturũ articularẽ affectũ: tertiò verò cũ exit quidẽ,ſed ad fibras carneas,aut neruaceas addit,& tũc quidẽ nullo facto abſceſſu cõuulſionẽ efficit. Præterea cõiectãdũ eſt cauſam repletionẽ cõuulſiuã effecturã (ſiue ſanguis ,ſiue quiuis alius ſit ſuccus)

duabus

duabus ſimul iunctis conditionibus id neceſſariò poſſe efficere, ita vt altera deficiente,quantũuis plenitudo magna ſit,conuulſio non ſequatur . Prima ſanè eſt, quòd ſuccus fluxurus in partẽ ſubitò & affatim affluat: nam ea eſt ratio potiſsima, qua efficere poteſt extẽſionẽ doloroſam: ſiquidẽ dolor paſsio eſt ſubitò & affatim ingruens. Secunda autem quòd inæqualiter confluat,ac repleat membri cauitates: quo fit,vt cũ in athletis plenitudo fiat æqualis in omnibus partibus ac ſenſim, nulla ratione doloroſa ſit & conuulſiua.

De ſiccitate verò ſeu inanitione ſcire oportet,ob eam quoque neruoſa corpora breuiora fieri, vt chordis lyræ ad nimiã ſiccitatem ductis accidere conſpicimus, maximè ſi Aquiloni flanti aut igni exponãtur: ſic etenim tenſæ fiunt & adeò retra huntur,vt frequentiſsimè rũpi accidat. Prodit autem huiuſmodi ſiccitas à plurimis cauſis quæ vel nimium ſiccent,vel vltra modum natiuam humiditatem euacuẽt: ſic febres ardentes & ingentes euacuationes , vigiliæ & exercitium prædictum affectum accerſunt, vbi modum naturæ excedunt. Pari penſu medicamenta vehementer purgantia: item impenſa frigiditas, vt Galen. aduertit. 12. metho. ad finem &. 4. aphoriſm. 49. ſic etenim ex frigidæ potu pleriſque conuulſiones euenire conſpeximus. Denique ea omnia quæ neruorum tunicas dilatant,vt neruus contrahatur,aut tendonum & muſculorum ſubſtantiam, & corpus vel coarctant, aut dilatant,ita vt breuior reddatur,ſiue euacuent,ſiue ſiccent,conuulſionem efficere proculdubio nata exiſtunt: nam pari ratione membrum breuius redditur cũ extenditur in latũ,ac dum nimis anguſtatur; hoc quidem à defectu prodit, illud verò ex abundantia.

Dubium. In qua ſanè re dubitatum etiam eſt,an humidorum priuatio conuulſionẽ inducere poſsit: quippe arbitrantur multi ex neotherici ſolam poſitiuã ſiccitatẽ natã eſſe id efficere: tùm quia priuationi operatio quæ ex contrarijs tantùm fit adſcribi non poteſt: tùm etiam,quia euacuata humiditate non neceſſariò videbatur ſequi partes colligi & anguſtari: quinimò aliquando meatus ampliores fieri. Sed rei veritas eſt,quòd facta interim humidi inanitione, vicinæ partes protinus cõniueant, in ſeſeq; concidant vacuum fugientes: ex qua quidem figura ſeu contractione conuulſionem ſequi neceſſe eſt.

Dubium. Videtur etiam perdifficile, ex ſiccitate aut humidi euacuatione conuulſionem fieri poſſe: cùm conſtet in hecticis corporibus maiorẽ ſuccreſcere ſiccitatẽ quàm in quouis alio,& cum hoc nulli eorum ſuccreſcit conuulſio. Item in diuturnis fluxionibus,tùm ventris,tùm ſanguinis,quæ adeò ſint magnæ,vt ad tabitudinem ſeu marcorem hominem ducant,nunquam conuulſionẽ ſuccreuiſſe conſtat: ergo videtur perdifficile prædictã cauſam illi conſignare. Quibus ſanè dubitationibus dicendũ eſt,in hac quoq; cauſa neceſſum eſſe conuulſionẽ fieri,ſi vacuatio,& ſiccitas ſubitò & affatim fiãt, & inæqualiter: nam harum cõditionum defectu in hecticis corporibus nulla fit conuulſio, quia ſiccitas eſt æqualis & lentè facta: in putridis verò & ardentibus frequenter . Item in diutinis vacuationibus non ſequitur , at in cholera morbo non rarò, quia in his inæqualiter inanitur corpus, quia ſubitò , & in illis æqualiter, quia lentè & ſenſim fit euacuatio. Argumento ſunt animalium pelles,quæ ſi tenſæ & extenſæ ſoli aut igni exponantur,corrugari minimè poſsint, quòd æqualiter ſol ipſas exiccet,ſin aliter,protinus contrahentur.

Signa. Signa quidẽ,quæ in hoc affectu mõſtrare aliquid poſsũt,varia exiſtũt: nã quædã affectũ ipſum deſignãt,quibus proculdubio opus nõ habemꝰ, quòd affectus facillimè ſpecimen ſui præbere poſsit: quædã cauſarũ differentiam & naturã mõſtrant,

nonnulla affectam particulam,& rursus alia futurum euentũ in hoc malo docent. Ad secundum igitur signorum genus deuenientes, sciendum est, conuulsionem per consensum facilè cognosci,quòd plerunque ex interuallis repetat, facileque dissoluatur,vt sequenti capite latiùs dicturi sumus.In alijs verò neruosarum partiũ affectionibus non ita facilis est solutio: ex quibus sanè ea quæ ex frigiditate prodit,torpida refrigeratio ab Hippoc. appellata, ex prægressa perfrigeratione facilè noscitur,ab aëre niuoso & frigidissimo,aut ex decubitu supra locum frigidum & nimis humidum.Verùm eã quæ ex ariditate prodit,interrogatione etiã eorũ quæ præcesserunt facilè nosces:nam si præcessisse comperias laborem,vigiliam, solicitudinem,vel aridam æstuantemq; febrem,qualem phreniticis accidit,coniectabile quidem est,ex ariditate conuulsionẽ proficisci:sicuti dum insignis & subita præcessit vacuatio,maximè grauissimis accidentibus insignita. Verùm si contingat aliquem subitò & affatim citra euidentem causam conuelli,vt refert Gale.2.aphorism.26.scito ex plenitudine conuulsionem fieri. Quod quidem vno è duobus modis solet accidere,vt Gal. visum est lib.de rigore & trem.namque aut ex inflammatione principij neruorum,vel spinalis medullæ,aut alterius partis neruosæ,aut vltimò ex succorum prauorũ copia circa prædictas partes prodire est coniectandum.Distingues autem an sic fiat ex signis inflammationis:quòd si hæc non affuerint,iterum specialiùs inquires,nunquid ex plenitudine simpliciter dicta, aut ex ea quæ est vnius tantùm succi conuulsio proficiscatur, vt sæpè accidit ex frigidis, & glutinosis humoribus neruosas partes nutrientibus,vt Galen.placuit. 2. aphorismorum.26.Plenitudinem autem distingues,cuiusuis sit humoris,signis quæ capite de dolore capitis abundè scripsimus.Verùm si cum anxietate & grauissimis doloribus maximè oris ventriculi conuulsio fuerit,scitò æruginosam bilẽ mali causam esse,quam proculdubio reduces ad conuulsionem ex inanitione,licet non ita insanabilis sit,ac ea quæ defectu humoris prodit:sic etiã eam conuulsionẽ,quæ ex frigore orta est,vt Galen.aduertit.5.aphorismorum.17.&.12. metho. ad repletionem reduces:cogit enim neruosorum corporum substantiam adeòq; constringit, vt diffationi inepta efficiatur,& propterea repleri cogit,vt idem Galen. aduertit 6.aphorism.13. Si tamen corpus siccum excarneq; fuerit, excrementisq; carens, frigiditas penetrãs exiccare & exsuccare partes facilè potest, & ob id inde obortа conuulsio ad siccitatem reducenda venit. Signa verò quibus partem affectam cognoscimus,ad tertium hunc locum distulimus,vt quæ præsagationi plurimum profutura speramus esse. In qua re arbitrandum est,non perpetuò in quauis parte conuulsa eandem esse sedem affectam, cùm cerebrum ipsum interdum noxam suscipiat,maximè in epilepsia:nonnunquam spinalis medulla,vt in tetano: interdum verò neruosa musculosaque substãtia alicui motioni peculiari dicata.Quod sanè promptè dignosces:nã si vnà cum toto corpore facies quoque musculi conuellantur,coniectabis cerebrum proculdubio esse affectum,vt Galeno placuit. 3. de locis aff.Quòd si prædictæ partes illesæ sint,reliquo corpore affecto, spinæ initium affici coniectandum est:at si pars alia citra alterius commercium afficiatur, neruum aut musculum illi subseruientem esse affectum constabit. Si verò caput antrorsum conuertatur,& mentum pectori annectatur,duos musculos anteriores caput flectentes laborare est coniectandum:si tamen in dorsum & scapulas contorqueatur,ex duodecim musculis caput exercentibus in posteriori parte colli,aliqui vel omnes affici:at cùm ceruix erecta & immobilis manet in neutram partẽ incuruata,vtriq; musculi afficiũtur.In strabismo,hoc est,oculi cõtorsione, musculi

qui ipsum mouẽt conuellũtur: sic in mandibulæ contorsione temporales musculi,vel nerui à secunda & tertia coniugatione:si verò labra & buccæ contrahantur, & pars ægra sanam ad se trahat,latus musculus ex quo musculi nariũ, supercilliorum & labiorum fiunt,vel nerui à primis vertebris & ramis tertiæ coniugationis proculdubio læduntur.Verùm si vtraque pars,dextra similiter & sinistra conuellatur,musculos vtrinque esse contractos scito:nam maxillares musculi os & labra in latera diducũt,ita vt dum conuellũtur ægri,risu appellato sardonico afficiantur.

Verùm vtra harũ conuulsionum deterior sit,iam audies: primò enim eam faciliorem iudica quæ per consensum fit,nisi pertinax sit frequentiusque repetat, aut ex causa in cerebro fixa oriatur:grauiorem quidem eam quæ primario fit affectu, & quæ ad plures corporis partes sese extendit,aut ad vniuersum corpus vel principem aliquam particulam,vt respiratione hoc affectu læsa videre est, vel gula aut ore ventriculi,nisi febris superuenerit,in quo casu spei nonnihil subest. Sed longè vtilius arbitror esse futuram conuulsionem in febribus prænosse, quòd grandioris sit periculi, vt docuerat Hippoc.5.aphorism. 68. dicens in acutis febribus spiritus offendens malum.Præterà insanabilem conuulsionem iudicabis eã, quæ ex luxatione vertebrarum prodierit.In vniuersum tamen sanabilem,aut insanabilem, facilem aut difficilem ex natura conuulsionis,sed maximè ex causis veniaberis:quippe conuulsio ex cerebro læso,ex vulnere,ex sanguinis profusione,ex superflua purgatione,ex ebrietate,tandem ex febre exitialis censenda est.Ex siccitate verò orta vtcunque sit siccitas,curatu omnino difficilis,& plerunque prorsus insanabilis,maximè si ex febre oriatur,vt Galen.placuit.12.metho.& lib.de rigore.Si autem conuulsio ex plenitudine fiat,superueniente febre curatur,idque eadem die aut intra tertiam, vt Hippocr.refert.4.aphorismo.57.& lib.de locis in homine, &.2. aphorismo. 26. De conuulsionibus autem alijs morbis succrescentibus, varias reperies in aphorismis & multis alijs in locis sententias:nam epistola ad Demetrium inquit Hippo. conuulsiones omnibus morbis atræ bilis succedentes atram bilem sedant: quod profecto non est omnino verum, sed in his speciebus melancholiæ quæ delirium inferunt, si tamen alium affectum creet longè pernicioſa est in eo conuulsio.Est tamen conuulsio acutus affectus ob accidentium grauitatẽ,diuturnus verò ob peculiarem naturam & causas.In qua re statuendum est, quòd licet ex Hippoc.5.aphorism.6.& ex Gale.in comm. elici possit tetanũ quatuor diebus interimere,experimẽto tamen fidissimò comperimus vltra hunc terminum posse protrahi,maximè in pueris (præsertim si lumbricorum causa succrescat) quibus negauerat Ætius sicut & senibus hũc affectum succrescere posse.Cõstat tamẽ cũ hoc ex Gal.3.prog.comment.36.eis frequentiùs accidere, inquit enim de conuulsione hoc loco disputat,quæ non in parte vna corporis, sed in omni eo infestet, quæ in pueris promptissimè euenit,sed magis lactentibus: quos etiam lib. 1. epi. part.2.comment.24. cõuulsionibus propter neruosi generis infirmitatem opportunissimos appellauit.Præterea statuendum est,conuulsionem quæ fit à dorso longè grauiorem esse ob spinalẽ medullã, cuius morbos exitiales arbitratur Plato in Thimeo.Sit ne pueris lethalior cõuulsio, nõ est in animo ex authorũ sententijs dirimere,quia ex aduerso ferè omnes oppositã scribũt,sed ex euentu: quippe longè plures pueros comperimus conuulsionibus interire quàm adultos.

Præsagiũ.

Si quis quæ hucusque dicta sunt diligenter examinet,proculdubio reperiet omnino esse impossibile,vel saltim perdifficile, vnã scribi curandi viam & rationem conuulsis omnibus proficuam: quare methodo & ratione ostendere oportebit,

Curandi ratio.

quid omnibus & ſingulis profutura ſint. Quod ſanè vt rectè facias, ſcito, tot eſſe vniuerſalia curationis theoremata, tot etiã peculiaria auxilia, quot & cauſas & differẽtias reperiri in hoc malo antea diximus.

Si ex torpida refrigeratione fiat.

Quòd ſi alicui partes aliquæ, vna aut plures conuellantur, mox à cauſæ integra notitia, (vt ſi conſtiterit ex perfrigeratione cõtigiſſe) diſtinguendum protinus eſt, ſit ne corpus humoribus plenum, febre tamen carens, vel febrem ſibi comitem adduxerit ſimul cum conuulſione & torpida refrigeratione: aut rurſus corpus excarne exiſtat & vacuum excrementis: quippe hac diſtinctione minus aberrare cõtinget. Sic dum febris præfuit, aut ſuccreſcit ob humorum & prohibiti effluxus abũdantiam, ſanguis quidem mittendus eſt, non tamen ſemper mox ab initio: quippe differre oportet donec denſa cutis aperiatur, ac humores vi & efficacia caloris febrilis liquentur, attenuentur & fundantur, aliquio læſurã ſperabis ſanguinis detractionẽ: nam hæc eſt potiſſima ratio propter quam vulgus vereatur refrigeratis ſanguinem mittere. Cæterùm dum pleno accidit corpori, dubitandum non eſt, à ſanguinis detractione eſſe auſpicandum: nam quantumuis refrigeratio præceſſerit, conſtat hæc corpora conuelli, quod quotidianus effluxus prohibitus ſanguinẽ fundat repletionemque maiorem efficiat, & ſubinde conuulſionem: præterquam quòd niſi corpus priùs vacuaueris, non ſine periculo topicis auxilijs vteris. Quapropter in hoc caſu medio prorſus modo incedendum eſſe arbitror, nimirum ſanguine protinus miſſo, cæterùm parcius: ſicut dum torpida refrigeratio magis vrget (in qua Hippocra. omnino interdixit ſanguinis detractionẽ dicens lib. de coacis præ. ſanguinis detractio in perfrigeratione torpida mala eſt) etiam ſi febris ſuccreſcat, primo mali acceſſu calorificis auxilijs vtendum fore, quibus humores qui frigore concreti, ſpiritu & calore exortes, ac ob id veluti immobiles facti, ad antiquum & natiuum ſtatum redeant, vt per venæ ſectionẽ liberè poſſint fluere. Nam hæc eſt differentia in adhibitione topicorum calidorum corpori pleno citra refrigerationem, quòd humores cùm ſint ſecundùm naturam, funduntur eis adhibitis & fiunt præter naturam tenues, ac ſubinde facilè ad affectum locũ confluunt: at in torpida refrigeratione, dum conuulſionem efficiunt & concreti ſunt præter modum & naturam, calida auxilia ipſos liquant ac redigunt ad ſtatum naturalem, nõ ad tenuitatem fluxilem & præter naturam, quinimo ipſos diſponunt vt vena ſciſſa faciliùs fluere poſſint, & ob id ante ſanguinis detractionem lege & diſtinctione nuper adductis, prædictis calorificis ipſos & denſatas frigore partes dilatare oportebit mollibus frictionibus ex oleo ſeſamino, liliorum, iaſminorum & naphæ, cum ſemine angelicæ. Quòd ſi id prodeſſe non videatur, præſertim victus & potus parſimonia inſtituta, tranſactis ad minus quatuor diebus, & facta leui humorum fuſione, ſanguinem ex baſilica lateris dextri fundes, parcè tamen & facto prius diligenti examine, ne humores adhuc congelati ſint: ac ſi fuerint, ante ſanguinis detractionem iterum fundantur: quod ſane facies dum ſæuitia dolorum plurimum non vrget: quo tempore ſatius eſt calorificis & anodynis frequentiùs vti, donec profuiſſe conſtiterit. Verùm ſi adhuc humores congelatos eſſe comperiamus, vt pulſus paruitas, extremorum frigiditas, coloris in plumbeum mutatio perbellè monſtrãt, neque nõ hirſuta & frigida cutis, & reliquorum corporis membrorum torpida motio, tanquam à graui malo fugiendum eſt à ſanguinis detractione, curandumque omni arte humores calefacere & fundere, & poſteà modicum purgare, ac interim dolores lenire anethino, dialthea, heſipo, oleo liliorum, de ſemine lini & ſeſamino. Quòd ſi adhuc hæc omnia non videantur profuiſſe, ad balnea aquæ dulcis calidæ con-

confugiendum eſt, & partem conuulſam à balneo vnges emplaſtro meliloto, oleo liliorum liquato. Præſtat & anſeris pinguedo hoc modo præparata: accipe cutem in minutas partes diuiſum, & pone intra anſeris vẽtrem, item chamæpitis. m. j. pinguedinis porci, b delij, & caſtorei anà. ʒ ij. excipiatur pinguedo dum aſſatur, & vſui ſeruetur. Partes item conuulſas multa lana ſuccida inuolues, aut in pelle cuiuſdam animalis nuper mactati. Per os autem porriges theriacam cum modico vino, vel caſtorei. ʒ ß. cum oleo amygdalarum dulcium. Verùm ſi refrigeratum corpus excarne ſit, & excrementis vacuum, curandi ratio ea inſtituenda eſt, quam in conuulſione ex ſiccitate dicturi ſumus.

Si ex plenitudine fiat.

Quæ ex plenitudine oritur conuulſio, licet multiformis exiſtat, vnã tamen habet communem curandi viam & rationem, euacuationem nimirum. At quia partes diuerſimodè & à diuerſis humoribus repleri facile poſſunt, ob id vacuãdi ratio varia exiſtet, iuxta diuerſorum humorum ideam. Replentur enim partes ex humore inflammationem efficiente, aut ab eodem tantùm diſtenduntur, citra vllam inflammationem. Habent hæ duæ repletiones id commune, quòd ambæ & ratione ſui & ratione doloris ſanguinis detractionem expoſtulent, copioſiorem tamen ea quæ inflammationem parit. Item ambæ victum præſcribũt tenuiſſimum, cuius modi eſt pullorum caro aut ius pullæ, pyrum aſſum aut ſaccharo cõditum, vel gallinarum hepata aut oua ſorbilia. Vinum item ambo renuũt, & puram aquam amãt: habitationis locum ſibi vendicant calidum, non calidiorem vt conſulit Hippocr. lib. de locis in homine ſtantuens ſummo mane ignem ab vtraque parte lecti ſuccẽdi, & ibidem perpetuò eſſe. Sed vt quæ cum inflammatione viget conuulſio, aut quæ ex copioſiori fit ſanguine, ſaltim in capite vigente plenitudine, copioſiorem expoſtulat ſanguinis miſſionem bis terue factam, ac ſi vires permiſerint, donec doloris ſæuitia miteſcat (licet non confertim & ſubitò, ſed per vices & interualla: nam ſæpe vt Gal. refert. 2. ad Glauc. ſudores & animi deliquia quæ ſuccreſcunt, id interdicunt) ita prorſus cui adiũcta eſt crudorum aut craſſorum humorum copia, facta priùs ſufficienti præparatione hydromellite ex origano aut ſthœcade & betonica, largiùs purgabis. Purgationem autem inſtitues phlegmagogis medicamentis, exagarico nimirũ, diaphenico cũ expreſſione cartami, aut ſyrupo ſolutiuo & addita mulſa, tandem eis quæ capite præcedenti adduximus.

Corpore itaque pro humoris idea & conditione præparato purgatoq; aut ſanguine miſſo, & interim etiam dũ hæc fiunt, ad peculiaria auxilia deueniendũ eſſe cõſulit dolorum ſæuitia, & poſteà ad ea quæ reliquias humorũ conterere e nata ſunt. Quæ primum autem ſcopum complent, & quæ mox à principio adhiberi poſſunt, ſunt oleum dulce ætate medium, amygdalarum dulcium, ſeminis lini & dialthea cum mucillaginibus pſylij, ſeminis lini, citoniorum & fœnugræci. Sed pretioſius eſt in inflammatorijs affectibus vnguentum reſumptiuum cum lacte mulieris, quibus & lana partem inunges & inuoluęs, curans vt calor ſemper conſeruetur, adhibens parti in his quæ non ita inflammatione vigent, veſicam aliquo ex prædictis oleis calido ſemiplenam, vel ſacculũ ex ſemine lini, fœnugræco, camemalo & ſale. Interim tamen articulos linteis calidis modicè calefacies, ſi inflamatio id non vetuerit. Verùm ſi inflammationem iam abijſſe compereris, aut inflammatorius non fuerit affectus, ſed ex craſsis viſcidiſq; humoribus ortus, ab his quæ diximus ad maiora te conferes. Inter quæ ſanè authores non contemnendi, ſed maximè in tetano, venã quæ in primã dorſi vertebra eminet & deorſum vſque ad ſacrum os per ſummum vertebrarum ſpinæ perreptat, ſcindere iubent: qua profectò ſciſſa per deriuationem

tionem à collo, quidquid humoris pituitosi musculos conuellit, extrahitur: quòd si vel id iusta aliqua causa non audeas, aut ipsa vena non appareat, eo in loco cucurbitas cum scarificatione affiges, sublato tamen omni fluxionis impetu & motu, ac progresso iam morbo purgatoque corpore: in accessione tamen doloris citra scarificationem adhibere Aurelianus consulit. His factis ad efficaciora te cõferes auxilia, quale est oleum lumbricorum cũ assungia humana & oleo therebintinæ æquis portionibus. Præstat etiam balsamium, oleum rutaceum, laterinum, irinũ petroleum, assungia gallinæ, anatis, leutræ, taxonis & huiusmodi, quibus modicum aquæ vitæ admiscebis cum pulueribus castorei, myrrhæ, aloës, croci, & nucis muscatæ. Præstat vnguentum marciaton & aragon, oleum de costo, & de piperibus cum assungia anguilæ: fouentur etiam conuulsæ partes decoctis herbarum discutientium & remollientium, vt paulò inferiùs referam.

Si tamen alia, quæ multis proficua esse videntur experiri libuerit, accipe vulpẽ pinguem pelle detracta, & minutim incisam cum caryophyllis, lauro, angelica, radice altheæ & liliorum anà ℥ ß. radicis acori ʒ ij. camepiteos, costi, maioranæ, & calendulæ anà p. ij. florum anthos, meliloti & camemali anà p. j. omnia in mortario contundantur cum oleo de vermibus, & his omnibus altera vulpes repleatur, & optimè consuatur asseturque cum aspersione aquæ vitæ & modico aceto, & eo quod instillat, vnge affectam partem. Idem quoque facies si vulpem coxeris, nam pingue quod supernatat, vtilissimum est. Eiusdem beneficij est, partem conuulsam inuoluere pelle cuiusdam animalis nuper excoriati.

Quibus factis, ad balnea confugiendum est, quæ tanquam præstantissimum auxilium multis modis pararunt antiqui. Primũ enim conficiunt ex hydreleo æquis partibus aquæ & olei cõmixtum, quod oportet esse temperatius, ne vires laborãtis dissoluantur. Quod si adhuc ferre non potuerit, solis irrigationibus vtendũ est ex decocto altheæ, fœnugræci, seminis lini, camemali, roris marini & similiũ, à quibus partẽ inũges oleo irino cum castoreo. Semper tamen in omnibus præsidijs memoria habendum est, ne confertim multũ exiccemus: nam sæpe hac occasione tendines scirrhi naturam contraxisse comperimus, & ob id mancũ superesse hominem.

Consulit tamen Hippocra. in huius affectus curatione certis quibusdam conditionibus frigidam aquã superinfundere, idque maximè in tetano, quod sanè præsidiũ quia omnino tutum non est, iustè præter mitto. Iubent etiã ex vetustioribus & recentioribus medici non pauci Hipp. decreto moti. 5. aph. 70. in hoc affectu febrẽ excitare, ad minus diariam: quod sanè mihi tutum præsidiũ nunquam visum fuit: quòd eam pacare sit perdifficile, & plerũque suspectum. Præterquam quòd si leuis excitetur deterior efficitur, vt constat historia filij Numeni, cui apoplexia correpto leuis accesit febricula, & quia non valuit nisi humores fundere, occyus interfecit: magna enim si excitetur, pressius & grauius efficit periculum, ita vt tutius cõsilium sit, nullam excitare.

Si ex siccitate fiat

Si ex siccitate fiat cõuulsio, vt quæ summè difficilis sit curationis, si possibile fuerit, inhibenda præcauendaque potiùs est: & ob id in febribus æstuosis vbi id malũ veremur, frigidæ potu, bãlneis, inũctionibus & alijs huiusmodi, quæ ca. de causone libro nostro de febriũ curatione diximus, adhibere oportet. Quòd si iã hominẽ apprehẽderit, causa pri' cõsideranda est: quippe in pleriſq; ex calore aut colliquãtibus febrib' si acutæ sint, adeò arida siccitas introducitur, vt subitò casu partes cõuelli eõ; spiciamus: in alijs verò exuperãs vacuatio affatim & subito facta. Atq; licet communem quandam curandi viam & rationem vtraque siccitas expostulet, nihilominus, tamen,

tamen, iuxta causæ diuersitatem & naturam nonnihil curationem variare oportebit. Nam his qui ex calore & febre conuelluntur, licet refici expostulent, magis tamen ex vsu est balneum dulcis & tepidæ aquæ: alijs verò qui ex vacuatione, humectatio per alimenta, & ea qui deperditam substantiam reficiunt citra balneum. Sic omnibus proficua est ea victus ratio quæ humida sit & optimi nutrimenti, vt forbitiones & contusæ carnes, maximè pullorum, gallinarum, hædorum, capreolorum, ranarum & piscium: item prædictarum carnium iura cum oleribus aut ptissana. Potus sit hordei aut cinnamomi aqua, vel cui admixta sit syrupi violarum portio: tandem vita omnis velut hecticis instituenda est. Prætereà siue exsiccitate, siue exinanitione prodeat conuulsio, leui frictione corpus tractare erit opus, idque summo mane, & mox inungere oleo dulci vel amygdalarum dulcium, sesamino aut hydreleo, vel vnguento resumptiuo: tandem lacte mulieris spinam madefacies, & modicè refrigerantibus ob febrem, ac humectantibus ob neruorum siccitatem vteris. Post quæ si vires permiserint, ea lege quam diximus balneis vtendum est, vel fomẽto q.r. aquæ hordeaceæ li. ij. foliorum lactucæ. m. j. florum violarum p. j. olei amygdalarum dulcium & violarum anà. ʒ j. fiat decoctio ad consumptionem aquæ: & fiat fomentum admixto modico lacte, aut citra ipsum. Verùm si his iterũ atque tertio factis affectus non quieuerit, partem conuulsam iterum madefacies oleo violarum & fotibus qui fiant ex decocto maluarum, violarum, altheæ, extremitatum arietis, addito oleo liliorum, violarum, sesamino & butyro cum modico radicis mandragoræ, assungiæ porcinæ, castorei & vini penetrationis gratia, ac ne nimis frigida noceant. Quòd si in scirrhosam duritiem pars concrescat, vt tensa ligamenta laxentur, ex vsu esse solet cruor bouis recenter mactati, donec actualis calor euanescat. Præstat & pinguedo omnis, & omnis mucillaginosa gummosaque substantia, ex quibus facile erit varias medicamentorum formulas effingere huic malo proficuas, maximè si cuiuis admisceas pinguedinis anguilæ, ranæ aut anguis nonnihil.

Si ex vulnere fiat.

Accidit ex vulnere conuulsio vna è tribus rationibus: prima quidem ex immodica sanguinis profusione, cui subueniendum est restincto ipsius fluore & optimis alimentis: secunda ex nerui aut neruaceæ substantiæ punctura: tertia verò ex eiusdem partis inflammatione. Quamobrẽ (prætermissa ea, quæ ex nimio fluore prodit, vt quæ consimilem expostulat curationem ei quę ex inanitione fit) duplex erit in hac parte curandi via: prima quidem inflammationi idonea, & secunda punctura. Circa primam, tutum profectò mihi in vulnerum curationibus semper visum fuit, peculiari diligentia inflammationem prohibere: nam vbi semel neruosæ partes inflammantur, periculum est, ne ob cerebri consensum deliria & conuulsiones succrescant. Cui vsui, præmissis per sanguinis detractionem sufficientibus euacuationibus, neque non & per exquisitissimam viuendi rationem, tenuissimumque victum, calente oleo principia neruorum & germina ac eorum processus fouere oportet: ita vt si affectus sit in brachijs aut manibus, alas, spinam & caput inungas: si in crure, spinam & inguina. Vlceris verò eam habebis prouidentiam, quã 5. & 6. metho. Galen. docuit. Quòd si his factis adhuc pars inflammetur, maximè si vsus fueris lenientibus & mitigatorijs auxilijs, vlteriùs sanguinem mittes & partem inunges oleo lumbricorum, rosarum & lacte, aut oxicrato longè à parte affecta admoto. Verùm si conuulsio delirium & febris his etiam adhibitis crescant, laboransque in discrimine videatur, extremum quoque præsidium tentare oportebit, nimirum neruum præscindere: quod si renueris, scito malum grauius & lethale futu-

futurum,quippe ex vulneribus conuulsio per proprios neruos repit, moxque ad neruorum principium malum peruenit,vt iam in totum corpus affectus fundatur,velut circulo quodam à neruis orta affectio rursus in neruos remeat,quòd mutuus sit inter cerebrum & ipsos consensus.In punctura verò idem consilium seruare oportet,& medicamenta parti apponere quæ diximus lib.2. de præsidiorum recto vsu:interim tamen vulnus latius reddes,& aperto foramine oleum de terebinthina infundes, vel de euphorbio cum galbano, & vlcus ad cicatricem tardiùs perduces: quòd si hæc non profuerint, neruum & tendonem etiam præscindes.

Licet communi quadam ratione conuulsiones omnes curari posse dictum sit, sunt tamen speciales quædam causæ vel partes conuulsæ, quæ peculiaria etiam expostulent medicamenta & medendi prouidentiam. Sic ex æruginosis vomitibus conuulsio(quæ licet ad inanitionem pertineat humoris,illius quoq; vbertate efficitur)clysmatis & purgatione ex rhabarbaro cũ sero lactis aut syrupo ex infusione violarũ,vel mãna aut alio simili curãda est.Interim tamẽ sedabis cõuulsionẽ potibus aquæ feruentis,vel aqua portulacæ cũ succo violarũ,aut amygdalarum dulcium lacte,vel expressione seminũ frigidorum, aut syrupo ex mucilaginibus: & tandem his quæ vel sensum stupefaciunt, vel humoris acrimoniam retundũt & compescũt.Si tamẽ ex epoto sit veneno,alexipharmacum veneno aduersum porriges, aut multis cibis & potibus laborantem replebis, vt venenũ retundatur mitiusq; fiat:antè tamen vomitibus ipsum repellere curabis. Atqui si venenum sit à fera vel à venenato aliquo animali eiaculatum, post alexipharmacum protinus cucurbitam cum multa flamma parti demorsæ affigere, vel eam ferro candenti vrere oportebit, vel etiam alexipharmacũ ei apponere.Verùm si ex luxatione conuulsio prodeat,frustra est auxiliares manus adhibere, ante quàm luxatũ os in propriam sedem reuertatur: sat enim eo tempore erit lenientibus & mitigatorijs auxilijs dolorum sæuitiam frænare.

Canina cõuulsio.

Nulli etiam dubiũ arbitror,quin canina conuulsio seu risus sardonicus ex conuulsione vtriusq; lateris prodeat: nimirũ maxillaribus in latera os & labra ducentibus cõuulsione correptis & retractione ad originem,ita vt ægri perpetuò ridere videãtur.Qua ratione cẽseo ab Arist.3.de part.animal.cap.10.dictũ fuisse,ictu traiectũ diaphragma in prælijs risum attulisse:& licet ipse id referat ad calorẽ quem mouet vlcus,quo facta alarũ titilatione mens mouetur præter voluntatem,nihilominus tamen cùm risus sit sardonicus,& septo sauciato pleriq; ita ridendo morian tur, causa potiùs referenda videtur ad diaphragmatis neruos ex tertia & quarta ceruicis vertebra ortos, à quibus ramuli quidam in maxillas & labra inseruntur, vbi qua parte ad diaphragma perueniunt,fuerint conuulsi, vnà quoque secũ ramulos illos musculorũ faciei contrahũt,quibus maxillæ & labra hinc inde præter arbitriũ agitata risum quendam repræsentant.Sic Hippoc.5.popul.Tichoni refert in obsidione circa Datũ à catapulta perculso in pectus,paulò pòst superuenisse risum.Semper enim affectio hæc ad musculum authorem illius motus qui læsus est, referri debet:& cùm ambo musculi conuelluntur, proculdubiò canina conuulsio risui persimilis prodit. Verùm cùm alter musculorum conuellitur, ad sui solùm originem buccam agit, ac reliquam quæ sana est secum etiam rapit, non minus oris tortura(non tamẽ risum) efficit ac dum resoluitur altera faciei pars. Est tamẽ differentia, quòd in resolutione seu paralysi sana pars ægram & resolutam ad se trahit,in conuulsione verò,conuulsa sanam.Quod sanè dignosces ex dolore partis quæ

quæ reliquam trahit,si conuulsio sit,sin aliter nullus adest dolor. Præmissa hac affectionis natura statuendum est, curandi rationem communem habere cum cæteris cõuulsionibus,quatenus ad affectus naturam attinet:verùm cùm hæc peculiaris quædam affectæ partis conditio,& venarum quæ in affectum concidunt, in causa est,cur necessum sit eius affectionis specialiùs meminisse:quippe quæ certa quædam auxilia expostulet,quæ alijs conuulsionibus profutura nõ sunt.Quapropter in peculiari curatione obseruandũ est præter vniuersalia & cõmunia auxilia, sanguinẽ esse mittẽdum ex venis quæ sub lingua sunt. Quod sanè opus nõ temere & vt cũque aggrediendum est,sed si lingua intumuerit, aut humorum occasione torpida sit.Quo facto,materiam purgationi parabis melicrato ex decocto acori & sthœcados cum cinnamomo & nuce muscata:moxq; purgabis agarico, cartamo, diaphœnico cum syrupo ex infusionibus rosarum,vel pilulis cochijs aut Arabicis. Ac si res vrgentissima sit,purgabis hiera Pachij descriptione Scribonij,quæ sic conficitur.Recipe pulpæ colocynthidis.ʒ.iiij.opopanacis & sagapeni anà.ʒ.j.& grana vij.marrubij,sthœcados,agarici,camedreos,petroselini,aristolochiæ rotũdæ,piperis albi anà.ϑ.ij.cinnamomi,spicæ nardi,myrrhæ,seminis angelicæ,croci,anà.ϑ.ß. &.g.iiij.opopanax & sagapenũ in mortario tũdãtur cũ modico syrupo sthœcados, & reliqua in puluerẽ redacta cũ melle,quod sufficiat fiat electariũ:cuius sume.ʒ.j. castorei.g.iiij.dissoluãtur in aqua mulsa & fiat potus.Purgata itaq; materia,ad topica auxilia deuenies,& primò ad id quod recipit radicis altheæ.ʒj.seminis fœnugræci conquassati ʒ.ß.fiat decoctio in oleo conuenienti, & aqua saluiæ, & facta forti expressione,vniuersa ceruix inungatur, deinde cum lana succida partes affectæ & ceruix ipsa muniantur.Facta quidem hac inunctione, veteris oris collutionibus, gargarismatis & caputpurgijs, quibus & pars affecta & caput ab humorum copia expurgantur. Sic palatum illinies eo quod recipit nucis muscatæ, pyrethri anà.ʒ.j.piperis, sinapis anà.ʒ.ß.decoquantur omnia in ϑ.viij.mulsæ & vtere. Masticare etiam radicem angelicæ prodesse scribitur, nec non mastiche admixta. Præterea vt materia euacuetur & suaui rerum aromaticarum accessu caput recreetur, ore teneat laborans acorum conditum, zingiber conditum, nucem muscatam, aut frustum ambræ grisiæ. Probatur etiam hoc caputpurgium quod recipit anagaladis quæ cæruleum habet florem panis porcini,nucis muscatæ,cucumeris syluestris,acori & pyrethri anà.ʒ.j.conquassata omnia bulliant in aqua maioranæ, ex qua instillentur quinque aut sex guttæ in nares ægro supino, vel nares intrinsecus madefiant prædicto liquore. Quibus factis, partem affectam & capitis posticam inunges vsque ad quintam vertebram oleo sicionio, de squilla, de piperibus, de terebinthina cum bdelio, opopanace & galbano.Idem beneficium præstat oleum de enula, crocinum,de ligno sancto, de styrace,lumbricorũ, de euphorbio,de castoreo,& assungia humana.Huic etiã affectioni proficua est inunctio quæ cõficitur hac lege: Sumatur anser & abiectis intestinis, post eà catum minutim incisum in eius vẽtrem immitte cum ladano, myrrha & thure,& facta sutura assetur,cuius pinguedo recipiatur in vase aceto pleno,& concreta ibidem pinguedo vsui seruetur:ac in eodem aceto alius anser coquatur,ex cuius pinguedine cum priori admixta vtilissima paratur inunctio.

Veteris etiã,morbo eunte in declinationem,emplastris meliloto & ceroneo malaxatis oleo rutæ,aut aliqua ex supra dictis.Prodest & sacculus qui recipit pulicariæ,herbæ paralyseos,origani,calamenti,foliorum lauri & rutæ anà.m.ß. florum sthœcados, saluiæ, sambuci, anà.p.j.radicis pyrethri.ϑ.j.fiat sacculus, qui vino

irroratus & calens parti adhibeatur: ex his etiam herbis fieri potest cum aceto decoctio, cuius vaporem pars affecta suscipiat. Quòd si nec hæc quidem omnia prodesse videantur, cucurbitam secundæ & tertiæ vertebræ affige, modò conuulsio non sit per consensum. Quòd si inueteratus fuerit affectus, post aures aut in ceruice consilio Rasis cauterium affigere oportebit, ferro candenti vel potentiali factum, cuius naturæ sunt dropaces & sinapismata.

De epilepsia & quomodo ex sanguine fiat, ac de motu etiam conuulsiuo. Cap. XVI.

EST epilepsia motus vniuersi corporis conuulsiuus, nō tamen perpetuus, cum mentis ac sensium oblæsione propter prauam materiam cerebrum irritantem. Dictum namque est præcedenti capite, cōuulsionem inter alias quas susceptat differentias, vnam hanc potissimam obtinere: nimirum quandam fieri in musculo, tendone ac partibus eorum primariò affectis: quādam verò eisdem partibus simul cum cerebro & exortis ab eo, consensu quodam læsis. Cuius sanè diuisionis prima pars complet caput de conuulsione: secunda quidem complectitur omnem motum conuulsiuum, in qua forte epilepsia locum habet.

Nomen. Epilepsia grauissimus quidem corporis affectus, ita profectò dictus quòd detentio sit & superiorum corporis partium oblæsio: quæ affectio ita facilē capiti habitum præstat, quòd vel difficulter soluatur, vel in malum grauissimumq; morbum promptè degeneret, vt non nisi grauissimis auxilijs curari queat. Sortitur præterea nomina, iuxta variam authorum circa ipsum æstimationem: quidā puerilem appellarunt morbum, quòd frequentiùs pueri eo corripiantur, vt Hippocr. lib. de locis aqua & aere, insinuare videtur. Verùm si quis diligentiùs Hippoc. ea parte legat, &. 3. aphor. 25. reperiet eò pueris esse familiarem, quia eorū natura ad conuulsionem prona existat, cùm constet conuulsionem pueris esse familiarissimam. Alij morbum Herculeum appellarunt, considerantes eius vehementiam, quæ tanta est, vt & validissimos quosque viros, & Herculem ipsum deuincere ac superare queat: non quidem quòd Hercules hoc affectu laborasset, quod Galen. voluit, licet Arist. authore Hercules alter epilepticus fuerit. Pleriq; etiam medicorum appellant morbum comitialem, quia frequenter in conuiuijs eo plures homines corripiebantur. Quod nomē creditur fuisse inditum à Romanis, quibus congregatis per Kalendas Ianuarias ad magistratus eligendos, facilè ob conuiuij vbertatem hic morbus præsto erat. Alij rursus epilepsiam nominant, sumpta vocabuli etymologia à superioris & præstantioris corporis partis læsione. Vltimò apud plerosq; nominatur morbus sacer, quòd multis profectò rationibus illi esse inditum arbitror: vna quidem, quia apprehendit cerebrum, mentis nimirum sedem, quam sacram Palladis arcem antiqui appellarunt: secūda quia apud comicos antiquos sacrū dicebatur, quod in sua specie erat maximum: quo significato apud medicos os sacrum dicitur postremum dorsi, quòd maior sit inter omnia eius ossa: tertiò verò morbus sacer vocatur, quia detestabilis est, sacras enim nominabant res detestabiles antiqui, vt apud Poëtam: Auri sacra fames. Quartò insuper vt nōnulli asserunt sic dicitur, quòd diuinus videatur morbus, hoc est à dijs in vindictam

ctam & supplicium immissus, iuxta illud Hippocr. 1. prognost. Et si quid diuinum in morbis habeatur, illius quoque edisscere prouidentiam conuenit: vel vt Areteus refert, quòd humana ope tolli non possit, sed diuina, aut quòd dæmone correptus homo videatur: vt ipse inquit. Vltimò quidem huiusmodi affectum lunarem morbum multi nuncuparunt, quia interlunio nati obnoxij huic malo existimantur: vel potiùs quòd motu lunæ moueatur & repetat, maximè quidem in his qui concepti sunt fluentibus mensibus, ob impuritatem sanguinis menstrui, qui plerūque lunæ motum sequitur. Areteus etiam addit elephantiasim quādoq; dici, quòd nullo remedio superari possit. Verū licet varijs insigniatur nominibus, nō ob id sequitur diuersam obtinere naturam, sed omnia vnica ratione cōuenire. Huius sanè affectus vt exactè constet substantia, nosse oportet quale sympthoma in genere sit, à quo cerebri morbo prodeat, quas causas habeat, quibus etiā constet differentijs, & quibus signis quæuis cognosci queat: vltimò verò qua nam ratione curetur, iuxta varietatem specierum quibus constat.

Epilepsiæ diuisio. Sed antequam has partes exponendas suscipiam, vt innotescat magis huius affectus natura, quam in conuulsione per consensum sitam esse diximus, expedisse oportet, cerebrum in consensum euocare neruosum genus vno è duobus modis: primò cùm cerebrum ipsum primariò est affectū, & mox reliquæ neruosæ partes per consensum coafficiuntur: secundò verò cùm neruosarū partium aliqua primariò affecta cerebrum in consensum trahit, & iterum ab ipso cerebro vniuersum corpus conuellitur aut cōcutitur. Iuxta quas sanè diuisiones epilepsia in tres potissimum differentias diuiditur: nimirū in epilepsiam quæ nomē generis obtinet, & est prædicta corporis conuulsio ex sola cerebri læsione orta, quam medici vocant epilepsiam per essentiam. Secatur etiam in analepsiam, quæ motus est totius corporis cōcussiuus cum oblæsione sensus & motus, cerebro tamen à ventriculo cōpatiente. Tertia verò & vltima differentia appellatur à veteribus catalepsia, cùm videlicet eadem succrescunt symphtomata, consensu cuiusuis alterius membri particularis, cruris videlicet manus aut digiti.

De motu cōuulsiuo. Est præter dictas epilepsiæ species mot⁹ quidā ipsis persimilis, qui licet cōuulsiuus vulgariter appelletur à conuulsione & epilepsia (quā motū etiā cōuulsiuū oēs appellāt) mille modis dissidet: cui⁹ profectò natura media est inter verū tremorē & motū epilepticū. Qui sanè motus sit in mēbris motui volūtario seruientibus, cū quadā cōcussione & vibratione epilepticis motib⁹ persimili. Est deniq; species quędam tremoris spurij & illegitimi, fit tamē à mēbri vitio (quo ab epilepsia dissidet) itē fit à facultate motiua, nō tamē voluntati obtēperante, vt exquisitus tremor, qui etiāsi laborās velit mēbrum quietū habere & firmare, nequit, sed vtcūq; ponat, semper remittit, sed fit à facultate motiua languida simul & oppressa, irritata tamē à causa mordēte & lacessente, vt facilè videre est in plerisq; febricitiū febre maligna, quib⁹ mēbrū aliquod aut lingua tremit: quē motūcōstat esse mediū seu cōpositū, ex tremore & cōuulsione illegitima, vt latiùs leges cap. de cordis tremore. Differt tamē ab epilepsia, quia hæc semper fit cū obliuione & interiorum ac exteriorū sensuū oblæsione, & motus hic cōtulsiuus citrà ipsam: quo fit vt lōgè magis torqueātur laborātes, q, sensu sint libero ad patiēdū, maximè cū motus hic doloros⁹ existit, nā aliquādo molestus solū est, nō doloros⁹. Præterea hic motus differt ab epilepsia, quia in ea spuma per os excernitur, in motu autē cōuulsiuo minimè. Itē dissident, quia in epilepsia cerebrū patitur quo ad vētrē & substātiā ipsam: in motu verò hoc sola substātia neruosa, siue in exortu, siue paulò infra: quo fit, vt sensus interim nō simul oblæ-

dantur, vt in epilepsia. Præterea in epilepsia omnes corporis partes aut plures conuelluntur, in hoc verò vel omnes, vel aliquæ, aut vna tantùm. Differt quoq; is motus à vero & legitimo tremore, quia hic fit à facultate voluntariè membrũ mouẽte & membri grauitate, at motus hic conuulsiuus, quem spurium tremorem appellaui, quæ semper fit à coacta & irritata facultate à re quæ membrũ grauat, aut mordet simul. Item dissidet à neruorum distensione, quia hæc est membri positio in vna figura, ille verò cõtractionẽ & extensionem simul molitur. Differt præterea à conuulsione, quia hæc fit solùm motu ad originẽ, ille verò ad varias mẽbri positiones: dissident insuper causa, quia conuulsiuus motus prodit plerunq; ab halitu, aut praua aliqua humoris qualitate cũ copia mẽbrũ infirmante, cõuulsio autẽ, nõ nisi à repletione aut inanitione vel frigore. Cõperimus enim in rigoribus febriũ nonnunquã hunc conuulsiuũ motum, capite & neruorũ origine nequaquã læso: item in malignis febribus non rarò, sed maximè in lethalibus capitis vulneribus: nam in partibus quæ è directo partis læsæ existunt, paralysis plerunq; succrescit, ob deuictã & superatã ea parte à putredine naturã, cuius vitio & fœtore spiritus dissipãtur, sed maximè ob deprauatã & malignã saniem. Verũ cùm ad alterã cerebri aut neruorũ partẽ prædictæ corruptiones & halitus ac vstilagines peruadũt, tunc profectò irritata natura (nõ deuicta vt in altero latere) ab eorũ corruptela & prauitate conuulsiuus hic motus cõcitatur, natura conante à molesto sese tueri, haud secus, quã in singultu contingit. Quo fit, vt censendũ sit, omnino hunc motũ ab eisdẽ & similibus causis cõcitari, nimirũ à vapore, vstilagine, aut quouis vitioso spiritu, aut à pauca & cõmota materia, tenui verò, quo se posit in mẽbri substantiã insinuare, non tamen omnino copiosa, ne vera fiat conuulsio aut paralysis, sed praua vt neruos irritare nata sit, & cũ aliquali copia vt vires infirmare. Efficitur autẽ hic motus continuus aut interpolatus & per accessiones repetens, prout materiam aut ibidẽ genitam sortitur, aut aliundè trãsmissam: intermittit etiã in continuis tẽpore somni, non quidẽ defectu causæ, sed sensus obtusione & ocio. Generatur plerunque hæc materia in cerebro, ac defluit per neruos extra ipsum: aliquando in alia parte, & cerebri caudicẽ ferit, aut nerui alicuius exortũ, quo membrũ illud moueri solùm cõperimus. Verùm cũ materia adeò est corrupta (siue ab vtero, siue aliũde prodierit) quòd summopere nostrę naturæ sit aduersa, vehemẽtissimos & atrocissimos, ac epilepsiæ persimiles cõcitat motus, quibus laborantes summoperè torquẽtur. Vereri eñ ex graui hac & molesta affectione oportet ne in vetustatẽ cõmigret: solet quidem dum ocyssimè non interdicitur materiæ generatio, nonnunquã in immedicabilem tremorẽ cõmigrare: quapropter diligenter curabis præcauere ne diu duret: nam dum alijs morbis succrescit, cerebri grandius malum minatur, vt semper in febribus malignis in phrenitidem & lethargum degenerasse visum est.

Quo differat à cõuulsione epilepsia & quale symptoma sit.

Dictum superiùs est epilepsiam mille modis à cõuulsione differre licet de eius genere sit: namq; conuulsio affectus est stabilis & permanẽs, quo partes præter voluntatis imperiũ ad suã originẽ flectuntur: epilepsia verò motus est conuulsiuus, non conuulsio, cùm non solùm ad originẽ, verùm etiam ad omnẽ situs positionem membra moueri conspiciamus. Præterea conuulsio suboritur à solo morbo citra alterius causæ cõplexũ: at epilepsia à natura irritata causis ipsam molestantibus, quas vt à se pellat vniuersum corpus quatit & mouet. Item cõuulsio fit musculis per primogeneam affectionem affectis, motus verò epilepticus fit per consensum à cerebro, musculis nihil patientibus. Præterea cõuulsio fit ab inanitione aut repletione, motus verò conuulsiuus licet ab humoris copia fiat aliquando, nusquam tamen ab

ab inanitione: præterquam quòd peculiarem habet causam, nimirum eam quæ irritandi & mordendi vires sortiatur: quo factum fuit, vt huiusmodi conuulsionis modũ ad spasmũ non proportionatum ad materiã authores reduxerint. Erit igitur epilepsia symptoma in genere deprauatarũ actionum expellentiũ & motiuarũ, quæ inordinatum efficiunt motum citra voluntatis imperiũ, lacessita solùm motrice potentia ex cerebri molestia illata à remordente aut obstruente: quæ quidẽ sensibilitas omnes potentias expultrices & animales secum in consensum trahit & lædit. Quo fit vt cerebri potentia motiua, dilatatiua nimirum & compressiua, vehementiùs dilatet & comprimat, & à se quatiat atque pellat quòd sibi adhæret & molestat: quemadmodum in sternutamentis euidenter conspicimus: quippe sternutamentum leuis quædam epilepsia est. Neque arbitrandum erit profectò, naturalem expultricem tantos tamque varios edere motus, licet iuuet ad vehementiam motionum: etiam si non sit à ratione alienum arbitrari primò fieri à virtute naturali expultrice, adiuta tamen à vi dilatante & comprimente cerebrum, lacessita etiam motrice: qua vehementiores fiunt motiones ob membranarum sensum & mordicationem, potiùs quàm cerebri substantiæ, quam sensu non plurimum pollere cõstat, sine quo hos motus fieri est impossibile, vt latè exposuimus lib. de fœminarum affectionibus capite de epilepsia.

Quem morbum sequatur.

Secundò loco sese offert disceptandum, à quo nam morbo & à qua cerebri parte prædictum symptoma oriatur: nam constat omnium consensu, obstructionẽ esse affectum à quo prodit, eamq; à crasis ac lentis humoribus ortam. Sed cùm in hoc affectu duo reperiantur symptomata, oblæsio nimirũ mẽtis & sensuũ, ac motus cõuulsiuus, proculdubio arbitrandũ est, alterum symptoma proficisci ab obstructione, & alterum à solutione cõtinui per mordicationẽ facta dependere. Certũ enim est, obstructionẽ suapte natura nõ posse motũ efficere deprauatũ, sed vel diminutum vel abolitum, vt in apoplexia & paralysi dictum est. Quo fit vt aliam expediat inquirere causam illius symptomatis: quam nos arbitramur esse acrimoniam, mordacitatem, venenositatem & grauitatem, ac denique omnia quæ lacessere & irritare naturã expellentem nata sunt: ex quo prodit huiusmodi affectũ ex consensu fieri ad cerebrum aliunde transmisso, quod apoplexiæ & paralysi dene gauerat natura: quia earum ratio sita erat in obstructione: huius verò quatenus ad deprauatum motum pertinet, in quotis vitio naturam lacessente & irritante, nõ quidem in obstructione vt multi & ferè omnes sunt arbitrati. Est enim hoc præcipuum inter apoplexiã epilepsiamq; discrimẽ, quod & inter paralysim tremoremq; esse animaduertimus: in hoc enim tremor epilepsiæ quodãmodo similis est, sicut paralysis apoplexiæ. Ergo vt tremoris causa nõ est obstructio, sed superfluus tãtùm humor naturæ grauis, & grauitate dũtaxat, non etiã obstructione, sicut in paralysi motũ conatusq; naturæ impediẽs: ita in epilepsia iudicare licet humorẽ qui copia aut acrimonia cerebro nocet, nõ alia ratione epilepsiam motusq; eius deprauatos excitare, quã per molestiã naturæ, nõ per obstructionẽ cauisq; fieri, vt inde concitata facultas animalis in suũ principium se recipiat, quo tota in eius depulsione posteà incumbat mediãtibus cerebri dilatatione & cõpressione vehemẽtioribus. Non est igitur omnis causa obstructio, sed quemadmodũ singultũ (inquit Gal.) generari aliquãdo cernimus, sic etiã epilepsiã quãdoq; fieri putandũ est. His nõ obstãtibus, tãquã certũ arbitramur, nõ deesse in hac epilepsia certũ quendã obstructionis modũ: siquidẽ adest potentiarum interiorum ac sensuum omnium oblæsio, quod nisi ex grandi & frigida intemperatura (qua carent epileptici: nam aliter nõ

fieret,aut solueretur illis affectio subitò)aut obstructione fieri est impossibile. Cuius dubitationis gratia asserimus,obstructionem posse fieri in cerebro duobus modis: vno à re obstruente meatus & cauitates cerebri, vt in apoplexia, paralysi & epilepsia per essentiam: alio verò citra humoris affluxum ac veram meatuum clausuram, sed solùm per cerebri deprauatam configurationem, quam nanciscitur ex deprauatis eiusdem cerebri motibus, quos efficit vt à se pellat molestum: quibus sanè variè configuratur & perdit naturalem figuram, & naturos etiã meatus adeò vitiat, vt paulò minùs potentiæ oblædantur, ac dum verè obstruuntur cauitates. Quo fit, vt in ea epilepsia quæ per consensum ab aura vel flatu caput euntibus conciatur, non omnino priuentur laborantes internis sensibus: quinimo aliquando audiunt & vident, vt hystericis accidit fœminis. Quo etiam fit, vt hæc epilepsiæ conditio rarò migret in melancholiam, apoplexiam & paralysim, vt illa quæ fit à vera obstructione, quam certum est facilè commeare in dictos affectus. Præterea considerandum est in altero sympthomate nimirum mentis & sensus oblæsione, non satesse humores aut halitus esse acres & mordaces, quales diximus, sed prærequirere alium interesse morbum, puta leuem quandam obstructionem, vt huiusmodi priuatio sensuum oriatur. Est tamen differentia notatu digna, quòd in epilepsia per consensum, eo quòd causa crassa non sit, sed tenuis enim est & flatus, obstructio vel nulla, vel leuis, vel modo dicto efficitur, & ob id sensus oblæsio minor, motus autem conuulsiuus maior & vehementior, quòd acrior sit halitus aptiorq; ad lædendam naturam, ineptior verò ad moliendam obstructionem. In quibus verò epilepsia oritur in cerebro per essentiam, minor fit aliquando motus oblæsio, (& maior nonnunquam, si acrior fuerit humor qui in cerebro colligitur) maior verò & pressior sensuum oblæsio: quia ob materiæ crassitiem obstructio efficitur maior. Hinc enim disces, mirandum non esse, si aliquis authorum dixerit, in hoc affectu posteriorem cerebri partem necessariò lædi, alius verò anteriorem, cùm vtraque pars necessariò lædatur: anterior quidem vt constat ex sensuum interiorum & exteriorum oblæsione: siue id fiat consensu posterioris læsæ & se mouentis, siue per halitum illi cõmunicatum ex crasso humore in postica parte existente. Ac posteriorem lædi euidentissimum est, & id per essentiam, siue à mordente aliquo, siue à grauante aut obstruẽte, quòd motus omnium ferè corporis partiũ vehementer oblædantur. Quibus euidenter cõstat qualiter intelligenda sit Gal. sententia lib. 4. de locis affect. dũ inquit. Atqui in sopore anterior pars magis, in apoplexia verò & morbo comitiali vtraq; afficitur: in apoplexia per essentiam ambæ: in comitiali posterior per essentiam & anterior consensu posterioris. Ex qua sanè differentia non parua interest periculi ratio: nam periculosiores sunt epilepsiæ quæ fiunt per essentiã, licet mansuetiores appareant: quòd periculum sit, ne humoris copia aliquando vis illa expellens succumbat, & nullo facto motu ibidem maneat ac in grauiorem affectum commigret. Quæ verò per consensum fiunt, toleratu grauiores, sed securiores existunt: nam vt dictum est, illæ subitam mortem minantur, maximè si frequentiùs repetant, reliquæ verò minimè.

Vtræ epilepsia periculosior.

Cause.

Vnanimi omniũ authorũ consensu cõstat, epilepsiæ causas esse crassos, viscidos & lentos humores, quales pituita & melãcholia existunt, idque maximè in ea quæ per essentiam fit: item halitum & auram, vel quamuis aliam substantiam quantumuis tenuis existat, dum cerebrum mordeat, velut illa quæ Grammaticum illum à Galeno relatum, in epilepsiam ducebat, vbi solùm vehementer irascerentur aut

aut doceret. Quæ sanè causæ, licet ab omnibus probentur de crãssis, ac melancholicis humoribus, etiam vt Galen. refert, prima fronte verum videatur, non tamen vtiacet, subaudiendum esse censemus: nam si id verum esset, nulla staret differentiã inter epilepsiam & apoplexiam atque paralysim: ratio est, quia hi omnes effectus ab eisdem humoribus prodeunt & ab obstructione eiusdem partis, vnde constaret eiusdem fore naturæ, cùm longè inter se disideant. Neque obstat quodammodo differre posse ratione maioris aut minoris obstructionis: nam id differentiam potiùs aut speciem apoplexiæ constituit, quàm disidium inter apoplexiam & epilepsiam: cùm constet in ablata aut diminuta actione stare apoplexiam aut paralysim, epilepsiam verò in corrupta. Quòd autem ab eadem causa hæ affectiones fieri nequeant, vlteriùs probatur: quia epilepsia fieri potest per consensum neruis aut cerebro minimè læsis, hoc est, non obtinentibus causam: apoplexia verò & paralysis nunquam: præterquam quòd epilepsia subitò fit & soluitur, paralysis verò & apoplexia minimè. Ex quibus constat, quòd licet hi omnes affectus ab obstructione prodeant, & obstructio à crasis humoribus, nihilominus tamen aliqua in modo obstructionis ineſt differentia, quæ ipsos affectus tot numeris inter se differre efficiat. Hanc enim arbitramur esse, quòd ad generationem apoplexiæ aut paralysis humores conscendunt in propria forma, crasi nimirum & tenaces, cæterum ad generationem essentialis epilepsiæ (licet in vtroque affectu obstructionem efficiant) spumosiores, leuiores & rariores facti: sicuti spuma per os excreta quotidiano experimento confirmat, à qua protinus cessat affectio, quasi indicans iam excreuisse naturam morbi causam. Probat prædictam veritatem epilepsiam nũquam aut quam rarissimè senibus succrescere, quòd eorum cerebrũ adeò sit frigidum, vt præ caloris defectu crassum humorem (quo sæpissimè abũdant) ibidem contentum, nusquam attenuari, rarescere, ac in spumeam naturã mutari posse contingat: ob idq; frequentiùs in apoplexiam, paralysim aut tremorem commigrare, quàm in epilepsiam. Præterea statuendum est, epilepsiam non posse proficisci ab immateriali causa, sicut nuda intemperie, quòd subitò fiat & soluatur, sed ad minus à materia in flatum versa, vt refert Aristot. in lib. de somno & Auerr. 3. colliget cap. vltimo: quo etiam differt ab apoplexia, quæ ab ingenti frigore obortа visitur, dum hæc instrumentis vitium infert, alioqui vel memoriam vel rationem lædit, iuxta illud Gale. 3. de locis affect. nimirum cerebri intemperies plerunque vergere in animam, hoc est internas potentias lædere: quòd si instrumenti morbum efficit, affectus in corpus migrat, hoc est, fiet epilepsia, apoplexia vel resolutio aut cõuulsionis aliqua species. Secundo differunt hi affectus ratione modi causæ lædentis potentiam: qui in apoplexia & paralysi humores facultatem demiscunt & superant, ita vt nequeat mouere se, neque ipsos expellere: at in epilepsia tantùm irritat & lacessit eandem ad motum expulsionis quem mouet. Itaque tota eius ratio consistit in irritamento facto à malitia vel grauitate humorum conscendentium ad obstructionem efficiendam: quam vt vitet natura, mille motibus affectam partem dilacerat. Atqui dũ præ imporetia aut laſſata frequẽtia accessionum nequit humorem attenuare ac in spumeam naturam vertere & mouere, aliquando ex epilepsia fit apoplexia aut paralysis: quo experimento confirmatur differentia generationis & causarum inter hos affectus. Præterea irritatur non rarò facultas in epilepticis à qualitate aliqua depraua ta, siue humoris alicuius sit, siue halituosæ vaporosæue substantiæ, aut auræ alicuius ascendentis. Quo fit, vt hi qui acrem habent sentiendi potentiam & ingenij perspicuitate pollent, à quauis leui causa incidant in hũc affectũ, quia facilius irritatur

tatur cerebri substantia & causam ob id expellere nititur. Sic teretes lumbrici dũ ventriculum conscendunt, præter cardialgiam morsu effectam, fumis putridis ad cor & cerebrum transmissis, animi deliquia, anxietatem, mentis turbationem, conuulsiones & epilepsiam cõcitant. Itaque causa, quæ prædictis modis facultatem lacessit & opprimit, est crassus humor (qualiscunque fuerit) in rariorem formam redactus, qualitate maligna affectus, vel qualitas ipsa aliunde per halitum aut auram illuc ascendens, siue à veneno sumpto aut in corpore genito, siue ab vlcere cacoëthe, siue ab alia affectione, vt vêtriculi cruditate, ex lacte in pueris, vel quouis alio cibo, siue ex largo meri potu prodeat, vel à lũbricis, vel vt Galen. refert & nos etiã iam bis, ter ue vidimus, ab aura ab aliquo peculiari membro ascendente.

Verùm quia doctissimorum virorum consensu constat, hunc affectũ finitimum esse somno profundo, apoplexiæ, tremori & alijs affectionibus, ob id, ne quis deceptus accidentiũ similitudine, in turpe erratũ incidat, sciat Celium Aurelian. id egregiè disserere, quia diuidens epilepsiam in species, hæc scribit verba. Sed eius passionis species duas esse probatur: vna quæ somno similis altissimo videtur: altera quæ diuerso raptu corpus afficit: harum prima grauior iudicatur, si quidẽ est similis apoplexiæ. Ex quo loco iuxta optimã rationẽ infertur, epilepsia correptos posse & vehementer concuti & grauiùs dormire: quinimò cùm somno corripiuntur, grauior & periculosior existit affectio, & grauioris mali præludium. Quòd si velis Auic. testimonium, reperies proprio capite statuere, esse epilepsiam quandam absque spasmo sensato, ne quis existimet solam eam esse epilepsiam quæ deprauatis motibus insignitur.

Dubium. Sed dubitatione dignũ arbitror, si epilepsiæ potissima cõditio est, quòd natura tentet sibi molestũ pellere medijs motibus prædictis, qua nam ratione epilepsiã iudicabimus eam, quæ eisdẽ careat? Cui dubio respondeo, coniectandũ esse hanc accidẽtiũ varietatẽ à varietate morborũ qui in epilepsia reperiũtur necessariò suboriri: & pro morbi dominio in ipso affectu, ita quoq; hoc aut illud accidẽs eluceſcere magis. Nam licet vniuersa ferè huius mali ratio in obstructione sita sit: hãc scimus aliquãdo potẽtias lædere sentiẽtes easdẽ in proprijs vêtriculis obstruẽdo, vt in apoplexia: aliquãdo verò humores obstruẽtes deterrima etiã qualitate affecti irritant magis potẽtias ipsas expellentes, partibus ipsius cerebri dilaceratis & irritatis. Quo facto, iuxta optimam rationem est, ob grandem illam obstructionem, hebetescere magis sensus & veluti somno laborantẽ sopire: ab irritamento verò & cerebri mordicatione moueri intra corpus partes cerebri, & spasmum illum (vt Auicen. fert) non esse sensatum: at dum conspicimus mordicationẽ esse maiorem, motus oriri vehementes. Namque vt idem Aurelian. scribit de mente Asclepiadis, epilepsia aliquando fit percussu & diuisura membranarũ quæ cerebrũ tegunt: quo tẽpore coniectandũ est, affectũ cerebri reducibilẽ esse ad solutionẽ cõtinui, etiã si præreq̃iratur obstructionis quidã modus: sensu tamẽ omnino nõ priuãtur ob substantiæ obstruentis tenuitatẽ. Itaq; præualẽte obstructione obdormiscũt laborãtes, & licet interiùs cõtremiscãt, exteri⁹ tamẽ parũ aut nihil apparet: præualẽte verò mordicatione & acrimonia, cõspicuè cõuelluntur, & sensibus veluti obdormiscunt.

Dubium. Sed dubitationẽ etiam dignum est an epilepsia à sanguine aliquo modo possit oriri: quod pauci neotericorum in dubium verterant: solus enim Hippocrat. 4. de morbis acuis & Galen. à quibus Auicenna mutuauit, id expressè fassus est, vbi quis vino vsus est copioso, vel nimio vsus exercitio, quo sanguis feruorem contrahat, irruatq̃ ea ratione ad caput, vt Galenus

aduertit, 3. apho. 20. ipsiusque vasa repleat: quem nitens natura pellere, consimilem generat motum. Verùm si quis rem diligentiùs pensitet, reperiet proculdubio similimum esse hunc affectum spuriæ apoplexiæ ob interceptionem vasorum: cæterùm quia non est adeò grandis compressio aut coarctatio seu spirituum intercisio, vt in prædicta apoplexia, ob id aliqui spiritus permeant, quorum ministerio natura motus illos exequitur, vt expellat, quòd suffocationis causam præsentit fore: atque hac lege licet conijcere hanc epilepsiæ sortem ex sanguine posse fieri.

Licet primo accessu huius affectus cognitio adeò facilis sit, quòd signis nõ videatur indigere; cum hoc tamen ne quis facilè decipiatur, ea scribere oportet, quæ vel instantem accessionem indicent, vel causarum differentiam monstrent, & per consensum aut primogeneam affectionem morbum esse patefaciant. Primo itaque cùm accessio futura est, maximè cerebro primariò affecto, sensuum hebetudines, vertigines, tendonum grauitates, venarum colli repletiones & distensiones reperiuntur: cùm verò iam instat accessio, oculi caligine obtenebrantur, tardiores redduntur in omnibus sensibus actiones. Respondent quidem & loquũtur, tardè tamen, & mentis torpore corripiuntur atque vertigine, grauitate & dolore capitis. Cùm verò ventriculus causa est, antecedit nausea frequens à cibo, sed frequentiùs ventriculo ieiuno cum oris amarore, & vberior pituitæ fit vomitus: paucis assumptis cibum fastidiunt & crudi sunt, flatibus replentur & præcordia elata habent. Quòd si accessio iam iam instauerit, splendores quidam purpurei aut nigri vel mixti circa oculos versantur & discurrunt: aures sonant, iracundi fiunt, aut tristes, & ea occasione citiùs succrescit affectio. Addit autem Celius Aurelianus, sequitur quibusdam immobilitas perfecta cum ore demisso, attestante pallore cum aspiratione tarda & pulsu magno atque alti soporis simili oppressione. Quam sanè epilepsiæ speciem distingues ab apoplexia, respiratione tarda, & à somno profundo quòd ab expergefactione non iterum cupiunt dormire: præterquam quòd sic affecti subitò inciderunt in accessionem: quod soporificis affectionibus non accidit. At si ex vtero prodeat malum, facilè disces ex ventris inferioris murmurio, ex suppressione aut in prospero fluxu mensium, & alijs quæ fusius scripta reperies lib. nostro 2. de fœminarum affect. cap. de epilepsia ex vtero. Sed si ex peculiari aliquo membro aura quædam oriatur, id monstrant illius partis symptomata: præterquam quòd sic affectis rarò spuma per os excernitur, aut quàm parcissima: ijs verò cùm à particula neruosa procul à capite sita incipit cõsensus, magni pedum aut manuũ digiti conuelluntur, vnde & dolor & stupor atque tremor subsequũtur, & protinus caput affectione corripitur. Quibus profectò fragor oritur & totius corporis confractio accidit, & cùm iam malum aduentare persentiscunt adiutores aduocant, quòd futuram calamitatem præsagiant. Alios etiam clam & occultè, veluti inuadente fera, pauor corripit, atque obumbrationis opinio incessit, & mox procidunt. Verùm si ex venenatæ feræ morsu id etiam contingat, interrogatione facilè constabit. Alijs verò nihil horum accidit, sed veluti somnolenti incedunt, tristes & timore pleni, quos accessionis loco somnus profundus corripit; quibus aliquando maxilla tremit, nonnunquam brachium, sæpe oscitationes & pandiculationes accidunt citra euidentem conuulsionem, aut saltem cum leui oculorũ peruersione, quod frequentius infantibus accidere conspicimus. At cùm morbus iam iam incipit, sensibus captus homo iacet, mille conuulsionibus sese distorquens, & interdũ maxilla hiatu oris procidit, interdum verò cõtractione dentes conterit, oculi inuersi sunt, palpebræ cum palpitatione frequenter dehiscunt, malæ rubentes palpitant, labra

Signa.

labra interdum quidem in acutum clauduntur, eorum vox nihil nisi gemitus & suspirium est ac respiratio suffocatoria. At vbi ad mali remotionem peruenitur, tunc sponte vrinam reddunt, & aluus fluit & genitura excernitur, osq; vehemẽter humidũ habent & spumã ore profundunt, maximè capite per essentiã affecto.

Præsagiũ. Primo disceptandum se se offert, quid sentiendum sit de hoc morbo iuxta ætatis mutationem. Quippe falsò multi & Galenus etiam arbitrantur, epilepticos non sanari si ante 25. annum sanitati non restituãtur. Nãre vera Hipp. sentẽtia, qua ipsi suam tuentur, non id profert, sed eos qui ante pubertatem comitiales fiunt, statuit, mutationem mali ante 25. annum accipere, & quibus post 25. accidit epilepsia, vsque ad mortem ipsos comitari, quòd malum sit immedicabile defectu caloris. Pro huius dubij enodatione statuendum est, his non obstantibus, non esse omnino desperandum à salute in his qui 25. anno nõ sanescunt, neque adhuc si post 20. morbo corripiantur. Ratio potissima est, quia non solum exiccatur cerebrum ab humiditatibus hunc affectũ efficiẽtibus vsque ad id tẽpus, sed etiã toto vitæ discursu. Namque sanitatis ratio sita potiùs est in caloris augmẽto quàm in exiccatione humidi superflui, & quia calor augetur vsque ad vltimum iuuentutis terminum, ob id qui ante pubertatem eo morbo corripiuntur, sanitati possunt restitui toto tempore quo caloris augmentum durat. Cæterùm qui post 25. annum, aut saltem post vltimum iuuentutis terminũ epileptici fiunt, non ita, quia neque calor deinceps sensibiliter crescit, & causa grauissima est quæ tantum calorem superauit, & ob id sic affecti epileptici commoriuntur: licet aliquando exiccatione media quæ humidum ebibat, possunt non mori epileptici, vt vulgò fertur.

Præterea scito omnem epilepsiam acutissimorum morborum more accessiones habere breues & periculo plenas, eoq; periculosiores quo frequentiùs acciderint, aut lõgiùs protrahãtur: cũ hoc tamen morbus ipse ex diuturnorũ sorte exístit, adde vt nisi ante integram iuuentutem, vel menstruis erumpentibus aut puerperio solutus fuerit, sæpe per vniuersum vitæ spatium plerunque prorogatur. Vtcunque tamen sit, is affectus qui per consensum fit, minus periculosus existit, licet aliquando grauissimas molestissimasque habeat accessiones: qui verò per essentiam in capite præest, minus graues, sed magis periculosas, quòd crassior materia principalius membrum obsideat, quæ cum graui sopore laborantem opprimit, est enim apoplexiæ aut paralysis præludium. Quod sanè de epilepsia per essentiam subaudiendũ est, vt voluit Gal. li. 4. de ratione victus com. 27. nã quæ per cõsensum efficitur, nullo modo in epilepsiã aut apoplexiã mutari potest, vt Gal. explicuit 4. de locis ca. 2. qua quidẽ ratione cẽseo, has duas sententias cõciliari posse, vel quòd rarò accidat, (quæ per essentiam est,) mutari in paralysim, contingit tamen aliquando, vt Galen. visum est 4. acutorum com. 27. & Hippo. etiã lib. de morbo sacro. Præterea hæc sæuissima morbi conditio inter viros, pueros plerunque apprehendit, & inter fœminas, eas quæ vterinis molestantur affectionibus.

Curandi ratio. Ante tamen quàm peculiarem curandi rationẽ aggrediar, expendisse oportet, quam Hippocra. & antiqui omnes huic affectioni medendi viam attulerint. Inquit enim 2. aphor. 45. Quicunque iuniores morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis & locorũ & victus liberantur: cui etiam consimilem adduxerat lib. 6. de morbis vulgarib. parte 1. sententia illa: Infantium effulgescentiæ. Quibus sententijs tria esse consideranda euidenter constat: primũ est eum qui hac affectione cõsenescit, nullum beneficium ab auxilijs susceptare: secundò recentẽ affectum sanabilem esse: tertiò iuniores sanitati restitui ætatis, regionis & victus mutatione.

Quòd

Quòd verò ætatis mutatio (ea lege quam antea statuimus) id beneficium præstet, maximè alijs præsidijs adiuta, constat ex Hippocra. & Galen. 3. aphor. Plurimæ enim, (referunt) affectiones pueriles iudicantur partim in quadraginta diebus, partim in septem mensibus, partim in septem annis, partim ad pubertatem accedentibus. Quæ verò permanserint affectiones pueris, neque exolutæ fuerint circa pubertatem, aut fœmellis circa mensium eruptionem, diuturnæ fieri solent. Quod generaliùs de omnibus diuturnis affectionibus dixerat Hippoc. lib. 2. de morbis, per hæc verba. Morbi quidam post septem annos, alij post quatuordecim. Ratio profectò huius veritatis est, quia cùm prædicti morbi diuturni siccæ sint naturæ, tardissimæ fiunt solutionis, quo fit vt necessariò laborans ætatem antea mutet, quàm sanitatem recipiat. Sed huic accedunt tres potissimùm rationes ex ætatis mutatione desumptæ, quippe ætatis mutatio trifariàm huic malo prodesse solet: tum ratione circuitus, nam cum ipsa ætatis mutatione sequitur transgressio temporum morbi, quæ vt dictum est, longissima sunt: tum etiam ratione habitus, qui morbis profligãdis robustior & vegetior ætatis cursu efficitur: tertia verò, non vt multi asserunt ob venerea, quòd venus suapte natura potiùs capitis imbecillitatem afferat & morbis signatim capitis aduersissima existat, sed quia maturiores ætate facti, rectiùs & exquisitiùs viuunt, aut plus habent caloris, quo duities humorum emolliscat, fœneturque magis, ac exercitiorum robore vegetior fiat. Quibus cõstat, si hæc beneficia quæ ex ætatis mutatione sequuntur, prodesse huic malo non possunt, difficilẽ esse curationem. Verùm ne quis deceptus dubia spe mutationis ætatis, regionis aut victus, curationis occasionem in posterum differat, diligentiam ætatis ac regionis mutationi adiungere oportet, curationemque per interualla adhibere, ne si fortè ætatis mutatio malo non suffecerit, simul cum ætate præterita prætereat quoque curandi occasio.

Verùm cùm constiterit, neque in pueritia neque adueniente adolescentia malum cessasse, non oportet omnium ætatum cursum citra auxiliares manus transigere, ne cùm eas adhibere velimus, adeò firmatum existat malum, quòd auxilijs cedere nequeat. Primò itaque si primæ ætatis mutatione nullum subsequatur beneficium, (quantumuis aliquibus præsidijs vsus fueris, nam antea mutare aut citra auxiliares manus ætatis mutationem expectare vanum & absurdum fore arbitror) confugiendum tunc est ad longinquam regionem, vel ad patriam habitationem, vt apertè Hippoc. prædicto aphor. consuluerat, sed specialiùs 6. popul. parte 5. vbi inquit: In morbis longis terram mutare commodum est: & lib. 1. ac 3. de dieta, & de locis aqua & aëre, inquit. Temporum varietates potissimæ sunt quæ naturã ipsam permutant, deinde regio in qua quis nutritur: ratio profectò huius dogmatis est, quia cùm in morbis diuturnis causa & affectus connaturales facti sint, cõstat naturam quoque mutandam fore, vt ad eius mutationem, quæ ipsi connaturalia sunt etiam mutentur: quo fit, vt tantopere antiquioribus probata fuerit locorum mutatio. Verùm quatenus ad hanc mutationem attinet, credendum est, non sat esse neque sufficere quemuis epilepticum ad quamuis regionem mutare. Quippe mutatio debet fieri vel ad similem laboranti temperiem, aut ad mediam & temperatam, vel ad contrariam morbo aut causæ, vel ad eam quæ vim habet conterendi digerendique causam. Sic profectò imbecilles & languidi laborantes, & quibus opus est vires reficere, ad temperatam vel similem regionem suæ temperici mutandi sunt, quo vires vegetiores factæ, morbum sua sponte infirmare ac deuince re possint. At qui robusto sunt habitu & validioribus viribus ad cõtrariam morbo

re-

regionẽ mittẽdi sunt, vt virtus & regio simul morbũ superare possint: verùm qui viribus constant & morbo nõ plurimũ molestantur, sed solũ diutina eius duratione ob materiæ renixum, ad eam regionem migrare oportet, quæ peculiari tẽperie nata sit humores tenuare ac insensili vacuatione discutere, quales sunt maritimæ & quæ montibus piniferis scatent, vt quæ suapte natura natæ sint id beneficium præstare.

Victus ratio. At quia non sat est, hæc omnia secundùm rationem feciſſe, vt importunus hic morbus subsidium recipiat, quinimò neque multa alia, nisi victus (cui proprium est corporis naturã tueri & mutare) & vitæ ea mutatio & institutio fiat, quæ præcedenti omnino sit aduersa, ob id inter potissima auxilia huic morbo proficua, iure optimo victus mutationem commendarunt veterum sapientiores. Cuius rei mirabilis extat sententia illa Galen. lib. de attenuante victu cap. 1. per hæc verba. Vidi arthritidas in quibus ossa erãt indurata, difficultates inspirandi inueteratas, lienis, & quod maius est, icteritios tumores duros, tùm comitiales incipiẽtes sola victus attenuantis ratione obseruata curatos. Sed quid moror, si certum est alimenta quamfacillimè nostrum corpus mutare, quo mirum non est, corporum vitia mutari. Sed qualis futura sit victus mutatio, nunc videndum est. In qua sanè re asserimus, non licere indistinctè quemuis victum porrigere, sed temperatum aut similem, qui vires reficiat, aut contrarium qui morbum propellat, vel attenuãtem qui causam illidat. Cuius autem naturæ sit quiuis horum, millies superiùs dictum est, & inferiùs etiam leges, cauens potui aut victui admiscere aliquid coriandrorũ: nam vt Dioscoridi placuit cap. proprio, caput sui natura petit, ita vt si largiùs sumatur, delirium inducat. Sic nec plurimum probandum est semina coriandri quocunque modo præparata porrigere, quia facilè secum ad caput ferunt vapores & quosuis halitus: secus res se habet vbi malũ iam in capite viget: exiccare enim creditur & robur addere.

Sed his missis ad peculiarem curationem deueniendum est, in cuius initio monere medicos oportet, vt quamdiligentissimè huius morbi primordia intueantur & caueant, cùm his temporibus faciliùs ex quouis præsidio subsidiũ natura suscepteret, tunc enim occulta sunt epilepsiæ signa: nã adeò sunt accessiones mites, leues & similantes alios affectus, quòd vel peritissimos medicos decipiant. Similantur quidem non parũ qui sic afficiuntur vertigini, pedibus vacillantes, neq; prorsus in terram procidunt, sæpè quasi terrore perciti clamant, præsertim pueri, ac prolixiùs & subitò absque occasione plorant, præcipuè cùm inter dormiendũ affectio corripit: multi ex his oscitant, alij frontem perfricant, alij metuunt, tristantur & tremunt, & posteà nihil horum recordantur. Quæ omnia & pleraque alia diligenter rimari oportet, vt antè quàm malum firmetur, auxilijs præueniatur.

Puerorum prouidẽtia Primò etenim loco sese offert puerorum curatio, vt qui frequentiùs hoc malo corripiantur lactis vitio aut nouiter alimenti sumpti cruditate, atque ob id ventriculi consensu, nisi affectus tanquam hæreditarium onus successione maiorum contrahatur. Quo tempore frustra est puerulum mille auxiliorum sortibus inutiliter torquere, sed necessum est, transactis viginti aut triginta diebus, si imbecillus sit puer, in occipitio fontanellam aperire, qua malus ille habitus spiret efficiaturq; lactis beneficio alter laudabilior. Verùm dum recens est in puerulis affectio, duplicem habet curandi rationem: alteram quæ accessioni debetur (sæpe enim ex negligentia in accessionibus habita, morbus efficitur essentialis, aut grauior & periculosior, vel in grauiorem degenerat) alteram verò quæ radicitus morbũ euellit.

Sic

Sic profectò quos vexat affectio ita disponito: corpus quod motibus rapitur, loco lucido vt foras euocetur humor, & mediocriter calido, vt id commodius fiat locato, sublimiori posito capite, ex quo membra vt natiuus excitetur calor supernè & deorsum confricari débent: dentes quos sæpè (ex conuulsione temporalis musculi, qui primò affici solet ob cerebri affinitatem) constringunt, vnde etiam imminet suffocatio ob suppresionem excrementi spumosi, curandum est vel manibus vel alia ratione aperire, vt exitum illi præstent. Linguam etiam & palatum illinire oportet theriaca vel mithrydato dissoluto in succo rutæ. Quòd si per consensum fuerit affectio, non inconuenit suffumigare puerum belzoino: si tamen vomitus excitari possit, breuiorem reddes accessionem, sin autem oxymellitis squillitici modicum porriges. Verùm si accessio diu durauerit non erit abs re occipitio apponere linteum mádidum oleo rutaceo calidissimo, vel puluerem seminis rutæ admixtum belzoino, aut oleo vulpino: iten theriacam calidicam quoq; vel vino dissolutam: prosunt & mithrydati cum oleo laurino calidiusculæ inunctiones. Nec minoris momenti est (& nè iterum redeat accessio) cerotum ei parti apponere ex pice, aut thecamaca cum theriaca, vel pulueribus seminis rutæ, aut theriacam ipsam cum pulueribus seminis maioranæ, aut belzoinum cum semine occimi vel cũ puluere carpesiarum. Ad quorũ pensum alia nõ pauca effingere poteris: inter quæ non minoris est momenti occipitium abluere aqua vitæ sola, aut vbi ferbuerit semen rutæ vel ambræ grisiæ parũ aut caryophyllus, vel ex discutiẽtibus & roborãtibus aliquid. Dimitto hac in parte alia auxilia, quòd vel suspectione non careant, vel parui sint momenti.

Reuocatis ab accessione puerulis seu quibusuis laborantibus, duplicem habet affectus curandi aut præcauendi methodum, cùm duplex quoque principiũ obtinere constet: nimirum per cõsensum à ventriculo, & per primogeneam affectionem. Præterea cùm à ventriculo oritur malum, duplex rursus insurgit curandi ratio: altera quæ ventriculo diligenter prouideat, ne amplius aut quid generet, aut ad caput transmittat: altera verò quæ præcaueat quo minùs caput amplius recipiat, & si quid receptum est, euacuet sensili aut insensili euacuatione. Ventriculo prouidendum est (modò vitiosum lac sit, modò concretum, modò pituitosi & crassi humores ipsum inundent, modò quæuis alia sit corruptio ex victu infantis, aut ex nutrice perperam gubernata, vel ex quauis alia causa; quæ ventriculum malè afficiat) per ea auxilia quæ vacuandi per inferiam aluum potestatem habeant. Nec plurimum innitendum est in his quæ vomitum mouent (licet accessionem imminuere dictum sit) ni admodum puerulus nauseabundus fuerit; & malum ex corruptione cibi aut lactis oriatur: nam citiùs & faciliùs caput petunt humores aut halitus. Quòd si vomendi necessitas vrgeat, & puer ex maioribus sit, & id possit imperatus efficere, præmissa leui purgatione id tutiùs facies: sin aliter à leui præparatione corpus purgabis: ac si accessiones plurimum vrgeant, quotidie, maximè cùm huiusmodi corpora leuissima admodum admittant medicamenta, tardare enim in talibus malum est. Sic enim pueris qui lacte aluntur, sat est. ℥ j. mellis Persici aut syrupi solutiui rosarum, vel mannæ electæ modicum præbere. Quòd si primo accessu. ℥ ß. mellis Persici aut prædicti syrupi cũ modico mellis squillitici aut oxymellite præstiteris, ex vsu facies: maximè si lac coagulatum aut crassam pituitam mali fuisse causam cognoueris. Vacuata igitur materia iuxta quantitatis indigentiam, mox accedendum est ad consumptionẽ superflui humoris: hac vna habita distinctione, quòd si

N con-

concretum lac mali causa fuerit,medicamentis quæ reliquias conterunt,ea addere oportet,quæ coagulatum lac nata existant liquare,velut sunt syrupus de absynthio,de hyssopo,de mentha cum decocto hyssopi,origani, peoniæ , stœchados & aristolochiæ. Præstat item coagulum leporis,oxymel simplex , vel mel aliud ex squilla,cuius meminero parte vltima huius partis. Mel item passulatum paratum hac forma præstabis:agarici trochiscati.ʒ.iij.infundatur in aquæ lib. ß. agaricum detrahito,& in eadē infusione passulæ pingues infundantur donec turgeat,& turgidæ in noua aqua coquantur ad extremum,& exprimantur in modica aqua quæ remansit ex secunda infusione, cum qua iterum ad mellis spissitudinē coquatur, quo vteris in paruulis,& in adultioribus in maiori dosi:ac præstabis etiam passulas vel prunas,prima agarici infusione decoctas.Præstabilius tamen est, dum affectus reuertitur,mel aut oxymel squilliticū prebere,maximè si addideris theriacæ smaragdorum, mithrydati, aut confectionis de hyacintho modicum , vel theriacæ magnæ si somno propensus puer non sit,verendum quidem est ne propensior fiat. Verùm si ventriculi consensus simul cum mali initio in capite iam suscepto adhuc perstiterit,præmissa secunda purgatione , puerulo bis die porriges duo cochlearia stilloticæ aquæ ex theriaca smaragdorum & viperarum ana.ʒ.j.mellis despumati.ʒiiij.decoctionis radicis peoniæ.ʒij.ß.succi absynthij.ʒj.ß.florum sthœcados.ʒ.ij.fiat instillatio in duplici vase.Item porriges cōfectionem ex theriaca smaragdorum cum pulueribus coralli,peoniæ,& vnicornij,ac vermiculorum rubi,& melle rosaceo cum modico oxymellite si lactis coagulati suspicio fuerit. Quòd si humorem pituitosum abundare comperiamus , mel rosaceum summo mane porriges cum syrupo de corticibus citri, de mentha,aut de hyssopo cum aliquo ex prædictis decoctis, & quod vtilius est , cum aqua stillatitia ex cerasis,aut instillata ex melle & squilla,vel ex radicibus peoniæ viridibus,vel ex tilliæ floribus, vel instillata etiam ex theriaca melle rosaceo & radicibus peoniæ.Et quod in præseruatione & reliquiarum consumptione experimento fidissimo mihi habeo obseruatum,est mel decoctum & despumatū cum modico fœniculo & oleo amygdalarum dulcium,quo vteris tertio vel quarto quoque die.

Interim tamen dum hæc adhibentur,& alia quæ mox referā,nutrici prouidendum est , ne si vitium lactis causa sit , puerulum medicamentis inutiliter conteramus. Cuius lac mox inspicies,quòd si amarum,insipidum,aut alio deterrimo sapore vel odore affectum , vel crassa substantia aut fœdo colore insignitum conspexeris , protinus nutricem mutabis,& maximè si ei mēstrua succreuerint.Quòd si fieri id non possit , aut difficile sit, lac ipsi mulieri corriges, mutata victus & vitæ institutione,maximè in contrarium vitij quod in lacte cognitum fuerit:purgabisque ipsam,facta præparatione iuxta ideam humoris peccantis,ita vt omni arte cures lac in melius mutare.

Verùm quia sæpè malum eo miseriæ deuenit , vt prædictis auxilijs non cedat , purgare iterum pueros oportebit,ac solicitanda etiam frequenter aluus est clysteribus ex mulsa & oleo,& glandibus ex felle porci,ex sapone,ex plumis,ex granis pini,& ex alumine. Quòd si frequentiùs velis ventrem excitare,vtere oleo sesamino aut amygdalarum dulcium cum saccharo per os sumpto,dum puerulus it dormitum.Prosunt etiam vermiculi quatuor nascentes in lanuginoso foliculo rubi:item ab expurganti medicamēto,vti oportet succo qui exprimitur ex cepa excauata & plena theriaca & croco in furno decocta:neque non & succo rutæ cum melle. Præstabit etiam porrigere puluerem visci quercini,coralli præparati,cornu cerui,

cerui,cranei humani & sacchari ad pondus omniū,in his qui adultiores sunt. Verū in puerulis cum melle ex prædictis pulueribus linctum efficies & desuper lac suggere permittes. Tandem inunges ventrem exteriùs,primò his quæ ventrē emolliunt,facilioremq; reddunt ad purgationem,velut est emplastrum ex lino & assungia porci,aut butyro recenti,minutim incisis & pistatis.Quem quoque vsum præstant lapati maioris folia frixa butyro & oleo sesamino , vel decocta & pistata cum eodem butyro & assungia porcina. Idem etiam ferunt præstare folia brasicæ aut mercurialis eodem modo præparata: quòd si prædictis addideris croci aut fermenti modicum , puerulum vtiliter purgabis. Tandem inungere ventrem exteriùs oportet his quæ robur ipsi addant,quale est oleum de absynthio , de spica,de mentha,aut balsamo,vel oleo de terebinthina cum pulueribus coralli & diarrhodonis.Inunges etiam ventrem cum melle & pulueribus sinapis: quibus si addideris aranearum cases non parui momenti medicamentum facies.Deinceps verò capiti est prouidendum ne ampliùs suscepteti:cæterum non repellentibus auxilijs,sed primo diuersionibus,& postmodum ijs quæ vim habeant corroborandi & modicè discutiendi,vt paulò inferiùs leges,& nuper etiam adduximus.

Verùm quia frequētiùs à primò morbi insultu per essentiam efficitur,omni diligentia curandū est à capite pellere quod susceptum habet:his tamen auxilijs quæ per insensilem halitū pituitam in capite contentam expurgent,aut per cōmunes meatus,maximè per palatum,ex linctu eius cum melle rosaceo vel melle squillitico,aut solo melle cum sale vel theriaca,donec pituita defluat: quæ sanè digitis abore pueri in ploratu extrahenda est.Idemq; facies appositis capiti quæ ipsum roborent,discussa materia ipsa,qualia sunt multa quæ conficiuntur ex camemalo , ex anetho,coriandro præparato, sthœcade, pulegio,maiorana,hyssopo, ruta , radice peoniæ,grana tinctorū , & serico philthro in puluerem redacto:ex quibus confici possunt sacceli & cucufæ ac etiam pulueres,qui per caput sparsi miram præstant efficaciam:conficiuntur etiam lauacra ex decocto prædictarum rerum.

Monendus tamen hac in parte mihi lector est,ne epilepticis accidentibus decipiatur,cùm vt dictū est,non minùs ex lumbricis hanc affectionē oriri cōstat,quàm ex quauis alia ex prædictis causis.Quod distingues ex profundiori somno,ex dētiū stridore inter dormiendū,ex oculorū hiatu,ita vt astantes videātur intueri,ex pruritu narium,ex continua manuū apprehensione supra ventriculum,ita vt velle dilacerare vestes videantur: quibus autem sic affectis conuulsiones diuitiùs durāt, quàm in vera epilepsia.Quod sanè malum plerunq; pueris post lactationis tempus accidere constat,ex immodico & inordinato panis esu: quos dum sic cognoueris affectos,amaris medicamentis purgabis,absynthio nimirum, aloë & rhabarbaro, ea quantitate quam permiserit ætas: sat enim est puerulis à secundo ad sextū annum ab.ʒ.j. ad. 3. ß.porrigere,dilutam aqua lupinorum:vel clysteria adhibere ex hydromellite cum aloë,& tandem alijs quæ capite de lumbricis scripta reperies.

Verùm si affectus neq; vacuationibus præmissis,neq; aliquo ex prædictis auxilijs cedere videatur,protinus multorū & meo etiā iudicio,veniēdū est ad eā operationē quæ ferro candēti in occipite fit. Quod tamen auxiliū neq; temere & vtcunque aggredieris,sed hac lege seruata: Si infans hoc hereditarium onus portauerit, aut maiores natu fratres idem morbus corripuerit , mox exhibito medicamento expurganti, aut si accessionum frequentia vrget,deposito tantùm ventris onere , protinus fontanellam eadē die occipitio aperire oportet. Verùm si primitus hoc malo puer fuerit correptus,non temerè licet occiput aperire,sed tentandū est,

prosint ne auxilia quæ diximus, quòd si nihil profuerint,& accessionum frequentia ac vehementia plurimum vigeat, non licet eadem auxilia iterum repetere, & frustra occasionem maioris præsidij prætermittere: sæpe quidem vnius dici spatio per essentiam efficitur: quia vitium lactis facilè ob simpatiam quã cum omnibus partibus, vt adæquatum alimentum habet, caput per essentiam afficit: sunt enim efficaciss ima vitia quæ ex alimento emergunt. Quapropter mox fontanellam ea in parte excabare oportet, etsi medicus cognouerit affectum esse per consensum à ventriculo, quia habent pueri ratione ætatis in capite morbosum apparatũ, quo promptissimè in epilepsiam per primogeneam affectionem incidant, fit etiam vt ratione huius morbosi apparatus, licet per consensum sit affectio, expediat fontanellam aperire. Nam postquam in pueris affectus per primogeneam affectionẽ factus est, rarò auxilia prodesse conspicimus. Quapropter ad efficaciss imum hoc præsidium properandũ est, nisi præsidia quæ diximus profuerint: quod dignosces, quia accessiones fiunt minores & tardiores.

Quòd si transacto lactationis tempore, adhuc affectus perseueret, aut ad manus medici accedat is, cui nullum ex prædictis auxilijs adhibitum fuit, vel nullum profuit, alia potiùs via incedendum est, nimirum vitæ & victus ratione in contrarium mutata. Quo tempore considerandum est, an puer boni sit habitus, carnosus & copiosis vsus cibarijs: nam tunc doctissimorum est consilium initium curationis auspicandum esse à sanguinis detractione, idque si accessionum raritas permiserit, ineunte vere: sin aliter quouis tempore. Sed consultius arbitror esse in his priùs aliquo expurganti pharmaco vti: at si copiosior apparuerit sanguinis copia, ex altero aut vtroque brachio iuxta virium tenorem sanguinẽ demere, vel si ætas venam tundere non permiserit, crura scarificare. Si tamen sanguinem redundare compertum sit, aut saltem puerum esse solidæ contexturæ, satius eo tempore est, à quàm distantissimis partibus sanguinem detrahere, ne forsan eo extracto ex vicinis capitis partibus, maior ipsi succrescat imbecillitas, & ea occasione accessiones vehementiùs irruant. Quamobrem probarunt ferè omnes authores ex talo sanguinem mittere: nam & distantiùs auertit copiam, & longè minus labefactat capitis & reliquorum viscerum facultates. Verùm si puerulus hirsutus sit, gracilis, nigrioris coloris, ita vt signa ferè omnia adustos aut melãcholicos succos attestentur: vel si fuerit admodum vorax, intempestiuisque exercitijs deditus, fugiendum est eo tempore à sanguinis detractione, & negociũ omne purgationibus est committendum. Priùs tamen statuendum est, hos & reliquos cauendos esse à vini vsu, moderandosque optima victus ratione, minus tamen exiccante quàm in reliquis pueris.

Quo facto, & sanguine etiã misso ex talo præcautionis gratia, aut ex brachio, cũ accessionũ vrgentia & fœuitia id postulauerit, tũc ad materiæ præparationẽ deuenien dũ esse consulit rei ratio. Quod profectò facies melle rosaceo, syrupo sthœcados, de mẽtha, borraginis & oxymellite, admixtis aquis & decoctis supra dictis, aut melicrato ex decocto angelicæ vel peoniæ. Quo facto si ventriculus mali causam obtinuerit, bis, ter ve in mẽse, dummodo æstiuum tempus non sit, pilulis ex hiera Galeni, mastichinis aut ex aloẽ lota, vel his quæ ex agarico, aloẽ & rhabarbaro æquis partibus cõficiuntur veteris. Quibus præmissis ad ea quæ reliquias conterũt deuenies, & vẽtri ac capiti ea quæ mox diximus appones. Tandẽ si hęc prodesse nõ videãtur, & malum iam firmatum in capite esse constet, ad fontanellã confugies, quã in adultioribus probo magis in altero brachiorũ aperire, quàm in occipitio.

Adultiorũ curatio. Altera autẽ curãdi ratio adultioribꝰ proficua esse iã offert: in qua primò inquirat prudens

prudens medicus an affectus ille ex pueritia ortũ traxerit, fueritq; inueteratus, an nuper genitus existat: & si ex nouiter factis sit, tunc scisciari oportet, an ex aliquo animi pathemate, vel ex immodica venere prodeat: an potius ex vitio alicuius mẽbri: cuius occasione caput malũ susceperit: & rursus iterũ exquirendũ est, an in fieri & per consensum habeat suum esse, an factum: iam quid in cerebro obtineat, nã iuxta has affectus varietates, variam etiam oportet excogitare medẽdi rationem.

Qui verò nouiter factus est epilepticus, duplicem habet medendi indicationẽ: alteram quæ causam & occasionem illius dat: altera verò quæ caput præcaueat, quo minus malum susceperit & in ipso firmetur: sic dum passiones animæ occasionem præstãt, distractione & animi tranquillitate ipsum pacare oportet, & exercitijs atq; gratis loquelis animũ distrahere ab his quæ ipsum turbãt: quibus adiunges veneris abstinentiã, & si ea occasione prodierit, vberiorẽ alimentorũ copiã: capiti verò vt mox referã prouidebis, corde nõ minùs omni roborantiũ genere præmunito.

At verò dum inueteratus existit affectus, alia via incedendum est, nimirũ per ea auxilia quæ caput respiciant, quorum meminero protinus, si priùs dixero aduersus inueteratã epilepsiã, sed quæ per consensum accessionẽ accersat duplicẽ quoque esse medendi rationem, vnam quæ consensum adimat: alteram quæ capiti prouideat. Verum cùm membra à quibus consensus demandari potest, varia sint, ob id cuiusque eorum meminisse placuit, vt clarior vtiliorque euaderet tractãdi ratio.

Mille occasionibus ventriculus capiti præstat huic affectioni apparatum, sed tunc maximè, cùm vel ex morsu oris ipsius per neruaceam substantiam cerebrum cõpatitur, aut biliosis & crasis simul succis abundat, hisq; aliquo modo vitiatis aut corruptis. Consensus autem qui per colligantiã neruosarum propaginũ fit magni est momenti atq; difficultatis: primum quia si os ventris aliquo acri atque erodẽti humore mordetur, solet nõ raro syncopim lethalem inducere, nõnunquam & prædictum epilepsiæ modũ: illud quidem quia arteriosum genus afficitur magis coagente simul vitioso calore, quorum occasione spirituum & caloris innati magna pars dissoluitur dissipaturque, qua laborans in syncopim & in mortem decidit, quia cor etiam ea ratione compatitur hoc verò quia neruea substantia exeditur mordeturque magis & primò, ac ob id ob prædictam colligantiam cerebrum compatiẽs concutitur conuelliturq;. Disces autem epilepsiam hac ratione succrescere, quia in sic affectis parum aut nihil oblæduntur sensus interni neque externi, quia cùm nihil in cerebrum transmittatur, non est cur sensus oblædi adeò euidenter possint. Habet hæc affectio causas plerunq; acrẽ aut salsuginosum à capite defluxum per venulas neruosarum propaginum in os ventris deductum, qui succi vbi consederint in ore ventriculi mordicationẽ in eisdẽ partibus efficiunt, ac ex cõsequẽti prædictũ epilepsiæ modũ. Cui medeberis per ea auxilia quæ mitigandi & mulcẽdi vires habeant: in accessione quidẽ potu aquæ feruẽtis vel haustu mucillaginosæ substantiæ, siue syrupus sit papaueris violarum aut portulacæ, siue cuiusuis alterius rei quæ consimiles vires habeat: ventri verò adhibebis fotũ cõsimiles vires obtinentẽ: capiti verò in accessione nihil appones, ad extra ipsum vt cap. de catharro dictum est prouidebis, at si epilepsia succrescat ex biliosis, & pituitosis succis putrefactis vel aliquo modo vitiatis existẽtibꝰ in vẽtris ore curationẽ institues, vt cap. de cardiacis affectionibꝰ scriptũ reperies. Cæterũ si ex eisdẽ in cauo vẽtris existẽtibus fiat, longè aliter curationẽ institues. Quo tẽpore cùm aliqua accedit causa, quæ hos mouere, exagitare aut vtcũque aliter ab eis halitũ in caput deferre posit, mox qui sic affecti sunt accessione corripiũtur. Meminit Gal. huius affectionis. 4. de locis affect. cap. 5.

Si cõsensu ventriculi fiat epilepsia.

sub historia Grammatici cuiusdam, qui ab ira immodica, aut cùm vehementer doceret adeò incandescebat, vt protinus in epilepsiam concideret. Distingues autem ab eo membro affectionem prodire ex sitj, oris amarore, cibi fastidio, nausea, animi angore, & eo quòd magis famelicos quàm saturos apprehendat: præterquàm quòd ventriculi dolor excrementorumq; natura id facilè possint ostendere, maximè cùm certum sit, hos plerũque in accessionem inducere externã causam, quæ prædictos succos exagitare valeat.

Sic mox curationis principium sumes ex clysteriũ vsu, quibus si quid excrementitium vitiatumque in corpore supersit, abstergi facilè possit. Sed institues primò eam victus & vitæ rationem quæ crudi tatibus gignendis non sit apta, succosq; vel temperatissimos, vel temperatis frigidiores natã sit efficere. Clysteria tamen hæc recipiant decoctum aristolochiæ, centaureæ minoris vel calamẽti ʒ x. hieræ picræ, ʒ ß. olei camemali. ʒ iij. sacchari rubri & mellis rosati ʒ ij. succi rosarum. ʒ ij. salis ϑ ij. Præstat etiam clysma ex melicrato decoctionis calamenti cum oleo communi & succo mercurialis conficere. Quo facto, mox ad purgationem deuenies, qua ante omne aliud auxilium vteris ex mãna, syrupo ex infusionibus rosarum, cassia fistula, aut infuso rhabarbari, vel foliorum sennæ cum sero lactis. Posteà verò vt plenius purgare possis, humorem præparabis syrupo borraginis cùm modico oxymellite, aut aqua lactis vel lupulorum: à quibus pleniorẽ institues purgationem, vel per epicrasim, primò ex pilulis quæ recipiunt hieræ Galeni. ϑ ij. agarici trochiscati & rhabarbari anà. ϑ j. mastichi, santalorum citrinorum, macis, rosarum anà. g. vj. cum succo citræ fiant pilulæ. Præstant etiam quæ recipiũt agarici, ʒ ij. zingiberis, salis gemmæ, cinnamomi, spicæ vtriusque, cubebarũ anà. ϑ ß. castorei g. vj. aloes non lotæ, ʒ j. ß cum succo menthæ fiant pilulæ, quarũ singulis diebus vnam capiat laborans, maximè si cognitum fuerit, ventriculum crudis succis abundare simul cum bilioso alio quo recremento. Quòd si hæc prodesse non videantur, ad vomitum laborantem cogere oportet, ita vt summo mane bis aut semel in hebdomada vomat, donec ventriculum constet immunem ab excrementis supersse. Quo tempore tuĕri ventriculi puritatem oportebit, optima victus & vitæ institutione. At si reliquiarum aliquid supererit, medicamentis quæ exteriùs apposita vim habeant resolvendi reliquias & roborandi ventriculum, rem ages: sic ipsum iunges oleo de absynthio, nardino, de angelica, aut de abiete, vel emplastrum ex eisdem oleis conficies cum pulueribus cinnamomi, caryophyllorum, seminis angelicæ, diarrhodonis & diamusci. Quem quoq; vsum præstat theriaca vel exteriùs apposita, vel intus sumpta; mithrydatum, electuarium diarrhodon, vel aromaticum rosatum cum aqua absynthij, aut caryophyllorũ: præstat etiam bis aut ter in hebdomada ʒ. j. rhabarbari masticare, modicumque vini absynthij bibere. Est tamen non minoris momenti ius galli veteris factum cum brassica marina, folijs sennæ, polipodio & passulis.

Quòd si per consensum à pede vel crure, vel quouis alio inferiori membro halituosus vapor in caput irruat, à putrilagine aut venenosa aliqua substãtia ibidem contenta elatus, quæ licet mole exigua sit, vehementia tamen & efficacia potentissima existat: vel rursus eiaculatus ab aliquo venenoso animali, diligenter est præcauendum, ne halitus caput ascendat, studentes ipsum in propria minera & parte conterere, dissipareq; venenũ à quo exoritur. Quare si quis demorsus à venenata aliqua fera in hoc malum incidat (nam certum est si venenum eiaculatum neruũ attrigerit, laborantem in epilepsiã casurum ex communicatione nerui cũ cerebro:

sicut dum arteria percutitur, animi deliquio corripi, quòd ocyssimè hac via venenum in corripiat & pari pensu dum venam sauciat, protinus id efficiat) præterquam quòd caput ab irrhodinis præmunire oporteat, membrum ligare paulò supra partem demorsam erit opus, quo transitus halitum ad caput præcludatur, & tunc cucurbitulis cum multa flamma parti demorsæ affixis, cum scarificatione aut secus, ipsum virus extrahere curabis. Quòd si non prosint, causticomedicamento partem inures, aut ferro candenti, donec quod venenosum est, exterpasse compellas. Item locum fouebis theriaca aut mythridato, contrita anagallide rusa: ac laboranti porriges alexipharmaca quæ veneno sunt aduersa.

Si tamen in aliqua dictarum partium ex vitio corporis aut quauis alia occasione, venenosa aliqua substantia innascatur, cuius halitus dum copiosior factus est, caput tentet, consimilem certè adhibebis diligentiam, habita prius per expurgantia pharmaca totius corporis prouidentia: nã & partes ligabis quæ in medio sunt, si fieri possit, & partem venenatam inures, scarificabis, sugesq; cucurbitula venenum. Tãdem si neque his caput præmuniri sufficere videatur, fontanellam excauabis in medio itineris inter caput & membrum mandans, caleget, quam adduximus lib. nostro de recto præsidiorum vsu. *Si per essentiã fiat.*

Verum si affectus iam sit per essentiam in capite, aut totum corpus vitiosum factum ipsi consentiat, longè alia ratione curationem instituere oportebit. Sic dum ex vitio alimenti vniuersum corpus afficitur, & subinde caput, primo expendendum est, an sanguis simul abundet, vel sanguinolenta euacuatio aliqua suppressa sit. Quippe tunc primò ex basilica aut communi vena vel ex ea parte quæ è directo respondeat suppressioni sanguinis, ipsum fundes, vti si ex vtero sit, varicibus aut hæmorrhoydibus, à talo vel ab eisdẽ hæmorrhoydibus & varicibus per hyrudines. Quo facto & parciùs quã plenitudo postulauerit, quia affectus natura non patitur copiosam sanguinis detractionem, protinus præmissa humorum præparatione iuxta humorum ideam, corpus purgabis: primò leuioribus pharmacis, & facta sensim mutatione ad vehementiora deueniendũ est, donec aliquod medicamentũ elleborum recipies porrigas, aut vt securiùs agas, ad elleborismum à Mathiolo scriptum, aut ad hieram diacolocynthidos, consilio Galeni. 1. de cõpophar. loc. deuenies, vel ad aliam quæ elleborũ probè correctum præparatum recipiat. Nam elleboro vt antiquiores vtebantur nec in pueris, nec in senibus fœminis vel debilibus, aut corpore non probè præmunito, & solùm ineunte vere nullatione vti licet: quòd si aliter vteris, non sine periculo facies. Tandem si hæc prodesse non comperias, & malũ grauius fiat, audacter tibij præparati. g. iij. vel iiij. porriges cũ modica conserua rosarum. Posteà verò humorũ reliquias conterere studebis balneis aquæ dulcis, aut si pituitam redũdare cognoueris, addito aliquo medicamento ex his, quæ & coquere & resoluere vires habeant, velut est camemallũ, maiorana, & sthœcados: veteris etiã theriaca & magnis alijs pharmacis. Vtinamò fontanellam in vtroq; crure aperies, & capiti ea præsidia adhibebis, quæ & ipsum roborent, & si quid ibidem moratur discutiant & conterant. Cuius census creditur esse præsidiũ qđ ore sumptũ recipit theriacæ veteris, mithridati anà partes æquales, enulæ campanæ lib. ß. saluiæ, sthœcados, betonicæ anà. ʒ ß. temperẽtur per noctem in vino vbi folia maluæ ferbuerint, deinde fiat aqua stillatitia, cuius sumat laborans. ʒ ß. aut vnã: vtitur etiam Ætius cap. 16. tetra. 2. sermone. 2. pilulis, quibus in robustis corporibus vti non formidarem: verùm in delicatioribus vbi plurimũ necessitas fuerit vrgens, consultiùs esse arbitror vti compositione hac, quæ recipit:

ellebori nigri, caſtorei, ſcamonij anà. ʒ. ij. opopanacis, cumini thebaici ſiue regij, cẽ taurij, nitri, ſulphuris viui, abrotoni ammoniaci, ſeminis rutæ ſilueſtris anà. ʒ. j. contuſa & cribrata excipiantur mulſa origanata, & cum ſucco ceraſorum dulcium & aqua peoniæ & per vitreum alumbicum inſtilletur, præbeq; laborãti quartam vnã & prout ſucceſſerit, adauge vel minue quantitatem. Prodeſt & liquor qui ex ſquilla exſudauerit, qui melle excipiatur, & laborãti quãtitate. ʒ. ß. aut vnius porrigatur. Idem valet mel ſquillinum ſuperius adductum, mel paſſulatum, item ſyrupus huic vſui proficuus, qui recipit radicis angelicæ & ſquillæ præparatæ, enulæ, peoniæ, ireos. anà. ʒ. i. polipodij, ſeminis cartami, paſſularum mũdatarum, glicyrrhizæ raſæ anà. ʒ. vj. betonicæ, hyſſopi, thymi, camedreos, camepitheos, viſci quercini, melliſophili anà. mij. ſeminis peoniæ, ſeſeli anà. ʒ ß. ſeminis aniſi, fœniculi anà. ʒ. ij. florum anthos, geniſtæ, cardiacæ, anà. p. j. & ß. ſaluiæ, maioranæ anà. p. ß. fiat decoctio ad medietatẽ, & in ʒ. ij. collaturæ adde ſyrupi de hyſſopo, de byſantijs & oxymellitis ſ. ana ʒ ß. Verùm vt efficacius fiat, in fine decoctionis addere oportebit turpeti ʒ ß. foliorum ſenæ ʒ ß. agarici ʒ iiij. cuius porrigere poteris facta collatura ʒ ij. Cæterùm ſi gratius & ſecurius, ac etiam puerulis velis efficere præſidium, hæc omnia in alambicum proijcies & inſtillabis. Poteris etiam huic vſui proficuas effingere tabellas, quæ recipiant myrrhæ electæ, coralli rubei, raſuræ cornu cerui, & eboris ana ʒ ß. ſeminis peoniæ, viſci quercini, & cranei humani ana ℈ ij. cum ſucco aut aqua peoniæ fiant tabellæ duarum ʒ. quarum laborans mane vnam capiat ieiunus. Efficaciſsimum eſt quod recipit cranei humani ʒ j. ſeminis peoniæ & radicis eiuſdem ana ʒ ij. ſaluiæ, hyſſopi, rutæ ſiccæ ana ʒ j. florum rubi, angelicæ & borraginis anà p. j. ſeminis atriplicis, vngulæ aſini ʒ ij. raſuræ eboris, cornu cerui, coralli rubei ana ʒ j. & ß. diamargaritonis vtriuſque ʒ ij. fiat puluis ex omnibus cum æquali quantitate ſacchari, aut conſerua cum melle & aceto ſquillino, & adde theriacæ & mithridati ana ʒ j. ß. cuius porrige ʒ ß. aut ℈ ij. Aliud cõficies pharmacũ ex eiſdẽ vel aliquibus, addito puluere hyſſopi, põdere ʒ ij. pro doſi totius compoſitionis qui ſolus puluis cum melle roſaceo vel ſquillitico inueteratos epilepticos curare ſolet. Conficies etiam aquam mirabilis efficaciæ hac lege: R. hyrudines nu. iiij. rutæ. m ij. caſtorei ʒ j. vini albi lib. iij. inſtillentur per alambicum & laboranti porrige ʒ ij. Quòd ſi ex his omnibus quæ memorauimus cũ ſucco aliquo ex prædictis herbis & oxymellite inſtillationem parare libuerit, mirabile efficies præſidium. Verùm ſi neque hæc quidem prodeſſe videantur, ad ſudationem ex decocto ligni guayaci, radicis chinæ aut ſpartæ parellæ confugiendum eſt, addita decocto radice angelicæ cum peoniæ radicis ʒ j. hyſſopi & ſthœcados anà m. j. ex quo etiam addita maiori hyſſopi copia ſerapium conficies cum ſaſafraſa indica. Item ex eodem guayaco cum cortice eius hyſſopi & peoniæ granis & radice muſtum feruefacito & reſidere ac fieri vinum deſine, lentèquidem mirum in modum prodeſſe ſcribitur. His præmiſsis & nihil præſtantibus, fronti ſanguiſugæ affigendæ ſunt, & per ambitum etiam capitis, quas prodeſſe plurimum ferunt non contemnendi authores, ſicut caſtrationem quam multi commendant: ſed caput decocto guayaci ablues bis aut ter in menſe, & cucufam ipſi appones quæ recipiat puluerís ciperi, ireos, ana ʒ ij. ſeminis ſeſeli & peoniæ ana ʒ j. capillorum veneris, florum anthos & camemali ana ʒ iij. macis, cinnamomi ana ℈ j. Quam etiam aliter parabis, ſi acceperis granorum myrthi, granæ tinctorum, roſarum, coriandri ana ʒ ß. ſantalorum rubeorum, florum violarum, nymphææ, capitum papaueris ana ʒ iij. florum anthos & ſthœcados ana ʒ j. Cauendum tamẽ eſt in huiuſmodi præſidijs ab odoratis,

in

in his qui calido ſunt capite, ſicut fugere oportet quæ frigida ſunt, in his qui frigidum habent & ſtupidum caput. Præſtat & puluis capiti inſperſus qui recipit coralli, roſarũ, granorum myrthi ana ʒ ß. ſeminis lactucæ ʒ ß. granorum tinctorum, ſantalorum rubeorum, anà ʒ j. caryophyllorum & cyperi ana ʒ ß. fiat puluis tenuiſsimus. Cui ſimilem habet vim is qui recipit aniſi ʒ ij. coriandri & fœniculi ana ʒ j. medullæ ſeminis peoniæ & cubebarum, coralli vtriuſque, aromatici roſati ana ʒ. ß. pulueris ſeminis angelicæ ℈ j. cuius ſi addita æquali portione ſacchari ℈ j. laboranti porrexeris deuorandum, ex vſu facies.

Interim tamen dum hæc fiunt, caput vacuare tentandum eſt, omni gargariſmatum & caputpurgiorum genere, vt paulò ante relatum præcedenti capite abunde reperies. Dimitto tamen hac in parte multa alia quæ à proprietate prodeſſe quàmplurimi authorum ſcribũt, quia inutilia aut ſuperſtitioſa quodammodo eſſe videntur: ſatius enim multo eſt, morbo renuente hæc omnia auxilia, ad fontanellas & ſetones confugere, tanquam ad vltimum & probatum præſidium, præſertim ad fontanellam in occipitio factam, quam ſcimus non minus adultis quàm pueris profuiſſe. Præterquam quòd non deſunt, qui in hoc malo per eſſentiam & inueterato vlcuſcula in circuitu capitis ferro candenti fieri conſulant, non ſine magno laborantium beneficio. Renuere tamen oportet cycliſcis aut terebro craneũ perforare, breuioris enim & certioris periculi præſidium eſt.

Curatio motus conuulſiui.

Importuniſsima illa affectio, quam motum apellauimus conuulſiuum, curationem exoptat, (quatenus ad vniuerſalem prouidentiam attinet) conuulſioni ex repletione perſimilem. Verùm quia ſæpe habet peculiarem aliquam partem à qua prolabitur humor, duplex inſurgit medendi ratio: altera quæ ſuccum ſuperabundantem, vbicunque ſit euacuet & corrigat: reliqua verò quæ halitum ſeu humorẽ ibidem elatum neruoſam ſubſtãtiam ferientem conterat & reſoluat. Quapropter iuxta primam indicationem corpore purgato bis aut ſæpius, & parte etiam mandãte repurgata frequentioribus purgationibus, vt hoc ca. abunde dictum eſt, ad balnea naturalia, ſulphurea maximè deueniendum eſt, vel ſi placet ad ſudationes ex ligno guayaco aut ſparta parella ſi humor craſſus frigiduſue fuerit: verũ ſi tenuis & aquoſus, ex decocto radicis chinæ ſudationes parabis: ſi tamẽ caliditatis & tenuitatis fuerit particeps, ex iuæ radice, quas cæteris præferendas arbitror. Quibus factis confugiẽdum eſt ad antidota quæ epilepticis eſſe proficua ſcripſimus, qualia ſunt quæ ex theriaca, mithridato, ex craneo humano, ex dente apri, aut oſſe de corde cerui vel cornu eius conficiũtur. Præterea dorſo & parti conuulſæ aut ſe mouenti, quæ reſoluẽdi vires habeãt adhibebis, vt oleum anethinum, liliaceum, ex theriaca, rutaceum, viperinum & quod ex caſtoreo conficitur: tandem fotibus, & alijs huius naturæ vteris, quorum copiam adduximus ca. de conuulſione.

De melancholia. Cap. XVII.

QVI exactè harum affectionum (quæ inſaniæ quædam ſpecies ſunt) ex melãcholia ſuborientiũ, naturam noſſe voluerit, & cognitam præcauere aut curare, primo diligenti ſtudio noſcat quænam ſint deliramenti ſpecies, & quanam ratione vnam ab alia diſtinguere poſsit: nõ quidem ſolùm quatenus attinet ad læſam actionem & affectionis ipſius locum, ſed ad peculiarem cuiuſq; naturam & conditionem. Qua ſanè in re conſtat authorum

rum ferè omnium consensu, deliramentum omne & omnem mentis alienationem sub triplici genere huius vitij contineri: quippe aut febrilẽ calorem sequitur, aut sibi comitem habet, vel vltimò citra vllam febrem viget. Sic etenim febris vno è duobus modis cerebrum lædere apta est; vel solùm præstito illi præter naturam calore, qui continui ratione venis & arterijs succrescit: quo tempore solùm vigiliam inducere valet: vel simul cum calore ascendẽtibus ab humore qui putrescit aut incalescit halitibus, qui proculdubio ea occasione mentem afficiunt: caliginoso nimis humido ac frigido ascendente vapore, comatosum fieri affectũ antea dictũ est, & hac ratione mentem turbare. Verũ cuiusuis alterius naturæ sit, qui ascẽdit vapor, si putridus aut nimis acris vel aliter vitiatus existat, & ad intima cerebri irruat (nam si ad extimas, dolorem potius capitis concitabit) mentem proculdubio turbabit. Delirant enim homines imaginibus quibusdam internis facultatibus sentientibus oblatis: quarum gratia, quæ non sunt esse putantur. Has autẽ imagines mouent prædicti humorum vapores, vnusquisque pro sui natura: sanguis quidem grata præsentat, ac risum subinde mouet: melancholia rerum tristantium imagines mouet: bilis verò flaua aut atra eas quæ ad irã & furorem laborantẽ concitant. Quæ sanè deliramenta eò durant, quousque febris cuius feruore & occasione hæc mala concitantur remiserit: nullumque aliud habent esse, nullam maiorẽ permanentiam, quàm febris feruorem & incrementum: quo cessante, protinus omnia cessare & ad antiquum statum mentem redire certum est.

Secundum enim deliramenti genus grauioris est naturæ & conditionis: quippe quod ab eo cerebri morbo semper procedit, qui febrem sibi comittem habet: arguit enim non solũ calorem aut vaporem cerebrũ euertere, sed humoris alicuius substantiam vel cerebrum irrigare cum putredine & flogosi, aut citra ipsam: vel cerebri ipsius membranas inflammare. Quo fit, vt præter periculum quod subinde sequitur, sympthomata ex mentis oblęsione grauiora sint, & quod deterius est, perpetua & quæ nullo modo intermittunt.

Tertij verò generis deliramentum à præcedentibus dissidere certum est: à primo quidem quòd perseuerent & perpetua sint: à secũdò verò quòd febre careant. Sub primo enim genere paraphrenitides nũcupatæ continentur: sub secũdo phrenitidis & lethargi omnis differentia, dummodo ab eodem affectu à quo mens turbatur febris quoque succrescat: sub tertio verò, deliria omnia citra febrem comprehendi certum est, quæ sanè multiformia sunt. Reperies enim apud Platonem in Phedone duplicem furoris speciem: vnam quidem quę mentis fit intentione ex corporis causa vel origine: alteram verò diuinam siue immissam, & vt refert Celius Aurelianus vocatam diuinationem, & ab antiquioribus furorem seu maniam: qua parte recensẽt plures alias, quas breuitatis occasione prætereo, reducens eas omnes ad quinque solùm: quarum prima est melancholia: secunda furor: tertia amor: quarta rabies, & vltima hydrolcos, quam Auicen. 1. 3. tract. 4. cap. 18. appellauit cutbut, & Græci lycaonem, id est lupinam insaniam. Dimitto Hippocratis & Ciceronis certos quosdam insaniæ aut furoris modos, quos potiùs arbitror peculiares hominum passiones seu inclinationes viuendi & agendi negocia modos, ac natiuam conditionem esse, ac eos curabiles potissimùm cesco prudẽtia & educatione ac morum directione potius, quam medici ope.

Verùm si quis velit methodo & ratione omnes alias mentis alienationes adinuenire & nosse, expendat multis modis rectrices potentias citra febrẽ aberrare posse: primus enim mitissimus quidam hebetudinis modus est, videlicet cùm quis nõ intelligit

intelligit intelligenda, qui fatuum reddit hominem: secundus fit cùm homo videt quæ re vera non sunt, & vitium pertinet ad imaginatiuam & visiuam potentiam, qui modus appellatur mentis alienatio: verùm cùm homo nihil noui affert, sed malè iudicat de his quæ rectè cognouit, stultitia dicitur: quòd si in vtroque peccet, si perpetuus sit affectus, insania apud Latinos dicitur: cùm verò timor adest & mœstitia, vocatur melancholia: verùm si adsit ira & audacia, furor seu mania dicenda est. At fatuitas quæ primò constituit mentis errorem, si à frigida causa prodeat, duas sui producit species: vnam quidem qua parum cognoscit quæ cognoscenda sunt, qua qui afficiuntur homines rudes vocantur, & ipsa affectio stupiditas: alterã verò qua cognitis parũ rectè ratiocinatur, cui proprium nomẽ est fatuitas. Quibus exactè pensatis facilè erit nosse aut distinguere delirij species, quas loco citato refert Plato, ac ex Empedocle & reliquis antiquis Aurelianus: quas sanè docet distinguere ex sympthomate quod deliramentum sequitur. Infinitæ enim sunt delirantium imagines, omnes tamen reducibiles ad corporis dispositionem, vel ad studiũ seu animi affectum, quo maximè delectantur aut tristantur vel timent: quo fit vt ex his qui delirant, aliqui se numine afflatos existimant, & futura se vaticinari putant: sunt & qui de pecunijs congerendis perpetuò cogitent: alij etiam perditè amant, & nihil aliud quàm amorem cogitant aut loquuntur: multi se imperatores fingunt: alij poëtico furore percusi, versus semper conantur dicere: multi se venenum sumpsisse arbitrantur: alij ad venerem procliues turpia & inhonesta loquuntur. Itaque sic affecti talibus imaginationibus vigilantes afficiũtur, quales nobis somniantibus accidere conspicimus. Adeò insuper brutali insania nonnulli afficiuntur, vt luporum more noctu per nemora & saltus ac deserta loca aberrent. Inter quas mentis alienationes meritò rabiem recensuimus, vt inter Arabes fecit Zoarus & inter nostri temporis medicos Christophorus à Vega. Est tamen hæc differẽtia inter veram rabiem & hoc delirij genus, quòd hæc appellata rabies lethalis sua natura non est: illa verò quæ verè talis existit certò & citiùs interimit. Sed in hoc capite solùm melancholiæ meminisse placuit.

Melancholiæ nomine eum affectum hac in parte intelligere oportet, qui sympthoma cùm sit deprauatæ potentiæ imaginatricis, aut princeps certa functio deprauata cum timore, propter materiam opacam spiritus animales vitiantem, quæ cerebri intemperiem humori melancholico congenerem sequitur, cuius nomen morbus vsurpat: tantæ est efficaciæ & magnitudinis melancholia: cuius sanè sæuitia & potestas nullo alio verbo aut signo commodius monstrari potuit, quàm nomine melancholiæ. Talis enim est eius natura & conditio, vt studens antiquitas huius sympthomatis magnitudinem ostendere, prædictũ illi præstitit nomen, vt ex Galeno euidenter constat lib. 2. metho. quo solo censuit, quid magnum & funestum monstrari potiùs, quàm ex quouis alio accidenti ex his quæ grauissima habet. *Melãcholia nomen.*

Verùm qui exactè velit huius mali naturam venari, expendat priùs oportet qualis sit humoris melancholici (à quo tanquam à potissima causa nomen sumit) conditio, vt non solùm morbi naturam noscat, verùm & causæ sæuitiã, & accidentium omnium, quæ mira varietate lũdunt, naturam, vt adæquata illis possit præstare auxilia. Est enim tàm acerrimæ & pernicioſæ conditionis humor melancholicus (vtcunque fiat, siue naturaliter siue per adustionem) quòd cùm ab alijs secernitur & à natura non coërcetur, continetur & alijs attẽperatur, etiam si extra corpus eat, maiori ex parte mortem portendat, nedum cùm intra corpus manens solus,

ſolus, effrænis ac furens aliquem creat affectum, & eo magis quo pars affecta principalior extiterit. Ratio profectò in promptu eſt, quia talis conditionis humor generari, aut generatus vitiari minimè alicubi poteſt, niſi in iecore ob caloris magnitudinem & venarum anguſtiam, aut in liene ob eaſdem cauſas, calore præter naturã ibidem creſcente, aut in cordis ſinibus, vel vt rectiùs loquar iuxta ipſos ob incendium magnum: à quibus autem membris ſi valida ſunt, ſecretio fit prædicti humoris, ſin aliter, occiſime moritur homo, niſi ex ea quæ in liene generatur quartana ſuccreſcat febris, & ex ea quæ in iecore, elephantiaſis, carcinoma & febres mali moris ob caloris iecoris & ſanguinis corruptionem: ex ea autem quæ in corde aut iuxta ipſum exuritur, à qua uis cauſa ſit, mentis perturbatio & furor ob ſanguinis admixti leuitatem & feruorem citra putredinem. Cui rationi adiungitur, quòd talis humor naturæ ope nuſquam expellitur, neque coquitur: quia oportet in eo quod coquitur partem eſſe calori & naturæ noſtræ familiarem: quæ cùm nulla ſit in ſecreta melancholia, neque coquitur neque ſalubriter excernitur, ac multò grauiùs & periculoſiùs detinetur. Cùm igitur humor tam inutilis è corpore prodierit, conſtetque naturæ actione non propelli, ſed ferè vi propria, vt venena & vermes moueri natura ſuperata, hominem mori arbitrandum eſt, & ob id frequentiùs lethaliter excerni. Quòd ſi in corpore manſerit, certum eſt non eſſe adeò lethalem, quia aliquod ob cæterorum ſuccorum viciniam aut admixtionem ſuſceptat beneficium, vt in varicibus & hæmorrhoydibus, quæ deſipientiã & alios morbos curant, videre eſt. Neque ob id credendum eſt, vt multi cenſent, melãcholiam nihil ad mentẽ & prudentiã conferre: decepit enim eos Hippo. qui lib. de flatibus 20. ſententia, in ſanguine prudentiam conſiſtere ſcripſerat: eò quòd media & temperatior natura aptior ſit ad omnes actiones, ſic enim huiuſmodi authores melancholicos damnant, quòd plurimum à ſanguine diſſideant: ac referunt melãcholicos ingenio pollere potiùs arte & diſciplina, quòd laboribus & ſtudijs ſint cõſtantes, quàm ingenio & natura. Verùm ſi quis legat Galen. lib. artis med. vbi ex profeſſo rem diſputat, reperiet, quòd licet ad omnes operationes temperatior natura vtilior ſit, nihilominus tamen ad ſapientiam in homine reperiet cerebri ac ſpirituum ſubſtantiam prærequiri tenuem & claram cum modica permixtione bilis & melancholiæ. Cauſa profectò eſt, quia cùm ſapientiam perficiant duo, velocitas nimirum diſcurſuum, & iudicium graue de inuentis, author velocitatis eſt bilis, grauitatis & iudicij melancholia, vt ex Hippocra. conſtat lib. de natura humana com. 40. quòd vtrique humori iuncta ſit ſiccitas, quæ duplici nomine facit ad ſapiẽtiam: tum quia ſiccitas tollit excrementa impedientia diſcurſum & claritatem ſpirituum: tum quia facit ad quietem: anima enim quieſcendo fit ſapiens. Cui ſententiæ adſtipulatur Galen. lib. quod animi mores, dicens: Splendor ſiccus mens prudentiſſima: necnon & Ariſt. lib. 1. problem. 30. affirmans aptiſſimos ad ſapientiam eſſe melancholicos. Quòd ſi Galen. lib. de temperamentis. 1. aut alibi aliter loqui legas, de omnibus operationibus vni ſpeciei proficuis intelligere ſcias, vt lib. noſtro de principijs artis medicæ Deo dante latiùs diſputatum reperies. Vt tamen quiuis intelligat cuius melancholiæ interuentu homines fiant ingenioſiores, ſcito hunc humorem naturalem vno è tribus modis poſſe fieri, vt ſtatuerat Auicen. vel calore moderatiſſimo ſanguinis generatore, ad cuius augmentum eius quoque fo rex beriorem prouentum indubitatũ eſt: velut verè contingit. Quo cẽſeo ab Hipp. 3. apho. dictum eſſe, verè furores & melancholias fieri, vbi abundans prædicta fæx, quantumuis naturalis ſit, aliquo modo alteretur vitieturue. Secundo modo fit, cùm

cùm prodit à minori calore naturali & moderato, vt in autũno & inclinante ætate ſæpiſſimè contingit, licet Galen. & alij huius humoris prouentum in hac ætate & tempore ad calorem præcedẽtis æſtatis & ætatis exurentem referant: cùm hoc tamen febres erraticæ & quartanæ oſtendunt à minori huius temporis & ætatis calore fieri, vt monſtrant Hippo. verba. Æſtiuæ quartanæ, &c. & magis quæ hyemẽ attingunt diuturniores ſunt, ob maiorẽ melancholiæ prouẽtum ex nuper adducta cauſa: quæ ſanè melancholia terreſtrior eſt & ineptior ad omnem mentis actionẽ. Tertio verò & vltimo modo fit à calore ſufficienter immodico, vt docet Galen. 2. Cryſ. cap. 12. quod de naturali melancholia dictũ arbitror, ſiquidem diſputabat eo loco de ſanguine & bile naturali: à quo ſanè calore ea melancholiæ ſors efficitur quæ multis vſibus proficua exiſtit. In hac enim hæſitatione ego arbitror eã melancholiam huic negocio magis prodeſſe, quæ calidior eſt & purior naturali ſanguinis fæci: nam cùm neceſſarius ſit ad prædictas animæ actiones ſpirituum & ſanguinis ſplendor, ab ea melancholia profectò hæc beneficia præſtantur quæ tepore caloris aliquid contraxerit, magis inquam quàm melancholiæ naturalis, quæ potiùs ſplendorẽ adimit. Vnde ex prædicto calore ſcaturiens ſpiritus, cum ſupernis corporibus quandam veluti familiaritatem habet: & quemadmodum hæc calore, motu, luce, prædicta operãtur, ſic ille quoq; calidus, lucidus, agilis inſtar ad magna & abdita intelligenda. Quibus conſtare arbitror axioma, & hoc non de illa melancholia quæ fæx ſanguinis eſt, neque de alia quæ frigidior ſit, ſed ſolùm de prædicta, quæ & biliоſæ agilitatis & firmitatis melancholiæ particeps exiſtat, dummodo calor non adeò excedat, quòd ad confinium atræ bilis ipſam ducat, ne in maniã commigret ingenij acumen. Cùm hoc tamen non licet intelligere id axioma in corporibus quibus abundat melancholia hæc, vel cæteris dominatur, vel ſanguine non compeſcitur.

Affectus natura.

Cognita igitur talis humoris vnde hic affectus nomen ſumpſit natura, ſtatuendum eſt, quòd licet hic affectus nomine melancholiæ inſigniatur, cum hoc tamen nõ per ipſam melancholiã, neque per cerebri morbũ ſeu intemperamentum definitur, ſed ſolùm per ſympthomata quæ euidentiùs in eo monſtrantur. Quo fit vt ſit melancholia morbus, velut diffinit Areteus, animi angor in vna cogitatione defixus atque inhærens ſine febre, demum furoris vel maniæ initium: ita vt ſit etiam rationis in vna aliqua re lapſus, conſtante in reliquis iudicio: mania verò integra deſipientia: vterque tamen affectus delirium eſt, ex his quæ citra febrem contingere diximus. Verùm quãuis his duobus nominibus Hippoc. aliquãdo abutatur, cum hoc tamen vnumquodq; ſuum habet propriũ ac peculiare ſignificatum: mania enim vehementiſſimum dicit delirium, melancholia verò mitius. Qua ratione conſtat, hac via interpretandum eſſe Hipp. 3. aphoriſm. dicentem. Senibus accidunt paraplexiæ & mania: quo loco verbum illud mania vſurpatur pro melancholia: nam à ſenum natura longè diſtat maniæ conditio. Ruſus. 6. aphoriſmorum inquit. Furore correpti ſi varices aut hæmorrhoydes ſuperueniant, liberantur, furor enim ea parte maximè melancholiã ſignificat, licet vtrunque ſubaudiri poſſit. Qualiter verò hi duo affectus inter ſe diſſideant paulò inferiùs leges.

Pars affecta & peculiaris affectus natura.

In vtroque autẽ affectu, melancholia nimirũ & mania, cerebrũ lædi nullus ambigit, cùm potiſſima eorũ ratio in principis alicuius potẽtiæ læſione ſita ſit. Verùm cum hoc expendendum eſt lædi potiſſimum eius anteriorem partẽ, idq; maximè in melancholia per conſenſum ab hypochondrijs: verùm læſio ex hac occaſione potiùs pertinet ad ſpiritus in ea parte ſitos, quàm ad ſubſtantiam: nam ſolùm

O obſcu-

obscurãtur vitio aduenientis halitus. Quo fit, vt hac melancholiæ sorte affecti me tuant solũ & tristentur, cæterũ leuiter. Verũ in ea specie quæ à toto corpore prodit, vitiatur etiam anterior cerebri pars, ita vt prauè disponat spiritus, & cum hoc media etiam oblæditur: ex quo fit, hoc modo affectos aliquantulum in ratione ab errare. At qui per essentiam hoc malo laborant, omnes potentias habẽt aliquo mo dò læsas sed imaginatiuam longè magis, æstimatiuam non parum, memoriam verò si affectio particeps sit pituitæ plurimum, sin aliter memoriosiores fiunt. Læditur autem in prædictis affectionibus cerebrum longè diuersa ratione, ab ea qua alij huius partis morbi ipsum vitiant. Cuius doctrinæ occasione nosse oportet, cerebrum lædi posse vno è tribus modis: nimirum aut quatenus pars est instrumentalis & figura atque organizatione gaudet, & operatur spirituum ope, qua lege cerebrũ parit actiones motiuas & sentiẽtes exteriores, aut etiam patitur quatenus pars est simplex & temperamento vtitur, quo etiam operatur & præstat actiones facultatum interiorum, imaginatiuæ nimirum, cogitatiuæ & memoriæ: Atque hoc profecto est quod Galenus dixerat lib. 3. de locis affect. cap. 7. loquens de cerebri affectionibus, quasdam vergere in corpus, hoc est fieri ex vitio aut læsione cerebri, quatenus pars est instrumentalis, sic enim epilepsiam apoplexiam & similes corpus lædere. Quasdam verò dixerat vergere in animam, quam Galen. falso temperamentum esse existimauit: est tamen immediatum & proximum ipsi instrumentum, adeò vt temperamenti vitia appellauerit etiam Hippocra. lib. 6. popu. animæ morbos: cui sanè melancholia reducenda venit. Quæ sententia sic (vt vulgus medicorum arbitratur) omnino falsa existit, cùm verisimum sit, internas cerebri actiones non minus prærequirere debitam configurationem ipsius quàm reliquas: quod facilè probari potest, cùm ex quouis structuræ vitio non minus lædãtur, quàm reliquæ. Euidentissimum huius veritatis argumentum est epilepsia, in qua ob structuræ vitiũ omnes sensus interni ac plerunq; externi facilè lædũtur: sic quoq; in vulneribus capitis & alijs huius naturæ malis cõtingit. In qua re statuẽdũ est q; licet temperamẽtũ (siquidẽ solius partis similaris forma est) actiones quæ ipsi parti vt similaris est debentur efficiat sanum, euertit tamen eas omnes vitiatum. Quamobrem censeo temperamenti vitio internas actiones lædi duobus modis: vno temperamenti communis (quo omnes facultates, tanquam communi instrumento vtuntur) læsione; nimirum caloris influentis, citra quem nulla actio, siue vegetabilis sit siue animalis fieri probè potest: cum hoc tamen secundario animales actiones lædi possunt à vitijs proprij cuiusque partis temperamenti, dum genitis deprauatis succis aut excrementis, partem ipsam eiusque decorem ac spiritus & calorem læduntur & interturbant, vt in siluestrina melancholia euidenter colligitur. Itaque si hac lege rem consideres, certum est temperamentum posse instrumenta vitiare, ac eorum passiones structuræ vitio lædere internorum sensuum actiones: verùm si vt iacet velis Galen. mentem intelligere, multis interuallis à veritate discedes. Ex quibus etiam educi poterit tertius modus læsionis cerebri, videlicet cùm & instrumenta & temperies simul vitiantur. Erit igitur melancholia morbus in cerebri intemperie sicca & frigida situs ob vitalis caloris vitium, siue nuda existat, siue cum affluxu sit materiæ etiam melancholicæ, quia vtroque modo arguit communis illius instrumenti iacturam & vitium. Cuius morbi naturam optimè comprehendit prima huius diffinitionis pars, quæ docet intemperiem esse humori melancholico congenerem, vt simul complectatur eam melancholiæ speciem quæ ex fumis prodit perperam affectis ad cerebrum eleuatis,

tis, qui sanè prædictæ intemperantiæ simile̅m & congenerem efficiunt affectum, siccum nimirum maximè & frigidum ac de natura terræ: nam talis est huius intemperamenti conditio. Expedit etiam in hac re scire quòd licet humoris melancholici etiam adsit affluxus, cum hoc tamen affectio semper censenda est illius communis caloris intemperies: quia humoris copia nondum valuit structuram vitiare. Item licet ab halitu fiat in cerebrum elato, pari ratione ad eandem intemperiem reducenda venit. Nam ea melancholia quæ per primogeneam fit affectionem, licet (vt reliquæ huius morbi species) intemperiem hanc efficiat, diuersa tamen ratione lædit actiones, etiam si læsio sit in omnibus eadem: quippe hæc generat spiritus animales adeò siluestres, opacos, siccos ac de natura terræ, vt ob id sympthomata melancholica necessariò succrescant. Verùm si ex copia humoris melancholici in capite redundãtis affectio fiat, diuerso modo fit læsio, licet morbus quoque intemperamentum sit: quippe eo tempore spiritus non generantur obscuri & terrestres, sed ab halitu melancholiæ intemperie & natura infecti quãtumuis lucidi generentur, eundem effectum producunt. Præterea dum halitus ascendit ab hypochondrijs non generat spiritus vitiatos, neque cerebrum subinde (saltim facta hac intemperie) intemperat, sed deteriores, obscuros opacosque reddit ipsos: præterquam quòd tunc intemperie cerebrum quoque afficere est arbitrandum.

Quæ potentia lædatur

Quæ nam animalis functio offendatur in hoc affectu, non quidem vno consensu omnibus probatur: quippe multi arbitrantur solam lædi imaginationem, & eo à mania seiungunt, probantque id mille rationibus & Galeni decreto lib. 2. de caus. sympth. cap. 7. necnon & ex Ætio lib. 6. ca. 9. & Traliano lib. 1. ca. 7. qui referũt melancholicæ desipientiæ esse varias species, prout in ipsis paulatim dolosæ imagines apparent: qua sententia se putant probasse solùm ad imaginatiuam pertinere. Alij rursus arbitrati sunt in melãcholia omnino rationẽ lædi. Quòd Galẽ. 2. de caus. sympth. dixerit, in melancholia humorẽ circũfundi rationali animæ, &. 5. popu. sect. 5. 11. per melancholiã homines fieri imprudẽtes: & cũ prudẽtia pertineat ad rationẽ, videbatur intentũ. Ego quidẽ saluo meliori iudicio, cũ Areteo arbitror in hoc malo non omnino lædi rationẽ, neq; ex toto saluã superesse. Quippe inquit. Est melãcholia in vna aliqua re lapsus, cõstante in reliquis iudicio: mania verò integra desipiẽtia. Itaq; nõ omnino carẽt vitio rationis qui hoc malo afficiũtur, siquidẽ imaginationi prauæ cõsentire videtur: cũ hoc tamẽ solũ in ea re quã imaginãtur credunt, timent, & desipiunt, alioqui non timerent, in reliquis verò integra fruuntur ratione. Præterea qui hypochõdriaca laborant, nunquam in ratione aut quàm rarissimè aberrant, nisi affectio in factam permutetur, sed solũ tristitia & metu afficiuntur, licet probè intelligant esse citra occasionem & rationem timoris: sed re verà id videtur à ratione & constanti animo quodammodo alienum.

Dubium an mœror ab atro calore prodeat.

Differendum mihi est in hac parte, quòd multi etiam ex viris doctis disputãt, nimirum qua nam ratione melancholicis prædicta succrescant metus & mœstitiæ accidentia. In qua sanè re non placet Auerr. adducta à Galeno causa, quippe inquit lib. 2. de causis sympth. ca. vltimo, & 3. de locis cap. 7. Quemadmodum enim in his exterioribus nihil æquè terrorem ac mœstitiam infert ac circunfusæ tenebræ, ita prorsus in cerebro ipso obtenebrantur facultates & spiritus ex atro colore melancholiæ aut vaporum ascendentiũ: quo fit vt anima tristetur & pertimescat, ex concepta semel mali præsentis aut futuri opinione. Atque licet hoc verum esse nobis quotidianũ experimentũ repræsentet, mille rationibus Auerr. euertere

ſtuduit. Inquit enim tertio collect. 45. color non eſt qualitas actiua, quæ mutare poſsit animæ functiones: nam mores corporis temperamenta ſequuntur, non colores humoris: ergo videtur id accidens hac ratione non poſſe fieri: præterquam quòd tenebræ nec in viſum quidem imprimunt, vt quæ priuationes ſint, neque ſentiri actu poſſunt, & adhuc minus in interiori ſenſu, quo neque colores ipſi percipi poſſunt, ergo . Secundò inſtat etiam ſic dicens, ſi immediatè læditur actio interior ex colore, iam color morbus erit: hoc nec Galen. concedet, ergo ſequitur aliam habere cauſam . Quibus & alijs huius naturæ rationibus nititur Galeni axioma euertere, fictionem quandam aſtruens, quæ longè minoris eſt momenti quàm adductæ rationes. Nam cùm luciditas ſpiritus ſit cerebri quoad hanc actionem quodammodo ſanitas, pari prorſus ratione obſcuritas morbus erit . Quòd ſi velis ſpiritum opacum cauſam opacitatis & euerſionis ſanitatis cerebri appellare (ſiquidem morbus paſsio viuentis cenſenda eſt) non inconuenit, dummodo rem intelligas, ſiquidem comperimus eſſe etiam ſympthomata, quæ cauſam ſequuntur: in rebus adeò dubijs, non eſt grande crimen hac lege philoſophari . Præterquam quòd ſi primum velis tueri, non eſt inconueniens alia morborum genera præter tria à Galeno aſsignata, eſſe conſignanda, vt mox probabo: ſed ſatius eſt intelligere colorem corneæ & chriſtaloides morbos intemperamento appellare Galen. citra alterius noui morbi confectionem, quoniam perſpicuam eſſe ex elementorum mixtione corneæ ineſt: & ob id iure optimo ait, colorem melancholiæ mores mutare, quoniã dixerat, mores animi temperamentum ſequi, quaſi color humoris temperamentum ſit, vel ad ipſum reducatur. Et quemadmodum multa ſimilarium membrorum vſum præſtant functioni qualitate aliqua ſecunda magis quàm prima, vt cornea, quæ potiſsimum viſioni confert perſpicuitate quã temperamento, ita humores in animum imprimunt magis ſplendore aut obſcuritate quàm temperamento, mutata alterataue cerebri ſubſtantia, vbi morbi ratio ſita eſt. Præterquàm quòd non inconuenit præter illa tria communia morborum genera, quibuſdam membris alia ineſſe peculiaria, ſicut diaphaneitatem & luciditatem, aut alia eius naturæ: ſic enim cerebrum non minus per luciditatem ſpirituum, quàm per ipſos ſpiritus parit naturales actiones. Et ſic color melancholiæ licet in cerebro non percipiatur ab aliquo ſenſu, neque virtutẽ ipſam immutet, eſt tamen cauſa vt omnia obiectiuè repræſententur ſenſibus interioribus ſub ſpecie opaca & horrenda . Haud ſecus quàm color exiſtens in cornea, qui non videtur à chriſtaloide, verùm eſt cauſa deprauatæ viſionis: ſic enim inſomnia, mille monſtra horrenda & timenda fingunt ex repræſentationis ſpecierum eiuſdem conditionis: nam pari ratione ſtatuendum eſt fieri melancholicum timorem in morbis, ac in ſanis ſomniantibus eadem accidentia timoris aut triſtitiæ, præterquam quòd in ſomnijs nullam fidem adhibemus, & ob id metus & mœſtitia nobis expergeſcentibus ceſſant, perſtant verò in melancholia ob vitium rationis quæ aſſentit & malè iudicat de eis . Qua ratione ſtatuendum eſt, ſpiritum opacum cauſam opacitatis & euerſionis ſanitatis exiſtere . Nec rurſus valet ratio, qua probat ſi ſanguis abundaret in cerebro, pari quoque ratione lætitiam effecturum, nam id vltro concedimus: quibus accedit, hæc duo ſympthomata non ſolum prouenire ob atrum colorem, ſed ob intemperamentum frigidũ & ſiccum, quo cerebrum idoneum prædictis ſympthomatis efficiendis redditur. Quòd ſi dixeris ſenes ob id ſemper debere melãcholicis imaginationibus perturbari, quòd frigidum & ſiccum habeant cerebrum: expende aliud eſſe aliquod intemperamentum eſſe alicui naturale, & aliud longè diuerſum præter naturam alicui ſuccreſcere: quo fit, vt ſenes non delirent: quibus verò ob melancholicum humorem aut frigidum & ſiccum temperamentum anima turbatur, deliria accidunt.

An perpetuò in melãcholia mœror adſit.

Cùm dictum ſit, inſeparabile ſympthoma à melancholia mœrorẽ eſſe, dubitatione non carere videtur, cur Democritus apud Hipp. perpetuò riſu afficeretur, & qua nam ratione ferè omnes authores ſtatuãt deliriũ cum riſu à ſanguine fieri & non à melancholia, atque etiam ſecurius eſſe quàm id quod cum ſtudio fit. Multi ſanè vt hanc calumniam fugiant, prædictum riſum non eſſe verum fingunt, ſed eam oris geſticulationem arbitrantur contractam ſine interiori lætitia & animi intenſione, ſimilemq; ei quæ apparet in epilepticis & riſu ſardonico affectis. Verũ ſi rem diligentiùs expẽdas, reperies riſum illum ab Hipp. dictum, potiùs maniacis ex ſanguinis feruore & vſtione fieri, quàm melancholiæ, vt Auerr. reſpondeamus, nimirum poſsibilem eſſe etiam riſum ex colore lucido & ſanguini ſimile in cerebro: cæterùm melancholicis id ſympthoma attemperari, non quidem ex toto auferri ſanguinis occaſione. Nam ſi in naturali ſteterit diſpoſitione ſanguis, deliriũ minimè efficiet: ſi verò calidior & feruidior, maniam potiùs mitem progignet: at ſi frigidior fuerit & craſsior, iam cum melancholia coincidet & mœſtitiam quoq; efficiet, cæterùm eam non vehementem, vt optimè animaduertit Auic. & ſic profectò Tralian de ſanguinea melancholia loquens inquit. Si ſanguineo acceſſerit mœror quiſpiã magnus, oritur ſanguinea melancholia: ex quibus intelligitur ſanguineam melancholiam non abſolui à cõmuni melancholiæ mœrore: verùm cũ hoc per interualla temporum edere lætitiæ ſigna: quòd ſi plus iuſto lætentur, præterquam quòd præludiũ eſt maniæ, id fit prorſus, quia ſic affecti ratione renitente inſultibus humorũ orbãtur, quod purè melancholicis nõ accidit, & quia iam ſanguis aduritur, & ea ratione ſplendet magis quàm antea, adeò vt animo ſpes, vigor & alacritas oriantur quibus in riſum prorumpit homo: & hoc ſenſu audire oportet ſanguineam melancholiam, quam ego arbitror magis fieri poſt ſanguinis efferueſcentiam aut vſtionem (nam quo tẽpore efferueſcit, efficitur leuis mania) facto autem feruore, frigidus fit affectus vt anteà dixeram.

An melãcholia citra timorẽ reperiatur.

Non minus infert dubium, poſsit ne melancholia aliquo modo citra timorem reperiri: nã ſi tota timoris occaſio eſt humorũ cerebrũ obſidentiũ ater & obſcurus color: cùm ex pituita quæ alba eſt deliramentum etiã ſuccreuerit, conſtabit profectò citra timorem poſſe fieri. Quòd verò ex pituita deliramenta ſuboriantur, hoc diſcurſu apparebit: ſi melancholici magna ex parte fiunt epileptici, & hi quoque melancholici, vt ex Hippocr. lib. de morbo ſacro conſtat, & epilepſia frequentiùs ex pituitoſis fiat humoribus, conſtabit proculdubio melancholiam aliquando futuram pituitoſam: ſiquidẽ vtriuſque affectus ratio nullo alio modo diſsidet quàm ſi pituita vergat (vt dictum eſt) in corpus aut in animam. Inquit enim loco citato Hipp. & epiſtola de inſania: Fit cerebri corruptio à pituita & bile, vtriuſq; verò cognitio ſic contingit. Etenim qui à pituita inſaniunt, quieti ſunt & non vociferantur neque tumultuantur, qui verò à bile, percuſſores ſunt & malefici & non quieti: & ſiquidem aſsiduè inſaniant, hæ cauſæ ſunt, ſi verò terrores & timores fuerint, à tranſmutatione fiunt cerebro caleſcente à bile, quæ adipſum per venas ſanguinarias procedit. Quibus verbis videtur conſtare melancholiam à pituitoſo humore poſſe fieri, ac ex conſequenti timore carere. Verùm ſi quis rem diligentiùs

ſtuduit. Inquit enim tertio collect. 45. color non eſt qualitas actiua, quæ mutare poſsit animæ functiones: nam mores corporis temperamenta ſequuntur, non colores humoris: ergo videtur id accidens hac ratione non poſſe fieri: præterquam quòd tenebræ nec in viſum quidem imprimunt, vt quæ priuationes ſint, neque ſentiri actu poſſunt, & adhuc minus in interiori ſenſu, quo neque colores ipſi percipi poſſunt, ergo. Secundò inſtat etiam ſic dicens, ſi immediatè læditur actio interior ex colore, iam color morbus erit: hoc nec Galen. concedet, ergo ſequitur aliam habere cauſam. Quibus & alijs huius naturæ rationibus nititur Galeni axioma euertere, fictionem quandam aſtruens, quæ longè minoris eſt momenti quàm adductæ rationes. Nam cùm luciditas ſpiritus ſit cerebri quoad hanc actionem quodammodo ſanitas, pari prorſus ratione obſcuritas morbus erit. Quòd ſi velis ſpiritum opacum cauſam opacitatis & euerſionis ſanitatis cerebri appellare (ſiquidem morbus paſsio viuentis cenſenda eſt) non inconuenit, dummodo rem intelligas, ſiquidem comperimus eſſe etiam ſympthomata, quæ cauſam ſequuntur: in rebus adeò dubijs, non eſt grande crimen hac lege philoſophari. Præterquam quòd ſi primum velis tueri, non eſt inconueniens alia morborum genera præter tria à Galeno aſsignata, eſſe conſignanda, vt mox probabo: ſed ſatius eſt intelligere colorem corneæ & chriſtaloides morbos intemperamento appellare Galen. citra alterius noui morbi confectionem, quoniam perſpicuam eſſe ex elementorum mixtione corneæ ineſt: & ob id iure optimo ait, colorem melancholiæ mores mutare, quoniã dixerat, mores animi temperamentum ſequi, quaſi color humoris temperamentum ſit, vel ad ipſum reducatur. Et quemadmodum multa ſimilarium membrorum viſum præſtant functioni qualitate aliqua ſecunda magis quàm prima, vt cornea, quæ potiſsimum viſioni confert perſpicuitate quã temperamento, ita humores in animum imprimunt magis ſplendore aut obſcuritate quàm temperamento, mutata alterataue cerebri ſubſtantia, vbi morbi ratio ſita eſt. Præterquàm quòd non inconuenit præter illa tria communia morborum genera, quibuſdam membris alia ineſſe peculiaria, ſicut diaphaneitatem & luciditatem, aut alia eius naturæ: ſic enim cerebrum non minus per luciditatem ſpirituum, quàm per ipſos ſpiritus parit naturales actiones. Et ſic color melancholiæ licet in cerebro non percipiatur ab aliquo ſenſu, neque virtutẽ ipſam immutet, eſt tamen cauſa vt omnia obiectiuè repræſententur ſenſibus interioribus ſub ſpecie opaca & horrenda. Haud ſecus quàm color exiſtens in cornea, qui non videtur à chriſtaloide, verùm eſt cauſa deprauatæ viſionis: ſic enim inſomnia, mille monſtra horrenda & timenda fingunt ex repræſentationis ſpecierum eiuſdem conditionis: nam pari ratione ſtatuendum eſt fieri melancholicum timorem in morbis, ac in ſanis ſomniantibus eadem accidentia timoris aut triſtitiæ, præterquam quòd in ſomnijs nullam fidem adhibemus, & ob id metus & mœſtitia nobis expergeſcentibus ceſſant, perſtant verò in melancholia ob vitium rationis quæ aſſentit & malè iudicat de eis. Qua ratione ſtatuendum eſt, ſpiritum opacum cauſam opacitatis & euerſionis ſanitatis exiſtere. Nec rurſus valet ratio, qua probat ſi ſanguis abundaret in cerebro, pari quoque ratione lætitiam effecturum, nam id vltro concedimus: quibus accedit, hæc duo ſympthomata non ſolum prouenire ob atrum colorem, ſed ob intemperamentum frigidũ & ſiccum, quo cerebrum idoneum prædictis ſympthomatis efficiendis redditur. Quòd ſi dixeris ſenes ob id ſemper debere melãcholicis imaginationibus perturbari, quòd frigidum & ſiccum habeant cerebrum: expende aliud eſſe aliquod intemperamentum eſſe alicui naturale, & aliud longè diuerſum præter naturam alicui ſuccreſcere: quo fit, vt ſenes non delirent: quibus verò ob melancholicum humorem aut frigidum & ſiccum temperamentum anima turbatur, deliria accidunt.

An perpetuò in melãcholia mœror adſit.

Cùm dictum ſit, inſeparabile ſympthoma à melancholia mœrorẽ eſſe, dubitatione non carere videtur, cur Democritus apud Hipp. perpetuò riſu afficeretur, & qua nam ratione ferè omnes authores ſtatuãt deliriũ cum riſu à ſanguine fieri & non à melancholia, atque etiam ſecurius eſſe quàm id quod cum ſtudio fit. Multi ſanè vt hanc calumniam fugiant, prædictum riſum non eſſe verum fingunt, ſed eam oris geſticulationem arbitrantur contractam ſine interiori lætitia & animi intenſione, ſimilemq; ei quæ apparet in epilepticis & riſu ſardonico affectis. Verũ ſi rem diligentiùs expẽdas, reperies riſum illum ab Hipp. dictum, potiùs maniacis ex ſanguinis feruore & vſtione fieri, quàm melancholiæ, vt Auerr. reſpondeamus, nimirum poſsibilem eſſe etiam riſum ex colore lucido & ſanguini ſimile in cerebro: cæterùm melancholicis id ſympthoma attemperari, non quidem ex toto auferri ſanguinis occaſione. Nam ſi in naturali ſteterit diſpoſitione ſanguis, deliriũ minimè efficiet: ſi verò calidior & feruidior, maniam potiùs mitem progignet: at ſi frigidior fuerit & craſsior, iam cum melancholia coincidet & mœſtitiam quoq; efficiet, cæterùm eam non vehementem, vt optimè animaduertit Auic. & ſic profectò Tralian de ſanguinea melancholia loquens inquit. Si ſanguineo acceſſerit mœror quiſpiã magnus, oritur ſanguinea melancholia: ex quibus intelligitur ſanguineam melancholiam non abſolui à cõmuni melancholiæ mœrore: verùm cũ hoc per interualla temporum edere lætitiæ ſigna: quòd ſi plus iuſto lætentur, præterquam quòd præludiũ eſt maniæ, id fit prorſus, quia ſic affecti ratione renitente inſultibus humorũ orbãtur, quod purè melancholicis nõ accidit, & quia iam ſanguis aduritur, & ea ratione ſplendet magis quàm anteà, adeò vt animo ſpes, vigor & alacritas oriantur quibus in riſum prorumpit homo: & hoc ſenſu audire oportet ſanguineam melancholiam, quam ego arbitror magis fieri poſt ſanguinis efferueſcentiam aut vſtionem (nam quo tẽpore efferueſcit, efficitur leuis mania) facto autem feruore, frigidus fit affectus vt anteà dixeram.

An melãcholia citra timorẽ reperiatur.

Non minus infert dubium, poſsit ne melancholia aliquo modo citra timorem reperiri: nã ſi tota timoris occaſio eſt humorũ cerebrũ obſidentiũ ater & obſcurus color: cùm ex pituita quæ alba eſt deliramentum etiã ſuccreuerit, conſtabit profectò citra timorem poſſe fieri. Quòd verò ex pituita deliramenta ſuboriantur, hoc diſcurſu apparebit: ſi melancholici magna ex parte fiunt epileptici, & hi quoque melancholici, vt ex Hippocr. lib. de morbo ſacro conſtat, & epilepſia frequentiùs ex pituitoſis fiat humoribus, conſtabit proculdubio melancholiam aliquando futuram pituitoſam: ſiquidẽ vtriuſque affectus ratio nullo alio modo diſsidet quàm ſi pituita vergat (vt dictum eſt) in corpus aut in animam. Inquit enim loco citato Hipp. & epiſtola de inſania: Fit cerebri corruptio à pituita & bile, vtriuſq; verò cognitio ſic contingit. Etenim qui à pituita inſaniunt, quieti ſunt & non vociferantur neque tumultuantur, qui verò à bile, percuſſores ſunt & malefici & non quieti: & ſiquidem aſsiduè inſaniant, hæ cauſæ ſunt, ſi verò terrores & timores fuerint, à tranſmutatione fiunt cerebro caleſcente à bile, quæ adipſum per venas ſanguinarias procedit. Quibus verbis videtur conſtare melancholiam à pituitoſo humore poſſe fieri, ac ex conſequenti timore carere. Verùm ſi quis rem diligentiùs

gentiùs penſitet, reperiet ex pituitoſo quidem humore mentis commotionem & delirium fieri poſſe, melancholica verò deliramenta minimè, quòd prædictus humor terrorem non inferat. Quòd ſi quis dixerit Hippocrat. loco citato, hæc referre verba (triſtatur autem & angitur homo, & præter temporis rationem obliuioſus fit, dum cerebrum à pituita refrigeratur, & præter ſolitum morem compungitur) quibus videtur pituitam triſtia etiam deliramenta poſſe inferre: expendat mœſtitiam illam potiùs ex mentis ſtoliditate prodire, quàm exiraſcibilis potentiæ affectu. Nam certum eſt, à pituitoſis ſuccis obliuioſa aut ſoporoſa aliqua affectione cerebrum lædi, potiùs quàm timida aut triſti dementia. Quòd ſi aliquando accidat, triſtitiam illam potiùs apparentem quàm veram arbitraberis: niſi velis additam eſſe in contextu Hippocrat. particulam illam, triſtantur, vt certò probari poteſt ex primis contextus verbis: inquit enim. Si verò terrores & timores fuerint, à tranſmutatione fiunt cerebro incaleſcente à bile: qua parte euidenter conſtat timorem & triſtitiam non ſuccreſcere pituitoſis deliramentis, niſi ratione vſtionis flauæ bilis, quo in melancholicam naturam commigrat affectio. Quòd ſi vlteriùs velis aſſerere, à pituita poſſe fieri, arbitrandum eſt, pituitam quoque debere vri, vt ex ea metus & mœſtitia ſuboriantur: nam aliter fieri eſt impoſsibile, Galeno aſſerente comment. illius ſententiæ Hippocr. qua refert epilepticos poſſe fieri melancholicos, qui expreſsè ſtatuit, id ſolũ debere intelligi de ea epilepſia quæ ex melãcholia fit, non de ea quæ à pituita: quod nos etiam eodem modo intelligimus, niſi vratur ſicciorque fiat & melancholiæ cogniata.

Dubium. Sed maius eſſe nunc offert dubium, qua nimirum ratione fiat, quòd metus & mœſtitia, paſſiones alioqui facultatis vitalis, ſequantur & poſsint monſtrare imaginatiuæ potentiæ læſionem: ſiquidem læſæ actiones tantùm oſtendunt vitium facultatum à quibus prodeunt, non aliarum. Cuius dubitationis cauſa præmittendum eſt, actus inferiorum potentiarum actibus ſuperiorum ſubijci, ita vt ad actum quemuis iraſcibilis potentiæ prærequirantur actus ſuperiorum potentiarum, qui apprehendant rem circa quam verſantur actiones, ſub ratione conuenientis aut diſconuenientis. Atqui cùm imaginatiua potentia læſa ſit, fit facilè, vt quod ſemel apprehenderit, quantumuis à ratione ſit alienum, & ex morboſa cauſa timoroſum, præſentis aut futuri mali opinione ſemel concepta, protinus iraſcibilis potentia mœrore aut triſtitia afficiatur.

Dubium. Longè maioris difficultatis eſt noſſe, ſi affectio hæc melancholica in frigido & ſicco cerebri intemperamento ſita eſt, quanam ratione ex perſuaſione contraria deprauatæ opinioni & imaginationi ſubſidium & leuamen ſuſceptat. Cuius ſanè dubitationis gratia, in examen reuocare oportet, an animi affectus aliquo modo corpora poſsint immutare. Præmittendum tamen primò eſt, per animi affectus non ſolùm intelligendas eſſe vitales ſeu animoſæ potentiæ motiones, gaudij nimirum, ſpei & timoris, ſed omnia etiam quæcunq; animalis facultas in cerebro concipit imaginans, cogitans, memorans & concupiſcens. Sed poſſe huiuſmodi mutationes adinuicem fieri, vno è tribus modis ex philoſophorum ſententia, breui oratione monſtrare aggredior. Primus ſanè docet modum, quo corpus alteretur ad potentiarum vitalium motiones: ſequitur profectò corporis alteratio ad ſpirituum & ſanguinis motum, quo vel intra corpus ſe recipiunt in triſtibus perceptis, vel extra feruntur in lætis. Recurrit enim ſpiritus pedis in mœrore ad cor, quia percepto mœrore ab anima ob vnitatem eius in toto, communicat

nicat omnibus partibus triſtem notionẽ, quare & cordi etiam: cũque cor innatam habeat ab ortu propenſionem expandendi ad familiare ſpiritum, ita etiam & auertendi à noxijs, retrahendique reliquis membris immotis, corde ſolùm ſuo munere fungente. Haud ſecus profectò, quàm in motibus arbitrarijs: nam quamprimum in cerebro formatur mouendi conceptus aut loquendi, eo inſtanti ſolus muſculus propoſitæ motioni dicatus (etiam ſi omnibus muſculis diffundatur mouendi efficacia) contrahitur & ſolus exequitur mandata: qui ſanè citiùs miniſterio præeſt imperatæ motionis, reliquis ociantibus: quibus ſanè animæ motibus corpus ſummoperè alterari & moueri haud rarò conſpicimus. Pari etiam ratione dum iraſcitur homo, bilem auget ob ſanguinis feruorem, & dum meditatur, corpus refrigerat, & melancholiam auget. Itaque varias animi affectiones corporis mutare intemperiem nemo inficiabitur. Quod ſi ita eſt, rationi cõſonum videtur poſſe leuamen melancholico præſtari ex diſſuaſione conceptæ opinionis: tùm, quia ſi erronea imaginatio & futuri aut præſentis mali opinio cauſa erat timoris & triſtitiæ, proculdubio ſublato imaginationis errore, timorẽ & mœſtitiam quoque auferri neceſſum erit: tùm etiam ſanitati reducetur melancholicus, quia ex lætitia concepta ex diſſuaſione mali, etiam humores & ſpiritus extra mouentur tenuiores, clariores & ex motu calidiores facti, ſubindeq; caput incaleſcit natiuo ſpirituum calore, & humores ac cerebri ſubſtantia tẽperatiores fiunt, humectiorq; efficitur extenuitate & motu per vniuerſum corpus omnis ſubſtantia. Quibus profectò conſtat, diſſuaſionẽ ex grata amicitia vel ex graui aliquo viro ſuadente, ſummoperè huic malo profuiſſe. Secundus etiam operationis facultatum modus, non minoris eſt in hoc negotio momenti: viſio enim & imaginatio (vt inquit Ariſt. de communi animalium motu) rerum agendarum vim obtinent: ſpecies enim rei vel iocundæ vel formidabilis mente percepta, quodammodo talis extimatur, qualis ſe repræſentat: idcircò imaginatione ſolùm affecti, tùm horrore, tùm metu perculſi videmur. Quo ſanè modo, non minùs iuuantur melancholici homines ſpe iocunditatis ſemel ac ſolum concepta: ſpectra enim & ſpecies rerum iocundarum, quæ vel alicui repræſentantur per propriam memoriam, aut extrinſecus aliquo ſuadente, adeò ſeruant veſtigia & vmbram quandam externorum vnde prodierunt, vt non minùs quàm externa ac vera alterare ac immutare poſsint, & per conſequens omnem animi affectum mutare. Denique in prima cauſa humores & ſpiritus aptiores fiunt ad actiones potentiarum ex motu animæ: in hac ſecunda animus ipſe ſuadetur concepta contrarij ſpe & alacritate. Tertius verò modus expoſitus à me ſatis eſt lib. 3. de mulierum affectionibus capite de monſtruoſo conceptu: nimirum euidentiſsimũ eſſe apud aliquos philoſophos, inferiores potentias aliquo modo ad nutum ſuperiorũ operari. Quo fit vt ex hoc facultatum ordine prodeat poteſtas illa imaginationis & appetentiæ, ita vt pro illarum arbitrio, naturales facultates animalium operentur & obſequentes pareant: quod ſanè in melancholicis hominibus euidẽtiùs cõſpicimus, quibus tantum ferè imaginatio poteſt, quòd aliquando caſum faciat (vt ferunt.) Mõſtrat enim id nonnunquam euentus: ſed prætermiſsis de hac re mille exemplis in medium afferam quod refert neothericus quidam doctus: quippe cùm iuuenem cor ripuiſſet cauſus, qui frequenti delirio obnixè poſtularet concedi ſibi natationem in ſtagno illo, (monſtrabat autem pauimentum) conſtare enim ſibi aiebat, ſtatim conualiturum: tandem conſulente medico, permiſſus eſt ſupra pauimentum natare, & poſtmodum retulit iam ſibi aquam accedere ad genua,

& paulò pòst inquit,iam attingit inguina,ita crescente iuxta imaginationis concepta vsque aqua,hilari facie gestiebat,pronũciabatq; se sanum iam factum,& accedente medico reperit hominem sanum febreq; liberum: talis igitur est imaginationis vis & efficacia in laborantibus, licet non semper huiusmodi sortiatur vires. Verùm in melancholia non rarò factum est,quòd ob viri sapientis persuasionem, præsti ta sanitatis certitudine,tanta sæpè est ægri fiducia,quòd citra aliud auxilium, vis ipsa imaginatiua mouens spiritum & calorem,auferat quoque temperiem morbosam ab humoribus & cerebro. Atq; hæc de præsenti dubio mihi sufficere videntur,saluo meliori iudicio.

Melãcholiæ species.

Sed cuiusuis conditionis sint deliramenta quæ sic affectis succrescunt, tres tantùm posse accidere melancholiæ species pro comperto habemus. Prima quando in vniuersum in venis omnibus sanguinẽ atra bilis vitiat & conspurcat,à quo etiã cerebrum affici certũ est,vel hoc sanguine illuc quoque confluente intẽperanteq; cerebri substantiam,obscurando spiritus ipsos,quibus phantasmata erronea & fictitia imaginationem necessariò effecturam arbitramur: altera verò cùm reliquarũ corporis partium sanguis innocuus est, sed is solus vitiatur qui in cerebro continetur:quod sanè vno è duobus modis capiti accidere solet:vel melancholico sanguine(licet in corpore non redundet)illuc ob vigiliam,subitum timorem, tristitiã intensam cogitationẽ,& alia animi pathemata cõfluente:vel dum ipsius capitis habitus siccior frigidiorq; fuerit,ita vt quidquid in ipsum confluxerit siccarum qualitatum particeps efficiatur,& melancholiæ vitio conspurcet,& pari quoque pensu spiritus obscœnos & inertes gignat. Atqui cũ ex aliqua ratione ex his quas retulimus ipsius substãtia feruidior fiat,affluentẽ sanguinẽ adurit,& quod in eo est tenue liquidũ ve absumit,& relicta pars prauè crassescit. Quo tẽpore si calor perseueret,homines fiunt velut ira perciti,magisq; audaces & temerarij, ita vt suos percutiãt,multaq; terribilia perpetrẽt,præsertim eo tẽpore quo sanguis assatur. Verũ si frigidior subsit qui in cerebro mansit,certè post incendium mœrentes, tristes ac meticulosi euadunt homines. Cui sanè melancholiæ speciei referenda est ea, quã iuniores siluestrem appellarunt & lupinam insaniam:quæ quidem duæ species à cõmuni melancholia eo disidẽt,q; in hac peruertũtur spiritus animales & cerebri temperamentũ,ita vt nequeant rectè sua munia perficere: cæterùm in siluestri nõ solùm spiritus animales peruertuntur,sed praui & euersi obumbratiq; ac citra vllũ splendorem ab ipsius cerebri facto & habituali temperamento generantur: ita vt sic affectos loca deserta & arida,obscura ac timida & solitudinem amare coerceat. Tertia insuper melancholiæ species ex hypochondrijs malè affectis oritur, dum venæ meseraicæ inter ventriculum & hepar ardore quodam ex obstructione contracto efferuescunt:quo fit vt humores crudi & melancholici ibidẽ concusi, graues halitus densosq; fumos sursum in mentis regionẽ transmittant: nec id solũ,sed portionem quoq; noxiæ materiæ. Itaq; Galen.3.de locis affect. docere videtur in ipso ventriculo inflammationẽ esse,non quidẽ consistentem & factam, quia febre carent,sed in humore per vasa sparso crasso,atro,& adusto vigentẽ. In summa commune est his omnibus melancholiæ speciebus in pauore,metu,trepidatione,angore & solicitudine esse,vt perpetuò lugeant,amicos & familiares auersentur,& solitudinem perpetuò captent.

Cõmunes causæ omni melãcholiæ

Causas habet hæc affectio varias & difficiles,iuxta diuersitates specierũ quas nuper adduximus,cæterùm eas omnes in duas classes diuidere oportet: quædã enim omnibus speciebus sunt cõmunes,quædã verò cuiq; earum propriæ & peculiares, qua-

quarum meminero in expositione & curatione cuiusque speciei, sed hac in parte quæ communes existunt recensendæ tantùm sunt. Quippe sic affecti vel morbosum habent apparatum in mesero, corde, cerebro, aut vniuerso corpore: vel humoris melancholici al cubi non purgati vbertatem: vel rursus externa accedit causa, quæ vel prædictorũ membrorum aliquod prauè disponit, vel humores in melancholiæ vel atræ bilis naturã agit. Sic qui siccius habẽt caput, facilè dũ refrigeratur, in melancholicos affectus incidunt: itẽ qui pusillo & deiecto sunt corde, & quibus frequẽter ex timore, tristitia aut ira iuxta ipsum sanguis aduritur. Præterea quibus venæ meseraicæ strictæ sunt, iecur squalidũ & nimis trahẽs, vẽtriculꝰ frigidior plus attrahens quã cõficere possit. Insuper vniuersum corpus paratũ huic malo existit, si hirsutum sit, laboribus, curis, vigilijs, solicitudinibus, cum magno studio & animi propensione & anxietate deditum. Cui si vel sanguis crassior abundet, vel accedat externa causa, siue alimentum sit, siue quæuis alia, quæ humores crassare mediante efferuescentia, & ipsa sedata refrigerare possit, proculdubio melancholici sequentur affectus: siue cerebrum ab his causis frigidum & siccum efficiatur: siue illuc ascendant humores aut halitus eiusdem naturæ & conditionis. Sic profectò præter melancholicum succum pituita crassior facta mœstitiam, sicut serum eius timiditatem affert: item & sanguis non quicunque, sed ichorosus, quod desumpserat Auicen. ex Galen.2. popu. parte 6.tex.37. statuerat enim omnino pauidos, hoc est cum metu perturbatos, itẽque vigiles ichorosum sanguinẽ reddere aut ipsum iam vstum: & inferius inquit, fuerit quidem consentaneum pituitæ serum timiditatem afferre, aut pituitam ipsam si accida sit aut corrupta. Item iecoris aut splenis vitium, vel mensium aut hæmorrhoydum suppressio, aut varicũ. Sic spirituum paucitas aut capitis imbecillitas causæ sunt cur de obiectis quantumuis naturalia sint, malè iudicet homo, quia sunt excellentia & corruptiua respectu potentiarum aut spirituum.

Signa omnibus melãcholicis cõmunia.

Sunt etiam inter signa quædam omnibus melancholicis communia, quædam verò cuique speciei propria & peculiaria, quorum meminero latiùs suo loco: sed communia sunt omnibus metus ab atro vapore mentem ceu tenebris externis terrente: mœror perpetuus: odium hominum & vitæ tædium ex mœrore vtrunque natum: mortis cupiditas, vel timor. Præterea qui sic affecti sunt, solitò tristiores apparent, & cogitabundi, solitudinem amantes, fugientesque hominum consortium: color illis vel niger vel plumbeus, facies demissa, oculi caui, vigilia ingens, cibi fastidium & nonnunquam auersio. Denique ingenere morbum huiusmodi monstrant tanquam signa patognomonica, solùm illa duo quæ Hippocra. & Galen. 6. apho. 23. recensent, nimirum metus & mœstitia si citra manifestam occasionem succrescant, aut si occasio diutius quã pro causæ ratione durauerit, etiam si in pueris & fœminis minor occasio sufficiat, cum hoc tamen timor citra æqualem rationem aut diu durans, certum est melancholiæ indicium, cui accedit febre omnino carere: Nam licet hæc eadem accidentia febribus aliquibus succrescere possint, nihilominus tamen febris illa nõ fit ratione melãcholicæ affectionis, sed prædicta accidentia febribus succrescũt: quo fit vt perpetuũ sit febre carere, & hac ratione à phrenitide & alijs plegmonosis capitis affectionibus differre. Neq; rursus valet eorum ratio qui prædictũ axioma euertere conãtur, quòd in hypochondriaca melãcholia humores in venis meserei contenti inflammentur, quia hi nõ habẽt consistentẽ & tactã inflammationẽ, quæ phlegmonosa sit, quo fit vt febris non sequatur. At incipientis mali signa sunt

solitudinis desiderium, somni parui, diuulsi, insomnia turbulenta, peregrina, horribiliaque ipsis instantia: quibusdam adsunt corporis vibrationes, vertigines, & flatuum sonitus circa aures. Quòd si malum iam clariùs sese ostendat, laborantes ore promũt quod imaginatione falsò concipiunt, & aliquando secum loquuntur nullam connexionem habentia. Verùm si iam malum firmatũ sit, metus & mœstitia diu perseuerant, neque vllis pacantur verbis, tandem quod mente concipiunt non solùm ore proferunt, sed opere prosequuntur, oculis, manibus, pedibusque in ordinatè motis, timent quæ leuia sunt, & odio habent amicos & monitores.

Præsagiũ. Præsagium quoque partiri in duas classes necessum est, quarum altera mõstret quid in genere prædicere liceat: altera verò quid ex quauis melancholiæ specie. Est profectò tanti momenti futuri euentus dignotio in hoc affectu, vt tantùm ferè beneficij ad curationem præstare possit, quantum affectus & causarum cognitio. Recens enim melancholia haud difficulter curatur, inueterata verò non facilè, & ob id præcauere oportet ne vetustior fiat. Quippe si cui citra solatium permittatur diu solicito mœrore ac implacabili mœstitia viuere, sperandum proculdubiò est in grauius malum prolapsurum, vt ex Hippocr. constat. 6. aphorism. 23. Præterea curandum est ne intensiùs vigilent qui sic affecti sunt, facilè enim hac sola causa ipsis malum habituale efficitur, & quod deterius est in furorem transit. Atqui licet hæc affectio commigrare possit in varices, hæmorrhoydes, quartanam febrem, aut epilepsiam, non opus est nunc signa id monstrantia recensere, vt quæ infida sint: satius enim mihi visum fuit signa afferre, quæ mutari ipsum in immedicabilem maniã cõmonstrare possint. Sic profectò si antè melancholicã tristitiam risu insolito aut fletu & lacrymis præter occasionem afficiatur homo, in id commigrare erit pertimescendum: tùm quia risus exustionem sanguinis arguit: tùm verò quia fletus exiccationem cerebri minatur & efficit, quo coniectandum erit cerebrum habitualiter exiccari, ita vt si quauis causa incalescat præter naturæ modum, protinus in maniam degeneret. Item his quibus melancholicus succus in capite viget, vel leuissima occasione quæ humorem tenuet, ita vt delabi in cauitates in neruorum origine possit, ocyssimè in morbum cõmitialem cõmigrat malum, aut si ibidem detentus nimium vratur, furorem concitat, sicut dum cerebri ventriculos implet, apoplexiam efficit. Pari etiam ratione contemplari oportet, an is qui subitò & absque causa manifesta mœrens fit, spumam quoque per os excernat, vereri enim oportet ne à rabido cane morsus sit: quippe is paucissimis diebus peribit. Sic etiam si nauseabundus sit is qui mœrore afficitur, ac frequentiùs vomat, proculdubiò exiccatus moritur. Cum hoc tamen si aluum habeat solutam, aut cum conferentia & tolerantia vomat, vel ipsi erumpant per corpus vitiligines, optima subest sanitatis spes, & pari ratione si hæmorrhoydes, varices ac elephantiasis succrescant, vt ex Hippoc. constat. 6. aphorismorũ. 11. &. 21. In quo sanè morbo vereri magis viros quàm fœminas oportet, si Celio Aureliano credendum est, lib. 1. cap. 6. & media ætate viros maximè sanguineos & bilioso. Inquit enim Hippocr. 6. popu. parte. 6. prope finem: similiter & bilioso & sanguineum corpus atrabiliarium fit, si non habeat euacuationes. Hypochondriaca verò licet faciliùs feratur, longioris est durationis, citra grauius periculum maioris delirij, & in his qui deiecto sunt animo, degenerat in cordis palpitationẽ, tremorẽ, animi deliquium, & si prauis succis vtantur, in syncopim, ac nonnunquam in vertiginem & epilepsiam, & ob id maxima cum præmeditatione cum his agendum est.

Multa

Melãcholiæ ex toto natura & curatio.

Multa profectò sunt in huius affectus curatione, quæ peculiare studium & diligentiam in artifice requirunt, non quidem solùm in communi medendi ratione, verùm in particulari etiã cuiusque eius speciei: quæ sanè vt facilius expendat lector, studui seorsim disponere quæ cuique melancholiæ sorti proficua fore spero. Sic ea melancholiæ species quę totius corporis vitio (quatenus ad venosum genus attinet) succrescit, non quidem indistinctè vel communi aliqua ratione auxilia admittit (licet eius natura vna & eadem sit, à quatuis causarum oriatur), sed habitis antea tot considerationibus, quot sunt causæ à quibus principium sortitur aut fomentum indies susceptat.

Causæ.

Atqui cùm ad quadruplex causæ genus reduci possint omnes causæ, nimirum ad animi pathemata, ad improbam victus formam & naturam, & ad iecur aut splenem quæ copiosam melancholiæ generationem pariunt, aut non expurgãt, vel ad suppressam aliquam vacuationẽ, ob id cuiusq; seorsim meminisse oportet, vt cuiq; cõstet qua via incedendũ sit in curatione. Inspicere itaq; cõuenit iecur, sit ne huic succo gignendo aptum, siccum nimirum cum caliditate aut frigiditate: præterea eam victus & vitæ rationem præcauere oportet, quæ crassum & faculentum humorem procreare apta sit, cuius naturæ sunt carnes omnes siluestres & ferinæ, maximè leporũ, boum, caprarum, hircorum, aprum, & eius naturæ item salitæ omnes, etiam pisces marini ferè omnes, & maximè quisale condiuntur: semina etiã plantarũ & arborũ, caseus, pepones & id genus reliqua. Quibus accedit splẽ adeò naturã impotens, vt quã parcissimũ melancholiæ ad se trahere possit, vel tractũ cõtere re nequeat, & ob id in maximã copiam excrescit, ac prædicta accidentia concitat. Accedit id etiam maximè cùm varices, hæmorrhoydes aut menstrua purgatio, per quas sese natura ab huius excremẽti expurcitia exonerare assuerat, morbose supprimuntur: quo fit vt necessum sit prædictum humorem per vniuersum corpus vagari, caputque prædictis modis afficere. Augent præterea melancholiam plures aliæ causæ, velut calor & siccitas totius corporis, exurit enim calor accersitque siccitatem & nigritiem: augetur etiam æstatis tempore ob eandem rationem: ac licet hæc bilioso humorem potiùs quàm melancholicum debuissent efficere, impedit tamen frigiditas aduentantis autumni, maximè si materia quæ aduritur crassa sit, quippe id quoque necessum est ad melancholiæ generationem: nam quæ ex bile generatur, in ferina deliramẽta potiùs quàm in melancholica commigrat: quo sensu intelligere oportet mille Hippocr. & Galeni sententias lib. 3. aphorismo. Quibus si adiungas perseuerans & cogitabundum studium, curam, solicitudinem, vigiliam, & corporis etiam ingentes labores cum animi propensione, proculdubio mille modis melancholicum succum congregari comperies: tùm naturalem ob primam à me relatã causam, tùm atrum, ob nuper adductas: neuter tamen dũ intra certos quosdã limites cõsistit morbosus est, licet corpus in quo viget peculiare præbeat vtriusq; specimen: quòd si plus iusto creuerit, vel ab externa occasione excitetur naturæ limites prætergrediens, proculdubio in prædicta mala degenerat. Quibus accedunt nuper dicta accidentia commouẽtes dæmones & immundi spiritus, diuina maiestate id permittente: quod etiam accidere scimus ob laborantis aliquod peccatum erga Deum dominum nostrum perpetratum, iuxta illud capituli: Cum infirmitas corporalis, &c.

Dignotio affectus & causarum.

Nosces per cõsensum à toto corpore laborantem affici, si febris aliqua diuturna vel quartana præcesserit, suppressaq; fuerit melãcholici sanguinis per mẽses aut hæmorrhoydes purgatio: quod etiã mõstrat notitia præcedentis vitæ. Quippè si adeò

laborans

laborans deditus fuerit vigilijs,curis ac solicitudinibus,vt vniuersi corporis humores exiccentur crassescantq;,mirum non est eo tempore totius corporis consensu hunc affectum suboriri. Verùm si ex humorum crasitie & siccitate ab externis causis prodeuntibus,vel scirrhosa affectione prodeat, monstrabit vniuersi corporis habitus gracilis & hirsutus: quibus etiam noscitur naturale temperamentum huic affectioni aptum,maximè si corpus colore fuerit nigrum,venasque latas obtinuerit,excarneq; sit,& copia adfuerit flatuũ,ac redundauerit fæcis sanguinis copia. Monstrabit id etiam vita crasis cibarijs dedita,& occasio vstioni apta. Sic etiã idem ostendunt splenis vitia, & color ea ratione vitiatus, ac iecoris pari ratione scalfacti & sicci signa. Quòd si prædicti affectus à lento sanguine principium sortiantur,apparet linguæ grauitas,ita vt vix possit loqui laborans,adest oculorum & totius faciei rubedo,venarum eminentia & totius corporis plenitudo: læti sunt & rident,amant loca amæna,lucida,spatiosa,hortos & viridaria,delectãtur musica & cum amicis gaudent: eorum pulsus plenitudinem monstrant,vrina apparet rubra & subspissa,habitus corporis carnosus,& plerunque ineunte vere vigent melancholica deliramenta,quòd sanguinis eo tempore copiosior sit prouentus, & pari ratione fæcis & limi ipsius. Si verò bilis particeps sit melãcholia,agitatio, saltus,motus inordinatus,clamor,audacia,ira & contentio adsunt: item color faciei & oculorum citrinus apertè monstratur,sicut & pulsus durus ac frequẽs, & vrina ruffa & tenuis,quæ affectio plerunque viget æstate. Verùm si ex vstione alicuius humoris, excepta pituita,deliramenta hæc proficiscãtur (dum non commigrauerint in maniam) monstratur ex gracili & nigro corporis habitu,ex cuti aspera,pustulis,scabie & vlceribus atrabiliarijs scatente: monstrat id etiam odium tenacissimum, fletus. metus & mœstitia plusquam in alijs melancholiæ speciebus: pulsus paruus & durus ac vrina admodum tenuis. Viget summopere ex hac causa orta melancholia autumni tempore,maximè aduentante hyeme. Ab externis & euidentibus prouenire causis monstrabit diligens interrogatio de anteacta vita & victu. Verùm si aliquando acciderit à dæmone proficisci, monstratur multis quæ sic affecti proferunt,quæ ipsi antea ignorabant,sicut si homines idiotæ & imperiti vel mulierculæ loquãtur Latinè,vel alio idiomate,aut aliqua occulta dixerint ac de secretis disputauerint,& huius census alia,quæ cùm ab hac causa proueniunt & mendacijs innumeris sunt immersa,deliramenta euidenter apparent. Præterea ex ipsius delirij sorte solet etiam euidentius causa mõstrari: quippe sunt non paucæ phantasiæ quæ ex humoris & vaporis qualitate originem trahunt: nam sunt qui se testam esse arbitrãtur,ex melancholiæ siccitate per corpus sparsæ: sicut si aliquis se fingat tympanum corio tectum,certam ariditatem cum flatu obtinere est euidens: alij serpentes viuos se obtinere intra ventrem imaginãtur,ob erodentem melancholiæ conditionem,aut saltem quòd lumbricos habeant grãdiores: est etiam qui se gallum factum esse existimet,aut caput sibi amputatum esse,quod ab spiritu flatuoso fieri est certum.

Curandi ratio.

His suppositis,ad quadruplicem consideration em studui reducere ex hac causa vniuersam curationem,initio sumpto à venosi generis vitio. Quippe hi qui hac causæ sorte laborant,per collectionem vitio nimirum lienis aut iecoris vel alimẽti vitiosi,spurci & fæculenti sanguinis(quem natura alicubi expurgare assueuit) suppressione,aut vbertate in prædicta deliramenta prorũpunt, cum manifestis prædictarum causarum indicijs. Quo sanè casu expendendũ ante omnẽ curationẽ est, an ex aliqua visceris obstructione vel intemperie malum oriatur: nam huic primò subue-

subuenire consulit optima medendi ratio. Id quidem facies(ne cogar eadem sæpius scribere) vt capite de iecore aut splene inflammatis vel obstructis disces. Hoc tamen in his curationibus adseruato,quòd ante medicamentorũ,quæ vel obstructa aperiunt, vel distemperata corrigunt adhibitionem,redundans melancholia leuioribus pharmacis expurgetur, ne calidis quæ aperiunt efferuescat qui redundat succus, & in furorem agatur laborans,aut terrestrior crassiorq; efficiatur, ac subinde vacuationi vel attemperationi ineptior. Vteris autem in prædicto ministerio infuso foliorum sennæ in succo rosarum aut borraginis facto,vel cum aqua portulacæ si iecur incaluerit: vel prunas damascenas saccharo & prædicto decocto conficies: vel infundes prædicta sennæ folia in liquore nouem infusionum rosarum: quæ sanè purgatio vtilissima & securissima erit. Neque minoris est pretij, quæ fit per confectionem Hamech simplicem,hoc est,citra scamoneum & colocynthidẽ confectam: maximè si laborans superbiberit aquæ lactis. ℥ iiij. idem præstat syrupus ex.9. infusionibus violarum,maximè si infusio fiat in aqua borraginis aut scorcioneræ vbi priùs per noctem maduerint folia sennæ: est quidem mirabile medicamẽtum,præsertim si libris quatuor prædictæ aquæ addideris sennæ. ℥ vj. quod facies infusionibus violaruum iam finitis. Quo sanè facto,quadruplex tibi supereſt exequendũ munus. Primũ docet,redundantẽ melancholiã vlteriùs minuere: secundũ membris à quo oritur prouidere: tertium siccitatem (potissimam huius affectionis qualitatem) corrigere & frænare: quartũ verò & vltimũ animi accidentibus subuenire. Quæ sanè cõmunia sunt omnibus causis melancholiam propagantibus.

Dubiũ circa sanguinis detractionem.

Circa primam consideration em expendendum est,quibus ex his qui sic affecti sunt sanguis sit mittendus,quibus verò secus: inquit enim Areteus lib. 1. de cura. diut. morb. cap. 5. Num sanguinem detrahere expediat,deliberatione indiget in melancholicis: aut rursus si quando sanguinẽ mittere oporteat, qua copia & quomodo id exequendũ sit: coëgit me profectò hæc diligentiùs considerare, quorundam scriptorũ audacia,& aliorum rusticus timor in sanguine mittendo,cùm nihil magis in actionibus medicis vereri oporteat,quàm in melãcholicis plus minus ve quã par sit sanguinem detrahere. Expedit enim in his auxilium hoc formidare ob timorẽ & mœstitiam quibus necessariò semper afficiuntur, ob spirituum vitaliũ (quibus tantoperè opus habent melancholici) dissipationem, suffocationem aut imminutionẽ,& vltimò quia plerunq; quod crassius est intus adseruatur subtili & vtiliori sanguinis parte euacuata. Neq; placet,vt multi consulunt,vena scissa inspicere an sanguis crassus sit, vt liberè permittatur fluere, & sistere si tenuis: satius enim est,exacta & certiori coniectura vbi sanguis mittendus sit aut secus expendere: sæpe enim ob permissam sanguinis effervescentiam, nullo sanguine extracto,malum ex melancholia in maniam migrauit. Quamobrem considerare in hoc opere oportet, an iecur intemperie sicca cum calore, plus huius humoris gignat,aut copioso sanguine generato,ipsum exurat ob calidum ipsius intemperamentum,vel totius corporis ab interna aut externa occasione,vel hæmorrhoidũ, mensium aut varicum sanguis suppressus sit,vel quouis alio modo: tunc profectò sanguis protinus mittendus est,non tamen ea quantitate, quam sanguine redundante cum alijs humoribus permitteremus fluere,condonandum aliquid est melancholiæ morbo,qui ob adductas à me rationes id minimè admittit. Sed satius esse existimabis sanguinẽ detrahere (dummodo vires non renuant: quippe ad sanguinis detractionem in hoc affectu firmioribus opus est) ac si præcautionis gratia feceris, id cunte vere facies, vel si nimia adsit adustio,incipiente autumno.

Primitus enim basilica dextra, vel sinistra si splen obstructum vel inflammatum esse conieceris,secanda erit,latiori tamen foramine: secundam tamē incisionem necessariò ex talo facies.Verùm si bis sanguinem ducere non liceat,ac semel tantum venā oporteat tundere,id ex talo facito, maximi enim esse momenti & vsus res ipsa indicauit,reuellit enim promptiùs & crasiorem sanguinem selectiùs euacuat quauis alia vena aperta.Nec displicet vbi caput nimis repleri conspicimus cephalicā tundere interuallo triū aut pluriū dierū à prima sanguinis missione.Consulunt etiā prisci & neoterici frontis aut nasi venas tundere, aut per hyrudines aperire. Proderit forsan aliquando,vbi sanguis caput irruens nimis crassus non sit, aut præmisso capitis lauacro,quo sanguis fundatur tenuetur ve:quod etiā consiliū obseruare oportet si vena basilica aut quauis alia scissa sanguis præ crassitie non fluat,quippe tunc corpus balneo priùs mandare oportebit.Quòd si laborans crurum venas habeat latas,maximè si varicibus similes sint, hyrudines ipsis affiges, verùm si hæmorrhoydum, mēsium aut varicum suppressione,sanguis melancholico succo redundet,curandi ratio monstrat,naturam reuocandam esse ad proficuam & consuetam vacuationem.Non tamen primo morbi accessu reuocationē moliri oportet,priùs enim demenda est plenitudo quæ ex suppressione superfluit, quòd medicamenta quæ suppressas vacuationes reuocant, calida sint & non parum sicca,quibus exacerbari humorem & affectum certissimum erit. Quamobrem sanguine misso, sed iudicio nostro maximè ex talo(ni adeò ingens fuerit venarum contracta plenitudo,quòd tutiùs sit à sciscione venæ ex altero brachiorum initium sumere)quia ad locum antiquitus natura consuetum,euocat & crasiorē sanguinem cōmodis extrahit: sic hæmorrhoydes protinus à sanguinis detractione euocabis,& sanguinem ab ipsis aut varicibus per hyrudines fundes.

Verùm vbi vel animi affectiones vt inedia, cura, vigilia, amor & reliqua id genus melancholiam concitant, omnino à sanguinis detractione abstinendum esse consulit rei natura, maximè si diutinas vacuationes, siue sanguinis siue ventris præcessisse compertum sit: præsertim si constiterit corpus excarne, hirsutum, aridum, curis contabefactum ac nigri coloris esse:aut si comperias adusti & crasi ac frigidi & sicci humoris plurimum redundare,sanguinem verò non item: quorum omnium occasione cēseo à veteribus dictum fuisse, sanguinis detractiones melancholicis parum prodesse.

Facta tamen sanguinis euacuatione (si opus fuerit) aut non facta(si ita affectum postulare compereris) considerabis protinus, an affectus adhuc incipiens sit, vel ex inueteratis reuersus: quòd si primum, curandum est,quidquid in caput influit repellere, non quidem his quæ vulgus oxyrrhodina appellat, ni eis addideris ex his quæ humectandi & frænandi humoris siccitatem & inclementiam vires obtineant, aliquid: cui sanè muneri oxyrrhodinis addes oleum amygdalarum dulcium,violarum,de semine cucurbitæ aut melonum: ac si humoris feruorem cognoueris præesse,hordei decocto aut cremore vel lacte caprilo caput fouebis.

Purgandi ratio. Interim tamen dum hæc adhibentur, humorem melancholicum frænare & per contrarias illi qualitates vacuationi aptum reddere tentabis: nam licet putridus non sit,& ob id non oporteat coctionem expectare ad molliendā purgationē, cum hoc tamen neq; temere neque vtcunq; ipsam aggredi oportebit: exacerbabitur enim humor à validorū expurgantium efficacia,vt cancer ab appositis medicamentis,quæ digerendi & abstergendi vim habent: & ob id priùs oportet ipsum mitescere

mitescere humectatione & attenuatione facta,ac posteà mitioribus medicamentis & per interualla ipsum extrahere,facto sensim maioris medicamenti augmento, prout plus constiterit esse præparatum. Falluntur enim qui fucata illa incoctibilitatis ratione,opus aliter aggrediuntur. Sic enim primò humorem aggredieris syrupis de borragine, violarum,de bugloſa cum modico fumariæ,de succo lupulorum,cum aquis hordei,lupulorū,violarum & bugloſæ,quibus in decoctione additum fuerit cinnamomi parū. Eisdem ferme diebus,dum humor aptior redditur,enematis vteris,quæ & emolliendi & humectandi euocandiq; ad ventrē vires habeant,qualia sunt quæ fiunt ex decocto extremitatū agni, hordei,maluarū, violarū,camemali & melliloti cū modico aniso & ℥ j. polipodij,& facta collatura, dissolue mellis rosati,sacchari rubei,olei violacei ana. ℥ ij. catholici. ℥ j. aut hieræ picræ opiatæ. ℥ ß. Quo quidem tertio quoq; die facto interim dū accedit purgandi occasio,antequā id aggrediaris,ne te decipiat in purgandis melancholicis iuniorū timiditas,aut priscorum temeraria audacia,(quippe illi,ne humor(vt solet) medicamentorū vehementia vt crabro irritetur, ac maius subinde perpetrent malum, leuioribus consulunt citra vllam distinctionem vti pharmacis: hi verò considerata humoris duritie & renitentia,longè vehementiora viribus laborantis porrigūt pharmaca)diligēti animo expende,neq; hoc neque illud committendū,aut omittendum temerè esse.Triplicem enim humores purgandi nanciscuntur naturam, quarum quælibet peculiarem requirit in pharmaco conditionem & vtendi modum:quippe si humor ex sanguinis abundantia vel calore, aut alicuius membri calido intemperamento vel externa causa humorem melancholicum propagante,sese offerat purgandus,mihi non est dubium,quin vsu violenter purgantiū nimis offendantur laborātes,& copiosior fiat melancholiæ prouentus. Quapropter hoc solo casu blanda neotericorū pharmaca vsu venire proculdubio censeo, dummodò seligendi humorē vires habeant,ac ea copia eis vtaris,quæ sufficiat crassum & rebellem humorem citra maiorem feruorem aut agitationem copiosè fundere:alioqui verendum est,quod antiqui proferūt,nimirum maius damnū ex turbatione,quàm beneficium ex leui purgatione subsequuturū.Verùm si humor terrestris,crassusq; citra sanguinis aut aliorum humorū efferuescentiam aut cōmerciū steterit,vt leuia hæc nullius sunt momenti, ita profectò valentioribus vtendum esse pharmacis consulit prædicti humoris conditio, dummodo(ne vires sufficere tanto medicamento non possint)in minori adhibeas copia,& frequētiùs repetas,iuxta illud Hipp.lib.de morbis qui in prædictis humoribus educēdis consulit,id medicamentū porrigere,quod modicū ingestum,plurimū educat. Quippe quantitatis modestia eius frænatur inclementia,& vsus frequentia cōteritur & minuitur durissimus humor.At si diu iam corpus contabuerit,humoremq; plus aridum esse quàm copiosum comperias, & vires accidentium vi collapsæ sint, tunc profectò blandioribus vteris purgationibus,in longè tamen maiori copia,quæ leniendo potiùs partes corporis,aluum moueant & humores exagitent,quàm electione & efficacia,vt paulò inferiùs scriptum reperies.

Factis etenim prædictis considerationibus, primò humorem melancholicum ex sanguinis vbertate vel caloris iecoris aut totius corporis factum,purgabis præmissa prædicta præparatione,nō profectò semel,sed vt præparatum conieceris, ita protinus medicamēto idoneo purgabis.Sic etenim primo accessu, porrige rhabarbari & agarici ligati & infusi in aqua lactis aut fumariæ, vel in succo lupulorū & borraginis ana. ℥ j.quibus adde syrupi solutiui rosarum Persicarum, vel violarū

ex.9.infusionibus.ʒ.iiij. vel vtriusq; ana. ʒ ij. vel porriges rhabarbarum & agaricũ infusum in decoctione foliorũ senæ & violarũ. Item præstat syrupum solutiuum conficere ex.9.infusionibus rosarum & violarum, additis quatuor libris infusionis prædictæ. vj.ʒ. foliorũ senæ. Quòd si velis in aliquo ex prædictis decoctis aut syrupis aliquid ex electuarijs melancholiã blandè ducentibus, dissoluere, ex ratione facies. Confert enim pulpa casiæ fistulæ recenter extracta, vel confectio Hamech simplex, aut diasenæ quantitate debita. Præstat etiam decoctum mirabolanorum chebulorum & Indorum, ac foliorum senæ in aqua lactis aut violarum, cui addere oportet confectionis Alchermes. ʒ.ij. Quòd si velis in forma solida expurgans medicamentum exhibere, porriges confectionis Hamech simplicis, aut pulpæ casiæ fistulæ cum puluere foliorum senæ, aut diasenæ. ʒ.iij. ℈.cum.ʒ.℈. Alchermes, bibendo desuper. ʒ iiij. decoctionis epithymi & polipodij, vel liquoris. 9. infus. rosarũ aut aquæ lactis. Idem beneficiũ præstat ius galli veteris, gallinæ aut pulli hac lege confecti: excipe foliorũ senæ. ʒ j. polipodij. ʒ.ij. epithymi. ʒ. iij. passularum sine granis ʒ j. florum cordialiũ ana. m.℈. immitantur omnia in galli aut gallinæ corpus, & insuantur coquanturq; sufficienter. Valet tertio quoque die porrigere decoctũ epithymi, polipodij & senæ & aloes ana. ϑij. quod porriges cũ modico saccharo. Valet & cartamũ iure pulli decoctũ, ante tamẽ cõquassatũ. Itẽ prosũt pilulæ mastichinæ cũ optimo rhabarbaro, vel alephanginæ, vel pilula confecta ex æquis portionibus aloes lotæ, rhabarbari & agarici. Facta aliquo ex prædictis pharmacis prima seligẽtiq; purgatione, iterũ ventrẽ mouere enematis, & humorẽ emollire, ac corpus vniuersum humectare apozematis & syrupis opus erit. Tãta enim est melãcholiæ crassities, pigritia & renitẽtia, q nisi egregiè præmolliatur, minimè medicamẽtis obsequetur. Præstant autẽ prædictũ vsum clysteria, quæ recipiunt decoctionis carnis vituli & hœdi. ʒ viij. sacchari rubri. ʒ ij. olei violarũ & emulsionis seminũ melonũ ana. ʒ iij. casiæ recenter extractæ. ʒ.v. Cõficies etiã aliud, quod recipit mercurialis, violarũ, altheæ & maluarum ana. m. j. passularũ sine granis. ʒ.ij. glycyrrhizæ. ʒ.iij. seminis lini, anisi, maratri ana. p. j. coquantur, & facta collatura, adde olei violarum & camemali ana. ʒ j. &. ℈. catholici. ʒ j.

Præparabis itaque humorẽ secundò si durior terrestriorq; sit, his quæ præter id quod humorem leniant, eius tamen aliquid leniter educant. Huius conditionis est potio quæ recipit florum borraginis, bugulosæ, violarũ & cichorij ana. m. j. summitatum lupulorũ, fumariæ, scolopẽdriæ, scabiosæ, ana. m.℈. radicis bugulosæ asparagi & fœniculi, ana. ʒ. ℈. glycirrhizæ. ʒ.ij. passularum sine acinis. ʒ j. coquãtur secundum artem, & cum modico anisо & cinnamomo aromaticetur: cuius sumat laborans. ʒ iiij. alchermes. ϑj. Efficacior item est syrupus, qui recipit succi borraginis & bugulosi depuratorum ana lib.ij, succi pomorum redolentium lib.iij. foliorum senæ. ʒ iij. seminis anisi & fœniculi ana. ʒ. j. infundantur senæ folia per diem integrũ in succis, & post leuem ebullitionem addita sacchari lib.j. &. ℈. fiat syrupus: cuius porrige cum aqua lactis aut lupulorum. ʒ iij. Præstat item, maximè si iecur calidiori intemperamento laboret, ea potio quæ recipit succi intibi & bugulosæ ana. ʒ iij. succi fumariæ & scolopendriæ ana. ʒ j. &. ℈. succi pomorum. ʒ ij. aquæ scabiosæ lib. ℈. thymi, melliſlæ ana. p. ℈. coquantur & facta collatura, adde sacchari quod sufficiat ad gratum gustum conciliandum. Quibus veteris tertio vel quarto quoque die, & post aliquot dies, iterum ad copiosiorem materię purgationem te conferes, sciens veritati nõ congruere intra pauculos dies vniuersam morbificæ materiæ molẽ probè dispõni posse: quare mihi tutius videtur purgationem repetere,

repetere, quàm exhibito vehementi pharmaco, vel naturam prosternere, vel humorem ad feruorem ducere.

Institues igitur hanc purgationem hac lege: excipe aquam lactis & infunde foliorum senæ. ʒ ℈. polipodij & rhabarbari ana. ʒ. j. epithymi. ʒ.℈. & facta collatura, adde syrupi solutiui rosarum aut violarum ex infusionibus. ʒ. iij. Præstat & potio quæ recipit florum cordialium ana. p. j. radicis bugulosæ & asparragi ana. ʒ j. passularum sine granis. ʒ. vj. prunorum num. viij. foliorum senæ. ʒ. vj. coquantur & facta collatura, vel dissolue pulpæ casiæ. ʒ. viij. vel confectionis Hamech simp. ʒ. vj. vel capiat ex his bolos, & superbibat prædicti decocti. ʒ iiij. Prosunt etiã in hac secunda purgatione, maximè si iam humoris vel corporis feruor restringatur, medicamenta quæ aliquantulũ sunt efficaciora, velut sunt pilulæ Arabicæ præsertim dissolutæ in aqua lactis, in qua ferbuerit epithymi. ʒ. j. foliorũ senæ. ʒ. iiij. quib⁹ adde prædictarũ pilularum. ʒ. j. Verùm si his nihil cessare malum comperiamus, coniectandum est, terrestriorem fuisse factum humorem, & sicciotis temperamenti ac durioris substantiæ, ita vt præparationem & purgationem longè vehementiores prærequirat: nam tunc, quòd corpus durius & densius factum sit & minus sentiẽs ob imaginationum distractionem, vllam noxam ab his auxilijs patietur.

In quo sanè opere videndum est, an acetum prædictis humoribus & corporibus melancholicis prodesse aliquo modo posset. Ratio tamen dubitationis est, quia Galen. lib. 5. simpl. cap. 31. dixit acetũ aduersari melancholicis, quod etiam confirmauit lib. 3. de ratione victus. 39. his verbis. Acuta vis aceti (vt summatim dicã) his magis conferre solet, quibus magis amara quàm bilis atra exuperat: quippe amara ab ipso dissoluitur & agitatur ac in pituitam degenerat: atra verò bilis attollitur & multiplicatur: nam acetum atram bilem parit. At lib. 11. metho. apertè consulit in spleneticis medicamentis semper esse aceti aliquid admiscendum. Quibus accedit ratio, nimirũ similitudo aceti & melancholiæ: quippe cognata sunt ambo: quo fit vt facilè in eius naturam acetum commigret, vt probant mille testimonia, maximè mulierciarum quæ acidis intempestiuè vtuntur, quas scimus facilè in melancholiam prolabi. Ex altera verò parte vrget Ætij & Pauli sententia, qui in melancholia morbo aceti quàm acerrimi sorbitiunculã post omnẽ cibũ porrigũt, vbi iam dormire velit æger. Quo fit vt in tãta authorũ controuersia firmiùs quid tenẽdum agendũ ve sit, constituamus. Qua in re statuendũ est, corporibus melãcholia abundãtibus summoperè acetũ nocere, auget enim acorẽ & humorem ipsum, ac præexistentẽ in feruorẽ mouet, non quidẽ attenuat, præterquã quòd cæteros humores frigidiores ac sicciores reddit: & licet ab aliquibus in melancholia morbo post cœnã eius potio cõmẽdetur, id tamẽ non vt attenuet humores, quia erroneũ esset à cibo ipsum porrigere, neq; vt somnum conciliet, vt alij falso autumant, sed vt melancholiæ vapores & vstilagines cerebrũ ascendere prohibeat, hæc enim omnia coërcet. Cùm hoc tamen si melancholicus affectus ex indurato aut obstructo splene prodit, maximi est momenti, vt Galen. 11. meth. consuluit, modicum aceti admiscere his quæ per os sumuntur, & alijs etiam quæ exteriùs adhibentur. Quamobrem, prædicto splene affecto, non errabis si his quæ humorẽ præparant aliquid aceti admiscueris, dummodo mellis quoque modicum addas, quo inclementia aceti mitior fiat, penetrandi tamẽ munere non priuetur. Quibus hac lege factis, & addito epithymo, polipodio, succo lupulorũ, & alijs huius naturæ, & in corporibus quibus pituitæ aliquid cũ melãcholia admiscetur, & viscerũ adest obstructio, aliquid aceti, ad eã purgationẽ accedes, qua modico medicamento ingesto,

Dubium.

plurimum educas,maximè malo facto inueterato ac reciduo.Sunt autẽ hæc quæ authores conſulunt,velut diaſenæ,pilulæ ex lapide lazuli & lapide armeno, hiera diacolocynthidos,picra quæ epithymũ recipit,pilulæ Indæ,fumiterræ,trifera, hiera logodij,quibus authores addunt ellebori præparati aut diagridij.g.iij.vel pilulas ex elleboro factas:& ex his omnibus varia pro laborantis viribus fingunt medicamenta,quæ ſæpius diſſoluunt in aqua lactis aut ſucco fumariæ. Verùm ſi quis diligentiùs legat omnes authores,reperiet proculdubio(vbi iam malum hæc valentiora expoſtulat firmatumq; eſt,& corpus robuſtum)vnanimi omnium conſenſu commendari maximè pharmaca ea,quæ vtcunq; ſit,elleborũ recipiãt, aluũ quidẽ ſi pugnandum ſit cum ſympthomate,& nigrum vbi humorum copiam minuere ſtudent:cum hoc tamen neque pueris,neque ſenibus,neq; ellebori ipſius ſubſtantiam tutò porrigere poteris.Quamobrem ſatiùs mihi viſum ſemper fuit elleboriſmo vti:primò quidem eo quod pulcherrimè ad febres quartanas & melancholica vitia confecit Mathiolus. Sed mitius conficies & magni etiam momenti,ſi exceperis ramentorũ ellebori. ʒ.j.&.ſ.ſ.fiat infuſio per tres dies in. ℥ vj. aquæ pluuialis, deinde lento igne cõcoque donec tertia pars abſumatur, & collaturæ adde mellis optimi & deſpumati. ℥ ij. cuius porriges cocleare vnum & ſuperbibat laborans iuſculum pulli aut aquã lactis quantitate.℥ ij.Parabis etiam aliter:raphanus acerrimus in taleolas diuidatur,ramentorum ellebori.ʒ.iij.taleolæ configantur ellebori ramentis,& ſubdiu per noctem collocabis,poſtridie ramenta detrahes, & taleolas in oxymellite diligenter macerabis tribus horis,& oxymellitis ſuperbibat.℥ ij.Verùm inter fortiora omnia ſecuriùs vteris hoc,quod recipit ſyrupi violarum. ℥ ij. aquarum cichorij & bugloſæ ana.℥ iij.diagridij ligati.ϑ.ſ.bulliãt & fiat expreſsio, cuius porrige medietatem. Præſtat etiam medicamentum quod recipit diagridij ligati. g.vj.aquæ puriſsimæ.℥ vj.ſaccharı albi.℥ j.miſce & porrige. Itẽ. R. ſyrupi de pomis. ℥ ij.aquæ pluuialis. ℥ iiij.ellebori ligati per noctem. g. vj.facta collatura porrige.Laudant etiam plerique authorum puluerem illum,quem Aliabas his verbis mille laudibus extollit. Poſito,inquit,quòd aliæ medicinæ non valeant, iſta valet nutu Dei miſericordis,& eſt medicina coronata, quæ ſecretiſsimè teneatur & amplexetur,vt humanus intellectus quaſi deperditus cum hac medicina reſtauretur:recipit epithymi. ℥.ß.lapidis lazuli aut loco eius,quod ſecurius eſt,lapidis armenij,agatici ana.ʒ.ij.ſcamonij. ʒ.j.caryophyllorum num. x. puluericẽtur omnia & pulueris ipſius ſingulis ſeptimanis ſumat laborans.ϑ.iiij.Ego autem cenſeo.ϑ.ij. ſufficere prima huius medicamenti exhibitione, vt deinceps tutiùs quantum ſat ſit adaugere aut minuere poſsis:admiſcebis autem prædictum puluerem quo facilius ingeratur, vel ſaccharo roſaceo,vel cum ſyrupo roſaceo bolum conficies. Verùm præter hæc omnia his noſtris temporibus,conſilio & fidiſsimo multorum experimento,tutò ſic affectis & maniacis ac omnibus ex melancholia (excepta hypochondriaca)ortis affectibus,porrigitur præparatum ſtybium,ad decem vſq; grana,facto tamen à duobus vel tribus exordio.Quod ſanè medicamentum ſcio multis profuiſſe,& profuturum dementatis omnibus, dũmodo eos præcaueas, quibus vel ſanguis adhuc ſuperaſſatur, vel caliditas in toto aut peculiari aliquo viſcere viget.

Quibus ſanè factis,& interim dum fiunt,inter vnam & alteram purgationẽ & præparationem,curandum eſt,corpus vniuerſum & caput humectare balneis & fomentis: quibus non id ſolùm conſequeris,verùm & reliquias humoris cõteres, & corpus humidius ac fluidius reddes,frænabiſq; humoris peccãtis inclementiã.

Quod

Quod proculdubiò facies,ſi ab Aprili mediò vſque ad autumni medium per interualla balneis vtatur laborans dulcis aquæ,eo calore calidæ, quem præſefert lac recens mulctum,quod ſi bis in hebdomada feceris,magni erit momenti. Verùm ſi neceſsitas coẽgerit hyberno tempore prædicto vti auxilio,decoctioni addes florũ violarum,camemali & corticum citri quantum ſat ſit,vt cutis durities frigore contracta emolliatur.Sed ſtudendum eſt, frequentiùs caput humectare, primò dulci aqua tepida vel lacte,poſteà ſequenti die decocto, quod recipit foliorum maluarum,violarum,altheæ,borraginis,lupulorum,ana.m.j.florum ſthœcados.ʒ. iij. coquantur & tepido decocto abraſum caput foueto. Idem facies decocto quod recipit florum nenupharis & violarum ac foliorum ſcariolæ ana.p.j. ſummitatũ papaueris num.iiij.foliorum ſalicis,vitis,maluarum,ana.p.ij.fiat decoctum, quo caput irrigabis,& mox inunges oleo amygdalarum dulcium,aut violarum, vel lacte bacino ablues. Cui muneri etiam caput abluere oportet his quæ pinguia ſunt,velut eſt ius ex animalium pituitoſorum extremitatibus cum prædictis herbis emollientibus: cuius cenſus eſt decoctum quod recipit maluæ,violariæ,vngulæ caullinæ,ſenæ ana.p.j.florum camemali & melliloti ana.p.ſ.ſ.ſeminis lini.℥ j. radicis bugloſæ & altheæ ana.℥ j.coquantur in iuſculo verbecinæ carnis aut hœdinæ,& mox poſt lauacrum caput inuolues,& inunges vnguento quod recipit olei amygdalarum dulcium & ſeminis lini ana.℥.ſ.olei violarum.℥.j.aſſungiæ anatis & gallinæ, butyri inſulſi,medullæ crurũ vituli ana.ʒ.ij.croci.ϑ. ſ. ceræ albæ quod ſufficiat. Quo etiam linimento dorſum laborantis inunges, maximè in egreſſu à balneo. Vngatur etiam caput eo quod recipit olei amygdalarum dulcium.℥ j.&.ſ.olei violarum & papaueris ana.℥ j.butyri recentis.ʒ.vj.mucillaginis altheæ & fœnugræci ana.ʒ.iij.ceræ quòd ſufficiat:vel fiat hoc modo.Recipe olei de ſemine cucurbitę & cucumeris ana.℥.ſ.olei amygdalarum dulcium.℥ j.lactis mulieris.℥ ij.&.ſ. miſce & vtere.

His autem factis diligenter iterum inſpiciendum eſt, an aliquid humoris melancholici cum ſanguine adhuc ſuperſit in capite:quod ex ipſius grauitate & oculorum rubore diſces facilè:tunc ſuadent authores non contemnendi reliquias conterere cucurbitulis,vel ſanguine miſſo ex venulis naſi aut frontis.Verùm licet hæc auxilia multis probentur, ego profectò arbitror per venas adeò minutas craſſum humorem extrahere,eſſe perdifficile:proderunt tamen, vbi capitis cutis plurimũ rubet,aut oculorum venæ tument vel liueſcunt:alioqui ſatius fore arbitror varices vel hæmorrhoydes aperire hyrudinibus: quippe per eaſdem tutiùs & faciliùs caput irruentem humorem retrahimus,quo faciliùs quod in capite eſt natura conterat.Prouocabis enim hæmorrhoydes hyrudinibus, aut fometis ex decocto mercurialis,parietariæ,maluarũ,& camemali: antè tamẽ vteris frictionibus ex panno aſperiuſculo vel folijs ficulneis, aut ſuppoſitorium adhibebis ex hiera ſuper ſparſo puluere aloës,vel madido ſucco mercurialis:neque inconuenit ſi hæc non profuerint,ex hiera logodij & colocynthide ipſum effingere.Præſtat item pedes detinere ſpatio quartæ partis vnius horæ in vino aut aqua tepidis in quibus ferbuerint prædictæ herbæ,maximè ſi crura pri⁹ ligaueris prope ſuras,& fricueris genua deorſum:quo facto ſuppoſitorio vteris ex ſucco mercurialis & ſtaphiſagriæ cũ modico oleo nucleorum Perſicorum & croco. Quæ omnia certiùs profutura ſperabis, ſi diebus aliquot ante prouocationem,vſus fuerit laborans pilulis ex aloë tertia vel quarta quaque nocte.Quæ omnia cautè facito & ſenſim,ne forſan vno malo non curato,aliud excites auxilijs.Nec minoris momẽti eſt vbi humores melancholici

abundant in toto aut ſplene fontanellam in crure ſiniſtro aperire, vel ſi in capite redundet, in brachio vel iuxta occipitium.

Accidẽtiũ correctio & cordis prouidẽtia

Solent profectò animi pathemata & imaginationum efficacia adeò laborantẽ torquere & anxium reddere, vt non rarò ad cordis & prædictorum accidentium prouidentiam, vniuerſum curantis conſilium dirigi oporteat. Accidentia enim & animi angor atque cordis imbecillitas communia quidem ſunt omnibus melancholia correptis, ſiue ex humorum abundantia, ſiue ex prauo victu, ſiue ex animi paſsionibus aut quouis alio modo fiat. Pleriſque enim vigilia adeò intenſa & implacabilis adhæret, vt maius ob id ſperandum ſit malum: quippe hæc imaginationum vehementiam auget, & corpus vehementiùs contabefacit, & quod deterius eſt, nulli auxiliorum viam aut occaſionem præſtat. Cui equidem ſubueniendũ eſt, vt capite de ſanorum vigilia latiùs ſcriptum reperies.

Inter cæteras animi paſsiones, quæ vrgentius & præſtantius magis laborantem premit, eſt metus & profunda mœſtitia, quæ ſæpe cor adeò labefactant, vt ipſum & corpus vniuerſum mille modis infirment & lædant. Quapropter cogit medicum cor & caput ipſum roborare, & ſi quid adhuc in his flatus aut humoris viget, idoneis & blandioribus præſidijs diſcutere. Imprimis curandum eſt, omni arte delectationem & gaudium conciliare, & ſpiritus exhilarare muſica, gratis loquelis & alijs auxilijs quæ paulò inferiùs leges. Multiplicant enim & roborant ſpiritus, ac ex conſequenti caput & cor, multa quæ intus & extra adhibere conſulũt authores, quæ ſunt in triplici differentia, vt Auicen. lib. de viribus cordis capite 9. optimè aduertit: nam quædam roborant & multiplicant ſpiritus, vt hyacinthus, alia à proprietate vt aiunt, & euidenti etiam qualitate, vt moſcus & ambra, multa rurſus à qualitate quæ eorum ſubſtantiam & temperamentum tuentur, aut in natiuum mutant. Quæ verò ſubſtantiam augent, ſunt vinum & tenuiſsimæ ſubſtantiæ alimenta, vel ea quæ fuligines remouent aut diſsipant, quæ ex accidenti ſubſtantiam augere dicimus. In quo ſanè opere exequendo, primo cordis maxima eſt habenda prouidentia: quoniam & ſi præcipua huius morbi ſedes non ſit, eo tamen nexu ijſque vinculis vtrunque alteri copulatur, vt fieri non queat, quin in proſpera cordis conſtitutio ſecum comitem trahat eam quæ eſt cerebri, ſaltem ſi cerebrum afficiatur, à corde probè præparato ſuppetias ſuſceptabit. Quod optimè dixerat Auicen. fen. 1. 3. Spiritus (ait) animalis continuus eſt ſpiritui vitali, & ex ſubſtantia ipſius: neque eſt poſsibile vt fiat melancholia abſque communitate cordis, imò fortaſſis, magnitudo cauſæ in ipſo erit ex corde, & propter hoc neceſſe eſt, vt conſequatur cura cordis cum cura cerebri in hac ægritudine. Quam ſentẽtiã mutuaſſe à Galeno euidẽter cõſtat: ſic etenim interim dũ laborantẽ expurgas, aut balneis cõmitis, vel quoduis aliud exequeris, cordi adhibebis epithema, q̃ recipit aquæ bugloſæ, melliſæ ana. lib. ß. ſucci pomorũ olẽtiũ ℥. j. vini citrei & malorũ granatorũ, ana. ℥. j. zedoariæ, caryophyllorũ, maceris, agallochi ana. ϑ. j. roſarũ rubearũ. 3. j. ſanthalorũ omniũ, coralli rubri, ſeminis maioranæ & baſiliconis ana. ϑ. j. ambræ g. iiij. moſci. g. ij. croci. g. vj. Quòd ſi ex ſimplicibus quæ hoc epithema cõſtituunt, aliud effingere velis, probè efficere poteris, addito modico vini odoriferi. Poſteà verò cordis regionem inunges oleo iaſminorum, naphæ, vel vnguento aut butyro naphæ cum pulueribus granæ tinctorum, oſsis de corde cerui, margaritarum, electarij de gemmis, aut diamargaritonis. Multorum etiam conſilio probatiſsimum comperio in quauis huius mali cauſa, vniuerſum thoracem ac maximè è regione cordis inungere eo linimento quod recipit olei roſarum, violarum

&

& nenupharis ana. ℥. j. ſucci borraginis, melliſæ & pomorum dulcium. ana. ℥. ß. mucaginis pſylij, & radicis bugloſæ. ana. ℥. j. miſce & lento igne aut in duplici vaſe leuiter agitato & modicum ceræ adijcito. Idem beneficium præſtat ſaculus ex herbis & floribus confectus, qui recipiat florum nymphææ, violarum, borraginis, bugloſæ et roſarum rubearum. ana. p. j. melliſſæ, naphæ. ana. p. ß. omnium ſantalorum. ana. 3. j. ac ſi cor fuerit frigidum et deiectum, addes feminis acetoſæ, citræ ana. 3. ß. ſeminis baſiliconis et angelicæ. ana. ϑ. j. pulueris corticum citræ. 3. j. diambræ et diamuſci. ana. g. iij. fiant ſacculi. Poteſt etiam emplaſtrum fieri hac forma: excipe ſucci pomorum olentium. ℥. iij. ſucci menthæ et vini odoriferi. ℥. j. in his maceretur corticis citri recentis. 3. ß. et poſt aliquod horas fiat fortis expreſsio, et adde olei roſarum. ℥. ij. olei violarum. ℥. j. nymphææ et naphæ ana. ℥. j. bulliant in duplice vaſe ad conſumptionem ſuccorum, et adde pulueris roſarum. ϑ. iiij. ſantalorum, vtriuſque coralli, ſpodij. ana. ϑ. ij. melliſæ, mẽthæ, thymi, ſampſuchi. ana. ϑ. j. galliæ muſcatæ. ϑ. ß. camphoræ. g. vj. ceræ quod ſufficiat, vt extendatur ſupra telam ſericam. Præſtat et cordi adhibere corium ex ambra et muſco et alijs aromatis, ac pulueribus electarij de gemmis cum oleo naphæ optimè præparatum.

Sed per os ſumenda ſunt, quæ vt ferunt authores, lætitiam et alacritatem gignũt, pauorem et ignauiam pellunt: inter quæ, aliqua quæ vtiliora mihi viſa ſunt, eligam, maximè quæ ſimul nata ſunt reliquias melancholiæ conterere præſertim facta earum expulſione per ventrẽ: cuius cenſus eſt id quod recipit tripheræ perſicæ. ℥. ß. hieræ pictæ Galeni. 3. vj. foliorum ſenæ, pulueris epithymi. ana. ϑ. iiij. cum ſaccharo violaceo fiat mixtura, cuius porrige. 3. ij. ſero lactis diſſolutas. Sed vtilius eſt quod recipit, pulueris electarij lætificantis. ℥. iij. ſacchari roſati et violati ana. ℥. ß. dentur. 3. iij. cum modico vino. Præſtat magna cum euidentia id quod recipit confectionis alchermes. 3. ij. conſeruæ borraginis. 3. iiij. cuius porrige ad magnitudinem nucis auellanæ. Eiuſdem eſt vſus id quod recipit, electuarij lætificatis Raſis lib. ϛ. continentis: & 9. ad Almanſ. ſcriptum. 3. ij. diamargaritonis. 3. j. feminis citri, melonum, cucumeris, citrulorum. ana. ϑ. ß. ſacchari roſati quod ſufficiat, vt fiat mixtura. Eſt tamen aliud magni momenti, quod recipit margaritarũ 3. ß. hyacinthorum, zaphirorum, ſmaragdorum, vtriuſque coralli, ana. ϑ. ß. cinnamomi, macis, galangæ. ana. ϑ. j. caryophyllorum, ligni aloës. ana. g. vj. muſci, ambræ. ana. g. iij. ſacchari candi, carnis vuarum paſſarum, conſeruæ borraginis et bugloſæ. ana. ℥. j. aquæ roſarum. ʒ ij. ſacchari optimi quod ſufficiat vt fiat confectio, cuius porrige. 3. ij. ſummo mane cum aqua ſcorcioncrę. His ſanè veteris ni feruor aut corporis vel alicuius viſceris ęſtus vetuerit, quo tempore alia porriges quę mitiùs idem præſtant munus, velut eſt quod recipit aquæ roſarum. ℥. iij. ſucci pomorum fragantium, vini granatorum dulcium. ana. ℥. j. ſacchari. ℥. iij. conſeruæ borraginis et bugloſæ. ana. ℥. j. bulliant lento igne ad mediocrem craſsitudinem, et adde margaritarum præparatarum. 3. j. pulueris electuarij de gemmis ϑ. ij. vtriuſque coralli, ſpodij, raſuræ eboris, cornu vnicornij, oſsis de corde cerui ana. ϑ. j. ſeminis acetoſæ, citri, peoniæ, roſarum rubearum, ana. 3. ß. amygdalarũ mundatarum nu. x. granorum pini recentium & lotorum in hydromellite num. quindecim, ſeminum frigidorum maiorum. ana. 3. j. galliæ muſcatæ. ϑ. ß. ambræ g. iiij. laminarum auri num. x. mirabolanorum citrinorum & indorum confectorum, corticis citri conditæ. ana. ℥. j. omnia incorporentur in mortario marmoreo cum ſyrupo borraginis & de mentha.

Robo-

Roborant quoque non parum odorata omnia, maximè quæ moderatæ ſunt caliditatis: quapropter odores herbarum & florum maioris ſunt momenti in hoc malo: neque diſplicet pomum conficere ex pulueribus roſarũ & violarum, iaſminorum ac florum omnium redolẽtium cũ moſcho & ambra. Proſunt & aquæ odoratæ ex roſis, naphæ, iaſminorum floribus, & quæ ex alijs huius naturæ cõdiuntur.

Præcauẽdi ratio.

Quòd ſi ne his omnibus adhuc factis morbus ſubſideat, vel vt pertinax duratione perſtet, vel clã & inopinatò aut ex leuiſſima occaſione reuertatur, cõiectandũ eſt (cũ huiuſmodi affectus ſit ex his quos medici tropicos cõuerſiuos appellãt) alia præſtare oportere quæ perpetua duratione beneficiũ præſtẽt, aut facta per interualla coacerbationẽ humoris melãcholici impediãt, expoſtulat enim ne reuertatur is affectus, vere & autũno ſanguinis detractionẽ, quod potiùs ex hæmorrhoydib⁹ aut talo, quã ex alia corporis vena ego cõſulerẽ fieri, diſtrahũt enim hæ ſanguinis detractiones & craſsiorẽ ſanguinẽ deducũt longè præſtãtiùs. Ex vſu quoq; eſt eiſdẽ tẽporibus, maximè in vltima hyemis parte & in medio autũni, corpus leuiter purgare ea lege qua ſuperiùs dictũ eſt. Sed nil æquè huiuſmodi affectionis reditũ impedit ac conſideratio, ſit ne ſplẽ, iecur aut vterus eius principiũ & origo. Quo tẽpore vſu fidiſsimo mihi eſt probatũ, in regione ſplenis, iecoris aut vteri, cucurbitas cũ ſcarificatione affigere, vel ſetonẽ aut fontanellã aperire, aut ſi affectio hypochondriaca ſit prope ventriculum aut ſupra ipſum, vt Alſarabius conſuluiſſe viſus eſt. Si tamen totius corporis conſenſu aut ex ſuppreſis hæmorrhoydibus vel varicibus malum oriatur, nulli eſſe dubium arbitror, ſummopere profuturam fontanellam cruribus adapertam, aut ſingulis annis ſuras ſcarificare, aut ſanguiſugas, quod magis probo, venis crurum affigere.

De melancholia ex prauo victu.

Si verò corpus melancholico abundauerit ſucco, ob prauam victus naturã, qua vtitur homo, tũc profectò, vniuerſa curãdi ratio ſita eſt in ſelecta & proba victus inſtitutione, & in leui purgatione. Qua in re, primo diligẽter rimari oportet, an laborãs iã ex vitioſis edulijs habitũ contraxerit, an ſolũ citra habitus inſignem mutationem, corpus melancholico abundauerit ſucco: nã ſi hoc vltimũ ſolũ victus præſtiterit, poſt victus mutationem, copioſiùs purgare oportet prædictũ humorẽ & reliquias conterere eo modo quo dictum eſt, & prædictis pharmacis atque eadẽ lege. Verũ ſi melancholicum habitum iam homo contraxerit, purgatione & refectione per epicraſim omnino vtendum erit, vt corpus rurſus nutriri reficique ſalubriori victu incipiat, diſsipeturque vitioſus ille habitus. Verùm quia pharmaca huic vſui proficua nuper latiùs ſcripſimus, hac in parte ſolũ meminero eius victus rationis, quæ ſic affectis ex vſu eſt.

Victus melancholicis omnibus proficuus.

Melancholicis igitur omnibus is victus in genere conſtituendus eſt, qui præter quàm quòd tenuis ſit ſubſtantiæ & copioſioris nutrimenti, humidus quoque ſit manifeſto exceſſu, & in altera oppoſitione, vel temperatus, vel calidus ſi frigidum vigeat in corpore, vel viſcere aliquo intemperamentum, vel paulò frigidior moderato, ſi melancholia redundauerit ob exurentem calorem iecoris aut alterius partis. Sic fugiendũ primo eſt à cibis qui ſuapte natura ſanguinẽ melancholicum gignunt, qualis eſt bubula caro, hircina, leporina, caprina, taurina, & arietis nõ caſtrati: nocet etiam apri caro, & animantium omnium quæ aut annoſa ſunt, aut vaſti corporis: ſic ex auibus nocent quæ magis ambulant quã volãt, vt anſerina, gruina, pauonina, anatina, & gallinæ Indicæ, niſi iuuẽcula admodũ fuerint. Sic inter aquatilia quæ maioris ſunt corporis magis nocent: ex oleribus braſica & legumina ferè omnia, ſed maximè lentes & germina etiam arborum, quæ vel muria vel quouis

uis alio modo condiuntur. Itaque fugiendũ eſt ab omnibus ſalſis, duris, craſsis, àduſtis, acetoſis, vel aceto conditis, hæc enim omnia edulia, vt de bubula carne refert Ga. 3. de alimẽtorũ facul. alimẽtũ nõ exiguũ neq; diſcuſſu leue præſtãt, ſed ſanguinẽ craſsiorem quàm par eſt, gignunt. Quippe ſi melancholia forſan non corripiuntur qui prædictis vtuntur edulijs, affectu quopiam melancholico tandem lædũtur, cuiuſmodi ſunt cancer, elephas, pſora & febris quartana, ac ſi adſit melancholia, incurabilis efficitur. Quapropter tanquam inuiolabile & ſummoperè neceſſarium tibi ſtatue, ſemper iuſculis in prandio & cœna (niſi hypochondriaca fuerit melancholia) vtendum eſſe: item carnibus gallinarum, pullorum, turturum, caponum, perdicum, & maximè auium lacte & hordeo nutritarum: oua gallinarum mollia, piſces petroſi & molles ellixi, iura pulli conferunt ſicut & carnes hœdinæ & agninæ. Sed à proprietate prodeſſe referunt turtur, cor lupi ac pulli noctuæ & accipitris, ſucco maioranæ decocti, quibus authores non contemnendi referunt, ſe plurimos curaſſe: quem quoque vſum præſtare muris carnem ellixam firmiter aſſerunt multi. Item præſtant pulticulæ ſaccharatæ ex hordei lacte recentiori, niſi flatuoſa ſit affectio. Summoperè etiã prodeſt, alimentis admiſcere huius pulueris quantum ad gratum ſaporem ſit ſatis: recipe cinnamomi. gj. amygdalarum dulcium num. x. ſeminis aniſi. 3. ß, caryophyllorum, zædoariæ, zingiberis ana. ℈j. menthæ, melliſſæ, thymi, ſamſuchi, ſeminis peoniæ & citri ana. ℈. ß. pulueris electarij de gemmis. ℈ iiij. ambræ. g. v. moſchi. g. ij. foliorum auri num. x. ſacchari roſati in tabellis facti ad pondus omnium fiat puluis in vſum dictum. Panis ſit à furfure plurimum depuratus, ac ſi (vt in plurimum accidit) laborans medicamenta renuerit ingerere, aquam qua panis piſtatur ſeu fermentatur decoquere oportebit foliis ſenæ, vel modico elleboro, aut lapide lazuli, vel alio purganti pharmaco, & facta colatura, panis ea aqua piſtetur, dummodo aniſo & ſaccharo guſtus gratia condiatur: poterit etiam lacte fermentari, vt alimentoſior fiat: & pari ratione parare oportebit carnẽ citoniorum, pyrorum, aut cuiuſuis alterius fructus, vt faciliùs hac via purgetur laborans. Sed his alimentis purgatorijs non licet diutiùs vti, ſed bis in hebdomada, reliquis diebus præſtito puriori alimento. Item ex fructibus vtatur humectioribus & boni odoris, vt pomis & pyris odoriferis, vuis paſsis, melonibus & arantijs dulcibus: ex oleribus etiam lactuca, ſcariola, borragine & ſimilibus. Salſamentis quoque vtendum eſt, quæ dulcia maximè ſint, ac ſi aceti aliquid placuerit addere, ſit paſſulatum, aut ex ſambuco. Quatenus verò ad potum attinet, omnes ferè authores conueniunt, vinum album tenue & aquoſum eſſe porrigendum, niſi caput eſſentialiter ſit affectum: quo tempore etiam dandum, ſi ventriculus id poſtulauerit: diluatur tamen aqua cinnamomi aut ſcorcioneræ, vel ſi vino non ſit vſus laborans, ſumat aquam puram vel ſolùm feruefactam, aut in qua aurum ignitum ſæpe ſit extinctum. Vel ſi opus fuerit lentè etiam purgare, vino vel aquæ addere oportebit inſtillatitium aliquem liquorem ex decocto ellebori, foliorum ſenæ, epithymi, agarici & ſimilium cum ſaccharo: nam claritate, ſubſtantia & guſtu gratum erit. Quatenus autem pertinet ad reliqua quæ vitæ modum conſtituunt, ſtatuendum eſt, eum modum vitæ imponere, quo minus huius ſucci generari poſſit, plus tamen ſomni conciliari, & his maximè qui vigilantiores morbo aut natura ſunt. Item aërem habitent lucidũ, humidum aut arte humectum, maximè in locis aquatilibus, marinis, & quæ pratis, fontibus ac viridarijs abundant: neque ſatur ſit laborans, neque famem diu perferat: exercitia fugiat laborioſa, & moderata ſibi inſtituat: ſolitudinem, ſtudium & meditationem omnino vitet, conſortium

&

& hilaritatem quærat, à venere omnino abstineat, ni admodum flatuosus sit, spiritus enim dissipat copiosos & corpus refrigerat, ac humores exagitat. Et licet sint inter authores nō pauci qui crasis & humidis naturis id concedant, ac aliquibus melancholicis, rationibus profectò non magni momenti ducti, ego quidem arbitror, plus beneficij præstare continentiam, quàm venus possit, & ciborum parsimoniā, atque alia huius naturæ auxilia quantitatem seminis & humoris securius conterere, quàm seminis excretionem: scio tamen assuetis, flatuosis & calidis ac humidis minus nocere, & aliquando iuuare. Melancholici etiam ventrem lubricum semper habeant, vel enematis vtantur emollienribus, & frequentibus balneis ac alijs insuper omnibus quæ nuper retulimus.

Curatio melancholiæ ex animi passionibus orta.

Nihil profectò citiùs melancholiam accersere solet, & iam præexistentem remorari, quàm animi passiones, quæ suapte conditione vel corpus exiccāt, vel spiritus & humores præter naturam exagitant. In alijs etenim causis, primo melancholicus generatur succus & affectus & mox succrescūt metus & mœstitia: at in animi affectionibus metus, solicitudo, mœstitia, animi angor, & profunda cogitatio, vel ipsum succum melancholicum gignunt, vel temperiem, affectum melancholicum genitricem: quapropter studendum est, omni arte affectū animi pacare, & si quid diuturnitate cogitationum genitum est, diligenter corrigere.

Quæ inter animi passiones maximè & potissimum melancholiam accersire assolent, sunt proculdubio mali grandioris alicuius vel præsentis inspectio, vel imminentis formido, studium perstans, vigilia, solicitudo in præcauendo aliquo malo, vel exequendo concupito bono, longissimum & æstiuum exercitium, diuturna fames, tandem amor, qui animos iuuenum plerunque ea efficacia solicitare habet, quòd in prædictum affectum deuehat. Quapropter iuxta vniuscuiusque horum accidentium conditionem, oportet priùs prudentia & arte animum ab eo malo eruere, quàm medicamentis corpus turbare: sic adhibito optimo & salubri consilio imminentis vel præsentis mali præsidium præstabis, per patientiæ & omnis virtutis exemplar: studium vel omnino auferes, vel intermitti iubebis: vigiliam, conciliato omni arte somno, arcere oportet: solicitudinem per distractionem ad alia & grauiora munia: compescs exercitij damnum, quiete & cibis ac omni humectatione, sicut diuturnam famem cibis lentè & sensim adhibitis. Omnibus autē conuenit animum in omni lætitia componere, & ab omni fixa cogitatione auertere, quod fiet fabulis, ludo & prorsus noua acquisita solicitudine, & solitudine omnino interdicta, cum his enim versetur laborans, qui ipsi maximè sunt grati, cantus quoque & choreæ ad lætitiam prosunt: musica enim magnā vim habet in mœrore coercendo ac lætitia comparanda. Præterea sic affectos nec omnino asperè nec seuerè tractare oportet, nec rursus nimis blādè, sed in aliquibus morem gerere, & in alijs rationum efficacia dissuadere: alios verò occulta fallacia decipere opus est: multi enim arbitrantur vel serpentes vel ranas in ventre habere, & alij alia machinamenta fingunt, à quibus facilè non separabis nisi arte & ingenio vti sciueris: mutabis enim regionē, domū, amicos & familiares, & per loca viridia, amœna & humida deferes. Sed in his vitāda est omnis medica actio, sat enim illis est, vel victū instituere vt superiùs diximus, vel balneis frequētioribus vti, vel leui aliquo pharmaco, quo non melācholicū succū (quia sic affecti quā pauciss imū habent, quod plerunq; afficiātur defectu spirituū vitaliū et humidi substātifici) sed crudos humores, quos ex mentis distractione copiosos gignūt extrahes: cauere enim oportet ab alijs purgationibus, nisi iam melancholiæ copiam redundare constiterit, & etiam omnino

omnino à sanguinis detractione cauere, satius enim est humectare ac reficere corpus & animum exhilarare.

De melancholia ex amore.

In his verò qui amore contabescunt, maior diligentia, maiorque prudentia adhibenda est. Est enim amor adeò vehemēs animi affectio, vt in maniā & ferina delitamenta non rarò cōmigrasse visum sit. Diffinit quidem amorē Plato, per fruēdæ pulchritudinis desideriū: ita vt ad eius procreationem satis sit rem pulchrā semel vidisse, & idolū pulchritudinis acceptū memoria collocare: verū propter egestatem amantis, & celerē fugam accepti simulacri, nō cessant procaces oblectantis figuræ præsentiā exigere. Animus quoq; in ea re tā importunè excitatus, plurimū his obsequitur, & eandē cogitur affectare, quem sanè affectum amorē nuncupamus: itaq; exubiæ prædictæ formæ visu semel acceptæ, intimis præcordijs dilabuntur, atque hæc circum, vt sunt tenues atque volatiles, perpetua inquietudine vagantur, & in memoriam assiduè transcusant, quæ lasciuienti animo satis esse possunt. Cæterùm si quis philosophorum scripta diligēter euoluerit, reperiet vt homo sensu & ratione donatur, ita vtriq; sua pabula, fomenta ac iuuātia præstita fuisse, quibus alterentur atq; proficerent, atq; etiam addita essent prolectilia & stimulus ad hæc ipsa cognoscenda & exequenda. Quod sane veluti olfacientes philosophi, geminū fingūt amorem: vnum quidem qui rationi adesset: & alterū qui sensui assisteret: illū ad diuinæ lucis contemplationem, ad puram castamque vitam semper aspirantē: hūc verò veneris esse stimulū, qui vbi procax petulansque proiectis habenis ac deuorato pudore exorbitat, infra hominis speciem ipsum hominē deijcit, & ad ferinas dānataſque cupiditates impellit: cui profectò congruere magis furoris & insaniæ nomen, quā amoris multi ex philosophis censuerunt. Cognita igitur huius affectionis natura, affectum melancholicum ab ipsa prodire multa monstrant & distinguunt: quippe quos semel amor sibi in militiam ascripsit, & in miseræ seruitutis iugum violentum protraxit, exuccatos atque macilētos protinus efficit, squalidos & aspernabiles reddit, elūbes, impotētes, exanimes ac deformes dimisit, siquidē tota amantiū intentio versatur in amātis prosequutione, & illuc vniuersum naturalis dispositionis robur trāsferūt. Atqui cū huiusmodi robur in spiritus sanguinisq; calore sit, protinus venter eo calore destitutus (vt pote distractis peregreq; vagantibus) cibum negligenter appetit, & si quid ingeritur hunc ipsum infeliciter concoquit, neque in membra conuertit: quo fit vt egestate & penuria emacientur, & spiritu careant vitali. Hinc sanè facilè est colligere cur amantes sæpenumero mœreant, suspirent, lamententur, plorent, exulent & vagentur, ac turbentur, nusquam consistant, aliena & malè cohærentia loquantur, desipiant ita vt mori desiderent, et id ipsum timeant: sic qui amore torquetur, semper inquit veluti furens, iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser, exanimor, distrahor, diripior, vbi sum ibi non sum, et vbi non sum, ibi est animus. Præterea ea contrarietate semper versantur vt plorando rideant, ac præ tristitia cantent, et taciturni secum semper loquantur, et inter ea quæ loquuntur taceant: audaces sunt et timent, pusillanimes et non rarò temerarij, desperati et præconfidentia gaudentes, adeò vt nemo sit tam tenui intellectu præditus, quòd his visis non cōijciat, non nisi ab amore proficisci posse. Habent insuper amantes ob frequentes vigilias et caloris distractionem, vrinam crudam, ventrem astrictum et colorem corporis ac faciei palidum: pulsum verò habent qualem lib. de caus. puls. abundè disputauimus. Sed præter hæc omnia animi affectum magis patefaciunt interrogationes et loquutiones variæ, quæ in memoriā reuocēt vel pulchras fœminas aut viros,

si forsan eis memoratis vel turbetur,aut pulsum immutet vel colorem,veluti Erasistrato cum Antiocho,& Galeno cum Piladis concubina contigisse loco nuper citato retulimus.

Curatio. His signis cognita mali natura,in curatione omnino ab auxilijs medicis subsistes,præterquam à leui aliqua purgatione,quæ crudos succos leniter & citra viriũ dispendiũ à prima corporis regione euacuet:veteris enim cordis corroboratione,ac spirituum & tenuis substantiæ refectione,quemadmodũ præcedenti paragrapho abundè docuimus.Quod enim in hoc potissimũ est præsidiũ,fuga à re amata proculdubiò existit:item exẽplaris & sancta variarũ rerũ lectio,amicorũ & familiariũ mutatio,ludus,musica omnis generis,& omnis tandẽ distractionis modus. Itaq; animus verbis & exemplis sic contemperandus est vt nullis artibus vincatur,& in varias curas distrahẽdus,ne malo subsit vlla occasio.Præterea qui sic læsus est nunquam solus sit,inter eos versetur quos obseruat & veneratur,colit & offendere metuit:atque hi salutaria suggerant & recta admoneãt,subinde obiurgent,increpẽt, absterreant,& rem amatã indecoris verbis notẽt . Itẽ si adhuc corpulentus fuerit amãs,balneis & exercitijs vtatur,vinũ fugiat,& ciborũ vtatur parsimonia:sic Crates Tebanus inquit,amori medetur fames,sin aliter tempus,si neque his vincatur laqueus:sed præstabilius profectò est huic malo mederi eleemosyna,ieiunio,oratione,cõtinẽtia & disciplina,quippe impetrato Dei auxilio,perfectiùs hæc omnia fiunt.

Curatio melãcholiæ cerebro primariò affecto. Si constiterit,melancholiã fieri solo cerebro affecto,lõgè aliter curatio instituẽda est,nimirũ iuxta causæ quæ ipsam excitat rationẽ.Quippe si cerebro succrescat frigido & sicciori intẽperamento læso,ita vt propriũ alimentũ in naturam melancholiæ affinẽ cõmutet, & solùm prædicta in parte redundet: vel ob nimiũ calorẽ & exustionẽ ipsius capitis,ex probo & laudabili sanguine fiat per assationẽ humor ater,verendũ est,ne ex prima causa in epilepsiã migret affectio,ex secunda verò in maniam.Vtcunq; tamen sit,nisi ob aliũ affectum aut causam, vel ob suppressionẽ alicuius sanguinolentæ vacuationis,in sic affectis sanguis mittẽdus nõ est,sed vt Galenus consulit.3.de locis,caput humectandum,& optimo nutrimento corpus vniuersum reficiendũ.Quapropter sic affectis(præter quàm quòd maiori diligẽtia somnũ conciliare oportet)caput frequentiùs ablues his quæ ante memorabimus, & omni decoctione quæ humectet & modicè calefaciat,in frigido & sicco intemperamẽto,& his quæ lõgè efficaciùs humectẽt & modicè refrigerẽt,in quibus vrẽs caliditas in capite viget.Post quæ sanè,inunctionibus veteris ex oleo sesamino,semi num melonũ,amygdalarũ dulciũ,de papauere & butyro recẽti cũ mucillaginib⁹, seminis citoniorum & psylij. Item ex prædictis & alijs ceratũ conficies, aut caput lacte vacino ablues.Interim tamẽ modicè caput ipsum purgabis his quæ anteà diximus,maximè pilulis ex fortioribus in minori dosi,sed repetitis vicibus. Multi etenim in hoc casu,citra delectũ consulunt bregma ferro candenti inurere,quod in re admodum desperata,& cum præsagio,ac astantibus omnibus consentientibus,nulloq; medicorũ refragante,& dum simul cum frigida capitis intẽperie humores in ipso abundauerint,proficuũ fore sperabis. Verùm si in occipitio fontanellam aperueris,nihil minus efficies.In omnibus tamen melancholiæ speciebus, id tibi obseruandum erit,nimirum semper suppressam vacuationem esse reuocandam, vel aliam ei similem: item omni humectatione esse vtendum,& humectandum substantificè,ac madefaciendumcorpus.

De melancholia hypochõdriaca. Cum certum sit hunc morbũ parere flatus hypochõdria distẽdentes,& succos etiam

etiam obscenos & spurcissimos eisdem partibus immersos, ac proficiscentes etiam non rarò ab inflammatorio prædictarum partium affectu,qui coctiones vitiat aut remoratur: ob id profectò omni diligentia curandum est, ne præsidijs quæ coctionem augent vel flatus discutiunt affectus (vt pote inflammatorius) adaugeatur: fallimur enim non rarò,ob flatus nimis turgentes,& cogimur ipsos discutere,non sine magno laborantium malo: & rursus aliquando decepti persentito caloris feruore, adhibitis quæ temperant & refrigerant,crudiores fiunt humores ac imbecillior & flatuosior efficitur ventriculus ipse: quo fit vt quouis frigore ambiente doleant & refrigerentur,& calore tegumentorum quo vtuntur ad frigoris tutelam inflammentur, & ob id ignorent quid sibi proficuum existat. Quamobrem, ante huius mali curationem coniectandum est hypochondriacam affectionem vno è tribus modis posse corporibus succrescere: primo enim obstructis splenis venis & meseraicis à iecore in ventriculum , aut à mesereo in splenem, vel in partibus circumuicinis(quippe accidit hoc malum vel ob pyloron etiam sanguinem adurentem,vel ob venam portæ pancreas & vasa illis interna,necnon ob veteri vitia)atque ob humorũ cõculcationem succis ibidem excalefactis & exustis, quantũuis antea crudi fuerint:quippe redduntur prædicta vasa veluti varicosa & cancrosa, quo facilè exacerbari malum assolet ab auxilijs inconsideratè adhibitis: secundò verò fit propter vẽtriculi frigiditatẽ,quæ in acorẽ cõmutat alimẽta,siue id sit ob positiuã frigiditatẽ ac eius augmentũ, vel ob caloris proprij & spirituũ dissipationẽ,quibus de causis flatuosa efficitur affectio,& nõ minoris momẽti quã prima:tertiò deniq; & vltimò,efficitur hypochõdriaca hæc passio à vẽtriculi & iecoris cõtraoperantia, quibus ventriculo existente frigido,& nequeunte cõcoquere,atq; iecore squalido nimis auidè & celeriter trahẽte,fit facilè,vt prædicta succrescat affectio,lõgè molestioris & difficilioris conditionis quã reliquæ. Quibus cognitis,constabit profectò viam curationis instituendam fore, iuxta cuiusque peculiarem naturam & causam.

Vbi autem prædictorum locorum sit affectio,non est ita facilè distinguere, neq; admodũ necessariũ, cũ ferè eadẽ sit & eisdem auxilijs instituenda medendi ratio. Diocles autẽ sensit in meseraicis adesse, quòd tarda fieret à vẽtriculo alimentorũ distributio:Pyloron pati monstrat excrementorum alui dura & tarda deiectio.Sit ne vẽtriculus,disces ex coctionis vitio:lien ex sinistri hypochõdrij tẽsione,vt habetur 6.de locis affect.cap.1. & itẽ ab vtero fieri monstrant ventris inferioris rugitus,ac seminis & sanguinis menstrui suppressus effluuius . Cæterum qualis vigeat in quauis prædictarum partium affectio,vt maioris est momenti, ita diligentiùs expendes . Frigiditatis igitur signa sunt fluctuationes & ructus acidi, crudorum vomitus, ventriculi dolores,coctionis tarditas,& copiosa à cibo saliua. Caliditatis vrgentis signa sunt, æstus in præcordijs, amarorum vomitus, & exacerbatio à calidis . Obstructionem vigere monstrat diminuta alimentorum distributio, & eorum crudorum aut semicoctorum sequenti die vomitio . Inflammari partes prædictas & æstu tentari monstratur siti ingenti, squalore totius corporis, nidoroso ructu & vstionis ciborum sensu.

Ante tamen quàm cuiusque curationem aggrediaris,considerandum est sit ne forsan in causa improba vitæ & victus institutio,in quibus sitã esse potiorẽ curandi rationẽ in hoc malo mihi persuasum habeo.Quapropter studendum est, eam victus formã instituere,quæ aliena omnino sit à cruditatibus gignendis: in qua re non semper arbitrandũ est vtiliores esse tenuiores cibos,& eos qui facilioris sunt

ſubſtantiæ, nam in nidoroſa cruditate tales faciliùs vitiantur, ſicut in acida qui craſsi & frigidiores ſunt: iten neque ſemper calidis vtendum, quia faciliùs ſuſceptant nidorem, nec frigidis, quia aceſcunt. Quibus in meliorem viuendi rationem mutatis, ſcito in omnibus cauſis commune & proficuum eſſe, quòd laborans tolerauerit, concoxerit, & citra aliquam cruditatis ſpeciem diſtribuerit: & ob id cuique eos cibos porriges, quos cognoueris faciliùs cõmutare: & pari ratione obſeruãdum eſt, in potus qualitate & copia. Item in exercitijs, ſomno & reliquis conferentiam & tolerantiã ſemper obſeruabis, vt ea quibus meliùs laborantes ſe habent cõſequaris. Quòd ſi hac victus & vitæ ratione inſtituta, diuque adſeruata, aliquid ſuperſit in prædictis meſeraicis crudum aut prauè affectum, vomitibus id educere ſtudebis per ea interualla quæ cõmodiùs laborãs tolerauerit: niſi enim quod in vijs immoratur præter naturã priùs eduxeris, proculdubio nullius erunt momenti quæ adhibueris auxilia neque alimenta. Et quia affectio hæc ex impotentia facultatis prædictarum partium ſimul cum vitioſis alimentis prodit, ob id non opus eſt frequẽtibus vti pharmacis quæ vehementem vim purgatoriam obtineant: lõgè enim magis proſternitur potentia & copioſiores ſuccreſcunt flatus, & ob id contracta ex hac cauſa melancholica affectio vomitibus ſecuriùs quam quouis alio præſidio curatur.

Veræ hypochondriacæ curatio.

Eam ſpeciem hypochondriacæ affectionis legitimam & exquiſitam arbitramur, quæ fit cùm venæ quæ inter ventriculum & hepar ſitæ ſunt inflammantur, non quidem inflammatione ea quæ phlegmon dicitur & apoſtema, ſed quæ phlogoſis & incendium quoddam ac efferueſcentia. In qua re arbitrandũ eſt incendiũ hoc fieri duobus modis, vno in ipſarũ venarũ ſubſtantia & tẽperamento, quod maioris mali & difficilioris curationis ſolet eſſe cauſa: altero verò cùm humores crudi, craſsi, aut aliter vitiati ibidem contenti ob conculcationem & obſtructionem ab hepate non trahantur, ſcalfiunt ibidem, & inflatus ac in rugitus cõmigrant, & ſubinde ventriculũ refrigerant, & caput mille ſympthomatis vitiant. Conſtat præter hæc aliam eſſe hypochondriacæ affectionis ſpeciẽ huic finitimã & ad ipſam reducibilẽ, longè tamen grauiorem, ortam quidem ex eadem humorum effer ueſcentia, tamen iuxta partem ſiniſtram, in venis quæ præſunt inter ventriculum & ſplenem, ab ſplene ipſo exorto mali principio, quemadmodum in reliqua vel à iecore vel ab eiſdẽ venis varicoſis aut cancroſis factis. Itaque potiſsima morbi ratio ſita eſt in obſtructione prædictarum partium, cum earũ phlogoſi & incẽſione & ventriculi impotentia ob eiuſdem refrigerationem.

Signa.

Huius mali ſigna ſunt, hominis ſic affecti deiectus animus, vẽtriculi ſenſus quidã triſtis, & qui verbis exprimi non poteſt, quibuſdã dolor vẽtris vehemẽs, ad metaphrenũ ſæpè procedẽs, & cibo cocto deſinẽs, ac ingeſto alio repetẽs, adeſt illi⁹ partis anxietas, & veluti impotẽtia quædã quæ nullo cibo ſedat neq; gaudet, adeſt vẽtris rugitus ac murmur. Itẽ ructus acidus, flatus, incendiũ in hypochondrijs, maximè ſi laborans renuerit cibum: ieiunos interdum, quoſdam à cœna affligit: ſputum humidũ multum cibo ſumpto, præcipuè coctu difficili: vomitus crudorum ciborũ & pituitæ ſubamaræ vel calidæ, vel acidæ, adeò vt dentes ſtupefaciat. Color præterea adeſt præter naturam in facie: item calor viget in partibus affectis & obſtructis, ita vt tactu & calor & obſtructio ſentiãtur adeò magna, vt diſtributione abolita alimẽtũ in vẽtriculo immoretur, & poſtridie vomitu excernatur: frigidis iuuãtur ęſtũ illũ caloris extinguẽtibus, ſed poſteà deteriùs ſe habent frigidiori ventriculo facto: metus quoq; adeſt, mœſtitia, deſperatio & animi angor, & ſæpe cõquerũt. Hæc aũt profi-

proficiſci à venis iecoris vel ſplenis monſtrabit dextra vel ſiniſtra pars mille quere monijs affecta. Neque ob id credẽdum eſt flauam bilem aut ſanguinem quæ prædictis venis aduritur hypochondriacũ poſſe efficere affectum, nam ſi ibidem adurantur vel melancholiæ aliam ſpeciem, vel maniam non hypochondriacã: quod non pauci ignorantes mille monſtra fingunt, & præſidia quæ potiùs ſalutẽ perdãt quã accerſant adhibẽt. Sed ad penſum redeũtes in prædictis hypochõdriacis affectionibus quæ veræ ſunt, plerunq; vaporibus ab huiuſmodi partibus multiplicatis aſcendentibuſque ad caput, ad os vẽtriculi, ad cor, ad cerebrũ, atque ad vniuerſum corpus ſuccreſcit chorus omnium prædictorum ſympthomatum, & aliorum quæ multis ſolent accidere.

Cauſæ.

A quibus nam cauſis hæ affectiones oriãtur, nõ ita facilè inuentu eſt: crediderim tamẽ vel ad aliměti vitiũ poſſe reduci, vel ad viarũ ex propria natura anguſtiã, vel ad iecoris & prædictarũ venarum calorẽ præter naturam, quo citiùs quã par ſit, alimentum ſemiconfectum è vẽtriculo rapit, vel ad exercitiũ intempeſtiuũ, quo vel prauè conficitur, vel iuſto citiùs diſtribuitur: vltimò tamen ad vẽtriculi frigiditatẽ vel caloris innati ac ſpiritus defectũ, aut ad caloris intenſionẽ & vitium quibus in nidorem vertũtur aliměta. Quæ omnia ad exactã curationem exequendã medico incumbit conſiderare, ſimulque obſtructionem quoque adeſſe, velut reliquorum malorũ fundamentum. Sic profectò accidentium omnium duplex conſtat ſubeſſe principium: nimirum acidam cruditatẽ vitio vẽtriculi, aut quauis ex dictis occaſionibus ortam: vel nidoroſam, ex prædicta ventriculi aut venarum obſtructarum ſcalfactione, quæ nata eſt alimenta corrumpere & nidore vitiare. Dimitto alias huius mali occaſiones, quòd antea latiùs ſcripſerim.

Curandi ratio.

In huius affectionis curatione expendendũ eſt auxiliorũ genera eadẽ ferè eſſe, ſiue pars dextra affecta ſit, ſiue ſiniſtra: materiã verò qua vnũquodq; auxiliorũ cõſtare debet diuerſam eſſe arbitramur, iuxta partis affectæ naturam, aut mixtam, ſi mutua affectione lædantur ambo mẽbra in hac hypochõdriacæ affectionis ſpecie: cæterum roborandi membrũ affectum ratio diuerſa & ſeorſum facta eſſe debet. Sic

Vomitus.

etenim cõmune eſt huic affectioni, vtcunque fiat (antequã quæ mali ſæuitia expoſtulat purgantia, adhibeamus) à vomitu initium curationis ſumere, vt ſi quid pituitoſum excrementitiumue ibidem fuerit, expurgetur, ne forſan expurgantis medicamenti efficacia ad affectas obſtructione partes deuehatur, & aliqua eius pars ibidem preſſiùs inhæreat, ſtatim enim id facies eo quod cõficitur ex aqua tepida & ſyrupo violaceo, maximè ſi nidoroſi ructus appareant: ſi verò acidi, eo quod recipit decocti radicis raphani. ℥. vj. ſyrupi acetoſi. ℥. j. olei ℥. ß. quod capiat laborans tepidum à cibo copioſo & vario. Præſtat & decoctũ cicerũ rubrorũ cũ oxymellite: item decoctum ſcolopendrij, petroſelini, ruſci, apij, vel capillorum veneris cum ſyrupo acetoſo vel oxymellite: neque minoris momẽti eſt in hac affectione moderatus aceti paſſulati vſus, tam in medicamentis, quàm in alimentis.

Sanguinis detractio.

Expurgato etenim à recrementis vẽtriculo prædictis vomitibus, aut leui aliquo pharmaco quod per vẽtrẽ purget, deliberãdũ eſt an affectio ſit de his quæ omnino ſanguinis detractionẽ renuunt aut aliquo modo, vel ex aliqua ſignatim parte eam admittant, vel expoſtulent. Quippe flatuoſa hæc affectio, quatenus ad hanc conditionem & cruditatem ſibi comitem pertinet, necnon ad ventris deiectam facultatem, omnino ſanguinis detractionem renuit: verùm quia ſæpe vel ex venis quæ ſunt inter iecur & ventriculum, aut ipſum & ſplenem, calidis & inflammatis

cum dolore ad tactum & tumore ſanguinem detrahes,quia ipſarum ſubſtantia inflammatorio affectu dolet. Item ſi ex humorum ibidem contentorum ſuccenſione: vel rurſus quia regurgitat à varicibus vel hæmorrhoydibus aut menſtruis, ſanguis ad dictas meſeraicas, in quibus ob detentionem & contractum incendiũ, calorem exuſtum in corpore abundare comperimus,ſanguinem quidem mittere neceſſum eſt:ſed ſi iuxta iecur affectio ſit,ex dextra baſilica aut dextræ manus ſaluatela ſanguinem detrahes: ſi tamen in ſiniſtra parte ventris malum vigeat, ex ſiniſtra: vel in dextro poplite in varicibus eiuſdẽ cruris aut ſiniſtri ex ſiniſtro. In hæmorrhoydibus verò ac menſtruis recurrentibus,ante quàm reuocare ſtudeamus, ex talo in hac affectione plenitudo hypochondriorum demenda eſt:poſteà verò, hæmorrhoydes aut mẽſes euocare aggredieris his quæ ſuperiùs diximus,& crurũ lauacris,deambulationibus,cucurbitis femoribus, & ſuris affixis, ac ligaturis donec ſua ſponte fluant, vel ſi malueris hirudinibus extrahatur,ſic enim natura ſolet hunc morbum finire. Si tamẽ iecur malo cauſam præſtiterit,exteriores ani venas euocabis,& illis hirudines affiges: verùm ſi iam in meſereo malum & feruor præualuerint,interiores,ſi poſsibile fuerit,prouocabis,vt quæ propagines ſint meſeraicarum venarum: ſolet enim has euocare vapor decoctionis herbarum emollientium per infundibulum ſumptum,clyſteria etiam acria & quæ ſimul emolliant. Verùm ſi varices,hæmorrhoydes aut menſes præ diuturnitate ſuppreſsionis euocari non poſsint,maiuſq; ſit periculũ ex ingenti feruore & ſanguinis copia in prædictis venis,iecore aut ſplene,quàm refrigerationis ventriculi ab extracto ſanguine,aut ipſi extrahendo per maiores venas vires non ſufficiant,tunc quidem, maximè ſi venæ ſupra ventriculum liueſcant & tumuerint,per cucurbitulam ſcarificatam ſanguinem detrahes aut per hirudines eidem parti affixas:quod his conditionibus adſeruatis cenſeo eſſe præſidium magni momenti. Cùm hoc tamen in flatuoſa melancholia vel ſanguis mittendus non eſt,vel ſi nuper adductæ cauſæ ipſum mitti expoſtulauerint,& permiſerint vires, parciùs quidem id fieri debet, quàm vel plenitudo vel calor expoſtulare videantur: quippe maioris momenti ratio eſt,ipſa affectus conditio ad remuendam ſanguinis detractionem,quàm vel cauſa,vel accidens ad integrè exequendam: & ob id vitanda non eſt omnino, ſed parcè efficienda,& cum fit minùs purgãdum, cũ verò ſanguinis detractione opus non eſt purgandum magis.

Purgandi ratio. Quatenus verò ad purgationem eius quod poſt cruditatem exaruit & vſtum eſt, aũt acidum in vijs præter naturam contentum remanſit, ſtudendum eſt his medicamentis attemperare,attenuare ac reſerare vias, quæ neque quod nidoroſum fuerit amplius exurat,vel quod crudum frigiditate crudius reddat,flatuſq; copioſiores eleuet. Expendes tamen priùs,nidoroſa ne ſit cruditas,an acida: nam licet affectionis genus idem proficiſcatur ab vtraque,accidentia tamen & curandi ratio multis numeris diſsident. Quippe in acida cruditate primò acceſſu veteris melle roſaceo cum decocto ſpartæ parellæ,aniſi aut cinnamomi vel corticũ limonum: etiam ſyrupo borraginis cum oxymellite,aut ſyrupo ex radicibus vel ex corticibus citræ,cum aqua naphæ aut cinnamomi: ex vſu etiam eſt ſyrupus ex mẽtha, de pomis ex abſynthio cum aqua melliſophili & lupulorũ. Verùm ſi nidoroſa præfuerit cruditas,ac plurimum præualuerint exuſtio & flogoſis,ſolùm vtendũ eſt his quæ reſerẽt & attemperent partes & humores,velut eſt ſyrupus de radicibus cum aceto,de cichorio,de borragine, roſarum, addito modico oxymellite cum aquis lupulorum, borraginis,cichorij,radicis ſcorcioneræ, & alijs quæ conſimilem vim habeant.

habeant. Quibus etenim factis eadem lege ſeruata,purgationem cautè aggredieris,ſiquidem dum cruditas acida eſt,primò acceſſu purgare ipſam ſtudendum erit hiera ſimplici Galeni, pilulis maſtichinis vel alijs, quas ex agarico, rhabarbaro & aloë,vel puluere hieræ conficies;proſunt & electuaria,velut diaphenicõ aut catholicon vel indum. Ex vſu quoque eſt mel roſaceum. Perſicum cum decocto foliorũ ſenæ,vel infuſo roſarum Perſicarũ cum decocto epithymi & polipodij aut expreſſione ſemenis cartami. Verùm ſi conſtiterit nidoroſam præeſſe cruditatem,leuioribus vtendum eſt pharmacis, velut eſt mãna in decocto foliorum ſenæ liquata, aut ſyrupus ex infuſione roſarum vel violarũ cum ſucco ex roſis noſtris confectus: in quo ſolo caſu idq; rarò caſia fiſtula vtendum eſſe conſulo, flatuoſa enim admodum eſt,niſi præueniatur puluere diarrhodinis,aniſi aut liquiritiæ. Præſtat & confectionis Hamech ſine ſcamoneo & colocynthide cõfectæ. ʒ. vj. exhibere ſuperbibitis. ℥ iij. ſeri lactis in quo ferbuerint foliorum ſenæ. ʒ. iij. Eiuſdẽ eſt vtilitatis prunorum damaſcenorum vſus cum decocto eorundem foliorum & ſaccharo. Sed curandum ſummoperè eſt in hoc malo,ne copioſiores fiant per pharmacum purgationes,languidior enim ſupereſt natura & crudiores deinde ſuccreſcunt ſucci copioſioreſq; flatus. Quapropter roborandum ſimul atque purgandum eſt: cuius gratia porrigimus rhabarbarum dilutum cum ſyrupo ex infuſionibus roſarum noſtrarum,vel dilutum foliorum ſenæ & rhabarbari,factum in aqua cichorij vel in ſero lactis cum ſyrupo ex infuſionibus violarum: ob id etiam magni momenti fore arbitror infuſum abſynthij cum foliis ſenæ in liquore nouem infuſionũ roſarũ. Prodeſt etiam mirum in modum ſerapium quod hac lege conficitur: excipe ſucci cardi ſancti, borraginis, lupulorum, pomorũ redolentium, ana. ℥ iij. decoctionis trium vnciarum foliorũ ſenæ factæ in vncijs decem & octo aquæ puriſsimæ. ℥ xij. cum ſaccharo fiat ſerapium. Idem beneficium præſtat infuſum rhabarbari cũ ſero lactis & ſyrupo eupatorij,ſi iecur fuerit affectũ & hypochondriorũ pars dextra,aut infuſum foliorũ ſenæ cũ ſyrupo de pomis, vel acetoſi diarrhodouis, ſi pars ſiniſtra. Quòd ſi copioſiorẽ deſideras nidoroſæ aut acidæ cruditatis notitiam & curationẽ, eam reperies cap. de ventriculi cruditate.

Facta etenim prædictis diſtinctionibus purgatione, vlteriùs expendendũ eſt, an acida illa cruditas ex ſolo caloris innati ventriculi ac viſcerũ omnium defectu prodierit,vt in hominibus ſtudio ac literarum exercitijs contabefactis, non rarò conſpicimus: in quibus flatus quos excernunt, exortes exiſtũt nidore aut aciditate,quod eſt veluti ſignum propriũ huius cauſæ. Cauendũ ſummoperè eſt,in his à frequenti pharmacorum vſu: ſat enim eſt ineuntibus vere & autumno leuiter corpus purgare,vt excrementa primæ regionis delitescant,minimèq; vrantur. Poſteà verò nulla alia via curationem aggredieris, quàm per ea auxilia quæ caloris ſubſtãtiam adaugere poſsint & ſimillima ſint calori natiuo ipſius laborantis: quæ ſanè tùm intus,tùm extra adhibere conueniet,ac ſtudiorũ labores remittere, nec non & cibis vti tenuioris,facilioris atque copioſioris ſubſtantiæ, præſtito etiam eo ſolùm exercitio quod animi gratia ex vſu ſit: quibus ſanè plures reſtitutos ſanitati vidimus,potiùs quàm ex frequentia medicamentorum.

Sed in hac (potiſsimũ tamen in reliquis cauſis) affectionis ſorte, dum ex nidore aut aciditate principium trahit, prædictis præmiſsis auxilijs, ſtudendũ eſt quod adhuc in vijs impactũ remanet conterere,& flatus etiam diſcutere: quod ſanè lentè & paulatim facies. Quippe certum eſt, vna ſolùm vacuatione corpus non ſatis expurgatũ ſupereſſe,vt hoc auxilij genus innocuè ferre poſsit: ſic mox in nidoroſa

cruditate à prædictis purgationibus,vteris fomentis ex aceto & corticibus caparrorum,& vnguentis admiſcebis aceti non parum. Verùm in acida modeſtiùs tegeres, & vteris decocto abſynthij cũ pulegio & minori centaurea, aut cũ aniſo & cinnamomo. Præſtant etiam eundem vſum quæ vrinam mouent,vt eſt decoctũ fœniculi,aniſi,dauci,petroſelini & huiuſmodi,quibus addere oportebit ſyrupi de pomis,violarum,aut capillorum veneris(ſed maximè de corticibus citri) modicũ: quæ ſanè medicamenta maioris efficit efficaciæ aceti modicum,aut oxymellitis, ſiue cruditas nidoroſa ſit,ſiue acida. Scribunt etiam authores non contemnendi ad flatus diſcutiendos conterendaſq; reliquias maximè prodeſſe puluerem qui recipit coriandri præparati. ℥ j.puluꝛis radicis bugloſæ.℥.ß.cinnamomi, corticis citri,ſeminis fœniculi & carui ana.℥.iij.ligni aloës.ʒ.j.ſacchari.℥.iiij.cuius porrige ante cibũ cocleare vnũ.Verùm in vtraq; cruditate,maximè corde anxietate affecto, prodeſt puluis qui recipit aniſi.℥. ij. corticis citri. ℥.j.& ß.margaritarũ præparatarũ ℥. j.puluꝛis electarij de gẽmis.℥.ß.puluꝛis diarrhodonis.ʒ.ij.ſacchari albiſsimi.℥. iiij.miſce & fiat puluis,vel cũ aqua naphæ fiãt tabellę,quarũ ſumat.℥.ij.cũ aqua graminis. Præſtat etiam ſyrupus(maximè in acida cruditate,) qui recipit ſerici crudi ℥.ij.ſeminis baſiliconis,caryophyllorum,corticum citri ana.℥iiij.corticum mali citonei.℥ij.&.ß.radicum bugloſæ.℥ ij. foliorum bugloſæ.m. iiij. ex quorũ decocto cum ſaccharo fiat ſyrupus.Sed referti Altimarus alium,quem ſcribit eſſe maioris momenti,qui recipit hyſſopi,ſampſuchi,ſerpili,melliſophili,& betonicæ ana. m.v. borraginis,lupulorum,ſcolopẽdrij, fumariæ,capillorum veneris,ana.p.v.radicum cichorij,borraginis,fœniculi,caparrorum ana.℥ iiij.abſynthij & epithymi ana.℥.iij. foliorum ſenæ.℥ j.corticum citræ.p.j.pulegij & florum minoris cẽtaureæ ana. ℥.ij. camedreos, camepiteos ana.℥ j.iũci odorati & ſeminis aniſi ana.℥.j.paſſularũ ſine granis.℥ j.paretur ex his ſecundùm artem decoctum,cuius excipe lib.iiij.adijcitoque ſucci pomorum dulcium & acidorum,ſucci roſarum & malorum punicorũ acidorum ana lib.ij.&.ß.ſucci borraginis & fumariæ depurati ana.℥. viij. ſacchari quod ſufficiat,fiat ſyrupus:cuius porrige.℥ iiij. cum aqua lupulorum aut borraginis.Huius autem ſyrupi maximus erit vſus,præſertim poſt ſufficientem purgationem,& ineuntibus vere & autumno.Sed maioris cenſeo eſſe beneficij, in his potiſsimum qui debiles ſunt & morbo conſumpti,decoctum galli veteris cum paſſulis,abſynthio,folijs ſenæ,& eupatorij,cum epithymo,coriandro præparato, radicibus diurecticis: maximè addito aliquo ex puluiſculis cordialibus memoratis.

His etenim factis,iterum inferiorem ventrem clyſmatis flatum diſcutientibus ablues, & purgationibus paulatinis ventriculum & meſeraicas abſterges: quem vſum præſtat prædictus ſyrupus, addito decocto foliorũ ſenæ,vel ſucco.ij.aut.iij.℥. ſeminis cartami: prodeſt & quarto quoque die ſumere prunum damaſcenum ſaccharo & decocto ſenæ confectum.Atque inter vnam & aliam horum medicamentorum exhibitionem,porriges quæ roborandi ventriculũ ac flatus diſcutiendi vires habeant.Cui vſui non parum conducit in vtraque cruditate rhabarbarũ maſticatum tertio quoq; die,ſuperbibito modico abſynthij decocto. Sed præſtat interim dum hæc fiunt,cruciatus doloreſque ac ventriculi tenſionem compeſcere,maximè in acida aut inſipida cruditate,fomentis quæ recipiãt olei lib.j.anethi, abſynthij,pulegij,ſerpili,foliorum lauri ana.℥.ß.bulliant parum,& poſt collaturam ventri adhibe vngẽdo aut in veſica præſtitum: quæ omnia vino incocta ſummoperè prodeſſe comperimus:præſtat & decoctũ cumini,pulegij & aniſi,addito modico aceto per ſpõgiam adhibitum:item decoctum fœnugræci,camemali, anethi, abſyn-

abſynthij,ſerpili,fœniculi,cumini,baccarum lauri & roſarum: ex quibus etiam cataplaſmata vel ſaccelos vino irroratos aut aceto ſuffumigatos parare poteris. Verũ in nidoroſa cruditate ſat erit fomentum parare ex decocto roſarum & abſynthij in aqua facto: cui etiam ſatis ſolet eſſe inunctio ex oleo roſaceo & omphancino, in quo ferbuerint abſynthium,puluis roſarum & coralli cum modico apio conquaſſato maceratoq; in aceto.

Quod ſi ne hæc prodeſſe videantur,vt flatus diſcutiantur, aut ſufficiens calor concitetur in acida cruditate,vel diſtrahatur quod præter naturam ibidem moratur,ad cucurbitam fugiendum eſſe conſulit indigentiæ ratio, dummodo & corpus & meſerei venas ſatis purgatas eſſe conſtet:tunc enim incredibili efficacia flatus diſcutit,dolores lenit,& calorem naturalem ad partem euocat. Neque placet in hac re ipſam ſcarificare:nam licet diſcuſsis flatibus & humoribus aliquid prodeſſe poſsit,nocet profectò magis calore diminuto ventreq; frigidiore facto: niſi (vt nuper latiùs dixeram) dum partes externæ & abdominis muſculi venas habẽt humore melancholico plenas & conſpicuas:hoc enim præſidio nonnullos deploratos præ dolore & tenſione ventris reſtitutos vidimus.Cauendum tamen eſt,ne laborans ſit ex his qui vel hæmorrhoydes habent,vel tumentes varices aut ſupreſſum menſtruum:quippe tunc maius ſolent accerſere parti affectæ damnum,quàm beneficium.Eſt tamen magni momenti,ſi his nõ poſſumus dolorem ſedare, in acida cruditate potibus aquæ feruentis vti,& in nidoroſa frigidæ:ſed in vtraq; cenſeo maioris eſſe momenti in prima menſa vti in nidoroſa vt dictum eſt potu aquæ frigidæ,in acida verò aquæ calidiſsimæ.

Si ex frigiditate oriatur hypochõdriaca affectio.

Cùm longè aliud ſit hypochondriacam affectionem curare,dum ex caloris innati defectu in viſceribus oritur,ac dum ex poſitiua frigiditate principium trahit (quippe illa refectionem ſpirituum & calidæ ſubſtantiæ expoſtulat, nulla vel leui vacuatione facta, hæc verò calefactionem & purgationem frequentiorem, cùm plerunque frigidam materiam comitem habeat) ob id inſtitui peculiarem huic cauſæ ſcribere:cæterùm me releuat ab hoc labore quod ſcripturus ſim paulò inferiùs integrum de cruditate ventriculi caput,& ob id hac in parte hoc onus deponere decreui.

De hypochõdriacæ affectione ex contra operantia iecoris & ventriculi.

Inter omnes cauſas quæ hunc affectum concitare ſolent, nulla difficilior exiſtit cognitu,grauior & moleſtior,& quæ ferè nullis cedit præſidijs,quàm ea eſt quę ex contraoperantia ventriculi & iecoris principium trahit. Neque pertinet ad hanc cauſam ea quæ multis aſsignatur,nimirum iecur calidum rapiens allicienſq; ad ſe innatum ventriculi calorem,quo ipſe coctioni alimentorum minùs ſufficit: nam hæc cauſa,quantũuis ventriculus refrigeretur, non expoſtulat æquè cõtraria auxilia:ſed ſolùm oportet hac in parte ſubintelligere ventriculum poſitiuè frigidum,& pari ratione iecur ad caliditatem intemperatum:quod maximum ſolet in omnibus morbis faceſſere negotiũ,q; neq; calida,neq; frigida medicamẽta vſquã profuiſſe viſa ſint:nam illa calorem hepatis acriorem relinquunt,& vt inimica naturæ omne calidum naturale & omnes facultates partium & maximè debilioris ventriculi labefactant, diſsipant & diſſoluunt:quæ verò frigida ſunt, licet iecori proſint,ventriculi intemperamentum omnino adaugent.Quapropter maiori diligentia curandum eſt,hunc affectum noſſe & cognitũ ad naturalem ſtatũ vnum quodque horum membrorum ſine alterius iactura reducere.

Signa.

Dignoſces autem iecoris calidam intemperiem ex ſiti, maxillarum rubedine, vigilia,vrinæ rubore,aut cruditate:ex manuũ atque pedum calore, & totius faciei præter

præter maxillas colore pallido:cum quibus adeſt cibi appetentia inſolita,& cum hoc impenſa cruditas eaq; aliquando acida,nonnunquã verò nidoroſa:quod rarò ſimul accidere viſum eſt,niſi dum vtraque cauſa ſimul vigeat: adeſt etiam ventris inflatio,& quod magis eſt crudorum grandior expulſio:quippe reſpectu frigidioris ſucci à ventriculo geniti mediocris apparet iecoris calor,quo flatus eleuari neceſsum eſt ex craſsiori ſubſtantiæ parte,ſicut tenuem in nidorem cõuerti ab eodem calore facile eſt: adſunt præterea aliquando frigida & nonnunquam plus iuſto calentia: laborans anxius eſt,ſiticuloſus & à potu maximè læditur: euomit cibum crudiorem,& alui excrementa veluti caprarum ſtercus: illud vitio ventriculi hoc iecoris intemperantia:vigilia quidem premuntur,& ſi ſomno forſan corripiantur, deteriùs ſe habent,& ſqualidi, anxij & mille alijs accidentibus preſsi expergiſcuntur.Prætereà vrinam habent nunc albam,nunc croceam iuxta dominium huius aut illius intemperiei:quapropter vel grauius malum ſperare oportet vel ex præſidijs nullum leuamen.

Curandi ratio.

Curandi verò rationem vt cautè aggrediaris,ſcito,vno è tribus modis exequendam eſſe:primò vel vni membrorum adhibitis auxilijs extrinſecus, vt iecori,& alteri intrinſecus vt ventriculo, aut è contra: ſecundò alternatim,nunc ventriculo prouidendum,num iecori, cùm videlicet affectum & affectus accidentia magis vnius vitio quàm alterius prodeunt:illi verò(alterius etiam habita prouidẽtia)ſubueniendum eſt,altero non omnino neglecto:tertio verò & vltimo rem aggredieris mixtis auxilijs.Sed primò prouidendum eſt ventriculo vomitibus, quo depoſita humorũ crudorũ ſarcina auxilijs quæ leuiter calefaciant intrinſecus aut extrinſecus adhibitis,citra iecoris inſignem alterationẽ beneficium ſuſceptet: qualia autem hæc futura ſint,nuper ſcripſimus.Quo facto,& interim dum fit, iecoris regionem extrinſecus attemperabis,niſi cognoueris aduſtum quid ibidem immorari,quo tenearis,poſt ventriculi prouidentiam, ſanguinem ex ſaluatela dextræ manus,aut ex baſilica eiuſdem lateris fundere. His autem factis,& retuſa cuiuſq; membri aliquo modo intemperie,tutiorem arbitror eam curationem,quæ media eſt inter vtriuſque membrii intemperamentum. Quapropter arbitrandũ eſt, proficuum eſſe(quòd etiam humores qui peccant ex vtriuſq; cauſæ exceſſu,in aduſtam cruditatem commigrarunt)porrigere laboranti ſyrupum cichorij cum oxymellite & decocto paſſularũ,aut ſyrupum borraginis,eupatorij aut acetoſum diarrhodon cũ aqua lupulorũ & fumariæ:prodeſt & ſerũ lactis cũ rhodomelle vel ſyrupo bugloſæ & modico oxymellite:tandẽ acetoſum è radicibus cũ ſero lactis aut aqua lupulorũ:quippe arbitrandũ eſt in huiuſmodi mẽbrorũ cõtraoperãtia, maximã in meſeraicis neceſſariò adeſſe obſtructionẽ.Poſt aliquod tamẽ dies, vterer medicamẽto purgãte crudos & aduſtos humores:cuius naturæ eſt infuſum duarũ dragmarũ foliorũ ſenæ,&. ʒ.j.rhabarbari in ſero lactis cũ tribus. ℥.ſyrupi violarũ ex infuſionibus,aut ex roſis noſtris.Proſunt etiã alię purgationes minutiores,quẽadmodum eſt infuſum rhabarbari,aut foliorũ ſenæ in decocto eupatorij,viſci quercini,paſſularũ & hordei:præſtat & ſyrupus eupatorij aut acetoſus diarrhodon, vel cichorij cũ infuſo rhabarbari,foliorũ ſenæ aut cartami conquaſſati in aqua lactis aut lupulorũ.Poſt prædictas autem purgationes ſumat laborãs tria vel quatuor cochlearia huius mixturæ quæ recipit ſeminis plãtaginis,piſtaceorũ non rancidorũ contuſorum ana. ℥.j.corticis citræ exiccatæ. ℥.ij.&. ʃ.agrimoniæ.m.j.&. ʃ.tamariſci,ceterach,capillorũ veneris,florum borraginis ana.m. ʃ.abſynthij pontici,roſarum ana m.j.cinnamomi,mirabolanorũ chebulorũ,& indorũ ana. ʒ.iij.coquantur in aqua chalibeata ſecundùm artem,& cum ſaccharo albiſsimo fiat ſyrupus,cui in fine decoctionis adde galliæ muſcatæ. ʒ. ʃ.& ſi diu eo vtaris maximi vſus comperies,præſertim ſi ſingulis ſeptimanis ante cibum præſtiteris: ʒ. j. pilularum quæ recipiunt agarici trochiſcati,rhabarbari electi ana. ʒ.j.ſpecierum hieræ ſimplicis Galeni,florum borraginis,epithymi ana. ℈ij.aloës lotæ in ſucco roſarum. ʒ.ij.&. ʃ.miſce & cũ ſyrupo cichorij fiat maſſa.His factis ventriculo & iecori hac lege prouidebis: ventriculo ſacculum conficies,qui recipiat maſtichis. ℥. ʃ.abſynthij vulgaris,menthæ, pulegij ana.m.j. ʃ.roſarum rubearum,florum labruſci ana.m.j.cinnamomi. ʒ.ij.galangæ,nucis muſcatæ ana. ʒ.j.caryophyllorum,galliæ muſcatæ ana. ℈.ij. pulueri-zentur omnia & fiat ſacculus ex tela ſerica pro vẽtriculo.Præſtat etiam hypochondria fouere decocto quod recipit agni caſti,fœniculi, foliorum ſenæ,roſarum, abſynthij vulgaris ana.m. ʃ.coquantur in aqua chalibeata quod ſufficiat pro fométo cum ſpongia,cauentes iecur.His autem factis,ſi magis præualuerit iecoris intemperies,reddideritque vniuerſum corpus ſqualidum,balneis aquæ dulcis oportebit ipſum attemperare,dummodo ventriculus præueniatur,ne aquæ lotione ampliùs infirmetur:cui vſui neceſſum erit oleo caryophyllorum cũ maſtiche ipſum inungere.Poſt hæc autem omnia,non erit abs re ſingulis diebus aut tertio quoque die parum aquæ abſynthites cũ aromatico roſato aut tabellis diarrhodonis porrigere, vel alia quæ conſimilem virtutem habere anteà diximus.

Hoc tamen vnum in hac curatione ſummoperè obſeruandum ſupereſt, nimirum incredibili efficacia huic affectioni prodeſſe & experimento eſſe confirmatum,in omnibus ferè hypochondriacæ affectionis cauſis,vſum chalibis,ſiue in fœminis ex vtero,ſiue in eis ac viris ex ventriculo, meſereo,iecore aut ſplene obſtructis,aut quomodolibet humore obſeſsis malum oriatur:quapropterid præſidium citra vllum timorem conſulo adhiberi,quod forſan(purgato vt par eſt corpore)ſufficere poſsit,ſolùm vt laborantem ab aliorum importuna moleſtia eruere poſsis. Sed in huius præſidij adminiſtratione neceſſum eſt admiſceas ea quæ modicè purgant,velut eſt infuſum rhabarbari,foliorum ſenæ aut ſuccus ſeminis cartami, tantum inquam,quantum ſat ſit,vt bis ter ve laborans humoris peccantis aliquid excernere poſsit.

Quòd ſi ne his quidem omnibus adhuc pro artis lege factis, affectio ſubſideat miteſcatque,tunc profectò ad ſetonem aut fontanellam, vel vſtionem ſupra ſplenis aut ventriculi regionem confugiendum erit:dummodo prædicta præſidia nõ adhibeantur his qui ſanguinem ex hæmorrhoydibus fundunt:nam ſetone affixo ſupprimetur reuocaburque,quod non eſt minoris damni.Verùm ſi hæmorrhoydes adhuc fluentes non ſufficiunt,ad mali ſæuitiam compeſcẽdam ſatius erit fontanellam in altero crure aperite.

De mania & reliquis furoris generibus. Cap. XVIII.

VT certum eſt,melancholiæ omnem ſpeciem cum timore & triſtitia eſſe,ita proculdubiò, maniam cum furore & contentione cõiungi arbitramur:& hoc eſt quod dixerat Auic.l.3.tract.4.cap. 18.Cùmque melancholia componitur cum rixa & ſaltu & contentione ſeu pugna,mutatur eius nomen diciturque mania,quæ nil aliud eſt quã princeps functio deprauata,propter feruidam cerebri ſine tumore caliditatem. At ſpecies huius mali, licet ſint numeroſæ, quæ con-

conſpicuæ magis exiſtunt,ſunt quinque,melãcholia nimirum,furor,amor, rabies, & hydorolcos,quam Auic. vocauit cutbut,& Græci Lycaonem,ideſt lupinam inſaniam, vt mox latius ſum expoſiturus,ſi priùs dixero vnde maniam Græci dixerint. Quippe multi à mania ipſa larbarum matre,appellatam autumãt, aut forſan ab ipſis potiùs manijs,quas nonnulli larbas ac lemures eſſe fingunt: vel à manibus ſeu dæmonibus ipſis,ob vehementiam actionũ: vel quia ſæpe cùm dæmones ſeſe corporibus inſinuant(qui occultè in viſceribus operti valetudinem vitiãt,morbos citant,ſomnijs animos exterrent,mentes furoribus quatiunt)ſimillima ſolent concitare accidẽtia. Dimitto aliquando ob lunæ motũ,quem ſic affecti in deliramentis obſeruant,lunaticos eſſe appellatos. Sed Latini Græcorum maniam appellant inſaniam,quod mihi vim & efficaciam morbi non ſatis oſtẽdere videtur,vt refert Cicero.4. Tuſcul. quippe inſaniam,quòd ſtultitia ſit iuncta, incontinentiam eſſe ſanitate vacãtem arbitror: maniam verò,ratus ſum mentis ad omnia cæcitatem, & ob id maius quid eſſe videtur quàm inſania. Quo profectò factum eſſe reor,vt duodecim tabulæ apud Iuriſconſultos vetuerint eũ,qui furore ſit correptus, ſuarum rerum eſſe dominum, non verò eum qui inſanus eſt: quamobrem commodius mihi viſum eſt,maniam furorem vertere,quàm inſaniam: maximè cùm(vt dictum eſt)hac ſola ratione maniam à melancholia differre conſtet,nimirum ob furorem,quo maximè maniaci pollent. Dimitto aliquando Hippo. melancholiam appellaſſe maniam,forſan licentioſiùs,aut,quod magis placet,quia eo loco, videlicet.6. aphoriſm.21. voluit ſignificare ſolùm inſaniam. Nec valet quorundam praueintellecta Gale.3. de locis cap.6. ſententia,qua parte per melancholiam cenſent intellexiſſe maniam,quòd fieri aſſerat cerebro ab inflammãtibus,calidis & æſtuãtibus diſpoſito: nam aliud eſt affectum melancholicum eſſe calidum (quo vocari poſsit mania)& aliud,à calidis fieri cerebro ſuperſtite frigido,quo melancholia ſuc creſcit. Qua lege cenſeo interpretandum eſſe prædictum Gale. locum. Diuidunt tamen præcipui authores prædictum furorem in lupinam inſaniam (quam Auicen. appellauit cutbut,Græci verò Lycaonem,& ex eis multi hydorolcos, quòd ſit veluti riuulorum araneus quidam in ſuperficie aquæ ſtans, qui venatur muſcas, nunquam eandem viam tenens,ſed per vias diuerſas graditur,vt faciunt qui hoc morbo laborant)& in caninam,Græcis dictam cynantropiam ſeu rabientẽ: quippe certum eſt aliquã maniæ ſpeciẽ rabiẽ eſſe,non tamen omnẽ. Conſtat igitur differre inter ſe lupinum delirium à rabie,ſicut lupus à cane: lupus enim citra voracitatem & rapacitatem inſidioſam dæmoniaca prauitate præditus eſt, neque vnquam cicuratur,neque fida eſt eius conſuetudo & amicitia: ſic qui hoc modo afficiuntur,inſtar luporum aborrent hominum ſocietatem,fugiunt,latitant, inſidiantur,clam aggrediuntur,feriunt & interficiunt: illi verò qui canino delirio & rabie corripiuntur,rixantur etiam,& prouocati inſiliunt in laceſſentem, rident, trepidant,blandiuntur,obediunt,agnoſcunt amicos eorumq; ſocietatem & conſuetudinem exoptant: & cùm hi ſint canum mores, dictum eſt canina mania laborare eos qui ſic afficiuntur. Itaq; omnis huius mali ſpecies,præter dictas conditiones, ſortitur etiam hominem ſine febre corripere,& extra mentem atque omnem rationis vſum nequiter tranſponere;cogẽs in vanas cogitationes,in abſurdas loquutiones & in nefanda facinora & mores plus quàm ferinos prorumpere, & vt Gal. refert aliquando in extaſim ſeu taciturnitatẽ detinet. Verùm licet dictũ ſit maniacos febre care,Celius tamẽ Aurelianus arbitratur quoſdam eſſe febrem habẽtes, lentam tamen & minoris momenti,quàm ea ſit quæ phræniticis ſuccreſcit.

His

His conſideratis, conſtabit facilè furorem ſympthoma eſſe principum facultatum omnino corruptarum, maximè rationis & imaginationis, cùm conſtet memoriam non deficere. Hoc tamen certum mihi videtur in hac affectione, nimirum præter cerebri calidum & ſiccisſimum intemperamẽtum,etiam in vaſis ipſius cerebri interioribus, humores eiuſdem naturæ vel ſemper adeſſe (vt in his qui perpetuo delirio premuntur) vel ex innata cerebri intemperie in dies aggregari, & copia ſufficienti congeſta, in furorem laborantem agere, donec vi caloris proprij diſſoluantur, & ſubſidente affectione recipiat aliquo modo laborans, donec iterum idem fiat humoris acceſſus, quo mens iterum & eodem modo turbetur. Qui ſanè habitus adeò fixus & connaturalis ſæpe factus apparet,vt immedicabilis fiat: quo tempore per interualla modo dicto deſipiunt & reſipiunt laborantes: nam cùm in perpetua ſunt acceſsione, arbitrandum eſt contractum habitum eadem perpetuitate ſibi comites habere humores habitui ſimiles: aliquando verò vitium ſolùm in humoribus exiſtẽs aut in fieri in cerebro,reliquos humores quos gignit natura,conſpurcat,vt in hoc malo prorumpãt: quem ſtatum faciliùs quàm quemuis alium, ad antiquam ſanitatem reduces, quod diſtinxiſſe ad curationem non eſt parui momenti. Dimitto frequentiùs hunc affectum per eſſentiam fieri in cerebro,verùm non admodum rarò ex conſenſu alicuius inferioris membri,vel totius corporis. *Affectus natura.*

Si quis huius mali cauſas ſtudeat adinuenire,reperiet profectò rem eſſe grauem & magni momenti. Nam apud antiquiores,vna reperitur eaque generaliſsima,nimirum mutatio ab ea temperatura quæ homini debetur, in ferinam & omnino alienam: quod quidem licet verum ſit, non tamen monſtrat qualis futura ſit hæc ferina temperies, & à quibus cauſis principium ſortiatur, foueatur & augeatur. Conſtat tamen (ſi quis diligentiùs rem penſitet) intemperiem hanc, ſiue in humoribus ſit,ſiue in partibus ſolidis,debere eſſe calidam & ſiccam, non quidem vtcunque, ſed habitualem & factam, turbandis omnino ſpiritibus animalibus idoneam,vel ipſis terreſtribus & vitioſis gignendis accommodã: quam vel in vniuerſo genere venoſo ac iecore eſſe contingit,qua humores prædictæ naturæ fiunt, vt cerebrum aſcendentes prædicta deliramenta inducant: vel fit in ſolo capite, ita vt quantumuis alimentum illuc aſcendens laudabile ſit, protinus in ferinam mutetur temperiem: quo autem modo humores tales fiant, iam audies. Ipſa enim luce clarius conſpicimus, ſi quis ſanguis, ſi quæ bilis aut melancholia ſingulatim mixtimue ſuccenduntur (non incendio febrili, in quo ſuccorum quoque vitioſa putredo interuenit,proprium enim furoris eſt febre carere, quia licet calor in febribus polleat, eſt tamen cum humiditate humoris putreſcentis adiunctus: nam hæc in putredine licet ſeparetur, non tamen reſoluitur, ſed manet ita vt coctione poſsit aliquo modo emendari) at in hoc vſtionis genere exuritur humiditas & euaneſcit: quo fit vt nulla coctione affectus emendari poſsit. Siquidem cùm ſolùm naturæ calor adeò intenditur, exacerbatur & inualeſcit vt candeſaciat igniatque ſuccos mox animi quoque ſtatum conuelli, eòque pertrahi neceſſum eſt, quò rapidæ flammæ adigunt. Quippe ignis violentus cùm ſit atque indomitus, quos ſuæ qualitatis ſupra natiuam temperiem participes facit, violentos etiam atque indomitos reddit. In humoribus præterea quod liquidum eſt & tenue minimo negocio in obſcœnas fuligines ſubducit, reliquum verò in toruam atramq; fæcem aſſando commutat: vnde fœdi ſilueſtreſq; ſpiritus animalium functionum inſtrumenta, prodeunt: & dulcis ille numerus, harmonia & concentus *Cauſæ.*

in quo æquabilis succorum portio constabat, dissipatur. Quo fit, vt promptè colligere possimus, irrationalem, inordinatam, deformem, ineptam inconcinamque agitationem hinc forsan oriri. Maniæ ergo seu furoris occasionem rectè iudicamus prodire à proprio temperamento violato cum improba humorum exustione, qua in atræ bilis naturam prorsus mutantur: quam quidem non æquam & parem in omnibus insanientibus conspicies, maioris enim & minoris rationem capit, prout inest acriori materiæ: quod prorsus fieri duplici de causa comperies: vna ex humoris qui aduritur conditione, quo fit, vt quanto humor humori ferocior exiterit, tanto quoque malignior succrescat feritas: alia verò ex causæ quæ vstionem molitur efficacia & malignitate, sunt autem hæ non paucæ: nam quædam extrinsecus occursant: quædam verò clam & occultè interius hominem exurunt & perdunt. Has sanè omnes exactissimo calculo annumerat Celius Aurelianus lib. tardarum passionum cap. 5. Inquit enim, generatur autem frequentiùs in iuuenibus ac mediis ætatibus, difficilè in senibus atque difficiliùs in pueris & mulieribus (licet in omnibus non rarò id malum conspiciamus,) nunc repentè inuadens, nunc paulatim increscens nunc ex occultis, nunc ex manifestis causis, vt est vstio, perfrictio, indigestio, vinolentia frequens atque immodica, item vigiliæ iuges, amor, iracundia aut mœstitudo vel timor vel superstitio nimia: item concussio siue percussio capitis, & intentio nimia sensuum & intellectus ob cupiditatem disciplinarum vel quæstum pecunialem aut gloriam. Item epota medicamenta, & ea magis quæ amore facere fingunt à Græcis philtropota appellata. Item detractio hæmorrhoydarum veterum, siue varicum, aut in fœminis absentia solitæ purgationis. Quæ sanè omnia (& alia his similia, quæ etiam considerare oportet & præuidere) facilè monstrant, si adsunt, si præcesserunt, strimet laborans. Verùm vtcunque vna vel plures ex prædictis causis accedant, nequeunt sua sponte ferinum inducere delirium, ni priùs humorum aliquis ab earum efficacia aduratur superasseturque. Qua in re priùs sciendum est, pituitosos succos nihil in hac re posse, vt qui nullo modo patiantur ad tantam deuenire assationem, quòd in atram bilem commigrent, iuxta Galeni doctrinam: inquit enim 6. apho. 56. Fiunt quidem propter pituitosum humorem apoplexiæ & conuulsiones & cæcitates oculorum, fiunt autem & propter melancholicum, quoniam vtriusque communis est crasitudo, non tamen furor est passio communis: nunquam enim hic expituitoso humore ortum habet, cum ad eum humor irritans ac mordens exigatur. Fit igitur mania interdum ex sanguine nimium feruente, vel in cerebro existente, aut ibidem aliunde confluente vt ex Galeno patet 5. aphoris. 40. in quo affectu concitando, non sat est quemuis adesse assationis modum, sed eum qui exuccatum & aridum reddat sanguinem, feruore conterente humidam eius partem. Fit etiam & frequentiùs, ex superassata flaua bile, vt ex Galeno constat 3. de locis dicente. Quemadmodum alter atræ bilis succus, qui præassata flaua bile nascitur, ferina deliramenta inducens: quam sententiam iterum confirmat 2. de causis sympthom. cap. vltimo & 3. aphoris. 22. Contingit etiam non rarò ex melancholico fieri succo, licet ex eo non semper sed cùm supra modum exuritur, aut acritudinem contrahit, vt ex Galen. constat. 6. apho. 56. Denique omnis furor habet aliquem ex his humoribus tanquam proximam causam, modò iecur, splen, vterus aut vniuersum corpus prauè exurendo, vt dictum est, disponat, & in cerebrum transmittat: modo cerebrum prædicto intemperamento habitualiter affectum, ex alimento sibi commisso similes sibi generet succos, quos posteà in prædictum affectum commigraturos arbitramur.

Quæ hunc affectum monstrant signa cuiuis conspicua fiunt, quapropter satius erit causas & differentias monstrantia nunc docere, & rursus quæ corpora obnoxia huic affectioni existant, vt quantum possis omni diligentia præcaueas. Nosces tamen primo deliramenta potiùs ferina & maniaca esse quàm phrenitica aut melancholica, ex eo quòd conspicies sic affectos, nonnunquam toruo & horrendo vultu meditabundos veluti obstupescere, oculos atroces & formidabiles hinc inde vertere, moxin iurgia, rixas & contentionem amarulentos erumpere: & nisi vinculis aut impactis flagris domiti cohibeantur, domesticos & familiares seu quosuis alios adoriuntur: nec desunt alij, qui sermonis adulabilis succo blandiuntur, & simulata tranquillitate in sæuam tempestatem prosiliunt in alios ac in seipsos, etiam sibi mortem consciscentes, vt de Empedocle fertur, qui se in Ætnæ voraginem proiecit, & de Aiace Telamonio, qui seipsum mucrone perfodit. His missis, quæ nullus ignorat, ad apparatum seu principium huius mali cognoscendum iam deueniendum esse consulit docendi ratio: est huic affectioni obnoxia habitudo bilioſi hominis & extenuati: sic & qui hepate & corde præcalidis prædíti sunt, in quibus facilè humores aduruntur: item qui ob leuissimas occasiones & res nullius momenti propter consuetudinem admodum faciles fiunt & propensi in obscœnos atque ineptos chachinos: & ij etiam qui in ira, cùm mites essent & blandi, propensi fiunt. Item suspicioſi & cogitabundi, cum facili credulitate de quauis re tristi & graui. Signa verò iam iam instantis mali sunt, aurium sonitus, & vanæ atque inanes imagunculæ ante oculos: quibusdam splendores ac luces occursitant: taciturni sæpe ac meditabundi veluti obstupescunt, & in terram amarulenti conspectant, & rursus inoportunè alterantur, & susurrant intra fauces. Alios videre est, post longas inedias, vigilias, graues & tristes labores, diutinasque curas mente commotos: neque paruus imminet metus his qui assiduo pauore ac formidine concutiuntur, & his etiam qui indefessa opera literas & disciplinas sectantur: item his qui in venerem sunt propensi & nocturnis ludibrijs obnoxij, & his quibus aut menses aut hæmorrhoydes antiquæ subitò supprimuntur: tandem qui vehementer inconstantes facti sunt, & multifarijs opinionibus fluctuant, fugaces imagunculas sibi fabricant, nusquam hærẽt, celeriter ab eo quod instituerant, sermone volubili digrediuntur: nunc hoc, nũc aliud nugantur, quidquid in buccam venerit futiliter eblaterant: quod euenire consentaneum est, ob rapidum æstum turgentis materiæ: sunt etiam immemores, & eorum malè tenaces, quæ aut petulãtiori lingua, aut violentiori manu designarunt. Immodica siti torquentur, si aliquándo resipiant, os amarescit, venter eroditur, vigilijs infestantur, oculi nunc volubiles, nunc fixi & semper rubentes. Neque prætereundum est, in quibusdam mulieribus dum sanguis in mammis collectus coagulatur, furorem significare, vt Galen. aduertit. 5. apho. 40. & est vt inquit Auice. si pedes sanguine repleantur & rubei fiant, quia pe riclitantur etiam coagulatione. At signa quæ in quouis laborante peccantem humorem ostendunt, sunt, dum flaua bilis exuritur, laborantes ferarum more ephrenes, iracundi, temerarij, percussores & iniurioſi fiunt: quibus accedit tempus anni æstiuum & ægri bilioſa temperies, ingens oris amaritudo, pallidus faciei & oculorũ color,

color,ac feruidiſsima oris ſaliua. Quod ſi ex ſanguine mania oriatur, riſus aderit in compeſcibilis ob imagunculas ante oculos verſantes,riſu & ioco plenas: & ſic arbitrantur tibicines audire, & ipſi aliquando canunt & ſaliunt: nullum tamen facinus aggrediuntur, ſed veluti ebrij inſaniunt: latas inſuper & conſpicuas habent venas, corpus ſaturum, faciem rugore quodam perfuſam, oculos ludibundos eo modo quo Abderitæ Democritum inſanire exiſtimabant, cùm ad ipſum curandum Hipocr. reuocarunt. Maniam verò quæ ex atra bile ſeu ex melancholico ſucco ſuperaſſato prodit, præterquàm quòd difficilioris eſt curationis, maligniores reddit laborantes,ſuſpicaces,immites, inexorabiles, pertinaces, meditabundos, tardè loquentes & tardiùs ſilentes & ſeſe conficientes. Qui ſanè nonnunquam ſuccum euomunt acidum terram fermentantem,maximè ſi craſſioris ſanguinis aliqua vacuatio ſuppreſsa ſit. Præter quæ omnia,in conſiderationem ducere oportet anni tempus, anteactam vitã,cibaria & corporis naturalem temperiem.

Præſagiũ. Cognitis cauſis & mali differentia, haud difficilè erit noſſe quid ſperandum ſit in quouis laborante. Qua in re ſtatuendum eſt nullam inſaniam ſecuram eſſe, vt Galen. teſtatur. 6. aphoriſm. 53. licet minus periculoſa ſit quæ cum riſu fit, periculoſiſsima autem quæ temeraria eſt & ex humore atro ob ſuperaſſationem prodit: & in his ea adhuc deterior,quæ ex deteriori humore ſuperaſſato prodit, in quarum medio ſtat quæ ex feruefacta fit flaua bile: verùm cùm iam ad atræ bilis naturã accedit cum ſtudio etiam fit,& furibundum ac temerarium ſummoperè reddit hominem. Præterea expendendum eſt non eſſe omnino verum quod Hippocrat. refert. 6. popu. ſect. 6. dicens: Mentis emotiones ſanguinis per nares affluxus ſoluit, cùm certum ſit ſolùm maniæ ex ſanguine prodeũti prodeſſe,bilioſæ verò & atra bilioſæ obeſſe non parum. Sed videndum etiam eſt, an quemadmodum in phrenitide alui profluuium valdè rubicundum contingens peſsimum eſt, vt ex Hipp. conſtat. 1. prædict. ſententia, ita quoque in ferinis delirijs ſubſequuta diſſenteria lethalis ſit. Nam conſtat ex Hippoc. 7. aphoriſm. 5. à furore difficultas inteſtinorum vel aqua inter cutem vel vehemens mentis alienatio bonum. Sciſcitabitur enim aliquis qua nam ratione, furori diſſenteria prodeſſe poſsit, cùm atram bilem ſurſum aut deorſum delatam, lethalem eſſe conſtet: & hydropem quatenus ad cauſam pertinet, longè differre ab atra bile, ac rurſus vehementiùs furere, ſuſpectum eſſe ſanitatis principium. Sed expendendum in hac re eſt, noxios humores ad inferas partes labi & perfectè ac per conuenientia loca purgari, dummodo non ſit ex aduſta flaua bile, niſi alijs admiſceatur: nam alij humores furorem efficientes commodè, aut ſaltem non admodum noxiè per inteſtina expurgantur. Præterquàm quòd ego arbitror Hippoc. conſultò dixiſſe tormina inteſtinorum, & non diſſenteriam: quippe verbum illud ſolùm ſignificat dolores inteſtinorum à mordicatione factos, diſſenteria verò exulcerationem, quæ ab atra bile facta inſanabilis eſt. At per hydropem etiam liberantur non pauci ab hoc malo, ſiue eò quòd furor ex ſuppreſſa aliqua vacuatione fiat, cuius humorem ad eam partem mittat natura, ſiue iecore imbecilliore facto ex recurſu praui humoris ad ipſum, qua occaſione aqua inter cutem oritur: quæ ſanè iudicia abſolutè bona non ſunt, ſed pro furoris ſolutione bona & vtilia: eo quòd ſic affecti neque dolorem ſentiunt, neque facilè à quouis malo lædũtur, quòd robuſtiores & terreſtriores facti ſint. Præterea certum eſt aliquando furorem finiri per maiorem intenſionem & feritatem, vt refert Hippocrat.

Dubium.

à quo

à quo etiam mutuauit Aruicem dicens: Et quandoque eſt vehementia ſignificans cryſim ipſius maniæ: quemadmodum in morbis acutis vehementiſsimi caſus ſolent aliquando bonas criſes operari, nitens natura radicitus inimicum propellere & omnem humoris copiam conterere: quo ſanè fit, vt furor ſe ipſum finiat. Quòd ſi quis dixerit, maniam eſſe habituale malum, quod iudicari ſua natura nequit, expendat, illud debere intelligi de huius mali acceſsionibus, quæ maiori feritate finiuntur morbo in antiquo habitu manente. Verùm quod deterius in hoc malo cenſeo, eſt, nullis præſidijs aliquantulũ miteſcere, & diu durare nulla facta intermiſsione, vel reddere vehementius quàm anteà, aut indies creſcere, periculum enim eſt, ne habituale fiat in cerebro aut in toto corpore damnum.

Curandi ratio. Quam ſit curatu difficilis hæc affectio, nemo eſt qui ignoret: non quidem ſolùm ob mali fæuitiam & peruicaciam, ſed etiam quia laborantium inſipientia nõ permittit eos medicis obtemperare, neque cibaria tempore & copia conuenienti ingerere, neque quieſcere aut moueri cùm par ſit, neque rurſus ea medicamenta deuorare quæ proficua eſſe poſsint: cùm hoc tamen vi & induſtria ſupplere oportet quæ dementia detrahit. Sic profectò eam in primis ſic affectis victus & vitæ rationem inſtitues, quæ omnino feruorem & ſcandeſcẽtiam compeſcere nata ſint, & omnino humectare: cauens ne victus adeò tenuis ſit, quòd facilè quoque ſuccendatur, vel adeò craſſus, quòd vel obſtructionem pariat, vel difficulter conficiatur. Quapropter mediocris omnino victus ratio præſcribenda eſt etiam & actu ac potentia humida, quæ nullum negocium ventriculo exhibeat, quòd facilis ſit concoctionis: deniq; procuranda impigra digeſtio, prompta nutritio, & alui quotidiana egeſtio: quare cibus ſit non halituoſus, non craſſus, non inflammans, non ſiccans, neque in cerebrum euaporans. Quo ſit, vt magni ſit momenti caro hædina, vitulina, pullorum & auium domeſticarum cum lactucis, beta, aut farina nutritarum, necnon & piſcium ſaxatilium: ſed inter omnia cibaria ſic affectis vberrimam iuris copiam præbere, ſcimus magni eſſe momenti; confectam quidem oleribus, vt lactura, ſcariola, borragine, bugloſo & ſimilibus. Proſunt & ipſa olera per ſe, ſed fugiendum à coriandro, dementat enim: ptyſana enim eſt copioſiùs vtendum, vt quæ huic malo maximè proficua ſit. cauendum tamen ab vrinam mouentibus & ab his quæ feruorem concitant: à vino inſuper penitus abſtinendum; niſi ex metu inſaniã orta fuerit, vt Celſo placuit, vel cùm affectus inclinauerit, aut ex melancholia aduſta prodierit, tunc enim ex vſu eſt vinum dilutius & aquoſum. Et licet hæc ſint quæ vnanimi omnium authorum ſententia ſic affectis prodeſſe conſtat, ego tamen arbitror nihil inconuenire craſsioris aut copioſioris alimenti inſtitutione vti: nam quibus virtus valida eſt cum humorum defectu, iubet Galen. 1. aphoriſmorum. 17. multum & frequentiùs victum porrigere: neque inconuenit crudius aliquid aut pituitoſius manere: quinimo conducit humectationis ac refrigerationis gratia: nam ob id profecto huiuſmodi laborantes raro ſanitati reſtitutos conſpicimus, quia plerumque longè minus comedunt quàm par ſit, quinimo, blandimentis aut imperio ipſos ad alimenta capeſſenda cogere nõ raro oportuit. Prodeſt præterea in potu aqua ex hordeo, vel admixta ſucco mali punici dulcis, vel feruefacta radicibus bugloſæ, aut floribus eiuſdem cum ſaccharo. Sit præterea laborans in ocio & quiete, niſi dum acceſsio inualuerit, quo tempore crurum & brachiorũ frictionibus aut vinculis vtẽdum eſt: ſomno vtatur longiori, vel omni arte inſtituatur: aer humidior ſit & temperatæ

Victus ratio.

caliditatis,ac ſi affectus non ſubſederit regionem mutet laborans: nullibi tamen ſolus ſit neque inter ignotos,aut inter eos quos vel cõtemnat, vel odio habeat. Vt cunque tamen ſit,ipſum vinculis ligatum coërcere oportet,ſecuris quidem ſed nõ admodum compreſsis: cauendum enim eſt ne aliquod ſcelus perpetrare poſsint, fallaces enim ſunt maniaci & mille machinamenta fingunt, vt ſibi & alijs liberè nocere poſsint. Inſuper locus illis eligatur qui nec luminoſus nimis neque admodum obſcurus ſit,vtrunq; enim nocet.

Si fiat ex ſanguinis vitio.

Ad peculiarem igitur curandi rationem accedendo, ſi conſtiterit ſanguinem exuri,vt monſtrant rubor per vniuerſum corpus floridus,venæ exuberantes, delirium cum riſu & non perpetuum,educatio quæ præceſsit lauta,mollis & copioſa: tunc vltra coniectandum eſt an aliqua ſanguinis vacuatio,vel naturalis vel conſueta ſuppreſsa ſit: quòd ſi id accidat protinus reuocanda eſt,ſi facilè fieri poſsit: ſin aliter interim dum fit,ſanguis mittendus eſt à parte vicina ei per quam ſanguis affluere aſſueuerat: ex talo quidẽ ſi ex vtero aut hæmorrhoydibus fluebat,vel ex brachio ſi à naribus. Verum ſi ſolùm ſanguinis feruore affectio fiat,tunc quidem coniectandum eſt an præſit adhuc abundantia,quo tempore ſanguinem copioſiùs & confertim educere oportebit: quippe in his credendum eſt vires non deficere. At ſi vberioris copiæ ſigna non adſint,ſanguis quoque mittendus eſt,ſed parciùs aut partitè,primò ex dextro brachio à vena media, niſi conſtiterit externam magis turgere, mox verò ex ſiniſtro, cuius ſciſsione certo ſcio non leue neque contemnendum præſidium ſubſequuturum,propter mutuum vtriuſq; viſceris cõſenſum, vt docuerat Auicen. Non eſt mirum inquit,non eſt nouum,non eſt longinquum, ſi cordis complexio primùm corrumpatur,& ſequatur eam cerebrum,& corrumpatur cerebri complexio,& ſequatur eam cor,& corrumpatur complexio ſpiritus in corde,& fiat ſilueſtris,& corrumpatur quod ex eo penetrat ad cerebrũ,& iuuet cerebrum ad ſe corrumpendum. Probat quidem hanc Auicen. veritatem ſic affectos,non iraſci neque ſcandeſcere furore ſine cordis intemperie aut æſtu ſanguinis intra cordis penetralia fluentis: ſic enim Galen. lib. artis med. inquit,cor nimis calidum furere: quapropter probauimus ſæpe ſanguinem ex ſiniſtro latere fundere,& proſperè ceſsit. Vberiùs tamen in his refrigerandum eſt: tùm intus potibus: tùm verò exteriùs per balnea,fotus & capitis lauacra, vt præcedenti capite abũdè diximus: purgandum tamen minùs,rariùs & leuioribus pharmacis. Quippe ſic affectis ſat eſt diutiùs ſerapijs vti ex cichorio, oxyſacchara,ex roſis,ex bugloſo,violis & ſimilibus,cum aqua fluuiali aut pluuiali,quæ diu adſeruata ſit & ſufficienter frigida: quorum ſolito maiorem copiam porrigere poteris,& poſt aliquot dies præbere vel caſiam aqua lactis diſſolutam, vel confectionem Hamech ſine ſcamoneo & colocynthide cõfectam,aut ipſum ſerum lactis cum folijs ſenæ & violis feruefactum,vel ſyrupum infuſionum roſarum aut violarum cum aqua lactis aut cichorij. Quo facto capiti prouidendum eſt ſuccolactucæ,oleo roſaceo cum modico aceto aut lacte muliebri,vel decocto roſarum,papauerum,lactucę & violarum. Præſtat omni ſtudio ſomnum conciliare ſucco ptyſanæ extracto decoctione capitum papaueris, vel ſyrupo papaueris cum aqua pluuiali exhibito iuxta horam ſomni. Quòd ſi ne hæc prodeſſe videantur,nec ſi adhuc bis & ter eadem repetieris,ad cucurbitas vel ad ſciſsionem venæ frontis aut naſi confugito, vt omnibus viris doctis placere conſtat,dum modo priùs expendas,ſit ne affectio ex hæmorrhoydum aut menſium ſuppreſsione, quo tempore ante venæ frontis ſciſsionem ſanguinem ex hæmorrhoydibus per hirudines fundes,tãdem ad balnea aquæ dulcis modicè

modicè tẽperatæ (ne horrore aut ſqualore laborans in ingreſſu lædatur) frequentiùs confugiendum eſt: diſsipant enim hæc quod vſtum eſt per cutem,& quod vritur mitigant ac feruorem compeſcunt. Prætereà aluus clyſmatis irritetur: maximè emollientibus & attemperantibus. Neque prætereundum eſt magni eſſe momenti cordi epithemata adhibere,quæ & refrigerent & feruorem cõpeſcant: tandem hæc repetes donec comperias vel affectũ inueterari,vel in bilioſum aut melancholicum ex ſanguinis aduſtione commigraſſe.

Si fiat ex bilis feruore.

Cauſa quæ in hoc malo maius ſolet faceſſere negocium, ſuccenſa bilis procul dubio eſt,vt quæ peruicacem ac furibundum reddit hominem, minuſq; præſidijs obtemperantem,ac rurſus ocyus in atram bilem commigrat. Primò itaq; deſiſtendum in hac curatione omnino eſt à ſanguinis detractione,feruidior enim ac effrenis hac ratione redditur exuſta bilis,ita vt nec ventilationis adhuc gratia mittendus ſit,ſicut in alijs bilioſis affectionibus. Sic mox curandum eſt ſyrupis & apozematis,quæ plus humectent ac refrigerent,rem agere. Quamobrem, vt id conſequaris & materiam vacuationi obſequentiorem reddas,porriges potum qui recipit aquæ puriſsimæ,aquæ borraginis ac nenupharis ana lib. ß. ſyrupi violarum & roſarum ana ℥.ij. cuius præbe ℥.vj. Parabis etiam decoctũ quod recipit hordei. p.j. borraginis,bugloſæ,& florum vtriuſq; cichorij,fumariæ,lupulorum ana m.j. & facta collatura,adde ſyrupi borraginis & oxyſaccharæ ana ℥.j. ſyrupi papaueris. ℥ß. & porrige vtriuſq; ℥.iiij. Veteris etiam clyſmatis refrigerantibus,vt capite de phrenitide abundè ſcriptum reperies. Quibus factis,ad purgandum humorem te conferes,his quæ maniæ ex ſanguine ortæ prodeſſe diximus,addenda tamen ſunt quę aduſtis humoribus educendis idonea exiſtunt: præter quam, quòd eundem vſum præſtat porrigere rhabarbari infuſi in aqua fumariæ & expreſſi. ʒ.ij. ſyrupi violarũ ex infuſ. ℥.iij. item decoctum foliorũ ſenæ in ſero lactis,& alia huius naturæ. Quæ ſanè ſæpius repetenda ſunt, quòd ſatiùs ſit in minori doſi exhibere,quàm temerariè plus quàm ferre poſsit natura porrigere. Quibus ſanè bis aut ter quaterue repetitis,ſtudendum etiam eſt cordi & hepati magna diligentia prouidere,epithematis ex aquis & ſuccis pomorum,borraginis,bugloſæ,intibi & florum, è radicibus etiam ac herbis odoriferis,quæ minùs calidæ ſint, cum aqua roſacea & modico aceto additis pulueribus diamargaritonis,trium ſantalorum,margaritarum, cornu cerui, tormentillæ, & aliorum medicamentorum, quæ capite de cordis palpitatione reperies, vt ſunt vnguenta, facculi & emplaſtra. Prodeſt etiam ore ſumptum electuarium de gemmis, diamargariton frigidum, & margaritæ præparatæ cum conſeruis violarum,roſarum,florum nenupharis,borraginis & ſimilium cum aqua pluuiali & puriſsima. Proſunt & odoramenta,quæ incredibili efficacia ſuccis immerſa magnam alacritatem adferunt: cuius naturæ ſunt roſæ, violæ,nimphæa,ſantali,myrtus,aqua roſacea cum aceto & decocto papaueris. Pro ſunt & capiti adhibita,quæ abundè diximus capite præcedenti & de phrenitide: ſed maximè aquæ dulcis balnea per vniuerſum corpus ſumpta, frequentiùs tamẽ capiti adhibita,ex decoctis herbarum quæ frigidæ ſint & humectent, cum extremitatibus paruorum animalium & pſilio atque capitibus papaueris. Sed quæ vſui probatiora ſunt ex aqua dulci fiunt,dummodo poſt lotionẽ caput vngatur oleo amygdalarum dulcium,vel de ranis. Teſtes etiam ſæpiùs inuoluantur pãnis lacte madidis,aut oleo roſaceo,vel aqua ſolani,cucurbitæ aut nimphææ,ſed ibidem non oportet diu adhærere; quæ hoc ordine frigida ſunt ne virile robur deijciant. Naribus adhibeatur oleum violaceum cum ſucco lactucæ aut papaueris, oleum cum

lacte mulieris, vel vnguentum populeon, aut rosaceum cum mucagine psyllij, & nonnunquam confugiendum est ad philonij vsum, vt capite de immodica vigilia dictum est, quippe maior curationis huius affectus pars in somno conciliãdo sita existit.

Quod si neque his omnibus affectionem subsidere comperias, scito causam vel in habitum vel in atræ bilis naturam iam migrasse, vel ab ipsa melancholia exusta principium traxisse: quamobrem ad maiora auxilia deueniendum esse consulit virgentiæ ratio. Sic profectò diutiùs præparabis humores cibis & medicamẽtis, quæ liberaliùs humectent & moderatiùs refrigerent, & tunc his quæ vberiùs purgent vtendum est, qualia abunde reperies capite præcedenti: expostulat enim humoris pertinacia validum quoduis medicamentum, & facilè sustinet robustum corpus tale, factum ex affectus natura & sensus laboris priuatione. Quapropter, ad ea quæ elleborum recipiunt & lapidem lazuli confugere oportet, neque non ad præparatum stybium, quod sanè præsidium solet in hoc malo præsentaneum esse remedium: qualiter autem id fieri debeat, nuper adduximus. Si tamen hæc prodesse non videantur, vinculis & flagris committãtur laborantes, vt cogantur attendere & meminisse, vt quos nullum auxilium inflectere potuit, acrior pœna coerceat: sed id misericorditer facito precor, & caue ne propinquior temerè assideas; sæpè enim inopinatò periculum non leue succrescit: inquit enim Gale. 2. de difficult. respirationis. Ad furore percitos propiùs accedere non audemus, sed omnibus modis ab illis discedimus verentes, ne mali quid nobis inferant. Neque placet in hac parte vstionum quæ in capite & alijs partibus fiunt, meminisse, cùm melãcholicis potiùs quàm inueteratis maniacis prodesse mihi certum sit.

De læsa memoria. Caput XIX.

VM memoriæ munus sit obiectorũ vniuersorum imagines & ratiocinia susc̃ipere & custodire, atque cõseruare, ita vt semel collapsa memoria protinus aboleãtur in nobis omnia quæ multis vsibus proficua existunt: ob id sedula diligentia curandum est eius actum & robur custodire, ni velimus in pueritia aut iuuẽtute ob memoriæ iacturã immaturiùs consenescere: vt enim quis memoriæ vitia diligenter expendere possit, qualis naturæ & officij ipsa memoria sit priùs ediscere oportebit. Est nanque memoria vt ex Aristotele constat lib. de memoria & reminiscentia, habitus phantasiæ, vel imaginis eius rei quæ imaginationi subijcitur: vel vt vulgariùs loquar, est thesaurus receptarum per imaginationem imaginum rerum. Cicero enim inquit, Memoria est firma animi rerum & verborum dispositionis perceptio: vel memoria est per quam animus reperit ea quæ fuerũt: itaque quantò cerebrum pertinaciùs rẽtinere potuerit rerum imagines, tantò ad memoriam aptius erit. Sed vt hæc apertiùs intelligas, scito sensus externos ex alteratione ab obiectis perceptã notitiam elicere obiectorum, & imagines ac formas rerum forinsecus occursantiũ. Quæ sanè imagines sed multo puriores, & ab omni terrenæ labis contagio expurgatas phantasia concipit: quæ iterum species seu deriuationes, semper magis magisque attenuatæ, in postremo cerebri sinu memoria adseruat. Sit ne memoria eadem ac imaginatio, vt Galen. 2. de motu musc. adstruit, vel resideat in cerebro an in

corde vt Aristotelici omnes fatentur, non est præsentis instituti, sicut nec differere an ad sensum communem memoria attineat, vel ad iudicium: nam cum actu per quem potentias omnes dissidere cognoscimus, longè differant, non est quòd his immoremur, sicut nullam ad curationem adferunt vtilitatem.

Est tamen scitũ summopere necessarium, quonam modo memorandi facultas suum exequatur actum, vt dum ab eo deflectitur, haud difficile sit nosse qua via in ipsum restitui possit. Cui vsui scire conuenit tria in nobis perspicuè deprehendi, animam nimirum, spiritum & corpus: anima tamen diuersa est à corpore adeò vt mutuam omnino societatem refugiant si non per spiritum copulentur: spiritus quidem vtriusque vinculum est, & vtrunque alteri veluti conglutinat: qualuis animæ vires quoquo versum diffusus subuehit: & cum memoria nil aliud sit quàm ea animæ vis quæ præteritarũ rerũ species seruat, qualis naturæ & cõditionis ac differentiæ huiusmodi species & simulacra sint, expendendum nunc est. Quæ rerũ similitudines in duplici sunt differentia: nam quædam à materia dependent, quæ sensu deprehenduntur: quædam verò ab omni materia expurgatæ, quæ intellectu dũtaxat percipi possunt: in quarum priori genere memoria sensibilis sista est cum corpore peritura: in secundo verò intellectualis solis hominibus propria. Nobis tamen solum de illa prima agere est in animo, quæ per exteriorum sensuum organa suscipit imagines ac formas rerũ forinsecus occursantium: quæ quidem in animæ substãtia propterea figi nequeũt, quia incorporea, sed ipsa anima in spiritu tanquã in terso lucidoque speculo simulacra contuens, de obiectis iudicat: quod iudicium sensus cognitio dicitur. Istis quoque similes imagines sed multò puriores & ab omni terrena labe purgatas sua vi in se ipsa fabricat & concipit: quam conceptionem phantasiam seu imaginatiuam vocamus: & hæ sunt illæ species seu deriuationes semper magis magisque attenuatæ, quæ in postremo cerebri sinu conduntur: non quidem illa prima corporum defluuia & crassa idola per externum sensum apprehensa, sed ex his per internum veluti cribrata. Verùm licet in memoria hoc sit, ac in nobilissima & postrema cerebri regione sensibilium rerum species comperiantur (licet forsan multi memoriam eandem cum phantasia effecerunt,) ibi tamen, dixerim in antica parte recordandi actus non efficitur (etiam si aliquo modo ea prosit huic muneri) sed hæ species relabuntur in sedem phantasiæ dicatam: ex quibus phantasmata speculationis protinus oriuntur, quæ mox orta intellectum commouent & suggerũt & ea quæ aut vidimus antea aut alio sensu cognouimus, quemadmodum picturæ ea nobis ob oculos ponunt ac repræsentant, quæ longo tempore anteacta euanuerunt: atque hæc est lex & ratio memoriæ.

Affectionis natura.

Denique cùm quis omnium rerum quæ priùs nouerat oblitus fuerit, hunc memoriam perdidisse dicimus, adeò vt interdum eueniat, quosdam literarum & artium ac nominum sui & amicorum obliuisci. In quo obliuionis malo tria procul dubio reperiuntur memoriæ læsæ vitia: primum cùm memoria corrumpitur, secũdum cùm ex toto aufertur: & tertium cùm diminuitur, debiliterque suam actionem exerit: & licet antea statutum sit memoriam non vitiari quòd passiua potentia sit, quia tamen aliud habet munus cuius vitio aberrare potest (vt mox referam) ob id eius potentiæ sympthomata in tria diuidere vt reliquarum potentiarum institui. Et cùm vniuersa huius mali ratio sympthomata sit in genere functionis memoratiuæ læsæ, ob id quæ sympthomata ex quouis læsionis genere prodeant expendisse priùs erit operæpretium. Quippe eius corruptio eadem ferè parit sympthomata ac corruptam rationem posse proferre antea dictum est, vt in plerisq; deliranti-

lirantibus apparet, qui varia inordinata inconcinnaue loquuntur & agunt citra vllam vehementiam furorem & cõtentionem, sed pacati cùm sint & domestici de lira loquuntur. Delirat tamen & à ratione aliena loquitur homo eo tempore, non quidem ratione læsa per se, sed quòd memoria simulacra rerum & discursus non probè referat vt paulò inferiùs docebo. Omnimoda verò ipsius deperditio stoliditati & intellectus ac rationis amissione simillima parit accidẽtia, quòd virtutes rectrices non habeant copiam specierum quibus exequantur actus sibi commissos, quia nullæ adseruantur in memoria, & ob id non iudicant quia adhuc præsentia obiecta non cognoscunt, vel debiliter de eis iudicent: quo fit vt stolidi videantur & infantibus similes non autem delira loquentes vt primi. Qui verò diminutam habent memoriam varias sortiuntur læsionis differentias: quippe inter eos qui leuiter memorantur, multi sunt qui licet facilè rerum omnium species & simulacra suscipiant, ocyssimè tamen prolabuntur & obliuioni dantur: alij difficulter susceptant rerum simulacra & species, quas vbi semel acceperint, diu tenaciterq; adseruant: item nonnulli quæ leuia sunt & suscipiunt & adseruant, grauiora verò & maioris momenti neque suscipiunt neque adseruant: sicut alij è contra leuiorũ obliuiscuntur, recordantur tamen eorum quæ maioris sunt momenti. Prætereà quibusdam memoria per partes perit, & partim adseruatur vt aliquorum cuiusuis conditionis sint pereat, & aliorum aliquid adseruetur. Plerisque tamen eorum qui sese nimis literarum studio dederunt, ob ingentem laborem memoria adeò imminuitur, vt difficulter vel suscipient vel adseruent quæ antea facillima illis aderant. Vtcunque tamen res se habeat, vitium hoc ad cerebri posticam partem attinere proculdubio asserimus, vt Galen. latè probat lib. 3. de locis affect. aduersus Archigenem & Arist. ponentes animæ sedem in corde.

Quæstio. Ante tamen quàm huius affectionis causas & morbum aggrediar disputatione dignum iudicaui, an abolita memoria (siquidem solùm est de rebus præteritis) possit aliquo modo delirium afferre (siquidem cap. de lethargo statutũ est ob defœminatam memoriam homines in eo delirare.) Nanque videtur memoria orbatos homines posse optimè de rebus præsentibus & futuris iudicium elicere. In cuius dubij enodatione primo statuendum est, intellectum per se lædi non posse, siquidem non est potentia organo adstricta, vel organo corporali agente, sed solùm per conuersionem ad phantasmata, quo fit vt vitio ipsius phantasiæ, vel memoriæ ad ratiocinium vel iudicium de rebus eliciẽdum solùm & per consensum vitiari possit intellectus actio. Cuius rei gratia statuẽdum est duplicem sapientiores philosophorũ memoriæ constituisse actum: vnum cùm rerum simulacra, quasi in thesauro recõdita diu tanquam habitus adseruantur & insistunt, ita vt ipsa imaginum obseruatio memoria sit: est & alter memoriæ actus seu vis quũ quis affectionem illam seu similitudinem rei alterius spectat & intuetur cum temporis præteriti cognitione, quo facta est impressio: quippe tunc meminisse dicitur, ipsaque expectãdi actio memoria est, sed ratione à prima diuersa, illa, q, imagines conseruet: hęc verò quòd ex imaginis apprehensione rem ipsam repræsentet: illa quidem passio & affectio quædam est: hæc verò actio, quasi dicas memoria agens & patiens. Itaque memoria seu recordatio propriè est rei absentis per imaginis expectationem cũ temporis præteriti cognitione repræsentatio, facta à memorandi facultate stimulatã, ab imagine adseruata. Quibus suppositis statuendum secundo est, aliud esse omnino memoriam deperdi quòd impressas imagines auferat, deleat & veluti omnino extirpet causa aliqua, vt in hoc affectu, quem verè & propriè deperditam memoriam

moriam nuncupamus: aliud verò & longè diuersum imagines illas adseruatas diminutè aut prauè repræsentari, in cuius actu diminuto sita est lethargi natura & conditio, quia non auferuntur in eo rerum simulacra omnino vt in memoria deperdita, quæ pertinet primo ad passiuum & primum illum memoriæ actum, sicut lethargus ad eiusdem memoriæ verum & secundum actum manentibus in memoria simulacris (licet eis diminutè vtatur animal) siquidem non opus est post sanitatem veluti denuo ediscere (vt accidit his qui omninò memoria orbantur) quippe mox omnium recordatur lethargo affectus. His suppositis talis statuitur conclusio: nimirum vbi rerum species omnino à memoria excidunt, nec delirare, nec probè discurrere homines: non delirant quia non referuntur simulacra reliquis potẽtijs, cum omnino eis careant sic affecti: nõ discurrũt, quia carent simulacris rerum quibus practicus intellectus opus habet, manentque homines hoc affectu detenti veluti amentes & omnia ignorantes, indigẽtes noua doctrina ad discursum etiam præsentium & futurorum: siquidem citra nominum & essentiæ rerum notitiã, quæ nobis suggeruntur à memoria, discursum efficere videtur perdifficile, quippe disserere de re incognita nullus probè poterit: fiunt autem nobis quantumuis præsentes existant, si memoria orbentur incognitę, quia obliuiscimur nominum & essentię quam didiceramus, quorũ defectu nullus fiet discursus probè, neque improbè: non probè, ob rationem adductam, neque improbè, quia non delirabit homo, vt dictum antea est. Neque obstat in lethargo dictum esse delirare laborantes, quia dispar est ratio: nam in eo simulacra præsunt in memoria, cæterum vel diminutè vel prauè æstimatiuæ aut imaginatrici (quæ etiã læsæ existũt) referuntur, & sic necessario delirabit homo, aut mente non constabit, non quidẽ solùm de rebus præteritis, sed de futuris & præsentibus: vt probat in lethargo correptis fidissimus euẽtus, qui postulata re aliqua ipsam mox negligũt quãtũuis præsens sit, quæ ad discursum iuxta indigentiam moueat. Quibus constabit, quod licet lethargo affecti suo modo delirent, eos tamẽ qui deperdita laborant memoria, nec delirare, nec discurrere probè posse.

A quo tamen ipsius cerebri morbo oriatur, haud obscurum est, si exactè didicisti omnes cerebri functiones fieri media eius structura aut temperie. Quo fit vt cùm constet nullum esse in structura vitium, quod etiam causam huic malo præstare solet vt Galen. statuit cap. citato, necessum est ad aliquod intemperamentum omnem huius mali occasionem referendam esse. Verum licet vnanimi omnium medicorum consensu constet, aboleri memoriã aut vitiari vel imminui ex cerebri posterioris partis intemperie, nõ tamen vno consensu constat, quodnam prædicta vitia sequantur intemperamentum. Namque non minimam affectionem susceptat memorandi facultas ab exuperante humiditate, siquidẽ conceptorum non solùm perpetuam constantiam habere non permittit, verùm etiam nullius rei stabilitatem firmumque consilium seruari posse efficit, quo amissam esse memoriam comperimus, quia fluxa omnia sunt & instabilia. Dixerat enim B. T. humiditate susceptionem fieri specierum facilè, siccitate verò reseruationem: quo fit vt superãte humiditate, seruari quicquã in memoria nõ possit. Frigore prætereà omnia torpescunt, & ob id non solùm ineptum actionibus efficiendis cuiusuis potentiæ arbitrati sunt omnes philosophi, verum & summè aptũ omnibus vitiandis remorandisque: sic enim Hippocra. lib. de insania inquit. Tristatur & angitur homo, ac præter temporis rationem obliuiosus fit, dum cerebrum à pituita perfrigeratur, concrescunt & immobiles manent spiritus. In qua re statuendum est, frigiditatem

A quo morbo oriatur.

tatem fieri posse vno è duobus modis: vel calidi innati nimirũ priuatione & defectu, vel intẽperie frigida nuda aut cũ materia succrescẽte. Præterea quẽadmodũ in omni terrestri materia nulla humiditate referta, nulla effigies fieri, vel contineri potest, pari prorsus ratione ob immodicè siccam cerebri intemperiem, memorandi facultas non tantum inconstantem infirmamq; imaginum demonstrationem præstat, verùm etiam prorsus ipsam deficere vsus abunde insinuat, quia nullam susceptat imaginum impressionem ob terrestrem ac duram conditionem. Item licet ex Galen. 3. de locis affect. etiẽdenter constet & exemplo vinitoris confirmetur à calore immodico nequaquam memoriam amitti, (nam calfacientibus & humectantibus, etiam si ex calore & exercitio laboraret, optimè curari dixit) cum hoc tamen extant veritatis exempla, quæ monstrant optimè à calore posse lædi. Primum sit illud vinitoris à Galeno relatum, cui ex magnis laboribus atq; exercitijs memoriam fuisse læsam retulit: alterum desumitur ex Hippoc. 5. popul. 30. in historia Androphali, qui ex biliosa admodum affectione ignorantia & delirio afficiebatur. Quibus sanè videtur constare, quòd licet morbum in intemperie teneamur in memoria deperdita constituere, non tamen vnum intemperiei modum ac vnam speciem, sed omnes: quod nulli aliarum animæ potentiarum contingere conspicimus. Verùm vt morbum deprauatæ memoriæ genuinũ adinuenire possimus, necessum est expendere, memoriam tribus omnino actibus perfici: primus quidem est motus spiritus ad figillandam speciem memorabilem: secundus est retentio & adseruatio specierum impressarum: tertius verò qui affert & resignat speciem memorabilem cogitatiuæ & intellectui, (à quibus ipsa memoria acceperat, vt sũper ipsam formet conceptus discurrat ac iudicet.) Quibus suppositis statuendum est, primum & tertium actum omnino ac de per se lædi à frigiditate condensante stupefaciente que spiritus, ac reddente ipsos immobiles & ineptos ad figillandam prædictam speciem, ac rursus ad resignandam eandem speciem cogitatiuæ: ex accidenti tamen arbitramur calorem prædictos actus vitiare, tum resolutis spiritibus vitalibus, tum animalibus, eos præsertim qui in postica cerebri parte vigent, vt in conualescentibus & debilibus ac diutino morbo confectis conspicimus: tum verò frequentiùs vitiari à prædicto calore scimus, cùm adeò humores adurit caloremque & humidum innatum resoluit, quòd frigiditate relicta memoria deleatur, vt vinitori contigisse est arbitrandum, cui ob frigiditatem & siccitatem relictam à calore, calida & humida profuerunt: sic enim per ingentes febres interim dum durant resolutis spiritibus memoria carent laborantes, postea verò frigidus subsequitur affectus qui memoriam demit. Itaque frigiditas primò & per se prædictas duas memorati uæ potẽtiæ actiones lædit, caliditas verò ex accidenti defectu spiritus & calidi humidi: quo sensu censeo intelligendos esse authores de hac re controuersiam statuentes. Cæterum medius actus ipsius potentiæ (vt qui à modica siccitate proficiscatur) læditur proculdubio ab excedẽti humiditate, licet impensa siccitas difficiliùs imprimi rerum imagines cogat, sicut humiditas delabi protinus impressas imagines. Cum hoc tamen statuendum est memoriam quæ à calore moderato maiori fieri tenetur, ob spirituum necessariam agilitatem, quatenus ad duas illas actiones attinet, à frigido intemperamẽto lædi, & eũ esse morbũ, atq; causam prædictarum actionũ abolitarum. In qua quidem re expendendum insuper est, calorem non potuisse memoriam primò infirmare, vt rationem & imaginationem in febribus quotidie læsas ea ratione comperimus: quia memoriæ iacturã potius ad priuationẽ aut extinctionem ipsius potentiæ (dixerim quoad temperiem

temperiem ipsi necessariam) vt senum exemplo facilè probari potest, quã ad perturbationem & vitiũ: at imaginationis rationisq; læsio plerunq; fit perturbatione idolorũ & imaginũ: atque cũ caloris sit perturbare, vitiare atque mouere, & frigoris extinguere atque priuare, ideo febrienti, vt ait Ætius, antè memoriã illa offendantur: memoria verò tũc, cùm ad summũ calor auctus est, qui vt diximus, aut spiritus dissipet, aut frigiditatẽ innato calido exoluto (vt in senib⁹) inducat. Itaque cõstat duobus modis memoriam aboleri: vno per susceptorũ idolorũ abolitionẽ aut interitũ: idque duobus modis: aut non adductis memoratrici imaginibus ob spirituum torporem à frigore inductum, aut non motis imaginibus & spectris rerum ad imaginatiuam potentiam, quibus vti posit: alio verò modo memoria delitescit, quia difficulter imprimuntur imagines, vel siccitate renuẽte, vel humiditate non adseruante.

Causas habet deperdita memoria varias, verùm omnes duplici sorte dissectas: quædam enim memoriam imminuunt: & aliæ ipsam ex toto auferunt: ac rursus in secũda classi specialiùs hoc vel illud efficiũt à multis principijs & occasionibus sumpto exordio. Quatenus verò ad primam causarum sortem attinet, statuendũ est, solam frigiditatem natam esse memoriam ex toto auferre, & solam humiditatem ipsam minuere: quod sanè dogma cùm difficile videatur exactiori deliberatione opus habet. Cui vsui in memoriã reuocare oportet quod mox dixerã, nimirũ memoriam deperditam esse verã eius abolitionem, quam nullo alio fieri quàm à frigiditate est arbitrandum: nam ratio omnimodæ deperditionis potissima est simulacrorũ abolitio & interitus, quæ non nisi à frigore fieri potest, vt antea probatũ est: nam frigoris propriũ munus est extinguere quod præest, & impedire ne aliquid aliud recipiatur de nouo: quippe cerebro existente frigido, ob extinctionem imaginũ nullus insuper fit imaginũ cursus aut recursus ad imaginatiuam potentiam, & ob id defectu materiæ homo immemor & veluti amens apparet. Neque obstet plures esse cerebri frigidos affectus, quos nec minimam comperimus memoriæ præstare iacturam: item ab ictu & percussione non paucos conspeximus sui & suarum rerum oblitos: quippe non quæuis cerebri frigiditas nata est id efficere, sed ea solùm quæ condensare & extinguere, immobilesque reddere illius partis spiritus ac cerebri substantiam veluti solidare, ne rerum imagines imprimantur aut referantur: & ob id reliquæ frigiditates aut causæ alios natæ sunt mouere affectus, non memoriam perdere. In qua re non erat extra Galen. mentem statuere, solam cerebri frigidam intemperiem id natam esse efficere, præsertim, cùm idem author videatur insinuare frigiditatem cum humiditate, memoriam quidem lædere, cæterùm interuentu alterius affectionis, nimirum somni aut somnolentæ affectionis. Quod sanè non parum considerare conueniet ad curationẽ: cuius gratia non licet frequẽtioribus vacuationibus caput imbecillitare, vt inferius referam. Præterea dicimus diminutam memoriam nõ nisi ab humido fieri, quia cũ cerebri substãtia iusto est humidior, impressæ imagines diu fixæ durare nõ possunt, durant tamen aliquo tẽpore, quantũ fat fit, vt constet memoriã non esse ex toto abolitam: quem statũ diminutã memoriã appellamus. Neque minus accidit in siccitatis excessũ, licet diuersa ratione: nam non quoduis simulacrũ imprimitur, sed id cui vehementer mentem adhibuimus & diu adseruare contendimus: quo fit vt paucis recordetur homo qui siccũ habet cerebrũ ob difficilẽ imaginũ impressionẽ, verùm ea quæ semel apprehenderit diu adseruet, quod est alia diminutæ memoriæ species.

Dubium. Quibus sic constitutis, suboritur non leue dubium, nimirum, cur leuior frigiditas quàm quæ abolitam memoriam parit, non eam diminutam efficiat, ac ex consequenti videtur difficile asserere, frigiditatem solũ ablatam efficere memoriã, cũ impensa humiditas plus quam diminutam possit efficere. Cui dicimus verum esse minorem frigiditatem posse memoriam imminuere, cæterùm eam frigiditatem arbitramur futuram connaturalem, non morbosam: nam senes obliuiosi fiunt & diminutæ memoriæ, non quidem ab humiditate, quod sicciores facti sint ætatis tractu, sed à frigiditate quæ defectu caloris succrescit. Itaq; frigiditas natiua non delebit ex toto memoriã, sed imminuet, quia lentè fit, paulatim, habitualiter & naturaliter. Quo fit vt frigiditas positiua eadẽ intensione ac est ea quæ senibus accidit naturaliter, nõ possit non aufferre ex toto memoriam, præsertim cũ subitò fiat & affatim: quòd longè præternaturalior existat homini vnus gradus positiuæ frigiditatis, quàm duo aut tres ætatis successu acquisiti: & ob id hi diminutam, ille verò ablatã necessariò tenentur efficere. Idem etiam dubitandum esse diximus de humiditate, cæterùm statuendum est diuersò modo esse respondendum: nam parua humiditatis copia memoriam imminuet vt dictum est, & maior etiam auferet ex toto: cæterùm introducto simul aut priùs alio grauiori affectu quo memoriæ abolitio delitescat eluceatque solus alter affectus. Quod sanè probari potest exemplo apoplexiæ, lethargi, paralysis, & epilepsiæ, quas profectò affectiones futuras prænunciat diminuta memoria: tunc enim leuior est humoris copia & in substantia solũ cerebri sita: quòd si crescat adeò vt natura defessa & deuicta iam iam permittat delabi in posticam cerebri cauitatem vel in quamuis aliam, prædictas affectiones effecturam erit arbitrandum: tunc quidem mirum non est si simul cum alijs potentijs memoria quoque à copiosa humiditate ex toto aboleatur. Denique abolitæ memoriæ frigiditas causa est, diminutæ humiditas aut siccitas: & in aliquibus frigiditas & humiditas simul, aut frigiditas & siccitas, vt senibus, quibus accidit antiquorum recordari ob siccitatem, præsentium verò minimè, ob difficilem impressionem. Verùm qua via quibusue modis has qualitates cerebrum sibi comparet, nunc expendisse oportebit, vt non solùm ad causam medicus in curatione deuenire certò possit, sed ad causæ etiam principium, quod summopere est in arte exoptandum. Sic profectò prædictam frigiditatem capiti accersit aër impensè frigidus, vt illis contigit millitibus, qui per niuosa loca iter agentes memoria omnino sunt orbati. Idem malum inducit diutina mora in auri vel argenti fodinis, vel in antris, specubus aut locis plurimum frigidis & humidis: item natatio in frigidiori aqua, vel diutina & insolita quies, aut diuturnior & diurnus somnus, frequens crapula, satietas nauseatiua & ebrietas, ciborum frigidorum vsus, ac etiam medicamentorum narcoticorum, timor subitus, mœstitia intẽsa, vel casus ab alto. Præterea cerebrum infrigidat immodica venus, studium ac labor ingens, maximè ab ingesto cibo: item impensa cogitatio. Quarum sanè causarum quædã humiditatem inferre habent non paucam, omnes tamen frigiditatem, licet aliæ solam frigiditatem natæ sunt inducere.

Signa. Signa verò huius mali mostratore non indigent, licet causarum differentiam ac vim & naturam nosse summopere ex vsu sit. Quod sanè quis facilè ediscere poterit, si in memoriam reuocauerit quod paulò superiùs dixeram, nimirum abolitã memoriam necessariò à frigiditate proficisci, sit ne adiuncta humiditas aut siccitas duo monstrabunt: humiditatem primum, capitis grauitas ac dolor etiam grauatiuus, & sensuum ac motus leuis & insolita noxa quæ humorem abundare atte-

stẽtur simul cum agnitione anteactæ vitæ vel eius causæ quæ præcesserit: adest insuper somnus grauior, multa oris humiditas & in naribus frequens pituita. Sic frigiditatem & siccitatem monstrabit senilis ætas aut memoriæ iactura citra grauitatem aut aliud sensibile capitis vitium: vigilia etiam, oculi cauitas & os aut nares omni humiditate exortes: item prægressa causa: nam veneris vsus, frigiditatem & siccitatem, sicut studium & labor facilè monstrabunt. Pari etiam ratione causam esse humiditatem solam ostendit imminuta memoria, in homine nondum senectute confecto, maximè si præcesserit causa humectans, vt vita ociosa vel crapulis dedita & intermissum fuerit exercitium, vel si defluxio aliqua saliuæ aut pituitæ per os aut nares abundet, vel consueta intempestiuè suppressa fuerit.

Curandi ratio. Primò in huius mali curatione mihi sese offert damnanda pernicios̃a, tùm medicorum, tum hominum quorundam consuetudo, qui cùm homines nati sint & à prima constitutione debili memoria prædĩti, studeant violentis & acerbissimis medicamentis quod non amiserunt recuperare, ignorantes profectò aliud esse deperditam memoriam ab aliqua causa præter naturam reficere, & aliud longè debilem & naturalem in meliorẽ reducere. Quippe non paucos studiosorũ iuuenum reperies qui seducti cupiditate & vtilitate felicis memoriæ efflagitant sibi precibus & precio anacardinam confectionem dari: & quod deterius est, medicos etiã reperies & non mediocris mométi, qui precibus & pretio obtẽperantes non citra magnum multorũ iuuenum bonæ indolis & optimi ingenij suppliciũ id turpiter exequuntur: quo non pauci vel iudicio confracto vacillant vel memoriæ nihil ampliùs recuperãt, vel capitis ingẽtibus doloribus miserè cruciãtur. Quis enim non intelligit naturalem cerebri vel cuiusuis partis temperiem si in meliorem mutari oporteat, sensim, paulatim, leniter & blandè esse agendum: non vehementibus & efficacissimis auxilijs, qualia sunt medicamẽta quæ ex anacardo conficiuntur. Quæ cùm nihil præter naturam crassum, frigidum aut humidũ in capitibus & corporibus iuuenũ reperiant aduersus quod pugnare possint, & suas vires exerere, conterunt quidẽ, liquefaciunt & omnino infirmant naturalem tẽperiem & substantiam, quo mille læsionum sortes, memoria forsan deteriori facta subsequuntur. Quapropter medicamenta quæ ex anacardo conficiuntur, & alia quæ eiusdem sunt generis, nullius sunt momenti, quinimo grandioris damni aduersus naturalem memoriæ impotentiam: prosunt quidem & summoperè ex vsu existunt his qui læsam diminutam & maximè ablatam habent memoriam quam ex natiua constitutione felicem obtinuerant, amiserunt tamen eam vi & efficacia alicuius prædictarũ causarum. Quamobrem qui debilem habent ex natura, victu exercitijs & frequentioribus studijs ac rursus & vltimo diligentiori animi attẽtione augebũt: nã hac lege refert Gal. lib. de vtilitate resp. acquiri, inquit enim. Recordamur quibus mentẽ adhibuimus, obliuiscimur autẽ quæ secus se habent. Itaque qui memoriosus fieri studet, attẽtè diligẽter frequẽter animũ his quæ audierit aut legerit adhibeat, reliqua verò quæ ad medicinã pertinẽt, leuioris sunt momenti.

In reliquis verò quib⁹ memoria læsa est ex morbo curationẽ instituere oportet si priùs cõsideraueris qualis præcesserit causa, qualis ve adhuc perstitit: quippe in aliquib⁹ prægressa causa nõ leue dãnũ fabre factũ relinquit, in cui⁹ curatione nulla est causæ habẽda prouidẽtia, sed solũ quod factũ est, omni arte auferẽdũ. Sic pfectò quib⁹ ex studio, curis, vigilia, venere & quauis alia causa quæ inanitionẽ nata sit inferre vel spirit⁹ & calorẽ infirmare & minuere, caput frigidũ efficitur & immemor oĩno

vacuatoria auxilia adminiſtrare nõ licet,vt quæ ſummè nocua exiſtant,ſi cùt quidquid euacuare ſenſibiliter aut inſenſibiliter calfaciendo ac reſoluendo poteſt:quippe ex huius rei ignoratione nõ pauci eorum qui leui negocio ſanitati reſtitui poterãt,in grauius & immedicabilius malũ ac omnino factũ commigrarũt.Sic ſanè præ dicta corpora ea arte tractabis,ac ſæpe dictum eſt corporibus hecticis & atrophia laborãtibus conuenire:hoc ſolo in memoriã reuocato, quòd neceſſum erit calidis modicè & humectioribus ac his quæ facilè in ſpirituoſam & alimentoſam ſubſtantiam commutari poſsint, perpetuò corpus reficere reſtaurareque . Verùm vt ſubſit in quauis cauſa auxiliorum copia ob id cuiuſque ſeorſim meminiſſe oportet, vt cuique peculiaria præſidia ſubſint.

Si ex ſiccitate vitietur.

Sic profectò ſi ſiccitatem à quauis prædictarum cauſarum caput contraxiſſe compereris, nullo alio auxilio tutiùs vteris,quàm prohibita externa cauſa,& inſtituto ſucculento & euchimo cibo qui facili negocio nutrituram humiditatem reparet reficiatque: quibus porriges etiam vinum rubrum dulce & dilutum:exercitium aut ſeue aurrarum ſit,vt ſudationẽ omni arte vitet,quinimo prolixiùs dormire ſtudeat,& caput frequenter tepida lauare.Et ſi præualuerit ſiccitas decocto violarum,roſarum,extremitatũ animalium,ſeminis lini & melliloti caput ablues:proſunt balnea ex lacte capræ aut aſinæ,vel amygdalarum dulcium, maximè ſi ſiccitati adiuncta ſit caliditas:item inunctio ex butyro recenti,oleo ſeſamino, amygdalarum dulcium & violarum: prodeſt & omentum ouis nuper extractum & ſic calidum de oue adhibitum.Quòd ſi hæc ſuffeciſſe non videãtur,ad ea quæ ore ſumpta caput humectare nata ſunt mox deuenire conſiliũ eſt: cuius naturæ exiſtunt cõſeruæ roſarum,violarum, borraginis & bugloſæ cum diatragacantho. Item præſtat conditũ quod recipit corticum citræ conditæ ℥.ij. conſeruæ borraginis & bugloſæ ana ℥.j.diatragacãthi,ſacchari roſati ana ℥.ʃ.ſpecierum electuarij reſumptiui ʒ.ij.paſſularum mundatarum ℥.j.ſucci glycyrrhizæ ʒ. j.& ʃ. ouorum recentium lutea duo,pulparum turturum elixatorum ℥.iiij.ſacchari candi,penidiarum ana ℥.j. butyri recentis ℥.ʃ.miſceantur omnia cõtundendo in mortario & dũ laborans it dormitũ & poſt prandiũ ſummat ℥.ʃ.aut ʒ.vj.Quã ſanè curãdi rationẽ adſeruabis, & eam etiam quã hecticis corporibus proficuã eſſe diximus,adhibitis etiã per dorſum inũctionibus ex vnguẽto refrigeráti,reſũptiuo vel de cucurbita,vbi ſiccitas originẽ duxerit ab his quæ vel calore medio vel citra ipſũ exiccare vires habẽt.Quapropter cẽſeo curationẽ hãc profuturã ſummopere his qui ex inanitione,à quauis cauſa ſit,memoriã amiſerunt. Verũ ſi ſiccitati adiũcta ſit frigiditas,cauendũ eſt ab his quæ torporẽ inducunt,aut plus iuſto humectãt, & inſtituere oportet calfactionis tantum,quãtum refrigerationem poſtulare viſum ſit. Quo malo obnoxij ſunt qui algores difficulter ferunt,& in aëre exercentur pruinoſo & gelido flatibuſque aquilonaribus expoſito.Quo tempore frictionibus capitis vtendum eſt,& calfacto torijs fomentis, balneis & ſacculis, cum eiſdem alimentis, ſed conditis aromatis & rebus calidis, quæ vim habeant calfaciendi ac reſerandi corrugatas præ frigore partes, ac gignendi calidum & humectiorem ſanguinem : ſic carnes auiũ montanarum, perdicum,caponum & huius naturæ magni ſunt momenti,vbi præ dicto modo elixæ aromatis condiantur:aſſæ verò non ita proficuæ ſunt,cæterùm quæ humidiores exiſtunt, aſſæ probatiores habentur quàm elixæ, niſi preſſiùs aromatis condiantur. In qua ſanè cauſa fugiendum eſt ab omni vacuatorio auxilio,licẽt corpus à frigidorum ſuccorum abundantia vendicare oporteat, caput verò nequaquam.

Si frigiditas adiũcta ſic ſiccitati

Quod

Si ex humiditate cũ frigiditate oriatur affectio

Quòd ſi memoria humiditate & frigiditate ſimul delitescat longè aliter rem aggredi oportebit: hoc vno in hac curatione præ habito quòd & corpus & caput ipſum redũdantibus humoribus frigidis & humidispriùs expurgemus,vt topica auxilia prodeſſe ſalubriter poſsint.Cauſa enim hæc licet memoriã imminuat,aliã etiã capitis affectionẽ ſimul acceſsit,cuius occaſione caput purgare ac exiccare oporteat,nam ſolius memoriæ iactura rarò caput purgandũ iudico. Quapropter præter præparantia & vacuãtia auxilia quæ capitibus de vertigine,lethargo & paralyſi abũ de adduximus,huic miniſterio,frigidis ſuccis(à quauis cauſa oriantur)plenũ caput diſponũt mel roſaceũ cum ſyrupo de ſthœcade aut de hyſſopo cũ aquis melliſæ, betonicæ & fœniculi. Cõficies autẽ alium qui recipit maioranæ,ſaluiæ,balſamitæ, camedreos & origani ana m. j.radicũ acori,corticũ citri,aniſi,fœniculi,ſthœcãdos paſſularũ ſine granis ana ℥.ʃ.coquãtur in ſufficienti quantitate aquæ,& adde poſt coctionẽ antequã refrigeretur cinnamomi ʒ.ij.& facta collatura adde mellis quantũ ſit ſatis vt fiat ſyrupꝰ:aut huic decocto addes aliquẽ ex ſyrupis ſupradictis vel modicũ mellis ſquillitici. Quibus factis corpus & caput purgabis pilulis ex hiera Galeni cũ agarico trochiſcato:quòd ſi affectio inueterata fuerit & humores preſsiùs capiti inhæſerint,vtendũ eſt pilulis de aſſaieret & de agarico cũ granis tribus caſtorei: proſunt & pilulæ indæ cochiæ & arabicæ cũ eodem caſtoreo.Sed ſi affectio maioris fuerit momẽti & ſtoliditatis præludiũ,purgabis hiera logodij hiera diacolocynthidos,vel hiera Archigenis aut Andromachi & alijs quæ eõſimilẽ habeãt vim.Quo facto,in primo curationis acceſſu copioſiùs purgando,poſteà verò per epicraſim & interualla, neceſſum eſt ſic affectis calida & ſicca tũ cibaria tũ potus porrigere : & ob id vino imprimis vtãtur albo,ſed pauco ne caput feriat: obſonijs aſsis & aromatis cõfectis(velut eſt puluis qui recipit piperis nigri & lõgi,zingiberis,croci, caryophyllorũ, ana ʒ. j.cubebarũ,nucis muſcatæ,amaraci ana ʒ. ʃ. galãgæ,cinnamomi, acori, ana ℈.ij.)carniũ præſertim montanarũ & ſilueſtrium,cum ſinapi & eruca aut cinnamomo loco ſalſamenti. A quã ſolã omnino fugiãt vel decocta vtantur cinnamomo,aniſo,ligno aloë,ſaſafraſa indica,radice chinæ,aut ligno guayaco. Prolixos ſomnos atque diurnos qui ſic affecti ſunt auerſentur,frequenter ſe exerceãt,circa lacus flumina & vliginoſa loca non verſentur,auſtrinos flatus & pluuioſas cõſtitutiones declinent,lucidã excelſam ac ventis ſiccis expoſitã domũ habitent. Quibus ſic à principio inſtitutis curandũ eſt diligenter inquirere, an vẽtriculi cruditas cauſam vel ſaltim fomentum huic malo præſtiterit:quo tempore tutiſsimũ eſt principiũ curationis auſpicari à vomitibus bis terue in hebdomada factis,quouſq; cõpertũ ſit ventriculũ à recrementis eſſe immunem,quo ſubſit roborantibus & calfacientibus auxilijs ipſi appoſitis locus. Poſteà tamen ad vlteriorem humoris præparationem deueniendum eſt rhodomelle, ſyrupo de abſynthio,de corticibus citri cum modico oxymellite aut ſquilla cum decocto hyſſopi,betonicæ,ſerpili,thymi, coſti & ſimilium.Purgabis iterum caput & corpus ſyrupo ex infuſionibus cum agarico aut ſucco cartami vel mechoacano Indorũ aut electuario indo,aut diaphenicone:ac ſi malum præualuerit vtendũ eſt maioribus medicamentis quæ nuper adduximus.

Victus ratio.

Peculiaria auxilia.

Poſt hæc autẽ ad capitis prouidẽtiã tutiùs deuenies:quippe tũc curandũ eſt, pituitoſi ſucci reliquias conterere & caput roborare per interna ac externa præſidia. Sic caputpurgia quæ præcedẽtibꝰ capitibꝰ copioſè adduximus per interualla adhibere oportet,& interim dũ per palatũ aut nares aliquid expurgatur(paſtillis ex maſtiche & ſinapi aut ſemine maioranæ vel pyrethri, vel dilutione oris hydromellite

Caputpurgia.

Lotiones. ex hyſſopo maiorana aut pulegio)ſuffumigijs probè odoratis vtendum eſt. Item lotionibus,fomẽtis,inunctionibus & ſacculis reliquias conterere oportebit,cuius natura eſt lotio quæ paratur ex aqua vitæ aut ex vino,caryophyllis,nuce muſcata,acoro,amaraco & camepiteo in puluerem redactis,feruefacto, quibus abraſum caput mane leuiter abluatur, ſuperſparſo puluere caryophyllorum & cubebarum. Parare etiam poteris lixiuium quod recipit aquæ vitæ ℥. vj. caryophyllorum, nucis muſcatæ,acori,maioranæ,ibæ,ana.ʒ.j. contundantur & infundantur in vaſe ſtricti orificij & poſt aliquot dies caput illiniatur prædicto liquore . Parabis etiam lixiuium ex libra vna aluminis & cineribus fæcum vini & radicum ac ſtirpium caulium,cui addes acorum,folia lauri & iuniperi & reliqua huius naturæ. Illinies etiam caput ſtillòtica aqua per vitreum alambicum extracta quæ recipit folia & grana hederæ, cyperum, ſthœcadem, galangam & cubebas: quæ omnia aqua vitæ priùs macera

Inũctiones. bis. Præterea inunges caput linimento quod recipit olei de amaraco ℥. v. olei debeen ℥. ij. euphorbij ʒ. ij. caſtorei ʒ.j.& ℈. miſce & caput illini. Pæſtat etiam inunctio ex oleo de pipere,de aniſo,de ligno aloë,de ligno ſancto, de nuce muſcata, de

Sacculi & pulueres. ſtirace,de belzoino,cum ſeſamino,liliaceo,rutaceo,& camemali. Deſuper autem ſacculos ex prædictis herbis confectos apponere oportebit,maximè noctu dum laborãs it dormitum:quibus addere poteris nucem muſcatã,maſtichem,thus & lignum aloës:neque placet ſinapiſmis vti vt Ætius & alij conſulũt, niſi obliuio iã ſtupida apparuerit. Poteris etiam ſuper caput inunctũ pulueres ſpargere primo qui recipiant carui,aniſi,ameos,petroſelini,apij,marathri,betonicæ,cimini,calaminthæ, pulegij,hyſſopi,ſpicæ nardi ana ʒ.j,maioranæ,balſamitæ,ocymi,cardamomi & galangæ,liquiritiæ ana ʒ.j.& ℈. miſce & fiant pulueres quos ad condienda cibaria maximi eſſe momenti arbitramur. Poteris etiam vehemẽtiores efficere additis piperi

Pomũ odoratum. bus caſtoreo & pyrethro: tandẽ ex omni materia calida eos poteris conficere. Cui etiam vſui poma odorata configi ſolent,velut eſt illud quod recipit ſtiracis,ladani depurati, ceræ ana ʒ.v. ligni aloës,nucis muſcatæ,thuris,radicis peoniæ,calami aromatici ana ʒ.j. muſci ℈.j. miſce & fiat pomum aut paſtilli qui per interualla naribus apponantur. Aliud etiam conficies quod recipit diambræ,pliriſarcoticon, diacori, nucis muſcatæ, marathri, caryophyllorũ ana partes æquales,ladani depurati quod ſufficiat,fiat pomum. Aliud etiam præſtãtius cõficies quod recipit calami aromatici,cinnamomi,caryophyllorum,ana ʒ.j. coriãdri præparati,pulegij,maioranæ, ana ʒ.j.& ℈. puluerisaromatici roſati, & galliæ muſcatæ ana ℈. ij. muſci & galliæ ana g. iiij. mellis anacardini & ſtiracis calamitæ ana ℈.j. ex omnibus ſecundum artem in puluerem redactis cum aqua naphæ fiant paſtilli ad formam nuclei dactilorum & naribus apponantur ſubtrahendo frequenter ne diu ibidem immorentur. Conficies item aliud quod referunt authores non contemnendi memoriam roborare, recipit quidem ligni aloës,thuris,nucis muſcatæ,radicis peoniæ & angelicæ, roſarum,aromatici roſati ana ʒ.j. ſtiracis ℥. ℈. diambræ & diamuſci ana g. vj. ladani depurati quod ſufficiat vt fiat pomum,cuius aliquid ſuper ignem proijciatur & fumũ ore & naribus excipiat laborans.

Quæ ore ſumuntur. Cautiùs enim & prudentiùs oportebit medicamentis memoriam roborantibus vti,dum per os ſumenda ſunt vt quæ maius faceſſant negocium & non leue afferant damnum ſi quis eis imprudẽter vtatur: quapropter à leuioribus ſumpto initio,ſenſim ad efficaciora eſt progrediendum . Sic interim dum hæc præſidia quæ nuper diximus fiunt,tertio quoque die theriacæ ℈. ij. aut ʒ. vel mythridati porriges: cuius etiam efficaciæ eſt zingiber conditum cum oliuano & pipere . Præſtat con-

confectio quæ recipit miuæ mirabolanorum chebulorum lib.j. piperis longi & nucis muſcatæ ana ʒ.iii. muſci ℈.j. miſceantur & doſis ſit ad ʒ.ij. Mirabilis & maioris efficaciæ eſt alia confectio quæ recipit zingiberis, galangæ, macis, cimini, origani ana ʒ.ij. nucis muſcatæ,caſiæ ligneæ,maſtichis,calami aromatici, aſſari,ligni aloës, ſeminis apij,ameos ana ℈.ij. thuris,caryophyllorũ,cardamomi,zedoariæ, pyrethri, caſtorei, piperis longi,coſti,cyperi ana ʒ.j. menthæ ſiccæ ʒ.j.& ℈. terantur & puluerizentur, quibus adde penidiorum ℥. j. & ℈. mellis deſpumati quod ſufficiat & fiat confectio. Conficies iterum aliud paulò efficacius quod recipit mirabolanorum indorum,emblicorum,& bellericorum ana ʒ.j.& ℈. piperis longi,oliuani,zingiberis,roſarum,violarum ana ʒ.ij. dragachanti ʒ.iij. ſpodij,coralli,maſtichis,ſerici ſubtiliter puluerizati ana ʒ.ij.& ℈. muſci ℈.j. mellis anacardi ℥.j. cum ſyrupo roſarũ fiat confectio. Sed expendendum eſt mel anacardinum ſolùm eſſe conficiẽdum huic vſui per infuſionem anacardorum viridium in melle & citra expreſsionem facta mellis collatura: quòd ſi virides anacardos habere non poſsis vt Arnaldus conſulit, ſume anacardos & molliter frange & in aceto fortiſsimo poſt infuſionem ſeptem horarum ſpatio habitam eo vſque coquere ſinito quouſque tertia aceti pars remaneat, cui facta leui collatura adde quadruplum mellis & lento igne ad mediocrem ſpiſsitudinem coquere ſinito,& huius mellis minori vteris quantitate. Sic cõficito aliud quod recipit cinnamomi,roſarum,cardamomi,balſamitæ, maioranæ corticum citri ana ʒ.ij. mirabolanorum omnium ana ʒ. ℈. mellis anacardi primæ compoſitionis ℥.j. aut ſecũdæ compoſitionis ℥. ℈.& cum ſyrupo roſarum vel borraginis fiat confectio. Efficacius tamen conficies ſed his maximè qui iam dementari incipiunt quod recipit mellis anacardi ſecũdæ compoſitionis, oliuani, cyperi, acori, ana ℥.j. piperis vtriuſque ana ʒ.j. & ℈. mirabolanorũ chebulorum & indorum ana ℥.j. mellis quod ſufficiat, fiat electuariũ cuius porrigere poteris ʒ.j. Sed harum compoſitionum quæ anacardum recipiunt, ſat eſt ter quaterue in menſe vti, præſtitis inter vnam & aliam exhibitionem alijs quæ anacardum diximus non recipere: inter quæ nõ minoris momenti eſt id quod recipit cyperi, oliuani, piperis, croci, myrrhæ ana partes æquales cum ſaccharo fiant tabellæ quarum ſumat laborans dum it dormitum. ʒ.j.& ſummo mane, vel theriacæ vel mythridati modicum.

Maiora auxilia. Quod ſi hæc omnia profuiſſe non videantur, iterum ad purgandum corpus & caput te conferes, ac poſtmodum corpus decocto ligni guayaci aut radicis chinæ ſudare coges vel balneis ſulphureis committes: quinimo ipſam aquam ſulphureã epotam ſummopere prodeſſe conijcito: ſic enim in vaſis ſulphure coopertis politis & vitriatis aquam aut vinum bibant laborantes, vel quæ diu ibidem adſeruata fuerit, aut quæ in vaſis ex ligno aloë vel ex ligno hederæ factis, aut ex ſtirace diu adſeruata fuerit. Verùm ſi nihil horum profuerit, ſcito nihil æquè beneficium præſtaturum ac fontanella alterò brachiorum affixa præſtare poterit, vel ſeto occipitio infixus.

De viſus debilitate, defectu & alijs vitijs. Cap. 20.

LICET oculus vnum ſit & vnius actionis inſtrumentum, puta viſionis, nihilominus tamen adeò eſt mirabilis & numeroſæ ſtructuræ, vt mirum non ſit, ſi harmonia & partium ſimpliciũ varietate ac figura reliquas omnes ſuperet: quo profectò fit, vt multis occaſionibus viſum deperdi contingat. Conſtat quippe oculus tunicis, humoribus, muſculis, neruis, palpebris, & inſuper indiget ſpiri-

tibus,ac certa etiam figura magnitudine & ſitu ita gaudet,vt ſi quouis modo à dictorum aliquo deflectat,vel alijs abundet,protinus viſio vel ex toto auferatur, vel vitietur aut diminutior fiat. Verùm licet mille modis prædictæ partes affici poſſint,hic tamen ſolùm ſtudui eos recenſere curareque affectus,quibus primo & per ſe videndi functio oblæditur. Verùm ne cui deſit generalis quædam notio affectuum omnium,qui oculis & partibus eius accidere poſſunt, ſtudui tranſcribere eorum omnium ſummam quandam, quam neotericorum quidam diſertè ſcripſit,qua complectitur omnes morbos cuique oculorum parti ſuccreſcentes.

Palpebrarũ morbi.

Sic profectò palpebris inter alia vitia cæteris partibus communia, ſuccreſcit aliquando emphyſema,tumor laxus ædemati ſimilis,palpebræ inflammationem Latini nominant.Item ſclirophthalmia,difficilis palpebrarum motus cum dolore ac rubore.

Xeropthalmia etiam corripiũtur, qui pruriginoſus eſt ſine fluore palpebrarum & adnatæ affectus.

Adeſt & pſoropthalmia, quæ pruriginoſa eſt palpebrarum ſcabies. Præterea ptyloſis,palpebrarum craſsicies caloſa & rubicunda cum pilorum defluuio.

Sic ectiopion, palpebræ inuerſio propter cicatricem aut carnis excreſcentiam.

Succreſcit etiam palpebris Ancyloblepharon, hoc eſt palpebrarum cum adnata inuiſcatio ſeu agglutinatio,ita vt aperiri non poſsint.

Item lagopthalmos,id eſt retractio ſuperioris palpebræ ad ſuperiora,ita vt laborans apertis oculis cogatur dormire,quod Auicen.leporinos oculos vocauit.

Trachoma, ſcabrities interna palpebrarum eſt, ſeu aſpritudo infiſuras diſciſſa, aliquando in eas eminentias exuberans ad ficus ſimilitudinem, vt Sicoſis dici mereatur, & à Latinis ficoſa palpebra, quæ ſi in callum commigrauerit, Tyloſis dicitur.

Adeſt & pinguis quædam ſuperioris palpebræ ſubſtantia, adeò grauans, vt vix atollere oculos ſinat,ſed cum aſsiduis fluxionibus, appellata quidẽ Hydatis, quòd palpebra hydropico ventri perſimilis exiſtat,ob id à nonnullis palpebrarum aquoſitas nuncupata.

Eidem parti ſuccreſcit Calazion, tuberculus rotundus & tranſlucidus ac vbiq; mobilis,& ob id à Latinis dictus grando.

Sic Crithæ abſceſſus eſt exiguus & oblongus iuxta palpebrę cilium marginẽue ortus:Hordeolus Latinis appellatus,quòd grano hordei ſimilis ſit.

Adnaſcuntur etiam palpebrarum pilis exigui pediculi non parum infeſtantes, pediculationem nonnulli nominant.

Item eiuſdem palpebris pili inuerſi oculos offendentes adnaſcuntur, affectio Trichiaſis nuncupata.

Sic è contra alia ſuccreſcit,in qua natiui pili procidunt. Madaroſis,ſeu pilorum caſus vel Glabricies palpebrarum nuncupata.

Pari prorſus ratione ſuccreſcit huic affectioni alia omnino contraria, videlicet cum ſub naturali pilorum palpebræ ordine alius adnaſcitur ordo, Diſtichiaſis appellata.

Sed eſt etiam huic finitima alia, Phalangoſis dicta, cùm præter id quòd plures ſint pilorum in infima aut ſuprema palpebra ordines, omnes tamen in oculum inuerſi ſunt,& non parum moleſtantes.

Eſt & Lithiaſis, id eſt cùm in palpebris gignuntur granula ſeu prominentia quædam candidantia, lapidis inſtar oculum prementia, quæ ſanè affectio ad Calazion

ad Calazion facilè poterit reduci.

Vltimò tamen palpebræ aliquando ſunt inſtabiles,& id vitium Ippos dicitur.

Adnatæ membrana affectus ſunt.

Primò quidem Taraxis,quæ nihil aliud eſt,quàm humiditas oculi cum rubore & calore præter naturam,cauſa aliqua extrinſecus accedente,vt ſole, fumo,ac puluere vel oleo.Arabibus perturbatio appellata,vel Opthalmia leuis.

Opthalmia item eidem parti accidit, quæ eſt eiuſdem tunicæ inflammatio, à Latinis dicta Lyppitudo.

Alia etiam eſt Opthalmia,magna ab aliquibus dicta,Græcis tamen Chymoſis, & Auicen. Albardengi nuncupata: quæ ſanè tunc fit cùm vtraque palpebra præ inflammatione adeò peruertitur,vt oculi vix aperiantur.

Pterygion eſt oculi vngula ſeu neruoſa quædam adnatæ tunicæ excreſcentia, à maiori angulo vt plurimum orta, oculum magnitudine,varijs coloribus,duritie vel mollitie oblædens.

Corneæ tunicæ affectus.

Sunt & in cornea exiguæ quædam puſtulæ, veluti quædam bullæ ſupra ipſam eminentes, Phlictenæ à Græcis dictæ,& ab Auicen.veſicæ. Verùm ex varia earum figura,varium ipſis ſuccreſcit nomen:nam cùm cauum & purum in cornea exiſtit vlcus,Botrion dicitur,& Latinis Foſſula,ſicut Auice.annulus.Verùm cùm vlcus eſt latius & minus profundum,Græci Celoma appellant,Auicen.Lilimiam: ſicut & Argemon vlcus etiam eſt in pupillæ circulo naſcens,ambientia comprehẽdens,& in intimo eius album exiſtens,ſicut in extimis rubicundum.Eſt & quartum vlcus Epicauma dictum,ſordidum, impurum & cruſtoſum Auice. vlcus aduſtum nuncupatum,quo repurgato incautè humores oculi ſæpe effluunt.

Hypopyon eſt,quando pus ſub eadẽ cornea,nunc altiùs,nunc in ſumma ſuperficie coaceruatur,Auicen.ſaniem in Syphac appellat. Carcinoma erit ipſius corneæ cancer,immenſo dolore & rubore punctorio crucians,ſeſeque vſque ad tempora extendens.

Vuea tunicæ affectiones.

Vitiat videndi munus vitiata vbea vno è tribus modis,videlicet propter foramẽ praua figura affectum propter tunicam ipſam, aut ob humorem intra ipſam contentum,quo exiccari aut collabi cõtingit. In primis procidit aliquando ragois erroſa ruptaue cornea,quæ generali nomine Proptoſis dicitur, & varias etiam ſortitur nomẽclaturas, pro figura ac modo eius quòd procidit. Nam ſi fuerit exiguum & capitis muſcæ formam referens,Myocephalon Græcis nuncupatur,Auice.verò formicalis ruptura.Verùm ſi adeò creuerit, quòd vuæ acinum repreſententet, Staphilon dicitur,& Auicen.vueam nominat. Quod ſi augeatur vt extra palpebras immineat,Melon dicitur Græcis,& veſicalis ruptio Auicen. At ſi obducta cicatrice obdureſcat in callum,Clauus ſeu Claualis ruptio appellatur.

Pupillæ affectiones.

Vitiatur pupilla quatuor modis, diſtorta nimirum, diſrupta, dilatata,& minor facta.Dicitur pupillæ diffuſio vel dilatatio Latinè,apud Græcos Mydriaſis,& Auic. Alintiſar,cùm videlicet vltra modum pupilla dilatatur & iridis circulo ſimilis efficitur.Hunc affectum incurabilem arbitratur Auicen.cap.de Altenear, dum à cauſa fit externa,ictu nimirum aut caſu,cum hoc tamen cenſeo, ſi citò præueniantur curari poſſe,vt idem author refert in fine curationis in proprio cap.

Eſt & Phthyſis oculi ſeu tabes pupilæ, corrugatio atque anguſtia, quam affectionem Auicen.conſtrictionem pupillæ appellat.

Huic etiam parti accidit ypochyſis,à Latinis ſuffuſio appellata,& vulgariter catarata, quæ nihil aliud eſt quàm congelatio vaporis ſeu humoris effuſi inter corneam & Chryſtalloidem.

Accidit

Accidit etiam cryſtallino humori id vitium, quod Græci Glaucoma appellãt, factum quidem ex eius mutatione in glaucum ob humiditatem.

Adnatæ et corneæ cõmunes affectiones.

Albugo nuncupata eſt affectio vtrique mẽbranæ cõmunis, à Græcis Leucoma dicta, licet, vt Paulus refert, nõnihil interſit diſcriminis inter albuginẽ & Leucoma: nam illa tenuis eſt & in ſuperficie ſita, dicta à quibuſdam nebula: Leucoma verò profundiùs permeat, vtraque tamen nomine cicatricis inſignitur.

Eſt & in eiſdem partibus Hypoſtphacma ſeu Hypopion à Græcis dictum Tarſati ab Auic. affectio quidem in qua ſanguis coaceruatur ob ictum aut percuſsionem, fractis & cõtuſis vaſis in extima cutis parte: Latini ſuggillationem vocãt Galen. ſanguinis effuſiones.

Angulorũ oculi affectus.

Accidit internis oculorum angulis Ægylops, abſceſſus inter maiorem oculi angulum & naſum factus, qui in fiſtulam cum oſsis vitio plerumque degenerare ſolet.

Eidem etiam angulo Encanthis ſuccreſcit, caruncula quidem ſupra iuſtum modum excreſcens, carnis lacrymalium additionem Auic. appellat.

Ryas præterea eiuſdem carnis lacrymalium decreſcentia vocatur. Epynyctis vlcus eiuſdem partis perpetuò manans appellatur à Plinio lib. 20. cap. 26.

Aporrixis eſt, quando meatus à cerebro ad oculos deſcendẽs, ex ictu capitis vel caſu diruptus eſt.

Neruorum opticorum affectiones

Paremptoſis verò dicitur obſtructio, ſiue cõcidẽtia nerui optici, à Latinis gutta ſirena nuncupatur.

Symptoſis autem dicitur, cum meatus ille ex tabe conſtrictus & denſior factus exiſtit, aut conuulſione vel alia intemperie cum materia diſtorſus.

Humoris cryſtallini affectiones et hæ quæ incõſpicuæ ſunt ac viſum lædũt.

Primò ſi à ſua ſede dimoueatur cryſtallin⁹ humor verſus ſiniſtrã aut dextrã partẽ Straboſitas dicitur, Latinis diſtorſio oculi, obliquus affectus Auic. At licet pueris etiam accidere conſpiciamus, potiùs conuulſorium oculum mouentium muſculorum motum cenſemus, quàm pupillæ diſtorſionem. Verùm ſi pupilla ſurſum aut deorſum vergat, duplicia omnia apparebunt: ſi in profundum vergat, mutabitur naturalis oculi color & apparebit veluti color ſtybij: ſiverò promineat, color oculi erit cæruleus.

Atrophia etiam huic parti accidit (ac forſan reliquis) quo oculus minor longè efficitur: quem morbum Celſus imminutum oculum & Auic. profunditatẽ oculi appellat.

Huic contrarius accidit alius affectus Ecpiemos nuncupatus, ab Auicen. exitus oculi dictus, nos verò expreſsionem oculi cenſemus.

Cæterùm à modo læſionis in viſu, aliæ non parui momenti ſuccreſcũt affectiones, velut eſt Myopiaſis, in quo malo laborantes nõ niſi quæ prope oculos ſunt, cernere poſſunt. Luſcioſos multi appellant ſic affectos.

Eſt & Nictalopia, ſeu nocturna acies, vitium quo quis interdiu quidem videt, occidente verò ſole obſcuriùs, noctu verò penitus cęcitudo ſuccreſcit.

Huic parti etiam accedit Ambliopia, ſeu amauroſis, quæ viſus obſcuritas ſeu hebetudo dicitur.

Affect⁹ qui omni oculo accidere poſſunt.

Epiphora ſeu impetuoſus humorum fluxus ad oculos dicitur, quibus perpetuò lacrymantur: vulgariter dicitur lacryma.

Rixis eſt ruptura ab ictu vel alia quapiam cauſa, quæ adeò rumpat membranas, quòd humores etiam ibidem contenti effluant.

Adeſt & paralyſis ſeu reſolutio oculi, quæ eſt vbi obliquæ motiones & quæ ſurſum

ſurſum aut deorſum fiunt, expediri non poſſunt.

Atque hæ ſunt omnes oculorum affectiones, quarum multis rationibus hac in parte non ſtudui ſeorſum meminiſſe: & ob id ſilentio prætereo, & viſus debilitatis naturam aggrediar exponere.

De viſus debilitate.

CVM viſum debilitari multis modis contingat, & ab alijs ſuboriatur cauſis, neceſſum profectò eſt, ad vltimũ apicem (vt aiunt) vnamquamque diſtinguere, vt cognita cuiuſque natura & cõditione, facilè cuique etiam ſit, præſidium ad inuenire aptum & proficuum. Ocularia enim medicamenta hac ſola ratione multis non profuiſſe conſtat, quia ob cauſæ ignorationem, inconuenienter & importunè adhibentur. Debilis igitur efficitur viſus, cauſa mali euidenter & conſpicuè in oculis apparente, vel cauſa ipſa deliteſcente, & oculis nihil ad ſenſum pati apparentibus. Cuius ſanè affectionis & ex hac occulta cauſa ortæ, meminiſſe hoc capite inſtitui. In quo vitij genere plures comperimus ſympthomatum ſeu vitiorum differentias: quippe ex his quibus viſus imminuitur ſeu obtenebratur, quidam quaſi oculorum impotentiam dicas, patiuntur: nimirum quando adeò infirmi ſunt oculi, vt ſi velint legere vel lumen intueri, aut rem albam vel diſtantem, nequeant id tolerare, ſed coguntur viſum continere & lacrymantur. Quidam non niſi admota oculis cernunt, eaque palpebris conſtrictis atque conniuentibus & iuxta oculos poſita, quæ ſi procul ſepares, aut nihil aut debiliter cernere poſſunt, quem ſanè affectum Myopiam Græci vocarunt, malum quidem ſæpe à natiua hominum quorundã conſtitutione contractum, reddenſque ipſos luſcioſos vt multi nominant: licet Plinius alios appellet luſcioſos, vt refert & probat etiam Donatus. Cui ſanè malo aliud haud diſsimile ſuccreſcit, in quo etiam homines diminutè cernunt, cæterùm diuerſo modo: nimirum cùm interdiu quidem videant, ſole verò occidente obſcuriùs, noctu autem nihil: quod malum Nictalopem medici appellant. In quo ſanè alia etiam reperitur debilitatis viſus differentia, videlicet, cũ viſus interdiu obſcurior & debilior exiſtit, noctu verò acutior & validior, multi veſpertinam aciem nuncuparunt, cuius cauſam ſuo loco referam. Alia inſuper eſt viſus debilis differentia, in qua qui affecti ſunt propinqua cernere nequeunt, ſiue magna ſiue parua ſint, ſed veluti in confuſo citra vllam diſtinctionem percipiunt: longiùs verò diſsita acutiùs & diſtinctiùs cernunt: affectio quidem primæ affectioni contraria. Sed præter has omnes, aliæ duæ viſus obtenebrationes reperiuntur, quarum primam medici appellant Amblyopiam, ſecundam Amauroſim, ambæ quidem morboſæ viſus affectiones, cùm videlicet hebetior eſt, vel omnino ſublatus: hæc quidem cùm nulla cauſa euidens in oculis apparet: vnde à recentioribus gutta ſerena dicitur: illa verò euidentiores habet cauſas, præterquam quòd eius vitium noctu diuque, longiùs poſitis obiectis & propinquis ſemper diminuta appareant, appellatur verè viſus offuſcatio ſeu obſcuritas. Præterea his omnibus malis addere oportet aliud vitij genus, in quo res vel duplices vel diſtortę vel à propria ſede prolapſæ aut perforatæ conſpiciuntur. Ita in videndi actione cauſa exiſtente occulta, triplex quoque ſympthomatum genus ſuboritur: vnum in omni-

moda

moda visus ablatione, vt in gutta serena cõtingit: aliud in diminuta videndi actione: tertium verò & vltimum in actione videndi corrupta & omnino vitiata, non quidem quòd mutato apparenter obiecti situ vt in vertigine fiat, sed in reali & vero obiecto percepta aliqua apparente mutatione. Itaque cùm visio sit clara & distincta obiectorum visibilium in naturali quadam distantia, & certo etiam claritatis modo perceptio, cùm citra euidentem & conspicuam in oculis causam in proprio munere deficit, eo modo quo expositum est, visus diminutio dicetur, affectio quidem in genere sympthomatum actionis deprauatæ, aut ablatæ, sed præcipuè diminutæ facultatis visoriæ posita.

A quo morbo & à quibus causis oriantur prædictæ affectiones.

Quem autem morbum sequantur prædicta sympthomata, nemo exactè perdiscere poterit, qui non priùs cuiusque differentiæ causas adinuenire studuerit. Sic profectò omnimoda visus priuatio perspicuis existentibus oculis, à morbo in via, nimirum à neruorũ opticorũ obstructione oritur: quam fieri à crasis viscidisque humoribus, aut aquosis sed in grandinis forma conuersis certũ est. Constat enim sic necessariò fieri quia subitam vel momentaneam habent generationẽ: accedit Galeni sententia lib. 4. de locis affect. cap. 1. qui id malum quoque refert ab inflammatione proficisci, vel à scirrho prædictorum neruorum, licet id rariùs accidat. Placet tamen generali quadam methodo vniuersas causas sympthomatũ ad oculos attinentium complecti eo vtẽdo discursu quo Galen. lib. 1. de caus. sympto. cap. 1. & 2. Imminuitur itaque visus vel cerebri & opticorũ neruorũ læsione, aut vitio spirituũ aut tunicarũ & humorũ iactura & euersione. Cerebrum enim vt instrumentũ est vitiatur, quia obstructũ vel compressũ aut malè vulneratũ ex toto aut ferè visum aufert, vt cõstat in lethargo & cathoco, & catalepsi: itẽ in grandi ictu aut casu. Imminuitur verò læso ipso, vt pars similaris est ob ipsi⁹ intẽperamẽtum: sed qua ratione id fiat, non satis compertum est, cùm constet in grãdi cerebri incendio, aut refrigeratione id vitiũ in oculis & visum non apparere & vbi remissiores subsunt huiusmodi qualitates facilè elucescere. Ratio profecto est, quia solũ id malum natum est efficere id cerebri intemperamentum quod factũ & habituale sit, & natum spiritus visui ineptos reddere: nam hos solùm efficit vt tale temperamentũ in natũ naturales, ita præter naturã vitiosos, & visui ac reliquis actionibus ineptiores. Præterea spiritus visioni officiunt (vt variè vitiari possunt) ita varijs modis: nam vel paucitate seu inopia, crasitie, tenuitate vel impuritate lædũt, vt mox referã. Item humor crystallinus vitiatur ob situs mutationem, ob colorem mutatum, ob prauum substantiæ modum & ob ineptum temperamentũ. Mutant enim situm vel vniuerso oculo euerso, vt in ebrijs quibus res duplices apparẽt, quia oculi varium contrahũt situm ob neruũ opticũ à vapore nimio laxatũ. Mutat insuper situ solus ipse humor cũ à sua sede dimouetur: quo tẽpore si sursum aut deorsum vergat pari ratione res duplices apparẽt: si verò ad alterũ angulorũ paruissima succrescit in visu noxa, appellatur hæc affectio strabositas: quæ plerũq; dũ morbosa est & nõ natiua, à cõuulsione alicuius musculorum vel resolutione cõtrarij proficisci tur. Præterea læditur eius color dum glaucoma efficitur, siue id sit ex mutatione propriæ substãtiæ, siue ex addito humore cõcrescẽte in ipso. Itẽ intẽperatur & visioni officit nõ à quauis intẽperie, sed ab ea quæ nata fuerit mutare substãtiã dixerim inducere secundã qualitatẽ, nimirũ crasitiẽ, tenuitatẽ, soliditatẽ, & reliquas quib⁹ certũ est visum offendi. Vitiatur etiam continuitatis suæ solutione, ac res perforatas conspicit ad modũ diuisionis, haud secùs ac dum aliquod corpus antestat crystallinum humorem non tamen vniuersum occupans. Læditur etiam visus ob ragoydis vitia, quæ sunt in duplici differẽtia: nam vel tunica malè afficitur, vel foramen: quippe tunica vel prosilit cherathoyde exesa, & si procidentia parua fuerit (præter id quod affectio in vniuersum appellatur protosis) ad muscæ similitudinem appellatur myocephalon: ac si ad modum fuerit vuæ acini, staphyloma dicitur: quod si extra palpebram immineat, melon seu vesicalis ruptio, aut elatius si obduruerit. Cùm verò hæc tunica colorem mutat, eundem repræsentant res visæ: sicut in alijs eius affectionibus diminutæ cernuntur. Huius autem foraminis vitia, quatuor annumerat Galen. angustiam, dilationem, diruptionem & distorsionem: quorum hæc duo parum immutant visum, reliquorum verò, angustia parum etiam: verùm si natiua fuerit acuit potiùs; at amplitudo vtcunque sit, semper lædit. Prodit vtraque à siccitate, aut humiditate, cæterùm diuerso modo: nam amplitudo prodit ab humiditate lædente tunicam, vt pars organica est: quippe vel replet eius cauitatem, quo foramen dilatari est necessum, vel substantiam vitiat tumorem efficiendo ac morbum subinde in magnitudine, qui distendat etiam foramen, vel à siccitate contrahente tunicam, quo amplius redditur foramen. At humiditas laxans tunicam, vt similaris est, coarctat foramen, siccitas verò quæ aquã in cauitate tunicæ cõtentam conterit, collapsione & corrugatione facta foramen angustat, sicut illa quæ ipsum foramen in circuitu corrugat: quæ omnia visum hebetiorem reddunt, ac superdilatatio lucidum efficit hominem, & affectio dicitur mydriasis lædẽs ex dissipatione spirituum & separatione eorum. Vitiatur insuper visus ob læsionem humoris aquei intra vueam contenti, qui aut imminuitur & efficit ptisim: aut crescit, & similiter diminutã reddit aciẽ actiuã: per aquam fieret visio: vel mutat colorem, & eiusdem coloris omnia apparẽt: aut crassescit & diminutè etiam cernit homo: aut tenuatur, & ob visus disgregationem, vel lacrymatur homo, vel cernere probè nequit, vel miscetur alteri humori & illius coloris appatent omnia: vel concrescit, & in suffusionem commigrat, vt suo loco latiùs leges. Hæ itaque sunt omnes causæ quibus visus offenditur. Nec desunt aliæ ex vitijs corneæ, quæ sunt crasities citra humoris fluxum dum substantia eius crassescit. Præterea adest densitas, vbi non aucta profunditate pori angustantur: item humiditas qua similaris pars ex affluente humore humescit, instrumentaria verò vbi idem fluxus poros corneæ præter naturam mutat: insuper color alienus, qui & obscuritatẽ & vitium in imaginatricem infert. Præterea vlcus quod visum lædit ob affluxum humoris, & propter corneæ tenuitatem, & fluxum albuginei, ac ob cicatricem relictam: vltimò propter vngulam aut nubem. His præhabitis ad species causas diminutæ visionis accedere æquum iam est.

Diminuta autem visio vt varias habet species, ita non procedit ab vnica morbi ratione, neque ab vna causa, sed à varijs & longè diuersis, iuxta cuiusque speciei rationem & naturam. Sic profectò res se habet in Amblyopia & Amaurosi, quæ licet neruorum opticorum vitia sint, & vtraque ab eorum obstructione prodeat, cum hoc tamen differunt inter se, licèt sola maioris aut minoris ratione: verùm in visus obscuritate, offuscatione seu hebetudine potiùs à caliginosis & crasis vaporibus prædictos neruos obstruentibus, quàm ab humoribus prodit. Disidet tamen hæc hebetudo ab ea quæ fit in Myopia, loci affecti & multigena causarum diuersitate, vt mox referam. Myopia itaque vt variè visui officit, sic illum diuersis causis & modis afficit: nam prodit eius quæuis species ab vna vel pluribus ex tribus causis quas nuper memorauimus: nimirum ab spiritus visorij vitio: vel ab humorum oculi aliqua iactura: & vltimò ex tunicarum ipsius

ſius praua habitudine. Atque licet tantùm in genere has tres cauſas reperire liceat, nihilominus tamen quæuis earum multis, & varijs modis adeò diuerſificatur, vt qui id diligenter non calluerit, ſicut nuper expoſuimus, nullo modo poſſit affectioni debitum præſidium adſcribere. Spiritus quippe vno è quatuor modis viſioni officere habet: paucitate nimirum ſeu inopia: vel vbertate: craſsitie vel tenuitate nimia: & vltimò impuritate ſeu admixtione extraneæ & opacæ ſubſtantiæ. De ſpiritus verò paucitate non leuis ſuccreſcit dubitandi ratio, conſtituat ne morbum ad quantitatem vitiatam attinentem, vt reliquæ oculorum ſubſtantiæ dum deficiunt, an ad temperamentum: & vt ſummatim dicam à vitijs organicis, vel intemperiei ſciungatur, quòd verius eſſe arbitror (licet ipſis ſpiritibus deficientibus quodammodo vniuerſa oculi quantitas imminui videatur, & ad ipſius vitia reduci) quia neque temperie, neque figuræ mutatione corrigitur prædictum vitium, ſed ſolùm peculiari quadam prouidentia, multa & proba alitione inſtituta. Sic profectò ſpiritibus deficientibus viſus imminuitur, ſiue id fiat leui aliqua obſtructione, ſiue ob defectum ex aliquo affectu præſenti, aut præcedenti, qui plus iuſto ſpiritus diſsipet, ſiue vitio cerebri nequeuntis ob impotentiam caloris quantum eorum ſat ſit generare, ſiue ob immodicam ad reliqua ſenſoria diſtractionem. Quapropter reduci debet hæc affectio ad cauſam ſeu affectum à quo ſpiritus diminuuntur; & ſtatuendum eſt oculos per conſenſum pati.

Dubium.

Dubium. Sed dubitant hac in parte authores, ſubſequine etiam poſsit idem damnum in viſu ab ſpiritu exuperanti, & in maiori copia, ac à diminuta: non enim ex abundantia cauſæ naturalis minus damnum ſubſequi ſcimus, quàm ex defectu. Qua quidem in re ſtatuendum eſt, abundantiam ſpirituum vno è duobus modis fieri: vno ex efficacia cauſæ generantis, altero verò, defectu cauſæ diſtribuentis. Quo ſuppoſito, abundantiam ſpirituum ex efficacia & vbertate cauſæ generantis, nullo modo poſſe læſionem viſui neque alijs ſpirituum actionibus inferre arbitramur: abundantiam verò, quæ fit vel obſubitum, aut intempeſtiuum retroceſſum, vel ob improſperam diſtributionem, poſſe quidem lædere. Sic enim calor natiuus & ſpirituum copia, quamuis creſcat ſi lentè fiat, vt hyeme & vere contingit, cordi non poſſe officere certum eſt, quia cauſa vegetior & efficacior ad eoſdem ſpiritus, & calorem generandos redditur: ſic enim inquit Hippocrat. per ea tempora copioſiora alimenta ſunt adhibenda. Verùm in ira, timore ac alijs pathematis, in quibus ſpiritus vel non diſtribuuntur, vel violenter retrocedunt, proculdubiò cor ex abundantia læditur, adeò vt ſuffocatione non rarò periclitari conſpiciamus. Sed cùm in oculis id contingere non poſsit, niſi ex diutino ſomno, aut ex diutina mora in opaco loco, fit profecto vt abundantia non lædat, aut id debiliter, & per breue admodum tempus.

Craſsities verò ſpirituum adeò viſionem obſcurat, vt niſi quis obiectum à longè intueatur, diſtinctè quicquam cernere minimè poſsit, tantoque longiùs quanto plures fuerint ſpiritus: nam ſi pauci ſint, procul aſpicere nequeunt: indigent enim craſsi ſpiritus, quos frequenter ſenes generant, attenuatione, quam proculdubiò obiecti diſtantia præſtat, qua & lucidiores & tenuiores afficiuntur. Nam cùm probabilioribus rationibus conſtet, viſionem fieri per extramiſsionem & intus ſuſceptionem ſimul, neceſſum profectò eſt, vt ſpecies & ſimulacra rerum ſenſorijs aliquo modo ſimiles fiant, & depuratiores ac aptiores, vt ſenſus iudicio diſcernantur, viſiuo ſpiritu prodeunte ab oculis, & ob id ante oculorum ſubingreſſum

greſſum diſponi prædictas ſpecies dilucidariqúe oportuit. Requirit ſanè ſpiritus exiens peragi ad certam diſtantiam, quod nequit fieri ſi craſsior ſit & terreſtrior, niſi per lucidius ſpatium (quo magis illuminetur) & diſtantius (quo tenuior fiat) moueatur & ſeſe extendat: diſtantia itaque opus eſt, vt tenuior factus lumine medij munus prædictum commodiùs perficere poſsit. Reducitur quidem hæc affectio ad morbum in vitio temperamenti, ortum à craſſo ſanguine, aut vapore craſsioris alimenti.

Tenuitas enim ſpirituum, quæ ad idem morbi genus plerumque attinet, natiua ſorte non rarò contracta, nequit niſi quæ propinqua ſunt percipere, idque meliùs ſemiclauſis & nictantibus oculis quam apertis, niſi copioſi exiſtant: tunc enim paulò diſtantiùs cernunt, vt ſi pauciores ſint longè minus: diſsipantur enim tenues ſpiritus naturali adhuc lumine, & ob id prope oculos ante diſsipationem acutiùs cernunt. Quo ſanè fit, vt in loco obſcuro ac forſan noctu meliùs ſe habeant, vt de veſpertina acie dictum eſt, quia ambiente aëre craſsiore & minus illuminato, animalis quoque ſpiritus cogitur: nam tenebris colligitur craſſeſcitque & frigidior redditur: quamobrem minima cernimus, ſed proximè poſita, vt aduertit Galen. lib. 1. de ſympthom. cauſ. cap. 1. Quippe qui noctu clariùs vident, id profectò vna è duabus cauſis efficiunt, vel quia igneos habent oculos, vt quibuſdam animalibus contingit, vel quia ſubtiliores ſpiritus tunc minus diſsipãtur lucis ſplendore fugato.

Admixtione etiam extraneæ ſubſtantiæ non rarò ſpiritus viſioni ineptiores reddũtur: ſic profectò, qui vinum copioſius ingeſſerunt, aut craſſa cibaria, vel qui vertigine corripiuntur, prædictam obtenebrationem ſæpiſsime pati aſſueſcunt, caliginoſis factis ſpiritibus ipſis. Contingit quidem has cauſas adeò variè complicari & in vnum viſionis vitium coire, vt vel affectio alterius ſortis videatur, vel altiorem prærequirant conſiderationem ob fucatam mutationem, quam præ ſe ferre videntur. Quapropter qui multos ſubtiles & lucidos habent ſpiritus, atque in vnum coactos, nullo aliunde impedimento accedente, ij omnium vident acutiſsimè: reliqui verò vtcunque diſponantur, ſunt præter naturam: quippe ſubtilis, paucus & lucidus, ſubtilitate facilè defluit, paucitate reſoluitur, & luce maiori offenditur, ita vt remota cernere nequeãt, propinqua exacte diſcernant, & obſcuriore paulò aëre oblectentur: quibus ſi amplior ſit pupilla, cæcitas proximè accedit: ſi verò pauci ſint ſpiritus & craſsi, paucitate hebetior viſus eſt, craſsitie obſcurior: quo fit vt lumine egeant externo, & ob id diu acutiùs cernant, obſcureſcẽte aëre parũ aut nihil: at in quibus multi ſunt ſpiritus & craſsi, longe poſita obiecta præſtantiùs cernunt, quia opus eſt copioſiori luce.

Sed tempus iam eſt ad oculorũ humores & tunicas peruenire. Hebetat quidẽ viſum humorum quibus oculi conſtant, inopia, & aliquando etiã copia maior, quã ſecundùm naturam opus erat, ob affluentẽ ſuccũ vberius alimentũ ſuppeditantẽ: ſed frequentiùs inopia malo cauſam præſtat, quòd ſplendorem & magnitudinem conueniẽtem adimat: affectio quidem ad imminutam quantitatem attinẽs, licet intemperamento etiam aliquid tribui poſsit, quod ſanè calidum & ſiccum potiùs, quàm alterius conditionis eſſe arbitrãmur, quale neceſſum eſt, vt natiuam humiditatem poſsit conterere. Sed non minus eandem læſionem humorũ tenuitas vel denſitas efficiunt, quinimo aliquando magis & frequentiùs, ſicut & copia, quæ vel oculos efficit prominẽtes, vel natiuo colore mutatos, & ſic etiã mutat obiecto-

rùm colorem iuxta naturam & conditionem peccantis, aut fluentis humoris. Nam ſi humor qui profluit & interiacet diſperſus fuerit ante pupillam, ciniphes, aut muſcas, aut alia figmenta repræſentat ſub varijs coloribus pro humoris conditione, vt in glaucomate conſpicimus. Ex ſtomachi ſæpe vaporibus eadem mentiuntur figmenta, crocea, rufa, & viridia: eâdem ratione nonnunquam ſine colore apparent prædictæ imagũnculæ ex ventriculo etiam elatis vaporibus à crudo alimento: ſed hæc ad ſuffuſionem potiùs pertinent. Sic profectò tunicarum (præſertim corneæ & vueæ) oculi raritas, aut denſitas idem ſympthoma efficiunt: raritas quidem liberaliùs quàm par ſit ſpiritus abire permittit, ſicut denſitas parciùs: quo fit vt obſcurior fiat viſio, niſi contrario modo adiungatur ſpiritus. Quippe ſi tunicarum raritati ſpirituum craſsities aut copia accedat, commodior fiet videndi actio, ſicut dum denſioribus tunicis ſpirituum tenuitas ſuccreſcit. Quas ſanè affectiones ad morbum in via reducere non erit abre: cui malo vitium etiam temperamenti adiunges.

Supereſt tertia videndi iactura, quæ vitioſum efficit viſum, affectio quidem ad actionem oculorum corruptam attinens, prodienſque à multigenis cauſis. Quippe aliquando intra oculi ſtructuram aliquid præter naturam continetur, diſcindens, vel alio modo vitians pupillæ foramen, dum modo aliquid eius innocuum remaneat, ita vt res viſiles vel multiplices, vel alterius figuræ aut ſitus appareant. Pari quoque ratione ex muſculorum oculum mouentium vitio eadem & longè maiora ſympthomata prodire certum eſt, prout oculus hinc indeque præter naturam & conditionem ſe ſe contrahit. Quam quidem rem (quæ longiorem deſiderat tractationem) vt quiſque aliquo modo intelligere poſsit, expendat, ad rectam & naturalem viſionem efficiendam, neceſſariam eſſe pupillarum firmitatem & vniformitatem atque connexionem, vt altera quieſcente, reliqua non moueatur: quod proculdubiò efficit neruorum opticorum vnio & paritas, & in munere vniformitas: nam licet duo ſint, ſicut pupillæ duæ, cùm hoc tamen vna & ſimultanea motione ac firmitate operari tenentur: quippe cùm hi nerui ſuſtineant ſuis extremis oculorum pupillas in vna & æqua ſuperficie firmatas, diuaricationem opticorum ſequeretur pupillarum inæqualitas: quam ſanè inæqualitatem arbitramur eſſe cauſam erroris in viſu. Quapropter niſi naturaliter nerui coirent, ſæpe deluſio oculi vnam rem geminam iudicaret: cuius rei occaſio naſcitur ex duplici plano vnde radij viſorij ad oculum accedunt, vt cùm faciem in fracto ſpeculo intuemur, aut ſolem in mota aqua, aut eâdem planè duplicitate inſpectantibus pupillis, vt in euerſione pupillarum quoquomodo fiat, euidenter contingit. Quod qui intellexerit, ſciat quòd quæuis cauſa, quæ vel neruos opticos eo modo vitiet, quo prædicta pupillarum planities euertatur, vel quæ vtcunque oculum commouerit ad angulum, vel ſurſum aut deorſum, diſtorta propria pupillæ planitie (vt faciem muſculi oculum mouentis, vel opticus neruus aliquo modo euerſus altero ſano manente) proculdubiò viſionem efficiet, vel in numero, vel in ſitu, vel in motu, aut quiete obiectorum, eo modo quo dictum eſt vitiatam & corruptam. Locum affectum venaberis hac lege, cerebrum eſſe læſum & ab eo vitium prodire, ex alterius ſenſus læſione: neruos opticos, quòd ſubitò fiat affectio: oculum ipſum, quòd lentè & paulatim.

Signa. Cùm affectio hæc, & quæuis eius ſpecies adeò ſint conſpicuæ, vt nullus ignorare

rare earum naturam poſsit, ſolùm ſtudui cauſarum cuiuſque ſpeciei, conditionem & differentiam docere. Ea etenim viſus offenſio, quam guttam ſirenam appellari diximus, & omnimoda eſt viſus priuatio, nullis alijs ſignis certiùs cognoſcetur, quàm his quæ adducit Celſus dicens: Si quis apertis oculis non videat, maximè ſi accedat ipſorum oculorum innocua conſtitutio, item quòd ſubitò fiat, tanquam vitium cuius natura in obſtructione ſita eſt. At diminutæ viſionis cauſas venaberis, ſi eius ſpecies primò diſtinxeris: ſed ne longiùs abeam, expendendum eſt, omnibus ſpeciebus communem eſſe certam quandam cauſam, ſiue ſpiritus laborent, ſiue humores, ſiue tunicæ, nimirum cerebrum ipſum, à quo poſſunt ſpiritus ipſi proficiſci vel pauci, vel craſsiores aut tenuiores, vel quouis alio vitio conſpurcati: quod de humoribus quoque ſubaudiendum eſt æqua lance. Verùm cognoſces ex hac cauſa affectionem aliquam prodire, licet à toto corpore proficiſcatur aliquando, eo quòd cerebro affecto, impoſsibile eſt quin aliquod ex reliquis ſenſorijs damnũ aliquod ſuſceptet, cùm omnes communi quodam beneficio ab eo vim & efficaciam ſuſcipiant. Craſsitiem verò malo cauſam præſtare oſtendit ſympthomatis modus, vt ſuo loco dictum eſt: nam ſi à longè ſolùm laborans aſpicere poſsit, craſsitiem cauſam præſtare credendum eſt. Craſsitiem verò ex frigore condenſante monſtrabit præcedens cauſa, aut frigiditas temporis, vel alimentorum craſſorum intẽpeſtiuus & inconſuetus vſus: quibus cauſis deficientibus conijcies ætatis ratione fieri, aut vitio caloris conficientis ſpiritum qui terreſtrior factus eſt. Paucitatem & tenuitatem ſpirituum certo venaberis, ſi laborans, mox ab ſpergefactione diſtinctiùs videat, & clariùs quàm facto aliquali diſpendio: item ſi non poſsit obiecta niſi prope oculos ſita percipere: verùm adhuc paucitatem à tenuitate in eodem modo viſionis diſtingues, quia quantò tenuis ſpiritus perſpicuitate reliquos qui pauci ſunt, ſuperat, tantò minutioribus rebus percipiendis eſt idoneus, quod paucis non accidit. Paucitatem ſpirituum proficiſci vel à vitalium ſpirituum defectu, vel ab alimenti penuria monſtrabit ipſa cauſa prægreſsa, ſicut eorum continua & diutina reſolutio labore præcedente oſtenditur, vel diſtractione ſpirituum ad diuerſa munia. Quòd ſi ea ratione non fuerit, coniectabile eſt coctricis defectu fieri, aut tunicarum ſoliditate vel denſitate, quominus exit ſpiritus ad aëris illuſtrationem efficiendam: quod vitium etiam fit tunicarum raritate, quò facile plus ſpiritus diſsipatur, & ſic minor eius portio remanet ad aëris illuſtrationem. Modo enim & tenore exire ſpiritus tenentur ad aëris illuſtrationem, quem ſi ob tunicarum raritatem non ſeruauerint, tantò minus aërem illuſtrabunt, quantò inordinatiùs & copioſiùs diſsipentur. Cognoſces hanc cauſam quòd luce præſente oculi protinus lacrymantur, & ſic nictando ſicut in tenuitate ſpirituum oculi ſenſationem efficiunt: denſitatem verò noſces, quòd ſplendidior & ſolidior viſu appareat cornea aut alia quæuis, quemadmodum in morientibus cernitur, quibus vitro pellucido cornea perſimilis apparet inſtar ſpeculi. At extráneæ ſubſtantiæ admixtionem diſtingues, quia pari efficacia diſcernit laborans quæ proxima ſunt & modicè diſtãtia, vt in ebrijs & in his qui perpeſſuri ſunt ſuffuſionẽ, apertè conſpicimus. Sed humorum monſtrabit tabem oculi imminutio, ſicut prominentia abundantiam. Tunicarum corrugationem oſtendit oculi habitus & diſpoſitio, ſicut raritatem quòd facile lucè offendantur ſolita, & ſplendorem perferre nequeant citra maximum laborem. Si autem vitio muſculorum ocu-

lum mouentium malum oriatur,apertè id monſtrabit oculorum immobilitas aut deprauatus motus.

Curandi ratio. Curationem harum affectionum diligenter inſtitues, ni velis ob negligentiam aut ignorantiam,ex leui malo laborantem in cæcitatem ducere:& ob id quicquid feceris cautè facito,ne quod forſan ex cauſæ vehementia ſubſequuturum eſt,tuo errori adſcribatur:quippe ſolent nõ rarò in hac affectione,accuratiſsimis adhuc auxilijs deteriùs ſe habere laborãtes.Quamobrem ſatius eſt optima vitæ ratione malum moderari,quàm auxilijs morbum incurabiliorem reddere.Verùm cùm rẽ aggredi ſtudueris,hoc modo facito.Cõſidera priùs,ſit ne viſus imminutio ab ſpirituũ tenuitate vel paucitate orta,vel ab oculi ariditate vel atrophia: quòd ſi ſignis iam hoc eſſe compereris,omnino ab omni vacuatorio auxilio deſiſtes,ſtudens tantũ alimentis & potibus vel ſpiritus craſsiores vel copioſiores efficere, aut copioſiùs oculi humores renutrire. Quod ſanè faciunt bonæ ſubſtantiæ cibaria,& nigri ac vetuſtioris vini potio,capitis & faciei frequens ablutio ex tepida, maximè ſex horis à cibo.Proſunt etiam omnia quæ vel caput tentãt,vt lac ouillum aut caprillum, vel amygdalarum dulcium aut pineorum: oua ſorbilia cum puluere coriandri præparati,& huius cenſus reliqua.Somnum præterea inſtitues mox à cibo,& ſolito lõgiorem.

Verùm ſi ſpiritus facti ſint craſsiores,non protinus credendum eſt humorũ crudorum aut craſſorum copiam cauſam huic malo præſtare,ſed conijcere priùs oportet,ſit ne caloris natiui in cerebro impuritas aut imminutio,quæ nequit quantum par eſt ſpiritum à recrementis purgare & perficere: quod ſane monſtrabit capitis frigidum intemperamentum citra grauitatem aut excrementorum vbertatem. Quo tempore,caput ad antiquum aut meliorem ſtatum reduces,(niſi ex vetuſta ætate prodierit affectio) his quæ calida ſint & tenuium partium,qualia paulò inferiùs leges:quibus & noctu dum laborans it dormitum,& per externam capitis partem veteris.

At ſi vel craſsities ſpirituum, vel humorum aut vaporum copia prædictis viſus offenſionibus cauſam præſtiterint,ſcito, primò ſpiritus poſſe craſſeſcere vno è tribus modis(præter eum quem mox memorauimus)primo quidem ex ſiccitate eos obumbrante,ſecundo ex condenſante frigore,ac tertio ex natura alimenti à quo gignũtur: obidque id antea diſtingues ex prægreſsis cauſis,& quia obiecta pallore inficiuntur opaco, ſi ex ſiccitate fiat craſsities, ſicut ſi ex frigore, opacitate citra ſplẽdorem: at ex natura alimenti fieri noſces ex colore atro,pallido,albo aut rubro. Verùm ſi ex permixtione rei extraneæ craſſeſcat ſpiritus,conijcito vlteriùs,à cuius naturæ & conditionis humore, vel malum oriatur, vel vapor oculos obtenebret, nam iuxta cuiuſque naturam curatio inſtituenda erit. Noſces id profectò ex colore in obiecto falſo apparente:quippe ſi ſanguis abundet vel in toto vel in capite,rubra plerumque apparere quæ conſpicimus mirum non eſt,ſicut dum flaua viſuntur,bilem redundare,aut ſi nigra,melancholiam,vel ſubalbida, pituitam.Quibus cognitis eandẽ eſſe curationis viam,ſiue cerebrum,ſiue opticos neruos,ſiue oculos affici conſpiciamus : nam primò totius corporis præuidentia habenda eſt, mox verò capiti & oculis prouidebis. Quibus ſic conſideratis curationem aggredieris ſanguine redundante priùs euacuato, modeſtiùs tamen quàm in quouis alio affectu (diſsipantur enim ſanguine detracto plurimi ſpiritus) quod facies priùs inſpecta cauſa redundantiæ ipſius ſanguinis : nam ſiue menſes ſupprimantur,ſiue hæ-

hæmorrhoides,ſiue varices,protinus vel reuocabis,vel per partem vtero hæmorrhoidibus aut varicibus proximam, ipſum fundes: ſi verò iecur copioſiùs quàm par ſit,ſanguinem generet,corpus verò minus conterat, ocioſuſq; viuat laborans, ex brachij vena interna aut communi ſanguinem detrahes: ex interna quidem, dum vel iecur vel vniuerſum corpus ſanguine ſcatet: ex communi verò vel cephalica,dum caput ſolùm ipſo abundat. Quod ſanè præceptum ocyùs obſeruabis & exequeris,ſi ſubitò vel viſu laborans priuetur, vel ipſi quodammodo imminuatur: idq; liberaliùs, quo certior fueris ſanguinem aliquo modo abundare. Verùm ſi ex crudis humoribus fiat, idque vt dictum eſt ſubitò, ſanguinem quoq; detrahes, ſi corpus robuſtum fuerit, ſed parciùs & tardiùs: curabis enim ſpiritus adaugere ligato collo:nam eo tempore conſpicimus in oculos maximam ſpirituũ copiã irruere,& obſtructas vias aut corrugatas tunicas dilatare. Sed cautiùs profecto vteris peculiaris alicuius venæ inſciſsione: conſulunt enim Ætius,Paulus & Raſsius frontis venas tundere,& Meſues ex naribus etiam & eas quæ ſunt iuxta vtramque naſi partem prope internos oculorum angulos: has ego non auderem ſcindere,niſi venis naſi,frontis aut capitis ipſius atque oculorum eminentioribus factis,& capite ipſo nimis ſanguine grauato:aliter enim ſola viſus debilis occaſione non caret ſuſpicione has ſcindere,aut quasuis alias,niſi cauſa cum copioſo ſanguine cohæreat:nam in quauis viſus imminutione ſanguinem fundere tutum non eſt,nec ſine damno fieri poteſt. Verùm ſi aliquo modo aut tempore his auxilijs opus eſt, id quidem erit,hoc malo ſubitò & affatim ingruente:tentabis tamen priùs crura abluere,fricare,ligare,vel cucurbitis tumefacere,vt quantum par ſit,humores citra ſpirituum diſpendium infra reuoces. Sæpe enim in his affectionibus capitis & alijs quæ aut ſomnolentæ ſunt,aut grauiores, dum malum firmatũ non eſt,ſed aliquid fluxit,& longè plus fluxurum ſperatur,ex vſu comperimus pedũ plantas aceto,ſale,& ſinapi feruefactis perfricare quo longiùs diuertatur fluxurus humor,ſicut in lethargicis,potiùs expergefaciendi & excitãdi gratia vel vtroque vſu.Quo facto,ſi quid conieceris in capite adhuc morari,vteris conſilio Ætij, qui cucurbitam magnam occipitio affigere iubet:ac ſi opus fuerit locũ antè ſcarificabis,aut poſt modum:idem valent hirudines iuxta frontem affixæ. Quòd ſi vel hæc prodeſſe non videantur,vel affectio ſenſim & paulatim fiat,protinus ad purgandos & præparandos humores te conferes,inſtituta ea victus ratione, quæ vel craſſos ſuccos non gignat,vel genitos conterat & extenuet adhibitis cibarijs quæ optimi ſint & tenuis nutrimenti,quorum ſæpe meminimus:hoc vno animaduerſo,quod vino nulla ratione vtatur laborans,niſi ventriculi cruditas id popoſcerit. Quamobrem ſic affectis longiorem ſomnum inſtituere non licet,neque meridianum,ſed moderatum & pluſculum exercitium,maximè inferiorum partium.Fugiant inſuper ſic affecti diutinam lectionem,vel in ſcribendo laborem, maximè à cibo,& quoduis aliud capitis exercitium,iram & reliquas animi paſsiones:ventrẽ curẽt lubricum cibis & potibus obtinere, quo nihil crudum aut excrementitium in corpore ſubſit,à quo vel aliquid in caput irruat,vel flatus eleuentur:quod facies clyſteribus aut iure ex mercuriali & borragine confecto. Item ventriculo prouidendum eſt vnctionibus aut emplaſtris quæ roborent & calorem augeant,quo facilius conficiat alimenta, ac minus excrementa cruda ſuperſint. Interim tamen melle roſaceo cum oxymellite aut ſyrupo acetoſo admixto,aut ſyrupo ſthœcados humorem præparabis,purgabisq; primò vniuerſum corpus,ſi ex redundantia cru-

dorum ſuccorum aliquid capiti cõmunicari comperias, idq; facies agarico infuſo in liquore nouem infuſionum roſarum, vel infuſo. ʒ. iiij. foliorum ſenæ cũ manna, vel confectione Hamech ſimplici, vel. ʒ. vj. ipſius cõfectionis ſimplicis, cum. ℈. iiij. hieræ ſimplicis Galeni. Quòd ſi caput prædictis ſuccis abundare comperias, pilulis veteris cochijs, Arabicis, alephanginis, lucis, quibus agarici modicum admiſcebis. Facta aliqua copioſa vacuatione à corpore & à capite, vtendum eſt frequẽtioribus & minoribus purgationibus: verùm in his qui oculos habent glaucos & plenas eorum venas, mitioribus. Quo facto, curabis quod reliquum eſt in capite diſcutere, potu aquæ ſpartæ parellæ, radicis chinæ, vel Indicæ ſaxifraſiæ: ſacculis etiam exteriùs appoſitis ex ſthœcade, camemalo, ligno aloës, aniſo, dauco, maiorana, thymo, roſis & alijs huius naturæ in puluerem redactis. Proſunt & furfures depurati & iterum triti, ac ſupra caput ſparſi. Item lauabis ex decocto prædictarum herbarũ, vel ex lixiuio excinere ſarmentorum, aut decocto guayaci cum vino vel aqua & guttulis aquæ vitæ. Mirum in modum prodeſt poſt cœnam cocleare vnum huius puluis aquæ vitæ. Mirum in modum prodeſt poſt cœnam cocleare vnum huius pulueris ſumere, vel tabellas ex eo & ſaccharo confectas. Recipit pulueris aniſi, fœniculi, coriandri præparati, dictamni, liquiritiæ, diarrhodonis & pulueris aromatici roſati ana. ʒ. ſ. ſacchari. ʒ. j. miſce. Confert etiam dum laborans it dormitum, ſumere modicum ſacchari roſacei cum puluere corticis thuris vel peoniæ: alijs etiam antidotis vti poteris quæ capit. præcedenti eandem efficaciam habere diximus.

Factis his omnibus, credendum eſt malum iam inueteratum eſſe in oculis, ibidemque præſidia eſſe adhibenda, quæ viſum acuere & clariorem reddere vim habeãt. In quo ſanè opere cõſiderabis priùs, prodeat ne affectio ab ſpirituũ tenuitate, vel tunicarũ oculi raritate, eo enim tempore, ſi natiua ſorte id accidat, fruſtra cẽſeo eſſe externa auxilia adhibere, ni velis collyrijs vti, quæ fiunt ex malo granato acido contuſo, depoſita duriori teſta, melle admixto & concocto: item vtendũ eſt craſſioribus alimentis & vberiori potu, maximè ex vino nigro & aqua chalybeata: verùm ſi ab ſpirituum craſsitie, vaporũ admixtione, vel alicuius humoris fluxu, affectio prodeat, tunc profectò quæ ſpiritus attenuent, vel ab expurcitia vaporum aut humorum liberent, adhibenda ſunt. Cuius quidem naturæ eſt quod recipit vini albi. ʒ. ij. ſucci fœniculi clarificati. ʒ. iij. myrrhæ. ʒ. j. ſtilatitij liquoris ex melle crudo ʒ. ij. miſce & oculũ illini. Præſtat ſtillotica aqua, quæ recipit panis ex hordacea, & triticia farina ſine cribratione recenter cocti lib. ij. ſucci fœniculi, euphraſiæ, & chelidoniæ. ana. ʒ. x. mellis crudi ſine cera lib. j. miſce & in alembico æneo ſtilla lento igne, & eodem modo ſtillatione hac vtere. Nec minoris eſt momenti ſummo mane oculos abluere, aqua euphraſiæ, chelidoniæ & vino. Probatur apud pleroſque alia quæ recipit ſucci apij, fœniculi, verbenæ, chamedreos, pimpinellæ, caryophyllatæ, ſaluiæ, chelidoniæ, rutæ, centinodiæ, morſus gallinæ, caryophyllorum, farinæ volatilis. ana. ʒ. j. piperis craſsiuſculè triti, nucis muſcatæ, ligni aloës. ana. ʒ. iij. omnia immergantur in vrina pueri, & ſexta parte vini, bulliant breui tempore, & facta expreſsione & colatura, adſerua in vaſe vitreo bene obturato, & hora ſomni ſingulas guttas ſingulis oculis injcito. Valet non minus vinum vbi euphraſia dum feruet injcitur. Præſtat & ſuccus qui exprimitur ex oto ſorbili, vbi ſpargitur puluis prædictæ herbæ, maximè ſi pultis hoc modo cõficiatur: excipe ſalis Indi. ʒ. j. euphraſiæ ſiccæ. ʒ. ij. macis, cinnamomi ana. ℈. j. Prodeſt & liquor qui inſtillat ex floribus roris marini, vbi flores includantur

tur in amphora vitrea & duplici linteo cerato cooperta, ſub arena, æſtiuo ſole, recõ datur. Item pica auis in teſtaceo vaſe cremata & in puluerem redacta vehementer oculos abſtergit, ſicut tutia extincta in aqua fœniculi, & ſtybium etiam ibidem extinctum, maximè ſi huic aquæ addideris guttulas vini abſynthij, aut vini chelidoniæ. Præſtat mirabiliter, maximè humore pituitoſo ad oculos fluẽte, aqua quæ hoc modo cõficitur. Recipe ſileris mõtani, maioranæ, euphraſiæ, rutæ, chelidoniæ, ſummitatum fœniculi. ana. ʒ. iij. zingiberis, ſpicæ nardi, piperis longi, caryophyllorum, tutiæ extinctæ & nutritæ, ſarcocollæ nutritæ in lacte aſinæ, ligni aloës. ana. ʒ. j. & ſ. fellis aquilæ aut accipitris, balſami. ana. ʒ. iij. mellis roſati. ʒ. j. conquaſſentur & liquefiant atque admiſceantur, & æſtate 40. diebus inſolentur, facta ſæpius agitatione, aut hyeme immergãtur cineribus moderatè calidis, poſteà adſerua & goſypio oculos illini: quod ſanè auxilium ſenibus magni ſolet eſſe momenti. Idem beneficiũ præſtat quod recipit ſucci fœniculi depurati. ʒ. vj. ſucci rutæ depurati. ʒ. iij. mellis ʒ. j. ſacchari. ʒ. ſ. foliorum auri nu. iij. miſce & per duos aut tres dies inſolentur, facta frequenti agitatione & mutatione ab vno vaſe in aliud, donec omnis reſidentia abijciatur, poſteà verò eodẽ modo vtere. Præſtat & aqua quæ recipit ſucci fœniculi & betonicæ depurati ana. ʒ. j. mellis. ʒ. ſ. aquarum verbenæ, roſarum, maioranæ, rutæ, ana quòd ſufficiat, caryophyllorum, zingiberis. ana. ℈. j. tutiæ præparatæ ʒ. j. aloës. ʒ. j. & ſ. licij. ℈. ij. puluerizentur & miſceantur omnia in vaſe vitreo, ſpatio viginti dierum ſub ſole ſæpius agitando, & facta colatura eodem modo vtere. Præſtat & inunctio quæ recipit fellis perdicis, oleï balſami. ana. ʒ. ij. ſucci chelidoniæ. ʒ. j. miſce & cum aqua fœniculi vtere. Item confert aqua ſtillatitia ex raphanis & eorum ſolijs, ſicut & ipſe raphanus comeſtus: confert & vinum quod inſtillat ex fruſtis carnis porcinæ cum ſale ſparſis per vas æneum, illud quidem quod ſtillat in vas miræ eſt efficaciæ.

Proſunt etiam & pulueres & inunctiones, quæ variæ ſunt & magni momenti. Securioris efficaciæ eſt. q. r. ſacchari cõditi reſidui ex ſyrupo roſacco. ʒ. j. ſ. albumẽ oui, miſceantur & illiniatur hoc linimento vas aliquod æneum aut aureum, ibidẽque maneant donec exiccentur & poſsint in puluerem redigi, & poſtea in oculũ inſperge, vel liquefactum decocto fœnugræci collyrium confice. Præterea valet id quod recipit croci. ʒ. j. myrrhæ tantundem, piperis grana. xv. ſpicæ nardi. ʒ. j. ſucci fœniculi. ʒ. ij. amoniaci, timiamatis. ʒ. j. mellis. ʒ. v. omnia leuiſsimè trita infunde in ſucco fœniculi, deinde reſicca, & admixto melle adſerua in vaſe æneo, & vtere. Valet & mel cum marrubij ſucco & modico fellis hirci, aut accipitris. Præſtat mirũ in modum puluis qui recipit fellis milui & anguillæ. ana. ʒ. j. ſtercoris lacerti, nitri ſpumæ. ana. ʒ. j. ſacchari cãdi. ʒ. ij. aloës, cadmiæ. ana. ʒ. ſ. ſucci chelidoniæ cum vino albo extracti. ʒ. iij. puluerizatis puluerizãdis miſce, & lento igne coquantur ad conſumptionẽ ſucci, & iterũ leuiſsimè puluerizẽtur & vſui ſeruẽtur. Prodeſt & exuuiũ ſerpentis tritũ & cum melle admixtum atque illitum: item puluis hirudinum, aut cinis & cremor lupinorum: præterea hirudinum cerebrum cum melle: ſuffumigiũ ex hepate hircino aſſatum cũ piperibus & ſummitatibus fœniculi, aut ſuccus eius per aſſationem inſtillatus & illitus: vel ipſum iecur comeſtum: anagallidis ſuccus tertio quoq; die illitus, vapor ex decoctione rutæ, marrubij, fœniculi, euphraſiæ, chelidoniæ, ligni aloës in aqua aut vino: prodeſt & aqua ſtillatitia ex prædicto decocto cum melle: item & corrallus præparatus, aut aloës cum ſucco fœniculi, felle perdicis & ſaccharo cando, facto linimento. Ex quibus facile erit cuiuis vel

medio-

mediocriter docto alia effingere vsui maximè proficua.

Sed conferunt omnibus imbecillum aſpectum habentibus mirabolani chebuli ſaccharo confecti bis in hebdomada ſumpti: acorus itẽ conditus, theriaca magna mythridatum, caro etiam ſerpentis præparata, diamuſcus & pliriſarcoticon, caprinum iecur, maximè caryophyllis & ſucco fœniculi irroratũ, cuius naturæ alia breuitatis ſtudio prætermitto.

Quòd ſi hæc prodeſſe non videantur, ad ſudationem ex ligno guayaco aut radice chinæ confugiendum erit, ac ſi id non ſuffecerit ad ſetonem vel fontanellam brachijs apertam, deueniendum eſt, per quæ ſpiret quotidie quod indies crudum ſuccreſcit in capite, in oculos delapſurum. In quo opere ſatius eſt, tentatis & nihil iuuãtibus alijs præſidijs, protinus inſiſtere, quàm capite iam imbecillo: quippe tũc imbecillius longe redditur fontanella aut ſetone. Quamobrem cauendum eſt ab hoc præſidij genere vbi ex ſpirituum tenuitate, paucitate aut capitis imminuto calore & humido, à morbo aliquo magno prægreſſo affectio prodit: cuius rei ignoratione non paucos vidi in integrã cæcitaté delapſos eis præſidijs quæ multis fuere vtilia. In cuius etiam mali curatione (quantumuis, plura ſcripſerim præſidia oculis admouenda) monendus mihi lector eſt, ne omnibus aut plurimis, & ſemper vtatur: plus enim boni promittunt quàm præſtant, vt Gal. aduertit. Scio profectò plures in omnimodam cæcitatem deductos eſſe copia auxiliorum potiùs, quàm defectu: nequeunt enim oculi quæ proficua ſunt citra damnum perferre, nedum quæ inordinatè & citra rationem adhibentur.

Quòd ſi defectu & (vt aiunt) atrophia, vel ſpirituum, vel alicuius humorum, vel tunicarum viſus imminuatur, longe aliter rẽ agere oportet: nimirum per ea quæ intrinſecus ſubſtantiam nutrituram augeant, & extrinſecus per ea quæ oculum humectando dilatent.

De ſuffuſione. Cap. XXI.

EFFICIT non minus viſui affectus alter, quem Hipochima Græci appellant, Latini ſuffuſionem vel aquam, vulgus verò cataractam. Quorum nomi num rationem ſi quis diligenter penſitet, reperiet variam fuiſſe, ſicut varia quoque exiſtunt ipſa nomina: quippe eam viſus diminutionem Medici ſuffuſionem appellant, in qua aliquid eſt affuſum, ſeu præterfuſum inter humorem cryſtallinum & corneam, ſiue vapor ſit, ſiue tenuis alius liquor, dummodo difficulter id poſsimus diſcernere in oculis laborantium, etiam ſi ipſi referant accidentia, quæ patiuntur, qualia Galen. 4. de locis affect. ſuffuſis accidere ſcribit. Cæterùm cùm id quod iam in prædictum oculi locum influxit, conſpicuè videri incipit, & aquæ ibidem affuſæ ſpecimen refert (præterquàm quòd viſioni ampliùs officit, neque iam viſa quædam fictitia extrinſecus falſo apparent, vt in ſuffuſione contingere diximus) nomen aquæ affuſæ, vt Barbari referunt, proculdubiò merentur. At cùm aquoſus ille humor ſeu craſſus vapor adeò concreuit, vt iam non ampliùs excrementum, ſed partem oculo præter naturam additam, eſſe comperiamus, certum pro-

profectò mihi eſt, cataractam debere nuncupari. Erit itaque is morbus inter cryſtalloidem & corneam circa pupillam humoris aquei concretio, vt Paulo placuit libr. 6. licet lib. 3. ſolùm dixerit cataractam affuſionem eſſe, non conſiſtentiam & cõcretionem: ſed primo loco de vera eius ſpecie, quam vulgus appellat confirmatam, loquebatur: ſecundo verò de prima ſpecie ſeu de incipiente, vt anteà expoſuimus. Verùm quia oculis etiam quædam aliæ affectiones ſuccreſcere aſſolent, quæ prædictis ſimillimæ exiſtunt, ob id primitus & ante huius doctrinæ maiorem explicationem, eas diſtinguere oportebit. Diſsidet itaque ſuffuſio à viſus debilitate ſeu offuſcatione, quòd in hac ſolùm partes, humores, ſeu ſpiritus oculi læduntur & morbũ conſtituunt: at in ſuffuſione neceſſum eſt aliquid extrinſecus accedere, quod oculi ſtructuram vitiet, partibus aut ſpiritibus vel humoribus nequaquam læſis, cùm ſolùm ſit pars addita ex ſubſtantia ibidem affuſa. Eſt præterea inter oculi affectus quidã Hypoſphagma appellatus, & à Latinis ſuggillatio, quæ nihil aliud eſt, quàm effuſio ſanguinis per tunicas in ſpatia quæ venis circumiacent: quo fit vt non ſemper viſa appareant rubra, vt arbitratur Galen. lib. 1. de ſympto. cauſis, ſed ſolùm in principio: nam poſtea vel liuida vel nigra apparet tunica, & aliquando in pus vertitur, aliquando grumeſcens ſanguis diu ibidem durat. Ex quo ſanè affectu fit alter cataractæ perſimilis, qui Hypopion appellatur, dum pus nimirum ſub cornea colligitur, ad dimidium nigri in parte infima oculi accedens, aut totam corneam replens, & ſimul pellucens: cui accedit (vt conſtet diſsidere à vera ſuffuſione) dolor pulſatorius, rubor totius oculi, & temporum dolor: præterquam quod à vera ſuffuſione loco diſsidet. Cui etiam ſimilis eſt alter affectus, Onix dictus, cùm videlicet idem pus in eandem prolabitur partem, ſed ex vlcere corneæ: differt tamen quòd vnguis modo mediam ſolùm corneæ partem circuli inſtar occupet. Accidit oculis etiam glaucoma, in quo affectu cryſtallinus humor tantùm denſatur & reſiccatur, quòd natiuum colorem mutet in glaucum, licet alij viridem quendam humorem cryſtallino miſceri referãt. Sic Paroraſis ſeu hallucinatio à ratione ſuffuſionis ſecluditur, quoniam ſolùm color obiecti mutatur, vt in ictericis cõtingit, in quibus ſuffuſionem eſſe non eſt coniectandum; quia humor non eſt in ſpatio inter cryſtallinum & corneam, ſed ſola tunica eſt prædicto humore ſuffuſa. Quæ ſanè omnia euidentiſsimis ſignis à ſuffuſionis ſpeciebus differre cognoſcimus cauſa, loco, & affectu: nam glaucoma eſt humoris cryſtallini paſsio, ſuggillatio tunicarũ à ſanguine, ſuffuſio verò inter rhagoidem & cryſtallinum humorem aqueæ ſubſtantiæ affuſio & concretio, vel eiuſdem aquei humoris, qui naturalis eſt, præter naturam denſatio, vt mox docebo.

Sed de loco affecto (ac de differentijs huius affectus) non ſatis conſtat, vnus ne ſit ſemper, an poſsit aliquo modo variari. Certum enim eſt, & apud omnes in confeſſo, hunc affectum fieri in oculo ipſo, & aliquando in humore eius aqueo, in eo ſpatio quod eſt inter rhagoidem & humorẽ cryſtallinum: ſed cùm id ſpatium bipartitum ſit in locum proximum cryſtallino & proximum rhagoidi ſeu pupillæ, & in ſpatium medium inter vtraſque partes, differendum nunc eſt, quo in loco ex memoratis, frequentiùs & propriùs fiat vera ſuffuſio. Galen. enim cauſam ſuffuſionis aſsignat lib. 2. de ſympto. cauſ. & 7. de placitis, craſsitudinem tenuis humoris, qui pupillæ meatum intercipit, ne poſsit communicari radius externus cũ cryſtallino humore: qui tenuis humor ea parte locatur (quo cryſtallinus humor partim fouetur, partim munitur, vt lux refrangatur ne ipſum lædat.) Cæterum ſi quis rem diligentiùs examinet, reperiet poſſe fieri iuxta tres prædictas intra rhagoidem partes

Quod

Quòd sanè discessus ex huius affectus partib⁹ ac nominibus: quippe prima eius pars, suffusio maximè appellata, iuxta crystallinum proculdubio fit, tum quòd inconspicua sit: tum verò, quia ibidem affunditur primò vapor, aut ea parte crassescit in sensibiliter aqueus humor: secunda verò, aqua nũcupata, licet intra pupillã, distans tàmen ab ea cõcrescit, & vi spiritus à crystallino propellitur vltra, ac ibidem clarius condensatur in aquæ naturam versa. Verùm vltima, quæ iam cataractæ nomen iure optimo meretur, dubium non est quin aliquando ipsi adhæreat pupillæ, continens intra se omnem humorem aqueum, quo tempore aquea illa substantia, quæ defluxit in oculum, vel ibidem præerat versa in tunicã, efficitur cataracta. Sed de materia suffusionis statuendum est, non satis inter authores esse conuentum, cùm multi ex crasso vapore, vel tenui aliquo humore, ibidem fluente fieri statuant: Galenus verò ex ipso humore albugineo in tunicam verso, quod non semper probat euentus, cùm aliter fieri cataractam non tàrò conficiamus: si quidem depressa, videt homo, quod nõ fieret si ex humore naturali, & necessario fieret. Cuius doctrinæ gratia, & ne videar à tanto huthore discedere, statuendum est suffusionem esse duplicis naturæ: alteram quidem spuriam seu illegitimam: alteram verò legitimam & propriè catharactam dictam. Quæ verò illegitima est & spuria, haberi debet ea, quæ fit ex humore albugineo condensato & verso in tunicam: quam consemus nullo modo esse curabilem, quinimò etiam si acu deprimatur cæcũ adhuc superesse laborantem. Ratio huius est, quia cùm humor ille albugineus modò pars viuens sit, vt Lusitanus Veiga & alij censuerunt, qui nutritione reficiatur: modò sit humor, qui more reliquorum humorum indies generetur, postquam semel in tunicam concreuit, neque regenerari, neque reficiam plius poterit ea sorte donatus, quæ visioni proficere possit: quippe is qui reficitur, recipit à præexistenti certam quandam vim & efficaciam visioni iuuandæ aptam: quod si deficiat per conuersionem in cataractam, licet aliquid humoris reficiatur aut generetur, cũ non sit qui hoc beneficium præstet, demissa cataracta, caret oculus commoda tutela & instrumento ad videndum. Quam sanè doctrinam confirmauit frequens experimentum; siquidem contingit non rarò, laborantes demissa suffusione & separata à pupilla, non magis videre quàm antea, aut quàm pauciss imũ, quòd oculo deficiat naturalis ille humor in suffusionẽ versus, summopere visioni proficuus. Sic profectò suffusio quæ legitima est & propriè talis, ex humore aut vapore fit, aliunde in oculum confluente, concrescente q; in aliquo extribus nuper memoratis locis: quæ sanè curari quidem potest, & postquam semel lacu demissa est & prolapsa, protinus laborans antiquum visum recuperat, semota causa præter naturam quæ id interdicebat.

Affectus natura.

Ex his dictis proculdubiò constat, quis nam præter naturam affectus sit suffusio: & cùm constet in genere & in communi nihil aliud esse, quam humiditatem extraneam in principio fluidam & in processu crassam, inter crystalloidem, & pupillam præter naturam extensam & visum impedientem, proculdubiò affectum constituet triplicem in specie, licet sympthoma vnum sit vtrique commune, maiori tamen aut minori læsione dissidens. Nam qua ratione eum insigniri triplici nomine dictum est, ac tribus etiam locis signi & distingui, sic profectò tria sortitur morborũ genera: quippe quæ vera affusio seu suffusio est, & in imo oculi viget fere inconspicua, leuiter adhuc visioni officiens, ob tenuem humorem vel crassiusculum vaporem, propriùs ad intemperiẽ cum affluxu materiæ reduces, quia vitiũ visoriæ actionis leuissimum tunc est. Verùm dum iam conspicuus efficitur ille humor,

humor, aquæ naturam repræsentans, visionemque sensibiliter lædens, proculdubiò ad morbum in via reduci debet: sicut dum iam extrinsecus cõcreta tunica elucet, ad morbum in numero adaucto pertinere erit arbitrandum. Quo fit, vt hæ tres partes non solùm dissideant causæ dispositione, seu differentia ob diuersam cuiusque formam (quippe in principio tenuissima admodum influit substantia vaporis naturam adepta, posteà in aquam vertitur, tandem degenerat in tunicam) loci diuersitate (iuxta crystallinum, videlicet in medio aquei humoris & iuxta pupillam vltimo) sed & morbi natura eo modo quo dictum est, præterquam quòd in sympthomate etiam maioris, aut minoris non nihil differentiæ adest, licet sympthoma sit vnum, ad diminutam videndi actionem pertinens.

Suffusionis differentiæ

Varias habet hæc affectio differentias: nam quædam per consensum fit, quædã verò essentialem habet permanentiam in oculo. Prima quidem fit cùm per interualla visa quædam versantur circa oculos fictitia, & erratica: quam etenim duobus modis fieri arbitramur, vel vaporibus elatis à ventriculo, aut à pulmone (vt ex Hipp. constat. 3. prognost.) spiritus oculorum disgregantes & obtenebrantes, disturbantesque adeò, vt muscas, & lucentia quædam corpora, & alia fictitia falsò apparere videantur. Hanc etiam per interualla fieri, vt in his qui vomere nituntur, aut cardiacis affectionibus premuntur, certum est: nec non & in his, qui paraphrenitide laborant, in quibus dictum est à Galeno, quædam ob oculos apparere similia his, quæ in suffusione visuntur. Accidit insuper his qui frequentiùs absque causa manifesta hoc sympthoma patiuntur, velut præludium futuri defluxus ad oculum. Fit insuper hæc species suffusionis secundo modo, patiente cerebro, & per consensum ab ipso fumis ab vsto humore, vbicunque sit, delatis per venas & arterias (non quidem vt in prima specie per communes vias) cum spiritu, quod in phrenitide & febrium ardentium vigore, vel instante crisi fieri plerumq; contingit. Quòd si ab his non prodeat, sed malè affectum corpus per venas capiti malum communicet, tunc quidem propriùs esse suffusionem per cõsensum conijcito: quæ verò essentialem habet in oculo permanentiam, triplici constat fieri differentia, vt in principio huius capitis dictum est, prodiens nimirum ex diuersa dispositione eius quod iam in oculos confluxit, ibidemq; permansit, ad differentiam alterius, quæ consensu fiebat, cui delitescere & per interualla repetere contingit. Sed hæc quæ permanens est, habet in substantia & compage varias differentias, omnino scitu ad curationem necessarias: quippe vna est quæ incipit, alia quæ ad statum progreditur, vt more vulgi loquar, qui morbi vnius tempora seu partes arbitratur, vltima verò, quæ omnino est confirmata. Cæterùm cum hoc vt statuimus triplex est morbus non vnus, nisi aggregatione multorum: quo fit, vt hæ partes non possint dici vnius morbi tempora, quia hæ vnum & vnius naturæ morbum constituunt, sed morbi plures dicendi sunt per aggregationem constituentes vnum. Prima verò similis est vapori crasso, vel aquæ perspicuæ & tenuissimæ, quæ hinc inde mobilis existit citra compagẽ: secũda crassior aqua est, adepta firmitudinẽ, nõ tamẽ adeò fixã, quòd compressioni non cedat moueaturq;: tertia quidem durior iam facta, dilatatur vt secunda, sed non mutat locum, neq; hâc aut illac conuertitur, sed immobilis, fixa & vniformis manet, licèt dilatari vt dictum est videatur. Quas sanè differentias diligenter considerare oportebit, nam pendet ex earum cognitione, notitia eius quæ maturitatem adepta, manu curari potest, aut secus. Considerabis etiam toto animo cuiusque colores:

nam id quoque ad præſagium & curationem ſummoperè facit: ſuffuſio igitur, quæ primam conſtituit huius morbi ſpeciem, ſola oculi obſcuritate, & aliquando fragoribus quibuſdã, aut tranſeuntibus ſplendoribus dignoſcitur nullum enim alium colorem præ ſe fert. Secundam autem differentiam conſtituit aquea quædam ſubſtantia albo ac pellucido colore ſuffuſa, cæterùm in penitioribus partibus ſita, quàm quæ vera eſt cataracta, cuius peciem circunſcribit (præter id quod numerus eſt additus) ceruleus color aut auro ſimilis, aut ferro nitenti; aut aquæ maris, qui primam & curabilem eius ſortem oſtendit: ſunt & aliæ quæ grandinem referunt aut gypſum: item aliæ nigræ & ſine ſplendore, ſicut aliæ ad maximum candorem ſine ſplendore vergentes. In quantitate etiam non parua ſuffuſionis agnoſcitur differentia: nam vna adeò magna eſt, quòd totum rhagoidis foramen occupet, alia minor quidem, ſolùm dimidium pupillæ obtenebrans: quare per partem quæ immunis euadit, ſingula quæ extrinſecus ſunt, mediocriter videntur, non tamen vt anteà vno tempore multa, quòd anguſtior factus ſit viſionis conus. Verũ ſi in pupillæ centro exigua ſuffuſio conſtiterit, partibus in circunferentia pupillæ manentibus illæſis, omnia ijs qui ſic affecti ſunt, veluti feneſtrata & perforata in medio apparent: quippe quod in medio non cernitur, quaſi perforatum & ſciſſum apparet. Atſi diuulſa neque inter ſe coniuncta fuerint, craſſa corpora quæ iuxta pupillam conſiſtunt, fluitantque in tenui humore, his qui ſic habent, tanquam culices foris obuerſari videntur. Quibus etiam aliquando accidit, quòd ex craſsioris humoris conſiſtentia, prodeat idolum quoddam falſò in medio apparere, maximè à ſomno. Vtcunque tamen has differentias conſideres, ſcito ad tres tantùm ſuffuſionis partes eſſe reducendas, nimirum ad factam ſuffuſionem, ad fientem, & ad incipientem.

Cauſa. Cauſæ verò omnium quæ diximus, vna communi ratione conueniunt, cùm nimirum humor aut vapor interponitur inter cryſtallinum humorem & pupillã, præterquam quòd vel ipſe humor albugineus in tunicam degeneret: vel quòd ſpiritus denſiores & frigidiores facti condenſentur, vt in valde ſenibus contingit. Cauſæ verò antecedentes ſunt, vel vapores qui à ventriculo, vel vtero, aut quauis alia corporis parte aſcendunt, fugaces quidem & qui facilè diſcutiuntur, in ſuffuſione per conſenſum: fixi verò & ſolidiores facti ac permanentes, in vera & per eſſentiam iam facta. Ex quibus itidem partibus per hæmorrhoidum, aut menſium ſuppreſsiones in caput quoque humores aſcendunt, à quibus in oculum aliquid decedere præter naturam non rarò aſſolet: quòd ſi ob hanc occaſionem malum non ſit, coniectandum eſt, ex proprio cerebri alimento aliquid crudum ſupereſſe, vel excrementitium quoddam redundare, quod in oculum confluens, huic malo principium præſtat: vt frequenter accidere ſolet his, qui aut febre, aut epilepſia, aut melancholia, aut graui aliquo capitis affectu, qui aut præceſsit aut adeſt, premuntur, cuius occaſione caput imbecillius factum, vel proprium excrementum non pellit per communia emunctoria, vel crudius quid præ impotentia generat, aut vltimò vaporem adhuc naturalem in capite ex alimento genitum, aut aliunde tranſmiſſum, quãuis naturalis ſit & conſuetus, vt ex coctione ventriculi ſecundùm naturam eleuari aſſolet, diſcutere nequit, qui oculos adiens huic malo principium præſtat, & primam eius ſpeciem conſtituit, quæ ſanè ad curationem exactè diſtinxiſſe magni eſt momenti. Aliquando verò proprius per eſſentiam in oculo fit ex nutrimento ipſius partis non probè in eius

eius naturam mutato ob eius ineptitudinem, aut ob oculi impotẽtiam, aut ab excremento ipſius alimenti non ſatis expurgato. Præſtat inſuper huic malo occaſionem & cauſam, alimentorum craſſorum & humidorum frequens vſus: item à cibo labor: præſertim literarũ, ſcripturæ aut meditationes, & alia inſuper quæ eiuſdem naturæ ſunt.

Signis verò vtendum eſt varijs, quemadmodum quæ cognoſcere in hoc malo oportet, varia & multigena eſſe diximus. Primùm enim dignoſcere oportet ipſius affectus naturam, & in ea quod futurum eſt & imminens, & quod per conſenſum fit, ac per eſſentiam factum exiſtit. Dignoſces primò an facta ſuffuſio ſit ex humore albugineo, vel ex humore aliunde adueniente, quòd in concretione albuginei humoris mox à principio ferè omnino obcæcatur homo, & nec lumen adhuc percipit, quia pars oculi & ſtructuræ eius deperdita, aut in aliam naturam vitiata eſt: at cùm ex affluente humore fit ſenſim & paulatim, vt concreſcit, ita magis aut minus viſu orbatur, ita vt adhuc condenſata cataracta lumen perſpiciat: in albuginei verò concretione minimè. Noſces autem ex alio humore fieri, quia primò in præludio ſeu in prima ſpecie huius mali, veluti quædam caliginoſa, vel paruos culices, vel fumoſa & tenebroſa videre arbitrantur laborantes, aut circa lucernas circulos, vel duplex lumen: quæ ſanè viſa variantur pro ratione cauſæ, & magnitudinis affectus, quo tempore in oculis nihil notatu dignũ apparet, præter obſcuritatem quandam inſolitam, & fragores ſeu ſplendores tranſeuntes, nonnunquam nebulam vagantẽ per diuerſas oculi partes, quo fit vt viſus nũc in vna oculi parte eluceat magis, nunc minus. Dignoſces per conſenſum hæc fieri, ſi vtroque ſimul oculo incipiat affectio (niſi cerebrum conſenſum præſtiterit: tunc enim vel vnus oculus læditur, vel ambo, ſed non ſimul) ſi perpetua non ſit, ſed per interualla redeat: ſi poſt cruditatem augeatur, vel bile inundante aut mordente ventrem: ſi pupilla non obſcuretur: ſi criſis inſtet aut febris vigeat. Creſcentis autem mali in hac prima ſpecie, & iam confirmari incipientis ſigna ſunt, ſi altero tantùm oculo vitium eluceat, & in ipſo veluti fumus viſui appareat, multiplicia obiecta pro vno repræſentans: item ſi mox in nebulam concreſcat, & non deliteſcat ampliùs, ſed quid præter naturam in oculis appareat, quod verbis explicari minimè poſſit. Iam verò confirmati & in ſtatu exiſtentis in eâdem prima ſpecie, ſigna ſunt, quãdo æger minutiùs videt, pupillæque color ad albedinem mutatur, vel ad alios colores, qui plures profectò ſunt. Secundam ſpeciem, quam iure optimo cataractam appellari diximus, dignoſces facilè, quòd in oculo profundiùs, ac diſtantiùs à pupilla aquam diſperſam ac mobilem & colori aquæ marinæ perſimilem conſpicuè cernas, oculo longè minus perſpicuo, patienteque maiorem viſus priuationem, licèt non omnimodam, ſed longe magis diminutam quàm in prima ſpecie, quam ſuffuſionem Medici nuncuparunt. Tertiam autem ſpeciem dignoſces, quòd extra ac ſupra pupillã iuxtaque ipſam tunica quædam appareat fixa, immobilis, concreta. Quam ſanè confectam & (vt aiunt) confirmatam arbitramur, cùm conſiſtentiam habet minus mobilem, oculo altero clauſo (non tamen omnino, quia fieret incurabilis, ac forſan ſi deprimatur, cæcus adhuc ſupererit homo) colorem albũ, luteum & reliquos quos verſa pagina leges, ne eos pluries videar repetere. Verũ cũ ſuffuſio ea quæ facta iã eſt, à varijs partibus fomentũ ſuſceptet, & varijs in partibus oculi incipiat fieri, expendendũ nunc eſt, quibus ſignis id dignoſci poſsit. Qua ſanè in re, primò in memoriam reuocabo ſuffuſionem fieri: tũ ex oculi inconfecto alimento, vel non expurgato excremento: tum verò per defluxum

Signa.

à capite, quem fieri posse ab vno è tribus locis certum est. Primò quidem à pericraneo, & per adnatam & corneam ad albugineum humorem prope crystallinum prolabi: potest etiam idem fluxus fieri à dura matre, & in prædicta parte fieri suffusio: item à pia matre descendit non rarò is humor, qui suffusionem concitat iuxta humorẽ crystallinũ. Quòd si ab ipso cerebro fluxio fiat, plerumque incipit suffusio iuxta humorem crystallinum, diuque perseuerat visus diminutio citra euidentem in oculo causam, præterquàm quòd pupilla profundior apparet. Prætereà læsum oculum esse à re profundiùs proficiscente, in neruo nimirum optico, nosces, quia si clauso sano oculo, pupilla alterius dilatetur, monstrat nullam esse internam obstructionem, sicut non dilatari, neruos opticos esse obstructos. Crassioris tenuiorisue at confirmatæ suffusionis (nam colores citra signa sese ostendunt) signa sunt, quòd si quis læsum oculum digito premendo fricet, & eo motu humor diuellatur disgregeturque, tunc quidem leuis est, & nondum perfectionem nacta: si verò nullo modo moueatur, sed in se remaneat, eodem modo existens & permanens, durior iam facta est, & forsan immedicabilem duritiem sortita.

Præsagiũ. Sed harum profectò neutra per acum deprimi potest: illa quidem, quia cedet acui & disgregabitur: hęc verò, quia nullatenus separari ac deprimi potest, ac si deprimatur vi & efficacia artificis, protinus ad antiquum statum commigrabit. Si verò suffusio digito dilatetur rariorque fiat, minimè in partes diuisa, hæc proculdubio matura est, & acu salubriter deprimi potest: suffusio verò quæ albugineo humore concreto fit, nec depressa adhuc visum restituit: obcæcatur enim ex toto homo, quia pars structuræ oculi in aliam naturam mutata omnino visum adimit. Colores enim suffusionis non possunt ea certitudine maturitatem monstrare: quippe humoris fluxi naturam, potiùs quàm consistentiam monstrare nati sunt, licet ex opacitate aut perspicuitate aliquando maturitas innotescat. Cùm hoc tamen scribunt non contemnendi authores, suffusiones eas curationi aptas esse, quæ colore insigniuntur albo, lacteo, pellucido vel albo plumbeo: sicut incurabiles esse flauas, nigras, violaceas & virides. Suffusiones verò quæ à solutione continui prodeunt, aut nunquam, aut difficulter curantur: incipientes tamen si prodeant à defluxu, vt placuit Celso lib. 7. cap. 7. digeri citra manus opem non rarò possunt. Et vt certior fiat coniectura, interrogare oportet num præcesserit grauis aliquis morbus, acerbior capitis dolor vel ictus: atque ei demum suffusioni medicina instituenda, in qua nulla sit ratio ingentis concretionis, vel perpetui defluxus melancholiæ, neque adsit epilepsia aut nerui optici obstructio.

Curandi atior. Qui suffusionem curare aggreditur, nulla priùs facta distinctione eius quæ concreuit, ab ea quæ concrescit, aut nihil concretionis adepta est, fateatur se vel maius posse auxilijs manu facere damnum, vel saltem nihil prodesse, & tempus & operam inutiliter perdere: quapropter hæc omnia distinxisse priùs oportet. Sic etenim in memoriam reuocare expedit, nos anteà dixisse, suffusionem esse in triplici differentia, vnam perfectam, alteram fientem, & reliquã incipientem: vnamquanque tamen propriam sortiri naturam, speciem, & locum proprium. Dictum etiam est, perfectam duplicis esse conditionis: vnam manu & acu medicabilem, vt quæ nondum nacta sit rebellem duritiem: alteram verò omnino incurabilem quæduplicis est naturæ: vna quidem ex albugineo humore orta, quæ licet deprimatur non subinde prodit, vt latius dictum est: altera verò pari ratione incurabilis,

lis, vt quæ vim & efficaciam manus & acus subterfugiat, quia concretionem, vel conuenientem nacta non est, vel excedentem & immedicabilem sortita. Quas sanè medicamentis tractare, aut alijs topicis, aut vniuersalibus auxilijs vanum omnino censeo, haud secus quam si veficæ lapidem quis citra chirurgicam operationem velit conterere & extrahere. Fientem verò eam esse arbitramur, quę propriam constituit speciem ex aqueo humore, cæterùm nondum concretionis principium nacto: quam proculdubiò auxilijs curare, vt apud plerosque Medicos scriptum reperio, non minus vanum & irritum esse, experimento fidissimo didicimus: quippe certum est, neque vniuersalibus præsidijs euacuari posse quod iam in oculum prolapsum continetur, neque topicis reprimi, aut digeri, quinimo sæpe his præsidijs pressior, & durior redditur humor, vt quæ vires deprimunt, & laborantes tædio afficiunt, ac dedecus arti afferunt. Incipientem verò, vt Celso placuisse libr. 7. cap. 7. diximus, & inhibere & topicis resoluere, haud difficile est: quamobrem ab eius prouidentia & curatione sumpto initio, docere curabo quid vnicuique proficuum & necessarium sit.

Prima igitur suffusionis species, quam incipientem Medici vocarunt, duplicem sortitur naturã: alteram transeuntem, & quæ nihil habet in oculo sitũ, sed aliunde omnino dependentẽ, quæ communi nomine appellant per consensum: alteram verò manentem, fixam & independentem, & quæ iam oculum ita obsedit, vt cessante causa à qua dependebat, per se subsistere nata sit, ne dum si adhuc causam habeat fouentem: cum hoc tamen neque omnino est in aquam conuersa, neque plurimum distat à vaporis crassi natura. Harum enim cuique opem auxilijs ferre antequam concrescat proculdubiò possumus. Si priùs consideremus, causam & locum à quibus caliginosus vapor insurgit, & id quod eius in capite vel receptum est, vel iam in oculos confluxit. Solent etenim prædicti vapores caput irruere, vel à crasis, crudis & viscidis humoribus, siue pituitæ, siue melancholiæ naturam referant, vel à biliosis ac pituita mixtis & malignis humoribus, idque vel à iecore, vel à ventriculo, vel à mesereo, vel ab vtero, ac vt Hippocrati placuit, à pulmone. Vtcunque tamen sit, & à quouis membro prodeat, medendi ratio consulit, vtendum esse vacuatione eius substantiæ à qua vapor ascendit. In quo sanè opere expendenda est humoris redundantis idea: nam si sanguis sit, non desunt qui sanguinis detractionem consulant, quod multi etiam alij renuunt, vt Rasius. 9. ad Almansorem: lex tamen qua fieri aut non fieri debeat, petenda est à corporis & venarum plenitudine, quo casu, potiùs præparandi corpus ad purgationem, & reliqua auxilia, quàm gratia suffusionis mittendus sanguis est: vel considerabis, suppressa ne sit aliqua sanguinis vacuatio, velut narium, hæmorrhoidum, mensium aut varicum: quippe eo tempore cunctandum non est sanguinem mittere, & ex ea vena quæ è directo parti cui suppressa est vacuatio respondeat, vel communionem habeat maximam: aut rursus prædictarum vacuationum, quæ suppressa fuerit, iterum reuocanda est: minus tamen sanguinis detrahes, quàm si quis alius ex eisdem causis concitaretur affectus. Si verò alui fluxus vel vteri purgamenta suppressa suffusioni causam præstent, reuocandus quidem fluxus non est, cæterùm qui superabundat humor protinus educendus, cognita, vt dictum est, priùs humoris idea. Sic profectò crudis in ventre, vel vbicunq; velis, existentibus humoribus, siue fluxum alui aut vteri concitauerint, siue secus, coniectandum est, an in ventre sint superiori, an penitiùs reconditi. Quòd si primum sit, vomitu

Sanguinis detractio.

non erit abre, facta leui ex melle rosaceo cum oxymellite præparatione, protinus educere: hac enim sola ratione vtendum est vomitu in suffusionibus: nam in reliquis causis vetitum est, in recta medendi ratione eis vti, ne in caput violentius malum irruat. Verùm si venas iecoris aut vteri vel totius corporis obsederit humor, facta præparatione ex melle rosaceo syrupo borraginis, de sthœcade, de betonica, de hyssopo, de mentha, aut duarum radicum cum modico oxymellite, & aquis aut decoctis fœniculi, euphrasiæ, betonicæ, chelidoniæ, vel sasafrassæ Indicæ, eam institues purgandi rationem, quæ citra maximam corporis & humorum turbationem, peccantem educat: sic ventre affecto & partibus illi vicinis, veteris pilulis ex hiera Galeni & ex mastiche: vel eis quæ conficiuntur ex agarico, mastiche & hiera: aut purgabis syrupo ex infusionibus cum decocto foliorum sennæ, aut cremore cartami: cui etiam vsui terebinthinã maximi fore momenti censeo, lotã vel rhabarbaro admixtam. Quòd si penitiùs recondantur humores, pilulis veteris de agarico & aggregatiuis. At si caput humore etiam abundauerit, cochijs, lucis, aureis & sine quibus. Cui etiam vsui has poteris conficere, quæ recipiunt hieræ logodij ʒ.ij. turbit, agarici. ana. ℈.ij. zingiberis. ℈.ß. salis gemmæ. ℈.j. cõficiantur cum succo fœniculi, & porrige. ℈.ij. Verùm si constiterit affectionem sortiri principium ex capite affecto, quod ex se vel aliunde humore abũdet aquoso, crudo vel pituitoso, hoc modo institues purgationẽ: Excipe pulueris hieræ picræ. ℈.ij. pulueris hieræ diacolocynthidos. ℈.j. cum succo fœniculi formẽtur pilulæ sex, quarum duas capiat hora somni, vt dormiendo, concitato calore natiuo, earum vis ad cerebrũ feratur, quæ incidendo, tergendo & attenuando materiam præparet, præparatamque ad ventriculũ deuehat, vt facilè euacuari possit. Quæ sanè purgandi ratio decimo quoque die renouanda est: nam sicut humor aut excrementum sensim progignitur, ita prorsus vacuari paulatim & sensim desiderat: quamobrẽ summè confert vacuatio per epicrasim appellata, ex nuper dictis pilulis aut Arabicis in pituitosa & melancholica materia, vel alijs pharmacis in biliosa: quippe in hac potiùs diluto rhabarbari, foliorum sennæ, aut syrupo ex infusionibus vtendũ esse consulit humoris natura, quàm pilulis, quæ vel crocũ recipiũt à Galeno in hoc morbo vetitũ, vel turbationem non leuem inducunt.

Tamen quia hi qui huic malo sunt obnoxij, ferè semper aluo sunt adstricta, ob id & diuersionis etiam gratia, solicitãda est clysmatis, balanis, vel alimentis aluum ducentibus, velut sunt prunæ saccharo & decocto foliorum sennæ confectæ, iusculis ex mercuriali aut sycla confectis, aut syrupo ex decocto cartami cum melle facto.

Verùm quia non sat est humorum redundantiam minuisse, ni eorum vlteriorẽ propagationem inhibeas, ob id alimentis & potibus ac proba vitæ institutione studendum est id præcauere, aëre primitus ad calidum & siccũ vergente, somno consueto breuiori, non meridiano: exercitio moderato: maximè inferiorum partium, cuius loco frequentibus frictionibus & ligaturis vtendum est. Caueat insuper laborans ab animi turbationibus: maximè à mœstitia & ira: cibis vtatur facilis coctionis, & qui omnino sint vaporũ exortes & simplices, cuius naturæ sunt carnes auiũ, vt pullorum, caponum, gallinarum, perdicũ, & paruorum cuniculorum: panis fermentetur aqua fœniculi aut admisceatur puluere eiusdem. In ciborũ condimentis vtatur laborans his quæ extenuandi vim habeant, vt hyssopo, fœniculo, sampsuco, betonica, satureia, saluia & reliquis: caueat omnino à ciborum repletione, varietate, & à ferculis pinguibus, à lacte, caseo, carne porcina, anatis, anseris, à piscibus & re-

& rebus salitis, acribus & piperatis, à caule, lactuca, lentibus & alijs fructibus horarijs: studens semper ne à mensa discedat satur laborans, & cum hoc à cœna vel omnino abstineat, vel leuissima vtatur. Tãdem ab eis cibarijs fugiat quæ sanguinem possunt gignere crassum, turbidum, vaporosum, aut mordacem. Sumat insuper in fine mensæ, quæ halitus reprimunt, aut discutiunt & ventriculum roborant, vt est diacitronium simplex aut compositum, coriãdrum præparatum & saccharo & puluere cinnamomi, anisi & euphrasiæ conditũ: à vino verò abstineat per vniuersum curationis tempus, nisi gratia ventriculi modico vtaris & in postrema mensa aqua sola sicut in cœna: cuius loco vtatur aqua cinnamomi, radicis chinæ, sasafrassæ Indicæ, fœniculi, corticũ limonum, vel hydromellite. Quem quoque vsum præstat puluis qui recipit euphrasiæ, & seminis fœniculi ana. ʒ.j. ß. macis, ʒ.j. sacchari. q. s. vt fiat puluis, cuius. ʒ.ij. sumat laborans post cœnam, aut prandium. Eiusdem naturæ est puluis qui. r. euphrasiæ. ʒ.iij. seminis anisi. ʒ.ij. sacchari ad pondus omnium fiat puluis, cuius sumat eisdem horis semicocleare. Maioris efficaciæ est alter puluis qui. r. seminis anisi, fœniculi, ameos. ana. ʒ.ij. coriãdri præparati. ʒ.iij. corticũ citri siccorum. ℈.iiij. fileris montani. ℈.ij. euphrasiæ. ʒ.ij. cinnamomi electi & nucis muscatæ. ana. ʒ.j. sacchari rosarum tabellati ad pondus omniũ misce & fiat puluis, cuius cocleare vnum sumat laborans dum in dormitum: roborat enim ventriculum, & reprimit valenter vapores per discussionem, & corroborationem partium.

Cæterùm quia perdifficile est, omnino à corpore, capite vel parte ipsa affecta, radicitus humorem euellere, quin vel aliquid supersit, vel denuo generetur, si corpus pituita aut crudis humoribus scatere cõstiterit, non erit abre, vel decocto chinæ aut spartæ parellæ sudare, vel balneis sulphureis vti. Quod sanè auxilium cautè præstato, nam si solùm caput laborat, longe maius damnum quàm beneficium sequetur. Obid mox ab his quæ diximus auxilijs deriuatorijs vtendũ est, & his etiã quæ reliquias humorum conterere nata sint. Sic primum scopum adimplebis, his quæ deriuandi à capite & venis illi proximis vires habent: quapropter præmissis quæ hucusq; dicta sunt, præter matutinam brachiorum frictionem, cucurbitulis vtendum est: maximè occipitio & cum scarificatione affixis, ad materiæ quæ in oculos fluit reuulsionem. Celsus verò & alij arteriarum sectiones consulunt, & venarum iuxta frontem vstiones, sanguinis etiam profusiones è naribus, vel angulis oculorum: quæ sanè omnia nec tuta, nec facilia, nec certò profutura esse arbitror, præterquam quòd in tam leui affectu primo accessu horrenda videntur: quorum sanè loco placuit semper, si chirurgica operatione aliquid agendum sit, setonem occipitio affigere, vel fontanellam in altero brachiorum (nisi ex mensium aut hæmorrhoidum suppressione malum oriatur, quo tempore altero crurum aperire est tutius) perforare: sunt proculdubio præsidia magnæ & incredibilis efficaciæ: hæc namque & quod fluit reuellũt, & id quod iuxta partem iam receptũ est, deriuant, vt locus subsit cæteris auxilijs discussorijs, quæ alioqui profutura nõ essent. Verùm si aut hæc auxilia recusaueris, vel differre volueris, emplastro ad synapismi modũ vnguis magnitudine pone aures, veteris: dixerim sub infimam auriculam, qua parte excurrit in neruos opticos ramus quidam venæ iugularis: emplastrum hoc modo conficies. Excipe seminis synapis, euphorbij. ℈.j. cãtharidarum præparatarum ʒ.ß. fermenti. ʒ.j. misce. Quòd si aliquia occasione differre velis prædictum auxilium, apoplegmatismis & errhinis medicamentis, vel quouis alio caput purgiorum genere, per interualla caput ipsum ab humorum spurcitia immune reddes.

Si tamen his omnibus adhuc factis, affectionem non ſubſidere comperiamus, coniectandum eſt, aliquid eſſe in cerebro & oculis impactum & hærens, quod per ipſam met partem digeri & euaporari deſideret. Quem ſanè vſum præſtant quæ per os ſumuntur manè, & cùm laborans it dormitum, velut eſt theriaca magna vel Mythridatum, vel. ʒ. j. diamuſci dulcis ſingulis noctibus cum ſyrupo ſthœcados, aut aqua fœniculi, vel euphraſiæ: ſunt autem alexipharmaca longe à paſtu, & ante paſtum imperanda. Prodeſt etiam id quod recipit conſeruæ betonicæ, & anthos. ana. ʒ. j. Mythridati. ℈. j. fiat bolus. Aliud non minoris momenti recipit conſeruæ anthos. ℥. j. ſpecierum electuarij diamargaritonis calidi. ʒ. j. conſeruæ roſarum. ℥ ß. fiant boli quorum ſumat laborans. ʒ. ij. Capiat etiam cum it dormitum aliud, quod recipit ſucci fœniculi depurati lib. ß. ſuccorum rutæ, chelidoniæ, amarici pariter depuratorum, ana. ℥. j. mellis lib. j. coquantur ad mellis craſsitudinem: & poſteà recipe euphraſiæ. ℥. & ß. ſeminis fœniculi. ℥. ß. caryophyllorum, piperis longi, macis. ana. ʒ. ß. contundantur & fiat puluis tenuiſsimus, & ſuperaddatur prædicto electuario. Quo etiam caſu conferunt poſt paſtũ pulueres ex aniſo, coriandro, fœniculo, corticibus citri & ſaccharo. Sed compoſita poſſunt fieri hoc modo: Excipe corticis citri, & carnium citoneorum. ana. ℥. j. mirobalanorum emblicorum lotorum vino albo, & poſteà in aqua fœniculi, numero. ij. pulueris coralli vſti, & loti in aqua fœniculi. ʒ. ij. pulueris cinnamomi ʒ. ß. ſacchari. ℥. iiij. fiat conditum: cuius poteris porrigere. ʒ. j. & ß. poſt cœnam. Proſunt etiam & omnia alia quæ diximus capite de epilepſia, huic vſui eſſe proficua. Inter quæ faciliùs videtur & efficacius electuarium. q. r. euphraſiæ, ſeminis fœniculi. ana. ʒ. j. ß. macis. ʒ. j. ſacchari. q. ſ. vt fiat electuarium. Sic dentifricia, gargariſmata, & maſticatoria mirũ in modũ prodeſſe cõſtat: maximè pilula ore traiecta ex maſtiche, & ambra griſia cõfecta, qua & caput corroboramus, & reliquias conterimus: errhina medicamenta & ſternutatoria cauere oportet, vt quæ per pronã affectæ parti regionem materiam alliciant, ne forſan aliquid in oculos incidat.

Extrinſecus verò capiti multa prodeſſe poſſunt, vt pulueres & ſacculi, quorum capite præcedenti & nuper citato abundè diximus: ſed non eſt minoris momenti balneũ ex lixiuio cinere ſarmentorũ facto, ex decocto corticum ligni guayaci, & eodem ligno vel folijs ſthœcados, abſynthij, betonicæ, maioranæ, & fœniculi: proſunt etiã lauacra ex vino aut modica aqua vitæ cũ aliquo ex prædictis decoctis admixta, cũ capitis frictione linteo aſpero ſummo manè facta: maximè corpore ſatis purgato: & vbi conſtiterit caput ipſum frigido interno affici.

Oculis verò multa ſcripta reperies, tamẽ quæ eorũ præcipua ſunt & vſui probata, ſolũ hîc inſcribere inſtitui. Verũ ne videar in hoc opere indiſtinctè procedere, expendat diligens lector collyrijs primò leuioribus ac poſteà maioribus vtendũ eſſe: ſed priùs oculis adhibebis præparationis humoris & reſolutionis gratia, aliquod ex leuibus fomentis, quale eſt quod fit ex decocto radicis fœniculi & ſeminis fœnugræci ſæpius loti. Eandem indicationem complet id quod recipit aquæ chelidoniæ, & fœniculi. ana. lib. ß. vini albi. ℥. ij. meliloti, camemali, anthos, florum maluarum, & betonicæ. an. m. ß. ſeminis aniſi, & fœniculi. ana. ʒ. j. bulliant omnia ſimul cum pari portione aquæ pluuialis ad conſumptionem tertiæ partis, & facta colactura adde croci. ℈. j. & iterũ bulliãt & colẽtur, & ex hac colatura fiat euaporatio. Sed quod in hac re magis exequendum eſt, proculdubio erit, non cuique quoduis præſidium adhibere, ſed iuxta diuerſitatem naturæ, ætatis & morbi, ſtatus atque conditionis: aliud enim pueris, aliud ſenibus, aliud ruſticis, & aliud vr-

vrbanis proficuũ experimur: ſicut aliud cæruleos oculos habentibus, aliud fuluos, aliud cæſios, & ſic de reliquis coloribus. In pueris enim lactentibus ſatis eſſe ſolet nutricis ſpiratio: maximè ſi priùs maſticauerit ſemen fœniculi, cumini, ſagapenum, ammoniacum, galbanum aut aliquid eorum quæ ſuffuſis prodeſſe ſum ſcripturus. Prodeſt etiam quibuſdam principium curationis ſumere ab aqua ex melle inſtillata: ſed vtilior eſt quæ ex melle roſaceo profluit in biliоſis: efficacior tamen exiſtit quæ ex melle ſquillitico in pituitoſis. Quibus aquis nonnunquam addere oportet modicũ ſacchari candi, aut ſagapeni, galbani, vel ammoniaci: vel in prædictis aquis contabeſcant herbæ, quas paulò inferiùs ſcribam. Quòd ſi velis efficaciorem efficere, adijcies ante diſtillationem piperis modicum: ſed mirabile eſt, & à viris doctis experimento probatum, quod hoc modo fit: Ouum recens ſub cineribus ad duritiem coquitur, per medium diuiditur detracto vitello, puluere ex vitreolo, vel viridis æris album, addito ſaccharo, impletur, ambabus partibus arctiſsimè colligatis, maceretur in aqua roſarum aut euphraſiæ per quatuor dies, expreſſione facta fiat collyrium. Præſtat & aqua panis fermentati pulueribus aniſi, fœniculi, euphraſiæ & rutæ ac ſalis, vbi extrahitur à furno recenter cocti, & in partes diſciſsi per alembicum inſtillata, cui aliquando addimus, vel mellis, vel ſucci chelidonij, fœniculi aut euphraſiæ modicum. Cæterùm ſi efficaciora velis conficere collyria, primò hoc modo facito: Excipe fellis accipitris, balſami. ana. ℈. ij. ellebori albi & piperis. ana. ℈. j. cum aqua raphani fiat collyriũ facta colatura per duplicem manicam. Facito etiam hoc modo: Excipe terebinthinæ lib. ß. ſulphuris viui. ℥. ij. mellis roſarum. ℥. iiij. plantaginis & arnagloſi. ana. m. ij. fiat ſtillatio in alembico. Fit & aliud quod eſt mirabilis efficaciæ, & recipit chelidoniæ, fœniculi, verbenæ, rutæ. ana. m. j. mellis roſati lib. ß. ſeminis rapi contuſi. ℥. ij. herbæ contundantur & exponantur ſoli & quotidie agitentur, & poſt quadraginta dies exprimantur omnia, & ſuccus expreſſus vſui ſeruetur in vaſe æneo. Aliud enim recipit frumẽti craſsiuſculè cõquaſſati. p. ij. ſulphuris viui. ℥. j. ſagapeni. ʒ. vj. ſalis, piperis. ana. ʒ. ij. mellis lib. ß. terebinthinæ. ℥. ij. cum vrinæ pueri lib. ij. fiat inſtillatio in alembico. Præſtat idẽ beneficium, & adhuc mitius, id quo recipit fabarum. p. ij. cõquaſſentur in mellis lib. ij. terebinthinæ. ℥. iij. gummi elemi. ℥. j. in ſucci fœniculi, & marrubij. ana. lib. ij. fiat inſtillatio. Aliud etiã parabis hoc modo: R. frumẽti craſsiuſculè conquaſſati, & hordei. ana. p. j. lapidis calaminaris, & mellis. ana. ℥. ij. ſulphuris. ℥. j. ſalis. ℥. ß. diſtẽperentur in vaſe æneo cum aqua fœniculi, & plantaginis, & ſucco granatorũ, deinde fiat colatura cum expreſsione. Ferunt quidem ſagapenum mixtum aquæ fœniculi & hydromelliti maximè prodeſſe. Item puluerem capitis hirundinum oculo admotum, cum aqua ſtillationis vrinæ puerorum, & fœniculi, aut corticum fabarũ. Præſtat & aqua quæ hac lege conficitur: Excipe vini albi. ℥. iij. ſucci fœniculi depurati. ℥. ij. camphoræ. ʒ. j. tutiæ. ʒ. j. & ß. zingiberis. ʒ. ß. mellis. ℥. iiij. omnia ſimul in vaſe æneo nouem diebus in vmbra adſeruentur, poſteà per filtrum fiat inſtillatio, cuius tantillum manè & ſerò in oculos inſtilletur. Benefacit etiam aliud collyrium quod recipit baccarum lauri. ℥. j. infundantur in vrina pueri, & ſucco fœniculi, & inſtillẽtur per duplicem manicam cũ modico ſaccharo. Parabis etiam aliud quod recipit roſarum. euphraſiæ, feridis lati folij, gallitrici, pimpinellæ, anagallidis, chelidoniæ, peoniæ, foliorum vitis, apij, betonicæ, tormentillæ, verbenæ, fœniculi, agrimoniæ, rutæ, ſingulorum partes æquales, inſcindãtur minutim, & prima die infundantur in vino albo, ſecunda in vrina pueri, tertia in lacte aſinino, ſi mulieris tãta quantitas haberi non poſsit, quarta in optimo melle: poſteà per alẽbicũ inſtillẽtur:

quam

quam inſtillationem non contemnendi authores ferunt mirabilis eſſe efficaciæ. Probatiſsimum & expertum eſt,quod fit collyriũ ex ſucco fœniculi,ſaccharo candito,roſaceo,& puluere ſpumæ maris,omnibus ſimul tritis ac leuigatis,& prædicto ſucco fœniculi ſumptis, facto collyrio, quod dilues tempore vſus,decocto fœnugræci. Aliud non minoris momenti parabis.q.r.hepatis hircini lib.ij.calami aromatici & mellis.ana.ʒ.j.ſucci rutæ.ʒ.iij.aquæ chelidoniæ.ʒ.vj.aquæ fœniculi,verbenę & euphraſiæ.ana.ʒ.iij.piperis lõgi,nucis muſcatæ & caryophyllorum.ana.ʒ.ij.croci.ʒ.j.florũ roris marini modicè contritorũ,horminij.ana.m.℈.ſarcocollæ,aloës hepaticæ.ana.ʒ.iij.fellis accipitris.ʒ.j.aut fellis galli vel perdicis.ʒ.iij.omnibus tritis & leuigatis adde ſacchari albi.ʒ.iij.mellis roſacei.ʒ.vj. miſceantur omnia & ſecundũ artem in balneo Mariæ per vitreum alembicum inſtillẽtur. Parari etiam poſſunt alia,velut ex felle vulturis cum ſucco marrubij,melle,myrrha & pipere,æquis portionibus:vel cum ſucco fœniculi cum melle,aut ex felle hirci in vaſe æneo ad ſiccitatem ducto,cui adde granorum lauri exiccatorum.ʒ.iiij.ſagapeni.ʒ.j.gummi.ʒ.℈. cum ſucco chelidoniæ & vrina pueri fiat collyrium.Dimitto aliud medicamẽtum ex felle viperæ & mineralibus medicamentis,tanquam ſuſpectum:nam incipienti ſuffuſioni ſat ſunt quæ diximus.

Fientem verò qui curare aggrediuntur, hoc vnum certò ſciant,non ſolùm finẽ optatum non probè poſſe conſequi,verùm loco eius congeſtionem potiùs remorare: quapropter ſatius eſſe arbitror, omni diligentia integram coagulationem exequi, ne ex diutina conſuetudine fluendi ad oculos, etiamſi alter curetur, in alterum protinus profiliat damnum, aut in antiquum,& curatum iterum reuertatur.Ob id profectò, ſi prædictis auxilijs cõſtiterit ſuffuſionem non poſſe reſolui, coniectandum eſt iam in concretionem migrare,quam conficere citius opus erit. Quod obſecro cautè facias,non enim minus damni ſequi ſolet ex procurata coagulatione,quàm ex neglecta:ſat enim eſt,extremitatibus animalium & eorum cerebellis in cœna vti,& piſciculis & carnibus porcellorũ: ſed probo magis(licèt prædicta ab Authoribus commendentur) vitulinas carnes porrigere(optimi enim ſunt nutrimenti & craſsioris)quantum ſat eſt.Curabis tamen prædicta alimenta aromatis condire, quo & facilius in partem affectam permeent,& minus nocere valeãt. Præſtat & vini vſus:ſed longe præſtantius eſt,interim dum hæc fiunt,modicè corpus purgare, ne ampliùs in cerebrum & oculum confluat,ſed ſolùm quod fluxit concreſcat.Quæ omnia tanto liberaliùs porrigenda ſunt, quãto cõſtiterit vtrumque oculum æqualiter pati,quippe eo tempore tutiùs adhibemus:verùm ſi ſolùm eorum alter afficiatur, de reliquo verò vereamur ne in idem malũ procidat,maximè ſi id iam minetur,tunc quidem ab huiuſmodi rebus prorſus fugiendum eſt,ſecuriùs enim extrinſecus adhibebis frigida & ſiccãtia medicamenta,licèt cautè etiã id fieri oporteat,nam ſæpe eiſdem in duritiem & concretionem immedicabilem cataracta cõmigrat: quare tempori potiùs committẽda res eſt quàm ſuſpectis medicamentis tentanda. Quòd ſi aqua ob nimiam tenuitatem vel oculi intemperiẽ nequeat condenſari, apud viros probatos reperio alium curationis modum non omnino contemnendum: ſæpe enim neceſsitas experimentis ac dubijs præſidijs conſulit vti,potiùs quàm certa deſperatione laborantem torquere: modus autem curationis ſic ſe habet.Fiat acus caua inſtar ſyringæ,in cuius cauitatem penicillum acutum inſere, vt eius acumine oculus perforetur,& locus ſubſit huic cauo inſtrumento, ac poſteà acuto penicillo detracto, per cauum inſtrumentum intus relictum artifex ſugendo leniter attrahat aquam ibidem contentã,cauens ne ſimul humorem aqueum extrahat: quippe acus tantum inſeratur in aquoſam illam ſubſtantiam quæ præter naturam eſt & alba apparet, & aliquis aſsiſtentium intueatur, quo minus aqua illa euaneſcente amplius artifex ſugat, vt quod naturale eſt, intus remaneat. Cui ſanè muneri præparandus eſt priùs oculus, poſito in ore artificis,aut cuiuſuis alterius familiaris cumino,aniſo,pipere,aut fœniculi ſemine,quod diu maſticet,& tandem frequenter expirer in laborantis oculum.

Verùm ſi conſtiterit iam condenſatam eſſe prædictam aquam, & in cataractã conuerſam,tũc proculdubiò ſoli manuũ operationi res cõmittẽda eſt,corpore purgato,ſanguinis copia depoſita, & præcedenti victus attenuatione diebus aliquot. Quo facto,laborante in loco lucido ſito,& artifice paulò altiùs ſedente,caput iubeto continere immobile(ſolet enim acies oculi à quouis motu eo tempore euerti) & immobilẽ conſule oculum contineri, palpebra ſuperiori à miniſtro indice digito eleuata,tunc artifex infimam deprimat,tractans ſiniſtrum oculum dextra manu,& dextrũ ſiniſtra. Immittat igitur eo tempore acum acutam & mediocris craſſitudinis,rectà per ſummas duas tunicas medio loco inter nigrũ oculi & angulum exteriorem,hoc eſt tempori propiorem,è regione mediæ ſuffuſionis,curans ne vlla vena lædatur: nec timidè perforare oportet,nã locus expers eſt humoris, nec trepidè ne pupillam dilaniet aut cryſtallinum feriat, ſed manu ſæpe prope angulum oculi externum adhæreſcente: vbi ventum eſt ad locum ſuffuſionis(monſtrabit id quidem acus quæ exteriùs apparet per corneam quæ pellucida eſt) inclinãda acus ad ipſam ſuffuſionem tunc eſt,leniterque deprimenda & paulatim infra pupillæ regionem deducenda. Comprehenſa ſuffuſione acu leniter comprimenda eſt,vel in plures partes ſcindenda, quo facilius ſingulæ concidant.Poſt hæc educenda acus rectà eſt,imponendumque oui candidum cum aqua roſacea admixtũ, lino molli exceptum,quo vtrumque oculum cooperire oportet faſciaque deuincire, & ita trium dierum ſpatio continere:ne ex motu vnius oculi,alter quoque lædatur.Neque erit ab re,præcautionis gratia cucurbitas ſcapulis affigere eaſque ſcarificare: interim tamen opus eſt quiete,victu tenui,velut reliqua vulnera expoſcũt,vti. Verùm in his qui caput habent catharroſum, frigidũ & humidum,aut calidũ & humidum,poſt depreſſionem prouidẽdũ eſt ne iterum malum reuertatur,ſonticula vel ſetone brachiorum alteri affixo,per quem expiret quod in oculum fluere aſſueuerat:præterquã quòd leuiuſculis purgationibus etiam præcauere oportet.Secus res ſe habere debet vbi ex firmata imbecillitate capitis,& humidi radicalis defectu ob aliquod diuturum aut grauem affectum morbus ſuccreuit, quippe tunc roborare potiùs caput,quàm crebris euacuationibus infirmare opus erit. Quo fit, vt multi credentes imbecillitatem eſſe ex affluxu materiæ, longè maius damnum præſtent vacuatorijs præſidijs, quàm beneficium quod ſolùm ſuccreſcit ex roboratione & refectione, alimentis & rebus humidum & calidum natiuum adaugentibus.

De

De ophthalmia. Caput 22.

ANTE tamen quàm huius morbi rationem reddere aggrediamur, noſſe oportet, oculos ex tribus ſubſtantijs omnino conſtare: prima, quæ conſtituit ſedes & receptacula eorum: ſecunda quæ fabrefacit oculi figuram, & totam eius ſubſtantiam cõplet: tertia quæ tegumenta & protectionem oculis parat. Prima igitur conſtat ex tribus oſsibus, ex duobus maxillæ ſuperioris & ex oſſe frontis: quæ introrſum vergentia cauitatem quandam efficiunt, per quam exit neruus opticus, exeunt vena & arteria in miniſterium oculorum, qui in cauitate conſtructa ex tribus oſsibus dictis degunt. Oculorum prætereà fabricam conſtituunt tres humores, in quorum medio ſtat cryſtallinus appellatus, præcipuum viſionis inſtrumentum: in parte poſteriori reſidet vitreus, in quem veluti in annulum inſeritur cryſtallinus, & anteſtat albugineus: vndique prætereà hos humores circundant tres tunicæ, quarum duæ diſſeminantur à duabus cerebri meningibus, & reliqua à neruis opticis: præter quas tres additur quarta, quæ parte anteriori veſtit oculũ ipſum, originẽ trahens à pericraneo, membrana ambiente caluariam. Palpebræ verò conſtãt ex quatuor ſubſtantijs, ex eâdem tunica appellata pericraneum, ex qua fit interior tunica palpebrarum, exterior ex carnoſa, medium tenet alia ex nerueis fibris contexta, quarta cartilaginoſa ſubſtantia eſt, in quam terminatur palpebra ipſa, & à qua naſcuntur pili palpebrarum, quæ facta eſt durior, vt oculum ſimul vniuerſum claudere & aperire poſsit natura.

His ſuppoſitis, eſt ophthalmia adnatæ tunicæ oculorum inflammatio, à Latinis lippitudo appellata, videlicet, cùm alba oculorum tunica ab externa cauſa, vel ab interna afficitur. Atque licèt ex Celſo lib.6.c.16.conſtet, lippitudinem ab ophthalmia ſeiungi, nec non ex Hipp.2.prædict.vbi dixit ophthalmias eoſdem habere circuitus ac febres, & mox ſubiungit, lippitudines quaſdam eſſe annuas: quo videtur eas diſtinxiſſe, tamen cum hoc arbitrandum eſt, idem ferè eſſe, licèt apud Romanos lippitudo ſolùm erat oculorum aſpritudo cum pruritu & rubedine: verùm quia hæc ſigna præludia ſunt ophthalmiæ, & ſæpe cum ipſa cohærent, ob id non ab re ophthalmiam per lippitudinem verterunt. Huius ſanè affectionis plures ſunt ſpecies ac differentiæ: nam prima eſt præfata inflammatio, quæ diuiditur in ſiccam & in humidam, quarum quælibet eſt genus ad alias duas: quippè humida, quæ nomen generis obtinet, legitima eſt & vera ophthalmia, ſita in vera inflammatione adnatæ, quæ licèt aliquãdo magna ſit, & nõnunquam parua: continet tamen ſub ſe alias duas ſpecies, quarum vna phymoſis nuncupata, ſita eſt in inflãmatione etiam humida palpebrarum oculi, quæ inflammatio adeò grandis eſt, quòd oculum claudat, & veluti ligando comprimat eas partes quas apertas eſſe oportebat, ſiue id cicatrice, ſiue inflammationis magnitudine fiat, ita vt partes præ incremento coaleſcant. Altera verò chemoſis appellata, inflammatio eſt adeò ingens ob copioſum humorum confluxum quòd non ſolùm adnatam, ſed & palpebras in tumorem & ruborem attollat: in quo affectu oculus claudi non poteſt, ſed album eius ſubleuatur, nigro ſubſidente & veluti hiatum quendam efficiente, qui ſanè affectus à Galen.lib.diffinitionum appellatur epiphora, licèt lacrymæ etiam efflu-

effluxus, aut aquæ nuncupetur, differt à prima, quòd illa oculos claudat, hæc verò apertos teneat. Sicca verò oculorum inflammatio quæ generali nomine taraxis nuncupatur, nil aliud eſt quàm leuis quędam omnium partium oculi inflammatio, & veluti phlegmonis principium, cũ rubore exiguo, quem dolor mitis conſequitur: ita vt ſolùm videatur oculi perturbatio, nondum inflammatio, aut ſaltem occulta. Ac licèt Palus ſolùm à cauſis externis excitari referat, experimento didicimus non rarò ab internis poſſe fieri, & in veram ophthalmiam, leuẽ tamen commigrare, nã licet ab externis fiat cauſis, vel à flatuoſo & craſſo ſpiritu, ab internarũ etiam tunicarum leui inflammatione fit: qua ratione, etiam ſi ab inflammatione humida prodeat, ſicca ophthalmia nuncupatur, quia internarum tunicarum eſt inflammatio, facta iuxta nerui optici & piæ ac duræ matris, intrinſecus oculum conſtituentium, ſubſtantiam & naturam. Huius etiam aliæ duæ reperiuntur ſpecies, gerophthalmia vna, quæ ea eſt in qua oculus plurimum dolet citra materiæ conſpicuum affluxum, aliquando ad palpebras ſeſe extendens. Altera verò & huic ſimilis ea eſt quæ ſclerophthalmia appellatur, lippitudinem cum tenſione oculorum & immobilitate inducens, qua immobilitate à gerophthalmia diſsidet. At ophthalmia vera & legitima ſolius adnatæ vera eſt inflammatio, ex ſanguine affluente frequentius orta. Itaque, taraxis ſicca & leuis quædam inflammatio eſt omnium oculi tunicarum, diuiſa in gerophthalmiam, & ſclerophthalmiam, phimoſis palpebrarum, chemoſis palpebrarum, & albi oculorum, ophthalmia verò ſolius adnatæ. Quibus ſic intellectis, haud difficile erit noſſe, qua via licet intelligere authores, cùm referunt ophthalmiam fieri per conſenſum, aut à flatu, vel à cauſa externa: ſiquidem vera ophthalmia inflammatio eſt, quæ ſolùm fieri poteſt ex affluenti humore, quã duplicem cõſtituunt, vnam ſpuriam ſeu illegitimam, & pſeudoophthalmiam appellatam, à prædictis cauſis externis aut flatu tantùm ortam, & potiùs phlogoſim ſeu incenſionem & taraxim, aut perturbationem nuncupatam: reliquam verò legitimam & veram inflammationem conſtituentem, quæ ſolùm fit per affluentem humorem, vt dictum eſt. Rurſus hæc inflammatio duplicem poteſt obſidere locum: nimirum adnatam exteriorem oculi tunicam: aut reliquas ſibi ſubiectas à pia & dura matre diſſeminatas: quæ ſanè quòd non ita conſpicua ſit, ad ſiccam etiam reduci poteſt, vt nuper diximus. Itaq; conſtat, dum ſola eſt ophthalmia, ipſam eſſe oculi calidam intemperiem cum materiæ affluxu: nam licèt inflammationi adiuncta ſit ſoluta vnitas & magnitudo, dum hæc ſimul oculi actionem non lædunt, rationem morbi obtinere non merentur: ſunt quippe eo tẽpore ſympthomata. Secus res ſe habet, ſi actiones pariter lædat: nam tunc ophthalmia morbus eſt compoſitus, haud ſecus quã quiuis alius tumor.

Quatenus verò ad cauſarum rationem attinet, modò in extima tunica affectionis cauſa ſit, modò ab interioribus ad ipſam fiat cõmeatus, aut in eiſdem præſit humorum decubitus, duplicem habet cauſarũ differentiam, quemadmodum ophthalmia duplex eſt. Humida vna, quæ affluxum humorum ex ſanguine aut biliоſis & craſsis ſuccis, ac pituitoſo & craſſo ſucco, vt cauſam habet. Quorum humorum vbertas aut paucitas leuem, aut grandiorem generat ophthalmiam. Item eorũ affluxus ad palpebras ſolùm aut ad ipſas & adnatã reliquas duas ophthalmiæ humidæ differẽtias concitat. Præterea altera quæ ſicca eſt, diuerſas ſortitur cauſas: nam aut eſt halituoſa & vaporoſa quædam ſubſtantia, quæ venulas illas ſemel ingreſſa, nequit faciliter reſolui, & ibidem tenſionem & dolorem infert. *Cauſæ.*

Considerare etiam hac in parte externas causas seu euidentes oportet, qualis est puluis,cinis,insolatus , fumus & omne calorificum aut frigidum, quæ secundam constituunt siccarum causam.Fiunt etiam ex humorum affluxu,ad internas tunicas,vel aliquando causæ externæ facilè possunt euocare capitis aut totius corporis humores & veram cõcitare:nam ad curationẽ,licet externæ causæ parui sint momenti,cum hoc tamen effectum quem imprimunt,& humores quos mouent nosse,non leuis est vtilitatis. Considerare item in huiusmodi causis adhuc oportet, vt prosperè cedat curatio,qualẽ sortiantur in capite aut corporis alia parte generationẽ,qualeue principium.Quippe adeò est ophthalmia importuna affectio, adeoq; curatu difficilis, vt omnibus his adhuc probè cognitis,sufficere nõ videatur: nam aliquando ex suppressa prodit vacuatione, cuius cõsuetudine natura corpus incolume tuebatur,vt varice,menstruis,hæmorrhoidibus,vel diutino alui fluxu: item prodit ex totius corporis apparatu,sæpe ex iecoris vitio,plerũque verò ex alimento capitis prauè confecto,vel ex eiusdem excremẽto non satis purgato, sed oculis prę stito per duræ aut piæ matris venulas, vel per eas quæ in pericraneo sunt.Quòd si ophthalmia exacerbationes habeat & incrementa varia,conijcito causam esse nõ uum humorum affluxum:verùm si dolores fuerint vehementissimi cum tensione oculorum,culpam regerere oportet in flatuosam substantiam:si verò cum mordicatione & punctione,in erodentem humorem.

Signa. Verùm quia potissima curandi ratio ab ipsius causæ cognitione depẽdet,simul cum cognitione status ipsius inflammationis, ob id diligenter oportet causam rimari & statum effectus. Sed ante omnia , sit ne per defluxionem , vel per proprium oculorum alimentum vel excrementum ophthalmia, expendisse oportet: nam fluxum monstrat repentina eius inuasio,neque præcesserũt lacrymæ aut sordes,& exacerbationes fiũt per vices & interualla.At qualiter in oculis ipsis esse mali causam cognoscas,mox referam,si priùs monstrauero signis,sit ne spuria aut legitima ophthalmia.Quod ostendit proculdubio tumor cũ dolore,maximè lacryma profluente:nam spuria solũ mutat colorem adnatæ , idque parum ac nonnũquam citra lacrymam & tumorem.Verũ si ex illegitimis phlogosis fuerit,& solùm incensio,curãdum est distinguere,prodeat ne à causa externa,vel à flatuoso spiritu:illud quidem venaberis ex diligenti disquisitione eorũ quæ præcesserunt,fumus ne fuerit,aër,puluis,an immodicus calor: quòd si neutrum fuerit,& adhuc rubori & dolori adiungantur tensio & immobilitas,coniectandũ est flatuosum esse spiritũ:qualiter verò distinguantur omnes spuriæ species,paulò superiùs diximus.Verùm si tumor in adnata tunica conspicuus apparuerit,venarũq; eius turgor & rubor,ac multo magis si palpebræ inuertantur, aut in tumorem etiam attolli contingat,proculdubio credendum est veram esse ophthalmiam . Cæterùm quia hæc à varijs potest proficisci humoribus,curandum est nosse à quo nam eorum principium & augmentum sortiatur:sic profecto dum sanguinis fit affluxu, ex totius corporis plenitudine,rubore & venarum tensione venaberis,sicut ex antè acta vita,ætate, & temperamento laborantis. Signa tamen sanguinem esse in capite ipso euidentiùs constabunt, siquidem non solùm ipsa tunica,sed & tota facies rubicundior solito apparebit, humidior erit,& venæ latiores:aderit & sensuum grauitas,& lactyma quæ profluit, mitior erit: pulsatio item temporum & lippitudo palpebras agglutinans . Quòd si flaua bilis malo causam præstiterit, vel ixor aliquis mordax , lacryma erit vel nulla vel parua , salsa, amara , statim concrescens, erodens & acutè exulcerans , sordes in angulis siccæ & asperæ : color flauus

flauus aut subpallidus,& prauum succum monstrans:dolor erit adeò pungitiuus, vt impatienter eum laborans ferat:tumor minor,excrementa biliosa,vigiliæ, corpus gracile:quod etiam monstrabit ætas,laborantis temperies,anni tempus & victus præcedens, ac nonnunquam febris tertiana.Pituitosum & crudum succum mõstrat tumor laxus,grauitas magna,dolor & color remissus, calor & lacryma mitiores,atq; hæc tenuis & insipida,sordes vel nullæ vel molles:sic de melancholia iudicandũ est,verũ in ea lippitudo minor,color fuscus,affectio diuturnior,& dolor nõ admodum grauis,sed perseuerans cum grauitate . Solet tamẽ difficilẽ efficere huius morbi cũrationem ignorantia loci, seu principij fluxionis : & ob id primò nosse oportet,prodeat ne ex suppressa vacuatione quæ cõsueta fuerat:quod monstrat ipsa citra rationem suppressa:item totius corporis causa fieri,ipsius plenitudo, rubor & dimissum consuetum exercitium,ac copiosius alimẽtum. Sed difficilius longè est cæterarum partium notitiam edisscere:quippe aliquãdo humor profluit per externa vasa,eaque conspicua,vt oculorum anguli & temporales venę tumentes & rubentes commonstrant:nonnunquam verò per interna,& ea quæ intrinsecus promanant, vt monstrat minor tumor,remissus rubor, intensior dolor, nulla palpebrarum affectio, & longè minor à præsidijs conferentia : præterquam quòd dolor etiam ad radices vsque oculorum videtur pertingere : quod in ophthalmia quæ à defluxu per externa vasa fit, non contingit : si quidem & tumor maior est,& pertingens etiam palpebras ipsas,plerumque dolor non ita profundus,rubedo euidentior,venæ conspicuæ & frontis grauitas manifestior. Verũ quia non parũ curationis modũ cuariat nosse,sit ne affectio ex superabundãti alimento,an ex non vacuato excremento,ob id studẽdum est,id signis distinguere. Quippe succus exuberans,venas partis & totius corporis turgidas dolentesq; reddit,caput graue,sensus obtusos,& exacerbationes doloris inordinatæ ac vehemẽtiores sunt:at excrementorum prouentus nihil horum,sed leui concitato dolore, mutatione coloris iuxta naturã excrementi id efficit:sunt enim excremẽta,vel sordes auriũ,vel nariũ pituita,aut lacryma,ex quorũ aut cuiusuis suppressione facile erit nosse ophthalmiã principiũ sortiri:hoc tamẽ vel illud esse ex colore oculi venaberis,& ex defectu eius qui causam aliã præstare poterat.Variat etiã vniuersam curandi rationem tẽpus,& varietas ipsius humoris fluentis, siquidem dum fluxio incipit,diuersa longè opus est curandi via.Sic enim tempora morbi,non quidem quoad coctionem,sed solũ ex morbi essentia metiri oportet, ex principio nimirũ fluxionis,& conspicuo atq; euidenti tumoris augmento,quibus adiunguntur dolor & alia sympthomata,quæ tempora ipsa circunscribunt.

Hunc morbum qui exactè intueatur,reperiet longum aut breuem fore, adhibito in considerationem Celsi decreto lib.6.cap.6.nec non & Hippoc.lib.2.prædictio.inquiunt enim.Si simul & lacryma & tumor & crassa pituita cœperint,si ea pituita lacrymæ mixta est, & ea lacryma calida est, pituita verò alba & tumor non durus , longè valetudinis metus non est . At si lacryma multa & calida, pituitæ paululum , tumor modicus, idque in vno oculo est, longum id, sed sine periculo futurum est: idque lippitudinis genus minimè cum dolore est, sed vix ante vigesimum diem tollitur, nonnunquam per duos menses durat. *Præsagiũ.* Verùm si pituita sicca & arida fuerit, dolorem mouebit, sed maturiùs desinet, ni exulceratio aliqua malum protraxerit: item si pituita alba & mollis lacrymis admiscetur, breuior erit : ita & tumor si magnus sit, & sine dolore, sine periculo est: verùm si cum dolore & siccus, metus est ne exulceretur,aut palpebra

oculo agglutinetur. Præterea ſi prorogetur ophthalmia, periculũ eſt, ne aliquod de ſe in oculis veſtigium relinquat. Sed inter omnes ophthalmiæ ſpecies, ea cẽſenda eſt grauior & curatu difficilior, ac forſan cõtagioſior, quæ in tunicis piæ aut duræ matris ſuccreſcit: maximè ſi putrilaginem conceperit humor ſordidam & venenoſam. Verùm vtrumq; poteſt ſoluere alui profluuium.

Curandi ratio.

Difficilis profectò ſemper habita fuit in hoc affectu curandi ratio: namq; tot habet leges & rationes, quot ſunt cauſæ quæ affectũ ipſum gignũt, præter particulæ dignitatẽ, organizationẽ & indigentiã peculiarẽ, quæ parui momenti non eſt. Sed vniuerſa diuiditur in duas tantũ claſſes, quarũ prima corporis affecti & capitis præparationem, & prouidentiã docet: ſecũda verò affectus ipſius veram curationem commonſtrat. Primam docuit Hipp. 6. aphor. 31. & Galen. lib. 4. pharmac. local. capitibus. 2. 6. & 7. namq; fruſtra eſt particularem aggredi curationem, citra corporis & particulæ affectæ prouidẽtiam. Sic etenim iure optimo dixit: Sanguinis miſsio, & expurgans medicamentum ac diuerſiones, oculorum dolores ſoluũt: nam hæc quatenus ad particulam affectam attinet, minimè nata ſunt dolores oculorũ ſoluere: non enim ſunt anodyna auxilia, neque diſcuſſoria aut repellentia, ſed ideò dicuntur id præſtare, quia partem diſponunt, vt præſtanda auxilia promptiùs operentur. Sic enim primitus corpus cauebis ab aëre lucido, fumo, puluere, vociferationibus, loceturq; in aëre tẽperato, vel modicè frigido aut calido, pro cauſæ exuperantis ratione: cubile iubeto eſſe vel nigro, vel cęruleo colore ſuffuſum, ſomno vtatur nocturno ac moderato ſolùm: cibus ſit boni ſucci & tenuis ſubſtãtiæ, cauẽdo ſemper acria, pinguia, craſſa & vaporoſa. Vtatur inſuper pullis, ouis ſorbilibus, pomis dulcibus aſsis, & in potu aqua: vinum inter initia vitandum, ſolùmq; vel in declinatione, vel in crudis & craſsis humoribus porrigendũ, vt inferiùs docebo. Conturbationem ex frigida cauſa curabis fomẽto ex vino calido, aut aqua calidiori: ſi ex calida, fotibus ex poſca: ex percuſsione verò curat oui albumẽ in oculũ iniectũ, lac itẽ & roſaceũ ſpongia pãno lineo inuoluta adhibitũ, & colũbi ſanguis, præmiſſa ſanguinis detractione: maximè in ſicca lippitudine profunda, hoc eſt quæ in interioribus tunicis inflammatis ſita eſt: quibus omnibus fotus aquæ tepidæ ex vſu exiſtit, aut lac muliebre, vel decoctum maluarum, aut fœnugræci.

Sanguinis detractio.

Quibus ſic inſtitutis, curandũ eſt corporis habitũ & humorem peccantẽ conſiderare: quippe hic aut fluxurus eſt, aut fluit, aut fluxit: ſic proculdubiò, qui morboſum in corpore cõcitat apparatum, demẽdus protinus eſt, habita priùs naturæ eius conſideratione. Nã ſi inflãmatio ex ſanguine ortũ duxerit, vtcunq; corpus diſpoſitum ſit, ſanguinem detrahes, copioſiùs verò ipſo in toto corpore redũdante, idq; ex cõtrario latere primò, quo propriùs retrahas, mox verò ex eodem: quòd ſi leuis copia ſit, ſat eſt ab eodẽ principiũ curationis auſpicari. At ſi præceſsit ſuppreſsio alicuius ſanguinolentæ & cõſuetæ vacuationis, eã protinus à prima ſanguinis detractione curabis reuocare, & ſanguinis detractionem in hac plenitudine inſtitues ex communi vena, ac ſi vires tolerant, largiùs, quo dolor ceſſet & feruor cõpeſcatur, & mox ex ea quæ è directo parti cuius ſuppreſſa ſit conſueta vacuatio, etiamſi ex talo fieri oporteat: ſæpe enim, licèt diſtantior videatur locus, longè vtilior exiſtit: quo facto, ſecare oportet cephalicam eiuſdem lateris. Verùm ſi ſolùm caput ſanguine repleri conſtiterit, ex cephalica protinus & à principio ſanguinem mittes. Quòd ſi vitioſi alicuius humoris copia ſolùm inflammari oculos conſtet, non ſubinde abſtinendum eſt à ſanguinis detractione: ſed conſideranda tunc eſt doloris & tumoris vehementia, & iuxta eius magnitudinem ſanguinem

nem extrahes, cauens ne id ſemel & confertim exequaris, ſed longè parciùs, nimirum quantum dolori ſit ſatis. Id quidem facies ex venis quæ oculis è directo reſpondent, aut ſcarificabis cucurbitulas iuxta ceruicem: quod ſanè præceptum obſeruabis in alijs cauſis, ſanguine ex toto corpore extracto, ſi malum diutiùs durauerit. Corpore igitur hac lege præparato, retractoq; his & cucurbitis, frictionibus, ligaturis, crurum lauacris, hæmorrhoidum ac mẽſium prouocatione, fluxionis impetu, diligenter inquirendum eſt, ſubſitne in capite plenitudo à qua oculorum affectio foueatur; an ſolùm in ipſis oculis humores præſint. Nam ſi primum, ipſum quoque caput præparare euacuando deriuandoq; ab ipſo inundantem humorẽ oportebit. Quo caſu nõ longè à corporis præparatione ſanguinẽ mittere ex venis, quæ caput reſpiciãt erit opus, ne malo inueterato, poſteà nihil proſit, aut forſan obſit: ob idque ex venulis naſi, aut quæ ſub lingua ſunt, mittere ſanguinem tũc oportebit, ſi in intimis eius venis ſanguis abundet: verùm ſi in extimis, ſatius erit venam frontis aperire. Quæ ſanè auxilia multi ex authoribus non niſi iam inueterato malo adhibere audent, quo tempore nullius eſſe momenti comperimus, quia tunc ſatius erit eas quæ in angulis oculorum exiſtunt aperire, quo expiret commodiùs quod in oculis ipſis continetur.

Verùm ſi vitioſus aliquis humor mali cauſa fuerit, habita detractionis ſanguinis prædicta conſideratione, eandem methodũ ſeruare oportebit, expurgantibus medicamentis exhibitis, iuxta Hipp. præceptum lib. de medicamento expurganti, biliоſis humoribus quæ bilem, pituitoſis quæ pituitam expurgent. Cæterùm in hac re conſideret Medicus, longè aliter eſſe adhibenda expurgantia medicamenta in flaua bile redundante, ac in pituita, licèt eadem ſit purgandi ratio in vtriſque, dum totius corporis conſenſu caput laborat. Quippe dum caput ipſum flaua bile abundare cognouerimus, ſubitò & cõfertim & per ea medicamẽta, quæ cum hoc quod leuia ſint, iecur & venoſum genus reſpiciant purgare oportet: nã cùm officina flauæ bilis nequeat eſſe caput, hinc factũ eſt, non expedire mox à principio capitalibus (vt ferunt) purgationibus flauam bilem mouere & exaſperare: cùm euidentiſſimum ſit ibidem non generari, ſed à corpore tranſmitti, etiamſi dum caput calore immodico intẽperatur, exuritq; ob id commotos ſibi ſuccos, neceſſum ſit catapotijs mox à prædicta purgatione vti. Nam catapotia quæ bilem purgant, ob morã, & quia ſomni tempore adhibentur, caput euaporantia, ab ipſo biliоſa excrementa deducunt: cæterùm id non niſi corpore præmunito & purgato, vt dictum eſt, fieri debet. At in humoribus pituitoſis longè aliter res ſe habet: nam præterquam quòd caput omniũ malorũ originẽ arbitretur Hipp. in epiſt. ad Democritũ, ipſum plurimum pituitæ generare, vel ſua ſponte cõpertũ eſt. Quapropter fruſtra cenſeo eſſe totum corpus à pituita priùs expurgare, quinimo conducibilius exiſtit, capitalibus & frequẽtibus purgationibus caput ipſum inanire, vt oculi aptiores ad curationẽ ſuperſint. Hoc vnũ tamẽ in his purgationibus adſeruabis, nimirũ quòd à principio biliоſis leuia adhibeas medicamẽta: nã à grauioribus facilè exacerbantur, & vehementiùs in partẽ inflammatã irruũt: ob idq; ſat erit manna, caſsia, rhabarbaro & mirabolanis vti, dummodo diſſoluatur in aqua lactis. Verũ ſi malũ iam indurũerit, nõ erit ab re paulò maioribus vti, vt pilulis de rhabarbaro, aggregatiuis, aut aureis: cæterùm in pituita & melancholia, fortioribus vteris, diutiuſq; humorem præparabis, vt capite de dolore capitis abundè ſcriptũ reperies: interim tamen ſcito prodeſſe pilulas cochias, alephanginas, de agarico, Arabicas, diaturbith, diaſenæ, diaphenicon, electuarium Indum & confectionem Hamech.

Corpore & capite ſic diſpoſitis,& redundante ſucco euacuato, curandum protinus eſt impetum humoris aliò transferre: ſic etenim proſunt cucurbitulæ ſuris, brachijs & ſcapulis affixæ,crurum frictiones,lauacra & ligaturæ,item & brachiorum. Quòd ſi fluxio impetum capeſerit ab aliquo ſuppreſso fluxu, innitẽdum eſt ipſum reuocare,& impetum hac via compeſcere,quare in fœminis talũ inſcindere,aut ſuras ſcarificare tutiſsimum eſt.

Præmunita hac via parte,& corpore immuni ab humorum copia & ſpurcitia, neceſſum eſt aggredi prouidentiam eius quod in oculum cõfluxit.Integratur autem huiuſmodi curatio tribus omnino ſcopis: primus quidẽ docet repulſorijs medicamentis quod in oculos confluxit pellere:ſecũdus diſcuſſorijs, quæ quod retrocedere nequiuit,per inſenſilem halitũ digerant:tertius verò eis auxilijs,quæ quod diſcuſsioni eſt ineptum,coctione conuerſioneq; in puris aut lemæ naturam, malũ finire poſsint.Itaque in primis,collyrijs medicamentis vti oportet,appellãtur enim collyria medicamenta,quæ humorem contrà fluere efficiunt,quæ in oculum indita,materiam ab eo repellere nata ſunt:hæc autem frigida eſſe oportet & parum aſtringentia,nam plurimum frigida renuit Galen.2.local.&.12.metho.lenia itaq; & mulcebris ſubſtantiæ ea eſſe oportet in ea affectione, cuius generatio & affluxus materiæ nondũ ceſſauit.Sed antequã hinc diſcedã,magnificere ſtudui,quãti periculi ſit,vtcunq; & indiſtinctè in oculorũ affectionibus repellere : licèt re vera nulla ſit in oculis deterior pars,& ignobilior ea,quæ in ophtalmia patitur:itẽ quia eius tunicæ conditio & natura duræ,ſolidæ & denſæ eſt ſubſtãtiæ,à qua poſtquã aliquid receptum habet,pellere difficillimũ ſit.Quinimo arbitrandũ eſt,hoc præſidij genere in pleriſq; laborantiũ fieri vngues & nubeculas,ac reliqua vitia,quæ ſemel facta,non ſine magna Medicorũ & aſtantiũ admiratione,laborantem in cæcitatẽ ducunt immedicabilem.Quapropter,licèt à Gal. & pleriſq; authorum, paſsim frigida hæc & aſtringentia ſcribantur,cautè adminiſtrare oportebit: nimirum dum fluxio nondũ venas ipſius tunicæ egreſſa eſt,ſed ibidẽ adhuc manẽs,facilè repulſu & compreſsione retrocedere poteſt,vt vſu venire ſolet, mox à doloris principio. Verũ ſi,vt ſors tulit, nõ ratò acciderit,denuò dolores exacerbari fluxione reuertẽte,& adhuc quod fluxerat,in poris tunicæ ipſius impactũ mãſerit,adſtringentia renues,quia eis ſæpe fiũt: vt dictũ eſt,vngues & nubeculæ,vel vnius ſolùm noctis ſpatio:tunc quidẽ ea adhibebis vel actu calida,vel concoctorijs,aut diſcuſſorijs admixta,niſi doloris vrgentia actu frigida adhibere cogaris . Itaque ſi ſola, neceſſum ſit, quæ repellunt adhibere, actu calida adminiſtranda eſſe conſulit rei natura:ſi verò alijs admiſceãtur,frigida tutò adhibebis.Præterea,non ſolùm quod hucuſq; dictũ eſt, renuit indiſcriminatam repellentium adminiſtrationem,ob particulæ naturã & peculiarem conditionem,ſed etiam variæ ſunt humorũ ſortes, quæ prædictorũ medicamentorũ contactũ etiã ſubterfugiũt & renuũt. Huius naturæ eſt corporis plenitudo,humoris in parte contẽti copia,craſsities,tenuitas & dolor oculorũ acerbiſsimus: craſsities enim medicamentis repellentibus non obſequitur, ſicut neque copia:tenuitas compreſsionem illudit,præter labitur, & ob id preſsiùs in parte figitur: dolor ab adſtringentibus compreſſa materia augetur . Denique prudenter & cautè repellentia hæc adhibere conuenit,cum hæc & alia non minoris momenti , ex indextero eorum vſu ſuccreſcere ſoleant. Inquit enim Ætius ſermone .7. capit. 4. prudenter eſſe adhibenda his qui oculos habent glaucos, vel venis ſcatent amplioribus : quippe hi non ferunt collyriorum frigiditatem & adſtrictionem , congelaſcit enim oculus & viſio offenditur . Sic & Auicen. 3. 3. cap.

cap.9.inquit.Et oportet in quantum poſsibile eſt,vt retardetur collyriorum adminiſtratio vſque ad tres dies:& paulò infra.Oportet vt in principio nõ adminiſtrentur inſpiſſantia fortia,& quæ ſunt vehemẽter ſtiptica,quoniam ſpiſſant tunicas,& prohibent reſolutionem & magnificant dolorem . Quod ſanè præceptum multi perperam intelligentes,arbitrantur collyria medicamenta non eſſe adhibenda niſi tranſactis primis tribus diebus: ego autem cenſeo ſolùm eſſe adhibẽda primis tribus diebus, quo tẽpore fluxio adhuc perſtat in venulis,poſteà verò ad diſcuſſoria deuenire oportet,& collyria non debere eſſe admodum adſtringentia ob præfata ab ipſo Auicen.mala.His itaque ſuppoſitis,primò expendes frigidus ne ſit,an calidus qui fluxit humor:quippe ſi frigidus pituitoſuſue fuerit, longe cautiùs & mitiùs repellentibus veteris,& his quæ minus frigida ſint:cuius naturæ eſt collyrium de ſpica roboratum ſucco mentæ,raphani aut virgæ paſtoris. At in proceſſu mali,maximè apparentibus ſignis coctionis,vtendum eſt emplaſtro ex anetho & folijs maluæ in vino aſtringenti decoctis:aut ex meliloto & ſpica, vel ex fœnugræco & roſis in vino pariter ſtiptico decoctis: & pari ratione inſtillare oportet collyrium prædictum de ſpica cum aquis meliloti aut fœnugræci. Item perſtantibus adhuc eiſdẽ ſignis coctionis,ex vſu erit puluis citrinus (cuius in fine capitis meminero) cũ mucagine fœnugræci aut meliloti:quo etiam tempore balnei vſus ac vini potus non ſunt parui momenti.Cæterùm ſi materia quæ fluit, calida acriſue ac mordax fuerit,adhibenda ſunt quæ præter id quod repellant, materiæ quoque acrimoniam & feruorem reprimant:cuius naturæ eſt portulaca trita,intybus,viola,ſolatrum,aqua roſarum & myrti,vel pſylium in eiſdẽ infuſum , quibus addes collyrij albi modicũ, atque in eiſdem perſtabis donec lippam & lacrymã ceſſare aliquantulum compereris.Quo tempore, prædictis addere oportet quæ concoquendi & reſoluendi vires habent,qualia inferiùs copioſiùs recenſebo, ſi priùs dixero hæc veluti exempla, aduerſus calidum aut frigidum fluxum ſufficere:hoc vno animaduerſo,quòd licèt fluxio ſit frigidi humoris, ob contractum calorem ratione inflammationis,non vt humoris eſt natura,calfaciendum eſt,ſicut in calido humore non impenſè refrigerandum.Sed mox à principio vtendum eſt his,quæ id leuiter efficiant ac dolorem ſedent,& cum hoc mulcebrem reddant humoris deterrimam conditionem:quorum placuit vberem copiam ſcribere, vt ſubſit in prolixo & importuno hoc malo ſufficiens præſidiorum materia.

Cognita inflãmationis conditione, & fluxionis etiã impetu,ſat eſt principio repulſionis, roſarum ſuccus,oui liquido tenui,aqua roſacea aut plantaginis admixtis , vel ſufficit lac muliebre aut aſinæ panno prædictis ſuccis aut liquoribus inſuccato,priùs tamen modico eorum in oculum inſtillato,veluti aqua roſarum , albumen oui, mucagines pſylij,ſeminis citoneorum,tragacantha,lac etiam muliebre, quo cautè veteris,aut liquore aliquo ſibi admixto, quo minus corrũpatur aut inflãmetur: mica etiam panis aqua aut aliquo ex prædictis decoctis madida. Hũc vſum etiam præſtant oculo inſtillata collyria monoemera , id eſt ab vtilitate vnius diei ſic appellata,quę conficiuntur ex ſarcocolla,glauco,croco,& tragacantha cum ſucis aut aquis ſupradictis.Poſt quæ omnia,aut mox factis vacuationibus,vel interim dum fiunt,ad ea quæ dolorem leniunt deuenire cogit doloris ipſius vrgentia,quæ vel per ſe ſola,ſi omne conſilium doloris immanitas ad ſe vertat,vel alijs admixta porriges.Proſunt probè oculis:ſedandi doloris gratia, decoctũ violarum,roſarum, ſeminis pſylij, papaueris albi, corticis radicis mandragoræ,foliorum populi (quò etiam repulſio admixta ſit)ſalicis,rubi,myrti & ſimilium(habito ſemper naturæ humoris

moris reſpectu) quæ vires habeant repellendi ſimul , & leniendi dolorem. Huius etiam naturæ ſunt ſuffitus ex fœnugræco,ouorum lutea decocta quouſque indureſcant, admixto croco , & lacte mulieris, vel ſi cauſa frigidior fuerit,melle.Probatur quoque lac cum panatella,vitellum oui cum lacte,pomũ aſſum cum ſaccharo,item vitellum oui cum lacte mulieris, & roſaceo ſimul mixtis: vel emplaſtrum ex luteo oui,melliloto,pane & roſaceo.Quòd ſi dolor fuerit ex vulnere(& cum hoc omni dolori prodeſt)ex vſu eſt illa oui albuminis pars quã vulgus gallaturam appellat,quæ(vel pluribus iunctis)debet plurimum conquaſſari , & in oculum infundi,& mirum in modum prodeſt. Item lana ſuccida roſaceo & mulſo imbuta,& iuxta frontem poſita:portulacæ folia trita,cum peponis carne & hordeacea farina: puls ſimiliter ex hordeacea cum mulſo: violæ luteæ cum myrrha & croco.Præterea inflãmationes doloroſas palpebrarum leuant lauri folia tenera trita cũ pulte hordeacea,ſpongiarũ molliſsimi penicilli ex mulſo impoſiti. Quòd ſi flatus dolorem & turgorem efficiant,fomenta & balnea proderunt, & vapor ex milio candefacto:ſtupefacientia verò cauere opertet, cerebrum enim propè eſt, quo maius impendet periculum.Sic profectò,vtriuſque indicationis gratia,vteris oui albumine vehementer agitato,ac detracta ſpuma cum decocto papaueris albi aut aqua roſarum,cum goſypio inſuccato, facta inſtillatione ſupra oculum . Prodeſt & aliud quod recipit mucaginis ſeminis pſilij,& citoneorũ extractæ in aqua papaueris.ana.ʒ.j.liquoris tenuis oui.ʒ.vj.caphuræ:g.viij.croci. g.iiij.& vbi dolor vrgentiſsimus extiterit,vtendum eſt(cautè tamen & raro vt diximus propter cerebrum)duobus granis opij,ſed ab eius vſu protinus decocto melliloti tepido oculus foueatur,quo intemperies ab opio relicta compeſcatur. Quòd ſi morbus augeatur, vtendum eſt alio quod recipit ceruſæ, plumbi loti cum aqua roſacea, perſicariæ,camphoræ ʒ.ß.cum oui albumine fiat collyrium,quod vſus tempore lacte muliebri aut aliquo ex prædictis decoctis diſſoluatur.Verùm ſi dolor indies augeatur vtendum eſt collyrio albo Raſes ſine opio,vel cum modico lacte mulieris diſſoluto.Adde etiam emulſionem ſeminis papaueris, & pſilij cum albuminis oui liquore, ac . ʒ. j. coralli rubei præparati, quæ omnia excipiantur mica panis lacte caprillo cocta,& oculo admoue.Cauendum tamen eſt,niſi vrgentia mali coëgerit, ab opiatis medicamentis:nam ſæpe plus obeſſe viſui,quàm proſint inflammationi compertum eſt.Et ob id ſæpius monere ſtudui.

Extra tamen adhibere oportet temporibus & fronti medicamenta,quæ repellendi vires obtineant,quæ maiorem adſtrictionem ſortiri poſſunt:ex quibus cataplaſma conficies,vt ex aquis & liquoribus aut ſuccis ſupradictis,& præcipuè ex albumine oui cum pulueribus ſanthalorũ,papaueris,maſtichis,thuris,roſarum,gypſi,boli armeni,amyli,tragacanthæ,& huius cenſus alijs. Frons item illiniri poteſt ex plantaginis,ſolani,vel ſemperuiuij ſucco,albo oui,vel roſaceo oleo,vel aqua bolo armeno,& pauco aceto admixto.Laudat etiam Gale.lib.de facilè para.viridia vitis folia in modum cataplaſmatis fronti aſsidùè inhærentia, aut folia myrti ſeu lentiſci, vel ſuccum rubi,aut portulacæ.Probantur etiam limacia trita & fronti adhibita.Cum hoc tamen ſcito , his non eſſe vtendum , niſi corpore ſatis euacuato. Quippe certum eſt,ſi per adſtricta his medicamẽtis vaſa remeare tenẽtur repulſi humores,impoſsibilem eſſe eorũ recurſum;cùm viæ anguſtiores factæ nullo modo capere poſsint prædictos ſuccos, ſi vaſa plena ſint. Quamobrem caueto,ne ſimul ab oculis repellas,& temporum venas cataplaſmatis,aut frigidis pharmacis adſtringas. Ego enim ſemper vtilius eſſe ſum expertus his cataplaſmatis vti, cùm diſcuſ-

ſoria hæc ad oculos euocent,compreſsis fluxionis vijs.Quòd ſi vſus indigentia poſtulauerit,vteris hoc,quod recipit roſarum rubearũ,nymphææ & violarum ana.ʒ.iij.ſanthalorum omnium.ana.ʒ.ij.ſeminis papaueris albi, corticis malignati.ana.ʒ.j.boli armeni & myrtillorum.ana. ʒ.ß. fiat puluis ſubtiliſsimus, qui cũ aceto & albumine oui fiat ad modum vnguenti, fronti ac temporibus illiniendis idonei.Diſcutit etiã & modicè adſtringit,vt iam creſcente malo,& tranſacto principio opus eſt,ſtillatitia aqua ex fœniculo viride contuſo,ſyrupo myrtino, chelidonia & mucagine pſyllij cum ſaccharo roſaceo diſſoluto in aqua papaueris.

Quòd ſi ne his quieuerit importuna affectio,coniectabile eſt,plurimum adhuc humoris exiſtere in partibus affectæ parti vicinis,quod per vicina membra etiam deriuare oportet,ſanguine extracto à venis,quæ è directo caput reſpiciunt, vt à venulis naſi,à vena frontis,aut ſincipitis , vel ab eis quæ poſt aures & in temporibus exiſtunt,è quibus eligenda eſt,quæ rubicundior tumentiorq; extiterit. Harum tamen ſciſſionem cautè facito,& cum perito artifice , ac non niſi reliquis præſidijs fruſtra tentatis,ne tibi quid deterius accidat . Conterit etiam reliquias humoris, ſciſſa oculi ea vena,quæ eſt in maiori angulo:cui hirudines affigere , ſæpe magni fuit momenti.Præſtat & ſciſsio eius,quæ eſt inter pollicem & indicem,quæ etiam in principio ſciſſa,vt de reliquis dictum eſt,plurimum deriuando diuertit à parte affecta quod iam iam fluxurum erat,& longè minus imbecillitat. Arteriarũ verò ſectio non temerè aggredienda eſt,ſed vbi inflãmatio ex ſanguine fit ſpirituoſiori & feruido,cum graui oculi dolore & pulſatione,ac tentatis priùs alijs auxilijs, vt Gale.docuit lib.de ſanguinis miſſ.cap.vlt.&.14.metho.ad fi.& cucurbitulis etiam affixis ſcapulis & ceruici,ac ſuperioribus brachiorum partibus,& prope humerum ſcarificatis,ſectionem arteriarum ſupplere poteris.

Quòd ſi adhuc perſtiterit rebellis paſsio, cõiectabile eſt,ex humore aliquid eſſe impactum & craſsius, quod repulſioni eſt ineptum:cuius gratia reſoluentiũ medicamentorum non nihil admiſcere oportet,modeſtè tamen aut cum maiori efficacia,prout humor magis minuſue calidus aut frigidus fuerit:ſunt autem hæc,caro pomorum dulcium aqua camemali decocta: vel mica panis madefacta in decocto fœnugræci aut melliloti: vel decoctum ipſius fœnugræci per ſe ſolùm,quod miris laudibus extollit Galen.Qua parte monitum velim lectorem,longè præſtantiorem eſſe huic muneri herbam ipſam probè lotam , quàm ſemen quo vulgariùs vtimur: eſt enim calidum ſecundo ordine,& ſiccum in primo,vt Galen. aduertit 8.ſimpli.cap.de Teli.& ob id non rarò exacerbari ophthalmias conſpeximus:præparare enim folia tutius eſt,vt Ætio placuit lib.7.cap.15. Item in principijs tutia præparata repellit & digerit,præſertim muliebri lacte priùs nutrita,aut oui candido diſſoluta:ſaccelli etiã parari poſſunt ex eiſdem herbis & rebus, quæ in eodem decocto madefactis plurimum proſunt.Quæ ſanè tanto calidiora porriges, quãto tibi conſtiterit materiam eſſe frigidam:nam calidam non rarò diſcutiunt modicè frigida auxilia,ob partis attemperamentum & reductionem ad antiquum ſtatum,quod non parui momenti eſt nouiſse.Quòd ſi concoquere ampliùs fuerit in animo,myrrham & crocum nuper adductis medicamẽtis addere oportet , & balneis vti,quæ moderato calore concoquant,& non nihil etiam digerant.

Verùm ſi humorum craſsorum copia in ſolo capite redundauerit,citra adſtringentium & repellentium adminiſtrationem,adhibere tantùm oportet,quæ reſoluendi vires habeãt:qualia ſunt quæ nuper adduximus, addita etiam theriaca,quæ in diſcutiendis huiuſmodi humoribus,miram habet efficaciam. Quòd ſi craſſus humor

humor aut vapor in ſolis oculis præfuerit, eo tempore adhibenda ſunt quæ Hippocr. præcipit, balneum nimirum & vinum, quæ nulli alteri cauſarum vſquam cõuenire poſſunt, ſicut fomenta, quæ huic vſui proficua ſæpe experimur. In hac tamen indicatione quæ impactum humorem reſoluere docet, hoc diligenter obſeruato: primùm quòd fronti & temporibus adhibeas quæ fluxionem inhibeant, maximè cùm diſcutientia eam non rarò ſoleant excitare: ſecundùm, quod eadem ſenſim & paulatim, tranſacto fluxionis impetu & principio, adhibeas: ſic repellentibus ſi affectio non quieuerit, admiſcebis quæ vires habeant modicè reſoluere, vt ſarcocollæ nutritæ in lacte mulieris. ʒ.j. addereq; poteris aquæ euphraſiæ, fœniculi & chelidoniæ quantum ſat ſit. Prodeſt & aquarum prædictarum aliqua in oculũ inſtillata, vbi per noctem maduerit in ipſa mica panis albi: nam vt anteà dictum eſt, quæ moderati ſunt caloris feruorem reſtinguendo, etiam modicè digerunt. Eundem vſum præſtabit ſi admiſcueris repellentibus decoctum camemali, fœniculi, verbenæ, & meliloti, vel mucaginem ſeminis lini, fœnugræci & altheæ. Parabis etiam compoſitum medicamentum, quod recipit ſeminis fœnugræci aqua frigida loti. ℥.ij. vel foliorum eius. m. j. fiat decoctio, cui adde liquoris albuminis oui fortiter agitati. ℥.ij. Aliud conficies, quod recipit florum camemali & meliloti. ana ℥.j. coquãtur in aqua roſacea, & in. ℥.xv. prædictæ decoctionis, infunde ſarcocollæ nutritæ in lacte mulieris. ʒ.j. ℈. vel tutiæ præparatæ. ʒ.j. quòd ſi velis albumen oui addere, tanto minus adijcies, quanto morbus à principio receſſerit. Verùm ſi dolor prævaluerit & ampliùs vacuationibus vti non detur, tunc quidem doloris, repulſionis & reſolutionis gratia vteris puluere qui recipit ſarcocollæ. ʒ.v. aloës lotæ in aqua roſarum. ʒ.j. tragacanthi. ʒ.℈. opij. g.ij. miſce. Quo etiam tempore ouum crudum integrum, ſine teſta cum lacte muliebri exceptũ goſypio apponi poteſt, maximè ſi aquæ fœniculi modicum admiſcueris: prodeſt & albumen oui cum aqua roſacea & modico vino: item pomum aſſum aqua euphraſiæ, vel decocto meliloti & fœnugræci irroratum. Vteris enim mucagine pſyllij in principio, vbi ſolùm repellendi mens eſt: cidoneorum in augmento: lini & altheæ in ſtatu: fœnugræci in ſtatu vel in augmẽto, ſi repellentibus admiſcueris. Quòd ſi propè ſtatum aliquo ex compoſitis vti volueris, hoc facito quod recipit aquæ euphraſiæ, fœniculi & chelidoniæ. ana. ʒ.j. aloës lotæ in vino albo. ʒ.j. ℈. tutiæ præparatæ. ʒ. ℈. ſacchari candi ℈.ij. ſyrupi roſarum ſiccarum. ℥.℈. fiat collyrium. Morbo autẽ iam in ſtatũ exiſtente, licet nimium calorificis vtendum non ſit, ne fluxio reuertatur, liberaliùs tamen vtendum eſt decocto fœnugræci, camemali, meliloti, addita ſarcocolla, tutia aut croco; vel in declinatione aloë ad maiorem diſcuſsionem: paratur etiam diſcuſsioni frigidorum humorum idoneum medicamentum ex vino. Pari prorſus ratione inclinante affectu, vini aliquid prædictis pharmacis addere oportebit, balneis etiã & fomentis vti. Qua in re expendendum eſt, in frigida materia audaciùs eſſe diſcutiendum repellendumq; modeſtiùs: in calida verò liberaliùs repellere poteris, & cautiùs digerere. Verùm ſi aliquid impactum hærenſq; oculis apparuerit, quod digeri nullo modo poſsit, ex his quæ modicè cõcoquunt nonnihil admiſcere oportebit, qualia ſunt hæc eadem quæ digerunt, admixtis quæ modicum habeant lentorem, vt calorem digerentium mitiorem reddant. Quem quoque vſum præſtat ouum coctum durum, calens oculo ſuperpoſitum, ſicut in frigida ophthalmia fluxione reſtituta, præſtat vini meracioris potus. Verùm vt ſubſit collyriorum quæ his vſibus proficua experimento didicimus copia, placuit hac in parte nonnulla referre, quæ maximi fore momenti ſum arbitratus, præſertim ſi quis eis prudenter & cautè

& cautè vtatur. Cæterùm quia dictum eſt, frigidis fluxionibus prodeſſe collyrium de ſpica, neceſſum eſt docere qualiter fiat: recipit quidem ſarcocollę. ʒ.v. ſpicæ. ʒ.ij. foliorum roſarum. ℥.℈. croci. ℈.ij. opij. g.x. aloës. ʒ.j. caphuræ. ʒ.℈. gummi Arabici, amyli, tragacanthæ. ana. ʒ.j. cõponito aqua pluuiali: placuit ſecuritatis gratia, opij quantitatem minuere. Præterea ſunt inter collyria quædam, quæ calidis opitulantur fluxionibus, alia quæ omnibus ſunt proficua, eo quòd dolorem ſedent: ſic primum recipit gummi Arabici, tragacanthæ, amyli. ana. ℥.℈. ceruſæ lotæ. ʒ.vj. opij ℈.℈. confice cum albumine oui, vel mucagine pſyllij. Aliud recipit ſarcocollæ nutritæ lacte aſinino. ℥.℈. amyli, tragacanthi. ana. ʒ.iiij. opij. ℈.℈. olibani. ʒ.j. &. ℈. ceruſæ lotæ. ʒ.vj. cum mucagine ſeminis citoneorum, aut fœnugræci formetur. Aliud calidioribus fluxionibus proficuum, recipit clymiæ priùs lotæ poſteà aduſtæ & extinctæ in lacte muliebri. ʒ.x. ceruſæ lotæ. ℥.j. opij. ʒ.j. ſcoriæ ferri, tragacanthi, gummi Arabici. ana. ℥.℈. vniantur poſt ſcoriæ ſubtilem præparationem, cum aqua pluuiali. Aliud quod reliquis efficacius eſt ad dolorem ſedandum, recipit ſarcocollæ ʒ.iij. ceruſæ. ʒ.v. amyli, tragacanthæ, gummi Arabici. ana. ʒ.ij. croci. ʒ.j. &. ℈. opij. ℈.ij. omnia præter opium conterantur in puluerem tenuiſsimum: opium ante diſſolue in aqua roſarum, aut lacte mulieris, & miſce cum alijs conterendo in vaſe lapideo, quouſquè mellis compagem acquirat. Puluis autem citrinus, cuius à principio curationis frigidæ fluxionis meminimus, recipit ſarcocollæ. ʒ.x. collyrij memithæ. ʒ. iij. licij, aloës. ana. ʒ.ij. croci. ʒ.j. &. ℈. ſpumæ maris. ʒ.℈. terantur & miſce.

Verũ ſi neque his omnibus affectio quieuerit, diuturniorq; facta fuerit, neceſsũ eſt ad maiora auxilia deuenire: quapropter ſi cõſtiterit per externas venas fluxionẽ ferri in oculos, eaſdem ferro candenti inurere oportet, tribus nimirum locis: in medio videlicet frontis, qua parte vena bifurcatur, & in temporibus, cauentes tamen muſculos temporales. Quòd ſi per internas venas fluxio prolabatur, ſetonẽ occipitio affigere erit neceſſum, aut in vtroque vel altero brachiorum fontanellã aperire, quæ fluxionem ipſam ab oculis retrahat, & reiterata purgatione, ac laborante debita victus inſtitutione gubernato, ipſam minuat.

De aurium dolore. Cap. XXIII.

SOLET auris dolor tantum faceſſere negocium, vt mortem nonunquam ſolus accerſat, vel ſaltem cerebri affectus magni momẽti, velut delirium, phrenitidem, carum & apoplexiam. Dixerat enim Celſus non ſine magna ratione, aurium morbos cerebro quam citiſsimè communicari, oculorum verò vitia intra ipſos manere: quo fit, vt diligenter expediat eius cauſas, ſigna & medelam rimari. Cuius gratia expendere oportet, neruum illum à quinta coniugatione diſſeminatum, qui in dilatatam quandam planitiem in foramine auditorio degenerat, tactus & auditus obtinere rationem, eſſeq; harum actionum inſtrumentum, etiam ſi tactus à ramuſculis eiuſdem nerui per eandem partem diſſeminatis, prodeat. Quo fit, vt lædatur ſæpe ſenſus auditus citra læſionem tactus & è cõtra. Quamobrẽ duplex erit ſympthomatum genus ad hanc partem pertinens: primum quatenus eſt auditus inſtrumentum: ſecundum quatenus tactui inſeruit, in quo acerbiſsimos lethaleſq;

concitat

concitat dolores: quo tempore sympthoma erit prodiens à morbo in intemperie vel soluta vnitate. Verùm quia ea quæ vel distemperant vel continuum soluunt, & rursus partes quæ in aure dolent, non sunt vnius naturæ & cõditionis, ob id profectò, doloris quoque natura non vna est, sed multiplex. Quippe vel punctorius est dolor, vel stimulans, vel tensiuus, grauis aut pulsatilis: quas sanè differẽtias sortitur, vel ex natura causæ, vt dictum est, vel ex partis affectæ intra aurem conditione. Nã vel neruus ipse oblæditur, vel membranarum quæ ipsum inuoluunt aliqua, vel tunica quædam qua ossicula quæ meatum auditorium constituunt extrinsecus obteguntur: quæ quidem omnia licèt curandi vniuersalem rationem non euarient, requirunt tamen in artifice maiorem vel minorem prouidẽtiam, prout magis vel minus vna quàm alia facessit negotium, aut periculum.

Causæ. Sic quoque causæ natura prædictam differentiam fabrefacere potest, cùm constet hoc malum fieri posse multis de causis: nimirum ab inflammatione eiusdem nerui, aut alicuius partis intra aurem existentis, nonnunquam à nuda distemperie calida aut frigida, sæpe à flatuosa substantia, sæpissime ab humoribus calidis aut frigidis, qui vtraque ratione dolorem inferant: frequenter tamen à re aliqua externa veluti aqua, puluere aut lapillo aliquo, etiam aliquãdo à pure quod ex rupto abscessu ex aure prorumpit. Considerabis etiam fiat ne per consensum, vt sæpe accidit, à toto corpore, sicut per crisim, vel per febres, aut à parte aliqua, velut ventriculo, aut vtero. Hæ enim sunt causæ, quibus dolor in aure excitatur, iuxta quarum varietatem licet etiam medendi rationem variam scribere. Sed in causarum enumeratione consideratione dignum est, quanam ratione Galen. aut Græcorum aliquis, nullam caloris fecerit mentionem, cùm Arabes omnes eam frequenter memorauerint inter causas, quinimo Hippoc. 3. Aphor. inter morbos ætatis recenset dolorem auris. In qua re statuendũ est calorem per se rarò dolorẽ concitare in hac parte, quin priùs moueat ac liquet cerebri pituitã, ac euocet ad caput bilẽ, quibus necessum est prædictam partem dolere.

Signa. Prædictarum verò causarum cognitionem signis ediscere oportet. Est tamen dignotio inflammationis facilis, nam præter febrem quam semper habet comitem, pars compressionem quãdam persentit, calorem ingentem, dolorem pulsatiuum, ruborem auris & partium vicinarum, grauitatem capitis, plenitudinem venarum illius partis & oculorum cum graui auditione. Si verò calor causa sit citra affluxum materiæ, ex capitis leuitate, calore, & rubore partis facilè dignosces: sicuti si frigiditas, ex pallore faciei & dolore graui ac remissiori. Si verò cum affluxu crassi humoris distemperies fuerit, hæc omnia aderunt cum capitis grauitate, venarum tensione & rubore atque graui auditu: ac si humor fuerit acris & mordax, cum sensu exulcerationis. Verùm si flatuosa substantia mali causa fuerit, dolor acutior erit, sed tensiuus citra plenitudinem aut grauitatem: hoc tamẽ vnum peculiare obtinens, quòd per interualla repetet: nam vt à crassa materia flatus eleuatur, & caloris actione discutitur, ita dolores exacerbantur & quiescunt cum auditus perspicuitate. Verùm si pus acre & mordax causa fuerit doloris, ipsum profluens se ostendet, sicut externam causam ex assistentium & laborantis relatione facilè perdiscere poteris: sic ex vitio nerui auditorij prouenire comperies, eo quòd auditus quoque lædatur, ac sæpe vel caput compatiatur, vel vnum aut plures ex reliquis sensibus internis aut externis: in reliquarum verò partium læsione non itares se habet, ni plurimum affectio crescat.

Præsagiũ. Est tam sæua huius mali cõditio, vt si cũ febre sit, & vehemẽter affligat, periculũ afferat

afferat delirij, aut aliquorum affectuum, quos anteà recensuimus, vel mortis. Nam minores natu septimo die aut citius ab hoc morbo interimuntur: natu verò maiores tardiùs, febres enim ac delirium minus eos infestant, & aures eis ob id anteà suppurantur, sed per has ætates morborum recidiuæ euenientes plurimos interimunt, vt Hippocrat. refer. 3. prognost. licèt anteà dixerit absolutè pronuncians. Aurium dolor acutus cum febre continua, ac vehementi difficilis est, periculum enim delirij, & mortis imminet. Itaque constat, siue iuuenibus, siue reliquis alterius ætatis contingat, æquè grauissimum & maximè periculo obnoxium esse: nam iuuenibus calida & acuta cerebri pathemata subsequutura timemus, senibus verò siderationem, pueris quidem conuulsionem & alia lethalia accidentia, æquale his omnibus periculum extans: alijs ob immodicum calorem, alijs quidem ob ingentem obstructionem, reliquis verò ob imbecillam partium facultatem. Qualiter verò his potiùs quàm illis ab Hippocrate læthalis censeatur prædictus aurium dolor, parte primo loco adducta, expendendum nunc est: cùm constet senes parum, aut nihil causis hunc morbum facientibus resistere, præterquam quòd dissimilior est illis hic morbus. Quibus rationibus suffragatur Galen. 7. aphorismorum. 41. dicens: Omnia mala peiora fiunt propter ætatis imbecillitatem. Item. 2. prognost. 69. statuit ex nullo morbo senes magis quàm natu minores conualescere, ne dum posse citius tumorem suppurare. Verùm si quis rem hanc diligentiùs consideret, reperiet solùm esse virium robur expendendum, non quidem annorum numerum, vt optimè Galen. in commento expendit: quibus æqualibus periculosior erit dolor in iuuenibus ob grauitatem accidentium, ob agilitatem materiæ & fœuitiam ex his prodeuntem: at senes habent correpugnantes humores, & frigidam naturam, quibus si adsit æquale virium robur, longè minus periclitantur, potiùs quidem ex hoc accidenti, quàm quòd affectus non sit eiusdem periculi ac in iuuenibus. Præterquàm quòd senibus minus infestant febres ac delirium, quæ solent maius periculum accersire, quia priùs aures suppurantur quàm in delirium affectio commigret: nam minores natu ob dicta accidentia, ante suppurationem commoriuntur.

Curandi ratio. His præmissis fundamentis, vniuersa medendi ratio tribus tantùm capitibus constat: primum sanè docet in omnibus causis dolorem sedare: secundum causam auferre: tertium verò, si quid vitij in aure supereſt, demere & corrigere. Prima igitur methodus hoc habet proprium & peculiare, vt omnibus causis dolorem inferentibus consimilem rationem sedandi dolorem doceat: nam mitigatio doloris leuem recipit à causa differentiam, à doloris quidem vehementia maximam, à particula verò affecta aliquam. Sic enim à quauis causa oriatur dolor, mitigari desiderat, per lenientia tamen medicamenta: nam licet auditorius meatus possit vehementiora sustinere dum dolet, vt accetũ, mitigari tamen expostulat per ea quæ lenia sunt, & tẽperata (meatus enim hic in aditu vehemẽtia perfert, vt Galenus dixerat: verùm dum ad interna perueniunt, ob duræ mẽbranæ & nerui viciniam, medicamenta vehementia vereri omnino oportet) nam ab his in quibus aliqua qualitas excedit, facilè exacerbatur: præstat enim priùs dolorem lenire, quo faciliùs laborans auxilia perferre possit: quippe si eisdem & dolore vires conteras, mirum nõ est si grauiorem reddas affectum. Quòd si inualescat ampliùs malũ, ad narcotica deuenies, seruato in hac re Auic. consilio. 4. 3. cap. 8. dicẽtis. Oportet vt postponãtur narcotica vsquequo timeatur syncopis, & propriè cũ fuerint humores frigidi nocẽt eis valde, & post eorũ vsum administra castoreum.

In qua re Galen. commendauit antiquorum ſententiam, qui vt fugerent hæc damna, opio vtebantur torrefacto, quo faciliùs frangeretur eius efficacia. Verùm quia plus iuſto retunditur vi ignis eius potentia, ob id idem Galen. commendauit huic vſui mixtionem eius cum caſtoreo, quo exceſſus faciliùs & ſecuriùs corrigitur: vtcumque tamen ſit tutius eſſe arbitror opio quàm rariſsimè, aut maximè correcto in capitis affectibus vti. Cum hoc tamen omni arte ſtudendum eſt dolorem ſedare: quem vſum ſecuriùs præſtat in huiuſmodi doloribus ſuccus rutæ cum ſanguine anguillæ: ſuccus roris marini cum oleo roſaceo & ſapone, adeps pulmonis vulpis auri admotus. Idem præſtat ſpolium ſerpentis oleo feruefactum. Item decoctum cocleæ factum oleo amygdalarum dulcium, medulla etiam crurum porci. Sedat item dolorem & inflammationem compeſcit id quod recipit olei violarũ ℥. iiij. mucaginis ſeminis pſylij, & radicis altheæ extractæ cum lacte, aut iure pulli, vel aqua hordei ℥. j. medullæ crurum vituli. ℥. ß. fiat linimentum. Præſtat & inungere aurem extrinſecus oleo papaueris, aut in aurem infundere mucaginem fœnugræci, ſeminis lini, citoneorum, aut pſyllij, cum aliquo ex prædictis oleis, aut pinguedinibus: item lac muliebre calidum ab vbere, oleum de ſemine cucurbitæ, amygdalarum dulcium, ſeſaminum, & axungia quæuis recens, & alia etiam quæ huius naturæ ſunt, & plurimùm præſtare noſcimus, modò cauſa ſit inflammatio, modò flatus aut diſtemperies quæuis ex ſupra dictis. Quòd ſi hæc omnia prodeſſe non videantur, conſultiſsimum eſt laboranti iuxta ſomni horam. ℈. ß. aut. j. phylonij Perſici præbere, aut ſi parum profuerit. ℥. ß.

Secunda methodus docet, ſedata doloris vehementia, aut mox à mali principio, aduerſus cauſas pugnare his præſidijs, quæ è directo cauſæ ſint contraria. Quippe in calida intemperie vtendum eſt albumine oui, lacte mulieris ſolo, aut cum guttulis ſucci ſolatri vel coriandri viridis, ſucco granatorum cum oleo roſaceo, vel oleo lumbricorum, aut ſolo roſaceo. Quòd ſi frigidam conſtiterit eſſe intemperiem, eamque nudam, tunc quidem valet caſtorei modicum cum oleo, aut (vt Scribonius refert) picis flore: in quem vſum commendauit Zoarus oleum de vitellis ouorum, & Rabi Moſes. 22. aphoriſmorum oleum de ſemine cannabis: item Ga. oleum rutaceum, camemalinum, coſtinum, cum ſucco origani, aut lacte mulieris: nec non & ſuccum cepæ cum adipe anſerino, aut cum oleo amygdalarum dulcium, pipere & caſtoreo, aut euphorbio. Proſunt & euaporationes ex decocto abſynthij, camemali & origani. Verùm ſi flatus (vt ſæpe aſſolet) huic cauſæ & affectioni adiungatur, prædictis addere oportet quæ flatus diſcutiant, vt oleum aniſorum, liliorum cum aſſa fœtida. Cui vſui vtiliſsimum eſt id præſidium quod recipit corticem cepæ, & in eo proijce olei camemali. ℥. iij. pulueris aniſi. ℈. j. piperis albi. ℈. ß. in igne permittantur feruere donec oleum abſumatur, poſteà contundantur omnia, & expreſsi ſucci modicum in aurem proijcito. Hippocrates verò. 2. popul. parte. 6. cucurbitam apponi iubet, licèt aliquibus difficile videatur. Sic profectò in inflammatione, quia humor confluit cum ſanguine per venas, triplicia ſuccreſcunt auxiliorum genera. Primum quod copiam humoris deponat, ſanguinis detractione ex brachio eiuſdem lateris, & ex communi vena primò, vt paulò inferiùs referam: verùm ſi menſes, vel hæmorrhoides nuper ſuppreſſæ ſint, ex talo: cæterùm ſi iam diu præfuerit ſuppreſsio, ita vt plenitudo ſubſit in corpore, ab ea vena primò ſanguinem detrahes, quæ citius plenitudinem demat, & mox ab ea quæ è directo partis affectæ

affectæ totum corpus reſpiciat, qualis media eſt. Cæterùm quia coniectabile eſt, maiorem plenitudinis copiam adeſſe in ſuperioribus partibus, tundenda eſt vena quæ è directo caput reſpiciat, qualis humeraria eſt, qua parte magis caput euacuet, ſi doloris vrgẽtia id popoſcerit, etiam ſi plenitudo in vniuerſo ſubſit corpore. Quippe tunc ſanguinis detractio vicem anodyni ſupplet, cùm ratio doloris ſit ſoluta vnitas, quam concitat diſtenſio à nimia copia facta. Quã equidẽ demes protinus ſanguine miſſo à proximiori parte: quapropter cẽſeo Hipp. dixiſſe, in doloribus proximũ ventrẽ aperire. Secundũ auxilij genus docet, contrariũ motum ei quẽ exequitur humor tẽtare, adhibitis frictionibus crurũ & brachiorũ, cucurbitulis & ligaturis, nec nõ & hirudinibus ano affixis. Tertiũ genus curandi docet, ſi quidẽ rationi videtur conſonũ, aliquid humoris iã eſſe in venis affectæ partis, & ei proximis delapſum, repellentibus auxilijs vti, quibus quod mox fluxurum eſt repellitur, & etiam aliquid eius quod adhuc in parte continetur. Atqui licèt indiſtinctè repellentibus vtantur ſcriptores, conſulit tamen partis natura decretum Herculani. 9. ad Almanſorem exequi: inquit enim. Antè quàm fiat repercuſsio, obſeruentur hæc: Non ſit materia criticè expulſa, non venenoſa, non ſit furioſa, non plurima, non immediatè à cerebro expulſa, non valde tenax & craſſa, non paulatim congeſta, non fluxa ad partem extrinſecam auris: quippe hæc omnia repellentium vſum interdicunt, præterquàm quòd ad cerebrum repellere non caret ſuſpectione. Quapropter vbi his vti opus eſt, ea eſſe idonea cenſemus, quæ non adſtringant aut nimium refrigerent, ſed iuxta naturam humoris defluxi, ac ne prolapſus humor in cerebrum grauius efficiat malum: ſunt autem hæc muliebre lac, oleum roſaceum, ſuccus auriculæ muris, & ſuccus ramentorum cucurbitæ cum modiciſsimo aceto, quibus vtendum eſt per duos, vel tres dies, in quibus experiri oportet alia, ſi hæc non profuerint: quale eſt quod ex oleo roſaceo & aceto conficitur, vbi ferbuerint ad conſumptionem aceti. Præſtant & collyria alba cum lacte diſſoluta, vel ſi dolor nimium vrgeat, olei papaueris & violacei modicum infundes. Verùm niſi vrgens fuerit doloris & fluxus ratio, cautè, rarò, aut nunquam repulſorijs vteris: quippe Galen. 3. localium, ſolùm auſus eſt vti mitigatorijs, aut narcoticis, non repellentibus: quamobrem ſat eſt prædictis vti, adſtringentia & verè repellentia cauendo, niſi parua fuerit inflammatio: in qua cùm humoris ſit parua quantitas, nullum oportet vereri in cerebro malum: & hac lege licet intelligere Galen. dum variam profert de hac re ſententiam, vt. 2. de locis & de facilè para. vbi oxirrhodinis vti iubet, cæterùm non in magnis inflammationibus. Quòd ſi morbum iam augeri comperias, & ſuppurationem minari, admiſcere oportet prædictis ea, quæ emolliendi vires habeant, velut eſt mucilago ſeminis citoneorum, fœnugræci, ſeminis lini, & ſeminis altheæ, cum medulla crurum vituli & butyro: quæ ſanè omnia, demptis repellentibus, ſuppurationem quoque tentabunt. Verùm ſi conſtiterit inflammationi eſſe admixtos frigidos humores, præterquam quòd nullis, aut leuiſsimis repellentibus vtendum eſt, ſuppurationem accerſunt ceratum æſypi Auicennæ: vel ſic medicamentum conficies: Excipe adipis gallinæ, butyri loti, olei liliorum, æſypi. ana quod ſufficiat, fiat ceratum cum modica cera (ego tamen nulla vterer, ne intra aurem concreſceret) quod tepidum in aurem infunde: præſtat & liquor aſſatæ carnis, vt multi ferunt. Sed exteriùs emplaſtrum appones quod recipit, bdelij, adipis caprilli. ana. ℥. iij. farinæ fœnugræci, & ſeminis lini, radicis altheæ, & lilij. ana. ℥. ß. camemali & meliloti. ana. ℥. j. croci. ℥. j. vitellum oui, came-

malum, melilotum, & radices altheæ, & lilij coquantur & contundantur, ac bdellium in eâdem aqua diſſolues,& addes olei ſeſamini & butyri.ana. ℥.ij. & fiat emplaſtrum:abrupto etenim tumore,pus abſtergendum eſt,melle roſaceo,& ſyrupo roſarum cum decocto hordei, vel ſucco mercurialis, abſynthij & lupinorum,vel oxymellite ex decocto foliorũ oleaſtri cum alumine & melle: idem præſtat decoctum foliorum ſalicis & agrimoniæ.Præſtat & Galeni medicamẽtum ex ferri ſcoria confectum.9.ſimpl.ab eodem ſcriptum.

Verùm ſi ex frigidi humoris affluxu dolor ſuboriatur,primò conſiderabis,à qua nam cauſa principium traxerit defluxio,vt iuxta ipſius vim & naturam affectioni prouideas.Prodit enim aliquando à Meridionalibus ventis,quæ caput replent: item à ſole hyberno poſt pluuias, maximè ſi præceſſerit victus vaporoſi vſus,quæ omnia ex interrogatione facilè venaberis: accedit enim his ſemper capitis cum frigore grauitas, vel poſt calorem externum horripilatio, quæ ſignum frigidi humoris exiſtit. Quibus cognitis, ſiue fluxio ſit antiqua & nouiter ex occaſione excitata, ſiue nouiter ingruens, poſt inſtitutionem victus calidioris & extenuantis (qualem ſæpe ſcripſimus) ad purgationem humores frigidos & craſſos protinus parabis (niſi adeò malum vrgeat, quòd cogaris mox purgatione vti vel loco eius acrioribus clyſmatis) rhodomelle, ſyrupo radicum, de byſantijs, ſthœcados & oxymellite. A quibus eam purgationem inſtitues, quæ primò totum corpus ab expurcitia pituitoſi ſuccli liberet, vt fiet ſyrupo ex infuſionibus Perſicis cum agarico, vel ex melle Perſico & infuſione foliorum ſenæ, aut ex Indico Mechoacano cum iure pulli. Protinus verò caput ipſum purgabis his quæ plurimùm non turbent (quapropter cauendum erit ab his quæ ſternutamenta mouent) ſat enim eſt, poſt purgationem vti pilulis confectis ex agarico, hiera ſimplici, pilulis maſtichinis & Arabicis, aut pilulis alephanginis, cochijs, Arabicis, ſine quibus, aut terebinthina abietis & puluere hieræ. Poſtmodum verò opportunum eſt maſticatorijs vti, quibus ſi quid poſt purgationem adhuc ſupereſt in capite, extrahatur, ſicut errhytnis & apophlegmatiſmis. Poſt quæ capiti adhibenda ſunt quæ reliquias conterant,vt fotus vini decoctionis ligni ſancti,corticis eius, ſmilacis aſperæ, cineris ſarmentorum & lignorum lauri. Item ſacculos ex pulueribus cimini,florum ſthœcados, maioranæ, florum ſambuci, coriandri præparati, ligni aloës, & aliorum huius potentiæ. Prodeſt theriacæ,vel mythridati vſus, aut confectionis de hyacintho: eundem vſum præſtant dianiſum, diaciminon, diambra, vel radix angelicæ ſaccharo condita. Quibus factis ad auricularia medicamenta deueniendum eſſe conſulit affectus natura, cùm reliquum ſit conijcere, aliquid adhuc ſupereſſe in particula affecta quod reſolutionem expoſtulet,haud ſecus quàm id quod præfuerat in capite, & in toto corpore expoſtulabat. Sunt autem huiuſmodi auxilia in frigida cauſa, veluti decoctum aut oleum ſampſuci, foliorum lauri, abſynthij, alliorum, pulegij,menthæ, & vt Galenus refert,his addere oportet ſuccum porri,aut oleum ex cepis ſub cineribus feruefactis,origanũ cum melle,fel ouinum cum oleo amygdalarum dulcium,vel ſuccũ porri, oleum laurinum,rutaceum, & adipem vulpinum,quemmille laudibus extollunt authores: item oleum vetus cum ſtyrace, cum cinnamomo,cum modico caſtoreo. Verùm ſi mali cauſa fuerit humoris bilioſi aliquid,pari lege curari debet huiuſmodi affectus,ac docuimus dolorem capitis curare ab eiſdem cauſis,modò ex flatu, modò ex quauis alia cauſa affectio prodeat:prodeſt tamen oui candidum cum lacte infuſum, oleum amygdalarum dulcium

dulcium cum lacte,ſuccus coriandri modicus, cum quadrupla lactis mulieris parte.

Tertia & vltima medendi ratio docet abſumere reliquias eius quod adhuc in auribus ſupereſt. Quòd ſi pus fuerit ex rupto abſceſſu, abſtergentibus vti oportet, quale eſt dilutum ex aqua hordei & melle roſaceo (dum modo omnibus abſtergentibus admiſceas,quæ retundendi acrimoniam puris vires obtineant, velut eſt lotura amyli, farinæ volatilis & præſertim farinæ hordei, cùm ſucco aut decocto cucurbitarum) abſtergit enim decoctum lupinorum cum ſaccharo, aut aqua ſaccharata ex decoctione liquiriciæ. Conterere verò aliorum humorum reliquias & facile eſt, & capitibus ſuperioribus abunde eſt dictum: ſed ſi ex flatu vel frigida cauſa aliquid ſuperſit, tunc quidem his vtendum eſt, quæ vires habeant quod impactum exiſtit digerere ac flatus ſimul diſcutere. Huius enim naturæ eſt oleum amygdalarum dulcium, in quo ferbuerit cumini ſemen, rutæ, anethi: aut flores ſthœcados, vel maioranæ decoques in oleo ſeſamino, additis pinguedinibus anatis, gallinæ, cuniculi & vulpis. Præſtat inſuper in vehementiori frigiditate, prædictis addere porri ſuccum cũ melle, aut origani puluerẽ cum melle: benefacit adhuc in vehementioribus aurium doloribus ex eâdem cauſa, fel caprinum cum ſucco porri, vel oleum ſcorpionum cum adipe vulpis: item vinum in quo exuuium ſerpentis ferbuerit, ſuperpoſito cataplaſmate ex cepa decocta, & cum adipe anſeris piſtata. Iuuat & euaporatio ex oleo calido, item ex decocto abſynthij, meliloti, florum camemali & ſthœcados, amaraci & origani. Verùm ſi antiquus fuerit dolor, præſtat oleum in quo euphorbium, piper, caſtoreum & parum galliæ muſcatæ ferbuerint. Item ſi obſtructio præfuerit, ex vſu eſt oleum ex raphano cum felle capræ & ſucco cucumeris agreſtis: præſtat & emplaſtrum ex fœnugræco cocto in lixiuio: item radix cucumeris, veratri, aut ariſtolochiæ in aliquo ex prædictis oleis decocta, & in aurem immiſſa, quæ præſtat digerendo, detergendo aperiendoq; quod obſtructum eſt. Si verò flatus mali cauſa ſint, euaporationibus potiùs vtendum eſt, velut quæ fit ex decocto æſipi, ſthœcados & ſimilium in aceto: item ſacculus ex ſale, milio, aniſo, betonica, cumino & reliquis huius naturæ. Valet & oleum irinum in cepa excauata ferbefactum cum modico piperis, aſſæ fœtidæ, zingiberis & ſambuci expreſſum, & in aurem inſtillatum: valet & ſuccus rutæ cum melle, &. ʒ.j. caſtorei. Idem beneficium præſtat cucurbita auri admota, cuius loco extrinſecus auri appones lanã nardino, vel ſpicato vnguẽto imbutam, cum modica theriaca aut mythridato, vel puluere ſeminis angelicæ. Quòd ſi dolor ſit cum pulſatione, iuuat vapor decoctionis abſynthij, aquæ decoctionis acetoſæ cum ſucco acori: item vapor olei roſacei per ſe, vel cũ radicis aſphodeli decocto: præſtat & aliud cum adipe anſeris, ſuccus cucurbitæ cum oleo roſaceo & croco, gallia cum oleo de ben, aut ſeminis cucurbitæ, ſuccus granorum mali granati cum melle: aut ſi dolor vrgentiſsimus fuerit, ſuccus lactucæ, aut iuſquiami in parua copia cum oleo irino. Quòd ſi copioſiora libuerit adhibere auxilia, leges tom.2.noſtrorum operum, cap.de calfaciendo & refrigerãdo capite, in quo vtilia & multa huic muneri apta reperies.

Verùm ſi his omnibus conſtiterit affectionem non ceſſare, coniectandum eſt, aut malum eſſe iam in capite firmatum, vel vniuerſum corpus malè affectum capiti ſua vitia præſtare. Si primum (quod dignoſces eo quòd ex facili occaſione caput in huiuſmodi dolorem inferatur) neceſſum erit ad conterendum prædictum capitis habitum, & vt faciliùs expurgetur, quod habituale illud intem-

peramentum indies generat, quod ex leui causa caput in dolorem auris prorumpit,iuxta occipicium setonem affigere,aut fontanellam in altero brachiorum aperire. Quòd si corpus vniuersum huic malo consentiat, necesum est ad balnea naturalia & sulphurea confugere, vel ad sudationes ex ligno guayaco, smilace, aut china.

De tinnitu, aurium surditate, & graui auditu.

Cap. XXIIII.

VELVTI in cæteris potentijs humani corporis accidere dictum est,ita prorsus in audiendi facultate triplex læsionis genus suboritur:primum quo audiendi potentia vitiatur: secũdum quo imminuitur:tertiũ verò quo ex toto aufertur. Omnes tamen vitio vnius aut pluriũ ex tribus partibus cerebri,vel partiũ quæ huic ministerio intra aurem existentium subseruiunt,nimirum,(vt statuit Galen.1.de caus.sympthom)nerui auditorij, & forsan aëris naturaliter intra ipsius foraminula contenri: quippe hunc arbitratus est Gal.præcipuum esse auditus instrumentum,humori crystallino in oculis simillimum:nã ea pars existimatur ab eo princeps in quouis sensorio,quæ exactam impressionem sensilis excipit, & ob id præter extremitatem nerui dilatati, addere oportet hunc aërem spirituosum in auditu:nam cùm sensatio includat impressionem passiuam,& agnitionem impressionis ad passionem ipsam,sufficit similitudo in passo cum viribus animæ,quæ mandantur vehiculo nerui & spiritus,vt placuit Gale.7.de placitis.cap.16.Sic auditio nil aliud est, vt ex Arist.constat.2.de anima.& lib.de sen.& sen. quàm perceptio sonorum externorum,quæ fit cum aër externus percussus labyrinthos,& gyros auriũ ingreditur,donec perueniat ad aërem illum implantatum in prædicto neruo dilatato, qui percussus ab externo dum percusionem ad animam mittit(vt ait Plato) fit auditus.Nec est incõueniens,si dixeris, aërem illum esse animatum,vt oculi humores, quo commodiùs possis ipsum constituere proximum audiendi organum. Quæ omnia considerabis,siue tinnitus succrescat,siue surditas,siue grauis auditio.Nam vtcunque sit,molestissima est auditus affectio,vt quæ visa sit longè magis homines dementare, quàm visus defectus: quantũuis dictum sit ab Arist.lib.de sen.& sen. visum ad prudentiam conferre,cũ cæcos prudentissimos non paucos conspexerimus,surdos verò pauciss imos:& ob id censeo Teophrastrum dixisse lib.de sens.auditum magis ad rationem accedere quàm ad affectus.His suppositis,statuẽdum est auditum lædi causa vniuscuiusque prædictarum partium,nimirum cerebri ipsius,vel nerui & aëris spirituosi ibidem existentis:aut vltimò læsione alicuius partis tantùm auditus organum construentis:vtcunque tamẽ sit,lęsio fieri potest vno è tribus modis,videlicet quòd homo prauè audiat,vel diminutè,vel quòd nihil audiat. Primum etenim appellamus tinnitum aurium,sibilum seu rugitum: secundum grauem auditum:& tertium surditatem:quorum omnium hac in parte seorsim meminisse placuit,initio sumpto ab aurium tinnitu,vt qui frequẽtiùs accidat, & præludium existat maiorum malorum.

De auriũ tinnitu. De tinnitu enim primò sciendum est,qua nam ratione fieri possit, & à quibus causis

causis suboriatur,& quibus dignoscatur signis quæuis causarum,ac rursus qua methodo curari possit: sunt enim hæc omnia necessaria : quia licet leuis affectio primo accessu appareat,nisi grandiori diligentia præueniatur, in grauem auditũ & in incurabilem surditatem commigrat.Circa primũ nosse oportet,similem esse huiusmodi affectionem ei quæ circa oculos suborta,suffusio nũcupatur:nã quemadmodum qui suffusionem per consensum,aut eius primam speciem,seu incipientem patitur,existimat se extra oculos muscas & pulices videre,& frustra eas conatur carpere,pari ratione,qui tinnitum patitur, existimat se sonitum quendam re vera audire,cùm falsò id imaginetur:vtriusq; tamen sympthomatis ratio est, quia obiectum aggreditur potentia citra debitum medium:cùm enim per interiorem regionem halitus ad oculos peruenerint,pariũt quidem visionem,sed falsam.Pari quoque lege si halituosa aëreaue substantia intrinsecus neruum auditorium pertingat,nihil mirum,si falsam soni imaginem repræsentet:qua ratione Auerrous.4. colli.48.appellauit auditum phantasticum,& Alsarabius auriũ tonitrum: nã consimilem solet neruus ab externo aëre pati alterationem,sed re vera sonitus non est, siquidem neque fit à rebus quæ sonitum edere habeant,neque per cõueniens medium,qualis externus aër exist it.Certũ enim est,soni species per aërem, quasi per medium,auditus organum attingere:& ob id,vt ex Aristot.constat,& ex Hippoc. lib.de locis in ho.& lib.de carnibus,aër quidam cõgenitus est in auris cauitate, qui sanè non motus, sed quietus manẽs,sonos omnes externos percipere potest,vt humor crystallinus colorum expers,omnium colorum species sentire habet. Quare verò manu super aurem posita tinnitus percipiatur, nõ facile est dirimere.In quare sat est scire id fieri,quia aër externus, quo plenæ sunt cauitates aurium ,naturali impulsu externum quærens motum efficit,quòd aure obturata tinnitus ille percipiatur.In qua re censeo,neruum illum à Galeno assignatum ex quinta ortũ coniugatione, in proprijs porositatibus prædicto aëre simul cum animali spiritu plenum existere,& hac lege fieri aptum auditus instrumentum:quo fit, vt vtraq; opinio vnius sit rationis,si vt Galen.explicat intelligatur. Qui sanè aër congenitus, si quietus maneat,omnes externi aëris motiones prõptè excipiet, vnde commodè sensatio fiet:sin autem aliqua occasione moueatur atque agitetur,vel cum ipso animales quoq; spiritus,necesse est motum quendã & proprium sentire, extraneũ verò minimè: haud secus quàm aqueo humori oculorum accidit,qui vbi alieno colore alteratur,omnia eiusdem coloris cerni cogit:si verò proprio colore solũ sit affectus,qualia omnia sunt percipit:itaque etiam si à nullo externo prædictus aër moueatur,cùm in seipso motum aliqua causa obtineat,perpetuò se sonos externos sentire existimat homo.Deniq; cùm huiusmodi neruus aëre plenus,qui totale est huius ministerij instrumentum,à flatuosa aliqua substãtia intrinsecus percutitur, aut alteratur validiùs quàm ferre possit,ita vt exitum non habeat, per aurium anfractus sese insinuat,atque occurrens huic neruo auditorio,ac membranæ quæ ex ipso dilatato fit, in qua aër continetur & à prædictis rebus illiditur,sonitus seu strepitus,aut tinnitus efficitur,falsa quidẽ sonitus repræsentatio.Quod sanè sympthoma est in genere noxæ functionis deprauatæ sensus auditus: sentit enim facultas id quod re vera non est,& propterea eius actio deprauata dicitur. In qua quidem affectione,meatum auditorium lædi certum est, idque maximè in ea parte vbi dilatatus neruus desinit, quo & ipse sensus audiendi , ministerio spiritus animalis & aëreæ substãtiæ in porositatibus eiusdem nerui inclusæ,perficitur.Neque vnum sequitur prædictum sympthoma morbi genus, sed varia, iuxta causæ,

ſympthoma hoc excitantis, naturam & operandi modum.

Cauſa. Cauſæ verò quæ hunc affectum concitãt, ſunt quidem abditæ & ſcitu pulchræ, quas breui quadam methodo complecti eſt in animo. Triplex enim eius cauſa colligitur ex Hippocr. 2. acutor, vna quidem à bile in venis feruente: altera è ventriculo: tertia verò ex ipſo capite. Sed primis duabus præter miſſis, quæ cõmunẽ cum ventriculo affecto, aut febribus, vel bilis feruentis vbertate curationem habent, de tertia altiùs diſſerendum eſt. Nam aut prodit ab immodica eiuſdem ſenſus auditus acrimonia & perſpicuitate, qua facilè perſentiſcit & alteratur à rebus, quæ alio qui difficulter auditu percipi ab alijs poſſunt: quo fit, vt etiam ab his quæ intra idẽ corpus mouentur, tinnitus perſentiatur. Si quidem plerumq; ad aures peruenit è corpore, quantumuis ſanũ appareat, aliquis vapor qui intra ipſas moueatur, efficiatq; inſenſibilem motum ac rugitum, quem profectò non percipiunt corpora ſana, ea verò quæ exquiſitum habent auditum perſentiunt: in quo Galen. 3. medi. ſecun. locos aſsimilat oculis auditum, quippe his qui exquiſita fruuntur cernẽdi potentia, non ratò apparent ante oculos imagunculæ quædam. Quantum verò difficultatis afferat cognitio huius cauſæ, nemo ambiget, cùm ſola ſenſuum perſpicuitas per ſe non poſsit falſum ſonum efficere, quinimo quo expeditior, & exquiſitus eſt ſenſus, eo minus alio aberrare debet. Quapropter arbitrãdum eſt, ſemper auditus perſpicuitati, vt fiat tinnitus, adiungi etiam motum quieti illius aëris, qui tamen exiguus cùm ſit, & cauſa quæ ipſum excitat exigua, ob id laborãs ſolùm id regerit in ſenſus acrimoniam, non in prædictum damnum, cùm eius cauſam perſentire nequeat, quòd adeò ſit leuis, vt in obtuſiori ſenſu nihil mali efficeret: ni velis dicere, exquiſitum ſenſum externas motiones etiam leuiſsimas, exquiſitè percipere. Nam cùm externus aër perpetuo moueatur (etiam ſi id communiter nõ ſentiamus) poteſt quidem leui refractione facta, perpetuum quendam motulum parere, qui non ſentiatur, niſi ab exquiſitiſsimo ſenſu: quo fit, vt ſic affectus plerumq; ſibilos, fragores tinnituſq; ſentiat, iuxta ea quæ aſsimilãtur illi ſpeciei ſenſibili, quã concipit. In qua re ſtatuendum eſt, non ſentiri hos ſibilos perpetuò, licet naturaliter ſortiatur exquiſitum ſenſum, quia aliquando impeditur ſenſus, & eo tempore nil ſentit, aliquando verò expeditus exiſtit, & perſentit, vt ſtatuit Galen. 5. loca. & Trali. ſed clariùs Ariſt. Sunt etiam qui congenitum aërem, perpetuò & naturaliter moueri exiſtiment: quo fit, vt qui acuto ſenſu ſunt, perpetuò ex prædicto motu ſuſurrum percipiant: quod non perſentit qui obtuſum habet. Alij rurſus nõ congenitum, ſed extrinſecũ, occurrentem intra aures, quem diximus eſſe cauſam, cur manu obturata aure audiamus ſonum quendam confuſum, quia tunc ſolùm illũ aërem moueri ſentimus, non quidem ab externis alterari. Quòd ſi quis dixerit, Ariſtoteli videri contrariũ, quòd aliquando referat cõgenitũ aërem quieſcere, & aliquando moueri, intelligat loqui de motu qui ſuapte natura non infert alterationem, & ob id ſtatuit moueri tanquã aërem, quieſcere tamẽ velut medium ad ſenſationem efficiendam. Proficiſcitur etiam hæc affectio ab imbecillitate capitis, vel meatus auditorij, ac defectu animalium ſpirituum, quo imbecillior redditur ſenſorij actio, & facilè à quauis cauſa alteratur & mouetur congenitus ille aër, donec caput in ſe rediens validiùs reſiſtit, generatis copioſioribus ſpiritibus, & parte temperatiori facta. Quemadmodum in conualeſcentibus videre licet, in quibus viſus lucidi aëris tinnitũ efficit, quia vehementes ſpirituũ animaliũ motus, quos ſplendor & inſuetũ lumen citant, facilè auditũ lædũt: & ſic quemadmodũ ex externis motibus ſonitus cauſatur, pari prorſus lege ex internis, etiam ſi vel leues, vel iuxta con-

ſuetudinem ſint, quales nuper diximus. Ratio tamen quare imbecilles id patiuntur, duplex eſt: vna quia languida potentia facilè à quibuſuis alteratur: quo fit, vt nequeat reſiſtere eis etiam rebus, quæ ſecundùm naturam citra alterationem, illis erãt gratæ & tolerabiles: altera verò quæ cõmunis eſt, cum exquiſito & acuto ſenſu, quia purgata ſenſuum inſtrumenta præcedẽtis mali occaſione, licèt proprijs viribus id non poſsint, inſtrumentorum tamẽ aptitudine, facilè quamuis minimam ſonitus alterationem perſentiunt, ita vt à leui ſuſurro facilè alterentur & patiantur. Differt namque re vera tinnitus ex imbecillitate, ab eo qui ſenſus acumine fit, quia hic vera eſt ſenſorij actio, prodiens ab aëris quieti & ſpirituum animalium puritate & ſinceritate, quòd nullam ſortiantur externi admixtionem: in quo cum imbecillibus ex morbo conuenit, ſi præceſsit ſufficiens corporis & capitis purgatio: at tinnitus ex imbecillitate verè eſt ſenſorij paſsio ab ſpirituum penuria prodiens. Tertia verò & vltima cauſa eſt quæuis externa vel interna, quæ auditorium meatum ſpiritus habeat euertere, quantumuis ſenſorium ſit ſecundùm naturam. Cæterùm quæuis cauſa ſit quæ hunc affectum concitat, vno è duobus modis id nata eſt efficere, altero commotis & agitatis ac in feruorem ductis ſpiritibus animalibus, & aëre in auditorio neruo naturaliter intercluſo: alio verò dum ipſamet cauſa mouetur & inordinatè agitatur. Sic profectò aurium tinnitus contingit his qui febri ardenti laborant, aut quauis alia, dum in ſummo eſt vigore, vel criſim minatur: maximè per vomitum aut per fluxum ſanguinis narium, vel per quãuis aliam ſuperiorem vacuationem. Quippe calor ille feruidus ad motum concitat ipſos flatuoſos ſpiritus & bilioſam intra venas materiam, aut eam quæ in capite redundat, humiditatem, nunc per ſe, nunc vaporibus illuc tranſmiſsis, præludium quidẽ paraphrenitidis futuræ & imminentis, vel alterius delirij, vt author eſt Hippoc. 1. de Coacis. tex. 7. quæ id quoque fluxum ſanguinis narium monſtrare ſcribit. Succreſcit etiam cùm extrinſecus, aut intrinſecus aërem & ſpiritum ipſum, cauſa aliqua vehementer irruens auditorium meatum mouet: ſic pus intra aurem contentum: item immodica ciborum, aut vini ingeſtio, & quæuis cruditas quæ flatum in eam partem tranſmittit. Idem malum efficit humorum agitatio, ſi grandis ſit, & humoris copioſi, commoti tamen à calore neque vincente, neque victo, quo flatus & ſpiritus commouentur, & exitu priuantur, ac ſubinde capitis humores exagitant, maioris mali (velut apoplexiæ, paralyſis, epilepſiæ, aut ingentis capitis doloris, vt author eſt Hippoc. lib. 5. de Coacis præ. text. 12.) præludium, dum humores craſsi ſint, & homo alio affectu caret. Prætereà idem malum molitur, quidquid intra venas, aut extra ipſas in capite inordinatè, & præter naturam moueatur: nam ſola ratione huius motus cauſæ quæuis poſſunt hunc affectũ concitare, vt. 2. de morbis Hippoc. docuerat. Idem malum efficit ictus & caſus, & purgatio per pharmacum vehementer turbans. Quas omnes cauſas optimè complexus eſt Galen. 3. local. cap. 1. & Auicen. 4. 3. cap. 9. præter quas, humorum craſſorum copia in ipſo cerebro exiſtentium cauſa eſt, ſiue ibidem fiant, ſiue aliunde trãſmittantur: à quibus flatus eleuari prædictum damnum efficientes neceſſum eſt.

Signa verò quæ monſtrant per conſenſum fieri tinnitum, ſunt, quòd interpolatè accidat, nulla ſeruata continuitate, ſed ſolùm ad incrementum affectus, cuius occaſione ſuccreſcit: maximè ſi alicuius membri læſio adiungatur. At per proprietatem in cerebro fieri, oſtendit totius corporis & omnium eius particularum integritas: item tinnitus eſt continuus: item à vitio cerebri ſuboriri oſtendit læſio faciei, aut alicuius partis eius: quòd ſi potentia alia ſimul oblædatur, euidentius eſt ſignum, *Signa.*

ſignum cerebrum oblæſum eſſe. Cæterum ſi præter auditum nil læſum comperiamus, conijcere oportet ſolùm neruum auditorium oblæſum fuiſſe. Verùm ſi à flatuoſo ſpiritu prodeat facilè diſtingues, quia flatus illuc conſcendere cognoſcitur: qui ſi tenuis & in parua ſit copia, ſed impetuoſè motus, ſibilum concitabit: cui ſi acceſſerit humiditatis aliquid, tinnitū & imbres ac fluctuationes æmulabitur: quòd ſi humoris melancholici ſit, veluti aliquid frangi laborans perſentit. Verùm ſi ob debilitatem auditorij nerui tinnitus oriatur, laborans ab omni ſonitu lædetur, nec minimum citra damnū ferre poterit, & cum hoc nequibit diſtinctè percipere vocisvim & ſignificatum, niſi maiori voce proferatur. Sic dum ex nimia ſenſus perſpicuitate tinnitus oritur, noſcitur quòd plerūque id vitium natiuum ſit, & ſemper eo conqueratur laborans, adeò vt à quouis ſonitu alteretur: præterquam quòd ſic affecti omnino careant ſignis aliarum cauſarum, & prorſus lædantur magis ieiuni quā ſaturi. Verùm ſi ab externa cauſa prodeat, facilè ex relatione diſces: ſi tamen ab interna vt febris incrementum aut criſis, longe faciliùs tibi conſtabit: ſicut dum ex cruditatibus ventriculi, ex eius inflatione, ructibus, frequenti cruditate, grauitate & alijs accidentibus: ſic vniuerſum corpus compati monſtrabit ignauia ad motū, vita ſedentaria, copioſum alimentum, copioſior & frigidior potus & vini meracioris vſus. Caput etiam pituita abundare monſtrabūt catharroſæ affectiones, propēſio in ſomnum, dolor grauatiuus & obtuſus, & obtuſus etiam auditus. Scitu quoque dignum eſt, tinnitus antiquos curatu eſſe difficiles, ſicut periculoſos & lethales, vt ait Hippocra. in Coacis qui fiunt vna cum morbis acutis cum febre peſtilenti & ardēti: eos vero minus graues & ſalubriores qui fiunt cum grauedine, medios verò qui fiunt ex longa capitis valetudine.

Curandi ratio.

Curatur tinnitus aurium, ſi ex immodica ſenſibilitate prodeat, difficulter: cæterum adhibenda ſunt ea, quæ obtuſiorem reddant ſentiendi potentiam, qualia alimenta craſſioris & pinguoſæ ſubſtantiæ ac frigida ſunt, & ea etiam quæ extrinſecus humectare & modicè refrigerare caput habent. Sic primò lumbricorum oleū benefacit cum roſaceo, addito cicutæ ſemine: ſic præſtat ſuffumigare meatum auditorium eodem ſemine cum feruido aceto: verùm id rarò tentabis, niſi dum affectio moleſta admodum eſt: vereri enim oportet ne ſenſus reliqui hebeteſcāt & imminuantur. Si verò ex imbecillitate prodeat, alimentis & proba victus inſtitutione medeberis, laborante reducto ad priſtinam ſanitatem. Verùm dum ex crudis humoribus, vbicumque ſint, in caput flatum mittentibus malum oriatur, tunc profectò vniuerſalis prouidentia, veluti in dolore auris à flatu inſtituenda eſt, nec non & particularis. Sed ſunt quædam auxilia quæ peculiari quadam ratione tinnitui proſunt ex flatu proficiſcenti, vel craſſo vapore, aut forſan humore ibidem exiſtente, ſi priùs corpus ex hiera frequenter purgaueris, aut rariùs, ſed cum hiera diacolocynthidos pondere. ʒ.ij. cum catholici. ʒ.j. ℈. maximè cū inueteratus iam affectus extiterit. Huius naturæ eſt radiculæ ſuccus cum roſaceo, vel oleum amygdalarum amararum cum ſucco radicis cucumeris agreſtis & modico aceto: item caſtoreum ex aceto: oleum etiam laurinum & veratrum aceto contritum & modico melle in aurem ſtillatum: item ſuccus porri cum oleo roſaceo, vel lac muliebre cū modico caſtoreo: proſunt ſacculi ex milio, ſale, betonica, ruta, hyſſopo, ſampſuco & camemalo. Similiter ſpōgia madefacta in decocto calido, aut euaporationes camemali, meliloti, calamenti, abſynthij, origani, ſthœcados, & mēthaſtri. Laudātur etiā euaporationes ex oleo vel aqua, vel vino decoctionis ſthœcados, lauri, cumini, radiculæ, rutæ, ellebori & ſimilium: item ſacculi ex milio & camemalo torrefactis, irroratis

ratis vino albo. At in vrgentiori neceſsitate, valet oleum roſaceum, in quo inteſtina terræ vel modicum mandragoræ ſerbuerint, aut caput ſicci papaueris. Sed interim dum hæc fiunt, curandum eſt, poſt corporis purgationem, ventriculum ſi cauſam præſtiterit, ſin aliter caput, per vices & interualla purgare, qualege dictum eſt præcedenti capite. Poſteà verò ad valentiora topica iterum erit cōfugiendum: in quo opere experimento eſt comprobatum, prodeſſe vaporem aceti & abſynthij cum felle bouino: item fel capræ cum ſucco porri tepido: colocynthidis modicū in aceto decoctum: ſuccū foliorum ebuli, ſuccum rutæ: oleum liliorum alborū, & amygdalarum dulcium, feruefacto hyſſopo & ficubus. Sed eſt efficaciſsimū quod recipit colocynthidis. ʒ. ℈. ſucci rutæ, & amaraci. ana. ℥. j. cimini, carui. ana. ʒ. ij. fiat decoctio in vino & oleo amygdalarum amararum ad vini conſumptionem, & facta colatura exprimantur, & modicum injciatur in aurē, & bombace obturetur. Aliud conficies efficacius, quod recipit ellebori albi. ʒ. iij. foliorū lauri & rutæ, ana m. ß. foliorum fragini. m. j. fiat decoctio in oleo amygdalarum amararum, & poſt colaturam eodē modo vtere. Præſtat mirabiliter aliud, quod recipit ſeminis porri, caryophyllorum. ana. ℈. j. moſchi. g. v. cum amaraci & rutæ ſucco, addito vino dulci in aurem inſtilla: item id quod recipit olei amygdalarum amararum admixtū vino in quo in coxeris origanum, pulegium, calaminthā, rutam cum modico coriandro præparato. Proſunt & pulueres ac tabellæ quæ flatus diſcutiant à cœna ſumptæ. Cōferet ſternutamentum, & alia huius cenſus quæ præcedēti capite adduximus: in debilibus tamē ſatius eſt ab auxilijs abſtinere: præterquàm quòd multa quæ graui auditui proficua ſunt, vtilia quoque tinnitui erūt, vt balnea ſulphurea, & ſudationes, aut fontanella brachio affixa.

De graui auditu.

Eſt ſurditas auditoriæ potentiæ actio ablata, ſicut grauis auditio diminuta, miſerrimum mali genus, quòd ſic affecti protinus à conſortio hominum ablegentur, nulli enim rei videntur idonei: quinimo ſæpe qui ſurdi ſunt à natiuitate, muti quoque euadunt, quòd deſit illis via & modus ad capeſſendum idioma & diſciplinas: quo modo affectos, ſurdos, ſubſurdos, ſiue ſurdaſtros Medici appellant, qui ſanè debiles voces omnino non percipiunt, magnas verò difficulter. Aufertur enim ex toto huiuſmodi potentia, veluti in omnino ſurdis, qui magnas voces adhuc perſentire nulla ratione poſſunt: eſt enim hæc huius nominis ratio. Grauis igitur auditio tres cauſas peculiares ſibi arrogat: quippe primùm fit ob illius interni aëris craſsitiem & turbedinem: quo fit, vt ſonitus tanquam per mediū craſsius percipi videātur: ita vt exigui deliteſcant, magni quidem vix percipiantur: ob id profectò aures diligentiùs admouent, vt audiant qui ſic affecti ſunt, eo quòd ſpecies ſenſiles efficaciùs ex proximo quàm ex remoto imprimantur. Prouenit tamen prædicta perturbatio ex caliginoſo & craſſo vapore ſurſum eunte, congenitumq; aërem craſsiorem reddente, cùm miſcentur ambo: nam licet ex eodem vapore tinnitus oriatur, id quidem fit, dum circum aërem ipſum congenitum inordinatè mouetur: nam dum ipſi ambo miſcentur, ſubſurditas ſuboritur. Sic enim tinnitus præludiū eſſe ſolet ſurditatis, ſæpe quidem ex aëre qui circum mouetur aliquid congenito miſcetur, quo ſurditas ſuccreſcit. Cuius ſanè cauſæ meminit Hippocrat. ʒ. aphoriſ. docens Auſtrales ventos auditū hebetare, quòd prædictum aërem craſſum, turbidum & hebetiorem reddant. Quod etiam ſecūdò prouenire poteſt ex humida cerebri intemperie, ſiue innata ſit ſiue acquiſita, quæ prauam mollitur coctionem in cerebro crudoſq; ſuccos plurimos gignit, & flatus non paucos concitat. Prætereà hebetem reddit auditum fumus, puluis, aqua, lapilli, caro excreſcens, ſordes auriū indura-

indurata,& reliqua id genus. Tertiò prodit prædicta grauis auditio ab ſpiritibus factis paucioribus,craſsis aut turbidioribus:quibus ineptior efficitur animalis potẽtia ad ſuum munus obeundum,ſiue ex errore victus tales gignantur,ſiue ex ambiẽte aëre vt Galen. refert 1.epi.qui tales eſſe noſtri corporis ſpiritus, qualis ambiens nos aër extiterit,refert:præterquàm quòd ſpirituum generatio ex aëre quoque eſt: ideò Aquilonares venti viſui & auditui proſunt,ſicut Auſtrales nocent. Præter has tres cauſas,habet grauis auditio aliam cum ſurditate communem,quæ eſt inſtrumenti vitium, cuius paulò inferiùs meminero.

Signa. Sed expendiſſe priùs oportet,vtra harum cauſarum huius mali exiſtat cauſa: ſi enim obtenebratio interni ſit aëris,facilè diſces ex notitia præcedentis victus,ſi plenior ſit,adeò vt cruditates copioſiores gignat,ſicut fieri à vino meraciori, rubro & copioſo non rarò cõtingit: prætereà ſi in nubiloſo aëre verſetur homo,auſtralemue perpetiatur incurſum,facilè ex tẽporis natura diſces: nã ſi ex paucitate ſpirituũ fiat,ex morbo vel inedia præcedentibus, haud difficulter venaberis.

Curandi ratio. Huius etenim curatio diligenter inſtituenda eſt: nam ex negligentia facilè in veram & integram ſurditatem commigrat affectio,quæ nullis aut grauiſsimis viſa eſt cedere auxilijs, ſicut grauis auditio quæ non leuiſsima expoſtulat præſidia: quippe ſi vtraque inueteretur,eandem ſubit curandi difficultatem. Inſtitues autem curationem, habita priùs totius corporis prouidentia,& an ex craſſo humore vel crudis ſuccis malũ oriatur, haud ſecus quàm in ſurditate dicturus ſum: ſi modò conſideres, mitioribus & minus eſſe purgandum, alterandum,vel quoduis aliud opus efficiendum, ſicut affectio minor ſuapte natura exiſtit. Quapropter ne in tam breui ſcripturæ ſpatio, videar ſæpius eadem repetere, placet ſurditatis naturam priùs exponere,& ea præſidia ei præſcribere quæ vtrique proficua exiſtant.

De ſurditate. Ad veram integramque ſurditatem deueniendo,conſtat auditorium inſtrumẽtum, vt ſurditatem efficiat, multis modis lædi poſſe: vitio nimirum cerebri, quatenus ob aliquod vitium generat prauos ex alimento ſuccos, aut non expurgatur probè à recrementis, ad quod etiã reducitur ſpirituũ & aëris congeniti læſio: aut vitio meatus auditorij,& vltimò vitio ipſius nerui dilatati à quinta neruorum conIugatione orti: quem eſſe huius ſenſus præcipuum inſtrumentum ferè omnium Medicorum conſenſu conſtat. In quare mihi non diſplicet aſſerere neruum hũc dilatatum foraminulis aëre vitali & ſpirituoſo plenis, eſſe conſtructum,& in eo præcipuã auditorij inſtrumẽti rationem ſortiri ſpiritum prædictum,qui ſanè vitiatur & ſurditatem aut ſubſurditatem efficit, dum deficit aut impuratur vt mox referam: quo euidenter colligitur, aliquando ſurditatem ſequi morbos in intemperie, nonnunquam in compoſitione,& rarò in ſoluta vnitate. Atque cùm iam dictum ſit de primis duabus læſionibus, in hac vltima quæ ad neruum dilatatum attinet, ſtatuendũ eſt, huiuſmodi neruũ lædi obſtructis cauitatibus aëre plenis,aut cõmuni meatu: vel reſoluta totius nerui ſubſtãtia,vt in paralyſi cõtingit,aut ſpiritũ impurari,vel imminui: imminuitur,vel defectu alimẽti,vel ob immodicũ ſpirituũ diſpendiũ,vel quòd nõ deuehatur ad neruũ ipſum,obſtructione vel vbertate alicuius craſſæ ſubſtãtiæ: vtrũque tamẽ maiori ex parte ſuccreſcit ab humoribus craſsis,viſcidis & tenacibus,qualis pituita eſt aut melancholia,vel prorſus corpore quopiam craſſo obturante,vt tuberculo aut phymate crudo,callo,ſchirro aut concreto pure: vel ab auriũ ſordib⁹ adeò induratis & cõcretis,vt omnino prępediatur aërisexterni cõtactus: impuratur enim cõgenitus aër ab eiſdẽ cauſis, vel halitu humidiori & caliginoſo,aut ſuccis bilioſis,vt in morbis cõtingit acutis, nõnunquã ex admixtione flatus

flatus interni cũ ipſo aëre immerſo in foraminibus dilatati nerui,quo non minus homines ſurdeſcũt: ſed maximè ex craſſa pituita. Sit ne ſemper huiuſmodi humor, an aliquando bilioſus,cõtrouertunt authores: cùm cõſtet Hipp. bilis meminiſſe.4. aph.28.vbi bilioſas deiectiones ſurdis prodeſſe refert: nec nõ & ſanguineas,ſi quidẽ ipſam quoq; finiri ſanguinis fluxibus per nares cõpertũ eſt. Sic Gal.1.pop.par.3.cõmẽt.20.in hiſtoria Herophõtis refert quinto die obſurduiſſe,quia bilis recurſum fecerat in caput. Sed vt nodus ſoluatur, intelligere oportet, prædictas ſurditates criticas eſſe,de quibus nõ eſt nobis in animo loqui,ſed ſolũ de his,quas nõ curat natura vlla vacuatione facta,ſed opus eſt topico auxilio, quo ex craſsis ſuccis ibidem impactis (quibus credendum eſt fieri) aliquid conterat, aut ex quauis prædictarum cauſarum.

Noſces verò per cõſenſum ne ſit,an per primogeneã affectionẽ,vt Gal. aduertit 4.de locis affe.& Auic.4.3.1.tract.1.nã ſi cerebrum huic malo conſentit,noſces, q̃ caput,aut aliqua eius pars ſimul cũ auditu lædatur,& quẽadmodum in lethargo, epilepſia,& phrenitide comperimus: præterquã quòd in his vel guſtus,vel viſus ſimul collæduntur. Verùm ſi conſenſu ventriculi fiat,conſtabit eo quòd acutiùs audiant laborantes ventriculo ieiuno & vacuo, magis quàm pleno: præterquam quòd per interualla repetit ſurditas antecedente tinnitu. At noſces ab hac aut illa cauſa ſurditatem proficiſci, quòd ab aëris vel ſpiritus vitio nuſquã omnino ſurdi euadunt laborãtes,ſed ſurdaſtri,grauiores tamẽ & ſurdis finitimi,ſed cũ aliquo tinnitu euadunt. At ex nerui obſtructione,per poroſitates eius facta humorũ imbibitione ſurdũ fieri hominẽ noſces ex priuatione omnimoda,aut ſi talis non ſit, quia per defluxum aut mutationẽ alterius mali in eũ affectum fit ſurditas: nam vel præceſſit catharroſus defluxus importunus,& nõ probè purgatus,aut febrilis aliqua affectio,vel aluus ſoluta,quorum ſuppreſsione ſurdus euaſit homo: præterquã quòd in foramine auditorio nihil mali aut impedimenti elucet: verũ ſi ab intemperie calida vel frigida prodeat,tactu & laborantis ſenſu diſcernes. Si tamen à crudo phimate ſit,ex impedimẽto in meatu perſentito colliges,& quòd nulla ſordes per aurẽ inſtillat: ſi ex inflãmatione,ex dolore,febre & mentis perturbatione: ſicut dum ſit à craſſa & denſata ſorde,quòd veluti palo aut re aliqua obturari meatus videatur,& cum hoc ſordis etiam aliquid ſtillet.

Præſagiũ. Siue ſurditas ſit,ſiue ſubſurditas,dũ ab ipſo ortu cõtracta ſit, vtramq; aurẽ occupare eſt credendum & cõformationis inſtrumentorũ vitio prodire,& ob id irreparabilẽ eſſe. Idem quoque cenſendũ eſt,ſi poſt natalem orta annorum duorum ſpatio confirmata ſit. Quæ verò non abſoluta quidem aut non in vtraq; aure, diuturna tamen, & maturiori ætate prodeunte ab humore frigido, craſſo & pituitoſo orta, penitus impacto in auditorio meatu, nec ipſa quidem curationẽ recipit,ſed admodum difficilem. Verũ ſi in febre ſurditas ſuccreſcat (nam & in acutis,& in diuturnis ſuccreſcere ſolet & per ſe morbũ conſtituere) plerumq; repente fit (aut ſaltem leui præcedẽte tinnitu) & rarò inueteratur. Quam ſanè ſurditatẽ & criticè & ſymptho maticè accidere ſcimus: criticè verò cũ materia craſſa eſt & frigidior, parotidũ præ nuncia, præſertim accedente comate, vt ſtatuerat Hipp.3.proff.73. In capitis dolere coma & ſurditas abſceſſum aliquem poſt aures eructant, ſicut in calidioribus humoribus ſanguinis profluuiũ, aut alui fluorẽ, vel abſceſſum ad coxas, aut omnia ſimul, vt in hiſtoria Heropiti in Abderis.3.pop.cõm.3. ſic profectò in acutis poſt iudiciũ ſurditas ſalutis nuncia exiſtit. Vt ſympthoma verò ſuboritur non rarò ſurditas: nam quibus à febre (quanquam rarò) firma ſtabiliſque manet, rarò deliteſcit

& curatur; quibusdam verò euenit humore aliquo in auditorio meatu fixo atque impacto, citra vllam malignitatem: quem humorem 1. prorr. 32. bilem esse arbitratur Galen. quæ per suppressionem in caput rapta vitiat auditus instrumentum, probat euentu descensus ipsius bilis ad intestina, vt probat Hippocrat. 4. aphorismorum 60. & 28. Quibus bilioſæ deiectiones exeunt, eæ surditatẽ superuenientẽ sistuntur: & quibus surditas adest, bilioſorum deiectione finitur. Item quibus per febres aures obsurduerint ijs sanguis è naribus profluens, aut aluus turbata soluit morbum. Præterea reperitur alia surditas cunctis deterior, & maximè lethalis, extincta audiendi facultate, quæ sequitur acuti morbi perniciem, vt 1. prorr. 32. insinuauerat Hippocrat. & 4. aphorismorum 49. dicens: In febre non intermittente, si labrum aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertitur, si non videt, si non audit, imbecillo iam corpore, morti proximum est. Itaque surditas ab extincta facultate, lethalis est: inueterata non curatur: firmata neque aluum sistit, neque alui bilioſis deiectionibus tollitur: temporaria translatam bilem ad aures ostendit, vbi aut conuulsionis, aut delirij præsidium existit, nisi per aluum, aut fluxum sanguinis è naribus purgetur. Quæ omnia curaturo summoperè necessaria existunt, vt discat quali medicamento vtendum sit, & qualem spem de surditate curanda concipiat, & polliceatur.

Curandi ratio.

Curandi verò ratio tot sortita est partes, quot causas: quarum quæ aut leues sunt, aut cum alijs morbis communes, facilè expedientur his quæ mox referam: quæ verò maioris sunt momenti, maiorem etiam requirunt diligentiam. Sic profectò (vt ab illis facilè me expediam) causa, quæ intemperie media hoc vitium gignit, vel spirituum, aut aëris quieti spurcitia, facilè his quæ nuper diximus & capite de visus debilitate, subsidium susceptat. Quæ verò ex phimate prodit, his quæ coquendi ac digerendi vires habeant, vt decoctum aut succus radicis altheæ cum butyro aut oleo susino: vel decoctum fœnugræci, seminis lini & altheæ cum butyro, aut oleo susino, vel decoctum fœnugræci, seminis lini & altheæ cum modico aceto & melle: aut butyrum cum succo maluæ liquefactum, & alia huius naturæ. Cæterùm si à crassis recrementis surditas fiat, his quæ incindant, attenuent ac modicè liquent vtendum est, velut existit inter alia stillatitius liquor mellis, succus rutæ cum modico aceto, maioranæ, item sthœcados, porri, aut cepæ, vel mel squilliticum cum succo raphani, aut oleum de ligno cupteſsi cum eodem succo raphani ad consumptionem sucti feruefactum: quod cùm liquaueris, paulatim penicillo tertio quoque die, aut singulis diebus extrahes, & iterum eisdem præsidijs vteris. Primò ante omne auxilium statuendum est in surditate fugiendum esse à nimis calidis aut frigidis medicamentis, aut alimentis. Sic Rufus Ephesius allium nocere scripsit. Item Albertus Magnus summa de homine statuit, anfractus aurium longissimos fecisse naturam quo minus à frigidis læderetur. Pari ratione crapulam, cruditates & crassa cibaria fugere oportet: item & vociferationem, ac tonitrua, dum caput plenum existit: nam ipso purgato, vt ex Archigene refert Galenus, clamores maximè tubarum summoperè prosunt: primò, quia calfaciunt auditorium meatum, & ea ratione residuum humorum discutiunt: secundò, quia clamoris impulsus illidit humores in locis impactis. Cuius sententiæ fuerunt Epicurus, & Democritus, vt refert Lucretius 4. de natura: quorum sententiam probauerat Galenus 3. localium, dicens: In dolore aurium quiete opus esse: in graui auditu

ditu & surditate, motu & concussione. Insuper fugiendum esse à vomitu consulit Hippocrat. lib. de locis in homine, quia maximè caput repletur, quòd sursum ferantur omnia caputque repleant, vt in oscitationibus, respiratione & inspiratione contingere asseuerat Aristotel. 5. de generatio. anima. capit. 2. & 11. partic. problem. 42. Quòd si humorum fuerit affluxus, qui vel neruum resoluat, vel eius foramina infarciat, triplici tantùm medendi ratione vteris: prima nimirum, quæ totum corpus immune reddat ab huiusmodi humoribus (præmissa proba victus & potus institutione. Cui vsui potum instituere oportet, ex decocto ligni guayaci cum modica liquiricia, vel ex sparta parella cum ligno aloë, vel è radice chinæ cum sasaphrasa Indica: præterquàm si ventriculi aut consuetudinis gratia tenui & modico vino vti concedatur, cum victu etiam omni arte exiccante) purgatione facta medicamento humorem peccantem validè seligente: nam cùm humores sunt crassi & impacti, potius turbantur leui pharmaco quàm extrahantur: quippe censeo ob id Hippocrat. dixisse aluum turbatam, id est, vehementer solutam surditatem soluere, quantumuis Auicenn. dixerit leuioribus esse agendum, quo materia faciliùs coquatur, si quidem Galen. 3. loca. eâdem ratione consuluit pilulis de colocynthide purgare, quæ vehementer aluum turbant, aut vsu balneorum ex sulphure, vel prouocatis sudoribus, quibus quod in ambitu redundat, facilè per insensilem halitum euanescat: iniectis etiam clysteribus acri & attrahenti virtute præditis, quæ etiam humores ab alto distrahant. Secunda curandi ratio his auxilijs perficitur, quæ caput ipsum omni arte præcaueant, quo minus à ventre, aut partibus interioribus recipiant, & si quid receperit, ab humorum spurcitia liberent; quales sunt purgationes crebræ tertio, aut quarto quoque die factæ, quæ ventrem & primas venas tanquam crudorum succorum officinam, primò expurgent: velut sunt pilulæ mastichinæ, ex hiera, ex agarico, alephanginæ: vel hæ quæ conficiuntur ex rhabarbaro, agarico & aloë, vel quæ formantur ex agarico trochiscato, hiera simplici Galeni & mastiche: prodest & infusum senæ cum expressione seminis cartami, aut Mechoacanum Indicum: prosunt & pilulæ ex terebinthina abietis cum puluere hieræ. Quo facto, eis vteris quæ caput ipsum respiciunt, quemadmodum sunt aureæ, fœtidæ, cochiæ, Arabicæ, & huius census aliæ: vel purgationem consimilem & non minoris momenti institues, si affectioni consentiat vniuersum corpus, exhibitis. ℥. v. decocti quod recipit florum sthœcados. ℥. j. maioranæ. ʒ. iij. turbith, & polipodij. ana. ʒ. ij. &. ʃ. agarici trochiscati ligati & rhabarbari. ana. ʒ. ij. foliorum. senæ. ℥. ij. bulliant in libris sex aquæ ad consumptionem medietatis, & cum modico ligni aloës aromaticetur: quod porriges tertio quoque die, & interim humorem & corpus præparabis rhodomelle cum modico oxymellitis simplicis vel compositi, vel squillitici cum syrupo de sthœcade, aut de betonica & aquis amaraci, saluiæ, hyssopi, fœniculi, calamenti aut origani. Item excipe foliorum betonicæ, roris marini, sthœcados. ana. m. j. fiat decoctio, cuius accipe. ℥. iij. oxymellitis simplic. syrupi de sthœcados & de bisantijs. ana. ℥. ʃ. misce. Quòd si humor melancholiæ naturam & conditionem sortiatur, syrupo veteris de Sabor, lupulorum, aut fumariæ cum decocto lupulorum, borraginis & fumariæ. Verùm medicamentis quæ vehementer purgant, frequenter vti citra periculum non datur: ob id consultissimum est eisdem purgare, sed in minori quantitate: quippe sic consuluerat Hippocrat.

pocrat.dicens: In his purgandum eſse cum eo quod modicum ingeſtum plurimũ educat, cuius cenſus ſunt pilulæ cochiæ,aureę,Arabicæ,de hiera pachij,& de lapide lazuli,ac ſimiles. Rurſus materiam educes per ea quæ caput purgant,præſertim per maſticatoria & dentifricia: nam quod excrementitium eſt, bis terue in hebdomada expurgare oportebit:ac mox caput roborare his, quæ capite præcedenti & principio huius capitis exteriùs adhibita, id poſſe diximus: velut ſunt lotiones ex lixiuio, ex decocto guayaci cum aqua vitæ,aut ex vino vbi ferbuerint flores ſthœcados, maioranæ & camemali,lignum aloës, & huius cenſus alia: ſic ex vſu erunt pilei ex pulueribus ſæpius adductis,aut pulueres ipſi ſupra caput ſparſi. Tertia verò & vltima medendi ratio, per ea auxilia fit, quæ exterius adhibita,aut intra aurem proiecta validè habent diſcutere humores,incindere,attenuare & extergere,dũ modo ſint calfaciẽtia,quia pars abdita, & neruacea eſt,& humores plerũque frigidi incindentia,extenuãtia,& altè penetrantia,vt.ʒ.localiũ conſuluerat Gal.velut eſt in humore frigido & denſo abſynthiũ aqua decoctum, ac per infundibulum in aurem euaporatum: præſtat decoctum origani, baccarum lauri & foliorum eius cum modico aceto & caſtoreo, melle & ſucco abſynthij, cuius etiam nonnihil in aurem infundere prodeſt: item ſuccus hederæ cum vino inditus, vel decoctum alliorum & ceparum,aut porri cum vino aut aceto, vel ſucco rutæ. Fel item leporis cum pari mellis portione in cepa feruefactum mire prodeſt. Valet caſtoreum cum oleo coſtino,vel amygdalarum amararum: fomentum autem non minus vtile hoc modo facito: excipe rutæ, abſynthij, foliorum lauri & altheæ.ana. m.j. vini albi lib.ij. aquæ lib.iiij. bulliant ſimul ad conſumptionem tertiæ partis vini & aquæ, & ſpongia modicè calidum auri apponito duarum horarum ſpatio,& ſic per interualla facito. Prodeſt & aliud quod recipit foliorum hederæ.m.ij.cepæ lib.ß. coquantur in hydromellite.q.s. &contundantur donec fiat emplaſtrum,quod auribus apponito, foramine priùs occluſo. Conficies tamen aliud, iudicio noſtro maioris momenti, quod recipit olei amygdalarum amararum. ʒ.iiij. ſucci raphani. ʒ.vj. moſchi pulueriza ti. ʒ.ß. bulliant omnia ad conſumptionem ſucci in vaſe probè obturato, ac in duplici vaſe, & dum laborans ſit dormitum, infunde guttulam huius olei in aurem. Eſt longè maioris momenti, & vſu probatum medicamentum quod recipit olei amygdalarum dulcium. ʒ.iiij. aquæ vitæ. ʒ.ij. foliorum lauri minutim inciſorum numero. vj.bulliant in duplici vaſe ad conſumptionem aquæ,& facta vehementi expreſsione,eodem modo vtere. Eiuſdem quoque momenti cenſeo eſſe oleum ex ligno cupreſsi: ſed pretioſius ex ligno guayaco, aut ſtilloticus liquor ex limatura vtriuſque cum aqua vitæ, melle & ſucco raphani extractus per alembicum. Proſunt & medicamenta quæ capite præcedenti ex fellibus componi diximus, ac ex elleboro & euphorbio. Inter mitiora enim numeratur aqua ſtillata ex pane recenter cocto,cum ſthœcade & modico ciclaminis. Oleum item ex pice, ex cera, ex aniſo, quod maioris momenti eſt, & ex ſemine fœniculi, ex caryophyllis & cinnamomo.Præſtat & vrina capræ, & ſenecta anguis aceto trita & inſtillata. Item ſtillotica aqua ex pari portione aceti & aquæ cum comate abſynthij. Præterea laudatur tabella cupreſsi calida, quantum ferri poſsit auri applicita. Sed confert non parum pinguedo quæ emanat ab anguilla cum aſſatur, ſi proprio ipſi felli admixtum vaſe vitreo ſeruaueris, & vſu poſtulante vnam vel alteram guttam

guttam in aurem infundas. Poſſunt etiam in aurem infundi alia, velut oleum iuniperi, ex terebinthina,aut ex amygdalis amaris,vel dulcibus in quo maduerit & coquatur anethum, euphorbium & caſtoreum. Sed inter compoſita probatum reperio id quod recipit olei veteris. ʒ.ij. olei porrorum & amygdalarum amararum. ana. ʒ.j. ſucci rutæ, ſucci raphani. ana. ʒ.ß. vini maluatici. ʒ.j. & .ß. bulliant in vaſe vitreo ad ſucci, & vini prope conſumptionem:deinde adde ſpicæ nardi, colocynthidis,caſtorei maſtichis puluerizatorum.ana. ℊ. ij. poſteà occluſo vaſe bulliant in duplici vaſe per tres horas: auferatur ab igne & in alio vaſe ſeruetur ad ſolis æſtum paucis diebus donec liquor clareſcat, poſteà coletur tenui linteo, & exprimatur,& adde muſci.ℊ.j. &. ß. diſſoluatur optimè & vſui ſeruetur. Aliud non minoris momenti conficies, quod recipit ſucci porrorum, ſucci abſynthij, olei amygdalarum amararum, petrolei, hoc eſt olei naphtæ. ana. ʒ.ß. miſceantur & ea mixtura impleantur cepæ duæ excauatæ, atque ita ſub cineribus calidis coquantur, & poſteà ſuccus exprimatur leuiter per colaturam.

Quòd ſi hæc & alia quæ paſsim apud peritos viros reperies non videantur profuiſſe,coniectabile eſt fixius aliquid materiæ in neruo & partibus vicinis adhuc infartum eſſe,quod paulò efficaciora auxilia præ requirat. Quapropter oportebit per interualla corpus vniuerſum & caput purgare,& iterum per propria capitis emunctoria quod reliquum eſt educere: cuius naturæ eſt maſticatorium quod recipit radicis pyrethri.ʒ.j.nucis muſcatæ, zingiberis.ana. ϑ.ij. maſtichis ʒ.j.diſſoluatur maſtix in mortario cũ piſtillo calido,& cætera miſceantur ac fiant paſtilli.ʒ.ß. Huius loco gargariſmus fieri poterit ex hyſſopo, origano, ſaluia admixto oxymellite & pauco aceto.Non placet plurimum ſternutatorijs vti,quippe tuta non ſunt ob incertitudinem motus humoris ex vehementi illa agitatione:cuius loco humor attrahi poteſt per nares ſucco betæ, radicis ireos, vulgaris acori cum aqua maioranæ & melle. Quibus factis iterum ad capitis lotionem te conuertes ex lixiuio cineris ſarmentorum,corticum ligni guayaci,& lauri,caulium,braſicæ percolato, incoctis abſynthio,ſaluia,camemalo,maiorana,foliis ſenæ,roſis,agarici aliquot drachmis,quod deinde abſtergatur ſpongia & pãnis ſicciorib̃us,vel ſacculo,qui recipiat ſandarachæ Arabum.ʒ.j.ß.thuris,nucis muſchatæ,maioranæ.an.ʒ. ß. granorum myrti,roſarum rubearum,ſeminis peoniæ,florum ſthœcados.ana.ϑ.ij.puluerizatis omnibus fiat ſacculus interlineatus ſerico pro ſutura coronali,cuius vſus tantùm ſit interdiu, noctu verò ſola cucupha cãnabina ſufficiet,ſcalfacta tamen fumo quem ſandaracha & thus carbonibus iniecta exhalarint. Quo facto,bis, terue in hebdomada ſuffitibus maioris momenti vtendum erit,velut eſt qui recipit centaurij minoris, tanaceti, abſynthij, maioranæ.ana.m.j.&.ß.foliorum lauri,roſarum,ſpicæ.ana.m.j.lũbricorum lotorum in vino & ligatorum in ſindone. p. ß. aquæ partem vnam, vini albi partes duas, coquantur & ſeruentur pro ſuffitu,à quo aliquid eorum quæ dicta ſunt in aurem infundere oportebit. At ſi his malum non ceſſerit, & ex mali augmento Medicus coniecerit aliud grauius malum poſſe ſuperuenire, occiput ferro candenti aperire oportet,& fontanellam in brachijs excauare: vel ſi placet ſetonem occipitio affigere,quo expiret id quod indies in cerebro aggregatur.Sed longè his maiora & valentiora reperies tract.de tinnitu prope finem: quæ ne bis repetere videar,illuc eſſe quærenda ſatius duxi. Verùm ſi ex pure in aure reſiccato ſurditas

Maiora auxilia.

ſub oriatur,abſterſorijs vteris,quale eſt hydromel ex hordei cremore: vel id quod recipit ſchoriæ ferri.3.j.decoque in vino & poſteà in aurem infunde.At ſi aqua in aurem proiecta cauſa ſit,ſaliat laborans capite verſus illam partem inclinato,& poſteà goſypio aut ſpongia extrahatur:præſtat & ſternutatio ex oleo calido per ſuctū aut per ſiringam in nares immiſso.Verùm ſi ob vermiculos malum oriatur,amaris abſtergere oportet,velut eſt oleum de nucleis Perſici,aut ſuccus foliorum eius,ab ſynthij,lupinorum,& calaminthæ cum aloë:calculos verò aut quamuis rem durā in aurem immiſſam,chirurgicis inſtrumentis committes,factis priùs fomentis & calorificis auxilijs:verùm ſi alicui us ſeminis granū in aurem inciderit,caue ab his quæ intumeſcere faciunt,velut eſt oleum aut aqua calida,deteriùs enim tunc extrahes.

De fluxu ſanguinis narium.

Cap. XXV.

Licet hæmorrhagia Græcè, quamuis ſanguinis profuſionem deſignet,peculiari tamen aceptione, ſanguinis è naribus fluorem importat,vt ex Hipp. euidenter probari poteſt lib.6.epid.ſect.3.text.21.cui ſententiæ Gale. adſtipulatur lib.1.popul.part.1.commē.9. dicens quòd hęmorrhagia per ſe & ſimpliciter ſumpta,ſanguinis è naribus profuſionem ſignificat,nō expreſſa particula per quam fluit:alioqui nomen commune eſſe. Fluxionem autem ſanguinis per nares,triplicem eſſe euidenter conſtat:nam comperimus quandam eſſe naturalem & ſanorum propriam, à copia & feruore ſanguinis,qui in pueritia non ſolùm in alimentū,ſed etiam in incrementum conſumebatur.Cuius meminerat Hippoc.3.in.6.popu.dicens: Vbi concubere,vel hircire incipiunt,ſanguinem profundunt. Secundam verò frequentiùs conſpicimus,vi febris & in certamine naturæ in criſibus commotam. Quippe ſanguis calore feruens ſurſum rapitur,apertiſq; venis vnà cū calore funditur. Hæc ſanè vno è tribus modis in morbis contingere poteſt,vno quidem criticè & natura ſuperante: quā eſſe ſalubrem confirmat ſuccreſcere in omni morbo acuto & bilioſo,& in cauſo,phrenitide ac inflammationibus viſcerum:minus tamen vtilē in lethargo,& peripneumonia,medio modo ambigit pleuritis:eam quoque ſecuriorem reddit correſpondere non ſolùm ſpeciei morbi & naturæ bilioſæ,ſed etiā ætati, temperamento, victui, & è directo affecti loci & temporis conſtitutioni. Nam in eodem genere cauſi iuuenes magis hæmorrhagia, ſenes magis dyſſenteria iudicantur: confirmat autem iudicium, conferentia & tolerantia, quod expreſſerat Hippocra.1.epid.part.3.per verba benè & largiter fluere, nequis deceptus fluoris copia,compeſcere vllo modo tentet. Cùm hoc tamen monendus mihi in hac parte lector eſt, ne his verbis nimium credens non prouideat immodicis profuſionibus,quas(licet criticæ ſint)damnauerat Hippocra.ipſe.3.prorr.41. &.52. dicens: In iudicatorijs perfrictionibus ſanguinis eruptiones vehementes, peſsimæ:& paulò inferiùs. Quibus è naribus copioſè,violenta & multa fluunt,ad conuulſiones hi interdum deducuntur,venæ autem ſectio ſoluit.Ratio huius dogmatis

matis eſt, quia grauata præ copia & ad excretionem concitata, modum tenere nequit,& ſupercriſim à Medicis vocatam efficit.Altera rurſus eſt vitioſa criſis per hæmorrhagiam, quando nimirum imperfecta eſt,vt cùm parum fluit,& per interualla,aut modò parum,modò largiter,iteratis vicibus,vt in Methone,& in eo qui in Dealcis horto habitabat.1.epi.Hipp.ſcribit.Tertia verò eſt ſtillicidium cū paucæ ſtillæ fluūt ſine cauſa manifeſta, ſed vi febris,fruſtra tētata criſi à vi morbi,vitio ſanguinis,& cerebri infirmitate in morbis malignis. Vltima verò hæmorrhagiæ ſors,cuius naturā & cauſas in hoc cap.diſputare ſtudeo,eſt ſympthomatica nūcupata,partium interiorum malè affectarū occaſione: in primis hepatis & lienis, interdum etiam capitis. In quarum partium affectionibus per interualla ſtillat ſanguis,aut copioſè profunditur,reſoluto aut obſtructo hepate, vel liene: in lienoſis enim tenuis ſanguis ſurſum abit ac defluit,craſsior verò in ſplene relinquitur,quo & repletur,& hepar replet,quia non expurgat:primum quidem fit retentricis, ſecundùm expultricis, tertium attractricis infirmitate.Caput præterea ſanguinem fundit cùm venæ eiuſdem,ſuſcepto ſanguine è partibus inferioribus, diſtenduntur,acrimonia aut copia vicinæ partes irritantur,caput exęſtuat,cōmotus ſanguis & exagitatus vapores & exhalationes gignit,qui excitati extremas venas,& quæ ad oculos pertinent ſubeunt,& exitum parant, vel paratum inueniunt facultatis vitio,aut ipſarum venarum morbo.Hinc hebetudo viſus,& alia quæ.3.prog.& in prorrheticis fluori ſanguinis ſigna ſcripſerat Hippocr.

Quibus ſuppoſitis ſtatuendum eſt,vt in prima fluentis ſanguinis ſpecie naturali diximus, ipſum poſſe fluere vel vtiliter, conante nimirum natura quod redūdat aut moleſtat deponere, velut in criſibus efficere ſolet,& in febre ardēte nō rarò:vel proſilit ex aſſuetudine:aut dum vacuatio aliqua præter tempus & naturā ſeu occaſionē ſuppreſſa eſt vt his contingit,quibus menſes imminuti ſunt,vel non fluxerunt,vel intēpeſtiuè deliteſcunt:ſic & alijs quibus,aut hæmorrhoides occultantur,vel membrū aliquod mutilatum eſt,vel per aluū aſſueuit natura ſanguinis copiam deonerare, & id iam nō exequitur.In quibus omnibus licèt ſanguinis excretio toto genere appelletur præter naturā,ex vſu eſſe ſolet, ſicut in alijs toto genere præter naturam & nocua,ratione materiæ quæ familiaris eſt,& ratione loci, quē nullum fabrefecit huic vacuationi natura:ob idq; grauior periculoſiorq; eſt ſanguinis profuſio,& plus corpus ab eius euacuatione labaſcit, quàm à cuiuſuis humoris profuſione,etiam ſi maior copia excernatur.

Contingit enim ſoli homini inter cætera animalia ſanguinis è naribus profuſio, quia plus eo,& humidiori abundat cerebro:ſecundò verò,quia cutis & vaſorū tunicæ in hominibus lōgè ſunt tenuiores & rariores:quo fit,vt facilè ipſe ſanguis exſudet,aut per ora fluat,vel vaſa dirumpantur, maximè cùm calor accedat. Ex quo etiā prodit frequentiùs viris quàm fœminis fluere,quòd hæ partibus conſtent inferioribus magis calidis,& per vterum ſanguinem fundant:illi verò partibus ſuperioribus calore abundent, quo frequentiùs ſanguis à naribus fluat. Quo factum eſt, vt ſanguine immodicè fluente,corpus in grauiora pericula promptiùs dilabatur:namque & malus corporis habitus,& morboſa gracilitas protinus & immedicabiliter ſuboriuntur:quamobrem expedit paulò diligentiùs huiuſmodi fluxum noſſe, vt quando natura agente ſuccreſcat(permittatur)aut patiente (protinus compeſcatur)apertum ſit.

Cùm enim natura errante funditur ſanguis, toto genere præter naturam

efficitur excretio,& sympthoma fit in genere excretorum, non solùm immodicè, verùm & præter naturam toto genere. Quod sanè non vnum videtur secta ri morborum genus, sed varia iuxta Galeni placitum lib. 5. method. cap. 2. & lib. 2. vt latiùs in explicatione causarum constabit: interim tamen scito, nonnunquã ad morbum in via pertinere, aliquando ad solutam vnitatem, & non rarò ad intemperiem.

Causa. Vna enim trium rationum sanguis è vena profluit: prima vitioso facto sanguine ipso: secunda ob vitium facultatum, quarum munus est sanguinem continere aut distribuere: tertia verò ob vitium vasis ipsius, sanguinem continentis. Prima quidem ratione sanguis fluendi occasionem sumit ab immodica efferuescentia & calore: attenuatur enim calore & pori dilatantur atque aperiuntur: quo fit, vt facilè per aperta foramina diffluat, quemadmodum iuuenibus æstiuo tempore, & immodicis præcedentibus exercitijs euenire solet: feruidior enim factus promptiùs caput conscendit, & qui illuc præest, ob dictam rationem profluit. Secunda occasio, quatenus ad sanguinem attinet est, dum aquosior, tenuior & serosior efficitur: atqui cùm naturalia foramina crassiori sanguini continendo fabrefecerit natura, factum est, vt dum tenuior fit, contineri nequeat. Defluit tertiò sanguis dum præ nimia quantitate ita vasa distendit, vt necessum sit præ distensione oscula & naturales meatus aperiri, quousque sanguis ipse sua sponte profiliat, vt in iuuenibus, & his corporibus quæ quotãnis, aut per breuiora interualla, sanguinem fundere assuescunt: quartò verò & vltimò ratione sanguinis fit eius profusio, dum vitio aliquo ita est conspurcatus, vt vasa ipsa exedat, abradat ac perforet, aut nonnunquam præ nimia plenitudine disrumpat: hoc quidem in athletis, illud verò in cacochymis corporibus non rarò visitur. Secunda autem ratio, ex tribus primò loco memoratis, ex facultatibus prodit, quibus datum est sanguinem regere & gubernare: nam cùm distribuens facultas tam est valida, vt præ nimia copia luxuriet, fit vt sanguinem saltem redundantem sua sponte è corpore pellat, quod solet in robustis corporibus non rarò accidere. Facultas etiam retentrix ob aliquod vitium, aliquando ita languida redditur, vt proprio munere continendi vti deinceps nequeat, & laxatis vasorum osculis quibus ipsa innititur, dum valens est, sanguinem libere defluere permittit, temperamento quo id munus exequitur vitiato, vt in longis affectionibus contingere scimus. Tertia verò & vltima fluendi ratio prodit ex vasorum sanguinem continentium vitio, quod triplex esse creditur: quippe patitur frequentiùs anastomosim, hoc est relationem osculorum ipsarum venarum, quod succrescere contingit, vel sanguinis acrimonia naturam stimulante, vel nimia copia grauante ipsam, aut ex impotentia contentricis facultatis ipsarum venarum. Patitur etiam pororum, seu meatuum tunicæ ipsius vena quæuis apertionem, qua sanguis à venis exsudat, quia vel tenuior iusto est, adeò vt eisdem contineri non possit, vel quia venarum substantia rarior facta sit, quod vitium appellatur diapedesis: vtrumque tamen malum morbus est pertinens ad figuram quatenus habet meatus ampliores quàm par sit. Tertium autem vasorum vitium pertinet ad continuitatis venæ separationem: nam aut discissa est, aut disrupta, aut contusa, aut exesa. Discissa quidem à re accita soluente continuum: disrupta à flatu aut plenitudine: cõtusa à re graui: exesa verò à re mordente, erodẽte & acri.

Signa

Signa verò quibus dignoscitur quæuis harum causarum, in promptu quidem sunt: nam sanguinis efferuescentiam monstrant anni tempus, exercitium præcedens, aut animi passio, qualis ira est. Tenuem sanguinem ostendit natura ipsius exeuntis: quippe dilutus est & iusto tenuior. Quantitatem monstrat color optimus, rubicundior, venæ pleniores, grauitas totius corporis, & maximè capitis, corporis constitutio seu habitus athleticus, & statura fluendi consuetudo. Vitium sanguinis docet deterrimus eius color, & alienus à naturali: item color pallidus, flauior vel nigrior, etiam sanguis calidior, mordacior & quasi abradens partes. Languidam verò facultatem totius corporis pallor, & malus habitus: præterquàm quòd sanguis ipse improbè etiam est confectus. Robur autem expellentis facultatis monstrant robustus corporis habitus, faciei color optimus, & in cæteris optima totius corporis constitutio, & à sanguinis excretione conferentia. Venam esse diruptam monstrant ictus, percussio, saltus, vehemens rerum difficilium conatus, vociferatio & cætera vim ac potestatem rumpendi obtinentia. Diapedesim aut anastomosim ostendit sanguinis tenuitas aut calor, & pari lege totius corporis calor & æstus: cuius munus est poros & ora venarum dilatare & aperire. Exesionem quidem venæ ostendit sanguis ipse bilioſus aut deterrima alia qualitate præditus, ex qua licet colligere vitium sanguinis exesionem moliri: præterquàm quòd ex modo fluendi (sumpto initio à parua fluxione, quæ postea degenerat in vberiorem) libr. 5. method. med. &. 3. de causis sympthom. Galen. etiam fluxionis rationem ostendere nititur. *Signa.*

Fluxionem quidem sanguinis licèt aliquando profuisse constet, cum hoc tamen neque tuta semper est, neque cùm malum significat æquale accersit. Qua in re in memoriam reuocare oportet, Galeni sententiam, qui lib. de symphomat. caus. cap. vltimo docet, vacuationem aliquam præter naturam dici, vel quatenus actio læsa est, vel quia exiens est mutatum, vel qua corporis existit affectus: ex quibus elici potest, hæmorrhagiam omnem nõ semper esse actionem læsam, sed aliquando vtilem & natura vincente factam, vt crisis ostendit. Verùm quatenus consideratur vt exiens mutatum, sola mẽstrui purgatio naturalis est, reliquæ verò innaturales: verùm dum iungitur alicui corporis affectui, vt ex rupto vase, semper præter naturam existit. Inter quas omnes solam narium vocauit innoxiam Galen. 5. aphorismorum. 53. cui minus tuta existit quæ per hæmorrhoides fit, licèt pluribus affectionibus proficua. quia periculum est, ne sanguis immodicè per eas dilabatur. Quæ verò per sedem periodice fit, à morbis etiam præcauet, sed minus tuta est, quòd soleat in intestinis concrescere. Vomitus autem sanguinis tanto cæteris deterior est, quanto vomitus omni deiectione, licèt aliquando prosit, & ab eminentibus morbis nonnullos liberet. Sed omnium deterrimus est, qui tussiendo è thorace reijcitur, vt suo loco latius dicturi sumus. Quibus sic consideratis, priùs ante omne consilium expendes, sit ne huiusmodi fluxus sanguinis aliquo modo permittendus, an compescendus protinus: quod facilè disces, si expenderis criticum fluxum nullo modo esse compescendum, nisi natura præ impotentia non se possit continere, vt à principio capitis dictũ est, ne que consuetum, ni virium casum vereamur: neque rursùs ætate iuuenili, aut temperamento sanguineo præditis, aut vbi consueta aliqua euacuatio suppressa est. *Præsagiũ.*

Quòd

Curandi ratio.

Quòd si supprimendus sit sanguinis narium fluxus, curandi ratio quæ id præscribit, quinque consideranda esse primò docet: primùm à quo loco feratur in nares: secundò per quas vias: & vltimò nares ipsas ad quas defertur. Quippe à iecore, ab splene, à toto corpore non rarò, & etiam à capite ipso in nares defertur. Cõsiderare etiam oportet, à quauis parte proficiscatur fluxurus sanguis, semper per venas irruere. Prætereà considerabis, necessariò ante venarum nasi ingressum, vel cerebrum vel vicinas ei partes adire, quod periculo non vacat. Tertium verò quod consideratione dignum existit, fluxionis ipsius impetus proculdubiò est: & vltimum fluxionis causa seu occasio. Est itaque in quauis sanguinis profusione, solùm eius habito respectu, medendi quædam ratio omnibus causis, & morbis communis, quæ tantùm respicit fluxionis impetum, & ea ratione duplex existit: altera fluxioni prouidet: altera verò foramen respicit per quod sanguis erumpit. Quæ verò impetum considerat, omni diuersionum genere & distractione ad distantem & contrariam partem integratur, hac vnica ratione seruata, quòd si Medicus cognouerit fluxionis originem & principium à quo sanguis mouetur ad nares, ad id reuulsio fieri necessariò debet: iecur etenim in plerisque origo solet esse fluxionis sanguinolentæ, præsertim si ex dextra nare sanguis profiliat. Quo tempore solùm considerata fluxionis immoderantia, & vt ei subueniamus, supra iecoris regionem, præter frictiones, ligaturam, & huiusmodi alia diuersoria auxilia, cucurbitam maximam adhibere oportet, sicut si ex sinistra nare oriatur, sinistro hypochondrio. In fœminis verò, quibus maiori ex parte vteri consortio sanguis profilit, vtero ipsi eandem cucurbitam affigere oportet, aut femoribus & suris si in vtero aliquod præsit vitium, cuius ratione vereamur ibidem cucurbitam affigere. Verùm si origo mali omnino Medico ignota sit, ad quàm distantissimam partem fluxionem auertere oportet. Est tamen vulgatum præsidium in magnis sanguinis narium profusionibus frigida aqua testes immergere, quo protinus sanguis visus est cessare: cuius ratio haud dita facilis est: censeo tamen tam insigne cum membris præcipuis, & maximè cerebro, consortium testes obtinere, vt facilè eisdem refrigeratis, venosum arteriosumque genus protinus frigiditatem persentiat, subindeque veluti à frigidæ potu impetum compesci. Sunt etiam qui concedant crurum lotiones ex calida aqua, quæ infernas partes aperiat, dilatet ac laxet, quo faciliùs ad easdem sanguis alliciatur, distrahaturque à superioribus. Sic hirudines suris affigere oportet, quo longiùs suctu sanguis euocetur, vel cucurbitas cum leui scarificatione, aut ligaturas frequenter compressas, & modicè ac per interualla laxatas. Itẽ cucurbitæ affiguntur scapulis & summæ ceruici, etiam cum scarificatione, sed fœminis femoribus & suris sunt affigendæ, maximè si à puerperij vel menstrui suppressione sanguis fluat. Quo casu nec non & alio quouis, tutum & vtilissimum plerisque authorum visum est, in talo venam tundere, & parum sanguinis ac per interualla extrahere, quo maior fiat reuocatio quàm profusio, virium seruandarum gratia: ac si plurimum vrgeat profusio, sanguinem ex brachio per vices & interualla mittes.

Secunda curandi ratio vrgente etiam fluxionis indicatione, & nullo habito ad causam respectu, circa obturationem foraminis per quod sanguis exit, versatur: quam profectò moliuntur diuersa auxilia, quæ etiam iuxta rationem

nem diuersitatis causæ, quæ foramen adaperit instituí possunt. Nam si soluta est arteriæ tunica à re incidente vel contundente, agglutinantibus vtendum est, qualia sunt albumen oui, thus, resina, terebinthina, succus glauci & puluis aut succus sigilli beatæ Mariæ, hoc est consolidæ maioris. Si verò propter exesionem foramen fiat, ea auxilia adhibenda sunt, quæ obstruendi & obturandi foramen vim obtineant, qualia sunt amylum, farina volatilis, thus, mana thuris, terra lemnia, bolus armenus, cum mucilaginibus seminis citoneorum, album oui, charta ex papiro combusta, spongia pariter combusta, pili leporis & coagulum eius, aloës, gypsum, gummi tragacanthæ, & lebetis terrei sæpius ignem experti rasura. Sed composita huic causæ & præcedenti ac sequentibus, non pauca conficies, quorum primum recipit boli armeni, terræ sigillatæ, lapidis hematitis, coralli rubei, hypocistidis, acaciæ ana q. s. vt cum aceto & albumine oui fiat linimentum, cuius iuxta frontem & in nares modicum immittes. Aliud conficies quod recipit succi plantaginis, aquæ rosarum ana ʒ. ij. aceti ʒ. ß. ouorum albumina duo, terræ sigillatæ quantum ad inspissandum sufficiat. Præstat & aliud quod recipit gummi Arabici, sanguinis draconis, acaciæ, spodij, balaustiorum, boli, lapidis hematitis, coralli rubei ana ʒ. j. & ß. cornu cerui, gallarum cupressi ana ʒ. j. fiat puluis tenuissimus, & cum albumine oui formentur pessaria, quæ intra nares immittes. Valet & tela araneæ cum albumine oui & sanguine draconis: item succus stercoris equi cum aloë & puluere myrtylorum: ex quibus varia poteris efficere eidem vsui proficua. Quòd si ex reseratione meatuum aut pororum fluxus suboriatur, adstringentium silua vti oportebit: sic enim lichinum formare oportet ex succo poligoni, consolidæ maioris, albumine oui, rhu & aliarum herbarum quæ stipticitatem habent, posteà tamen lichinium spargere oportet pulueribus farinæ volatilis, amyli, gypsi, thuris, aloës, rosarum, myrtilorum, hypocistidis, balaustiarum, mastichis & corticum granatorum. Quòd si obturata nare prædicto lichino fluxus quieuerit, rarò mutare oportet, donec ex toto apertum foramen coalescat: sin aliter alia tentare oportet auxilia, ex his quæ retulimus: quemadmodum est lichinum confectum ex leporinis pilis minutim inscissis & candido oui admixto aliquo ex suprà dictis pulueribus, vel suffumigatio ex aceto iniecto super lapidem ignitum: præstat eundem vsum puluis stercoris equi, & vt alij referunt, asini, aut succus eiusdem stercoris recenter excreti, & plures alij pulueres quos nuper memorauimus. Exteriùs verò adhibere oportet frigidam aquã fronti, radicibus nasi, & occipitio frequenter adhibitam: fronti etiam cataplasmata, quæ conficiuntur ex eisdem pulueribus, & albumine oui frequenter agitato, vt vasa quæ foramini proxima sunt, pari lege obturentur, & pressiorem reddant sanguinis viam. Præstat quidem prædictum beneficium, inter alia, id quod recipit mastichem, tragacantham, farinam volatilem, pilos leporis minutim inscissos cum albumine oui: valet etiam, sed maximè vbi caloris feruor adfuerit, id quod recipit succi lactucæ, semperuiuij, poligoni ana partes æquales, aquæ rosarum & aceti parum, quibus mixtis & linteo exceptis, fronti & prope collum adhibe.

Quibus si fluxus nõ cesserit, ad causam & ad causæ principiũ deuenire coget Medicus. Sic si feruor sanguinis aut eius vbertas causam præstiterint, primò sedato feruore ipsius, frigidissimis potib⁹ adhibitis, si corp⁹ aut corporis cõditio id nõ vetuerit, quiete, frigido aëre, ventilatione & sparsione rerũ frigidarũ, abluto etiã capite

frigida

frigida aqua & eâdẽ naribus & pudẽdis partib⁹ ſæpe adhibita. Præſtitis etiã iecori quæ refrigerẽt, quale eſt vnguentũ roſaceũ, ſanthalorũ cũ aceto & ſucco cichorij aut roſarũ: inſtituta etiam ea victus ratione, quæ & refrigeret & modicè ſanguinem coẽrceat atque comprimat, cui vſui deſeruiunt lactucæ, ſcariolæ, folia cichorij, carnes aſſæ & aqua chalybeata ac reliqua id genus. Quòd ſi prædicta non profuerint, neceſſum erit feruorem reſtinguere ſanguine leuiter miſſo, quantum nimirum ſat ſit reuulſioni & attemperamento, idque partitè & parcè virium ſeruandarum gratia: poſtmodum verò parti prouidendum eſt eo auxilio, quod recipit argillæ. ℥.ij. boli armeni. ℥.ß. acaciæ, hypociſtidos. ana. ʒ.ij. cum albumine oui & modico aceto fiat emplaſtrum, quo frons & tempora illiniantur: vel alio quod recipit argillæ & farinæ volatilis. ana. ʒ.j. miſceantur cum albumine oui & tantillo aceti, imbuantur goſypio carpto naribuſque imponantur: tandem indantur in nares quæ refrigerant, adſtringunt, aut cruſtam inducunt, ſi id neceſsitas poſtulauerit. Quem vſum præſtat id quod recipit ſucci lanceolæ, hoc eſt plantaginis acutioris, burſæ paſtoris, quod ſufficiat, & in his macceretur ſanguis draconis & excipiatur goſypio carpto. Eundem vſum præſtat ſuccus plantaginis, caulium, rubi, meſpilorum, cornorum & puluis eorundem: item lanugo arboris quæ folijs populi adnaſcitur, vel villorum ſalicis, quæ macerari prius in aceto debent & ſole ex ſiccari. Sed præter alia non pauca compertum eſt prodeſſe athanaſiam Nicolai cum ſucco pentaphili: vel puluerem Alexandri, qui recipit conſolidæ, ſanguinis draconis, Karabe. ana. ʒ. j. hematitis, coralli, cornu cerui vſti, ana. ℈. ij. fiat puluis: cuius etiam præberi poteſt. ʒ. ß. cum liquore conuenienti. Sunt etiam alij puluꝛes adeò efficaces, quòd innates inditi vicem gerunt cruſtiferi medicamenti, cuius naturæ eſt qui hoc modo paratur. Spongia acerrimo aceto imbuitur, imbuta pice liquida circunducitur, tunc fictili vaſe repoſita crematur, & in puluerem qui per ſe naribus exuſlatur, aut liquidis admixtus mirè opitulatur. Prodeſt æquiſeti radix trita & naribus indita, radix peoniæ, aqua panis porcini oleo, thure, terra ſigillata & alijs admixta. Quòd ſi ne hæc quidem prodeſſe videantur, ad validiora ſcarotica deuenire iubet mali vrgentia: cuius cenſus eſt quod ex vitriolo, calcitide, gypſo & gummi æquis partibus linimẽto naribus indito paratur: quæ quidem ſicut narcotica, non niſi vrgente vſu ſunt adhibenda.

Verùm ſi ſanguinis multitudo malo cauſam præſtiterit, ad eius vacuationem properandum eſt, ſanguine miſſo ex ea vena, quæ directiùs membrum tranſmittens, aut totum corpus reſpiciat, vel eam quæ iecur directiùs euacuet: inquit enim Gal. lib. de ſang. miſſ. c. 2. Cum me ſæpenumero conſpexeritis in valida ſanguinis eruptione, eo vſum repente fluxionem ſedaſſe: quapropter, tunc protinus bonum habitum ſoluere expedit, aut conſuetudini ſatisfacere, ſi laborans aſſuetus ſit ſanguinem fundere, vbi ſuppreſſa eſt aliqua ſanguinis conſueta & vtilis vacuatio: ſed cauere in hoc opere vires oportet: nam ſatius eſt ab alimento aliquid demere, quàm cum virium diſpendio, plurimum ſanguinis extrahere.

Si verò ſanguinis tenuitas fluxus cauſa fuerit, duobus auxiliorum generibus fieri debet: aut incraſſato ſanguine ſyrupis id valentibus, veluti myrtilorum, deroſis ſiccis, ac citoneorum, & apozematis ex adſtringentibus ac frigidis confectis, vt eodem ſyrupo myrtilorum, roſarum ſiccarum, de papauere, de nymphea, granatorum, citoneorum cum aquis centinodij, plantaginis, portulacæ, arnogloſæ, vel chalybeata: maximè ſi addideris trochiſcorum de Karabe, de terra ſigillata, vel coralli. ℈. j. Idem tamen opus exequeris expurgato ſanguine ab humoribus tenuibus & ſeroſis, quibus dilutior & tenuior redditur, rha barbaro nimirum, corticibus myrobalanorum citrinorum, agarico, cartamo, & his quæ conſimilem habeant vim: & poſtmodum exhibitis quæ vim habeant ſanguinem comprimendi, qualia nũper adduximus.

Si verò ſanguis acrior, mordacior & erodentior, propter alicuius humoris mixtionem aut exuſtionem vel exuperantiam factus fuerit, duplici ratione rem agere oportet: prima purgatis humoribus qui in ſanguine peccant, iuxta cuiuſuis naturam & indigentiam. In qua re conſiderare oportet cacochymiam vel humorum vitium in triplici eſſe differentia, vna quidem eſt ex alicuius humoris (ſanguine excepto) vbertate: alia ex vitio, ſiue in qualitate ſit, ſiue in ſubſtantia. Tertia verò & vltima cùm tantum ſanguinis fluxit, quòd reliqui humores effrænes, & ſinceri in corpore ſuperſint: quæ ſanè cacochymia, potiùs talis cẽſenda eſt defectu corrigentis & attemperantis ſanguinis, quàm humoris ipſius vitio. Quo caſu cauendum eſt à prædictis purgationibus: quippe tunc & furioſiùs fluit ſanguis & minus leuatur æger, potius enim & tutiùs alimentis quã pharmacis res agitur. Secunda, victus ratione probè inſtituta his alimentis, quæ optimi ſint ſucci & nutrimenti, vt humoribus deinceps mitioribus factis, ſanguis purior efficiatur. Purgatio tamen per epicraſim facta tutior mihi ſemper viſa fuit, vt & pars renutriatur, & humoris vitium ſimul expurgetur, ac ne grandis fiat in humoribus agitatio. Quem vſum præſtat rhabarbari dilutum in aqua lactis aut chalybeata, plantaginis, vel capitum roſarum, maximè ſi addideris foliorum ſenæ. ʒ. j. ß. præſtat rhabarbarum ipſum maſticatum, aut ſemel in die cum ſaccharo roſaceo doſi. ʒ. ß. præſtitum. Prodeſt & caſia fiſtula cum rhabarbaro aut puluere corticum myrobalanorum chebulorum & citrinorum, aut puluere foliorum ſenæ, ſicut confectio Hamech ſimplex.

Secunda verò cauſa quæ hunc fluxum excitare ſolet, facultas robuſta exiſtit, dum aliqua occaſione excitata eum concitat. Quem ſanè compeſcit parcior victus, cibaria quæ facultatem obtuſiorem reddant, exercitium ſolito maius, & ſanguinis detractio.

Si verò ob debilitatem retentricis ſuboriatur, cautè res agenda eſt: namque facultatem reuocare his quæ calida ſunt, periculo non vacat. Quamobrem moderata eſſe oportet in primis qualitatibus omnia, ſicciora quidem moderatis quantum imbecillitas maior fuerit, admixtis tamen quæ adſtringendi vires obtineant: vt ſi facultas reuocari facilè nequeat, eius actus ad minus roborentur, aut medicamentis ſuppleantur: ob id victu pleniori, vini potu & quiete res agenda potius eſt, quàm præſidiorum turba facultas laceſſenda. Dimitto hac in parte auxilia ruptioni vaſis proficua, quòd ſuperiùs abunde adduxerim.

Conſiderare inſuper opus eſt, accedat ne aliquod ſympthoma prædictis ſanguinis profuſionibus, quod vel grauius reddat malum, vel euidentiùs facultatem proſternat. Quippe vel febris ſuccreſcit, quæ ob id diligentiùs ſanguinem eſſe mittendum conſulit, & liberaliùs alimentum eſſe miniſtrandum, quo vires firmiores ſint, & laboribus ſufficientes. Quòd ſi in morbi principio aut ſtatu res accidat, exequi quæ dicta ſunt faciliùs poſſumus: verùm ſi inclinato affectu & viribus collapſis ſuccreſcat, ſolùm prouidendum eſt viribus cibo & potu, ac fluxio compeſcenda. Cæterùm ſi cum alui profluuio ſanguinis fluor

coniungatur,prouidendum magis est sanguinoléto fluxui,quàm reliquo,nisi accidat vtrũque ab vno & eodem humore prodire:quo tempore,facta humoris peccãtis purgatione,vtriq; medeberis.Verùm si menstruæ purgationes accesserint, compescere sanguinis fusionem semper opus est,& menses citandi,nisi copiosior sit ipsorum profusio:hoc vno in omni complicatione seruato, quòd si sanguinis narium fluxus,vel modicus,vel parcus fuerit,omnino eius indicatio posthabenda est,exequendaq; ea quã alter morbus expostulat.Verùm si rem contrario modo accidere comperiamus,huic plurimum est innitendũ,tanquam ei quæ maius faceſsit negotium:sic etiam eâdem ratione,vbilicet parca sit profusio, grandior videtur ob virium iacturam, aut alterius magni affectus præsentiam.

Libri primi finis.

L A V S D E O.

DE INTERNORVM MORBORVM curatione

LIBER SECVNDVS.

Disserit liber hic secundus affectiones omnes,quæ pectori, pulmoni & cordi insident, & earum omnium curationem diligenter expendit.

De grauedine,catharro & raucedine. Cap. I.

OMNIVM ferè malorum quæ corpori succrescũt, caput velut radicem ac fontem dici debere, ab Hipp. & veteribus haud immeritò proclamatum est,cùm defluxus qui ab eo fiunt,multorum sint causæ:cæterum eorũ omnium solùm hac in parte raucedinis, grauedinis & catharri meminisse est in animo.Sunt quidem hæ affectiones de genere earum, quæ non in parte affecta,sed aliunde nanciscuntur causam & principium:nimirum à capite ipso delabentibus superuacuis humoribus in nares,guttur,os,thoracem & asperam arteriam (præter succos per eam aliũde transmissos,qui non rarò horum & maiorũ affectuũ existũt causæ) quarũ quidẽ ratione eadẽ mala haud rarò succrescere scimus:quo fit,vt catharrus propriè & peculiariter fit fluxus humoris excremẽtitij à capite ad subiectas partes, propter vitiatã capitis coctionẽ, aut intẽperiẽ ipsum alijs modis imbecillitantẽ.Sed à cerebro nosse oportet duplex oriri excremẽtorũ genus: vnũ ex optima cerebri nutritione quod per aures expurgatur,flauũ,crassum & amarulentũ:aliud rursus eximprospera eiusdem coctione,dum alimenta quæ caput ascendunt, nullam aut debilem vel deprauatam perpetiuntur alterationẽ,siue naturæ defectu,siue alimentorum vitio,siue vaporum crassorum,aut vitiosorum illuc ascendentium copia, id accidat.Quibus hac ratione superabũdantibus in cerebro,facilè à quauis morbosa occasione humorum defluxus ad prædictas partes concitatur. Nam aut humor qui profluit delabitur in nares, & suboritur affectio, quam Græci appellant corizam & Latini grauedinem:aut in os & asperam arteriam,& succrescit affectio quæ appellatur catharrus seu destillatio:aut procidit in fauces,vel laringem,vt placuit Galen.lib.6.de sanitate tuenda,& appellatur raucedo seu bronchos. Atqui licèt catharrus communi significato omnem à capite defluxionem,quæ in pulmonem per asperam arteriam,aut ad subiectas partes per venas defluit, designare habeat,vt placuit Galen. 3. aphorism. 12. cum hoc tamen nomen hoc propriè apud Græcos,vt ex eodem colligitur.3.de causis sympth.pro defluxu à capite in os prolabente accipi frequenter colligimus,quem etiam Latini propriè destillationem appellant.In quare Paulus lib.3.cap.8.statuit,dum fluxio in fauces vergit,catharrũ quoq; nominari,& brancũ dum in guttur & asperã arteriã irruit:cũ hoc tñ Paulus optimè

optimè conciliari poteſt cum Gal. quòd de fluxione ab ore incipiente ac deſinére in fauces loquatur: ſæpe enim vel complicantur hæ affectiones, vel ab vna in aliã facillimè fit commeatus.

In his ſanè affectionibus, vt probè cognoſci & curari poſsint, quatuor expendiſ ſe oportet: nimirum ſympthoma, quo vnaquæque inſignitur: morbum quẽ ſequitur: item cauſam & materiam, ac vltimò locum ſeu cauſæ principium. Sic profecto omnium principium & origo caput exiſtit: materia pituitoſus ſeu crudus ab eo defluxus: morbus verò in coriza obturatio pororum oſsis cribriformis, ac viarum quę ad nares conſcendunt ſpongioſitas ab humore, cuius craſſa pars nequit permeare, tenuis verò & aquoſa inſtillat, & quo magis laborans nititur nares emungere, eo minus fluit, quia euocat ad prædicta foramina quod craſsius eſt: ſympthoma verò exiſtit difficilis efflatio per nares. In raucedine idẽ humor cauſa eſt, morbus in aſperitate ſitus & ſympthoma rauca vox. At in catharro morbus eſt in via, quia aſpera arteria vel viæ reſpirationi ſeruiẽtes prædicto ſucco irrigantur: ſympthoma verò præter difficilem reſpirationem, arbitrandum eſt tuſsim quoque eſſe. Hæc quidem breui hac methodo dixiſſe ſit ſatis, nam cauſas & earum principia, vt quæ ad curationem probè exequendam magis conducant, diligentiùs expendere eſt in animo.

Cauſæ. Hæ ſanè omnes affectiones à duabus tantùm cauſis originem trahunt: quarũ altera eſt morboſus ex prædictis excrementis aut ſuccis in capite, apparatus: altera rurſus eſt cauſa quæuis externa aut interna, quæ mouere morboſum apparatum nata ſit. Sic profecto in cerebro, huic affectioni gignendæ apto, duo potiſsimũ ſunt præmittẽda: alterũ ſanè eſt, quatenus conſideratur vt ſimplex particula: alterũ verò quatenus organi officio fungitur: & vtroque modo coniectãdum eſt in quauis defluxione caput affici, vt ex Galen. conſtat lib. de cauſis ſympto. cap. 4. dicente. Tum deſtillationis, tum grauedinis & corizæ ipſum cerebrum ſtatim cauſa eſt; vt pars quædam ſimilaris, vel à frigore, vel à ſolis ardore ad intemperiem reductum, vt inſtrumentum verò quatenus à plenitudine infeſtatur. Sed habent ſe ad concitandam fluxionem hæ duæ cauſæ longè diuerſo modo: nam altera materiam ſubſternit & præſtat: altera verò velut mouens & immediatè fluxionem cõcitans exiſtit. Omnia itaque quæ poſſunt cerebrum refrigerare, id nata ſunt efficere: quod in vniuerſum nobis inſinuare volens Hippocras apho. 24. dixit: Quæ frigida ſunt, vt nix & glacies, deſtillationes mouent. Item 3. aphor. 23. ſcripſit: Ex anni temporibus hyems maximè grauedinum & raucedinis ferax eſt: cùm vt ait Galen. eo tempore caput frigori ſit obnoxium. Præterea ver quãdo fuerit Aquilonium & ſiccũ, præceſſeritque hyems Auſtralis & pluuioſa, fluxiones quoque ſuccreſcunt. Diſtẽperies enim vel exurens, vel frigida quæ crudum relinquit alimentum, facilè caput humore vel excremento ſuperuacuo replet: caput autem vt inſtrumentũ plenius quàm par ſit factum, vel acrimonia, aut pondere irritatũ ad pulſum, vel defluere permittit impotens & imbecillum factum, & vltimò à cauſa aliqua externa cõpreſſum aut nimiùm calore dilatatum. Præterea morboſus ille apparatus fieri etiã poteſt ex deprauatis alimentis, ſeu ex habituali cerebri intemperamento, aut vltimò ratione cauſarum, quæ coctionem cerebri interturbare poſſunt, & aliquid trahere ad ipſum, qualis eſt calor ipſius capitis, cuius ratione humores plurimos aut vapores facilè ſuſceptat, quos neque coquere, nec conterere poteſt, ſed neceſſariò obid expellere cogit. His quidem accedit altera, & non minoris momenti cauſa ex his quæ apparatum ſuppeditant, nimirum halituoſus aër, cuius per hæc verba me-

meminit Hipp. lib. de flatibus. Cùm venæ capitis aẽre implentur, primùm grauatur caput flatibus incumbentibus, tum ſpiritus inuoluitur per ſanguinis locum, propter viarum anguſtiam, & ſanguinis pars tenuiſsima per venas exprimitur: ea igitur humiditas collecta, tunc ſic fluit per alios meatus, ad quamcunque autem corporis partem coniunctim peruenerit, ibidem ægritudo conſtituitur. Poſtquàm igitur ad ſuperficiem dolor ex ea euaſerit, ſi aures petat, ibidem ęgritudo: at ſi ad nares acceſſerit, pituita fit: ſed ſi ad pectus deueniat, raucedo appellatur. Qua ſanè ſententia nihil aliud perſentire videtur, quàm copioſam in capite humoris quantitatem ex flatu acerbari, & fluxionem in ſubiectas partes cõcitare. Certum enim eſt, ventos caliginoſos caput replere, ex cuius repletione mirum non eſt ſi humiditas expreſſa confluat, & aliam denuo ibidem creet concretus: præterquàm quòd diſſoluendi etiam contẽtos in capite humores præ calore vires habet. Alio etiã modo ex flatu fieri fluxionem eſt credibile, nimirum cùm ſpiritus, qui caloris innati fulcimentum eſt, deterior factus, nõ amplius probè, & vt par eſt, ſua munia exequitur: ſiquidem internus ſpiritus dum ex naturæ lege ſe habet, omnium actionũ opifex eſt, earum verò quæ præter naturam ſunt, idem non ſecundùm naturam exiſtens, ac proinde flatus nomen accipiens, etiam ſi prorſus ſpiritus exter, vt cùm dicimus febrem eſſe innati caloris in igneam naturam commutationem. Quo quidem ſignificato cenſeo Hipp. inſcripſiſſe & intellexiſſe lib. de flatibus, hoc eſt de vitiatis ſpiritus, qui ob id omnium ferè morborum ſoboles & principium exiſtunt: qua item ratione ex flatu, hoc eſt, ex ſpiritu præter naturam reddito, defluxionem fieri non rarò credendum eſt: nam cùm flatuoſus redditur ſpiritus, alienam ſubſtantiam & qualitatem vſurpans, non ſolùm intemperatus efficitur, ſed præ ipſius intemperie imbecillum cerebrum reddi, ac plurimis oppleri ſuccis cogit, cuius etiã prouidentiam habere oportet, ne in præſidiorum adhibitione nobis turpiter errare contingat.

Præterea cauſæ mouentes ſeu excitantes morboſum quemuis apparatum, in duplici etiam ſunt differentia: nam quædam ſunt internæ, qualis naturæ eſt calor febrilis, aut cuiuſuis alterius rei calidæ, cuius ratione liquatis humoribus, & apertis meatibus, facilè humores prolabuntur: aut ſunt externæ, & hæ rurſus duplices exiſtunt: nam aut eſt caliditas quæ extrinſecus humores fundendo & vias ac meatus reſerando, facilè fluxiones concitat: aut frigiditas, quæ cerebro perfrigerato idem molitur. Cæterùm iudicio noſtro, non vt vulgus Medicorum exiſtimat, deceptum ſententijs quibuſdam Hippocrat. lib. de locis in homine, & Galen. lib. 3. aphoriſmorum. 12. quibus monſtrant, fluxiones à frigido per compreſsionem cerebri fieri, quemadmodum manibus expreſſa ſpongia facilè aqua intus ad ſeruata prolabitur. Nam licèt id re vera aſſerant huiuſmodi authores, contrarium tamen eſſe verum videtur poſſe probari ex eorum ſententijs. Namque capere intellectus nequit, quî poſsit cerebrum tantam viuente animali ſuſtinere frigiditatem, quantam par eſt, vt partes præ congelatione condenſatæ intra craneum expellant: ratio difficultatis eſt, quia minorem nequit ſuſtinere citra maiora mala, ergò neque hanc: nam ex minori frigiditate lethargus, melancholia, ſomnus profundus, & huius cenſus pleraque perpetitur: quî ergo fieri poteſt, vt & maiorem ſuſtineat & compreſsionem ex cõgelatione, quin totus calor extinguatur, aut aliquod graue malum fiat. Præterea ſi negat Gal. loco nuper citato, excrementa in ventre poſſe præ frigiditate indurari, qua nam ratione cõcedet, poſſe cerebrũ frigidũ fieri adeò vt præ nimia frigiditate comprimatur, & exprimat quod in ſe

comprimit. Insuper si (vt verũ est) frigiditatis munus existit condensare, & per concretionem exprimere, qua nam ratione magis concrescit cerebrum à frigiditate, quàm congeletur humor ab eâdem? siquidem proprius est aquosæ substantiæ congelari, quàm eius quę crassior est: quòd si ita res contingat, vt necessum est, tãtum abest vt hac ratione fluxus concitetur, quòd potiùs si quis est, subsideat protinus: quod monstrant refrigerantia & comprimentia auxilia, quæ statim fluxionem compescunt. Quapropter alia via incedendum est in hac difficultate, nam optima ratione constat, ex frigiditate ambientis cutim & partes extimas densari, partes verò interiores, sicut ventres, hyeme & vere, calidiores tanto plus iusto fieri, quanto frigiditas supra naturalem fuerit maior (dum modò ex toto calorem non superet) ex quo calore facilè commotis & liquatis humoribus, & adapertis vijs, fluxiones concitari æquum est intelligere. His suppositis, diligenter cõsiderare oportet, varijs modis posse prædictas causas complicari & confundi, adeò vt sæpe Medicos, vel peritissimos decipi videamus. Quippe contingit aliquando morbosum apparatum calidam & acrem humorum copiam præstare: cæterùm causam motiuã & occasionem fluendi frigidam esse: aliquando verò contrario prorsus modo, materiam fluentem frigidam existere, & fluendi occasionem calidam: plerumque verò occasionem & materiam esse frigidam. Quæ sanè omnia expendisse ante curationem magni est momenti & vsus: nam sæpe causa mouens fluxũ, humori fluẽti contraria, ad sui considerationem euocat artificis animum: aliquando verò adeò viget praua humoris fluentis conditio, vt posthabita causa mouente, omnis cura habenda sit humoris fluentis.

Signa. Dignoscere autem vtra harũ causarum sit, ex relatione & diligenti inspectione licebit Medico prudenti colligere: nam causæ externæ rarò fiunt ignotæ, interna verò, si alimentũ fuerit, vita præcedẽti mõstrabitur. Sit ne causa aliqua interturbãs coctionem, ex priuatione alterius & interrogatione innotescet: verùm si habituale capitis intemperamentum præfuerit, id mõstrabit facilè frequẽs lapsus in huiusmodi affectum, sicut humoris conditionẽ accidentia quæ succrescunt ipso fluẽte. Vtrùm verò ex frigido cerebri intemperamento malum oriatur, tũ ex quantitate excrementorũ copiosiori, tum ex qualitate, quæ frigida apparebit, liquido constabit, sicut ex capitis grauitate & faciei subalbido aut plũbeo colore, & grauiori somno: item meatus à capite ad palatũ & nares adeò claudũtur, vt nec vox liberè & vt par est, proferri possit. Insuper præcesserũt nõnulla, à quibus caput repleri est coniectabile: quòd si nõ præcesserint, credibile est frigidũ intemperamentũ repletionis illius esse causam, quòd crudos sua spõte cõgreget humores, & minimè illos dissoluere ac fundere, aut dissipare possit, vt ex Gale. apertè colligitur lib. 1. popu. part. 2. cõm. 7. Accedit crudorũ & frigidorũ alimentorum esus, maximè si diu in ventre morarunt, & potissimũ si hyems sit, per nullam enim partẽ digerit hyems, vt Gal. placuit. 3. aphor. 13. Calidi item intemperamenti notitiã, si extrinsecus accedat, ex relatione perdisces: si verò intrinsecus, nosces quia tactu caput calidũ cognoscitur, & quæ fluunt calida, tenuia, acria & mordacia visuntur per nares & os: facies & nasus rubẽt: hos febris etiã inuadit, à qua nihil iuuãtur, vt reliqui: itẽ nasum & os exulcerari cõspicimus: adest vigilia, sitis, oris amaror, & reliqua quę calidũ intẽperamẽtum attestãtur. Cui quidẽ fluxioni apti sunt qui calidũ habẽt caput, sed hi frequentiùs ab externis causis calidis vel frigidis offenduntur, & ocyùs fluxionibus corripiuntur: sicut qui frigido fruuntur capitis intẽperamento, aptiores fiũt vt ab internis causis in destillationes procidãt: qui si seniores sint, tardiùs ad sanitatẽ redeũt.

Docet

Docet tamen Celsus, grauius esse fluxionem in pulmonem irruere, leue si in fauces, ac longè leuius si in nares: medio tamen modo inter fauces & pulmonem res se habet, si in asperam arteriã decũbat humor, & non omnino tutũ existit si caput asperæ arteriæ exulcerari cõtingat. Vtcunq; tamẽ sit, cauendũ est ne nimiũ protrahatur affectio: quippe si consuetudinẽ capesserit, grauissimos & difficiles morbos sequi necessum erit, omniũ tamen grauissimos, si quæ fluũt acria, mordacia, salsuginosa, nitrosa vel nimis tenuia fuerint, aut viscida, & plurimũ adhærẽtia: quippe in exulcerationẽ protinus ducit partem ad quam fluit, & maiora mala accersit.

Ante tamen quàm curationem aggrediar in memoriã reuocare oportet, quod in hoc morbo nostris temporibus contigisse Hispannis omnibus compertum habemus. Aggressa itaq; est vniuersum ferè orbem semipestilens quædã constitutio, quæ in eodem tempore, & eâdem ferè die omnes simul corripuit, vt ex fidissimis relationibus haberi potuit. Anno à natiuitate Dñi. 1557. ante autũni ingressum catharrosa quædam defluxio maiorem hominum partem inuasit, secum adiunctã afferens febrem, tertianæ duplicis naturam referentem, symphomatis adeò perniciosis comitatam, vt parum abfuerit, quin maiorem laborãtium partem perderet. In cuius curatione & præcautione non parum dubitatum fuit, quid nam circa sanguinis detractionem & expurgationem agere oportuisset, cum vtroq; auxilio adhibito, vel nullo, non pauci deteriùs se habuissent, ita vt quam partem Medici exequendã tenerent, minimè intelligerẽt. Parũ etiã dissimilis constitutio anno. 1580. grassata est vniuersam ferè Hispãniam toto æstatis tempore: quæ sanè defluxio plerosq; cum grauissimis febribus & aspectu grauioribus corripuit: alios cũ ventriculi maximis accidentibus: nonnullos cum pleuritide, angina vel difficillima respiratione, ita vt suffocari laborantes iam iam viderentur, & non paucos torqueri grauissimis capitis, totius corporis, & articulorum doloribus: denique adeò maligna apparuit prædicta constitutio, vt nõ paucos perijsse constiterit. Cœpit etiam inter Medicos vagari contentio, liceret ne sanguinem detrahere, vel expurganti medicamento vti, aut neutro. Ratio tamẽ contẽtionis orta fuit, quòd primo morbi accessu plures interierint ex his quibus sanguis mittebatur: item in alijs ciuitatibus & locis plures ex his quibus non mittebatur: sicut accidit plerisq; eorum qui medicamentum sumpserũt, aut secus. Ratio autẽ huius euẽtus orta fuit ex ignoratione naturæ mali, & morbosi corporis affecti apparatus: nã qui harũ rerũ nullã notitiã obtinuerunt, adeò proteruè nitebãtur laborãtes cauere à sanguinis detractione & purgatione, decepti catharrosa fluxione, vt etiã si angina, difficili respiratione, pleuritide, sanguinis sputo, aut fluxu sanguinis nariũ laborãtes premerẽtur, eligebant tanquã tutius, certũ ex morbo præsenti periculũ, quã dubiã salutis spẽ ex præsidio. Alij rursus adeò licẽtiosè, (ne dicã temerariè,) vtroq; auxilio vtebãtur, decepti forsã febris magnitudine, quæ cũ ephemera esset, primo die grauissima apparebat, vt neque humorũ cruditas, neq; quoduis aliud grauius accidens illos retrahere vsquam potuit à sanguinis detractione, aut expurgatione: quo profecto factũ fuit, vt plures interficerẽt imprudẽtes & imperiti Medici, quã mali sæuitia & inclementia. Qua quidem in re (si forsan iterum reuertatur consimilis affectio) considerare diligẽter oportebit morbosum corporis apparatũ, & affectũ quẽ comitẽ habet defluxio, & an febrẽ secũ habeat adiũctã, & rursus cuiusnã cõditionis fuerit febris illa. Quippe nõ paucos decepit grauis quædã febris quæ primo accessu apparebat, nõ cõsiderãtes degenere esse diariarũ ex cruditate, quæ licèt ad. 3. vel. 4. dies sese protrahebat, sola ꝓpba victus institutione cessabat, citra sanguinis detractionẽ aut expurgationẽ.

Alios etiam fefellit mitiſsima quædam febricula, quæ à ſecundo tertioue die magis ac magis inualeſcebat, donec in continuam aut malignam commigrabat, quòd neglecta primis diebus, nec præpedita ſanguinis detractione aut purgatione, liberè depaſcebatur vniuerſam maſſam ſanguinariã. Quapropter ſi febris primo aſpectu grauior apparebat, quieſcendum omnino erat, cùm degenere eſſet, vel diariarum, vel earum quæ decreſcentes appellantur. Verùm ſi à primo ſecundoue die fluxionis, aut vltra ſuccreſcebat, verendum erat continuam futuram, & protinus vel purgandum (ſi ventrem excrementis ſcatere certum eſſet) vel protinus ſanguis mittendus, conſiderata priùs totius corporis habitudine. At ſi nulla aderat febris, neque aliud ſuccreſcebat accidens, ſola vitæ inſtitutio ſatis erat, niſi morboſus præfuiſſet corporis apparatus, iuxta cuius ideam, vel ſanguis mittebatur, vel expurganti medicamento vti opus erat. Verùm ſi aliquod ſuccreſcebat ex prædictis accidentibus, etiam ſi catharroſa illa diſpoſitio ſtetiſſet, liberè ſanguinem mittebant artis peritiores: deniq; dum ſolùm cruda aderat defluxio, neque venam incindi erat opus, nec vſus fuit ſquam expurganti medicamento, in cæteris verò auxilijs, vt mox ſcribam reminſtitui.

Eſt inſuper præter dictas catharri ſortes alia non minoris momenti, quam Medici ſuffocatiuum nuncuparunt catharrum, eiuſdem naturæ & ſortis cum præcedentibus, quatenus ad cauſas tam motiuas, quàm antecedentes, ſola diſsidens ratione maioris & preſsioris fluxionis, adeò vt caput aſperæ arteriæ præ copia obſtruatur, quod periculum ſit ſubitæ ſuffocationis, niſi citò ad aſperam arteriam, vel ſenſim defluat, vt poſtmodum ſenſim quoque tuſsiendo reijciatur. In qua re ſtatuendum eſt ſubitam hanc ſuffocationem rarò, aut nuſquam ſuccreſcere, niſi vel cor fuliginum euacuatione (ob leuium arteriarum pulmonis obſtructionem, aut compreſsionem grandiorem) priuetur, aut caput aſperæ arteriæ ſubitò ſuccorum affluxu obturetur (nam diuerſo modo per ſyncopes fiunt ſubitæ ſuffocationes, vt ſuo loco latiùs explicatum reperies) quippe aſperæ arteriæ vitio rarò ſubitæ ſuccreſcunt mortes: quod pulchrè inſinuauerat Gal. 4. aphoriſmo. 34. dicẽs: Repente autem ſtrangulari ſoli ſummo gutturi ineſt. Morbus enim quem peripneumoniam vocant, non repente ſtrangulat ægrotantes, verùm paulatim ab initio incrementum ſuſcipiens, vſque ad propriam conſiſtentiam, in qua talem caſum affert. Et ſi quod tuberculum & abſceſſus in pulmone fit, hæc quoque paſſio diuturna eſt: ſicuti & ſpatium inter pulmonem & thoracem pure repletum ſæpius hominem ſtrangulat abſceſſu in ipſum dirupto, qui longo tẽpore fuit conſtitutus. Nam aſperæ arteriæ inflammatio difficultatem quidem ſpirandi efficere poteſt, ſtrangulationem verò non poteſt, propter magnitudinem meatus in ipſa latioris, & tunicæ tenuitatem: impoſſibile quidẽ eſt corporis adeò tenuis inflammationem ſpatium effatu dignum replere. Reliquum igitur eſt, ſummum guttur ſubitam poſſe efficere ſtrãgulationem, quoniã in ipſo anguſtatur ad pulmonẽ meatus Verùm quia muſculi laringis inflammati ſuffocationem quoque efficere aſſolent, quam anginã Medici appellant, ſeiungere à ſuffocatiuo catharro licet, ob dolorẽ qui in hoc nõ apparet, in angina verò non leuis. Itaq; ſi cui accidat ſummi gutturis foramen occludi præ fluxionis magna vbertate, mirum non eſt ſi ſubitò etiam intereat: cuius rei & aliarũ quæ ei ſimiles ſunt ediſcere quoque prouidentiã oportet, ac diſtinguere vt cuique ſubſidiũ legitimè adhibere poſsis. In qua re curabis in acceſsione & ſanguinẽ mittere & cucurbitas affigere, & eas ſcarificare, & omni diuerſionis genere vti: extra acceſsionẽ verò, velut leges in omni catharri curatione.

Cu-

Curandi verò communis ratio tam eſt varia, quantùm ſunt cauſæ & occaſiones, quibus hoc affectu homines ægrotare cœperint: namque ſat non eſt Medico docto morboſum apparatum nouiſſe, neque cauſam quæ ipſum in morbum migrare coẽgit, ni exactè nouerit occaſiones quibus in huiuſmodi apparatum corpus delabi poteſt & aſſolet. Sed vt à primis rei principijs exordiamur, conſiderare in hac curatione primò oportebit particulam in quam fluxio prolabitur, fluxionis impetum, fluentis humoris naturam, occaſionem quæ ipſum coẽgit fluere, & locum à quo procidit humor: in quo rurſus conſiderare oportebit, fluat ne motus ab externa aliqua occaſione, vel ex humorum ibidem exiſtentium copia, aut acrimonia vel tenuitate: quippe hæc omnia curaturo diligenter examinare incumbit. In quare primò videndũ eſt, an ab aliqua cauſa externa quæ calfaciat aut refrigeret, fluxio prodeat: nam protinus ab eius prouidentia incipiendum eſt: vel ſi affectum impreſsit aliquem, omnino contrariũ auxilijs leuibus concitare oportebit, quippe hac lege intelligendus eſt Raſius. 9. ad Almanſ. dum ſtatuit, initio cùm ab externa occaſione excitatur catharrus ex balneo, inſolatu aut quauis alia occaſione calfaciente & liquante, ſi aër acceſſerit frigidus, qui capitis difflationem eo tẽpore magis neceſſariam præpedierit, caput calidis linteis & veſtibus inuolue, donec cõſtet conſtrictionem externarum partium abijſſe. Cauendum tamen ne cauſa excitãs fluxum, fluenti materiæ contraria ſit, vt ſæpe contingit: nam ex ſolis æſtu nõ rarò frigida & denſa pituita liquatur, quæ fluens frigidos parit affectus: & pari prorſus ratione, ex frigido aëre calidam & ſalſam materiam prolabi cõtingit, quibus opus eſt prouidere, dum aduerſus occaſionem fluendi auxilia adhibemus, ne vnum nitentes auferre vitium & mali principium, aliud grauius accerſire contingat. Sic etenim his quibus ex calore fluxio concitatur, ſiue frigidus, ſiue calidus profluat humor, frigidiori aut ſaltim temperato oportet laborantem recondere loco, ſaltẽ primo mali acceſſu, donec extimæ capitis partes ad antiquum redeant ſtatum & temperamentum: & eodem prorſus modo in frigida cauſa calfacere aërem ſuffitibus & alijs oportet, atque eo magis, quo fluens materia frigidior fuerit. Dum verò alimentorum vitium affectus cauſa eſt, mutare oportet vniuerſam victus inſtitutionem, vt particula optimum nutrimentum ſuſcipiat, & quod deterrimum in corpore ſupereſt, optimo corrigatur. Quamobrem omnino contrariam victus naturam copia & cõditione inſtituere oportebit, maximè eam quæ ad ſiccius inclinet, & adeò moderata copia, quòd facilè à natura vincatur, cauẽtes ſomnum à cibo, & imminuta eius quantitate noctu. Si verò externa cauſa coctionem interturbauerit, ipſa ablata, totum negocium naturæ erit committendum, corpore quieti & ocio dedito.

Curandi ratio.

Verùm ſi nõ ab externa cauſa, ſed à morboſo apparatu intrinſecus exiſtẽte, ſiue à ſeipſo, ſiue ab externa cauſa leuiori moto, fluxio dilabatur, tũc quidẽ diligẽter rimari oportet, qualis præfuerit aut præſit morboſi illius apparatus cauſa: nam præter externas (quæ coctionem cerebro neceſſariam interturbant) vt ſtudiũ intempeſtiuum à cibo, ſomnus immodicus mox à copioſa cœna, intempeſtiuum exercitium, meditatio intenſa à cibo præſertim craſſo, eſt etiam vitioſum cerebri intemperamentum, maximè frigidum, præſertim ſi habituale ſit, & adeò à naturali alienum, vt ex laudabili nutrimento vitioſum ſuccum facilè generet, vel naturalis excrementi plus iuſto congreget, ita vt ex vitio aut redundantia in fluxionem prolabatur caput. Quibus conſideratis, ac ſeclusis (vt dictum eſt) cauſis externis, diligenter exquires, à quo nam ex propoſitis principiũ curationis, aut prouidentię auſpi-

auſpicandum ſit: à partibus nimirum catharrum,corizam, aut brancum patientibus,à fluxu,à fluente humore,an à capite tranſmittente,nam hæc omnia huiuſmodi curationem reſpicere oportet.Cuius controuerſiæ gratia ſtatuẽdum eſt, veram curandi rationem auſpicandam eſſe à principio & origine cauſæ,hoc eſt ab intemperie cerebri:verùm quia id commodè fieri erat impoſsibile,citra humorum fluentium diuerſionem aut euacuationem, videbatur ab his primò eſſe incipiendum, idque vel lentè & paulatim, vel maioribus auxilijs aut maiori diligentia vel celeritate.Quæ ſanè dubia, vt exquiſitiùs diluantur,aſſerendum iudico,ab hoc vel illo ex propoſitis membris eſſe incipiẽdum,quod maius faceſſit negotium,ac vitæ diſpendium promiſerit. Nam ſi nullum periculi veſtigium ſubſit,à materiæ præparatione & vacuatione incipiendum foret,& poſteà ad diſtemperiei medellam deueniendum.At ſi periculum adſit,ab eius prouidentia docet vrgentiæ ratio eſſe incipiendum.Sed vt clariùs cõſtet quid agendum ſit,noſſe oportebit, triplicem in hoc affectu periculi rationem poſſe ſuccreſcere:primam quidem ratione plenitudinis corporis & capitis,vel copia deſtillantis materiæ, quæ ſtrãgulatione perimere poteſt,vt in ſuffocatiuo vocato catharro non rarò contingere ſcimus:ſecundam verò,ratione malæ eiuſdẽ materiæ qualitatis,quòd ita ſit acris & mordax, quòd exulceret ac erodat quamcũque partem attigerit,ſiue nares ſint,ſiue columela, fauces, aſpera arteria, pulmo, gula aut ventriculus: vltimam tamen ratione membri in quod decumbit ſtillatio,vt contingit in angina, pulmone affecto,aut thorace vel pleura, ex quorum morbis periculum vitæ impendet. Quibus addenda venit impetuoſa fluxio tenuis & fluxilis naturæ, quæ non minus ſolet negocium faceſſere. Quapropter in his omnibus (excepta craſſa & copioſa fluxione,quæ ſi lentè moueatur, validis auxilijs agitanda mouendaque repente non eſt:nã cùm commodè vniuerſa confertimque purgari non poſsit, quia cruda eſt & lenta,facilè commota ad ventres cerebri aut pulmonem & thoracem defertur,& grauius malum accerſit:quapropter præparãda educendaque ſenſim & paulatim eſt)protinus maioribus vtendum eſt auxilijs,quæ vel diuertant fluxionis impetum,vel ſimul fluentem materiam euacuent, tum ſanguinis detractionibus pro virium ratione,tum maioribus purgationibus: hæc enim duo auxilia ſunt,quæ ſola potenter reuellere & vacuare nata exiſtunt: etiam ſi interdum alijs vti oporteat,quæ vim ſolam reuellendi ſortiuntur, vt cucurbitis, frictionibus & ligaturis,quæ eo magis proſunt, quo corpus euacuatum extiterit.Copioſiora quidem præſidia reperies tomo 2.capiti calfaciendo aut refrigerando idonea,capit. de præſidijs attemperantibus caput.

Verùm quia plerique Medicorum abdubitant de ſanguine extrahendo in catharris, expendendũ eſt, vnam è quinq; conditionibus id poſſe optimè monſtrare:prima ſanè eſt natura & qualitatis fluentis materiæ, ſecunda,dignitas partis in quam decũbit fluxio:tertia,ſtatus corporis catharro affecti:quarta, ſi quis ſit alius affectus ei adiũctus,qui ipſum exacerbet: quinta verò,impetus fluxionis qui adeò eſt celer & ſubitus, quòd ſpuitioni locũ nõ cedat.Sic profectò ſi fluxio calida,acris aut mordax fuerit,& in motu adhuc ſit humor,optimè ſanguinẽ detrahes,nõ quidem ſolùm humoris ratione,ſed ob impetum fluxionis: nam ob id in raucedine ab impacto humore frigido,optimè conſuluit Auicen.ſanguinem non eſſe mittẽdum: vereri enim oportet ne exeſio maioris ſit momenti: quod noſces ſi ſanguis tuſsiendo reijciatur,maximè cum ſputo ſemicocto,quod ex mora contracta ad coctionem conſtet exeſsionem feciſſe: nam ſi aliter exeat credendũ eſt ex tuſsiendi impetu

impetu potius quàm exeſsione prouenire. Item ſi fluxio eat in partem, cuius malum vitę aſportet periculum,ſi corpus plenum ſit,ac ſi febris,maximè continua,adſit,cunctandum non eſt protinus ſanguinem detrahere,nec non ſi interpolata fuerit,dum ex putredine oriatur.Plerũque enim ſic affectis ephemeræ febres nocturnæ motum & calfactionem pituitæ ſequentes potius quàm putredinem,ſuccreſcunt: quod noſces quia febris quæ concitat maiorem fluxionem dum creſcit,de genere eſt putridarum: quæ vero fluxione præeunte ſubſequitur,ephemera: in qua vereri oportet ſanguinẽ detrahere. Mittẽdus etiã eſt dũ fluxio impetuoſè dilatatur:diuertitur enim ſanguine miſſo,& auarior redditur natura,quo minus ad partem affectam mittat.At in omnibus alijs corporibus quæ prædictis cõtraria exiſtunt,formidare ac vereri oportet ipſum fundere.Cæterum licèt ſanguis mittendus ſit,tamen neque temere,neque confertim aut liberè,vt in reliquis affectionibus quæ ex defluxione catharroſa non ſunt: nam conſiderare oportet & vires & cacochymiæ præſentiam,& pro maiori eius copia vel virium iactura,ita longe minus ſanguinem demes,& per vices ad longiora interualla, niſi ſuffocationis periculũ inſtet:quo tẽpore ſupplere oportet cucurbitis cũ ſcarificatione & alijs auxilijs

Cæterùm de purgatione in his affectionibus quæ ex catharro fiunt, non ſatis quid agendum ſit,conſtat ex authorum ſententijs: quippe ſtatuit Galen. 5. meth. quòd dum calida & acris eſt defluxio, corpus illis medicamentis purgandũ eſt, quæ vires habeant educendi diuerſos humores. Quod ſanè iuxta optimam rationem cenſeo factum,quia coniectabile eſt, aliquid eſſe calidorum ſuccorũ cum pituita admixtum,vel falſuginem ex putredine contraxiſſe,quod non minus diuerſæ naturę pharmaca expoſtulet. Quòd ſi corpus & caput iuxta prædictam rationẽ aut humoris peccãtis ideã purgatum ſit (pilulis cochijs,aureis,Arabicis,de agarico vel rhabarbaro,aut alijs pharmacis quæ precedenti capite adduximus) verendum nõ eſt,maſticatorijs quod fluxionis ſupereſt ad os euocare (maximè ſi materia craſſa ſit,nam dum tenuis eſt,per ſe ad os mouetur,ac ſi concitetur,forſan delabetur ad aſperam arteriam & pulmonem, quod cauere diligenter oportet,vt monuit Gale. 6.pop.par.2.cõm.32) Cauentes tamen,ne vel ſternutatorijs vel gargariſmatis vtamur,dum caput adhuc plenum ſteterit,& materia non probè cocta. Verùm ſi periculi nullum ſubſit aut leue veſtigium,longe mitiùs incedendum eſt: quippe tunc conſiderare oportet, an habituale intemperamentum mali cauſam præſtiterit. Nam tunc duplex erit curandi ratio:altera quæ quod genitum eſt,paulatinis euacuationibus auferat:altera rurſus quæ cerebri intemperiem ad priſtinum ſtatũ redigat;atque hoc modo pugnandum eſt aduerſus apparatum & fluendi occaſionẽ. Verũ indicatione ſumpta ab humore lentè & paulatim fluente, ſi calidus,acris & mordax fuerit,attẽperandus miteſcẽduſque primò eſt, ne partes per quas defluit, aut in quibus recipitur,exedat & abradat exulceretque. Qua ratione ea medicamenta ſunt adhibenda,quæ refrigerandi & modicè denſandi vires obtineant, vt ſimul attemperentur humores & ineptiores fluxui reddantur:in quibus nulla lege licet ea præſidia adhibere, quæ comprimendi eoſdem,vel compeſcendi fluxũ vires obtineant,ne fixiùs in capite & partibus per quas prolabitur humor, vlterius exedat & longe maius efficiat malum: ſed vel lenire partes & manſuetiores reddere humores præciſè eſt neceſſum, admixtis quæ contrariam humori conditionem ſortiantur,velut eſt ſyrupus violarum, ex mucilaginibus aut ex nenuphare:præſtat præterea exhibere ſyrupum ex borragine, ex cichorio & ex roſis.Præcauere tamen oportet partes quas ſupergreditur humor,aut in quibus recipitur.

Sic

Sic profectò ſi in nares defluxerit corizamq; concitauerit, fueritque mordacis & calidæ naturæ quod influit, in nares immittere oportet vaporem, aut aquam vel decoctum, vel ſuccum violarum, vel roſarum, aut iuiubarum, decoctum lactucæ, vel portulacæ, aut aquam hordei cum ſaccharo, aut ſyrupo roſarum. Extrinſecus verò nares illinire oportet oleo amygdalarum dulcium, violarum, ſeminis cucurbitæ, aut butyro, vel vnguento roſaceo. Proſunt odoramenta per euaporationes, aut vtcunque aliter, velut eſt ſemen lini infuſum in aceto & arefactum, vel hordeum ex aceto, vel euaporatio decoctionis maluarum, roſarum, ſeminis lini, & ſimilium, dum aceti aliquid recipiant. Verùm ſi frigida ſit materia fluens, prodeſt decoctum maioranæ, pulegij, & ipſum pulegium odoratum: item decoctum camemali, nigellę & ſimilium: proſunt etiam prædicta ſemina torrefacta & ligata atque odorata: ſic & inunctio ex oleo camemelino, anethino & amygdalarum amarum. At ſi ad fauces defluat, his præſidijs vteris, quæ vires habent obleniendi & obducendi eaſdem, veluti eſt amylum, tragacantha, farina volatilis, terra lemnia & mucilago omnis, ſicuti & portulacæ, violarum, & papaueris ſyrupus: quibus & partes præmuniuntur & humores etiam attemperantur. Quòd ſi coquere vel acrem fluxionem attemperare velis, potibus aquæ feruidæ bis, terue in die vel prope ſomnum vteris. At ſi ſiſtere ac frænare magis fluxionem in animo eſt, prodeſt in calida decoctum roſarum, coriandrorum, lentium ſine cortice, lactucæ, portulacæ, aut ſeminis papaueris. Verùm ſi frigidior ſit materia, vteris rhodomelle, oxymellite, ſyrupo deliquiricia, de betonica & de hyſſopo. Purgare tamen oportet hos humores, acres quidem lenientibus medicamentis, quæ parum purgent & plurimum attemperent, veluti caſia ſæpius exhibita & maſticata: deinde poſt diutinam correctionem per ſeligentia medicamenta peccantem humorem extrahes. Quem vſum præſtant, primò pruna ex ſenæ folijs cõdita, item pilulæ de rhabarbaro, aggregatiuæ, & rhabarbarum ipſum varijs formis exhibitum: itẽ pilulæ ex agarico, aloë & maſtiche, aut ex agarico & rhabarbaro. Materia verò frigida contrario modo eſt præparanda, frequentiùs quidem, ſeriùs tamen purganda, vt ſicut lentè concoquitur, ſi militer paulatim educatur: paratur tamen eo modo quo dictum eſt, ſed purgatur agarico, pilulis maſtichinis, cochijs, ſine quibus & de agarico. Verùm ad membri patientis præcautionem, præſtabit quidem omni ingenio fluxionẽ aliò transferre cucurbitulis, frictionibus & ligaturis: tandem præmunire membrum oportet, gargariſmatis, oris collutionibus & narium inunctionibus, per ea auxilia quæ temperamento & ſubſtantia contraria ſint humori fluenti. Cæterùm ſi harũ fluxionum aliqua febrẽ, cuiuſuis ſit naturæ (præter ephemeram) ſibi habeat comitem, cunctandum non eſt ſanguinem mittere, quantum febrem expoſtulare conſtiterit, habito tamen reſpectu ad humoris vel partis mandantis cruditatem: ſi verò febre careat affectio, fugiendum eſt à ſanguinis detractione, tanquam à præſidio maiorem cruditatem progignente ob refrigerationem & imbecillitatem: niſi vel fluxio nimis calida ſit, vt dictum eſt, vel caput aut iecur, quorum occaſione & calore fluxio concitatur, feruore nimio afficiantur: tunc enim ſanguinem mittere fas erit, parciùs tamen & ex cephalica aut iecoraria, prout hoc vel illud membrũ affectum fuerit: in alijs verò caſibus, vel nimium ſanguinis detractionem vereri, vel intrepidè aggredi, periculo non vacat. Quo factum eſt, vt iterum conſulendũ ſit de pharmaco exhibendo: maximè per epicraſim vt anteà dixeram. Quòd ſi neque his omnibus, neque alijs quæ facilia ſunt & conſultò prætereo, quieuerit affectio, ante quàm fluxio in pulmonem dilabatur, aut aliud malum cõſimile efficiat, ſe-

ſetonem in occipitio, aut fontanellam in altero, vel vtroque brachiorum affigere oportet, per quam ſenſibiliter expiret humor defluens. Cauere tamen conſulo in hac re à capitis vſtione, etiam ſi plures conſuluerint: mihi enim ſemper viſum fuit graue & periculo plenum, niſi fluxio ab externis vaſis capitis ad eius intimá fiat, quo tempore paruas vſtiones in circumferentia capitis infigere non eſt præterrationem. Sunt etiam qui cum Galeno ſynapiſmis, & emplaſtro ex columbino ſtercore vtuntur: in quibus adhibendis non minus errant multi ex Medicis, qui ſolùm fluxionem intuentes, fluentis humoris conditionem negligentes, non ſine magno laborantium diſcrimine eis vtuntur, cùm certum ſit ſolùm prodeſſe frigidis, tum humoribus, tum intemperantijs. Nam licèt reſolutionis gratia ea conſulat Galen. præterquàm quòd difficile eſt ad extimam capitis partem reuellere, non rarò maius concitant damnum. Quippe in calidis maiorem fluxionem & intenſius moliuntur intemperamentũ. Cuius auxilij loco in hac & reliquis fluxionibus quæ à capite fiunt, vterer hoc puluere, qui recipit roſarum, ſanthalorum citrinorũ, corallorum præparatorũ, ſpicæ celticæ, vermicis. ana. ʒ. ß. miſce & fiat puluis, qui quarto quoq; die ſupra caput raſum ſpargatur. Quẽ quoque vſum præſtabit, lotio capitis ex lixiuio facto ex ligno guayaco ad medietatẽ decocto. Proſunt & balnea ſulphurea, dummodo defluxio non ſit ex ſalſa pituita, aut nimis fluxili & acri. Cui etiã vſui, maximè materia exiſtente frigida, ſummoperè proſunt ſudationes ex ligno guayaco, aut radice Chinæ: in calidis tamen intemperantijs neutrum: in humidioribus quidem, decoctum ligni aut ſpartæ, vel herbarum ſiccantium & calidarum: item proſunt ſacculi ex prædictarum herbarũ pulueribus, & cerata ex oleis calidis, cum cera & ladano, & alia quæ capite de dolore capitis huic vſui proficua abundè adduximus.

De angina, & reliquarum partium oris inflammatione.

Cap. II.

DVM cædem fluxionis differentiæ quas præcedenti capite memorauimus, ad oris, laringis aut pharingis partes prolabuntur, ſed non vt in præcedentibus affectionibus per irrigationem aut leuem imbibitionem, ſed per venas ipſas in carnoſas earum partes procidũt, licèt eadẽ ſit materia quæ defluit, & eadem etiam pars quæ afficitur, longe tamen diuerſus ſuccreſcit affectus: quippe inflammantur, ſi per venas irruat, apoſtemoſa inflammatione eo tempore, tum columella, tum amygdalæ appellatæ: tum verò laringis, aut pharingis muſculi, in quibus ſolis anginam fieri arbitramur. Verùm quia inflammationes prædictarum partium conſimilem ferè ſortiuntur curationem: ob id vno hoc capite inſtitui omnium meminiſſe: curatione tamen vna ſolùm præſcripta, eaque anginæ proficua, quibuſdã additis conſiderationibus ad aliarum curationem neceſſarijs.

Eſt quidem inter prædictas particulas gurgullio ſeu columella, pars quædam, quæ in fine ſummi palati carnoſa appendẽs, aperto ore & lingua depreſsa cõſpicitur: quæ ſanè ob diuerſas diſpoſitiones, quib' inſignitur, diuerſis nomẽclaturis deſcribitur: multi enim vuã appellarũt, quòd acino vuæ perſimilis exiſtat. Quinimò

huius partis inflammationem Hippocrat.vuam appellat, vt ex Galen. colligitur lib.de tumoribus præter:dixerat enim Hippocrat. lib. de morbis.Fit autem vua cùm pituita de capite ad gurgullionem descendit,& gurgullio præceps dependet, & fit rubicundus.Sed huius vuæ aliam generationem constituit,2.de morbis dicens:Vuam fieri cùm summa gurgulionis pars aqua impletur,& rotunda fit ac pellucida,& respirationem interdicit.Sed hanc affectionem statuit Gale.6. local.gurgullioni rarò accidere, & longe rariùs aliam,quam lorum appellant Medici, quę fit cùm nimium ignitus gurgullio ipse gracilescit,& loro similis propendet.In qua re expendendum est, nomen huius partis solùm esse gurgullionem,columellam verò eius laxitatem,& vuam tumorem in rotundum factum,lorum,angustiam & extensionem:cùm verò inflammatur prædicta pars,& versùs omnes dimensiones cum dolore & rubore crescit,dicitur inflammatum esse gurgullionem.

Præter hanc partem inflammari etiam dicimus glandulas,quarum varias differentias sortitur os:quippe earum triplex reperitur in prædictis partibus sors, officium & natura.Quædam enim in faucium & palati confinio positæ,vtrinque ex gargareonis latere assistunt,paristhmia,seu antiades, tonsillæ aut amygdalæ vocatæ. Item aliæ in capite arteriæ ad laringem positæ sunt:reliquæ verò ad linguæ radicem pertinent. Cæterùm primum illud glandularum genus non fruitur tot nominũ varietatibus, nisi dum aliquo insignitur affectu:quippe antiadas eas partes Galen.lib.3.de sympto.causis appellat,cùm tumore aut inflammatione,maximè fluxione à capite delabente,tentantur:& Paulus lib.6.cap.26.&.30.per antiadas intelligit scirrhosum tumorem paristhmiorũ:maximè si cõtiguas partes fluxio apprehendat:nam tunc paristhmia appellat:quod sumpserat ex Gale.3.aphorism. cõm.26.dum asseruit,paristhmia,quæ Latini tonsillas vertunt,inflammationes esse locorum ad isthmum attinentiũ,& intelligit per isthmũ partẽ illam, quæ inter os & gulam interiacet.Itaq; antiadas tonsillarũ inflammationem appellare licet, paristhmia easdem,cum ad isthmum,& vicinas partes perducitur extenditurque inflammatio.Ex quo venari oportet has inflãmationes solius tunicæ esse ventriculo,gulæ,faucibus,totique ori communes, nonnunquam verò subiectorum ipsi musculorum:quibus sanè dolentibus,rubicundis,inflammatis & tumentibus, nõ leue periculum impendet difficilis respirationis,aut deglutionis,vt in anginæ speciebus conspicimus.

Angina verò grauissima quædam morbi species existit,quæ præter grauitatem & periculum quod infert, difficilis quidem cognitu & curatu existit, propter diuersas quas obtinet species:cuius tamen naturam in tres partes iure optimo diuidere studuimus,omnes tamẽ vnica cõmuni ratione conuenientes,quòd suffocari in omnibus laborantes periclitentur,ac nonnunquam difficulter etiam deglutire possint.Est tamen prima huius mali species, quæ per primogeneam affectionem musculorum mouentium laringem fit:secunda quæ per consensum ex colli vertebra intro luxata:tertia verò & vltima ex vitio aëris inspirati. Huius autem vltimæ meminit Areteus lib. 1. acutarum passionum, quæ quidem constat ex aëre quem inspiramus crassiori facto,caliginoso,densiori & fuliginoso, quem dum facultas per respirationem attrahit,nequit præ crassitie aspera pulmonis arteria capere,aut forsan quia adstringentis & compressiuæ est naturæ:quo factum est, vt nihil minus suffoccare possit,quàm angustia meatuum à quauis alia causa facta:præterquam quòd attractus nec ventilationẽ efficit,nec refrigerationem,quin eius cõsortio spiritus suffoccãtur,quia cõpressi & coerciti manẽt, ac quieti: quæ causa est

est potissima suffoccationis,quemadmodũ probari potest in semisuccensis carbonibus,dũ conclaui vndiq; concluſa via coërcentur:nam halitus ille caliginosus fumosusq; facilè prædictis modis inspiratus suffoccationem efficit:haud secus quã si quis inspiret vaporẽ ex musto feruẽti(Hispãni tufo appellãt) eleuatũ: incredibilis enim est efficaciæ ad efficiendam suffoccationem,vel momento temporis.

Illa verò anginæ species,quæ vertebra luxata intro prolapsa æsophagũ comprimit,adeò laringem coarctat,vt linguã ex ore prosilire coërceat,& laborantes aperto ore respirare.Cæterùm ea quæ ex musculis laringis inflammatis suboritur, faucium proculdubiò aut musculorum qui ad fines asperæ arteriæ siti sunt, inflammatio est præter naturam cum rubore,dolore,calore & fluxu coniuncta: quam sæpe affectionem musculis externis ceruicis contingere scimus.Verùm cùm prædictus tumor sensui conspicuus non sit,grauis incumbit de vita suspicio,ita vt si quis euaserit, peripneumonicus fiat,& intra diem septimum pereat,vt placuit Hippoc. 5. aphor.10. In qua re primò sciendum est,per fauces intelligendã esse eam partem quæ gulæ & gutturi præiacet,quæq; ore aperto conspicua est,continens duo prædicta ostiola.Per ceruicem verò intelligimus id spatiũ quod est à capite in thoracẽ, quod septem vertebris cõprehenditur, guttur asperæ arteriæ caput. Sed hanc inflammationem prędictarũ partium & anginæ sortem in quadruplici esse differentia, consensu ferè omnium constat:in qua re expendendum est, nihil in medicis disputationibus difficilius,nihil confusius & inconstans,ac omnibus minus commune vsquam repertum esse.Nam præterquam,quòd citra musculorum considerationem,multi ex conspicuo aut occulto tumore,vel rubore in faucibus & gutture,has quatuor anginæ differentias venentur(& alij solùm musculis annumeratis) in præsagio & periculi ratione longe dissident,quibusdam asserentibus maius periculum esse in gutturis inflammatione: alij in inflammatis faucibus. Quæ sanè res magni est momenti,tum ad cognitionem,tum ad extimationem affectus,tum etiam ad verã & genuinã curationem:nam sæpe leuius aut grauius præstamus auxilium,prout affectio difficilior aut periculosior se se nobis ostẽdit, quod profectò Medicum nosse perdifficile existit,ni exactè compererit qualis naturæ & officij sit pars quæ inflãmatione tẽtatur.Qua ratione expendisse oportet,in ceruice, faucibus,gutture & ore ipso,præter glãduloſum genus,musculorũ quoq; reperiri varias propagines & sortes:nã ex his quædã conspicuæ sunt,aliæ omnino delitescunt,& intrinsecus suis muneribus assistunt.Quod sanè venantur Medici,quia ex harum partiũ inflãmationibus,quædã aperto ore conspicuæ sunt, quædam iuxta collum & ceruicem supereminent, & rursus aliæ omnino delitescunt, ita vt neque aperto ore, neque extrinsecus quidquam effatu dignum appareat. Ex quo vnanimi plurium consensu cõstat,veræ anginæ & quæ peculiares sibi abrogat differentias, quatuor esse proprias species. Nam vbi gutturis musculi interni inflammantur, chinanxi appellatur: si verò in faucibus fuerit inflammatio, synanche: si tamen in exterioribus gutturis musculis fuerit,parachynangi,si in partibus faucium exterioribus & mento,parasinanche:omnes tamen inflãmationes sunt,præsertim per defluxum,maximè à capite.Neque obstat Hippoc.6.popu.part.7.tantùm tres anginæ species numerasse,dum inquit. In summa, qui solùm deglutire non poterant, his valde mites ac toleratu faciles erant: qui verò etiam insuper obscurè loquebantur,ijs molestiores ac diuturniores: quibus verò etiam circa tempora & ceruicem attollebantur, his aliquantulum malæ erant: pessimæ verò his quibus spiritus sublimis eleuabatur. Quæ sanè tres tantùm reputantur

à Galeno ſpecies, nam ſub prima, altera latet, in qua ſine difficultate reſpirandi, & ſine dolore vehementi inflammatio ad ceruicem & pectus extenditur, quæ videlicet leuem admodum efficit in gutture & faucibus morbum, ſeu ſpuriam anginã, vt mox leges.

Præſagiũ. Sed expendendum eſt, has tantùm menſum fuiſſe Hippocrat. penes periculi, aut ſecuritatis vehementiam, licet. 7. aphoriſmorum. 37. ex alijs ſignis eas venari doceat. Nam ſpeciem primam, grauiſsimam eſſe oſtendunt tria: primum ne quid conſpicuum inflammatio in faucibus efficiat, vel in ceruice, quod internos gutturis muſculos inflammari oſtendit: ſecundum vt dolorem inferat acerbiſsimum: tertiũ verò quòd difficillimã reſpirationem pariat: quæ ſanè omnia magnã inflammationem atteſtantur, & magnam etiam aſperæ arteriæ compreſsionem, adeò vt ſecundo, tertio aut quarto die interimat. Secunda anginæ ſpecies minoris eſt malitiæ quàm prima, ſed diuturnior, & cum hoc periculo non vacat, quia rubent fauces & in tumorem attolluntur, ſimul & ceruix ob gutturis inflammationem. Tertia verò anginæ ſpecies à prima duabus differentijs diſtinguitur, ſiquidem in ea non admodum dolore vexantur, & quoniam non ſpirant difficulter: qua de cauſa hæc reliquis diuturnior exiſtit: inflammantur autem in ipſa ceruix & fauces: quo fit, vt nec difficilem accerſat reſpirationem, quia muſculi gutturis, neque inflammantur, neque impediunt viam reſpirationis. Præterea nec vehementer dolent, quia partes quæ inflammantur adenoſæ ſunt. Quarta verò eiſdem rationibus, omnium mitiſsima exiſtit: in omnibus tamen tantum periculi expectare oportebit, quantum deglutiendi, aut reſpirandi munere magis, aut minus deſtituantur laborantes, idque magis deliteſcente tumore, cùm etiam grauiſſimus dolor eſt, intenſa febris, cùm os hiat, lingua exerta apparet, intercepta deglutiendi via, aut potus ob æſophagi obſtructionem per nares refluit: ſic dum laborans nullo corporis ſitu reſpirare poteſt, idem periculum eſt. Itaque & ſpecies anginæ & periculi pondus ex differentijs ſympthomatum, partium laborantium natura, cauſæ diſtinctione facilè venaberis, vt Hippocrat. docet text. 16. & 17. lib. 3. prognoſt. & Galen. lib. 4. de locis affectis cap. 4. & 4. aphoriſmorum. 34. Sciendum tamen eſt, hunc acutiſsimum morbum, primo, & vt dictum eſt, ſecundo vel tertio die ob reſpirationem interceptam interficere, diutius tamen protrahi, vbi ſolùm deglutiendi munere laborans deſtituitur. Expendendum inſuper eſt, quod Galen. 4. de cauſ. pulſ. aduertit, nimirum anginam mutari ſemper in peripneumoniam, tranſacto fluxionis impetu ad pulmonem, & nonnunquam in conuulſionem, conuerſa fluxione ad muſculos & medullam ſpinæ. Præterea ea angina, quæ ab aëre caliginoſo prodit, citò interimit, niſi aëri lucido & puro laborans exponatur. Item ea quæ ex luxatione vertebrę colli fit, tanto erit periculoſior, quanto vertebra ex ſuperioribus colli fuerit: ea tamen luxatio quæ ab ictu, vel caſu prodit, omnino incurabilis exiſtit, quæ verò ex tuberculo vel phimate, non omnino, licèt difficilis exiſtat curationis.

Cauſæ. Cauſas verò habet prædictarum ſpecierum quælibet, iuxta ſui naturam & differentiam varias quoque: ſic quæ verior eſt & ex inflammatione, vel affluxu prodit, ex ſanguinis fit vbertate, ſiue ex crapulis, ſiue ex ocio, ſiue ex intermiſſo exercitio, aut ſuppreſſa vacuatione ſuccreſcat: item prodit ex feruido & calidiori ſanguine, maximè pituitoſo, qui ea ratione tenuior efficitur & fluxui paratior: ſic quiuis alius humor dum calidus, fluidus, tenuis cum modica tenacitate à capite prolabitur, vt Galenus. 3. prognoſticorum teſtatus eſt, nec non &. 4. de ratione victus,

victus, &. 4. de cauſ. pulſ. & 4. aphoriſmorum. 34. tandem omnis fluxus qui cum fluibilitate humoris viſciditatem aliquam ſortiatur, his affectionibus efficiendis idoneus exiſtit. Eſt tamen in hac re conſideratione dignum, quòd licet dictum ſit, anginam tumorem eſſe prædictarum partium cum dolore, cum hoc certum eſt aliquam ſuccreſcere anginæ ſortẽ citra dolorem, quæ ob id non eſt minoris periculi. Quæ ſanè prouenit ex humiditate pituitoſa madefaciente internam gutturis tunicam, aut implente muſculos ipſum guttur aperientes: ex quo etiam generatur leuis quidam tumor, citra dolorem tamen & cum ſtrangulatione, vt aduertit Galen. lib. 4. aphoriſm. 34. Sic & aliam tex. 35. addit ſpeciem ex nimia muſculi interni gutturis ſiccitate, quam grauiorem eſſe arbitratur ea, quæ cum tumore, ſi cum febre inuadit. Alia etiam non rarò viſitur ex puluere, fumo, vel ex muſti feruentis vapore, quæ ferè ſubitò interficit. Quibus cauſis ſic cõſideratis addere oportet modum quendã lædendi, ſummoperè ad curationem neceſſarium: nã quemadmodum humores tenues, quia anguſtiores venas facilè penetrant, in eas quæ guttur ambiunt, potiſsimum decumbunt, quòd tales ſint: ita craſsiores, frigidi, viſcidiq́ue cum non ingrediantur vniuerſas venas, quemadmodum adſtrictæ ſunt, in capacioribus detenti, quales ſunt quæ in gula poſitæ ſunt, in ipſis impacti in tumorem eas attollũt. Quo fit, vt muſculi gutturis à ſucco bilioſo & ſanguineo, muſculi verò gulæ à ſanguine pituitoſo & melancholico potiſsimum inflammentur, quod ad cognitionem & curationem maximè conducere arbitramur.

Signis monſtrare nunc incumbit & anginæ ſpecies, & cauſarum differentias, vt ſubſit expeditior curandi ratio: ſic anginæ omnes differentias diſtinguere, & noſſe facilè cuiuis eſt: nam ea quæ ex vertebra luxata prodit, ipſa ſe oſtendit, quòd in collo appareat locus cauus ex luxatione vertebræ ad æſophagum cum dolore. Muſculorum circuniacentium tumorẽ reſpiratio difficilis, hiatus oris, lingua exerta, & à ſua radice mota: cuius etiam meminit Ætius ſermo. 4. tetra. 2. c. 47. quod deſumpſerat ab Hippocrat. 2. popu. part. 2. Quæ verò ex fumo prodit nulli eſt ignota: ex quibus conſtat, quòd priuatione horum ſignorum reliquas facilè poſsis cognoſcere. Qua verò in parte ſit angina, multa monſtrant: nam licèt in quauis parte ſit, duo hæc ſigna aſsident, deuorandi & reſpirandi nimirum difficultas, cum dolore acerbo fauces occupante & difficili deglutione, vt ob id potus in nares reſiliat: cæterùm magis minuſue hoc quàm illud prævalere, prout in pharinge, aut laringe fuerit inflammatio, comperies magis: nam muſculis gutturis interim inflammatis difficillimam efficit reſpirationem, adeò vt referat Hippocrat. 4. de ratione vict. 34. fieri ſpiritus reuulſionem, hoc eſt, fieri frequentem & violentam reſpirationem recta ceruice & abrupta voce, cum acerbiſsimo dolore & febre admodum acuta: nihil apparet intra os, aut exteriùs in collo. Si verò ſit paraſynanches, reſpirabunt quidem difficulter cum dolore, ſed apparebit circa fauces color mutatus in rubrum. Cæterùm ſi ſit ſynanches, deglutiendi difficultas maior erit quàm reſpirandi: in ceruice nihil apparet mutatum: in paraſynanche verò, color in collo mutatus apparet, & ipſæ partes tumidiores, & noxa reſpirationis minima eſt, præterquam quòd gulam eſſe inflammatam, monſtrant potus per nares excretus, & dolor in dorſo, qua parte incumbit æſophagus. Sed non eſt minoris momenti ad curationem, humoris fluentis naturam noſſe. Sic ſanguis dum fluit omnium grauiſsimam infert anginam, quia tumorem efficit durum, dolentem & quæ diſtenſionem minimè pati poteſt: quo fit, vt grauior hæc ſit, cùm propter duritiem nequeãt diſtendi partes ad molliendam reſpirationem, neque

Dignotio.

cõprimi ad deglutionem: quo fit, vt vehementiorem ferant dolorem in deuorandis rebus liquidis quàm solidioribus, quòd facultas non audeat plurimũ comprimere musculos, vt opus est in deuoratione liquidorum: sic etiam maior est respirandi difficultas, quia licèt periculo suffocationis deterrita natura maiorem respirationem efficere conetur, nihil tamen prodest, quia tumor durus est & minimè cedit. Hanc autem causam cognosces ex grauitate totius corporis & partis illius, ex rubore in faucibus, ex venarum oculorum & totius capitis plenitudine & tensione, vel ex suppressione alicuius sanguinolentæ fluxionis. Alio prorsus modo periculum minatur flaua bilis: nam licèt tantum non comprimat respirationem, neque maximum efficiat tumorem, cum hoc tamen periclitatur laborans, ne facilè mutetur humor ille tenuis à partibus externis ad internas: nam id damnauerat Hippocrat. 4. aphorism. dicens: Quicunque tumores in faucibus repente occultantur, periculum maximum portendunt. Cognoscitur tamen biliosus hic fluxus, ex punctione partis affectæ, ex ingenti calore, ex mordicatione, & ex parũ mutata respiratione, solùm enim instar pali infixi dolorem se persentire laborantes referunt: præterquã quòd quæ ex bile aut tenui sanguine fiunt, maiori ex parte in internis fiunt musculis: quia cùm externi & conspicuæ partes maiora habeãt vasa, faciliùs pituitam susceptant: quinimo si bilem receperint, aut tenuem sanguinem, facilè defluere permittunt, & in tenues venas internorum musculorum prolabi sinunt, in quibus diutius immoratur & inflammationem efficit, quod expendisse non est parui momenti, vt anteà retuleram. Pituita enim diuersam periculi rationem habet: nam licèt crassior sanguine sit, & tumorem queq; efficiat, is quidem neque durus est, neque renititur tangenti: laxũ enim & indolorosum efficit tumorem: quo factum est, vt liberaliùs respirare possint laborantes: cæterùm alia lege periclitantur: nimirum quia pituita crassa, dum à medicamentis agitatur, modò crassis attenuantibus, modò frigidis adstringentibus, & comprimẽtibus, facilè ad infernas partes dilabitur: quo factum est, vt laborãtes periclitentur pleuritide, peripneumonia aut alio thoracis, vel pulmonis grauissimo affectu, qualis colli peruersio & conuulsio est, vt latiùs lib. nostro de pulsus arte & armonia exposuimus. Verùm si mixta fluxio fuerit ex vtrisque, permixta quoque aderunt prædicta indicia. Quale præsagium ex angustia per pulsum liceat proferre, reperies eodem lib. de pulsu, cap. de angina.

Curandi ratio.

Curandi verò ratio duplex existit: altera quæ in communi omnibus anginis, sub hac tertia specie contentis, conueniat (nam de alijs inferiùs differam) altera verò, quæ cuique pro ratione humoris & sedis affectæ ex æquo debetur. Conueniunt autem hæ omnes in hoc, quod est humorem redundantem primò vacuare, deinde fluentem aliò transferre, mox verò fluxum quàm citissimè à parte affecta remouere: cuius curationis seriem elegantissimis verbis adduxit Gal. 4. de rat. vic. 30. Cæterùm quia sympthomata maius in angina facessunt negotiũ, ob id administrare oportet ea auxilia, quæ vtrumque simul respiciant. Sed antequàm ea aggrediar exponere, oportet loco satis amplo laborantem adducere, vt libere aërem respiret, qui temperatus etiam sit, ne compressus meatus ampliùs constringatur: sic etiam ipsum in lecto residere oportet, & caput altiùs attollere, quo faciliùs respirare possit. Quibus etiam liquida cibaria porriges, quæ qualitate & consistentia humida sint, velut pullorum carnes, carnium iuscula, ptisanam colatam cum cinnamomo, & mulsa, atque si febris adsit, saccharatam exhordeo: ouorum lutea, aut ex iure panatellam factam, vel si affectio vrgentissima sit, per dies aliquot, omnino à cibo abstinebis,

nebis, ni vires vetuerint: tandẽ ab omnibus quæ aromata aut piper, vel sal recipiũt, omnino abstineant, sicut à crasis & quæ difficilem concitant respirationem. Item parcè bibant, & à vino & potibus calidis fugiant: somnum vitare quàm maximè oportet, quia internis inflammationibus summoperè officit. Qua sanè victus & vitæ ratione instituta, omni diligentia curandum est, ventrem lubricum & omni excremento exortem reddere, imò angina alui fluxum perpetuo desiderat. Sic primo accessu aluus mollienda est clysteribus quæ emolliendi vires habeant, velut est quod recipit casiæ fistulæ. ℥.j. vel catholici. ℥.ß. aut hieræ (ni febris vetuerit) tantundem. Quo facto considerabis primò, quam occasionem sortita fuerit angina: plenitudinem ne, an alicuius consuetæ, vel inconsuetæ vacuationis intempestiuã suppressionem: item quantum periculi minetur malignitia. Quippe si ex suppressa aliqua vacuatione malum oriatur, & periculum non plurimùm vrgeat, rationi videtur consonum, à reuocatione consuetæ euacuationis auspicãdum esse, reuulsione facta ad distantes partes, ex talo quidem sanguine misso in mensibus aut hæmorrhoidibus suppressis vel diminutè fluẽtibus: idque semel facies, & mox vespere aut sequenti die si affectio sæuior fiat, ex brachio & cephalica sanguinẽ mittes, non omnino deinceps posthabita præcedẽtis occasionis indicatione; sed cruribus ablutis, fricatis, & quandoq; scarificatis, aut affixis in eis cucurbitis. Verùm si vrgentior sit affectio & periculum instet, à brachij venis protinus sanguinem detrahes, non solùm quidem in mensium aut hæmorrhoidum suppressione: nam tũc temporis dubium non est, sed fluentibus adhuc mensibus, dum modò interim dum sanguis extrahitur, cucurbitæ affixæ inhæreant femoribus, quo minor fiat ad superiora retractio: in puerperio verò maior diligentia adhibenda est: quippe si casus vrgẽtia adeò grauis sit, quòd protinus ex brachijs expostulet detractionem, facies quidem, sed paucis interpositis horis talum incindes, & parum sanguinis extrahes ac lentè, quo fiat maior ad talũ reuocatio, quàm ad superiora ex detracto sanguine à brachio: scito enim in grauissimis affectionibus, & quæ ingens periculum allaturæ sunt, reuulsionem non esse moliendam ex loco à quo confluit humor, sed prope eum ad quem fluit, vt derivationis quoque munus adimpleat. Præterea in grauida muliere cunctandum non est sanguinem detrahere, quòd ita comparata sit mulierum natura, vt sanguine abundet adhuc vtero gerens: quo fit, vt dũ parcè & prudenter fiat, aborsus periculum omnino fugiãt. Præterea sanguinis detractio in anginosis non confertim & copiosè, vt multi falsò existimãt, fieri debet: tum quia laborans periclitaretur animi deliquio, quo nihil est in hac re grauius & periculosius: citius enim hac lege suffocantur laborantes: tũ verò quia euacuationes paulatinæ & per epicrasim factæ, citiùs & commodiùs partem affectam respiciunt & euacuant, in quibus tantum sanguinis extrahere oportet, quantũ particula & partes vicinæ susceperint, nulla facta distantiùs attractione.

Quòd si sanguinis detractiones sufficere non videãtur, & vlteriores natura ferre non possit, ad cucurbitas deueniendum est, primò suris, natibus & scapulis affixis, postmodum verò brachijs & prope ceruicis radicem, ac si ex capite fluxio prodeat, occipitio cum scarificatione: tandem omni arte reuellere & deriuare ab affecto loco & humorem euertere opus erit. Quo facto, exhibere oportet expurgãs medicamentum, quod ex propria natura respiciat humorem peccantem, vel si sanguinem solùm abundare constiterit, leniens ex casia, aut manna porriges: catapocia verò, & alia deuoranda, minus proficua experimur, licet antiquiores consuluerint. Verùm si pituitosior materia fuerit, quod ex doloris mansuetudine vena-

beris,pauco ſanguine detracto (nam cunctandum non eſt ipſum parcè mittere,licet Auicen.9.3.cap.11.in quadam ſpecie anginæ ex pituita à cerebro deſcendente ſupra amygdalas & ad partes faucium & colatorij,vetuerit ſanguinem mittere ante declinationem;quoniam vt ipſe inquit,plus de pituita influit,& hominem præfocat:nam huius authoris locus ſuſpicione nõ caret)purgabis ſi expedit eâdem die diluto agarici ex infuſione roſarum Perſicarum,vel pilulas cochias,ſine quibus aut ex agarico liquore aliquo diſſolutas porriges: nam deuorare aliter innocuè laborans nequibit . Paulus verò & ex Medicis non mediocris prudentiæ aliqui,loco vtriuſque auxilij,dum fluxio pituitoſa ſubita non eſt, neque copioſior,acriori vtuntur clyſmate, quod ℥.ʒ.hieræ diacolocynthidos recipiat,& alio etiam eiuſdem naturæ.Sed antequam hæc adhibeantur,& interim dum vel ſanguis mittitur,vel expurgans medicamentum porrigitur, ex vſu erit, ad fluxam in parte inflammata & contentam materiam deuenire: circa quam duo ſunt exequenda munia: primum eſt influentem humorem à parte repellere, ac forſan influxum: ſecundum tamen ſi id fieri nõ poſsit,aut diſcutiatur impacta hærenſq; humoris portio,aut ſuppuratio iubetur . Primum ſanè exequeris iuxta vrgẽtiam mali:nam vbi multus nõ fuerit impetus humoris fluentis, neque magna inflammatio, mediocria ſatis eſſe poſſunt: cuius naturæ eſt gargariſma quod recipit aquæ hordei lib.j.aquæ roſarũ & plantaginis. ana.℥.ij. ſucci granatorum.℥.j.& ʒ. facta verò ſanguinis detractione,lacte călido veteris,& mox adhibere oportet quæ à parte affecta humorem contentum repellant gargariſmatis, quæ fiunt iuxta rationem humoris peccantis: in frigido humore ex aqua hordei & melle roſaceo cum ſufficienti aceti quantitate: in calida verò materia cum ſyrupo roſaceo, rob de moris & alijs quæ paſsim reperiuntur. Sed quia non ſemper humores qui continentur in affecta particula poſſunt repellentibus extrahi,neceſſum eſt,vbi periculum ſuffocationis imminet,aut cucurbitulas cum multa flamma adhibere, aut venas ſublingua tundere,ac ſi probè non fluxerit,hirudinem ibidem affigere ex vſu erit:cucurbitulas tamen ſæpius ſcarificabis, quo impacta materia per proximum locum euacuetur.At qui licèt topica hæc auxilia intus adhibere iubeat Galen.varijs in locis, varia iuxta ipſius affectionis tempora & varietatem conſiderare oportet, ita vt in principio alijs vtendum ſit, & creſcente malo alijs;in hoc tamen affectu donec ex toto vel reſolutione euaneſcat,vel ſuppuratione colligatur, ſemper repulſorijs vtendum eſſe, ex Galeno & ratione colligi poſſe videtur: non quidem inflammationis communis ratione,in qua vſque ad ſtatum ſemper aliquid influit, quod repulſu indigeat, ſed & partis affectæ ratione, nimirum, quia vt princeps robur ſibi ſeruari deſiderat: qua occaſione in omnium viſcerum inflammationibus adſtringentia admittit: & vltimò ac maximè, quia cùm partes angina tentatæ laxæ ſint & imbecilles,medicamentis laxantibus promptè excrementa iterum ſuſcipient, (licet affectus iam inclinet) & morbus denuo augebitur: quo fit vt pharmacis illis adſtringentibus, quibus ad anginam ſcripſit Galen. 6.local.ſemper toto morbi proceſſu ſit vtendũ, admixtis tamen quæ vim habeant diſcuſſoriam, apparentibus ſignis ſtatus. Quapropter peculiari methodo & indigentia adſtringentibus in angina vtendum eſſe arbitror,quod in alijs inflammationibus non eſſet tutum. Scribit enim Gal.communia & generalia quædam ad anginoſos pharmaca, quæ veluti baſim & fundamentum cæteris conſtituunt: vt eſt illud quod ex roſis & ſucco vuæ acerbæ conficitur, quæ quidem ad ſolem ſiccare licet atque alijs medicamentis quæ lambendo ſumuntur admiſcere:quippe gargariſare omnes nõ poſſunt,neq;ſi poſsint,innocuè faciunt.

faciunt.Par etiam beneficium præſtat hypociſtidis,mororum & acaciæ ſuccus & myrtilorum vinum, quæ illata per fauces cum ſyrupo de roſis ſiccis aut myrtilorum,mirum in modũ proſunt. In principio tamen eo vteris.q.r. plantaginis,oxalidis & portulacæ.ana.m.ʒ.corticum mali granati,rhu.ana.℥.ʒ.roſarũ rub.p.j. coquãtur in aqua ad tertias,& colaturæ adde diamoronis. ℥.ʒ. ſyrupi myrtini & de papauere.ana.℥.j.aceti.℥.j. miſce. Aliud item conficies quod recipit lentiũ, roſarũ, palmularũ,ana quod ſatis: coquantur in aqua vt ſupra,& fiat gargariſma. Alia autem fiunt ex aqua ſolani,plantaginis,caprifolij & ſyrupo roſaceo:item ex ſucco coroneorum & mali granati cum aqua,vel cum aqua capitum roſarum, caprifolij & plantaginis cum aceto.Aliud etiam non minoris momenti conficies gargariſma quod recipit ſpinæ Ægyptiæ.3.j.iridis.3.ʒ.glyzyrrhizæ.3.ʒ.furfuris, frumẽti.p.j.palmularũ num.vj.coquantur,& iuri adde mellis roſati quod ſatis.Aliud conficies quod recipit diamoronis.℥.j.ʒ. mellis roſati, aquæ plantaginis & caprifolij ana.℥.iiij.miſce.Valentiora item ſunt quæ parantur ex ſucco corticum nucum viridium:eſt enim adeò validum medicamentum,quod vſui ſat eſt eius modicum reliquis admiſcere:penetrat enim non ſolùm ſuperficiem,ſed & altas illarum partium particulas.Componuntur quoque ex rubi fructu ac punicorum generibus, pirorum,aut pomorũ adſtringentium & pampinis vitis.Sed præter has Galeni & antiquorum compoſitiones,alias non minoris momenti vſus probauit, quorum meminiſſe,cenſeo proficuum eſſe. Dum modò hæc ſit adhibendi eadem præſidia lex & ratio,quòd initiò refrigerantibus quæ lenia ſint, & merè repellentibus vtamur,mox admiſceamus quæ vim detergentem habent, poſteà quæ reſoluendi:tandem ſi opus fuerit, ſuppurantia. De quorum auxiliorum vſu dubitatũ fuit à Galeno & veteribus,an liceat ſolis vti adſtringentibus, vel ſolis extergentibus aut diſcutientibus.Quippe grauiſsimum fuit Galeno & Alexandro (licet ratione varietatis temporum aliquando liceat plus repellere, nonnunquam magis digerere,aut abſtergere) ſolis vti adſtringentibus:nam qui ſolis vel adſtringentibus vel digerentibus anginã curare tentarunt,in graue ſuffoccationis diſcrimẽ ægros duxerunt:quo fit,vt tutius ſit ſemper ea admiſcere:nam vt Galen.viſum eſt. 6. locaIium,rarò inuenitur affectio,quæ vno dumtaxat medicamentorum genere indigeat,ſiue repulſorium ſit,ſiue diſcuſſorium.

Verùm ſi dolor vrgentior ſit,& exulcerari partes ſentiamus,admiſcere oportebit quæ lenire idonea exiſtunt. Conficies quidem pharmacum primò vſui proficuum,ex decoctionis roſarum ſiccarum.℥.iiij.cum. ℥.ij. diamoronis: idem facies ex ſorbis,cornis,moris rubi & granatis acidis,decoctis cum ea ſacchari quantitate, quæ medicamentum guſtui gratiſsimum efficiat: quod in prædictarum partium affectionibus ſummoperè eſt curandum.Idem facies ex ſuccis eorum cum quarta ſacchari aut mellis parte,prout fluxus humoris calidior aut crudior fuerit,quæ omnia diſſoluere oportet decocto hordei,roſarum,plantaginis aut myrtilorum . Sed reprimendo & leniendo proficuum reperio id,quod recipit ſucci expreſsi ex. ℥. j. caſiæ fiſtulæ,decocti roſarũ aut plantaginis.℥.ij.aquæ è ſorbis aut meſpilis deſtillatę ℥.iiij.Præſtat & id quod recipit medicamenti ex moris aut corticibus nucum.℥.ij. aquæ hordei lib.j.aquæ roſarum.℥.iiij.aceti albi.℥.j.Benefacit etiam aliud, quod recipit aquæ hordei lib.ij.in qua rhois.ʒ.iiij.decoquantur,cui adde aquæ myrtilorum lib.ʒ.medicamenti ex moris rubi aut ex malis punicis.℥.iiij.aceti albi.℥. j. interdum tamen ore diutiùs teneat laborans ſyrupum roſarum, violaceum aut iuiubinũ. Quo etiam tempore,& eiuſdẽ vſus gratia,parare oportet ea medicamẽta, quæ

quæ ore diu retenta,& ſolidiori conſiſtentia efformata ſenſim deglutiantur, velut eſt quod recipit diacodij. ʒ.ij.puluꝛis hirũdinis præparatæ.ℨ.j. ſeminis coriandrorum præparatorum.ʒ.j. ſacchari diſſoluti in aqua roſarum quod ſufficiat,diamoſci dulcis aut pliris arcoticõ.ℨ.j.à cuius medicamẽti vſu gargariſare oportet,eo quod recipit hordei decorticati & lentium.ana.p.j.plantaginis & lactucæ ana.p.j.fiat decoctum,cuius excipe lib. j. diamoronis. ʒ.ij.ſyrupi roſarum & oxiſaccharæ.ana.ʒ.j. præſtat alter gargariſmus, qui recipit aquarum plantaginis & roſarum. ana.lib.ß. ſyrupi acetoſi ſimpl.ʒ.j.rob de moris.ʒ.j. ß.miſce,exteriùs verò nulla lege repellẽtibus vtendum eſt.

Verùm ſi morbus augeatur,neque repellentium vſu miteſcat,quòd materia quę fluit craſsior ſit & frigidior, tunc quidem, (nam in calida & heriſipelatoſa,vel vbi ſanguis plurimum abundat,cauendum eſt ab his) hæc repellentia adſtrictione nimia admiſcenda ſunt his quæ reſoluendi vim habent.Quapropter vtendum eſt gargariſmate,quod recipit camemali.p.j.dactylorum,vuarum paſſarum & fœnugræci.ana.p.ß.ficuum numero.x.fiat decoctum, cuius facta colatura accipe. ʒ.viij. diamoronis,rhodomellis,& oxymellitis.ana.ʒ.j. Verũ ſi alicui ex ſupradictis repellentibus addideris aliquid ex albo canis ſtercore,ſcito mirum in modum reſoluere:quod pari lege facies cum hirũdinum cinere, humano ſtercore & alijs quæ copioſiùs Galen.annumerat.6.ſimplic.Præſtat eundem vſum gargariſma, quod recipit ficuum pinguium.ʒ.iij. hyſſopi.p.j. paſſularum ſine acinis. ʒ. ß.fiat decoctio, qua laborans coluatur:cui vero ſicut & alijs admiſcere oportet croci aut myrrhæ tantum,quantum in animo fuerit reſoluere,à modico facto initio: ſulphuris verò & nitri longe minus adijcies,quod Gale.aduertit.Sed mitioribus tutius eſt vti(niſi dum fœuitia mali valentiora expoſtulat)huius naturæ eſt quod recipit decoctum furfuris,caricarum glyzirrhizæ,hyſſopi,thymi,calaminthæ,pulegij in aqua mulſa ex hordeo:vel excipe vuarum paſſarum.ʒ.j.palmularum & caricarum ac myxarũ, ana.n.v.glyzyrrhizæ.ʒ.iiij.hyſſopi.ʒ.iij.coquantur ſecundùm artem in libris duabus aquæ ad medietatẽ,cui facta colatura adijce mellis roſati. ʒ.ij. ſyrupi granatorum.ʒ.j.oxymellitis.ʒ. ß. prodeſt & hydromel in quo inſperſus fuerit puluis hirũdinis combuſtæ,poſt colaturam exhibitum. Ex quibus varia effingere poteris efficaciora,vel leuia,prout neceſsitas poſtulauerit.

Verùm ſi doloris vehemẽtia nimis vrgeat, ac prædictis auxilijs cedere non videatur,lenientibus protinus vteris,quæ & dolorem ſedent & aſperitatem compeſcant.Cuius naturæ lac eſt, & mucilago ſeminis citoneorum,ſeminis lini & altheę: præſtat & furfuris ac tritici cremor:item id quod recipit glyzyrrhizæ recenter raſæ & conquaſſatæ.ʒ.iij.mellis roſati.ʒ.j. decoctionis & expreſsionis hordei lib. j. & ß. poſt coctionem iterum fiat colatura. Præſtat & penidias lacte diſſoluere:item ptiſanæ ſuccus,lac amygdalarum dulcium vel ſeminum maiorum.Si vero iam abſtersionis indicatio acceſſerit,quæ vel pituitam adhæreſcentem abradat,vel pus exſudans abluat,eo vteris.q.r. hordei p.ij.lentium.p.j.roſarum.p.ß.coquantur & colaturæ adde ſacchari.q.s.aut ſyrupi glyzyrrhizæ,vel quoduis horum addes his quæ nuper diximus lenientia eſſe.

Exterius verò eis vteris medicamentis, quæ præter hoc quòd leniant, vim habeant humorem fluentem à partibus internis ad extimas trahere, reuellere, diſcutere,& vltimò coquere.Cuius naturæ eſt oleum calidum vel camemelinum, anethinum,liliaceum,irinum,cum oleo amygdalarum dulcium,de ſemine cucurbitæ cum axungijs,dialthea & vnguento reſumptiuo.Præſtat etiam id quod fit ex radicibus liliorum,& altheæ,caricis pinguibus cũ butyro,farina ſeminis lini,oleoque liliaceo:valet etiã inunctio ex æſype,dialthea & butyro.Quem quoque vſum præſtat cataplaſma,quod fit ex ſeminibus altheæ,maluarum & lini cum cremore fœnugræci & hordei ac decocto camemali,meliloti & caricarum. Valet non minus cataplaſma,quod recipit farinæ fœnugræci,ſeminis lini & camemali. ana.p.j. puleris vnius nidi hirundinis(dum modò terra diligenter ſeparetur,quia vim habet repellendi,vel ſat eſt ſtercus caninum adijcere,quod reſoluendi vires habet) omnia ſimul decoquantur cum ſapa,& adde olei anethi & liliorum. ana.ʒ.j. croci pulueriza.ʒ.j.& fiat cataplaſma,vel hac lege facito.Recipe nidi hirundinis.ʒ.iij. ſapæ.ʒ.j.ß.floris caſiæ.ʒ.j.miſce.Probantur etiam quæ parantur ex pane, lacte & lureo ouorum,additis pulueribus roſarum,& camemali: item aliud quod recipit dialtheæ & æſypi. ana.ʒ.ij. nidi hirundinis.ʒ.iij.radicis iridis.ʒ.ß.cum oleo liliorũ fiat vnguentum.Præſtat & aliud quod recipit ſtercoris hirundinum.ʒ.j.farinæ fabarum. ʒ.ij.olei camemali & liliorum. ʒ.j. ß. butyri recentis. ʒ.ij. fiat cataplaſma. Præſtat etiam emplaſtrum ex medulla caſiæ fiſtulæ cum oleo communi vel camemelino,adiecta quantitate dialtheę,vel emplaſtri de mucilaginibus ſeu meliloti: diſsipat etiam cataplaſma ex farina hordei,& ſucco apij, ſicut caput viperæ collo filo laneo appenſum.Quòd ſi reſolutione maiori vti velis,ad mel anacardinum deuenies,& cum eo admiſcere oportet reſoluentium aliquid.Quibus omnibus cataplaſmatis addere poteris gallinarum ſtercoris,vel farinę fabarum furfurum modicũ. At ſi conſtiterit inflammationem augeri,& accidentia non mitigari,curandum eſt iuxta indigentiam & indicationem temporum ipſius cataplaſmata adhibere.Sic etenim augeſcente inflammatione ab eo cataplaſmate incipies quod recipit roſarum rub.p.ij.camemali,meliloti.ana.ʒ.ß.ſemperuiuij,cucurbitæ,parietariæ,lactucæ.ana.m.j.corticis mali punici,rhu. ana.ʒ.ß.farinę hordei.p.ij. ex aqua coquantur omnia ad cataplaſmatis ſpiſſitudinem.At cum in ſtatu fuerit eo vteris quod recipit lapati,parietariæ,camemali,meliloti.ana.m.ß.roſarum.p.j. palmularum num.x.farinæ hordei.p.ij.contuſa decoquantur in aqua ad ſpiſſitudinẽ. Morbo autem cunte in declinationẽ,eo vteris quod recipit altheæ, maluæ. ana. m.j. florum camemali,meliloti,& roſarum.ana.p.j.radicis liliorum alborum & altheæ ana.ʒ.j.ſeminis lini & fœnugræci.ana.ʒ.ß.ficus pingues.num.x.furfurum,& farinæ triticeæ. p.ij.contuſa decoquantur in aqua ad craſsitiem,deinde adde olei camemali & adipis ſuilli.ana. ʒ.j. ß. quibus omnibus ſi nihil reſoluatur aut imminuatur,ſuppurationem quoque molieris.

Quòd ſi ne hæc quidem prodeſſe videantur,ſed ſuffoccationis magnum inſtet periculum,maximè cùm rupto abſceſſu in pulmonem & corpus irruere veremur, repetẽda iterum eſt venæ ſectio ſub lingua,aut cucurbita magna in occipitio, ſub mento,aut in maxillis:vel ſi fluxio adhuc perſtat in ſutura coronaria. Quo tempore gargariſmate vteris acriore,velut ſi oxymellite incoxeris pulegium, hyſſopum, origanum,radices gentianæ,vel cucumeris agreſtis, aut ſemen ſynapis conquaſſatum cum aceto:vel ſi ſuffoccatio nimis vrgeat,lingua depreſsa guttur ſcalpello aut acuto penicillo ſcindatur,vt ſanies prono capite effluat.Quòd ſi tumor conſpicuus non ſit,ſpongiæ quantitatem ad magnitudinem auellanæ filo appende, & ægrum deuorare iube:intumeſcit enim ſpongia, & dũ vi extrahitur,tumor abrũpitur:cuius loco carnis aſſæ portiunculam filo etiam appende,& idẽ facito. Quibuſdam placet locum ſcarificare ſub maxillis,ſub mento & collo:alijs etiam cuſtoditis ſemper neruis & arterijs collũ extrinſecus perforare è regione partis dolẽtis,

ac

ac ſi ſua ſponte ſanies non fluat, cucurbitis facilè extrahes, & poſteà ex nido hirundinum in aqua decocto aut oleo communi, camemelino, aut liliaceo emplaſtrum confice, & parti adhibe, vel lanam ſuccidã inſuccatam aliquo ex prædictis ſuccis, quibus materia facilè exteriùs euocetur: ſed præſidia hæc maioris momenti prudenter facito, non eâdẽ die & inordinatè ac tumultuoſè. Multi inſuper venas tundunt quæ in ceruice ſunt: Hippoc. lib. 3. de morbis, eas quæ ſub mammis: Archigenes & Aſclepiades venam frontis: tutius tamen eſt vt Celius Aurelianus in Hipp. taxat, eas quæ ſub lingua ſunt aperire.

Sed in ea angina quæ ex caliginoſo aëre fit, puriſsimi aëris inſpiratio medella eſt: in ea verò quæ ex vertebra colli intro luxata prodit, vulgare eſt remedium cucurbita parti affixa: cæterùm id damnauerat Hipp. lib. de articulis: nam viſum eſt maiorem efficere luxationem: quapropter digitis comprimere per partem anteriorem iuxta latera arteriæ aſperæ, vertebram illam & extra pellere neceſſum eſt, atque hæc mihi de hac re ſufficere videntur.

De tuſsi. Cap. III.

CVM ea quæ à capite defluunt, (vel vbicunq; ſint) vias pulmonis ingreſſa exaſperant, & inæqualem earum ſuperficiem vitiant, autaëris ingreſſui & egreſſui officiũt, vel facultatem ſenſu acri, mordaci & doloroſo afficiũt, tuſsis proculdubiò excitatur. In cuius affectionis enodatione, multa profectò difficilia & magni momenti ſe ſe offerunt expendenda: primum quidem, qualis naturæ ſympthoma ſit tuſsis: ſecundum quos morbos ſequatur: tertium cuiuſnam partis proprium ſympthoma exiſtat: tandem à quibus cauſis concitetur, & ſignis internoſci poſsit: ac vltimo qua via & ratione commodiùs curari expoſtulet. Circa primum ſciendum eſt, tuſsim à Galeno diffiniri per efflationem, in qua cum plurimo ſpiritu celerrimè ex thorace erumpente, conatur natura noxam illam ex pectore trudere. Sic enim. 2. de cauſis ſympto. cap. 4. Galen. ſtatuit, eam nihil aliud eſſe, niſi vehementiſsimam efflationem, quam natura molitur, vt plurimus ſpiritus celerrimè erumpens exturbet ea quæ inſident eius itineribus. Quippe natura ſagax, præter id quòd aſperam arteriam & eius veluti ramos ex ſubſtantia cartilaginea compoſuit, veluti quibuſdam annulis interſtinctam, vt patentior ſemper ſeruaretur meatus, leui etiam illam quaſi ſubliniuit membrana planiſsima, vt facillimè præterlaberetur ſpiritus, neque vlla inæqualitate aſperitateue ex alliſione impediretur. Vnde cùm aliquid accidit, ſiue ab interna, ſiue ab externa occaſione id euenerit, quod aliquam aſperitatem, & inæqualitatem meatibus arteriarum aſperarum inducere poſsit, ſpiritus eminentes partes offendens illiſq; illidens, concutit & quaſi contundit eas, ſiue in faucibus & gutture, ſiue in aſperis arterijs ſit inducta aſperitas, qua tuſsis concitatur. Ex quibus conſtat, ſympthoma eſſe ad vitioſum attinens motum, qui profectò eatenus vitioſus eſt, quatenus cauſam præter naturam habet adiunctam: aliàs eſſet naturali ſimilis. Cui vſui in memoriam reuocare oportet, vt Galen. docet. 2. de cauſis ſympto. ſympthomata quædam prorſus à morbo prouenire, vt dolor, abolitus motus & vox deprauata: quædam morbum velut occaſionem habent,

habent, cauſam verò naturam, quæ à morboſa illa cauſa violenter moueri cogitur, velut in ſingultu, ſternutamento & tuſsi accidere cernimus: alia verò, medio quodam modo ſe habent, velut tremor. Quapropter videtur conſtare, tuſsim ſympthoma eſſe ex morbo & facultate ſimul factũ: differt tamen motus naturæ à reliquis eius motibus, dum tuſsim efficit, inſtrumento, facultate & excernendi modo: facultate, quia voluntaria eſt ea quæ tuſsim molitur: inſtrumentis, quia per muſculos fit, & per vias quæ coarctari, & comprimi minimè patiuntur: nam expulſiones quæ naturali potentia fiunt, ipſa ſe ſe comprimente, ac veluti exprimente à ſe quod ſibi eſt moleſtum, operatur. At animalis potentia in tuſsi, tantum abeſt vt inſtrumenta comprimat, quòd ob id ea chartilaginea, & dura (vt ſemper patula ſint) fabrefecerit, cùm potiùs expellere teneatur aperto exiſtente foramine & itinere, quàm per compreſsionem: tanto enim magis in reſpiratorijs canalibus, vt aperta ſint, prouidens, quanto citius in eorum occluſione præceps eſt, & repentinum vitæ diſcrimen. Mirabile quidem inuentum eſt, & naturæ artificium, quo vaſa hæc ſingulariter munuit, principio conſtituens ea maiori parte chartilaginea, neque enim tota poterat ob diſtenſionis contractioniſq; varietatem, ſciens chartilagines in ſe cõniuere concidereq; non poſſe. Alterum etiam ſubſidium ex innata comparauit doctrina, tuſsim docens animalia, cuius ratione reſpirationis muſculos pulmoni connexit, vt quam primum in pulmone vndiq; noxa ſentiretur, contractis pectoris & ſepti muſculis, celerrimè multus aër, & confertim per aſperam emiſſus, expurgaret quidquid noxium in ea vaſa incideret: ſic profectò differt modo excernendi: nam animalis potentia vehementiſsima quadam efflatione, vi & impetu pellit, naturalis verò compreſsione.

Secundum quod dignum etiam maiori diligentia eſſe diximus, eſt à quo nam morbi genere, ſi ſympthoma eſt, proficiſcatur: quippe cùm id vnum non ſit, ſed variũ expendiſſe etiam oportebit, quodnam eorum ſequatur. Primum enim & frequentiſsimum eſt, arteriarum pulmonis obſtructio, puluere vel quouis alio corpuſculo facta: ac ſi id quod in eam partem influit, mordicet quoque & exedat, duplex iam ſuccreſcit morbi genus: alterum ad morbum in via, & reliquum ad vnitatem ſolutam attinens. Quòd ſi aliquando in prædictas arterias aliquid incidiſſe conſtet, & tuſsim non mouere, vt quotidiano experimento comperimus, id proculdubiò tria faciunt: primum quòd non confluit confertim: ſecundum quòd parum ſit & meatum non vitiet: tertium verò quòd lateri arteriæ fixiùs adhæreat. Quo fit, vt bibentibus nobis, ſi gutta in aſperam arteriam irruat, tuſsim moueat, & in aſthmate, thorax excrementis ſcatens, minimè tuſsim excitet. Solet inſuper ipſam excitare intemperamentum inæquale, idque duobus modis: vel facta aſperitate in prædictis vijs pulmonis, vel ſolùm ex diſtemperie, quæ irritet ac mordeat: ſi primum, efficit veram tuſsim, quia viæ pulmonis exaſperatæ animal irritant ad pulſum nocui, licèt tuſsis fiat ſicca: ſi verò ſecundum, non erit vera tuſsis, ſed tuſsiendi cupiditas: quo tempore morbum ad muſculos attinere eſt credendum, in quibus ſola viget diſtemperies, quæ ob frigiditatem mordet & irritat ad expellendum. Quippe cùm noxam inferat thoraci, natura gliſcit ad eam expellendam, quo tempore potius eam tuſsiendi cupiditatem, quàm veram tuſsim dixeris, quam Galen. chernon appellat. Fitque id tuſsiendi genus refrigeratis ſpiritus inſtrumentis, vt. 2. de cauſis ſympthomat. & 5. method. & 4. de locis affectis. Galen. recenſet. Fiat ne etiam hoc

tusiendi genus ex calida causa,sicut ex frigida,non est præsentis considerationis enodare, ni velis dicere, calidas intemperantias maiorem accersire mordacitatem. Tertium verò morbi genus asperitas est,quæ ex siccitate ortum habere potest: fit quidem aliquando in summo gutture solùm, aliquando in tota arteria ex causis quæ bronchium efficiunt:fit & ex asperis corpusculis cum aëre subingressis, quo tempore ad obstructionem reduces,sicut asperitatem ad qualitatem mutatã: quòd si ad figuræ vitia reduxeris, non omnino errabis:nam prædictæ partes in superficie lenitatem obtinere tenentur,& sic cùm exasperantur, in asperitudinẽ illã impingitur spiritus,& tusim concitat:atque hi sunt morbi quibus tusis excitatur in vniuersum,nunc ab vno,nunc verò ab alio,& sæpe ab omnibus.

Tertium quod proposuimus disceptandum est,quæ sit particula cui tusis primò & per se attineat:ac ne longiùs in hac re abeam,sciendum est,tusim duplicis esse naturæ, vt latiùs mox sum probaturus: alteram veram genuinam & animalibus instrumentis propriam: reliquam verò spuriam & illegitimam, & quæ potiùs naturalibus potentijs & instrumentis accedit, quam Galen. appellat leuem tusim, seu tusiendi desiderium. Hanc enim statuit Galen.solis musculis thoracis propriam esse: in cuius concitatione opus non est aliquid esse præter naturam in vijs respirationi seruientibus: sed sat est musculos prædictos, vel inæquali frigiditate affici, vel aliquo modo molestari, ita vt naturalis eorum potentia nitatur molesta expellere, vt in rigore, in quo sanè motu prædicta apparet tussiendi cupiditas, & veluti conatus ad violentum motum, quem voluntariè mouet animal in vera tusi,licèt motus in ea voluntarius non sit, etiam si ob id videatur tusi simillima actio, differt tamen eo modo quem nuper diximus. Neque eo inficias aliam esse tusis siccæ,& non genuinæ sortem: nimirum ex spiritalium perfrigeratione, asperæ videlicet arteriæ,pulmonis, & intimæ thoracis tunicæ: verùm eam arbitror ad asperitatem earundem partium reducendam potiùs fore,quàm ad aliam causam. Quòd si asperitatem non moliatur, vera erit spuria,quia solùm partes à naturali potentia mouentur vt in rigore,quantuuis dictum sit spuriam solis musculis thoracis accidere. Quapropter statuendum est leuem illam tusim musculis attinere, at reliquis partibus spiritui seruientibus, non quidem quatenus instrumenta sunt spiritalia,& voluntati seruientia(quia tunc si asperitate afficiantur à prædicta intemperie, vera tusis excitatur) sed vt partes naturales & vegetatiuis potentijs subditæ, quibus sat est quoduis irritamentum ad expellendum quod sibi est molestum. At veram & genuinam tusim accidere testis est Galen.4.de locis, cùm pulmo læditur, vt via est spiritui: namlicèt certum sit spirituum instrumentis accidere, proculdubiò vera tusis nequaquam excitabitur, nisi dum ex vijs huic ministerio seruientibus aliqua oblædatur: cui sanè thoracis musculi subseruiunt ad pellendam noxam in via immorantem. Sic neque in pleuritide, neque in difficili respiratione tusis succrescit, donec pulmonis aliquod vas aut fauces, vel aspera arteria oblædatur. Qua in re sciendum est, motum qui in tusi reperitur, non fieri à parte affecta,sed ad aliam partem attinere, nimirum ad musculos thoracis, cùm vitium insit in spirituum canalibus. Itaque vera tusis ex vehementia motus musculorum thoracis prodit,cæterùm in subsidium viarum spirituum,quo minus pereat animal:at spuria citra vitiũ viarũ spiritus accidere potest, musculis affectis, vt dictum est, aut ipsis canalibus, vno ex assignatis modis: nam altero ad veram tusim attinet. Expendendum tamen est quod in vera tusi sympthoma, hoc est vehe-

vehementissima effiatio,propria est musculorum affectio,seu actio si mauis:morbus verò est solùm viarum pulmonis:at in sicca tusi,& quæ spuria est, morbus ad prædictos musculos attinet,vtpote qui intemperie afficiuntur, sympthoma verò ad asperam arteriam,quia perperam spiritum emittit.

Qui causas huius affectus curiosiùs scrutari velit,proculdubiò reperiet, præter genera morborum quæ diximus,asistere vel defluxum à capite, copia aut vitio humoris lædentem,vel aliquid quod præter naturam incidat aëris,pulueris vel fumi:succrescit & ex tuberculo intrinsecus in arteria adhærescente, vel extrinsecus comprimente.Sic & ex intemperie,externa quidem ab his quæ refrigerãt & exasperant,siccant & extergunt natiuam humiditatẽ,& ex cibis ac potibus,vt ex Hippoc.constat.6.pop.par.2. cuiusmodi sunt præter refrigerantia,acerba,austera,mordentia & acria ac incindẽtia vt acetum.Intrinsecus verò ab omni intemperãtia in ter actiuas qualitates,frigida præsertim:nam humida obinæqualitatem,tusim excitare nata est,sicca verò ob asperitatẽ:de calida verò licèt Gal.6.pop.par.2.24.id videatur asserere,non ita euidenter probari potest,nisi interuentu siccitatis,quantũuis Paulus ex calore posse prouenire etiam statuat. Itaque causas omnes tusis facilè reduces ad quinque tantùm:nimirum ad humorem à capite fluentem, secundò ad collectum in aspera arteria, vt in pleuritide & peripneumonia: tertiò ad compressionem septi transuersi: quartò ad asperitatem faucium: quintò verò & vltimò, ad inæqualem intemperiem instrumentorum respirationi seruientium,dum inæqualitatem seu asperitatem concitat. Nec deest sexta causa, nimirum lumbricorum prouentus:nam licèt hi spiritalia non adeant instrumenta, ex halitu putrilaginoso ab eis elato,& prædictas partes feriente, optimè succrescere potest tusis sicca & molesta:quantumuis Galen.6.popul.part.2.comment.24.statuat non posse experimento aut ratione probari ex lumbricis tusim fieri,cum lege statuta,facillimum sit creditu. *Cause.*

Licèt apud Neotericos reperiantur plures tusis differentiæ,placuit solùm Celsi,Galeni,& priscorum diuisionem sequi,qua diuidunt tusim in siccam & humidam: meminit autem siccæ Hippoc.lib.1.de morbis vulg.part.1.text. 12.& lib. 3. aphorism.dicẽs:Erant autem aliquibus tusses siccæ,in quibus nihil excernebatur: alterius autem meminerat.1.sect.aphorism.12.dicens:Quòd si statim sputum appareat,morbum breuiat:quibus tertiam addere licet,quam refert idem Hippocra. 6.pop.part.1.text.24.dicens:Et infestabant pleroſq; tusses fœrinæ,fœrinã appellans tusim pestilentem, quam nobis clarioris doctrinæ gratia, placet ad humidam referre. Fit itaque humida tusis ex his causis, quæ inæqualem vtcunque reddere possunt asperam pulmonis arteriam, vel quamuis ex vijs respirationi seruientibus: redditur quidem inæqualis via irrigata humore aliquo defluente à capite aut aliunde transmisso, vel ibidem præter naturam congesto. Siccam verò tusim duobus modis considerare licet: vno quatenus nihil excernitur ob eius ineptitudinem: alio verò quatenus nihil in via est,quod excerni possit. Primo enim modo,tusim efficiunt fumus, aër vel humorum summa cruditas, quæ humores sortiatur nimis tenues vel crassiores iusto: illos quòd aër discindat,& permeet:hos verò quòd separare à locis vbi sunt,aut dimouere non possit: quam etiã præter id quòd siccã esse scimus,vehemẽtissimã quoq; experimur. Eã verò tusim in qua nihil excernitur,quòd nihil sit quod excerni possit,fieri tantùm à perfrigeratione vel æstu à circũfuso aëre mordẽte,& ab omni inæquali intemperie certissimum est. Qua igitur in re sciendũ erit ex distemperie molestari plurimùm naturã *Cause cuiusq; differentiæ tussis.*

atque ſic tuſim mouere, naturali ipſa potentia laceſsita ad expellendum quod ſibi nocet: fitque eo tempore illa tuſsis ſpecies, quæ chernon appellatur, hoc eſt cupiditas & deſiderium tuſsiendi, haud ſecus quàm in vomitu, quem præcedit nauſea.

Signa. Signa verò quæ defluxum obſtruentem ſpirituum vias oſtendunt, ſunt vehementiſsima tuſsis & perſeuerans impetuoſè: quibus accedunt alia ſigna ex palato, naribus, faucibus, oculis aut toto capite. Si verò ab intẽperie prodeat frigida, quæ ſæpius fit hyeme, tuſsim leuiter irritantem, quæ tacendo ceſſat cohibito ſpiritu & calido domicilio, ſubortam comperies. Quòd ſi à puluere, fumo, vel quauis alia cauſa externa fiat, ex ipſius laborantis relatione diſces. Verùm cùm tuſsis ſit in duplici differentia: altera humida, quam ex his quæ excernũtur diſtingues, ſi falſum ſit, ſi amarum, ſi acidum, ſi erodens aut alterius deterrimæ conditionis: altera verò ſicca, quam tribus ex cauſis oriri faſſus eſt Gal. 4. aphoriſm. 54. nempe ab intemperie inſtrumentorum ſpiritus, aut ex faucium aſperitudine, vel aliquo tenui & pauco humore deſtillante, vel nimis viſcido craſſo & adhærẽte. Primum dignoſces ex tuſsis leuitate, & ex his quæ præceſſerunt: ſecundum ex aſperitatis vlceriſue ſenſu: tertium verò, ex eo quòd aliquid excernatur tenue aut quàm minimum, vel craſſum & diutina tuſsi excretum.

Præſagiũ. Præſagium verò cùm multiplex ſit, incertum profectò eſt: quippe in pueris, & ſenibus tuſsis periculo non caret: in his quòd non maturetur, in illis verò quòd in grauiores affectus facilè commigret. Prætereà tale erit futurum damnum, qualis natura humoris qui fluit, aut pars in quã humor prolabatur: item grauidis admodum eſt difficilis, cum febre periculo non vacat, reliqua verò ex capite de catharro venaberis.

Curandi ratio. Qui tuſsim curaturus eſt, tria neceſſariò conſiderare tenetur. primum qualis efficaciæ & periculi ſit ſympthoma ipſum, hoc eſt tuſsis: nam ſæpe vertit ad ſe omne curantis conſilium: ſecundum morbi viarum reſpirationis naturam: tertium verò qualis naturæ & conditionis ſit cauſa quæ morbum ipſum excitat: nam iuxta hæc tria curationem ipſam inſtituere oportebit. Sic etenim circa primum conſiderare oportet, conſimilem huiuſmodi affectum expoſcere curandi viam & rationem, ac dolores & reliqua ſympthomata, quæ non rarò vniuerſam curationẽ ſibi acciſcũt, poſthabita omnino eorum cauſa: nonnunquam verò à cauſa initium curationis auſpicari iubent, ſi mites ſint. Sic etenim vniuerſa curandi ratio, dum ſympthoma omnem ſibi arrogat curationem (vt ſæpe in infantibus & grauidis fœminis nobis vſu venit, ne hæ aborſum patiantur, pueri verò rupturam, vel vtriſq; capitis repletiones aut vaſorum apertiones ſuccreſcant) ſita eſt in cognitione modi quo natura mouet tuſsim, vt iuxta ipſum compeſcatur. Id quidem fit aſperitate aliqua media in vijs pulmonis, quæ animal irritet ad eius expulſionem. Quo fit, vt via mitigandi tuſsim duplex tantùm in genere exiſtat: vna quæ aſperitatem leniat, leuigetque quod inæquale in ſpirituum vijs exiſtit: altera verò quæ ſenſus acrimoniam retundat, facultatemque quodammodo ſopitam reddat, quo minus læſionem perſentiſcat: hæc quidem auxilia appellarunt antiqui paregorica, ſeu lenientia, quæ æqualitate partium & lentore leuigant partes ſpiritui ſeruientes. Sunt autem huius naturæ phthyſana, condrus, amylum, lactis omne genus, butyrum ex lacte, vel ex amygdalarum expreſsione, oleum amygdalarum dulcium, mucilagines citoneorum, pſylij, tragacantha, & denique omnia quæ huius naturæ exiſtunt. Somnum verò conciliant, & ſenſum obtundunt ſyrupus vio-

violaceus, iuiubarum & papaueris: item ea omnia pharmaca quæ opiata vtcunque ſint.

Quatenus verò ad ſecundã conſiderationẽ attinet, quæ docet cauſas rimari, cõſiderandũ eſt, ſit ne tuberculus aliquis, vel phima crudum prædictis locis adnaſcens: ſit ne puluis, fumus, caliginoſus aër, aut aliquid extrinſecus accedens, nam eorum quoque habenda eſt prouidentia. Quippe aërem inſpirare liberum oportet, ſicut dum frigida diſtemperies viget, reſpirationẽ cohibere, & calorificis tegumentis corpus fouere: & pari ratione dum puluis cauſam præſtiterit, abluere aſperam arteriam oportet aqua tepida, vel mulſa aut mucilaginibus, & his quæ reſiccatam arteriam & exaſperatam leuigare habent. Verùm ſi tuſsi cauſam præſtiterit inæqualitas & aſperitas viarum reſpirationis, ab humore ibidem præter naturam immorante (præter vlcus quod ad phthiſis curationem attinet) conſiderandum tunc eſt, an ab inſtrumẽtis reſpirationi ſeruientibus in prædictos canales tranſmittatur pus, vel pituita aut humor aliquis: nam eo tempore tuſsim compeſcere per diuertentia & expurgantia medicamenta erit perdifficile (verùm ſuis locis inſtituã quomodo id euacuari debeat, vt in pleuritide, peripneumonia & aſthmate plerũq; contingit) vel rurſus an à toto corpore in caput mittatur aliquis vitioſorum ſuccorum, aut ab ipſo capite per palatum, os & fauces defluat in aſperam pulmonis arteriam & in reliquos ipſius pulmonis canales. Quo tempore duplex extat medendi ratio: quarum altera humorem, cuiuſuis naturæ ſit, vel aliò transferre, vel per aliã regionem euacuare neceſſum eſt, quod primo loco in hac curatione exequendũ venit: altera vero eſt, humores ipſos & vias reſpirationis, ad faciliorem eius eductionem, per tuſsim euacuare atque diſponere. Sic enim ſi humor qui fluit à corpore vel à capite, acris ſit, mordax, tenuis, calidus & qui exulcerationem minetur (maximè ſi febriculam ſibi adiũctam obtinuerit) curãdum eſt protinus ſanguinem detrahere, non quidem copioſè, ſed per interualla & parcè, ab ea tamen parte, quæ cũ principio & origine fluxionis conſortium aut colligantiã habeat. Nã ſi caput ſcalidũ fuerit, ex cephalica ſanguinẽ mittes: vel ſi iecur ſanguinẽ vſerit genueritq;, aut ſcalidũ cũ ſit, pituitã in capite (ob eius frigidũ intẽperamentũ genitã) defluere cogit, quo tempore licèt caput frigidum ſit, & crudis ſuccis plenum, caſia & temperatis pharmacis purgabis, non calidis & capitalibus: nam ſatius eſt, cauſam motiuam fluxus, videlicet calorem aut bilem iecoris compeſcere ac frænare, quàm excitare calidioribus medicamentis: quia maior eo tempore concitatur fluxio, ſicut ſedata excitante cauſa, plerumque fluxiones ceſſaſſe comperimus. Quo tempore eiuſdem occaſionis gratia à baſilica dextri lateris, vel ſaluatella eiuſdem partis ſanguinem mittes. Verùm ſi vniuerſum corpus eodem calido intemperamẽto affectum, ſalſuginoſos aut acres reddiderit ſuccos, ex cõmuni vena & copioſiùs ſanguinem fundes: ſicut ſi ex hæmorrhoidum aut menſium ſuppreſſione ex talo, nõ ſemel ſed bis, præſertim ſi reuocandi mẽſes fuerit animus. Quòd ſi ſalſuginoſus fuerit humor, non omnino deſiſtes à ſanguinis detractione, ſed parciorem facito.

In ſicca verò tuſsi, quæ à diſtemperie, puluere, fumo aut pauciſsimo humore nõ fit, ſed à tenui vel craſſo nimis, dubitatum eſt à Medicis doctiſsimis, an liceat ea ratione ſanguinem mittere. In qua re ſtatuendum eſt, mittendum eſſe, ſi febrem accerſat, ſi intra venas ſit mordẽs, vitioſuſue humor, ſi iecur ſit ſcalfactum, halitumque aut tenuem ſaniem in aſperam arteriam fundat: ſi iecur in tumorem eleuetur, & ob id ipſam concitet: ſi à capite tenue quid & mordax profluxerit: ſi teſtes affciantur, & ob id tuſsis fiat ſicca: nam his venã tali incindere iuſſerat Hippo. 4. popu.

At ſi materia frigida fuerit, ſiue tenuis fluxilisq; pituita, ſiue craſſa, & tuſsis nõ ſicca, fugiendum omnino eſt à ſanguinis detractione. Cæterùm curandum eſt, in eo & reliquis ſuccis, quorum occaſione ſanguis miſſus fuit, cucurbitulis, ligaturis, frictionibus, clyſmatis acrioribus materiam aliò transferre & diuertere ab affecto loco quantum poſsibile fuerit. In omnibus tamen diligenter ſtudebis purgantibus medicamentis vti, quæ è directo humori peccanti ex vſu ſint, ea lege quam adduximus præcedenti capite, dum modò in tuſsi lentè, per vices & interualla ac mitioribus medicamentis, vel ſaltem his quæ refractas quodammodo habeant vires, id facias, ne maior acrioribus concitetur fluxio. In frigidis verò tenuibus nulla præmiſſa præparatione frequentiùs purgabis: at in craſsis diutiùs præparabis, & ſeriùs purgantibus vteris. Quòd ſi his, vt ſtatutum eſt factis, accceſsionẽ nõ quieſcere comperiamus, credibile eſt, vel caput iam illius intemperamenti habitum contraxiſſe, vel in vniuerſo genere venoſo, & capite plurimum abundare crudos ſuccos, ex vigilia, labore aut externa occaſione genitos, quibus neceſſum eſt peculiariter prouidere, his quidem, qui in toto ambitu ſunt & in capite, perſudationes ex ſparta parella, aut radice Chinæ, vel ſi morbi Gallici ſuſpicio ſit, ligni guayaci, quod fore magni momenti proculdubiò arbitror: ſicut ſi ex capite fluxio prolabatur, fontanellam in altero, aut vtroque brachio aperire, quod præſidium radicitus ſolet cauſam & morbum deuaſtare. Secunda tamen conſideratio, quã circa prædictos ſuccos proficuam eſſe diximus, docet eoſdem & vias paratiores ad expulſionem per tuſsim reddere. Præparantur quidem humores expulſioni (vt paulò infe riùs in tertia conſideratione latiùs ſum monſtraturus) vno è tribus modis: per coctionem nimirum: per reductionem ad mediocritatem, & ſi illud fieri mali vrgentia non permiſerit, vias ipſas leniendo reddendo mulcebres. Sed coquũtur humores ſi crudi ſint, frigidi & craſsi, calidis potibus & ſerapijs, vt melle roſaceo: & ſi craſsi etiam ſint ac viſcidi, oxymellite ſimplici, ſyrupo capillorũ veneris, de liquirizia, de hyſſopo & ſimilibus. Verùm ſi tenues exiſtant, acres & mordaces, nulla alia lege faciliùs concoques, quàm retuſa & attemperata eius praua qualitate, vt capite præcedenti abunde monſtrauimus. In qua re maiori diligẽtia ſtudebis prædictorum ſuccorum fluxionem compeſcere: nam aliter occultè & ſenſim tabem fabre faciunt. Quæcunque enim deſtillationes à capite tuſsiculoſos & raucos homines reddunt, niſi tempore conquieuerint, difficilem faciunt tabis ſpeciem, vt Hippocrat. dixerat. Sic enim ex vſu eſt ſyrupus violaceus cum roſacco, mucagines pſylij & cidoneorum cum ſaccharo & aqua roſacea, dilutum amyli, ſyrupus papaueris & portulacæ cum decocto papaueris, roſarum ſiccarum & hordei: præſtat & ipſius hordei cremor cum ſaccharo: prodeſt omnis confectio ex diatragacantho, & medicamentum quod recipit mucaginis tragacanthi in aqua roſarum. 3. vj. in corporetur in ſucco glyzyrrhizæ, & ſi vrgeat vigilia aut ingens tuſsis, adde pilularum de cynogloſſo. 3. ij. & infunde hordei aquam, quantum ſit ſatis, vt cum ſaccharo ſyrupum conficias. Præparatis humoribus & vijs, his quæ nuper diximus, per interualla humorem ſuperuacuum purgabis, quo natura faciliùs per tuſsim quod ſupereſt expellat.

Tertia verò & vltima conſideratio, quam diximus verſari circa morbum in vijs pulmonis tuſſim concitantem (quem inter alios dixit Gale. lib. 2. ſimp. cap. 17. eſſe aſperitatem in tunica arteriæ ob reſiccationem, aut inæqualitatem eius à corpore aliquo ibidem præter naturam contento, ſiue id ſit ex humore craſſo, ſiue tenui) docet reſiccata, exaſperataue lenire & humectare, ac humores expulſioni aptos reddere,

reddere, & vias huic muneri diſponere, quo faciliùs educantur & mitiori thoracis impetu. Quibus ſanè muneribus duorum generum medicamenta adinuenit ars medica: quorum alterum arteriacum: & reliquum peculiari officio dicatum, bechichum ſeu tuſsiculare dictum: hoc quidem quod ſopitam naturam, aut imbecillam ad expurgandum per tuſsim excitat & laceſsit: licèt Gale. etiam tuſsim lenire referat. 5. ſimpl. cap. 19. illud verò, quod præparat expulſioniq́ue reddit aptũ, quidquid tuſsi reijcere natura ſtuduerit, prẽterquam quòd & vias ſimul diſponit: id verò quod tuſsiculare dicitur, licèt alijs thoracis & pulmonis affectibus proficuum exiſtat, dum mordax eſt, vt acetum vel oleum vetus, tuſsi quidem aduerſum omnino eſt, quia maiorem & citatiorem concitat motum, vt ex Galen. conſtat. 5. ſimpl. 19. ſed cauſam citius pellit & vehementiùs. Cæterùm id quod arteriacum dicitur, cùm multiforme exiſtat, iuxta varias aſperæ arteriæ affectiones, quibus tuſsire contingit, ob id maioris eſt momenti & vſus: quippe ex his, quædam ſunt quæ reſiccata leniunt: alia exaſperata leuigant: nonnulla leuigata perſanant: item quædã fluxionem cohibent, alia dolorem ſedant aut inflammationibus proſunt: quædã partem eluendo perſanant, vel humiditatem reſiccant: adſtringunt item alia, ac ſanguinis fluxum compeſcunt. Quæ ſanè munia licet arteriaca medicamenta præſtent, hac in parte ea tantùm prodeſſe comperimus, quæ ſiccitatem, aſperitatemue aut inæqualitatem ab humore inductam, leuigant: nam ea tuſsis quæ ab vlcere, pure & tumore prodit, capite de phthiſi ſcripturus ſum. Quapropter conſiderare oportet in humore aſperitatem & tuſsim molliente, qualis natura & cõditionis ſit, & quale damnum inferat, & rurſus an oporteat vias etiam aliquo modo diſponere, quo facilior fiat materiæ exaſperantis eductio. Quæ omnia exequeris, ſi antea fluxum compeſcueris, aut aliò tranſtuleris, quod primo loco eſſe exequendum docuimus. Quo facto, ſi cõſtiterit, tuſsim proficiſci ab aſperitate ob tunicæ arteriæ reſiccationem: tunc enim ex vſu erunt medicamẽta ſimillima ei quod ſcripſit Galen. 6. ſimpl. fit autẽ decocto bugloſæ ex aqua mulſa: maximè ſaccharata: ſed prodeſt cum eâdem aqua aut hordei decocto, ſyrupus violaceus vel de iuiubis: item diatragacãthum, ſaccharum violaceum & penidiæ: proſunt & mucagines pſylij & ſeminis citoneorum cum ſaccharo aut ſyrupo violaceo: item radicis glyzyrrhizæ cum aqua hordei, aut decoctum iuiubarum, prunorum, hordei & radicis borraginis cum lotura amyli, vel lacte amygdalarũ dulciũ. Verùm ſi aſperitas aut inæqualitas prodeat à tenui, calido, mordente vel ſalſo humore (quod intelliges ex oculorum & faciei rubore, titillatione aut mordicatione gutturis, ac ex oris percepto ſapore) tunc quidem eis vteris, quæ præter id quod fluxum aliquo modo coërceant, refrigerent etiam ac mulcebres reddant ſuccos obliniantq; aſperam arteriam. Huius conditionis primo acceſſu præſtabis aquam hordei cum ſyrupo violarum, nenupharis, portulacæ, papaueris cum mucagine pſylij & ſeminis citoneorum: vel decoctum papaueris vel hordei cum ſaccharo. Vlteriùs tamen præſtabis amylum, mucaginem gummi tragacanthi, & gummi Arabici cum aqua roſarum & ſucco iuiubarum aut prunorum, quibus ad putrilaginem coctis & percolatis, admiſce ſacchari aut mellis quantum ſat ſit, vt noua coctione ad ſpiſsitudinem ducantur. Prodeſt decoctum quod recipit hordei ab exteriori cortice mundi. p. j. ſeminis melonis & citruli. ana. 3. j. ʃ. liquiriziæ. 3. j. iuiubarum, num. iiij. prunorum. num. vj. fiat decoctio ſecundùm artem & coletur, & colaturæ. ℥. xvj. adde ſyrupi papaueris & violarum. ana. ℥. ij. & tepidum præbeto. Confert electuarium quod recipit diatragacãthi frigidi. 3. j. ʃ. pulueris diapenidion ſine ſpeciebus. 3. j. ſeminis papaueris

℈.ß.conſeruæ violarum.ʒ.iij.miſceantur & fiat electuarium.Magni etiam eſt momenti loch,quod recipit mucilaginis altheæ & pſylij.ana.ℨ.ß. amygdalarum dulcium mundatarum,pinearum.ana.ʒ.iij.penidiarum,candi,amyli.ana.ʒ. ij. pulueris liquiriziæ.℈.j.gummi Arabici,& ſucci eiuſdem liquiriziæ.ana.ʒ.ß. quatuor ſeminũ frigidorum maiorum mũdatorum.ana.℈.ij.ſeminis papaueris, lactucæ.ana ℈.iiij.ſeminum citoneorum & bombacis mundatorum.ana.℈.j.cum ſyrupo violarum fiat in modum loch.Sed condenſat tenuem, & mulcebrem reddit acrem & fluxilem humorem ſyrupus qui recipit radicis bugloſæ.ℨ.j.iuiubarum,nu.xx. quatuor ſeminum frigidorum maiorum,& ſeminis maluarum.ana.ʒ.ij.ſeminis papaueris albi.ℨ.ß.florũ violarum & bugloſæ.ana.p.j.fiat decoctio in aqua hordei mundi & in lib.j.&.ß.diſſolue ſacchari quod ſit ſatis vt fiat ſyrupus. Inſpiſſat etiam humorem ſemen papaueris albi cum pari ſacchari portione, vbi per interualla ſumatur cocleare.j.maximè iuxta ſomnum. Eundem vſum præſtat id quod recipit mucaginis gummi tragacanthi extractæ in aqua roſarum. ʒ. vj. incorporentur in ſucco glyzyrrhizæ pondere.ℨ.j.ß. Prætereà ſi vigilia vrgeat,miſce prædictis, pilularum decynogloſſo.ʒ.j.& infunde aliquid ſyrupi papauetis. Proſunt & prædictæ pilulæ ore detentæ.℈.j.pondere:vel diſſoluantur prædictæ pilulæ in ſyrupo de roſis ſiccis & violarum,& capiat laborans cocleare vnum,dum it dormitum. Quòd ſi ſiccior ſit tuſsis, & irritamentum validum,prodeſt cremor hordei cum multo ſaccharo:prodeſt & diacodion,nec non & philonij.℈.j.tertia quaque nocte. Exteriùs tamen partem illinire oportet vnguento quod recipit olei ſeſamini, & amygdalarum dulcium.ana.ℨ.ß.butyri recentis.ʒ.iij.abluantur in lacte mulieris, & cum modica cera alba fiat vnguentũ,quod iterum eodem lacte lauare poteris. In hac tamen cauſa vtendum eſt frequentiùs his quæ dilutiora ſint,& abluendi vires habeant,potiùs quàm ſiccis & ſolidis.

At in cauſa frigida,ſiue craſſa,ſiue tenuis & fluida ſit,primò curabis,nullo facto ſanguinis diſpendio(ne ad expulſionem imbecillior fiat animalis facultas,& ineptior crudiorue expulſioni materia)quodammodo ipſam denſare,ſi tenuis fluxiliſq; nimiũ ſit, quo minor fiat fluxionis impetus,& faciliùs quod influit pellatur: idque facies viſcidis & reſiccãtibus ſine mordicatione:cuius naturæ eſt oui albumen fortiter agitatum cum amylo & ſaccharo,ſyrupus de iuiubis,diacodion Galeni, puluis tragacanthi,& gummi Arabicum:prodeſt & ſyrupus roſarum viridium & ſiccarum: item tabellæ ex pulueribus roſarum & amylo,aut ex tragacantho cum ſaccharo roſarum rubearum vetuſtiori.Prætereà eaſdem tabellas cõficies additis pulueribus margaritarum præparatarum,corallo,ac terra lemnia & liquirizia.Verùm ſi conſpexeris neceſſum eſſe eductionem iuuare,(& coquere,quod vtilius fore arbitror,)tunc quidem id facies liquidioribus,& his quæ vel tenuẽt, vel humectent, & fluidam reddant materiam, quæ craſſa eſt, quo faciliùs vi à partibus ſeparetur pellaturq;.Sed mox à principio melle roſaceo,ſyrupo de radicibus,capillorum veneris,de glyzyrrhiza materiam præparabis,& facta leui purgatione, hydromellite ex infuſo,aut decocto ſquillæ vteris:vel porriges illud quod recipit penidiarum, ſucci glyzyrrhizæ.ana.ʒ.j.rhodomellis quod ſufficiat ad modum loch.Sed efficaciſsimum experimur,dum materia craſsiſima eſt, electuarium quod recipit ſucci tuſsilaginis.ʒ.iij.radicis pulegij.ʒ.j.apij viridis.m.j.infundantur hæc in lib.j. mellis optimi,aceti lib.ß.coquantur lento igne,& facta expreſsione,adde prędictum ſuccum,& fœnugræci ſæpius anteà loti decoctum,põdere.ʒ.x.mythridati,aut theriacæ.ʒ.j.ß.porrige ſummo mane, & ante cœnam cochlearia duo: quibus admiſcere oportet

oportet,vel ſyrupum de praſsio,de hyſſopo,loch de pino,& de liquirizia.Sed huic tenui pituitæ dum craſsior facta eſt,& craſsiori ex propria natura,vt coquantur,& eductioni prõptiores fiant,ex vſu eſt id quod recipit pulueris diamuſci dulcis. ʒ.j. diairis ſimpl.℈.iij.pulueris diapenidiõ cum ſpeciebus.ʒ.ß.ſacchari liquati in aqua hyſſopi quod ſufficiat,vt fiat electuarium in tabellis: ſuperbibat autem laborans lambendo parum mellis roſati cum modico oxymellitis: ac ſi pituita nimium ſit craſſa & viſcida,oximel ſit ſquillitĩcum.Confert loch ſanum & expertum, de pulmone vulpis,& electuarium diairis admixto aliquo ex prædictis ſerapijs. Parabis autem vtiliſsimum medicamentum ex prædictis ſerapijs & electuarijs, extracta ſtillatitia aqua arte chimica,quam admiſcere oportet ex prædictis ſerapijs aliquo, aut melle roſaceo,& cenſeo fore magni momenti.Præſtant etiam eundem vſum alia medicamenta,quæ ab authoribus paſsim probantur,velut eſt id quod recipit ſyrupi de hyſſopo,de glyzyrrhiza,& mellis roſati.ana.ʒ.ß.aquarum betonicæ,vngulæ,adianti.ana.ʒ.j.miſce & vtere.Neque erit abre iterum corpus purgare, & poſteà per interualla vti terebinthina lota cum aqua adianti:quem vſum præſtat id quod recipit prædictæ terebinthinæ.ʒ.iij. caricarum pinguium. ʒ.j. penidiarũ ʒ. iiij. olei amygdalarum dulcium. ʒ. j. miſce & fiat electuarium, cuius porrige ʒ. viij.

Quibus factis,conterere deinceps oportet humoris reliquias,theriaca, mythridato,diairide & ſimilibus:ſed maximi arbitror fore momenti pulueres qui recipit cinnamomi,liquiriziæ.ana.ʒ.iij.florũ hyſſopi,& praſij,& aniſi.an.ʒ.j.granorũ paradiſi.℈.ß.ſacchari.ʒ.ß.miſce,cuius ſumat laborãs poſt paſtũ cocleare.vnũ.Thoracẽ quidẽ,ſed maximè aſperã arteriã inũgere oportet vnguẽto Agrippæ,vel alio quod recipit mucilaginis altheæ,& fœnugreci.an.ʒ.ß.butyri recẽtis,axũgiæ gallinæ.ana ʒ.j.ß.bdelij,ſtyracis.an.ʒ.ß.croci.℈.ß.olei liliorũ & amygdalarũ dulciũ.ana.ʒ.j.ceræ quod ſufficiat vt fiat vnguentũ.Quòd ſi cauſa calida ſit, vteris eo quod recipit olei amygdalarum dulcium & violarum,ana. ʒ.ij. butyri loti in aqua hordei. ʒ. j. miſce.Quibus addere poteris axungiæ anatis.ʒ.ß.Verũ ſi cauſa frigida ſit recipies olei liliorum vel irini.ʒ.ij.axungiæ gallinæ. ʒ. j. mucilaginis ſeminis lini,& fœnugræci cum modico vino.ʒ.ß.croco addito fiat linimentum.Quòd ſi copioſiora deſideraueris auxilia,lege.tomo.2.cap.de tẽperantibus caput:nam ea parte multa & vſu probata reperies.Atque hæc de tuſsi dixiſſe ſit ſatis.

De difficili reſpiratione,& de hydrope pulmonis.

Cap. IIII.

NON ſatis conuenit inter authores, quid per hoc verbũ dypſnœa ſeu difficilis reſpiratio intelligat Gale. cum variè prædictum nomen vſurpet lib.1.de difficult.reſp.cap. 1.&.2.atq; lib.etiam.3.eiuſdem operis cap.vltimo. &.6. popu.part.3.tex.9.Sed prætermiſsis his locis, quæ anſam dubitandi præſtiterunt,certum eſt,& ex eiuſdem authoris ſententia colligitur hoc nomen duo ſignificare: primum quidem,vt videre eſt apud Galen.omnem difficilis reſpirationis ſpeciem,ita vt iure optimo ſortiatur naturam generis ad omnes difficiles reſpirationes, & ſic habet contrariam aliam affe-

affectionem,quam aphnœam appellant Medici, quasi nullam respirationem dixeris. Secundum verò significat quandam signatam difficilis respirationis speciem, quam peculiari ratione dypsnœa seu difficilis respiratio nuncupatur: cuius solùm hac in parte meminisse studemus.

Sed priùs expendisse oportet,quid per difficilem hãc respirationem intelligendum sit,vt contrahatur ad hoc speciale genus,separeturque ab omnibus alijs differentijs,quæ generaliori significato comprehenduntur. Est itaque dypsnœa,seu difficilis respiratio,creber anhelitus,nomen ab hoc sympthomate & peculiari hac frequentis respirationis conditione desumens: vitium quidem ad deprauatam actionem respirationis pertinens,haud secus quàm in tussi & sternutamento contingit. Mouet enim se natura irritata à causa præter naturam, aliter quàm secundum naturam assueuerat, præcauendi maius damnum occasione. Quo fit,vt crebrum efficiat anhelitum,hoc est,quòd parum in quietibus immoretur. Denique huius sympthomatis natura, non in magnitudine aut velocitate motus, vt multi censent,sed in crebritate solùm sita est: quia licèt alicui succrescat maior aut velocior respiratio,nõdum difficilis hoc peculiari significato debet cẽseri,donec accersita sit crebritas, quæ verã huius affectus cõstituit rationem: nam etiam si reliquæ differentiæ difficilem quoque respirationem efficiant, non tamen hanc specialẽ, sed illam in communi difficilem appellatam: nam hæc crebritas est quæ contrahit dypsnœam ad constituendam hãc peculiarem speciem,vt in explicatione causarum clariùs constabit, & ratio etiam huius dogmatis. Interim tamen sciendũ est, ob id Galen. solùm hanc crebritatem,vt formalem rationem huius affectus constituisse,& in reliquis differentijs varium stetisse, vt constat 3. de diff. resp. cap. 7. quo loco paruam densamque sic affectis adesse respirationem asserit, & lib. eodem cap. 5. non paruam,sed simul magnam & densam esse portendit. In qua sanè controuersia arbitrandum est,per paruam respirationem ipsum intelligere paruam aëris quantitatem,nam maiorem nequit capere pulmo coarctatus & obstructus,quãuis plurimum dilatetur thorax. Præterquàm quòd per magnã respirationem subintelligere oportet quod authores non contemnendi (licèt mihi non plurimum placeat) nimirum id quod per multum spiritum intelligitur: nam licèt multus spiritus aliquando significet magnam respirationem,cum hoc tamen non rarò significat ex multis paruis coaceruatum & copiosum,& qui vicem magnæ respirationis præstat: vt apparet in pleuriticis, qui magnum spiritum simul ducere non possunt ob dolorem, quamuis plurimo aëre ob febrem opus habeant,continuitate verò actionis æqualem multitudinem spiritus magnis respirationibus coaceruãt: quod enim paucæ magnæ, idem multæ & paruæ possunt, quod in asthmaticis contingere scimus, & hac acceptione magnitudo sumpta conciliantur Galeni loca,nã idem est paruam & frequentem respirationem dicere,ac pluribus paruis multum aërem trahere, quod appellat Galen. magnam respirationem. Sed cum hoc arbitrandum est (nisi quid aliud vetuerit) ex propria difficilis respirationis natura, ex parte affecta atque affectu prodire, aërem trahi copiosum per frequentiam,paucum per vnam attractionem,cæterùm thoracem plurimùm dilatari, quantumuis parum aëris trahatur: quia cùm receptacula sint coarctata aut impedita,licèt magna fiat distensio, parum aëris pulmo capere potest, & ob id frequentia adimplet quod magnitudo illa inutilis præstare nequit: ac ex consequenti notandum est, in his tribus difficilis respirationis speciebus,respirationem non esse minorem naturali, quinimo aliquando maiorem, esse tamen frequentiorem: quod est constitutiuum naturæ eius. Atquæ hæc est huius sympthomatis consciſſa ratio: quam vt quis clariùs & copiosiùs discat,expendere tenetur,hanc difficilem respirationem, quæ hoc genus ab alijs distinctum constituit,ob ingenitam inseparabilemq; crebritatem,id habere proprium & peculiare,vt eam sortiatur citra febrilem calorẽ: nam ob id diffinita est à Galen. per difficilem respirationem citra febrem. Hanc tamen in tres potissimas species tripartitam esse iuxta diuersitatẽ sympthomatũ, quæ vnicuiq; accidere cõperimus, certũ est. Sic prima cõstituitur,cũ laborãs citra febrẽ densè respirat,vt faciũt qui à citatiori cursu excitãtur,qua difficili respiratione affectos,dypsnoicos,seu difficulter respirãtes iure optimo appellamus. Cui proximè accedit secũda species,quæ eãdem habet difficultatis in respirando rationẽ & crebritatẽ: sed additũ habet stertorẽ & anhelationẽ,quod est veluti ratio formalis,qua distinguitur à prima & tertia,& propriè asthma dicitur. Tertia verò differẽtia,quã constituit respiratio ob crebritatẽ,difficilis etiam est,habetq; illud propriũ ex sua ratione peculiari, quòd nequeat fieri nisi recta ceruice & erecto corpore, quam orthopnœam Medici omnes appellarũt. Quæ tres species licèt maioris aut minoris ratione inter se solùm videantur differre,vt multis placuit,cum hoc tamẽ longe aliter constat distingui,vt apertissimè probatum est pẽnes accidentia quæ diximus. Constat etiam aliud omnibus commune succrescere sympthoma,sed orthopnœæ magis propriũ,nimirum,siccam esse respirationem, ac sine excretione notatu dignaplerumque,quam affectionem Hipp. lib. de dicta peculiariùs siccam orthopnœam appellauit,quòd sine sputis vel tussi adeò vehemens sit, vt inclinari citra suffoccationis periculum ęger non possit,propter angustiam viarum pulmonis à crassis & lentis humoribus,aut aliquo tuberculo,si absque febre fuerit, aut à tumente pulmone,vel bronchia coarctante,vt in peripneumonia: dimitto etiam à pulmone & fumo fieri ctiã posse,vt mox probabo. Quibus constat sympthomata esse in genere noxæ functionum deprauatarũ,ad respirationis organa attinentium,sequiq; morbos in via eorum canalium,quę egressui & ingressui aëris subseruiunt: quo etiam à plerisque difficilium respirationum differentijs videntur distingui.

Causas habent quidem differentiæ omnes difficilis respirationis, tres potissimas: quæ omnibus videntur communes esse,flammeam nimirum in corde & pulmone caliditatem: facultatem animalem cuius munus est thoracem dilatare,& comprimere impotentem & languidam: vltimam verò coarctationem viarum respirationi seruientium. Quæ sanè vltima multò plures sub se complectitur: nam spirituum organa coarctant crassus humor,vel tuberculum in cauitatibus asperæ arteriæ,vel in quauis pulmonis parte dũ asperas eius arterias coarctet: itẽ brõchia aliquando intercipiuntur multa & viscida materia: est etiam causa resiccatio vehemens, maximè pulmonis abscessus,structura pectoris,& pulmonis compressio: tuberculum in spina,siue sponte natum,siue à causa externa ortum,id quoque efficere posse arbitramur: flatus etiam multos septum transuersum distendẽtes aut comprimentes,vt in hydrope contingit: ex quibus profectò sequitur vijs intercluſis, neque inspirationem, neque expirationem satis conuenienter fieri. *Cauſæ.*

Ad hanc quidem causam referre oportet nouam quandã huius affectionis speciem,quã iure optimo hydropem pulmonis appellare possumus. Cuius profectò natura (vt ex Hippocr. lib. de morbis constat,nec non & Auicen. sita est in aquosæ seu ixorosæ substãtiæ in thorace & pulmone,collectione: haud secus quàm in ventre ad hydropis constitutionem colligitur, quapropter hyderos, seu hydros pulmonis

monis ab his authoribus nũcupatur. Nec nouum videri debet hoc morbi genus: siquidem.2.de morbis,hydropis cerebri meminisse cõstat Hipp.& eodem lib. thoracis hydropis recordatur,nec non & vteri. Sed peculiariùs huius affectionis meminit lib.de Coacis præ.dicens:Orthopnœã afferunt hydropici,affectus duri:quo loco de hydrope pulmonis subaudienda est Hipp.sententia. Est ergo hic affectus suppurationi affinis in quo magna thoracis capacitas,nec non & pulmonis seroso humore ac tenui scatet,qui aut à cerebro per asperam arteriam & pulmones tenuitate sua affatim irruit , aut è reliquo corpore,aut etiam ex abdominis cauitate in hydropicis cęcis ductibus eò penetrauit.Quippe dum ob aliquam occasionẽ aut causam(vt mox referam)in corpore maior succrescit huius serosæ substãtiæ copia, quàm ab innato calore,aut quouis alio dissolui,aut dissipari possit, fit profectò facile,vt valido pulmonis motu ad ipsum alliciatur,aqua ipsa præ tenuitate substantiæ admotum aptæ,cedente:qua quidem thorace inundante,aut pulmone pleno, per venæ arteriosæ propagines illuc fluẽtibus humiditatibus,coniectabile est,difficiles fieri respirationes,inanes tusses(quod aëri egredienti cedat tenuis eius substãtia)& pulmonis grauitates,quibus huius affectus natura integratur,& causa ac modo & terminationis conditione & euentu ab alijs,quæ communes sunt,& quorum authores hucusque meminerunt, longissimis interuallis dissidet. Habet quidem præter hæc omnia hoc peculiare pulmonis hyderos, quod eius causa, postquam semel recepta est in pulmone,neq; discuti interno aut externo calore possit,neque in pus verti: quo etiam ab alijs causis non parum differt:nã talis est aquosæ & ixorosæ humiditatis cõditio, quòd nullo præsidio,neque naturæ ope in pus verti possit,vt quæ à capite & aliunde in pulmonẽ defluũt, vt statuerat Hipp. 7.apho.38.quo loco censuit viginti diebus suppurari quæ in pulmonẽ procidũt, nec rursus à pulmone discuti:quia longè citatior calidorum & resoluentiũ adhęsu efficitur pulmo,ac ex consequẽti plus trahet quã calorifica hæc discutere possint, quo fit,vt summè periculosa & grauis sit affectio. Habet insuper causas peculiares & proprias non quidem à cerebro pituitosum & crassum defluxum, vt in reliquis respirationis difficultatibus, sed semper fit cùm in corpore aliqua occasione congesti ixorosi serosiq; succi fuerint:maximè si pulmo vel imbecillus fuerit natura, vel morbo,aut principium contraxerit difficilis respirationis. Tunc etenim cùm imbecillus est,facilè ab alijs partibus transmissos succos susceptat:cùm verò breuispirus aut citatior,eosdem vbicunque sint allicit, & ad se trahit, quibus longe magis difficilem edit respirationem. Congregatur autem & superabundat ixorosus aquosusq; succus in corpore, cùm quis nutrimentalia viscera frigida imbecilliaq; habet,aut nimis obstructa,quibus necessum est tenues crudosq; succos abũdare: fiunt etiam ex frigidis humidioribusq; cibarijs,ex demisso exercitio . Quapropter huiusmodi pulmonis hyderos,plerũque succrescit hydropi asciti,malo corporis habitui,& his omnibus,quibus aliqua prædictarũ causarum,aut quauis alia pedes intumescunt,aut venter.Conspicimus enim frequentissimè,facillimum esse ab hydrope in difficilẽ respirationem cõmeatum,vt suo loco latius etiã probaui. Occupato enim diaphragmate à ventris molle,& bronchijs pulmonis,tum plenis,tum coangustatis à circũfuso quodam sero orthopnœa superuenit cũ suffocatione. Est autem morbus siccus,quia nihil educitur,nisi quod in fauces è cerebro descendit: nam nec facultas thoracis satis valida est,vt aquã sursum compellere queat,neque quod tenue multum est,& aquosum subleuari potest,quia circum spiritũ defluit. In quibus affectionibus suppurationis simulantia signa atque sympthomata,non rarò

rarò apparere solent,nisi quòd neque febris affligit,aut lenta admodùm,neq; suppurationis euidẽtes causæ,vt rupta vena,venæ erosio,acris destillatio,neque ante cedit purulentum sputum,vel cruentum: sitis interdum maior vrget,tussis & difficultas respirandi.Accedunt & deliquia animi,& ciborum corrupta appetentia, strepitus etiam aquæ & fluctuatio,cum in alterum latus vertitur laborans.Sed inter huius affectionis causas potissimã arbitror esse eã vrinæ suppressionẽ,quæ fit ex obstructione quæ supra renes existit:nã cũ vrina tunc per vniuersum venosum genus vagatur,facilè pulmonis motu allicitur,& tanta succrescit ea ratione vrinæ copia in pulmone,quòd ocyssimè laborantem suffocatione interimat.Quas sane huius affectionis causas nos in praxi non rarò cõspeximus.Nosces autem affectionis naturã ex signis adductis:hanc verò causam aut illam(ex his quas memorauimus) esse dignosces facilè ex his quę præcesserũt aut adsunt. Sed ex prima quidem causa suboritur difficultas non leuis,nimirum quî fieri possit illud Galeni,quo asserit totam rationem horum affectuum esse,febre carere,cùm vna eorũ causa sit flammea in corde & pulmone caliditas,quæ citra febrẽ consistere nequit,cũ potissima febris ratio sit ipsa cordis præter naturã caliditas.Cui dubitationi dicimus, Galen. duobus modis protulisse sententiam difficilis respirationis,quatenus ad eius causas pertinet:primò dũ causas refert in genere cuiusuis difficilis respirationis, inter quas iure optimo annumerat flammeã cordis & pulmonis caliditatem:alio modo dum tantũ recenset harũ triũ differentiarum causas & naturam,quas febre carere est necessum,saltem quæ sequatur prædictum affectum, etiamsi antecedat aliquis calor,qui nondũ habeat febris rationem.Sic enim flãmea caliditas,vt in febribus difficilem infert respirationem,non tamen hanc specialem,cuius meminimus in hoc capite,sed illam genericam,quæ omnes differentias complectitur:nam hæc à peculiari prodit affectu instrumentorũ respirationis,non à febre quæ cõmunis est morbus:& ob id statuendũ est,quamuis harũ trium differentiarum à vitio prædictarum viarum fieri:cæterũ hanc primam à minori,vt in tussi,catharro,raucedine & reliquis constat.In qua quidem mirum non est,si magnitudo quoq; atque celeritas adsint:cæterũ non constituetur huiusmodi peculiaris species,neq; degenerabit à cõmuni difficilis respirationis sorte,nisi per acquisitam crebritatẽ, quæ vitio viarũ fiat.Necessũ enim fuit,vt prædictæ tres difficilis respirationis species à summa & grauiori differentia inciperent (idque citra febrem) vt iuxta aliquod accidens fierent diuersæ species, in ea extrema differentia omnes existentes: quippe differunt ratione febris qua carent,à communissimo illo differentiarum respirationis genere, & inter se differunt ratione accidentium quæ ante memorauimus.

Dubium.

Sed maior adhuc est difficultas iuxta secundam causam, nimirum animalis facultatis impotentiam, siquidem nullum languidæ facultati supereſt subsidium, quàm diutius in quietibus immorari, ac ex consequenti videtur necessarium, respirationem fore raram, non frequentem . Cui dubitationi dicendum est, longe minus laborare naturam in crebritate quàm in celeritate, & ob id dum sana est, celeritatem accersit voluntariè,& dum languida est,crebritatem,ex indigentia: verùm dum citra indigentiam & vsum langueſcit, verum tenet argumentum: nam ratior fiet necessariò ex impotentia facultatis: secus res se habet si accedat vsus indigentia, quia licèt minus quieſcat, minus tamen laborat quàm in celeritate,ad quã efficiendam robustioribus viribus opus habet. Constat igitur,quòd licèt Galen. & reliqui has tres causarum sortes constituerint,vt diffici

Dubium.

lis reſpirationis authores, id tamen intelligendum eſſe de omni difficili reſpiratione, non tamen de ea, quæ ſita cùm ſit in crebritate, has tres ſolũ cõtinet numeratas ſpecies. Quippe certum eſt, quòd etiam ſi flammea caliditas nata ſit reſpirationem euertere, non tamen efficiet, neque adhuc primam harum ſpecierum dypſnœam appellatam: quia prærequiret aliquod vitium permanens in vijs reſpirationis, præter id quod eo tempore à febre proficiſcitur, ac ex conſequenti non careret febre, vt Galen. ſtatuit. Prætereà neque imbecillitas animalis potentiæ cauſa vnica alicuius harum haberi debet, tum quia fiet citra ſtertorem difficilis reſpiratio inde orta, & citra id quòd laborans recta ceruice cogatur reſpirare, tum etiam quia potius eſſet eo tempore rara quàm crebra reſpiratio, aduerſus naturam huius difficilis reſpirationis, quæ has tres aſthmatis ſpecies conſtituit. Quapropter ſtatuendum arbitror, ſolam vltimam cauſam, nimirum coarctationem viarum reſpirationi ſeruientium, eſſe potiſsimam & genuinam omnium trium ſpecierum, quæ ſub hoc ſpeciali genere dypſnœæ continentur. Quippe licèt denſa reſpiratio vitio etiam muſculorum coſtalium & ſepti fieri poſsit, ableganda iure optimo eſt à prædictarum conſortio, quia ſic affectis ſemper adiungitur parua reſpiratio, quòd inſtrumenta hæc inflammatione oblæſa vel quouis alio modo affecta, nequeant plurimum diſtendi, & magnam efficere reſpirationem, quæ plerumque affectionibus aſthmatis adiuncta eſt, & cum hoc (quinimo propter hoc) denſè reſpirant, quia licèt plurimum thorax diſtendatur, aëris tamen paruiſsima attrahitur copia. Quo fit, vt vitia prædictorum inſtrumentorum ſpuriam orthopnœam efficiãt, quia frequens efficitur reſpiratio, non legitimam, quæ ſolum ſita eſt in repletione cauita tum pulmonis aut thoracis. Sic enim dum adeò creuit viarum coarctatio, quòd laborans citra febrem denſè reſpiret, tunc quidem dypſnœa ſimpliciter nuncupanda venit: cùm verò præter id quòd ab eâdem cauſa denſè reſpiret, ob cauſæ vbertatem & ſitũ, vtpote penitius in aſpera arteria & germinibus vaſorũ eius locatã, cũ ſtertore & ſonitu reſpiret, aſthma inſcribitur: ſic pari ratione cùm adeò cauſa eadem bronchioſa vaſa ipſius pulmonis per quæ permeat aër, obturat, vt nulla lege pulmo, vt liberè aërem ſuſceptet, poſsit alicui thoracis parti incumbere: tunc quidem præter ſtertoroſam & crebram reſpirationem, nequeunt laborantes niſi erecta ceruice & erecto corpore reſpirare: atque hæc eſt mea mẽs de cauſarum huius affectionis natura & operandi modo.

Signa. Signa verò quæ hanc aut illam huius difficilis reſpirationis ſpeciem oſtendunt, in promptu ſunt: nam primam ſpeciem deſignat reſpiratio adeò difficilis, quòd vſque ad crebritatem perueniat: ſecundam ſtertoroſa reſpiratio & cum ſibilo & ſono: tertiam verò neceſsitas reſpirandi erecto collo, vt amplior & expeditior fiat ſpirituũ via: nã ſi decumbant vt inquit Gal. 2. de locis, totus thorax ſupra ſpinam ipſam concidit: quo fit vt ſtrictius reddatur ſpirituũ iter, & ob id lectulũ oportet ad dormiendũ erectum ſic affectis parare. Cõmunicant autẽ omnes hæ tres differẽtiæ in hoc quod eſt febre carere & denſè reſpirare, vt patet 3. popu. par. 2. tex. 4. & 6. par. 4. tex. 4. Scire tamen oportet, quòd licèt alicui ex prædictis difficilis reſpirationis ſpeciebus febris adſit, ob aliquã peculiarem cauſam, nõ ob id ſtatuendũ eſt à febre difficultatem proueuire: nam eo etiam diſsident hi affectus ab alijs reſpirationis vitijs, quòd hi ſolũ à viarum anguſtia, vt dictũ eſt, prodeunt, reliqui verò ab vſu adacto, vel àdiſtẽſione aut cõtractione diminuta defectu potẽtię animalis: at in his ob id laborãtes ſuffocãtur, quòd licèt magna fiat reſpiratio, pauciſsimꝰ trahitur aër ob receptaculorũ coarctationẽ, in alijs verò, quia nõ trahitur, etiã ſi inſtrumẽta quãuis quantitatẽ capere poſsint. Quapropter nos hac in parte ſolũ eas cauſas inueſtigare nitimur, quæ coarctationem in vijs reſpirationis efficiũt, maximè in ipſa aſpera arteria, tam ea quæ in collo & thorace continetur, quàm dum inſeritur in pulmonem, quòd frequentiùs hæ partes obſtruantur, vel ex thoracis vitio comprimantur, vel ſatis diſtendi non poſsint, vt conſtat. 4. de locis affect. &. 7. de compoſ. pharmac. local. &. 3. aphoriſ. comment. 27. Sed conſtat neceſsariò aſperam arteriam debere oblædi, quia etiam ſi thorax maximè dilatetur, & maxima fiat ſubinde reſpiratio, quòd quantitas aëris quæ neceſsitati ſatisfaciat, non trahitur, ob id laborantes crebrò reſpirare coguntur, quod non fieret ſi arteria coarctata non extitiſſet: nam hæc eſt magna reſpiratio, quæ non ex copia attracti aëris, ſed ex magna diſtenſione conſiderata eſt, vt aduertit Gal. 4. de locis &. 1. de difficul. reſpi. Vias autem eſſe obſtructas à craſsis, viſcidis, multis & adhærentibus ſuccis, à ſanguine, pure, grumo, tuberculo & grãdine inde diſces, quòd neceſsariò præceſſerit pleuritis aliqua cruda aut diminutè expurgata: nam verenda eo tempore ſuppuratio eſt: ſic ſi pulmonia adeſt, cruenta ſpuitio aut diuturnior à capite fluxio, quòd ſi ex his nihil adſit, tuberculum vereri oportet, maximè ſi ſputi nihil appareat, & in cæteris laborans bona fruatur valetudine, & non ſtertat inter reſpirandum, ſed cum põderis ſenſu, maximè cùm leues arterias occupat tuberculũ: qua grauitate carent fœminæ, quę ab vtero ſuffoccantur, quibus etiam tuſsis nõ adeſt, neq; ſputũ, ſed ſicca ortophnœa ab omnibus nuncupata. Prætereà conſiderabis, ſi aliarũ cauſarũ ſigna non præſint, ſit ne affectio à tenui defluxione, non enim ſemper verũ eſt à craſsis fieri ſuccis, ſiquidem ea omnia quæ replent, ſpiritum impedire poſſunt: nam & qui metalla fodiunt, & carbonũ fumum ſuſceptant, vel vini nouiter feruentis halitũ, non minus ſuffoccantur: & licèt his quoq; accedat ipſius ſubſtantiæ attractæ qualitas, quæ vel aſtringens eſt vel deleteria, interdũ etiã media ſiccitate pulmonis ſit: quod ex ſiti dignoſces, quæ potius aëre frigido, quàm potu ſedatur. Verùm ſi cum ſtertore fiat reſpiratio, lentorum craſſorumq; humorũ pertinaciter impactorũ multitudinem, pulmonis bronchia moleſtare indicium eſt. Quòd ſi præcedat anguſtiæ ſenſus, & cũ hoc laborans in cæteris ſanus difficulter reſpirauerit, fluxionem à cerebro aut vicinis partibus irruentem conijcere licebit, præſertim ſi præceſſerit defluxio à capite ad nares, fauces vel palatũ, è quibus locis facilis ſit ad aſperam arteriam commeatus. Si tamen repente accidat ſuffoccatio, à cauſa fiet manifeſta aut externa, quæ vel compreſsionem, vel oppreſsionem in ipſum pulmonem inferat, ita vt impediatur figũratũ eius ſpatiũ: ſiue fiat à flatuoſa ſubſtãtia idem mãlũ moliente: inquit enim Auic. 1 3. 3. cap. 14. Et quandocunq; acoidit propter multitudinem vaporis quando coarctatur in pulmone, & propter ventoſitatem coarctatã in membris anhelitus, & quandoq; cauſa generationis in ipſo eſt frigiditas: qua vltima ſententiæ parte videtur addere aliam cauſam coarctationis prædictorũ inſtrumentorum, nimirum frigiditatem. Alia inſuper cauſa non rarò viſitur, quam diligenter cõſiderare maximi eſt momẽti, nimirũ ex hydrope frequentiſsimè anhelationẽ ſequi. Facilè enim eſt, exiſtẽte in venis & vniuerſo corporis habitu tenui pituita, aut ſeroſa ſubſtantia, ipſam pulmonem allicere cõtinuo motu: ex qua difficilem ſequi reſpirationem euidentiſsimum eſt: præterquã quòd ex compreſsione quãtumidus venter infert in ſeptum tranſuerſum, difficulter quoque reſpirantis affecti.

Præſagiũ in hoc malo cautè proferre oportet, nã & qui optimo fruũtur pulſu, ocyſſimè cõmoriũtur ac ſubitò ſuffoccãtur, & qui praui ſunt pulſu & praua atq; difficili reſpiratione oppreſſi, leui auxilio vel nullo, aut ſolo flatu ex crebro ſuperſtites euadũt *Præſagiũ.*

quo fit, vt non rarò accidat, vel peritissimos Medicos vtroq; modo falli. Quapropter occasionẽ & causam occasionis rimari diligẽter oportet, & iuxta eius magnitudinẽ potius præsagiũ proferre, quàm ob solã difficilẽ respirationẽ quæ saluti & morti ambigua est. Cum hoc tamẽ ad mortẽ aut salutem aliarũ facultatũ læsionẽ rimari oportet: nam si euidens sit in aliqua earum damnũ, certius est periculum, quàm si nulla oblędatur: neq; ob id omnino fidendum est præsagio salutis aut mortis: nã morbi qui suffocatione interimunt, nullam de euentu certam notam proferunt. In quibus omnibus qui sic cõflictantur vehemẽti angustia pressi prope suffoccantur, altoq; & suspirioso spiritu multum & frigidum aërem ducere contendunt, nec præ oppressione aut obstructione quidquam nisi paucum & refrigerio impar, spirant, & ob id recta ceruice coguntur respirare: tum, quia brõchia pulmonis magis hiant erecto cõllo quàm decũbenti: tum quia minori difficultate distenditur pectus. Quòd si vsui vitæ hæc sufficere non videantur cũ angore, pulsus interceptione, & inæqualitatibus omnis generis, breuî intereunt laborantes.

Curandi ratio. Medẽdi autẽ via in huiusmodi affectionibus duplex existit: altera debetur huic affectui dum in accessione est, altera verò tempore quietis: vtraq; tamen maximũ facessit negotiũ. Nã in accessione, suffocatione periclitatur laborans, extra ipsam verò ne affectus degeneret in grauius malũ, aut iterũ accessio reuertatur: itaq; in accessione maturo est opus cõsilio, ne prætermissa auxilij occasione, suffocari laborantẽ permittamus, aut nimia audacia tẽtatis grauioribus auxilijs citiùs intereat. Quapropter cõsiderare oportet accessionẽ succrescere his qui difficilis respirationis aliqua specie laborãt, vna è tribus causis: nimirũ ex cõmora aut rarefacta materia, quæ in pulmonis vijs, aut in thorace quieta & adhærescẽs præexistebat: vel ex aliqua denuo in ipsos canales aut thoracẽ defluẽte, vel ex flatu ad partes respirationi seruientes aliũde trãsmisso, qui cõprimẽs vel coarctãs prædictas partes, difficilem mouet respirationẽ, donec dissipatus euanescat. Cui sanè motioni vel nouæ fluxioni occasionẽ præstant duo causarũ genera: alterũ quidem extrinsecum, & intrinsecum reliquum. Sic profectò præexistentem materiam mouet & rariorem efficit ac prauè disponit, vt cauitates impediat ira, vociferatio insolita, exercitium, aut odoratus rerũ calidarũ, vel aromatũ quæ vim habẽt tenuãdi & fundendi. At nouã fluxionem cõcitant insolatus, ignis accessus, ebrietas, aut frequentior & copiosior vini vsus, vel crapula & esus ciborũ crassorũ. Quibus sic cõsideratis, necessum est expẽdere, dum ad accessionem cõpescendam accedimus, à qua nam ex prædictis causis accessio suboriatur: quippe si ab his quæ solũ natæ sunt materiã præexistentem mouere & agitare, prodit, opus nõ est frictionib⁹, ligaturis, vel cucurbitis plurimũ initi: mouetur enim lõge citius materia, & cùm ab illis locis adextimas partes prædictis auxilijs non diuertant, fit facile vt laborans deteriùs se habeat cõmota in eisdẽ materia. Quapropter potibus aquæ modicè frigidæ, si opus est condẽsare vtendũ est, vel calidis, si resoluere, quod tutius fore arbitror: maximè si flatibus thoracẽ abũdare cõstiterit, aut alijs quæ per externa digerãt, vel vias leniẽdo & calfaciendo aperiãt, vt paulò inferiùs referã. At si causa fuerit ex his quæ nouã materiã præstãt, cõsiderabis à qua nã causa, parte, vel modo fluat: quippe vel profluit à capite, vel à toto corpore, vel vẽtris vitio: quo tẽpore distrahere omni ingenio humorẽ aut flatũ oportet, vt vijs respirationis spatiosioribus factis prõptiùs animal respiret. Quo fit, vt dũ affectus prodit ex causa aliqua manifesta, quæ fluxionẽ concitãdo accessionis principiũ præbuit, cucurbitulis, frictionib⁹, & ligaturis, facilè affectus subsidebit. Quòd si totius corporis vitio fiat, sanguinẽ protinus demes, aut medica-

dicamẽto expurgãti vteris, hoc quidẽ dũ crudus sanguis, aut crudis succis plen⁹ existit, illũ verò dũ sanguinolẽta vacuatio suppressa est, posteà verò si plenitudini satisfactũ est, inclinãte accessione medicamento vteris purganti. Verùm si ex suppressione alicuius vacuationis cõsuetæ, aut ex capitis defluxu, insolatu, aut alia calorifica causa prodeat, necessum est mox ineunte accessione, sanguinis missione vti, modò per sectam venã, modò per scarificationẽ, quæ dum modica est, ne laborans decidat in animi deliquiũ, triplicẽ præstat vsum: nam primò euacuat materiã vacuari solitã: secundò distrahit fluentẽ longè ab affecta parte: tertiò verò inanitis vasculis locum cedit aëri: quod etiã præstãt cucurbitulæ scarificatæ, maximèq; ad discutiendos flatus. At si nuper suppressio facta sit, ipsam reuocare priùs studebis, vel à parte illi proximiori sanguinẽ fundens: cæterùm si diu iam suppressa sit, à parte quæ thoraci propinquior sit, sanguinẽ mittes, dũ fluxio vel copiosa, vel sanguini admixta, aut calida vel acris à capite profluit: & rursus copiosiùs vbi totum corpus malo consentit, aut vt dictũ est maioris ventilationis gratia. Fugies tamẽ omnino à sanguinis detractione in frigidis fluxionibus, in crasis, in his quę impactæ sunt, & in his etiã quæ à diutinis affectionibus prodeũt, aut viribus iunguntur infirmis. Sed iuuat aduersus flatus etiam aqua feruentissima: in qua re cauere oportet à calfacientibus auxilijs exteriùs subitò & affatim adhibitis, si præesse crassam materiã à qua flatus oriantur, constiterit, ne aut vsus respirationis augeatur calore externo, aut humores liquẽtur, vel flatus attenuatione fiãt plures. Sed in omnibus accessione correptis, parco vtendũ est cibo & facilis coctionis, sed largiori potu (nisi materia tenuis, fluida & copiosa sit) ne nimis materia exsiccetur, maximè ex hydromellite cum cinnamomo. Item leuioribus vtendum est purgationibus, ne citatiùs materia in pulmonẽ irruat, aut quæ in ipso continetur ex agitatione penitiùs se se inserat & difficiliorẽ reddat respirationem: quibus autẽ fieri possit mox scribã. Quod si vẽtriculi vitio malum oriatur vomendũ protinus est, purgandũ deinceps, si quid in visceribus adhærens remãserit. At laborantem hoc affectu apprehensum, loco modicè lucido & temperato iubeto locari, quo minus reumatismo corripiatur: habeat insuper thoracẽ & caput subleuatũ, mollibus stragulis situm. Huic prosunt mellita alimenta, vel condita his quæ leniunt vel incindũt, vt iuscula ex hyssopo, thymo, saturcia, coriandro: itẽ ijs quæ detergũt citra manifestũ calorem. Est insuper omnino abstinendũ à frigidis adstringentibus, nec minus à modicè calfacientibus, flatum enim copiosiorẽ gignunt. Vitanda etiam acria, flatuosa & cacochyma, vt consilium est. 6. popu. part. 3. Cauere etiam oportet quo minus laborans animo perturbetur, scandescat aut vehemẽtibus motibus agitetur. Præterea aluus clysmatis frequẽter mollienda est, primò emollientibus cum. 3. v. casiæ. postea (maximè si materiæ aliquid iam vacuaueris) addes diaphœniconis. 3. v. & vltimò benedictæ. 3. vj. aut hieræ diacolocynthidos. 3. iiij. Quibus factis, antequam thoracis humorem expectorare aggrediaris, vẽtrem inferiorem & primas venas purgabis, vbi flatus non abundent. ℥. j. casiæ cum. 3. iij. penidiarum dissolutis iniure galli veteris: quòd si flatus adsit in decoctione quæ recipit glyzyrrhizæ. 3. ij. passularũ fine granis. ℥. j. iuiubarum. nu. vj. florũ anthos & borraginis. p. j. fiat decoctũ, vel in ipso dissolues mannæ electæ. ℥. ij. A purgatione porriges mellicratum hac lege confectum: excipe fœnugræci. p. j. hyssopi. m. j. ficuũ nu. vj. fiat decoctio ad lib. ß. ex vna & semisse, in colatura dissolue mellis crudi. ℥. ij. Prodest & hydromel ex decocto radicum enulæ, hyssopi, tusilaginis, scabiosæ, passularum & florum cordialium. Idem fieri potest cum stilloticis aquis prædictarum herbarum & melle.

Quòd ſi his factis difficilior adhuc perſtet reſpiratio, aduerſus materiam mali deinceps pugnandum arte & prudentia eſt: in quare conſiderabis, ſit ne materia ex his quæ in thorace & pulmone præfuerant ante acceſsionem: nam eo tempore citra vllam ſanguinis detractionem purgandam eſſe conſulit rei natura præmiſſa præparatione leui, cæterùm non expurganti pharmaco, vt malè plures Medicorum conſolũt, (velut cùm materia quieta eſt acceſsionemq; non efficit, & præcautionis gratia purgamus, quia tunc non per bechica medicamenta, ſed per expurgantia rem efficere oportet: nam in acceſsionis curatione ſecus res ſe habet) quippe id quod ibidem infartum eſt, ſ& ad vias iam commeauit, nequit medicamento purganti cedere, quinimò vel citatiùs ab agitatione mouetur, vel ex materia in venis commota, frequentiſsimo pulmonis motu, plus quàm par ſit, ad ipſum allicitur, quo maius efficitur damnum. Et ob id ſolùm per ſputũ eam educere opus erit, his quæ tuſsim irritent, & ſimul materiam eductioni præparent, qualia adduximus præcedenti capite. Adſeruabis tamen id præceptũ in bechicis adminiſtrãdis, quòd in aſthmate efficaciora adhibeantur quàm in tuſsi: nam hæc eſt differentia inter aſthmaticos & tuſsientes, quòd ij ex ratione mali tuſsim habent adiunctam, qua thorax expurgetur, & ob id mitiora ſufficiunt: illi verò ea carent vſquequo materia contenta in vaſis minoribus pulmonis prodeat ad maiora, & aſperam ipſam vbi tuſsis excitatur: quo fit, vt bechica efficaciora eſſe debeant, quibus prædictam materiam, & præter id craſſam ac viſcidam ab illis vaſculis ad aſperam pellere cogant naturam: hanc tamen legem adſeruabis, quòd primò leniẽtibus vtaris, mox incindentibus, detergentibus, & vltimò ſiccantibus. Sed expende in craſſa materia à lenientibus & detergentibus eſſe incipiendum, in tenui verò & fluxili à ſiccantibus. Leniunt quidem paſſulæ, ficus, ſebeſten, iuiubæ, glyzyrrhiza, penidiæ, ſaccharum, ſemen altheæ, & lini. Quæ primò in hoc malo attenuant, ab his quæ vrinam mouent, quæ etiam ſiccandi vim habent, differre neceſſariò tenẽtur, quia hæc acria etiam ſunt, & ſiccandi vim habent: quæ verò pectori profutura ſunt, attenuare quidem tenentur, ſed cum lenitione, alioqui non parum nocebũt. Incindunt & detergunt, ariſtolochiæ radix, gentianæ, enulæ, centaurij, ſemẽ melanthij, irionis, vrticæ, origani: ſatureia etiam, calamentum, pulegium, braſsica, abſynthiũ, abrotanus, hyſſopus, ſquilla, ſerapinum, pulmo vulpis, erinacei, ſtercus lacerti, & de ſiccat etiam lignum guayacum, ſulphur viuum, ſparta parella, cinnamomum, radix Chinæ, & aniſum. Conficies tamen prædicto vſui medicamentum vtile ex mellicrato facto ex decocto prædictarum rerum, & addito primò modico oxymellite, poſteà ſyrupo de hyſſopo ac vltimò oxymellite ſquillitico. Prodeſt mellicratũ hyſſopi, aut mellicratum ex melle ſquillitico, aut ipſum mel ſquilliticum cum decocto pectorali. Mirum etiam in modum prodeſt per interualla theriacæ aut mythridati. ʒ.j. cum modico aquæ ſcabioſæ aut vngulæ cauallinæ: ore inſuper laborãs teneat quæ ſenſim & paulatim deglutiantur, vim habentia attenuandi ac detergendi craſſos frigidos ac lentos ſuccos, quæ hoc modo parari poſſunt, excipe diapenidij & diahyſſopi Nicolai. ʒ.j. ſ&. ſyrupi de glyzyrrhiza & iuiubini. ana. ℥.ij. mellis roſacei. ℥.j.

Quòd ſi periculum ſuffocationis vigeat, præter cucurbitas, frictiones ac omne aliud diuerſorium auxilium, curandum eſt, vt laborans ore teneat huius decocti calidi aliquid: aquæ hordei. ℥.vj. ſacchari. ℥.j. croci. g. iiij. aliud recipit oxymellitis ℥.j. prædicti decocti. ℥.iij. ſacchari cãdi. ʒ.j. croci. g. iij. vel ſumat ſalis ammoniaci, ſe minis naſturcij, pulueris pulmonis vulpis. ana. ʒ. j. croci. g. iiij. diſſolue in ſyrupi violacei. ℥.iiij. Sed referunt authores non contemnendi multis profuiſſe incredibili efficacia hoc præſidium, quod paratur ex animalculis, quæ appellantur millepedę ſeu aſſeli & ſub aquarijs ſtabulãtur, panno lineo exceptis, & in vino albo maceratis, & citra expreſsionem vinum potui datum. Prodeſt & tabella vna ex traga cãtho, irrigata oleo ſaluiæ, aniſi aut roris marini arte chimica extracto: ex vſu quoque eſt id quod recipit glyzyrrhizæ mundæ. ℥. ſ&. radicum fœniculi & hyſſopi. ana ℥.j. capillorum veneris, vngulæ caballinæ. ana. ʒ.vj. ſeminis cartami. ℥.j. ſeminis aniſi. ʒ.ij. bulliant ad medietatem, & colaturæ adde pulmonis vulpis craſſo modo triti ℥.j. ſ&. miſce & iterum bulliant, & facta colatura adde mellis & ſacchari quantum ſit ſatis vt fiat ſerapiũ, cuius. ℥.ij. ſumat laborãs ſummo mane cũ. ℥.ij. decocti capillorum veneris: confert non minus abrotani puluis cum mellicrato & oxymellite. Benefacit etiam ſyrupus ſic confectus, excipe ſucci enulæ, & hyſſopi. ana. ℥. ij. aquæ vngulæ cauallinæ lib. j. bulliant & cum ſaccharo fiat ſerapium, cuius laborans mane, & cum it dormitum capiat. ℥.j. ſ&. cum aqua ſcabioſæ aut borraginis. Sed ſi exiccare copioſè humiditatem, vt in hydropicis aut alijs in quibus abundat, ſtudueris, vtitor hoc electuario, quod recipit ſulphuris viui. ℥. ſ&. pulueriz etur, & infundatur in aqua vngulæ cauallinæ per diem, demum abluatur, & iterum cum ſaccharo & aqua borraginis fiat electuarium, cuius laborans ſumat. ʒ. ſ&. ſuperbibatq; aquam hordei cum ſyrupo violaceo. Præſtat & oxymel ad inſciſionem viſcidi ſucci, quo exhibito prodeſt electuarium quod recipit mãnæ electæ. ℥.iij. floris caſiæ. ℥. ſ&. penidiarum. ℥.ij. olei amygdalarum dulcium. ℥.j. pulueris pulmonis vulpis. ʒ. ij. miſce & cum ſyrupo de hyſſopo fiat electuarium, cuius mane & noctu capiat laborans ℥. ſ&. præſtat & mucilago radicum altheæ, vel eius decoctum cum melle, aut oxymellite ſquillitico. Extrinſecus verò eis quæ thoraci appoſueris diſcutientibus & attenuantibus addes ſuccum ſquillæ, fęcem vini, æruginis & conſimilia.

Quibus ſanè curationis legibus ac præſidijs prorſus vtendum eſt, cùm præcautionis gratia quietam quoque materiam niteris extrahere, quo minus incidat laborans in acceſsione: hoc vno in memoriam reuocato, quòd eo tempore nõ opus eſt à purgatione per ſputum initium curationis ſumere, ſed à præparatione & purgatione materiæ ea lege quam adduximus, dum iam in declinatione ducitur acceſsio. Poſteà tamen ſi quid in pulmone hęreat, vel pellere tuſsi, vel per diſcutientia purgare. Itaque in acceſsione inſtituenda eſt primò purgandi per ſputum ratio: ſecundo loco per ea quæ ſimul id efficiunt, & per aluum nonnihil purgant: vltimò verò per ea quæ ſolùm vim habent purgandi. At in curatione quæ fit extra acceſsionem, è contra, à præparatione materiæ, & purgatione per aluum, initium curationis ſumere oportet: poſteà vtendum eſt his quæ ſimul præparant & purgãt vtramque partem: vltimò tamen per ea quæ à parte reliquias conterunt, ea lege qua dictum eſt.

Verùm ſi acceſsio ſuccreſcat à nouæ materiæ affluxu, nõ licet ab his quæ tuſsim mouẽt, initium curationis auſpicari in mitigatione ſympthomatis, ſed ab his quæ vim habeant humorem fluentem auertere, reuellere, deriuare ac per infernam aluum purgare, & ſi ſanguis iam miſsus eſt, mittere poſt purgationẽ non licebit. Ob id quidem præmiſſa ſanguinis miſsione, qua plerumq; opus eſt, in his qui nouam patiuntur fluxionem, ni crudior admodũ ſit humor, & adhuc in ipſo ſi impetuoſè fluat, vel à toto corpore, omni diuerſionis genere vtendum eſt, ac protinus expurganti pharmaco. Quo facto, ad ea quæ ex pulmone per tuſsim purgant deuenien-

 eſt, & tantò magis ac vehementiùs, quantò fluxionem ceſſare nobis cõpertũ ſit:

sit: nam cessante fluxione, non opus est frequenter aut plurimum purgare, conuenit tamen quod iam fluxit omni studio à pulmone educere.

Curãdi ratio extra accessionem.

Verùm si curationem præcautoriam instituere velis, ac studere ne in accessionem ita facilè laborans incidat, primò cuius membri consensu pulmo coaficiatur considerabis, ac ab eius prouidentia initium curationis auspicari oportebit. Sic si ex ventriculo aut totius corporis consensu malum oriatur, ter quaterue in mense proficuum erit vomere, aut per epicrasim vomitibus factis expurgare agarico, lacte seminis cartami, terebinthina abietis, hiera Galeni & similibus: si tamẽ vniuersum corpus cõsentiat, facta sanguinis detractione & purgatione sufficiẽti, sudãdi rationẽ institues, quod materia existente in pulmone non facies: liquata enim citius in periculosam accessionẽ laborãtem deduces: posteà verò fontanellis in crurum altero uteris. Cauendum insuper est, si vomitibus vtaris, ne ex capite malum oriatur, quippe eo tempore nõ solùm inutile, verùm & pernicioſum anheloſis existit, quia & caput replet, & humores in thoracem mouet. Item tentare etiam erit proficuũ, humorem vel fluxurum vel iam fluxũ, suffumigijs extenuare & resoluere, sed cautè facito, ne pulmonẽ resicces (difficilius enim respirabit homo) aut humores plus fundas, quàm vel tusi possint expurgari, aut vi medicamenti digeri: tunc enim nõ rarò suffocatione periclitantur laborantes, cùm non nisi aere libero manere possint qui sic affecti sunt, idque maximè cùm materia multa sit, & difficillima respiratio. Verùm dum vsu venit suffumigium, parari potest ex sandaracæ fumo, nõ eius qui hoc nomine venditatur, sed resinæ è iunipero acceptæ, quod parabis hoc modo: excipe stiracis, mastichis, terebinthinæ ana. ℈.iiij. misceãtur vitello oui & adde ligni iuniperi ramenta. Præstat & solum sulphur cum mastiche, terebinthina & stirace: non desunt qui arsenicum modicum addant, sed non displicet ab eo supersedere. Pectori verò extrinsecus addenda sunt quæ materias exsiccent, priùs tamen quæ leniant & incindant sunt intrinsecus propinanda: illa autem sic conficies: excipe succi hyssopi, succi altheæ, butyri recentis, olei amygdalarum dulcium ana. ℥. ʒ. croci. ℈. ʒ. ceræ quantum sufficiat vt fiat vnguentũ molle. Præstat & aliud quod recipit olei iasminorum. ℥. j. ʒ. mucaginis seminis altheæ. ℥. j. mucaginis fœnugræci extractæ aqua scabiosæ. ℥. ʒ. fiat linimentum lana molli exceptum. Interim tamẽ thoracem fricabis oleo amygdalarum dulcium, camemali, anethi, iasminorum, de lilio, laurino, costino, aut de spica, cum aliquo ex prædictis mucilaginibus & modico emplastro filij Zachariæ. Exsiccat tamen & abstergit efficaciùs id quod conficitur ex pumice, vini fæce & farina lolij cum melle. In abscessu tamen aut tuberculo prodest farina triticea cum marrubij decocto & oleo dulci. Huius tamẽ tuberculi curationem institues, non per ea quæ crudis humoribus proficua esse diximus, vt quibusdam visum fuit, sed per magis resiccantia & calidiora vt aduertit Galen. 7. localium cap. vltimo.

Verùm si à capite malum oriri comperiamus, post eorum vna aut pluribus per purgantia pharmaca purgationibus eductionem, vt cap. de tusi dictum est, contentos in ipso humores discutere & exsiccare oportebit, lotura quæ recipit foliorum hyssopi, betonicæ, & saluiæ. ana. m. j. florũ camemali, rosarum rubearum, granorum myrti ana. p. j. bulliant in sufficienti quantitate lixiuij dulcis, & eo caput ablue semel in hebdomada. Prodest puluis insperſus qui recipit florum camemali, meliloti, sampsuci ana. ʒ. ʒ. rosarum rubearum, granorum myrti. ana. ʒ. j. thuris, mastichis, sandarecæ iuniperi, corallorum rubeorum. ana. ℈. ij. caryophyllorum. ℈. j. puluerizẽtur omnia subtiliter. Quòd si nec hæc quidem omnia prodesse videãtur, fonta-

fontanellam in altero brachiorum aut in vtroq; aperire oportebit, sicut si totũ corpus causam malo præstet, aut suppressa ex inferioribus vacuatio sit, rutius erit in cruribus aperire: nam pectus ferro cãdenti vrere, aut aliud crudelius exequi opus, vt ab Ætio scribitur, non probo: satius enim arbitror in hac & reliquis causis facultatem tueri, & somnum conciliare exhibito modico philonio, quàm in dubia spe salutis laborantem auxilijs certò perdere.

Est tamen consilium doctissimorum virorum in omni asthmatis specie, dum accessio non plurimum vrget, eis auxilijs vti, quæ vim habeant cum expectoratione purgandi etiam per aluum: nam credibile est, ex nimio pulmonis motu aliquid in ipsum trahi & contineri: cuius gratia purgantibus, licèt lenioribus, vtendum sit. Sunt enim inter purgantia medicamenta quædam, quæ vnà & meatus pectoris expurgare solent, & aluum mouere: sic enim refert Galen. terebinthinam omnia viscera elegãtissimè repurgare, vis enim eius purgatoria in primis venis, & vsque ad iecur & venã cauam se se extendit. Cuius sanè præbere oportet ʒ. ʃ. aut quartas. iij. cum oleo amygdalarum dulcium, aut saccharo violarum. Quod sanè aliter conficies, si exceperis terebinthinæ optimè lotæ aqua vngulæ cauallinæ lib. j. caricarum pinguium lib. ʃ. penidiarum. ℥. iiij. olei amygdalarũ dulcium. ℥. j. misce simul omnia in mortario, eo vsque contundendo, donec fiat ad formam electuarij, cuius laborans sumat. ʒ. vj. Hunc quoque vsum præstat celebre illud ius ex gallo veteri confectum, quem gallum Oribasius infarcit sale & concoquit cum porro & anetho, oleo aut butyro: frequentiùs tamen incoquimus hyssopo, polipodio, semine cartami, cumino, thymo, aniso, satureia & alijs huiusmodi, addito melle aut saccharo. Sed vtiliùs multo incoquitur cum foliis sennæ, prunis, iuiubis, passulis sine granis, floribus violarum & borraginis, semine cartami & saccharo: multi tamen addunt mercurialem. Pretiosius tamen cõficitur hoc modo: excipe seminis cartami. ℥. j. anisi, & seminis anethi, ana. ʒ. ij. radicũ enulæ, radicũ hyssopi, & radicum prasij. ana. ℥. ʃ. liquiritiæ mundæ, passularum sine granis, ana ʒ. ʃ. pulmonis vulpis triturati. ʒ. ij. Ac si affectio flatus quoque particeps fuerit, addito fœniculi, ameos, dauci, calamenti montani, pulegij, cinnamomi, macis. ana. ʒ. j. contusa in ventre galli suantur: demũ gallum in. x. lib. aquæ apponito & coquito ad medietatẽ, aut donec caro ab ossibus separetur, deinde forti facta galli expressione, proijciatur gallus, & decoctum colato & aëri exponito, vt iterato residentia separata demum quod clarum est vsui seruetur, cuius sume. ℥. vj. oxymellitis simpl. ℥. j. & mane laboranti porrigito, & vespere ex residentia galli clysma infundito cum hiera, oleo communi & sale. Sic quoque per interualla iterũ corpus purgare oportebit apozemate, quod recipiat radicis petroselini, fœniculi, asparragi, seminis cartami. ana. ℥. j. radicis iridos. ℥. ʃ. thymi, epithymi, hyssopi, tussilaginis, capillorum veneris, scabiosæ, bugloſæ & borraginis. ana. m. ʃ. iuiubarum, sebesten, ana num. xij. passularum sine granis. ℥. j. foliorum sennæ. ℥. j. ʃ. coquantur ad tertias & facta colatura adde in ligatura agarici trochiscati. ʒ. iiij. cuius porrige. ℥. ij. Per interualla etiam hoc porriges quod recipit stiracis. ℈. iiij. terebinthinæ. ʒ. j. ʃ. spicæ. ℈. j. cum melle despumato fiat electuarium. Quem quoque vsum præstant pilulæ ex hiera & agarico, ex mastiche, de assaëret, & coechiæ formatæ oxymellite squillitico: vel si inueterata fuerit affectio. ʒ. ʃ. hieræ diacolocynthidos, cum. ℈. ij. agarici trochiscati.

Cæterùm si exluxatione aut dearticulatione alicuius ossis sit coarctata respiratio, aliam exposcit curandi rationem, quæ os in pristinum locum redigat: quippe

aliter

aliter curari nequit. Dum verò ex tuberculo crudo fit, vt cruda pleuritis curari desiderat: si verò ex impotentia animalis facultatis, roborantibus tantùm vires reficere oportet: verùm si ex flammea in corde & pulmone caliditate, veluti in febrium curatione dictum est, curari desiderat. Pulmonis verò hydropis curationẽ hîc affixere non instituit: tum, quia thoracis sectionem, quam Hippocrat. loco citato consulit, nulla lege mihi visum est tentare, quòd periculosum sit, & insufficiẽs, quia adhuc aqua extracta, remanet causa quæ iterum eam congregare potens erit: tum verò quia in hydropis curatione mille modis aquas educere à corpore docuerim: tum vltimò, quia vrinæ suppressioni illi ex qua hic oritur affectus, integrum dicaui caput: quo etiam docui ex pulmone aquas educere. Interim tamen aquam à pulmone educere poteris succo radicis sambuci ad ℥.ß. cum melle rosaceo: idem facies succo iteos in minori dosi, aut granis tribus succi radicis cucumeris agrestis. Sed hæc locis citatis latiùs leges.

De sanguinis sputo. Cap. V.

NON quæcunque excretio sanguinis per os facta, appellari potest sanguinis sputum: interest namque differentia non leuis inter sputum & fluorem sanguinis: nam fluor excretio est, subita & copiosa citra actionis animalis imperium facta, sputum verò nequit citra voluntatis imperium fieri. Est itaque sanguinis sputum, crebra & parua per os facta sanguinis reiectio, quæ aliquando simplex est affectio, aliquando verò cum phlegmone adiuncta, vt pleuritide vel peripnœumonia: aut fit sine his vitio aliquo interiori. Prosilit quidem sanguis per os aut ex capite, aut ex gingibis & palato, aut ex faucibus & columella, aut ex œsophago, vel vétriculo, aut ex iocinore & mesentereo, vel ex aspera pulmonis arteria, pulmone ipso aut thorace. Quod profectò tantam infert in curandi munere varietatem, quãta est loci affecti diuersitas: distinguere tamen oportet affectam particulam à qua sanguis prosilit, & rationem qua fluit. Nam licèt sympthomatis ratione hæ omnes excretiones conueniant, dissident tamen ratione morbi à quo vnaquæque prouenit. Qua ratione sympthoma hoc in genere est excretorum immodicè à toto genere præter naturam: nam sanguis propriæ substãtiæ ratione, vtcunque excernatur, est præter naturam, sed in hac affectione ratione etiam loci per quem excernitur, præter naturam efficitur. Namque tam est nobis familiaris substantia sanguis, vt nullum illi præstiterit natura ad excretionem locum. Morbus tamẽ à quo prodit prædictum sympthoma duplex existit: nam aut est reseratio aut apertio pororũ, & propriè est morbus in via: aut est solutio continui, & ad id genus pertinet affectio. Verũ quia vniuersa curandi ratio in quauis sanguinis profusione, ab ipsa particula affecta, & à morbo ipso petenda est, nec non à sanguinis conditione natura & impetu, necessum quoque erit exquirere à quo loco, & ex quo morbo sanguis prodeat.

Signa. Ostendunt id quidem multa signa, cæterùm nobis placuit clarioris doctrinæ gratia ad quatuor potissimum capita ea omnia reducere: sunt hæc, excernendi modus, quantitas excreti sanguinis, substantia item & eius quod cum sanguine excernitur, & vltimò dispositio corporis affecti præsens aut præterita. Dignoscendi quidem ratio prima sumitur ab excernendi modo: nam quæ tussi excernuntur, proculdubiò

culdubiò ab aliquo ex instrumentis respirationi seruientibus prodire est compertum: sunt autem hæc, arteria aspera, pulmo, thorax ac septum transuersum. Quæsanè demonstratio licèt Auerr. placeat & Auic. fallit non rarò, vt ex Galen. constat 4. de locis, siquidem interdum qui ex capite defluit, paucus prodit, cũ screatu, sine tussi, rubeus, venis membranarum cerebri vi frigoris compressis, aut nimio humore laxatis, aut calore & sanguinis tenuitate reseratis. Interdũ multus atque etiam cum tussi, quod præclaris etiam Medicis sæpe imposuit vehementer affectũ pulmonem, ex tussi & copia falsò conijcientibus, cũ è cerebro cõfertim & multus in fauces & gutturis partes interiores irruens, tussim etiã concitet. Quamobrem vt id clariùs interstinguere possimus, considerare quoq; oportet, an per nares aliquid simul fluat, vel screatu prodeat, signum quidem tussim per consensum ab illis partibus potius fieri, quàm propria spiritalium passione. Verùm quia signum hoc, & ea, quæ ex rubore, calore, & dolore capitis desumuntur, non minus infida sunt, necessum est, conijcere in defluente sanguine à capite vehementiorem tussim moueri in principio fluxionis, dum transit per caput asperę arterię, quàm dum aliquid quod confluxit, tussi excernitur: præterquàm quòd qui à capite defluit, & nigrior & crassior & copiosior est, quã qui ab aspera arteria: & præterid, is qui primo excernitur, omnino spuma caret, reliquus verò leuiter spumosus excernitur, vt qui arteriam ingressus, agitationem patiebatur ab aëre egrediente & ingrediẽte. Probat hanc veritatem priuatio signorum quæ thoracem affectum monstrent: item probat palati titillatio, crebra sputio, à qua caput leuatur cum sanguine & sorditie in gutture apparentibus. Quòd si screatur aut vomitu excernatur, certò scimus ex pulmone aut thorace non prosilire: verùm quòd sit ex ventriculo certiùs colligitur, quia nil sine vomitu ab eo pellit natura. Quæ verò simplici spuitione excernuntur, ab ore proficisci est compertum: atqui quæ per screationem à faucibus, maximè si in considerationem duxeris dolorem, pruritum, titillationem, quæ in prædictis partibus plerumque conspiciuntur, modò ab ijs, modò à capite fluat, sed id alijs signis distingues. Cæterùm quia partes spiritales in multiplici sunt differentia, necessum est nosse à qua earum proficiscatur sanguis, si quidem nota quæ ex læsione actionum sumitur, nõ adeò firma est. Nam si leuissima tussi excernitur & leuiter spumosus, ab aspera pulmonis arteria, si verò vehementiori tussi & maiori spumæ copia, à pulmone: maximè si grumosus exeat, & cum vehementi tussi ac dolore excluditur, siquidem extra vasa in loco tepenti concrescit, & concretus in asperam arteriam difficilè commigrat, ac non nisi concitatiori tussi: maximè si spumæ nonnihil accedat. Sed de sanguine spumante maximè dubitatur, sit ne proprium pulmonis læsi signũ, an alijs cõmune: nam Gal. 4. de locis efficacissimũ arbitratur signum læsi pulmonis, & Hippoc. 5. apho. 13. & 7. apho. 30. statuit idem Galen. pulmone exulcerato non necessariò spumantem expectorari, nimirũ cũ è vasis effunditur non è substantia. Prætereà idem Hippoc. lib de Coacis scribit hæc verba. Quicunque spumosum sanguinem expuunt & à dextro hypochondrio laborant, ab hepate expuunt & ferè moriuntur: quibus videtur probare non solùm nec semper è pulmone spumosum fundi: prętęr quàm quòd pleuritici etiam interdum spumosum expuunt, & peripnœumonici, calore immodico & igneo in partibus affectis collecto: itẽ Paulus ex gutture spumosum sanguinẽ prodire profert, & Auic. ex pectore, propter commercium respirati aëris. Quibus constat spumãtem sanguinem posse prodire ob externas causas, pulmone nequaquam affecto. Quæ omnia facilè intelliges, si expenderis sanguinem è pulmone fundi spumosum vna

è duabus

è duab⁹ cauſis,altera ob aëris,& pulmonis motũ,ipſo nequaquã læſo, vt his accidit quibus in aſperis ipſius vaſis aliũde colligitur,ob aëris motũ,& cõmercium cũ ipſo ſanguine,qualẽ cõſpicimus in his quib⁹ à capite in pulmonẽ decidit:altera verò ex propria ipſi⁹ pulmonis natura & ſanguinis ſubſtãtia,quãdo videlicet ex ipſa pulmonis ſubſtantia exulcerata,vel diruptà prodit: quo tẽpore vniuerſus eſt ſpumoſus,& ſpuma rotũdior,quia ſpumoſior quoq; eſt viſceris caro,cuius ſanguis induit ſimilitudinẽ(eſt enim pulmo coagulata ſpuma) qui feruidior efficitur ſi in bronchioſa vaſa migret,& maneat ob aëris acceſsũ,nã ſic duplici cauſa ſpumoſus efficitur:tũ natura propria:tũ aëris vicinia & miſcella.Effunditur etiã nõ ſpumoſus,vt locis citatis ſtatuerãt Hipp.& Gal.cũ ex vaſis,nõ ex ſubſtãtia pulmonis excernitur,nec non cũ extima pulmonis ſuperficies vlceratur,vt videtur ex Gal.poſſe probari.5.apho.13.ſic profectò nõ ſpumoſus funditur ab his qui vel ab alto ceciderunt,aut percuſsi ſunt,ita vt vas aliquod ipſius viſceris diſruptũ ſit citra ſubſtãtiæ pulmonis diruptionẽ.Itaq; quod ad ſpumã pertinet,vndecũq; fluat ſanguis,nõnihil habere permiſtũ poteſt ex viſcida & aërea ſubſtãtia ſecũ admixta:at ex toto ſpumeſcere,ſolius ſubſtãtiæ pulmonis propriũ eſt,& ob id iure optimo ſpumã in tres veluti grad⁹ diſtinguere cõuenit:nã cũ leuiter ſpumæ permiſcetur ſanguis,ex gutture,thorace,& hepate ꝓdire poteſt: cũ verò plurimũ ſpumat,è pulmonis vaſis brõchioſis effũditur(ſicut cũ nihil ſpumat ex reliquis,vt dictũ eſt)cũ verò totus ſpuma eſt,ex viſceris carne cuius induit ſimilitudinẽ, cui accedit ſpumæ rotũditas tanquã carnis pulmonis læſę inſeparabile ſignũ. Noſces prætereà clarius à qua nam ex prædictis partibus is ſpumoſus ſanguis prodeat: ꝙ ſi id diligenter inſpicias, facilè diſces ex excreti ſpumoſi ſanguinis colore:nã ſanguinẽ è pectore latũ,neceſſe eſt liuidũ ſpui,& admodũ alteratũ,ꝙ à lõginquis adueniat:etenim extra vaſa fertur,& in brõchijs diu manet,vnde trũboſus fit & color mutatur:ſanguinẽ verò è pulmone diſcernes ꝙ tenuis ſit & floridus,ac citò educatur.Itẽ flauus & ſpumoſus maximè eſt,nullũ dolorẽ afferens niſi põderis quẽdã ſenſum præ ſe ferat.Oſtẽditur etiã id magis præter dictũ colorẽ, ex calore vt.5.meth.Gal.aduertit,ꝙ è vicinis cordi vaſis egrediatur. Noſces autem è mẽbranis,vt ſuccingẽte & mediaſtino,quia paucus exit,tenuis,vehementer permixtus ſputo,cũ moleſtia tuſsi,& dolore membranis proprio:ab arterijs flauus exit, tenuis,ſpumoſus,valde calẽs,cũ pulſatione cordis,& inſeparabili febre. Ecce qualiter ex ſpuendi modo,& natura excreti ſanguinis facilè venamur affectã particulã. Quod etiã mõſtrat excreti ſanguinis copia,nec nõ & affectũ ipſum:nã ſi plurima quantitas ſanguinis excernatur,ex rupto vaſe prodire cõperimus: ſi verò parua,ab exeſa,licèt poſt modũ maiorẽ proijciat copiam.Sic è pulmonis vaſis amplis copioſior prodit multò quã è thorace:è minorib⁹ paucus, per interualla,cũ exigua reſpirationis difficultate,tuſsi nõ multa,calore exiguo intus percepto,qua parte colligitur.In ſenibus,in quib⁹ ſanguis craſsior eſt,glutinoſior,frigidior,ruptis venis potius quã apertis:in iunioribus, in quibus vel ſeroſus magis,vel tenuis, acris & bilioſus, apertis aut rarefactis.Itẽ è magnis vaſis prodire teſtatur,nõ ſolũ copia,ſed & frequẽtia ac difficilis reſpiratio,maior calor intus perceptus,feruor,& pondus à ſanguine effuſo & ſuppreſſo. Quòd ſi grauãs dolor & extẽdens ad notharũ coſtarũ regionẽ ſentiatur,ad ſeptũ portionẽ aliquã peruenisſe cõſtabit,quæ in vapores & flatus cõuerſa moleſtiã affert,& inflãmationis aut putredinis periculũ.A ſubſtãtia quæ excernitur,affectus & affecta pars noſcuntur:nã tenuis ſanguis ab apertis & reſeratis vaſculis proſilit,craſsior à ruptis:ſic ſubſtãtia quæ excernitur cũ ſanguine,particulã affectã commonſtrat:nã tunica tenuis cũ ſanguine excreta aſperã arteriã eroſam docet,

docet,ſicuti craſſa epiglotidem:eodem modo ex diſpoſitione præſenti,aut præterita id licebit cognoſcere:nã præſens diſpoſitio ſi athletica ſit, ruptionẽ deſignat, ſi vitioſa exeſionem, ſi caſus præceſſerit, ictus aut percuſsio, ruptionem commonſtrat.

Cauſæ.

De cauſis verò habenda etiam notitia eſt, quarum numerum breuẽ in memoriam reuocabo,ſiquidem capite de fluxu ſanguinis natium,earum abunde meminimus. Profluit enim ſanguis, vt nuper diximus, vel apertis vaſorum oſculis vel rarefactis tunicis, aut ruptis vel exeſis: priores morbos ad cauitatem pertinere & morbum eſſe in via dubitauit nullus: reliquos verò ad ſolutam vnitatem. Apertionis verò cauſa eſt copia irruens & vaſis impotentia. Irruit copia fuſione ſuccorum, aut excernente natura: humores fundunt ea omnia quæ calfaciunt: ſic etenim diapedeſis ex cauſis prouenit calidis: maximè ſi ſanguis tenuis ſit: accidit etiam ruptio , item & eroſio ab acribus, aut incindentibus & quæ vim habent erodendi. Quibus conſideratis, quis horum affectuum ſit, diſtinguere oportebit: pendet enim maxima curationis pars ex eorum notitia. Solutionem igitur continui, primùm dolor,ſi adſit, commonſtrat: plenitudinem id facere prægreſſæ cauſæ deſignant , maximè ſi accedant cauſæ quæ fundunt & in flatus aut vapores ducunt ſanguinem: ſic enim quæ efferueſcunt vaſa rumpunt, aut anaſtomoſim efficiunt: verùm ſi accidat cum hoc maior copia, & extrinſecus aliquid adſit,quod rumpere poſsit, vt tuſsis valida , vomitus vehemens aut acres defluxus , dubium non eſt quin ſolutio continui fluxionis cauſa ſit: cæterùm ſi hæc abſint , ſuſpicandum eſt de anaſtomoſi, cui accedit ſanguinis fluentis conſideratio:nam inſtueri oportet impetum , vt dictum eſt, copiam, ſubſtantiam & qualitatem. Per exeſionem fieri ſanguinis ſputum diſces ex fluendi modo: quippe primo mali acceſſu potius titillationem ſentiet laborans & veluti pruritum in thoracis cauitate,mox verò ſanguinis ramentum leue ſputo admixtum conſpicies:tandem vt eroſio creſcit,ita & ſanguinis copia , quod diruptioni aut apertioni non contingit.

Præſagiũ.

Ex his enim metieris periculi rationem: nam eroſio grauior eſt cæteris morbis, ſicut reſudationis affectus mitior,medium tenet oſculorum apertio:nam vacuato humore multo ſiſtitur fluxio ipſa: ſic diuiſio continui media quoque eſt: quippe neque adeò periculoſa vt eroſio,neque adeò tuta vt exudatio.Verùm affectus omnis ſimpliciter periculoſus eſt, maximè ſi vulnus inflammationem contraxerit: quippe illarum partium perpetuus motus inflammationem exaſperat. Sic etiam ex ſede affecta magnitudo periculi metiẽda eſt:nam ſi expectore fluat, minus eſt graue , quòd venæ minores ſint & facilius coaleſcant , quia non impedit ſanguinis copia, & ſic magna pectoris vlcera ſanantur & caro reſtituitur:vlcera arteriæ ob innatam ſiccitatem , etiam ſanitati reſtituuntur,quia putredini quæ eroſionis eſt cauſa,obſiſtit:ex pulmone verò omnium peſsima ſunt,& difficiliùs ſanantur.Dimitto conſultò hac in parte ſic affectos,ni citò ſanitati reſtituantur,ocyſsimè in phthyſim migraturos.

Curandi ratio.

Curationem verò aggredieris,expendens primò & partis & ſanguinis naturam : vtraque enim harum conſiderationum peculiarem præſcribit medendi rationem , & peculiarem etiam materiam. In huius enim affectus curatione multa profectò ſunt,quæ communi quadam efficacia omnibus cauſis & morbis proficua exiſtunt: alia verò cuique morbo & cauſæ peculiaria.Commune quidem eſt in hoc affectu,auxilia calidis & tenuium partium ſemper eſſe admiſcenda: nam

varias & diſsitas partes medicamentum tranſire debet, priùs quàm in pulmonem deueniat, præter ea quæ lambendo ſumuntur. Quapropter, & vehementiora eſſe quàm affectus poſtulet, neceſſum eſt, & his quæ tenuium ſint partium admixta. Verùm quia medicamenta quæ per fauces pulmoni communicantur, celeri motu irruunt, neceſſum erit ea admiſcere quæ lentorem præſtent, quo diu in partem moram trahant, vt ſenſim aliquid eius percoletur in arteriam, ſed penetrationis gratia addere iubet Gal. mellis momentum.

Sumendum profectò eſt curationis initium (licèt ars doceat à morbo partis affectæ) ab humore ipſo qui fluit: namque tantum ſæpe faceſsit negotium fluentis humoris impetus, vt ſibi omnino adſcribat curandi rationem. Sic & impetus fluentis ſanguinis, vbicunque fluat, reuulſionem ſibi iure optimo expoſtulat: nam hæc eſt vnicũ fluentis humoris præſidium, præſertim dum ad diſtantes à parte affecta ſanguis diſtrahitur in vehementibus & robuſtis corporibus, & ſanguine etiam miſſo ex dicta parte diſtante: in debilibus verò & his quibus multus ſanguis profluxit, aut vitioſus eſt, ligaturis, frictionibus, cucurbitulis, & alijs quæ citra vacuationem & virium diſpendium, commotum ſanguinem retrahant: nam hac ratione dictum eſt ab Alexandro, Paulo, Ætio & Hippocrat. 6. popul. part. 3. comment. vltimo, ſanguinem ſpuentibus non eſſe mittendum ſanguinem, hoc eſt vbi paucitas ſanguinis affuerit, & vitioſi humoris multitudo, in quibus vires eſſe languidas neceſſum eſt. Siſtitur denique ſanguis, vel quia non amplius ad eam partem fluit, vel quòd vulnus occluſum eſt, vel quia ambo ſimul fiunt: nam altera earum cauſarum deficiente, facilè refluit: confluere enim prohibetur prædictis auxilijs, quæ vel diſtrahant, vel reuellant, vel euacuent quod redundat, tum etiam quæ refrigerent, quia vel immobilem efficiunt materiam, vel à parte in proximas repellunt. Quapropter ſiue ex pulmone aut thorace fluat, vel ex aſpera arteria, viribus conſtantibus, copioſè ſanguis mittendus eſt, idque tantò audaciùs, quantò affectio recens fuerit, corpus plenum, vel ſuppreſſa vacuatio diuturnior: ſic ſi menſes deſint, ex talo: languentibus viribus per cucurbitulas femoribus & ſuris affixas, ſin aliter ex brachio mittendus ſanguis eſt, ac ſi vires non tolerent, hirudines pectori affigendæ ſunt. Et quia adſtringentium vſus ad repellendum medius eſt inter hoc officium & foraminis coalitum, ob id ab eis incipiendum: nam vulnus claditur, quo citius ceſſet fluentis impetus partium coalitu, quem neque glutinantia, neque adſtringentia, vel quæuis alia præſidia exequentur, niſi fluxio ſubſideat his quæ mox diximus, à quibus quæ repellant compreſsione media ſunt adhibenda: velut plantago, polygonum, omphancium, ſumach, galla, cortex glandium, radix rubiæ, conſolida, hematites, electrum, corallum, balauſtium & roſa. At ſi apertio ſit ab exeſione, præſidium quæres à bolo Armeno, portulaca, terra ſigillata, ſanguine draconis, gummi Arabico, tragacantho, thure, maſtiche, melle cocto & reliquis huius naturæ. Exteriùs tamen alia appones, quæ frigida ſint & adſtringentia, nec nimis tamen actu calida, ne copioſiùs ſanguinem fundant, aut nimium frigida, ne intro violenter pellant, quorum maiorem ſiluam inferiùs reperies. Sed dum foramen apertum eſt, non leue ſtat periculum in quauis auxiliorum adminiſtratione: quippe quæ nimium adſtringũt quodammodo tuſsim mouent, qua vehementer dirumpitur quod diſſolutum eſt: præter quam quòd effuſum ſanguinem à vaſe concretione indurant, quo & accidentia non leuis momenti ſuccreſcunt, & difficiliorem reddunt expulſioni: præter quam

quàm quòd extrinſecus repellentia thoraci affigere periculo non vacat repulſionis ad interna, quo maior fiat ſanguinis profuſio, vt inſinuauerat Galen. lib. 5. metho. cap. 6. Quapropter euacuare, deriuare ac reuellere à thorace priùs humorem opus erit vt turò hæc adhibeantur: quemadmodum idem author docuerat: & ea lege intelligendi ſunt authores repellentia hæc conſulentes, non ante. At ſi velis quæ effuſum ſanguinem tuſsiendo purgant, porrigere, longè maius, vt dictum eſt, efficies vlcus. Quapropter in ſic affectis eis ſolùm vti mihi ſemper viſum fuit, quæ foramen obturando claudant, velut ſunt craſſa, glutinoſa & mucilaginoſa, quæ licèt tuſsi dilatetur quod perforatum eſt, ſic quoque eadem rariora fiant ac dilatentur quo ſanguis non profiliat, ac faciliori tuſsi quæ anteà erant fuſa excernantur, & ſic ab vtroque periculo liberentur laborantes.

Secunda conſideratio verſatur circa quantitatem, quæ ſi propter maximam copiam vaſa diruperit, extrahenda protinus ſanguine miſſo eſt: quod egregiè Hippocrat. 1. ſectio. aphor. ſtatuerat, dicens, his de cauſis bonum habitum ſtatim ſoluere expedit: tantumque eo tempore ſanguinis extrahere, quantum tolerauerint vires. Quòd ſi laborans copioſam vacuationem ferre nequiuerit, paulatim ſanguis mittendus eſt, & ciborum parſimonia rem perficere oportebit, neque compreſsiones ad extremum ducendæ.

Tertia conſideratio commonſtrat, docetque conſiderare ſanguinis fluentis ſubſtantiam, quæ ſi tenuis fuerit, omni ingenio craſſeſcenda eſt: quod ſanè opus præhabita diſtinctione perfici debet: nam ſi ex efferueſcentia & calore in tenuitatem degenerat, potibus aquæ frigidæ, quiete & aëre frigido compeſcendus eſt. Verùm ſi ex propria natura vitiata exiſtat, craſsioribus alimentis ac ſolidioris ſubſtantiæ, & potus parſimonia craſſare ipſum oportet: quem vſum etiam præſtant pleraque medicamenta ex his quæ frigidæ & adſtringentis ſubſtantiæ ſunt. Verùm ſi in bronchijs ſanguis à vaſis effuſus craſſeſcat in grumoſque cogatur, cùm difficulter expelli ob id poſsit, variaque ſubinde concitet accidentia, his oportebit vti præſidijs, quæ cum minori tuſsi (quod ſummopere exequendum eſt in hac curatione) ipſum educant, vt quàm minimus motus fiat. Poſcam igitur dilutam & tepidam adhibere conuenit, ne acetum prorriget, ac ſuauiùs tepore operetur, quæ ſenſim immittenda eſt, vt in viſcus aliquid eius penetret. Neque formidandus eſt eius vſus ob acetum, cùm in hunc vſum ea mixtio profutura ſit, quæ potui iucunda exiſtat, idque maximè ſi ei ex agglutinantibus aliquid miſcueris. Eſt cum hoc poſca vtendum, cùm iam aliquo modo fluere ceſſat ſanguis: quod cognoſcitur quia rariùs fluit & iam colore non adeò florido eſt. Sed in pectoris & aſperæ arteriæ profuſionibus liberaliùs ea, ſed maximè diluta vti concedit Galen. quod neque Auicen. negauit. Laudatur etiam in hunc vſum pleriſque hædi ſanguis nondum concretus cum pari menſura aquæ cinnamomi, aut poſcæ elixatus, pondere duarum vnciarum. Præſtat coagulum cerui, hædi & leporis, ſed hæc coagulatum ſanguinem liquant & liquatum coagulant. Quapropter ſtudendum eſt, ſolam ciceris magnitudinem porrigere, idque certa habita de concreto ſanguine coniectura. Diſſoluatur autem in oxymellite vel poſca, quo minus concreſcat quod concretum non eſt, & faciliùs concretum diſſoluatur.

Quarta & vltima conſideratio petitur ex ſanguinis qualitate: nam ſi acris fuerit, mordax & erodens, ipſum purgare priùs decet his medicamentis quæ è directo reſpiciant humorẽ in ipſo ſanguine peccãtem, veluti rhabarbaro, ſi flaua bilis,

aut folijs ſenæ ſi exuſti humores fuerint, aut agarico, ſi pituita. Præterea corpus alere oportet alimentis optimæ ſubſtantiæ & multi nutrimenti: tandem corpus humectare oportet iuribus pinguioribus & puriſsima aqua, & rurſus medicamentis quæ ex natura ſua pugnent aduerſus ſanguinis acrimoniã, veluti eſt amylum, tragacanthum, ſuccus granatorum dulcium & acrium, vel ſyrupus acetoſæ, portulacæ, borraginis, papaueris & ſimilium, quibus ſanguine frænato fluxus plerumque ſiſtitur.

Altera verò curandi ratio ſumitur à vena à qua ſanguis proſilit: quippe fluit aliquando ex vena exeſa, nonnunquam ex dirupta ac ſæpius ex aperta. Exeſa quidem difficilis ſanationis exiſtit, quia cùm cauſa erodens citò auferri non poſsit, quòd alteratione, renutritione & vitioſi ſucci euacuatione infirmetur, fruſtra proculdubiò pleraque auxilia adminiſtrantur, cùm longe plus prævaleat cauſa exulcerando, & maximè ſi fluxio aliqua perſtet. Quamobrem antequam vlcus fiat, vel adhuc minimo exiſtente, præcauere oportebit, acrem fluxionem aliò transferendo, aut attemperando ac vitioſam cacochymiam expurgando his quæ acria excrementa educant, ſiue biliоſa ſint, ſiue exuſta aut ſeroſa. Quibus prodeſt purgationis modus quem capite de fluxu ſanguinis narium ſcripſimus: ac præter dictam prouidentiam fiens, & factum vlcus eam deſiderat curandi rationem, quæ ex duplici conſtat methodo, quarum altera docet renutritionem perficere in vena exeſa alimentis optimæ & glutinoſæ ſubſtantiæ: altera quidem his quæ emplaſtricam habent virtutem citra adſtringentium adminiſtrationem: emplaſtrica enim medicamenta perforatam partem obſtruunt & obturant, quo minus deinceps ſanguis liberè profluat. Atqui dum obſtructio durat, facilè renutritur exeſa ſubſtantia: proſunt autem portulaca, vel maſticata, vel aliter præparata ex polygono, equiſeto, amylo, tragacantha, terra Lemnia, bolo Armeno, mucilaginibus & alijs quæ huius ſunt naturæ.

Quòd ſi in aſpera arteria vlcus ſit, non adeò ſanitati reſiſtit, quia & pars ſiccior eſt, & locus ſuſceptandis præſidijs promptior: ſic enim ea medicamenta quæ nuper adduximus proficua ſunt.

Dum verò vena violenter rumpitur, agglutinantia medicamenta ex vſu eſſe comperimus, vt quæ coniunctis partibus atque in vnum cohærentibus facilè vnionem moliantur, quæ mox leges.

Dum verò aperta ſua ſponte eſt, ea medicamenta ſunt adhibenda, quæ adſtringendi facultatem obtineant: nam in ſanguinis profuſionibus quæ ex hac cauſa prodeunt, tantùm proficua exiſtunt. In qua re primò abdubitare oportet, an ante adſtringentium & refrigerantium adminiſtrationem, ſanguinem oporteat attenuare concretum, & à pectore repurgare, ne ſcalfactus in febriculam, & phthyſim facilius commigret, & adſtringentium adminiculo preſsius inhæreat, & longe maius malum efficiat: cum hoc tamen ex altera parte vrget ſanguinis fluxus, qui vtcunque à pulmone vel thorace exiliat, grauis eſt. In qua hæſitatione rimari oportet, ſit ne ſolutio continui in vaſis pulmonis, quo tempore minoris momenti eſt ſanguis concretus, & longe maioris ſoluta vnitas, cui niſi ocyſimè occurramus, inflammatio protinus ſuccedet: quo fit, vt tutius ſit agglutinare, & claudere diſciſſam & apertam partem, & feruorem remittere, quod fit adſtringentibus, & agglutinantibus: poſtea verò concretum ſanguinem (autinterim dum hæc adhibentur) poſca exhi-

êxhibita attenuare & repurgare. Cæterum ſi vas diruptum ſit in thorace, eo quòd huius ratione non immineat phthyſis, vrget magis ſanguis cõcretus: quo fit, vt primò illum expurgare oporteat deinde apertum vas agglutinare. Quod etiam ſanguine fluente ex pulmone, cęterum per anaſtomoſim, licet etiam obſeruare: quia cùm nullum ſit inflammationis periculum, vrget magis ſanguis concretus, cui primò ſubueniendum erit, & poſteà reſerationi vaſorum. Verùm ex qua materia hæc omnia medicamenta conſtẽt, dictum eſt abunde capite de fluxu ſanguinis narium. Interim tamen ſcito omni diligentia ſtudendum eſſe, omne quod apertum exiſtit occludi oportere, & vt commodè medicamentis huic vſui proficuis vtaris, ſcito, quòd licèt emplaſtrica medicamenta & adſtringentia id beneficium præſtare poſsint, cum hoc tamen inter ſe longe differre, quoniam emplaſtrica ſiccant ſolùm ſine euidenti adſtrictione, cuiuſmodi ſunt multa terrarum & lapidum genera: adſtringentia verò id munus exequuntur citra euidentem ſiccitatem, niſi ex accidenti ſuccreſcat. Scito inſuper adſtringentia, vulnera quoque glutinare, item & emplaſtrica, quoniam ſine morſu ſiccant: Verũ in hac curatione neceſſum eſt omnia adiungere, præterquam vbi vlcus cachoẽte & ſuccis acribus exacerbatum fuerit, tunc enim adſtringentia plus obſunt, quia fixiùs tenent parti adhæreſcentem materiam, quo vehementiùs partem erodunt. Sed auxiliorum exemplum primum recipit albumen oui vnius, aquæ roſarum. ℥.ij. aceti modicum, mixta conquaſſataque omnia paulatim ſumuntur. Conficitur etiam aliud ex rhabarbari puluerizati & ſpicę. ana. ʒ.j. ex mumiæ. g.iij. rubiæ tinctorum. ℈.j. cum vino rubro adſtringenti, aqua plãtaginis, exiguo aceto iniecto, & ex ſyrupo portulacæ quod ſufficiat, fiat ad modum linctus. In eundem etiam vſum eclegma paratur, quod recipit ſyrupi myrtini & de portulaca. ana. ℥.ij. ſacchari & mellis roſati. ana. ℥.j. tragacanthi & amyli. ana. ʒ.j. & ℔ß. pulueris radicis ſymphiti, terræ Lẽniæ, boli Armeniæ, lapidis hematites. ana. ℈.j. miſce. Inſuper fluxum compeſcit aliud quod recipit coralli rubri torrefacti & in aceto extincti ac terræ ſigillatæ. ana. ʒ.℔ß. ſucci portulacæ aut polygoni, vel vini granatorũ aut lactis vſtulati quod ſufficiat vt fiat potio: ex eiſdem quoque cum ſyrupo roſarum ſiccarum, myrtilorum aut portulacæ non minoris pretij paratur medicamentum. Præſtat etiam eundem vſum commanducatum rhabarbarum, ſuperbibita aqua plantaginis aut portulacæ: vel ſic conficito, rhabarbari electi. ʒ.ij. torrefiat parum & ſubtiliter puluerizetur, & diſſoluatur cum decoctione ſeminis portulacæ & endibiæ. Ex vſu quoque eſt ipſum in puluerem redactum cũ ſaccharo roſaceo admiſcere, & ſummo mane porrigere: cuius efficaciæ eſt frequẽter ſaccharum roſaceum vetuſtioris ætatis præbere, veſpere & mane ſolùm, vel cum puluere coralli aut terræ Lemniæ, vel margaritarum præparatarum, aut electuarij de gemmis. Vti etiam poteris hoc quod recipit ſucci portulacæ & plantaginis. ana. ℥.j. corallorum rubeorum. ʒ.℔ß. lapidis hematitis. ℈.j. puluerizentur & mixta mane & veſpere præbeantur. Prodeſt id quod recipit conſeruæ ſymphiti & roſarum antiquæ. ana. ℥.℔ß. gelatinæ cidoneorum conditorũ ſaccharo. ℥.j. trochiſcorum de terra ſigillata vel de karabe. ʒ.ij. cum ſyrupo myrtilorum fiat ad modum loch. Item aliud parabis q.r. gelatinæ cidoneorum vel ſucci eorum. ℥.j. amyli, tragacanthi, ana. ʒ.iij. terræ ſigillatæ, ſanguinis draconis. ana. ʒ.ij. karabe. ʒ.j. lapidis hematitis. ʒ.℔ß. fiat loch. Aliud etiam non minoris momenti parabis. q.r. ſanguinis draconis. ʒ.ij. amyli, tragacanthi, ana. ʒ.j. ſeminis portulacæ, papaueris, vuarum. ana. ʒ.j. terræ ſigillatæ, roſarum rub. ana. ʒ.℔. fiat puluis tenuiſsimus, qui albumine oui crudo fortiter agitato excipiatur, ſumaturque eclegmatis modo, addito ſaccharo

roſ. tabulato. Eſt etiam magni momenti præſidium quod recipit carnium limacum coctarum in vini auſteri & aquæ plantaginis lib. duabus, conſolidæ maioris & conſeruæ roſarum ana lib. j. cum decoctione limacum fiat inſtillatio: poſteà ſume prædicti inſtillati libr. j. coletur per manicam Hippocrat. cum ſacchari roſati diſſoluti in aqua plantaginis. ℥. ij. ſanthalorum, ſpicæ ana. ℈. ß. Benefacit puluis è limacibus in tegula ſiccatis, trochiſci de Karabe, de terra ſigillata, de ſpodio cum ſucco portulacæ & plantaginis: item lapidis hematitis, boli Armeni, coralli rubri, mumiæ, aut puluis pulmonis vulpis ſicci cuiuſque. ℈. j. ſeminis botrios, cinnamomi, ana. g. x v. ſacchari roſarum. ℥. ßß. cum mucilagine tragacanthæ extracta aqua myrtilorum, fiant trochiſci. Licebit etiã parare ſyrupũ è ſucco plantaginis, vngulæ caballinæ, ſcabioſæ, & pimpinellæ: ſic & illud quod recipit gũmi Arabici, tragacãthæ, cornu cerui vſti, lapidis hematitis vſti, coralli rubei vſti. ana. ʒ. ß. boli Armeni. ℈. ij. puluerizẽtur ſubtiliter, & cum albumine oui crudi miſceantur, & patienti quauis hora præbeto. Benefacit etiam id quod recipit teſtarum oũi detracta membrana interiori. ℥. ij. in puluerẽ reducantur, & adde ſucci ſaluiæ. ℥. ij. aquæ plãtaginis. ℥. iij. ſacchari roſati. ℥. j. detur ieiuno. ʒ. j. & ß. ſic mumiæ. ʒ. ij. maſtichis. ℈. ij. cũ mucagine tragacãthi fiant pilulæ, quarũ vna ore contineatur. Præterea conficies vtile medicamentum, quod recipit mucaginis gũmmi Arabici & tragacãthæ collectæ in aqua rhois, ana. ʒ. ij. mumiæ, maſtichis ana. ʒ. j. ſacchari roſati quod ſufficiat vt fiant pilulæ, quarum vna ſub lingua immoretur. Item alias non minoris efficaciæ conficies, quæ recipiunt lapidis hematitis, boli Armeni, coralli rubei, mumiæ, puluris pulmonis vulpis. ana. ʒ. j. ſacchari roſati. ℥. ß. cum mucagine tragacanthi formẽtur, & prædicto vſui ſeruẽtur. Sed probatum etiam reperio apud pleroſque præſidium, quod recipit rhabarbari. ʒ. ij. ſeminis portulacæ, coriandri præparati ana ʒ. j. facta torrefactione in puluerem redigantur, &. ʒ. j. ſumito cum ſucco portulacæ. Ferunt quoque maximi eſſe momenti id quod recipit ſtercoris muris. ℈. ij. aniſorum. ʒ. ß. puluerizentur ſubtiliter, & cum aqua plantaginis detur patienti: ſed maioris eſt efficaciæ id quod recipit ſcoriæ ferri præparati. ℥. j. cornu cerui vſti. ℥. ß. bulliant in. ℥. x. aquæ plantaginis vſque ad conſumptionem medietatis, & facta colatura, adde ſucci portulacæ. ℥. j. & porrige. ℥. iij. & poſtridie ſumo mane idem facito. Sed alimenti vice, & etiam ad compeſcendum fluxum Celſus herbas edendas ſic affectis porrigebat, velut ſanguinariam & plantaginem ex aceto. Item ex vſu eſt, vbi viribus metuitur, expreſsionibus carnium vti ex perdicibus & turturibus, quarum ventres adſtringente materia farcinantur.

Præterea ſtillatitijs aquis etiam veteris, vt plantaginis ex quercu, ex rubi, aut his quæ recipiunt conſeruæ roſarum & ſimphyti ana. ℥. j. electuarij diarrhodonis, diamargaritonis frigidi, triaſandali, aromatici roſati. ana. ʒ. ij. ſpicæ, cornu cerui, coralli rubei puluerizatorum. ana. ʒ. j. ß. trochiſcorum de terra ſigillata, de Karabe, de ſpodio ana. ʒ. iiij. ſeminis acetoſæ, portulacæ & plantaginis, ana. ʒ. j. aquarum portulacæ, roſarum, plantaginis & vini granatorum, ana. ℥. iiij. decoctionis duarum turturum & vnius perdicis lib. iiij. cum mica panis albiſsimi infuſa in vino granatorum, & carnibus vnius caponis fiat in ſtillatio, & coletur per manicam Hippocrat. cum. ℥. j. conſeruæ roſarum liquata in aqua portulacæ. Præſtat & pthyſana & aqua hordei cum ſaccharo, lac item capræ vſtulatum, vel cum amylo feruefactum ac cum bolo percolatum, quod grandis ſolet eſſe momenti. Nec deſunt qui in venæ eroſione lac vaccæ calidum, aut

aut ſi febris adſit, refrigeratum conſulant: lac etiam amygdalinum cum amylo: nam ſæpe ad lenia iterum eſt in hoc affectu confugiendum, cùm conſtet adſtringentium vſu ſputum ſupprimi & difficultatem inſpirandi ſuccreſcere: ob idque ſerapijs ſemper eſt vtendum, quæ vtrumque ſcopum adimpleant, vt de roſis ſiccis, de papauere, de cidoneis & myrtilorum cum aqua plantaginis & portulacæ, & lotura amyli.

Quòd ſi ne hæc quidem omnia prodeſſe videantur, cõfugiendum eſſe ad narcotica conſulit vrgentiæ ratio. Sic etenim tuſsis ſedandi & conciliandi ſomnũ gratia, philonij. ʒ. ß. ex aqua portulacæ porrigere opus erit, ſi anteà tentaueris ſyrupum papaueris noctu porrigere: ſcito tamen narcoticis non eſſe vtendum noxiter confectis, ſed ad minus poſt ſex menſes, neque ſtatim à principio mali, ſed tentatis alijs præſidijs, & vbi robuſta fuerit laborantis natura. Porriges tamen philonium Perſicum his qui ſic affecti ſunt, quippe id eſt, quod in ſanguinis immodicis fluxibus, & cum periculo caſus virium ſunt, ex vſu exiſtit. Quòd ſi Romano vti volueris, id porriges dilutum in ſucco ſanguinariæ, idque maximè vbi adiuncta eſt craſſæ pituitæ fluxio. Exhibetur autem veſpere theriaca recens craſſioris fabæ magnitudine, gratia conciliandi ſomnum, & ſiccandi atque craſſandi fluxiones, vbi caloris præter naturam ſuſpicio non ſit ſed iterum medicamentum porrigere oportebit quod leniendi vires fortiatur.

Exteriùs tamen thoraci (& quod magis probo, dorſo, ob magnam venam ea parte perreptantem) admouebis vinum adſtringens cum oleo roſaceo, myrtino aut cidoneorum, cauens ſemper quæ vehementer adſtringunt, hæc enim potius pellunt ſanguinem in pulmonem, quàm quod præſidium præſtent. Vtile enim paratur huic vſui vnguentum, quod recipit trochiſcorum de karabe. ʒ. ij. olei cidoneorum & roſati omphancini. ana. ℥. ß. miſce, & cum cera fiat ad modum vnguenti. Sed mirum in modum prodeſt id quod fit ex thure, terra ſigillata, bolo Armeno, oui albumine incorporatis: aliud etiam paratur, quod recipit ſeminis portulacæ, acetoſæ & plãtaginis. ana. ʒ. ij. coralli rubei & roſarum rubearum. ana ʒ. j. hypociſtidis, acaciæ, granorum myrti, balauſtiorum. an. ʒ. ij. & ß. gummi Arabici, tragacanthæ. ana. ℥. j. ß. maſtichis. ʒ. ij. omnia torrefianr & ſubtiliter puluerizentur, & miſceantur ſucco plantaginis, & cum oleo roſaceo omphancino & cera fiat vnguentum, vel fiat emplaſtrum, addita farina hordei, aut puluere thuris, malicorij, acaciæ, foliotum plantaginis, radicis ſymphiti, vel hæc eadem vino auſtero aut nigro decocta. Item ex vſu eſt quod recipit gallarum, cort. interio. caſtaneæ, vel polygoni, & corticis mali granati, vel balauſtiorum. ana. ℥. ß. boli Armeni. ℥. j. ſanguinis draconis. ʒ. iij. cum albumine oui fiat vnguentum. Eiuſdem vſus eſt quod recipit olei myrtilorum & roſati omphancini, ana. ℥. ij. ſucci burſæ paſtoris & polygoni. ana. ℥. j. ß. gallarum, balauſtiorum & biſtortæ, ana. ℥. ß. ceræ albæ quod ſit ſatis vt cum modico aceto fiat vnguentũ. Iubet item Ætius, dum ſanguinis copioſa fit profuſsio, ſpongiam poſca imbutam thoraci adhibere. Aliud etiam paratur emplaſtrũ incredibilis efficacię, quod recipit cerę, picis, reſinæ pini, bituminis ana lib. ß. mãnæ thuris. ℥. iij. ceruſæ. ℥. ij. opopanacis. ℥. j. olei. ℥. iiij. aceti ſextariũ, cerã, bitumẽ, oleũ & maiorẽ aceti partẽ in vaſe colliquato, deinde picẽ & reſinã adijcito, & vbi ſemicoctũ fuerit medicamẽtũ, vas ſubducito, & vtcunq; refrigeratis attramẽtũ ſutoriũ purgatum & ex aceti ſextariũ leuigatũ ſiccatumque paulatim inſpergito, & commoueto ne quid efferueſcat, & cùm non inquinat

pharmacũ vas deponito, opopanacẽ in reliqua aceti parte (nã maior pars ſtatim initio cũ alijs in vas data eſt) maceratũ immittito: vbi diſſolutus fuerit, ceruſam & mannã tritas inſpergito, & paulatim tepefaciẽs, curato vt coeant, & ne opopanax nec manna adurantur, hinc in mortarium transfuſa circumagito, miſceto, ac tandem vſui reponito.

Quòd ſi ex eroſione ob capitis defluxum malum oriatur, ad fontanellam in altero brachiorum confugere tutiſsimum & vtiliſsimum fore arbitror. Nec minoris momenti eſt diſtantiſsimam loci mutationem tentare, præſertim ad maritimum aut piniferũ ſolum, vel ad ſiccam & temperatam regionem, maximè ſi natiua ſit: nam hæc maioris ſolet eſſe momenti.

De pleuritide & dè cæteris thoracis doloribus, ac de pericardij & membranarum interſepientium thoracem affectionibus.
Cap. V I.

Pericardion eſt tela grossa, et nervosa, non multum dura, admodum bursæ circundantis cor, seu in cuius cauitate cor continetur, quæ Burra, seu Gemme, in se continet quandam aquositatẽ cordis in eam temperantem. habetq; principium à pleura,

DEcreueram integrum caput pericardij & membranarũ thoracem interſepientium affectionibus dicare. Poſteà quidem melioris gratia viſum fuit hoc vno vniuerſa vitia tunicis thoracis attinentia complecti, ante pleuritidis tractationẽ. Credibile profectò eſt prædictas membranas non minus poſſe inflammatorijs affectionibus & quibuſuis alijs affici, & ab eiſdem cauſis, ac pleura vel quæuis alia thoracis particula: ſolùm enim certo ſcio, vt rem difficilem & ſigna ſortitam obſcuriſsima, authores non ſine magno laborantium incommodo, rei difficultate perterritos prætermiſiſſe aut ſimulaſſe. Quapropter primò conſtituere oportet ſigna, quæ prædictarũ partium affectiones diſtinctiùs patefaciant, & inter ſe diſtinguant. Cùm enim inflammatorio aliquo affectu pericardion, aut membrana thoracem interſepiens corripiuntur, protinus laborans acuta corripitur febre, cũ ingenti ſiti, inquietudine, ſpiratione celerrima & frequenti, ac thoracis incendio: cum hoc tamen nullus apparet in thorace dolor, aut quàm leuiſsimus, & is in thoracis medio ad ſternon, vbi anguſtia potius & offendiculum in inſpiratione apparet, quàm dolor, quod ſolet eſſe deceptionis occaſio. Adeſt etiam tuſsis ſiccior omnibus à principio, poſteà verò cum ſputis rubris aut flauis: item pulſus qualis pleuriticorũ, durus & inæqualis, non tamen æquè manifeſta inæqualitate, ſed aliquando maiores. Quibus profectò ſignis quis facilè adduci poteſt vt credat pericardium aut membranas interſepientes inflammatorium aliquem affectum pati: nam licèt ſputum pleuriticorũ ſputis ſimile exiſtat, non tamen pleuritidem conijcere licebit, cum dolor lateris, iſque pungens non ſit, neque adhuc peripnœumonia cẽſenda eſt, cum pulſus durus inſit, & difficilis reſpiratio, & anguſtia non ita preſſa & grandis ſicut in ipſa. Verũ præter dicta ſigna, ſi in pericardio affectio fuerit, aderit æſtuatio & flogoſis maior, ad ſyncopim laborans facili occaſione, & frequenter accedit: dolor nullus adeſt, licèt in mẽbranis interſepientibus aliquis eluceat, non tamen ita grauis ac pleura inflammata: nam hæc coſtis alligata læditur facilè, & maiores ob id concitat cruciatus, illæ verò cum oſsibus non ita facilè accedant, non æquè dolent: offendiculũ tamen maius, & anguſtiam perſentiunt ſic affecti, ſortientes inculpatam vrinam, ac

ac forſan nõ improbè ſe habebũt ad oblationẽ. Huius affectionis arbitrati ſunt non nulli Auic. expoſitores, ipſum meminiſſe, ſub nomine inflãmationis velaminis diſtinguẽtis: ex cuius authoris verbis euidẽter cõſtat, ipſum nõ intellexiſſe niſi inflammationẽ ſepti trãſuerſi. Sed his miſſis arbitrãdum eſt hũc affectũ, pleuritide eſſe grauiorẽ, tũ propter cordis vicinitatẽ, tum verò ob maiorẽ febrem, & difficiliorẽ curandi aditũ, quia venæ illarũ partiũ minorẽ lõgè, quã pleura habent cũ cõmunibus venis, quæ ſcindi poſſunt, cõmunionẽ. Vtcunq; tamẽ ſit, quia ſequiora acceſſit accidentia, quibus vires lõgè citius labũtur, præter id quòd remedijs grãdioribꝰ nõ ſubeſt locus, celeri motu laborantẽ (ac forſan inopinatò) interimit. Curatio his partibus affectis diſſimilis plurimũ nõ eſt ab ea quæ pleuritidi profutura eſt. Cũ hoc tamẽ ſanguinis detractio, ſaltẽ quę primò efficitur, copioſior futura eſt, vt & partẽ affectã refrigeret, & ſanguinẽ ab affecta parte, quę recõdita eſt alliciat: nec cũctandũ eſt, iterũ & tertiò ſanguinẽ detrahere, quinimo arbitror vtiliores eſſe nouiſsimas ſanguinis detractiones. Interim tñ dũ ſanguis mittitur, thoraci quę attẽperent, leniãt, mulceantq; partẽ ipſã, adhibẽda ſunt: huic miniſterio incũbit oleũ violaceũ pãnis eo madidis adhibitũ. Ac ſi pericardiũ inflãmari conſtiterit, præterquã q; frigida actu aut ſaltim tepida præſidia adhibẽda ſunt, admiſcebis mucagines pſylij aut ſeminis citonеorũ, vel mulierẽ lac cũ aqua intybi, vel ſi placet, eis admiſcebis farinę hordei modicũ. Mox tñ à principio ex pectore inſtitues materiã educere his, quę mox legesin pleuritide: minus tñ ſacchari recipiãt ne ingẽti calore citiꝰ bileſcãt. Quibꝰ factis corpus purgabis caſia aut mãna, ſerapio ex infuſionibꝰ violarũ aut roſarũ: itẽ ad materiæ reliquias emplaſtris veteris maluarũ, altheę, & violarũ cũ caricis & paſſulis, cũ farina ſeminis lini & fœnugræci ac mucilaginibꝰ altheæ, & ſeminis citoneorũ: & de his hæc ſufficiant.

Huic etiã capiti reducere inſtitui ſepti trãſuerſi inflãmationes & vitia. In qua re ſtatuendũ eſt, ſeptũ duobus modis poſſe inflãmari: vno frigida ac pituitoſa inflãmatione, & alio calida & acutiſsima, quarũ omniũ eſsẽtiã & ſigna .c. de phrenitide latiꝰ ſcripta reperies in explicatione pſeudophrenitidis, quã ſepto tranſuerſo inflãmato ſuccreſcere dixiꝰ, differẽtes curationẽ vſq; in hũc locũ. Septi tranſuerſi frigidus & diuturnus abſceſſus eã curationẽ omnino deſiderat (prę miſſo difficultatis curationis præſagio, maximè ſi vetuſtior fuerit) quã ſcripſimꝰ curãtes obſtructionẽ leuiũ arteriarũ ex tuberculo .c. de inflãmatione pulmonis: quibꝰ adde (prę miſſa pũrgatione, & nullo ſanguine miſſo) per interna, quę diſcutiãt & emolliãt, vt butyrũ & pinguedines omnis generis cũ iure pulli: exterius verò foueb is partẽ lixiuio cũ modico aceto, & oleo camemẽ. & anethi. liliorũ, & ſimiliũ. Formabis etiã emplaſtra cũ radicibꝰ altheæ, maluæ, liliorũ alborũ, ſeminibus lini & fœnugræci: quibus addere poteris ſtyracẽ, terebinthinã, ammoniacũ, & cætera gũmoſa: itẽ ex vſu eſt emplaſtrũ meliloti. Quòd ſi hæc profuiſſe nõ conſtet, ſpartæ parellæ decoctũ cũ iure pulli præbebis, aut ad ſudandũ dabis, maximè ſi admiſcueris theriacæ modicũ, aut inſtillationẽ ex ea & decocto ſpartæ extraxeris: reliqua verò vt in difficili reſpiratione, tã in victu quã in medicamentis inſtitues. Verùm ſi tumor ſit ex tenui ſanguine, vel bile, vereri profectò oportet, ne citò æger in extremum vitæ diſcrimen procidat, cũ ex delirio minus ad ea quæ offeruntur obſequentior fiat: nam præter morbi vehementiã, vires citiſsimè exoluuntur: quo fit vt diligentiùs rem tractare oporteat. Curandi igitur ratio pleuritidis curationi omnino ſimilis exiſtit: præterquam quòd mox à principio quę modicè refrigerent anodynis, & reſoluentibus admiſcenda ſunt: huius naturæ eſt oleũ roſaceũ cum axungia gallinæ, & oleo amygdalarũ dulciũ, vel cũ vnguento pleuritico: proſunt & perfuſiones ex violis, maluis, lactuca, & camemalo, quibus

Septum transuersum eſt idem ac Diaphragma, et hic definitur, est muscul⁹ latus, et rotundus, generedius nerbosus, et per latera tenuis, seruiens, ad diuidendam Cauitatẽ Vitalem a naturali, et ad coadiuandam respiratiõ, et ad eius exclusiõnem urinarum. Ventris, et ad expulsiõnem fœcum in parte.

quibus addes fœnugræcũ, melilotũ & ſemen lini: ex quibus etiã emplaſtra cõficies. Quibus factis, & præmiſſis vniuerſalioribus, ſi hæmorrhoides ſint, ſanguinẽ ab eis hirudinibus fundes, & poſtmodũ emplaſtris veteris modicè attẽperãtibus & poſteà diſcutiẽtibus, & capiti etiã, puidebis oxirrhodino, & balneis extremarũ partiũ.

Pleuritis, quę à pleura mẽbrana ſuccingẽte coſtas, nomẽ ſuſceptat, & lateralis morbus à Latinis appellatur, inflãmatio eſt mẽbranæ quæ coſtas ſuccingit, aut muſculorũ intercoſtaliũ. Qua in re ſubaudire oportet inflãmationis nomine, phlegmonyn, ſiue tumorem durũ & dolentẽ, cuius occaſione & ob naturã ac ſitũ particulæ affectæ, accidẽtia ſuccreſcũt, quibus mille modis à morbis inſtrumentorũ reſpirationi ſeruiẽtiũ diſſidere cõſtat. Sed antequã ea quæ ad notitiã & curationẽ huius affectionis proficua ſunt, ſcribã, noſſe oportet, quanã ratione pleura, quę mẽbrana eſt, velut quæ vẽtriculũ conſtituũt, ſeptũ tranſuerſum, inteſtina & veſicã, adeò frequẽter hoc malo corripiatur, cæteris (quæ eiuſdẽ ſunt cõditionis, & magis fluxionib⁹ obnoxiæ) rarò aut nuſquã inflãmationẽ patiẽtibus. Huius euẽtus ratio ea eſt, quã Gal. aſſignat obſcuris quibuſdã verbis lib. 4. de loc. affec. c. proprio: nimirũ q, hęc venis careat grãdioribus, & quæ in minimas alterius partis degenerẽt venulas. Eſt quidẽ omniũ fluxionũ ratio hæc, videlicet quod à venis maiorib⁹ ad minores perpetuus fiat humorũ cõmeatus: quo fit, vt cũ pleura minimis tantũ venis ſcateat, quæ à maioribus aliarum partium diſſeminantur, & in ipſam deſinũt, comparatum habeat aliarum partium fluxionẽ ſuſceptare, qua ſemel habita ob rationẽ adductã, neceſsũ eſt pati, q, nõ habeat venas, per quas alteri parti cõmunicet ſuſceptũ vitiũ, quia ſolũ extremitatibus venarũ intertexta eſt. Quòd ſi aliquãdo cõſtet ex pleuritide peripnœumoniã fieri, credendũ quidẽ eſt, ſuſceptũ in pleura humorem nõ illuc migrare, ſed aliã eius portionẽ quæ caſura erat in prædictã pleurã, miſiſſe in pulmonẽ naturã ipſam turgentẽ. Ac ne nos decipiat pleuræ dolor, qui ſubitò ceſſat, ſuccreſcẽte peripnœumonia, arbitrandũ eſt, naturã per inſenſilẽ halitũ diſcuſſiſſe breui tẽpore quod pleura admiſerat. Quo fit, vt mox à principio reſolutionis neceſsũ ſit dolorẽ ceſſare: tũ ab adductã rationẽ: tũ verò quia præexiſtẽs affectus altero maiori denuo ſuccreſcẽte obſcuratur: quo ſanè fit, vt ſupernæ partes, vel inferiores, & aliæ quę venas habẽt maiores, difficilius inflãmationibus corripiãtur, q, habeãt proximas venas minores, in quas ſeſe exonerẽt: cæterũ pleura quæ venis ſcatet paruulis, cogitur quod aliunde tranſmittitur, ſuſcipere: & cùm non ſit vnde tranſmittat quod ſemel ſuſcepit, cõſtat neceſſum eſſe frequentiùs inflammationibus tentari.

In quo ſanè affectu tãquã in re grauiſsima, multa forẽt expẽdenda, ni docẽdi ratio & methodus coẽgiſſet omnia quadrimẽbri diuiſione cõplecti: quorũ primũ monſtrabit differẽtias, quibus mira & intricabili varietate hic affectus Medicos vel peritiſsimos deludit: ſecundũ ſigna omnib⁹ in genere cõmunia, & cuiq, ſpecici ꝓpria & peculiaria, vt ignorantiæ omnis deſit excuſatio: tertium cauſas docebit motiuas, & quæ omni fluxioni occaſionẽ præſtant: differentiã item fluentis ad particulam humoris: variant enim hæc ſicut affectus tempora curationem: quartum verò & vltimum curandi rationem & viam præſcribit.

Circa primũ, poſthabita Barbarorũ omniũ inutili huius affectionis diuiſione, placet Gal. ſectari, qui pleuritidẽ diſſecat in legitimã & illegitimã ac nothã (liceat mihi ſic loqui diſtinctionis gratia) legitimã quidẽ eſt, quæ ex ſolius pleuræ inflãmatione ꝓficiſcit: illegitima quæ ex muſculis intercoſtalib⁹ internis inflãmatis principiũ ſortit, dũ pleuræ etiã damnũ cõmune efficit ob reſudationẽ ad ipſã: nothaverò quę ex inflãmatione quoq, muſculorũ intercoſtaliũ fit, cęterũ externorũ, quę viſu & tactu haud

haud obſcurè diſtinguitur. Sed legitimè addẽda eſt, iudicio noſtro, alia ſpecies longe à prædictis diuerſa, quæ ex inflammatione mẽbranæ coſtis adhæreſcẽtis ſubortitur, quã membranã Græci perioſtion appellant: ex cuius inflãmatione dolor profiſciſcitur cognitu & curatu adeò difficilis, vt & laborantis ſalutem & Medici gloriã non rarò perdat. Huic etiam accedit alia, dum humor videlicet, in pleuram confluens non colligitur apoſtemoſa collectione, ſed ſolùm copioſiùs in aliquibus venis ipſius pleuræ immoratur. Tertia verò his adiungitur, pleuritidi etiam veræ finitima, nimirum dum membranæ thoracem interſepientes inflãmantur: quippe hæ par negotium vitæ faceſſunt ac verus morbus lateralis: ita quidem vt arbitratus fuerit Muſa in aphoriſmis, inflammationẽ hanc mediaſtini, veram eſſe & legitimam pleuritidem, eam tamen quæ in pleura fit, ſaltim in eius ſuperiori parte, notham & ſpuriam: ſed figmentum hoc eſt: nam ratio maioris aut minoris periculi, non efficit verum aut ſpurium affectum. Eſt itidem alius pleuritidi finitimus affectus, nimirum dum inferioribus coſtis inflammatis ſeptum tranſuerſum & ventriculum compati contingit, non ſine magno laborantium diſpendio, ni rem magna diligentia diſtinxeris. Accedit etiam alia pſeudopleuritidis ſpecies, quæ ex iecoris inflammatione orta, finitima eſt prædictis: nec tamen intelligendum eſt, hanc fieri ex quauis iecoris inflammatione, ſed in his tantum corporibus, quibus natura comparatum eſt hepar fibris quibuſdam alligari coſtis inferioribus, in quibus laborante hepate imago quædam pleuritidis repræſentatur, dolore plerumq, coſtas inferiores & iugulum ſimul occupante.

Pleuritidi etiam illegitimæ alia ſuccreſcit ſpecies, nimirum cùm materia quędã craſſa & viſcida, in membranis pectoris colligitur per totum thoracem, vnde dolor grauis, tuſsis, difficilis reſpiratio & ficta pleuritis ſuccreſcit: quæ ſanè neq, materia, neque loco, neque morbi ſpecie vera eſt, cùm neque dolor pungens ſit, neq, febris ardens, haud ſecus quàm dum flatus membranis aut muſculis intercoſtalibus impactus pſeudopleritidis ſpuriam aliam ſpeciem progignit. Quarum ſanè omnium naturam, ſigna & cauſas ante auxiliares manus venari ſtudebis: alioqui multis ſanguinem detrahes aut non detrahes, quibus plus damni quàm commodi ſubſequi comperies, idque non ſine magna admiratione Medici, decepti ſub ſpecie pleuritidis.

Secundum huius capitis propoſitum continet ſigna quibus affectus huiuſmodi notitiam in genere venari poſſumus, & rurſus ea quibus vnamquamq, eius ſpeciem. Quæ conſiderare oportet in triplici eſſe differentia: quædã enim ſpeciẽ morbi declarant, ab eaq, ſunt inſeparabilia, quæ pathognomonica nũcupantur. Secundi generis ſunt quæ aſsidentia nuncupantur, non ſemper quidem morbum comitantia, ſed ſæpe cum illo accidunt, ac differentias diſtinguũt ab affecto loco & affectus ſpecie, aut affectionis natura: ſuntque pathognomonicorum effecta, vt ſputum cruentum, flauum, lingua arida, ad iugulum vel ad hypochondrium inclinans dolor, in hoc latus facilior, quàm in alterũ decubitus. Tertio loco ſunt mox apparentia in triplici contenta ſorte, nimirum coctionis & cruditatis in ſputis, deiectionibus & vrinis: ſalutis & mortis ex his quæ toto corpore apparent & in excrementis etiam, vltimo loco critica. Sed his omiſsis, ſunt hæc quæ à Medicis vulgari nomine pathognomonica appellantur. Quæ ſanè apud Gale. & Hippocrat. lib. 1. aphoriſmor. 12. numero tantùm exiſtunt quinque: quorum primum dolor eſt lateris pungens: nam licèt affectum conſtituat tumor præter naturam: cùm habeat abditam, & reconditam corporis ſedem occupare, fit

profectò

Mediaſtinus eſt panniculus, qui in ſubſtantia aſſimilatur Diaphragmati, diuidens pectus ſecundum longitudinem, & probe rectè diuidit pulmonem germanum, & aliquatenus ſponte ſibi dat diuiſum pulmonem, ipſum ſuſpendendo, & iuuamentum huiusmodi diuiſionis fuit, quod ſi ſpiritus accideret in una pectoris parte, non communicaret ſibi.

Signa.

profecto,vt non posit cognosci,nisi ex doloris modo & grauitate. Expendere tamẽ circa hoc signum oportet,primò cuiusnã conditionis & naturę dolor sit:quod venari docuit Gal.2.de locis affect.ex affecta particula:quo fit,vt cõstet eũ debere esse pungenti similem:nam cùm inflammata particula membranosa sit,& ex nerua substantia contexta, fit dolorem pungentem inflammatam producere: ex quo etiam prodit non rarò,dolorem ad distantes partes extendi, quòd membrana omnem thoracis cauitatem obducat . Atqui licèt huiusmodi dolor ex inflammatione prodeat,non ob id sequitur debere esse pulsatorium,siquidem pulsatorius proprius est partibus arteriosis inflammatis, loco tamen pulsationis punctionem sentit laborans,ex humoris natura & affectæ particulæ conditione.

Dubium. Sed dubitare hac in parte licet, qua nam ratione pleura arterijs careat: quod factum esse suspicor,quia calorem à corde sibi vicino susceptat,& ventilationẽ à pulmone,quemadmodum gibba hepatis ob septi trãsuersi viciniã arterijs orbata est: nam & vesica fellis venis alimentalibus caret,& interna cordis ob sanguinis copiã qua fruitur:quo fit,vt pari lege hæ partes.Cum hoc tamen conspicimus non rarò adesse lateralem dolorem,cui pulsatio adiuncta est:sed expendendum est, id non accidere veræ pleuritidi,sed ei tantùm quæ obsidet musculos intercostales internos,quòd arterias sortiantur,& etiam plures ea parte qua subiacet musculis, nam tantùm eis orbatur ea parte qua ossa attingit,nec in perpetuo esset dolore, aut pulsationis sensu ex ossium vicinia: quippe credendum non erat vniuersam pleuram omnino arterijs orbari, sed solùm qua parte ossa attingit: qua ratione exquisita pleuritis,etiam dum ingentissima est,& in suppurationem degenerat, pulsatoriè dolet, quòd musculos prædictos,hoc est pleuram ipsos cooperientem inflammatio præ magnitudine comprimat,& ipsa tunica inflammata extensa ad musculos quoque pulsatoriè doleat.

Rursus consideratione hac in parte dignum est,qua nam ratione ex laborantibus pleuritide, quidam grauiùs doleant cubantibus supra latus contrarium, quidã verò supra affectum: quod obscura quadam sententia explicuerat Galen. lib. de constitutione artis med.cap.18.dicens, ob id fieri,quia membrana appellata pleura,erat duplex: non quòd re vera talis sit,sed quòd eius existat crasitudinis, quòd altera eius pars per se inflammari possit,citra alterius vitium & iacturam.Sed huius historiæ ratio est duplex:altera quæ exquirit quanam ratione quibusdam magis supra idem quàm supra contrarium latus cubantibus doleat: secundum verò cur doleat magis cùm decumbit laborans supra sanum,& cur dum supra ægrum. Cuius quidem enodatio est,quia in sanum latus conuersus tumor suspenditur,atque ita distenditur membrana quæ patitur,qua occasione necessum est dolorem exasperari. Verùm cùm ægro lateri incumbit, quia subiecto corpore supprimitur, pars ampliatur & dolor exacerbatur fusa latiùs materia: præterquàm quòd pulmo lateri affecto innititur,quapropter minus semper molestantur sic affecti ex supino decubitu.Secundi enodatio est,quia dum laborantes sentiũt dolorem supra sanum latus cubantes,ob id est,quia membranæ pars quæ exterior est (hoc est quæ respicit cauitatem thoracis)inflammatur,appendetque inflammatio,& ob extensionem maiorem infert dolorem,quàm cubantes supra idem latus. Cæterùm cũ cubantibus supra latus affectum maior succrescit dolor,eo est,quia inflammata est interior tunicæ pars,qua parte costis adhæret: quippe eo tempore procumbit inflammatio supra osseam duramq́; substantiam: quo fit, vt grauiùs dolere sit necessum. Qua etiam signi cõditione seiunges veram pleuritidem à reliquis omnibus, in

in quibus nulla, aut quàm leuissima in decubitu supra hoc vel illud latus subest differentiæ ratio.

Secundum signum quo huius affectus notitiam venamur, febris quidem est, necessariò huic affectioni adiuncta,quia affectio phlegmonosam naturam sapit: cui proculdubiò proprium est calidam intemperiem esse, quod ædemati & scirrho non contingit.Prodit insuper hanc febrem de genere ardentium fieri, non quidem ex affectus conditione & natura,sed ex affectæ particulæ situ : nam prope cor sita est pleura. Et cùm ardentis febris ratio sit locum putredinis iuxta cor sitũ habere, hinc est,inflammatam pleuram necessariò ob dicti visceris viciniam, febrem ardentem sibi comitem habituram. Quo etiam signo ab alijs huius mali speciebus vera pleuritis dissidet : nam in nulla aliarum febris ardens reperiri potest.

Tertium verò signum,respirationis est difficultas, quæ multis profectò rationibus prædictum affectum commonstrare valet:nam cùm pleura quoque respirationi ob costarum motum videatur subseruire,certum est cùm læditur,lædi quoque respirationem ipsam. Qualis autem futura sit,docuerat optimè Hippoc. lib. 1.prognost.27.dicens: Spiritus frequens dolorẽ significat aut inflammationem, &c.quo loco euidenter monstrat difficilem respirationem constare ex frequentia & paruitate ipsius. Parua quidem fit respiratio,quia præ nimio dolore partis affectæ animal non audet tantum distendere thoracem,quantum necessum sit pro vsus indigentia: quapropter necessum est fieri paruam,& ex consequenti frequentem,quia id quod à magnitudine detrahit natura propter dolorem,adimplet frequentia,vt vsui satisfaciat, qui magnam & celerem respirationẽ postulabat:præterquam quòd morbus ille in figura impedit quo minus thorax tantam susceptet aëris copiam,quantam par erat:quo fit,vt frequentia compenset magnitudinis defectum.In quo sanè signo ferè omnes pleuritidis sortes cõuenire videntur: quippe omnes difficilem respirationem sibi comitem habent, ea excepta quæ in tunicis ossium reperitur.

Quartum signum constituit pulsus, qui serræ similis efficitur:cuius signi gratia tria expendisse oportet,primum qua nam ratione pulsus fiat durus in quibusuis pleuræ inflammationibus, si quidem non fit omnibus cõmunis influxus & æqualis:cui dicimus duplicem esse duritiei naturam & causam,quarum altera depẽdet ex inflammatæ partis conditione:altera verò ex affluente humore.Sic partes laxæ carnosæ & pingues licèt inflãmentur,non protinus pulsum durũ efficiunt: remittit enim particulæ mollities duritiẽ,quæ ex affluenti humore cõtrahitur,vt in pulmonis inflammatione Galen.accidere statuit.Sic prorsus contrario modo partes membranosæ & neruosæ suapte natura maiorem ex quouis humore contrahunt duritiem,velut pleura inflammata efficere creditur,licèt longe maiorem duritiẽ contrahat septum transuersum.Habet tamen pleura aliud peculiare propter propriam naturam,quo possit duros efficere pulsus,quòd ob ascendentes arterias, tunica quadam vestiatur sibi simili:sicut descendentes arterias alia ex peritoneo:quo quidem fit,vt dum inflammatur membrana illa propter sympatiam & consortiũ longè maiorem inferat duritiem:nam tensa parte inflammata ex affluente humore,facilè tenduntur reliquæ cum illa connexionem obtinentes, quibus tensis necessariò suborirur quoque tensio in arterijs,tum ex natura partis affectæ, tum ex connexione illa. Altera verò durities proficiscitur,nõ solùm ex natura humoris(vt in flaua bile & melancholia contingit)sed ex vberiori copia,quæ nata sit duritiem

media tenſione efficere: quibus conſtat, quanam ratione membrana inflammatione affecta, dura reddatur. At inæqualitas quæ pulſum ſerrantẽ efficit, ex inæquali duritie & tenſione ipſius tunicæ quæ in conſenſum arterias trahit, ſuboritur: tum propter villos, quibus hac in parte colligantur ſeu veſtiuntur arteriæ, quibus tenſis ob inflammationem, neceſſum eſt arteriam quoque diſtendi, idque inæqualiter, cùm arteria ea parte non omnino & æqualiter prædictis villis cooperiatur: quo fit vt partes quæ liberæ manent à compreſsione villorum altiùs eleuentur, cõpreſſæ verò villis depreſſæ maneant, figura quidem dentibus ſerræ perſimiles. Cui cauſæ accedit quòd partes inflãmatæ non replentur omnes ex æquo, vt fiat æqualis extenſio, fieret enim eo tempore gangrena ob caloris ſuffocationem, qui nullibi ventilari poteſt. Sic profecto inæqualis efficitur pars quædam ex inflammatione ampliùs repleta, altera verò minus: quæ ſanè plenitudinis ac duritiei inæqualitas pariter reperitur in arterijs, ſiquidem per conſenſum patiuntur, & cùm compaſſionis ratio eadem teneatur eſſe, ſequitur pulſum fieri ſerræ perſimilem: nam altera arteriæ pars quæ duritiem repræſentat, tactum acutiùs ferit, altera verò mitiùs. Pertinet autem huiuſmodi differentia ad eam pulſus inæqualitatem quæ fit in vnica pulſatione, cæterùm in diuerſis partibus arteriæ. Tertiò expendiſſe oportet circa huius ſigni enodationem, quî fiat quòd Galen. aliquando pulſum pleuritidis paruum, nonnunquam mediocrem, & aliquando magnum appellet: quod factum eſſe ſuſpicor, quia poterit pulſus varias differentias ſortiri, iuxta id quod in inflammatione præualet: nam ſi ſuperat phlogoſis ſeu incendium tenſionem ipſam à qua durities prodit, neceſſum profecto eſt pulſus fieri magnos: cæterum ſi hæc ſuperatur à tenſione & duritie, fieri quidem paruos neceſſum erit: nam quod tenſum durumque efficitur, minimè poteſt plurimum diſtendi. Verùm ſi vtraque cauſa ex æquo ſe habeat, certum eſt pulſus fieri mediocres: quantum enim caliditas nititur magnos efficere (vt ſic loquar) tantum reſiſtit durieties & paruos reddit.

Quintum & vltimum ſignum ſuboriur ex tuſsi, quæ neceſſariò huic affectioni ſuccreſcit: cuius occaſione duo abdubitare oportet: primum an tuſsis neceſſariũ ſit pleuritidis ſignum: ſecundũ, an huiuſmodi tuſsis neceſſariò ſicca teneatur eſſe à principio. Circa primum dubitandi ratio hæc eſt, cùm enim conſtet tantùm poſſe tuſsim excitare quæ liberum aëris ingreſſum prohibent, & viæ huic actioni dicatæ tantùm in pulmone exiſtant, ac pleura longè diſtet ab eius ſitu, dubium videtur quanam ratione eius affectiones tuſsim excitare poſsint. Creſcit dubitandi occaſio, quòd hac ſola ratione natura fabrefecerit aſperam arteriam cauam & brõchijs ſolidiſsimis intertextam, ne concíderent & protinus obſtruerentur: quòd ſi aliquando contigerit aliquid ibidem incidere, tuſsim machinata eſt, qua facilè illud excernet. Sed ratio potiſsima eſt, quia cùm in principio pleuritidis adeò crudi tas vigeat vt nihil reſudare contingat quod ad tuſsiendum laceſſat naturam, ob id videtur tuſsim neceſſariò pleuritidi non ſuccreſcere. Cum hoc tamen ſtatuendum eſt, eam eſſe neceſſariam cùm thoracis caro nitatur expellere quod ſibi moleſtat: & ſic in principio dum nihil reſudat à parte inflammata, potius videtur tuſsiendi cupiditas, quàm vera tuſsis. Sed videndum eſt, an neceſſum ſit pleuritidi à principio ineſſe ſemper tuſsim ſiccam: ratio dubitationis eſt, quia contrariũ videtur Hippocra. inſinuaſſe. 4. acutorum. quo loco inquit. At ſi os madeſcat: & rurſus prima aphoriſm. 12. Quòd ſi ſtatim ſputum appareat: qua parte oſtendit ſputum apparere in principio, hoc eſt ſtatim & intra tres primos dies, quibus conſtat neceſ-

neceſſarium non eſſe, tuſsim fore in pleuritide ſiccam. Cui dubitationi dicimus, ſex cauſis in pleuritide tuſsim apparere ſiccam: prima ob membranæ ipſius denſitatẽ ſoliditatemq;, cuius ſubſtantiã permeare nequit protinus humor intra ipſam contentus: ſecunda ob humorum craſsitiem, viſciditatem & lentorem: tertia verò propter humorum cruditatem, quos eſſe à principio coctos eſt impoſsibile: quarta ob facultatis animalis, & muſculorum thoracis infirmitatem: quinta ob dolorum vehementiã: & vltima propter bronchiorum obſtructionem. Quibus aliam addit Hippocra. in prognoſticis, nimirum dum nihil expurget pulmo plenus, ſed in gutture ferueat, cum ſtertore quodam, humore per vim diuiſo ab aëre inſpirato. Quibus adhuc omnibus aliam conſiderationem adijcies, nimirum idem poſſe accidere dum inflãmatio eſt in muſculis intercoſtalibus. Quippe hæc omnia diſtinxiſſe oportebit, ne quis decipiatur aut in præſagio, aut in curatione, cũ quæuis prædictarum cauſarum longè diuerſam ab alia expoſtulet medendi & mitigandi rationem: quæ quidem non ſolùm eſt pleuritidis, ſed crudæ pleuritidis ſignum. Quapropter credendum eſt, non eſſe verè pathognomonicum ſignum: deſignat enim potius pleuritidis tempora, quàm ipſam pleuritidem.

Supereſt quidem nunc docere, qua via pleuritis vera à reliquis diſsideat, & quomodo quæuis ſpuria dignoſcatur: ſic profectò ſi dolor extenſus ſit, conijcere oportet inflammationem non eſſe in mediaſtino. Prætereà dolor qui fit ex imbibitione humorum non erit pungens, ſicut dolor veræ pleuritidis, quòd porositates quas replet, tendat potius, non dilaceret, quia non efficitur abſceſſus, & ob id dolor erit extenſus & tenſiuus magis. Sic pari ratione diſtingues copiam humoris in venis pleuræ exiſtentem, ac nondum efficientem abſceſſum, à vera pleuritide, quia dolor grauatiuus eſt magis. Item à muſculorum inflammatione ſeiunges, tum quia dolor eſt magis circunſcriptus, tum verò quia minimè erit pungens. Itaque in notha pleuritide tuſsis nulla eſt, niſi fortaſſe à deſtillatione à cerebro: pulſus nec durus nec tenſus: febris non æquè acuta, nec ita difficilis ſpiratio. Prætereà dolor preſſu contactuque exacerbatur, iſque pulſans eſt, non pungens propter muſculorum intercoſtalium inflammationem: pleura enim qua parte coſtis ſubeſt, arterias non habet: qua vero arterias recipit, vt in medijs coſtarum interuallis, non comprimitur, nec proinde dolorem pulſatorium facit, quantumuis inflammetur, niſi humore eunte in ſuppurationem, quo tempore adeò creſcit quòd à muſculis ipſis comprimi poſsit, & pulſatoriè ob id doleat. Inſuper in hac mendoſa pleuritide nihil excernitur vt dictum eſt, & ob id nihil malignitati morbi adſcribendũ eſt, licèt tuſsis accedat, quòd pleura ad muſculorum inflammationem coinflãmetur: dolor neque ad iugulũ neque ad coſtas ſe extendet: pulſus minus erit durus: & ſymptomata omnia pariter mitiora erunt. Prætereà ſi dolor in latere oriatur, à flatu diſtendente ſimulanteque veram pleuritidem id facilè noſces & diſtingues, quia hic non eſt fixus, ſed varius & vagus ac per interualla repetens, pleuriticus verò ſtabilis ac perpetuus. Cui, vt vera pleuritis deſignetur, accedit, neceſſum eſſe prædicta ſigna omnia ſimul aſsiſtere, ita vt vno deficiente, licèt reliqua quatuor præſint, pleuritis vera non ſit. At in reliquis eius ſpeciebus longè aliter res ſe habet: nam vno aut altero vel pluribus ex prædictis ſignis apparentibus, ſat eſt vt cognoſcatur, maximè ſi prædicta ſigna aliquo modo ſint mutata, vel accidẽti aliquo affecta, quo videantur diſſidere à ſignis veræ pleuritidis. Sic inflammatio iecoris cuius accidentia æmulãtur ſigna veræ pleuritidis, diſſidet ab ea loco, pulſu, dolore, vrinæ colore, & tuſsi: loco, quia ſemper dolet pars dextra, & infra coſtas apparet aliqua durities

vel tumor: dolore, quia grauis est dolor, non pungens: item vrina coloratior appareat: tusi, quia adest sine screatu omni morbi tempore, & cum hoc iuxta iugulũ molestia persentitur. In peripnœumonia pulsus adest vndosus, nõ durus vt in pleuritide, & pro dolore sentitur pondus mox à principio, ac tanta adest respirãdi difficultas, vt laborãtes nõ nisi recta ceruice respirare possint: quibus accedit febris maior quã pro ratione doloris. Quòd si hæc omnia adfuerint & deliriũ quoque, ac in pulsu euidentior durities, septũ transuersum inflãmari certum est. Si verò periostiõ inflammari contingat, dolor profundior apparebit, fixus ac veluti clauus parti infixus & nullibi extensus, aderit decubitus supra idem latus grauior, minor pulsus, nec durus neq; inæqualis: tusis leuior, aut nulla & in qua nihil excernitur: leuamẽ à sanguinis detractione vel nullum vel paruum. Cũ tamen ex crassa pituita quæ tumorem præter naturã fabrefacit, dolor oritur, ipse nullam habet acutiẽ, sed grauatiuus potius est, febris nulla, tusis intẽsior, qua post longũ tempus parũ & crassum excernitur, à quo nihil leuatur laborans (nam in vera pleuritide quantũuis crassa sit materia, quod in principio spuitur tenue est, quia veræ coctionis principiũ crassorum est attenuatio, donec ad mediocritatem procedente coctione reducatur) respiratio veluti in asthmate grauis, & quæ difficilior est quàm doloris cõditio expostulare videatur, veluti si intercostales musculi inflãmationem paterentur: sed dissident, quia in horũ inflãmatione dolor tactu præstito supra partem dolentem percipitur pulsatorius. Contingit prætereà quibusdam catharrum patientibus costas dolere, vel à flatu simul eunte cũ defluxione pleuram distendente, vel ab ipso humore fluente imbibitoque in prædictam tunicam & sibi vicinas citra vllã collectionem: qui sanè dolor pleuritis non est, sed pleuritidis præludium, sicut dum solũ viget humor in venis partis dolẽtis, nondũ in spatia non naturalia delapsus, sed ibidem tensionem & molestiã efficiens. Dignosces autẽ id ex febre, quæ vel leuissima est vel nulla, ex dolore qui hinc inde vagatur, ac licèt fixionem habeat, non magis exacerbatur cubãti supra idẽ quã supra contrariũ latus: quod verò tusi excernitur (quod à primo die cõtingit aduersus pleuritidis naturã) pituitosum est & albũ, minimè sapiens conditionem humoris resudati per pleuram, neque alicubi collecti.

Est alia præter dictas pleuritidis sortes, quã pseudopleuritidem licet appellare, quæ moreueræ pleuritidis quinque signis nuper adductis insignitur, & cum hoc vera pleuritis non existit: nam dum ex frigore dolor alicui laterum incumbit, & ex dolore febris succrescit, & ex eodem frigore defluxio prolabitur, quæ & tusim & respirationem difficilem, nec non & pulsus tensionẽ inferat, fit proculdubio vt veram pleuritidem æmuletur prædictus dolor. Interstinguet autẽ peritus Medicus, vera ne sit, an ficta, quia licèt laborans incumbat supra alterum latus, non subinde sequitur magis dolere, neque adhuc si vehementer tusiat: præterquàm quòd febris, trãsacta prima die, cessat tanquã ephemera ex dolore, & adhuc sputũ merè pituitosum est. Quæ omnia expendisse oportet, ne perperam & frustra sanguine missio, frigidius reddatur intemperamentum, & grauior fiat dolor.

Causa. Causas qui exactè venari studuerit, priùs in externas & in occasionem, & in internas ac abditas tenetur dissecare: & deinceps externas cõplecti oportet bimembri diuisione: nam aut calor est, humores fundens & liquans, ac vias laxiores reddens, vel frigiditas, quæ repulsu ab externa compressione facta, fluxionem concitat. Sic Aquilone flante ob repulsum & cõpressionem fluxiones fiunt, sicut Meridionalibus ventis præ calore. Internæ verò causæ bimembri quoque gaudent diuisione: nam vel ratio mali prodit ob membrum mandans, quale caput solet esse, vel

vel vniuersum corpus, ob maiorem efficaciam ad transmittendum humorem nocuum: aut fit ex impotentia recipientis pleuræ, quæ ob aliquã prægressam, aut præexistentem occasionem facilior & rarior susceptione excrementorum effecta principium malo præstat. Sed cùm rarò citra tertiam causam prædictæ in affectum cõcurrant, ipsam diligentiùs expendisse oportebit. Est autem humoris alicuius adeò ingens redundantia, aut deterrima qualitas, quòd validæ partes se se exonerantes in pleuram, omnium imbecilliorem violenter transmittant. Sed inter humores quibus proprium est huic malo materiam præstare, sanguis primum locum habet: est enim inflammatio, quæ plerũque ex affluente fit sanguine: sed quia pars quæ recipit, puta pleura, vasis donata est paruissimis & solidæ substantiæ, frequentiùs contingit flauam bilem illuc migrare, aut saltem maximam eius copiam sanguini vel pituitæ esse admixtam, quæ vehiculum solet reliquis humoribus existere: melancholia autem rarò id malũ excitare habet, pituita verò medio genere ambigit, sed dum bili admiscetur, frequentiores generat pleuritides quã quiuis alius humor. Nõ quidem quòd tenuioris sit substantiæ, quod necessum erat, vt posset pleuram peruadere, sed quòd fluxionibus efficiendis copiosa & promptior subsit, dum bili aut sero aliquo admiscetur, adeò vt nullam liceat reperire pleuritidẽ ita exquisitã, quòd aliquid pituitæ admixtum non habeat. Sed in hac re controuersia Galeni dirimenda est, qui licèt libro de const. artis Medicæ ca. 3. asserat, iuxta adductam methodũ, posse pleuritidẽ à quouis humore fieri, lib. tamen de loc. affe. probat melancholicũ humorẽ nõ posse pleuritidi materiã præstare. Multi verò illius loci expositores censent, secũdo loco Gal. nõ negare pleuritidem nõ posse fieri ex melãcholia, sed non posse fieri primò & per se, sed cũ vasa musculorũ & partium pleuræ vicinarũ scateãt melãcholico sanguine, ex quo potest resudare aliquid in pleurã & melancholicam efficere pleuritidem: nõ quidem primò vt ex reliquis humoribus, sed modo nuper adducto. Ego tamen arbitror, verũ esse vtrũque Galeni dictũ: nã lib. de locis patientibus, probè asserit melancholicũ & pituitosum humorem per se nõ esse aptos ad penetranda vasa & foramina pleuræ, & ob id iure optimo negat posse pleuritidem efficere: lib. tamen de cõstitutione artis Medicæ & 6. aphor. 33. docet posse fieri ex prædictis humoribus, cæterũ cõcurrentibus sanguine aut flaua bile, quorũ admiculo crassi humores prædictas partes peruadere possint, & inflammationem efficere. Verũ quia cuiusq; humoris pleuritidem efficientis seorsum meminisse studui, hac ratione supersedendum est hac in parte ab eorum signis, quia incumbit monstrare cuiusuis pleuritidis futurum euentum, tãquam id sine cuius cõgnitione impossibile est rectam instituere medendi rationem.

Præsagiũ. Nosse enim in hac re oportet magnitudinem pleuritidis, conditionem & impetum, vt cuiuis facilè cõstet quantũ, quale, & qua diligentia teneatur præstare auxilium, nec nõ & prædicens corã ægris præsentia, præterita & futura, vt (sicut Hippo. docet) mortis aut alterius cuiusuis sinistri euentus culpa carere videatur. Qua in re expendere oportet, summã huius rei pendere ex tẽpore futuri status & robore virium: hoc verò nosces ex actionibus & pulsu: illud quidem ex natura excrementorum, quæ præ se ferunt conditionem humoris peccantis. Quippe hunc vsum præstant signa mox apparentia, nimirum salutem, mortem, breuitatem, aut diuturnitatem: iuxta illud Hippo. Sed ex his quæ mox apparent indicia sumuntur, &c. Sic & signa assidentia morem morbi monstrantia magnum in hac re præstant vsum: & vt ad pensum redeam, bilosum & rubrum sputum breuitatem morbi pollicentur: securius tamen est rubrum: & diuturnitatem pituitosum ac melancholicũ pro-

ferunt, ſed hoc cæteris eſt perniciosius: cæterũ neque id ſemper infallibiliter verũ comperimus, ſed facta collatione ad vires, vel naturales, quia ante decimum quartum diem (tempus ſanè pleuritidi ad expurgationem & ſalutem dicatum) vel ad animales, quibus incumbit ſecernere quod natura concoxerit & ſuppurauerit, vtriuſque enim actionis defectu, vel alterius ſuccumbit laborans, quantumuis humor benignus exiſtat: ſicut dum robuſtæ ſunt ambæ & indomitũ humorem euincunt, ac laborantem ad ſalutis portum deferunt. Et licèt plura ſint ſigna quibus ars docet cognoſcere humorum & morbi prædictum ſtatum, quæ firmiora & fideliora exiſtunt, coctionis ſunt aut cruditatis: illa enim celeritatem iudicij, & morbi ſecuritatem oſtendunt, ſicut hæc è contra. Ne tamen decipiamur in iudicio coctionis aut cruditatis in pleuritide, expendiſſe oportebit, quid cruditatis & quid coctionis nomen importet. Cruda enim apud Hippocrat. tria ſignificare euidenter conſtat ex ſententia illa: Cruda verò & incocta, & quæ in malos abſceſſus abierunt. Primùm cruditas ſe tenet ex parte naturæ non agentis: ſecundum verò ex parte humoris qui ſuapte conditione coctibilis non eſt: tertium quidem & vltimum corruptum humorem deſignat, qui nullam vſquam à natura gratiam ſuſcepere voluit. Quæ ſanè qui nõ exactè calluerit, fateatur ſe neque præſagare, neque curare in prædicto morbo probè poſſe. Cruditas enim qualis in principijs morborum viſitur, ſæpe ſimpliciter cruditas cenſenda eſt, quia nondum natura aggreſſa eſt materiam ipſam: incocta verò materia, ea quæ licet à natura aliquam actionem recipiat, nihilominus tamen ipſa incocta & incoctibilis manet: incocta quidem ſicut prima cruditas: incoctibilis vero non defectu naturæ, ſed ſui. Ex qua dum pleuritis ſuboritur, ſicca ab authoribus nuncupatur: nam ea in qua nihil ſpuitur in principio, quòd natura nondum aggreſſa ſit coctionem, ſicca cenſenda non eſt, ſed ea in qua poſt actionem naturæ, tanta eſt peruicacia & incoctibilitas materiæ, quòd nihil excernatur notatu dignum, quæ mortem ſi citò morbus iudicetur, portendet, ſicut diuturnitatem, ſi natura iudicium differat. Sicca etiam pleuritis efficitur, quòd in ſuppurationem tendat: quod cenſeo Hippocra. in malos abſceſſus abire dixiſſe: ſat enim eſt in pleuritide deterrimus abſceſſus, qui ſuppuratione finitur. Inſuper his accedit alia pleuritis, quæ ſiccæ nomen meretur, facta quidem ob mutabilitatem & turgentiam materiæ, quæ ob prædictam mutabilitatem neque coquitur, neque quidquam per reſudationem tranſmittit. Quibus cognitis, non erit difficile iuxtà cuiuſque cruditatis differentiam & naturã coquentia adhibere auxilia, aut prædicere quò ſe vertet morbus: crudæ enim pleuritides nihil aliud quã morbi diuturnitatem oſtendunt: incoctæ verò, ſi ex viriũ defectu prodeant, mortem: ſi ex renitentia materiæ, morbi diuturnitatem, & tandem ſuppurationem, ex quo etiam mortem vereri poſt varios labores, non eſt abs re. Sic profectò coctiones, quas multis modis docuit cognoſcere Hipp. 1. aph. 12. mille etiã modis ſalutem & breuitatem morbi oſtendere habent: ſalutem quidem, quatenus coctio eſt, breuitatem autem quatenus hoc vel illo tempore apparuerit, iuxta illud Hippo. quòd ſi ſtatim ſputũm appareat, morbum breuiat: & tertio popul. Coctiones celeritatem iudicij & morbi ſecuritatem oſtendunt. Sed materiã non eſſe incoctam cognoſcimus eo quòd per tuſsim aliquid excernatur, cuius etiã conditiones attentè intueri licet, vt quantum præualeat natura noſcamus. Spuitionẽ etiam & ſputum appellat Hippoc. illud, quod tuſsi reijcitur: ſpuitionem quidem cruditatis indicium: ſputum verò ſimplici & primo ſignificato, maturum & perfectum intelligitur, niſi aliqua imperfectione inſigniueris: nam ſolet, dato quòd natu-

natura excernat aliquid, tã eſſe crudũ, craſſum aut ſummè tenue, q; licèt nõ indicet ſummam cruditatẽ, vt nihil ſpuere, indicat tamẽ maximã, niſi aliquid inæqualiter coctũ ſecũ tulerit, quod iam principiũ coctionis oſtendat. Quòd ſi flauũ & craſsũ fuerit, ſi viſcidũ, ſi liuidum aut nigrum, ſi ſincerũ, aut varijs coloribus permixtum, ſi difficulter & tardè ob viſciditatẽ, vel defectũ naturę excretũ ſit, procul dubiò ſigna ſunt hæc cõtrariæ coctionis, & quæ difficile iudiciũ ac nõ rarò mortem oſtendũt. Superest adhuc dubitatione dignũ, ſi verũ eſt, vt nõ rarò cõſpicimus, pleuritim in pulmoniã aut phrenitidẽ mutari, quæ nã ſit via, per quã id fieri poſsit, cũ videatur impoſsibile: ſiquidem pulmone trahẽte quod reſudat ex pleura, ſolùm fiet difficilis reſpiratio ob aſperas arterias eo humore plenas, nõ inflammatio. Cui dubitationi dicimus, tribus modis poſſe pleuritidem in pulmoniã migrare, vno ſuggente pulmone & humore permeãte ex arterijs aſperis in leuiores & reliquam carnem, qua efficitur pulmonia: ſecundò dum è toto corpore cõfluit in pleurã, & quod in venis illi proximis ineſt, remeat ad pulmonem antequã in pleuræ carnẽ dilabatur: & eſt mutatio pleuritidis in pulmoniam, quatenus ad cauſam attinet: nã quod ſemel in ipſam confluxit, rarò migrat in pulmonem, ſed per reſolutionẽ euaneſcit, materia illuc fluxura ad pulmonem recurrẽte, vt dictum eſt in prima parte huius capitis: & quia ſcatet minoribus venis à quibus non eſt ad aliam partẽ cõmeatus, niſi modis dictis, non autem per defluxum ex pleura ad dictas partes: tertiò cùm idẽ fit, materia à cerebro in pleurã delabẽte: quippe reſoluitur quod confluxit, & fluxurũ procidit in pulmonẽ. Quod etiam de cõmeatu huius affectus in pleuritidẽ ſubaudire oportet, ac addere quartã cauſam, nimirum euaporationẽ eius, quod vel in pleura, vel in pulmone continetur ad caput, in quo denſari oportet, & calfieri, ac ex conſequenti, vel deliriũ efficere, vel inflammari, & phrenitidẽ: præſagare inſuper de doloris exacerbatione quinto aut ſexto die facta, ſi mitior eò vſq; apparuerit, malũ: ſic enim in Coacis ſtatuerat Hipp. quippe vbi molliter cœpit, & latenter paulatim augetur ac vehemẽtiſsimus efficitur, periculoſus cenſeri debet: tum propter ſexti diei perniciẽ, in quo bona ſigna non fida ſunt, & mala pernicioſa: tũ verò quia quinto die exacerbari, ſignũ eſt victoriæ ſupra naturã & materiæ potentiam, atq; efficaciã. Secus res ſe habet dũ pus conficitur, quòd eis diebus fieri eſt impoſsibile. Præterea mediaſtini dolorẽ grauiſsimũ, & periculoſiſsimũ arbitramur, tum q; tunica ea parte denſiſsima ſit, & reſudationi inepta, tum verò quia proximior eſt cordi.

Cognitis & diligẽter cõſideratis quæ hucuſq; dicta ſunt, vt clariùs adhuc innoteſcat curãdi ratio, hoc vnũ præ oculis ſemper habeto, quòd ratione particulæ affectæ & ſitus eiuſdẽ, multa ſunt auxilia huic affectioni proficua, quæ nulla lege adhibẽda ſunt, vt de repellẽtibus auxilijs parũ inferiùs mõſtrabimus. Sed antequã huius grauiſsimi affectus curationẽ aggrediar, in dubiũ vertere ſtudui, an ſemper liceat à ſanguinis detractione initiũ curationis auſpicari. Et primò videtur poſſe ab vſu diſcutientiũ pharmacorũ initiũ ſumi: nã in hoc affectu materia in affecta parte contenta tantũ faceſsit negotiũ, quòd fere cæteras indicationes obũbret, vt viſum fuerit Hipp. li. 2. de ratione victus, à fomẽtis reſoluẽtibus incipiendũ fore. Quibus proculdubiò vti docet primo loco, docẽs calida adhibere fomẽta, quæ nõ tentãdi gratia, vt falsò vulgo fertur, adhibẽda ſunt, ſed ad moliendã reſolutionẽ eius quod in parte cõtentũ erat. Nã ſunt inter pleuritides nõnullæ adeò leues & citra aliũ morboſum apparatũ, vel in corporib⁹ adeò extenuatis, vt ſolũ ſufficere videãtur prædicta fomẽta: præterquã q; mox à prima adhibitione vim habẽt mõſtrandi ſit ne corpus plenũ aut ſecus: quippe in plenioribus corporibus, eis adhibitis exacerbatur

Curandi ratio.

Dubium.

dolor,& euidenter mõſtratur à ſanguinis detractione eſſe incipiẽdũ.Cũ hoc tamẽ ſi eis opus habuerimus,neq; temere neq; vt ſors tulerit adhibenda veniũt,ſed in ea pleuritide quæ ex leuiſsima prodit plenitudine,aut eâdem iã depoſita,conſiderare oportet materiã peccantẽ,& iuxta eius ideã fomẽta parare.Nãſi materia pituitoſa ſit & fluxilis,ex ſiccis medicamẽtis ea cõſtituere oportebit,ſi verò bilioſa,ex humidis & quæ anodynã habeãt virtutẽ:q; ſi eis adhibitis perſtiterit dolor, innitẽdũ nõ eſt,ſed ad alia auxilia protinus properandũ.Nã adeò graue periculũ impẽdet prædicta affectio,vt tutius mihi & omnib⁹ videatur,ſemper à ſanguinis detractione incipiẽdũ fore,niſi vel corporis macies,vel viriũ imbecillitas,vel affectionis paruitas contrariũ inſtituerint.Quod multis rationibus verũ eſſe ſuſpicor,licèt id quoq; cũ diſtinctione debeat intelligi: nam cùm humores per venas confluant ad affectam particulam,tutius eſt ſanguine extracto per venam ſciſſam,eundem reuellere & euacuare,quàm euocato maiori defluxu calorificis auxilijs,aut pharmaco purgãti adhibito,maiorem efficere tumorem.

Dubium. Liceat ne aliquãdo principiũ curationis auſpicari ab exhibitione purgantis pharmaci,in dubiũ quoq; vertitur:nã cõſtat ex Hipp.in deſcendente pleuritide, & ea quæ ad coſtas vergit mendoſas,initiũ curationis ab expurganti pharmaco eſſe ſumendũ: præterquàm, q; ſtatutũ eſt,ſi humores ſinceri ſunt,& ab alijs ſegregati,purgandos fore.Quibus etiã accedit,humorẽ ad pleurã fluentẽ vicẽ turgẽtis ſortiri, q; ad partẽ principẽ confluat,ac ex cõſequẽti eâdẽ die oportebit purgari,cui nõ æque ſubuenit ſanguinis detractio.Sed cõtrariã ſentẽtiã tueri magis hac in parte placet: tum quia affectus vrgẽtia & cõditio maius ſuſceptat leuamẽ ſanguine miſſo(quia quod in parte continetur,eo auxilio euacuatur cõmodiùs)tũ quia impetũ humorũ promptiùs detrahit ſanguinis detractio:tum etiã quia Hipp.nõ renuit ſanguinem mittere in deſcendẽte,ſed ſtatuit quo prædictorũ auxiliorũ vtendũ ſit magis: præterquàm q; eã ſententia non omnibus viris doctis recepta habetur. Expẽdere inſuper in hac re oportet,q; licèt Hippicũ dolor ad hypochondria deſcẽdit,laxãtia præſcribat,ad materiæ tantũ antecedẽtis eductionẽ Gal.concedit,ſiue ab ſplene,ſiue cauis hepatis educi oporteat:nõ quidẽ à thorace,idq; nõ ſemper:quippe ſanguinis detractione opus eſt,vt Soranus in Hipp.taxat,& Gal.etiã tacitè.Quãuis enim minus(inquit)proficiat in dolore inferiorũ partiũ,attamen eius vſus ſecurior eſt q; purgationis,ob multa incommoda quæ poſſunt in purgando euenire, quæ etiam ibidem annumerat.Et Raſius quoque eius ſententiã ſequitur,dicens meliorẽ eſſe phlebotomiam.Cum hoc tamen ſi quando purgatione vtendum eſt,eius indicationem auget dolor ſi leuis ſit,ſi æger gracilis & non plurimo ſanguine abundãs: itẽ ſi vires ſint infirmæ,ſi difficultas expectorandi adſit, ſi pleuritis coctionẽ ſuſcipiat,& ſi laborãs ſanguinis detractionem vereatur:nã ſi hæc nõ adſint,loco ſanguinis detractionis purgatione vti ſuſpectione nõ caret. Præterquã q; pharmacũ maiorẽ infert turbationẽ in crudos & motos humores:nã quod cõmotũ eſt,& iam iã in particulã irruit,citatiùs ad eã mouetur.Huic rationi adſtipulatur alia, nimirũ q; in principijs tumorũ præter naturã nihil ab affecta parte purgãti medicamẽto extrahitur,ſanguinis verò detractione plurimũ. Ex quo cõſtat,in quauis pleuritide à quouis ſucco oriatur, etiãſi ipſi debeatur expurgans medicamentũ,principiũ curationis ſemper auſpicandũ fore à ſanguinis detractione,habito tamẽ reſpectu ad humoris ideam:nã tanto minus ſanguinis eſt detrahendũ,quanto vnius humoris redundãtia apparuerit:nã ſi flaua bilis,pituita ſalſa,vel quiuis alius ſincerus redundauerit,parciùs ſanguis mittendus eſt,quantum ſat ſit,vt fluxionis impetus cõpeſcatur,

tur,mox verò purganti pharmaco vtendũ,vt quod per corpus vagatur,ſeligẽti medicamẽto expurgetur,ne doloris ratione & fluendi impetu in partẽ dilabatur:fruſtra enim arbitror eſſe in pleuritide alia ratione vti expurgãti medicamẽto: nam hac indicatione in principio & in omni pleuritidis tẽpore vti cõceditur:ſiquidem quod in inflãmatione cõtinetur,ſuppuratione,vel inſenſili reſolutione ac reſudatione,& tuſi euacuari potius debet,quã purganti pharmaco.Materię tamẽ antecedẽtis occaſione in ſanguinea pleuritide,nulla lege purgandũ cenſent ſapiẽtiores,in alijs verò quæ ex prædominio alicuius humoris concitaretur,purgandũ eſt: neq; plurimũ differre oportet prędictũ auxiliũ,ſed prima aut ſecũda vel ad ſummũ tertia ſanguinis detractione facta,prout purior vel ſanguini admiſtus apparet humor peccans:inſuper nec vereri oportet in bilioſiſsima pleuritide rhabarbari modicum adijcere,non quidẽ in ſubſtantia,ne viæ thoracis arctiores fiant,miſcere tamen ſemper oportet aliquid caſiæ,vel ſyrupi ex infuſionibus violarum cum prædicta rhabarbari expreſione,vt vtrique ſcopo ſatisfactum ſit,lenitioni quidem partis,& ſuperflui excrementi eductioni.

Verùm ſi his præmiſsis,Medicus cognouerit affectionẽ adeò eſſe duræ ceruicis, q; nec calidis fomentis,nec expurganti medicamẽto cedere videatur, arbitrari eo tempore tenetur,maiorẽ eſſe vaſorũ plenitudinẽ,& maiorem etiã fluentium humorum ad particulam impetum.Quapropter vniuerſum negotium cõmittere tenetur ſanguinis detractioni,cui tanta ineſt vis & efficacia, vt nõ ſolùm humorum copiam minuat,& impetum retrahat, ſed quod in affecta parte contentũ eſt etiã deriuatione,dum in venis partis adhuc viget,& nouo retroceſſu ad venas, ſi iã delapſum eſt,euacuet.Sed vniuerſalis huiꝰ curationis gratia expẽdere oportet,hũc affectum tumorẽ eſſe præter naturã,cuius curationẽ ſcribẽs Gal. licèt ex diſtẽperie, mala figura & ſoluta vnitate conſtet,in quatuor partes diſſecat lib.de conſtit. artis medicæ,& lib.13.metho.c.9.quarum quælibet ex fluentis conditione ſumitur. In qua re iubet conſiderare quantitatẽ humoris per vniuerſum corpus vagãris, & copiã ad particulã affectã irruẽtem, tertiò quantitatẽ eius quod delapſum iam eſt in partem affectam,& vltimò qualitatem ac diſpoſitionem eiuſdem humoris, tam delapſi & contẽti in parte inflammata,quã eius qui fluxurus eſt aut fluit. Quibus è directo reſpondet reuulſio, euacuatio, repulſio,deriuatio & reſolutio,vt placuit Galen.loco citato.

Verùm quia harũ indicationũ nullã optimè poteris exequi,quin priùs ſanguinẽ miſeris,perdiſcere anteà oportet,ex quo loco, quantũ & quomodo cũ extrahere opus ſit.Ante omnia tamẽ conſiderandũ & ſtatuendũ eſt,aliquãdo eo rẽ deuenire q; ſanguinẽ mittere opus nõ ſit,quippe in debilibus,& his in quibus frequẽter defluxiones à capite delabũtur ob cruditatũ abundantiã,mittẽdus nõ eſt ſtatim primo mali acceſſu: maximè ſi ſputũ facilè exeat,albũ ſit,vel ſanguinolentũ,& dolor leuis:nam flatuoſa ſubſtãtia adeò pleuræ venas diſtẽdere aſſoleat,q; rarefactis poris ſanguis cũ dolore exiliat,& per ſputũ excernatur,ſimulans pleuritidẽ,in qua ſi ſanguinẽ miſeris,nõ minus lædes quã in debilibus & catarrhoſis qui leuem patiũtur febrẽ.Sed caue ne te hæc quæ diximus decipiant,& ſanguinis miſsionẽ differas,ſi res aliter ſe habet,& vera ſit ac fraudulenta pleuritidis cõditio:quapropter niſi euidenter cognoueris aliquã ex prædictis cauſis pleuritidem ſimulare,& re vera non eſſe conſulo ne ſanguinis detractionem differas:quippe longe maius damnum ſequitur ex prætermiſſa vacuatione vbi opus eſt, quàm ex ea facta vbi neceſſaria non exiſtit. Quibus ſuppoſitis vbi cognitum fuerit ſanguinem eſſe mittendum, primò

Sanguinis detractio.

Primò ſciendum eſt,dubitatum fuiſſe apud antiquos omnes, nec non & Neotericos,ex quanam parte ſanguinẽ in morbo laterali extrahere liceat,à parte affectæ proxima,an à diſtanti,cùm certum ſit reuulſionem fieri nõ poſſe niſi à diſtantiori,deriuationem verò ad proxima. Cuius dubitationis alteram partem Medici omnes ex Arabum familia tuentur,aſſerentes in primis neceſſum eſſe à diſtantiſsimis partibus ſanguinem extrahere:verùm cùm falſum ſemper varium ſit,& multiplex,conſtat ex eorum ſcriptis,alios ex vena tali eiuſdem lateris,alios etiam ex talo contrario, plures tamen ex oppoſito brachio ſanguinem primò mittendum,& mox accedendum ad affectam particulam,ſtatuiſſe. At Græci omnes & Latini,vni veritati conſentiunt,nimirum ſanguinem eſſe extrahendum potius è directo partis affectæ ab ea parte quæ proxima ſit affectioni. Arabes tamen fulciũt ſuam opinionem ſententijs quibuſdam Hippo.perperam intellectis,quæ ſi probè expendantur,nihil minus probant quàm eorũ decretum. Eſt tamen tanquam fundamentum,quòd in omni tumore præter naturam,ſiue affectu qui ex defluxione humorum ad aliquam particulam cõcitatur,neceſſum eſt ſanguinem mittere ab ea parte,quæ tutiùs & citiùs reuellat humores fluentes,quo longiùs diſtrahantur à loco affecto. In cuius rei probatione innumera Hipp. & Gal.loca adducunt,quæ primo acceſſu id videntur ſonare, ſed aliquid illis deeſt, cuius ignoratione longè diſtant à veritate.

Cæterùm ne nobis vſu veniat quod multis accidere ſolet, nimirum fruſtra tempus conterere in refutandis futilibus rationibus, & fundamentis perperam intellectis, hoc vnum liberè audeo aſſerere:nimirum totam Barbarorum errandi occaſionem ſtare in deprauato intellectu naturæ reuulſionis, quæ neceſſaria eſt in curatione huius affectus. Cuius gratia expendere oportet, qua via fieri poſsit, quòd facta reuulſione,quam Barbari primo moliendam eſſe adſtruunt,neceſſum cum hoc ſit& poſsibile, ab eodem latere ſanguinem extrahere. Eſt itaque vt res à primis principijs expendatur, in quauis euacuatione triplex intentio ſeu finis, qui reuulſionem ſeu retractionem fluentis materiæ aut eductionem à parte intendit: & cùm hæc ratio tripliciter contingat,hinc etiam fit triplicem eſſe retractionis ſpeciem. Prima ſanè eſt,dum ad diſtantiſsimas partes fit humorum euocatio, ſecunda dum ad contrarias:tertia verò & vltima dum humoris fluentis euocatio fit ad originem fluxionis. Præſtat quæuis harum reuulſionum ſuam gratiam, & vſum immutabilem quidem & neceſſarium, promanantem à diuerſitate ſtatus ſeu conditionis materiæ, cuius ratione & occaſione adhibetur:nam aliquando præcautionis gratia reuulſionem molimur, quo tempore dubium non eſt, quin neceſſum ſit ad diſtantiores partes fluxionem reuellere, præſertim cùm totius corporis conſenſu affectus fit. At verò dum humor iam moueri ad particulam aliquam cœpit, æquum profectò eſt & neceſſarium, ad contrariam ei ad quam fluit, contrario excitato motu fluxionem diuertere: quo ſenſu arbitror Hippocrat. dixiſſe, poſteriora capitis dolenti recta vena frontis inſciſſa iuuat. Verùm dum fluxionis origo cognita fuerit, neque ad contrariam partem,neque ad diſtantem reuellere opus eſt,ſed vbi humor digreditur, ibidem retrahi debet:ſic profectò in fluxu ſanguinis narium cucurbita iecori adhibita, ſi ex dextra nare profluat,ſummoperè cõducit. Atq; hæ ſunt reuulſionis ſpecies, quarũ Gal.expreſsè meminit li.artis medicinalis.c.85. Quibus eodẽ loco & pluries alibi duas addidit peculiares cõditiones,quib⁹ neceſsũ eſt omnẽ reuulſionẽ fieri,nimirũ ſeruandã eſſe hãc legẽ in quauis,vt cũ rectitudine aut cõnexione partis affectæ fiat ſi profutura eſt. Quam ſanè rectitudinem non vt Fernelius arbitrati oportet, ſed his figmentis omiſsis,per rectitudinem ſeu cathixim Hippoc.ſubaudire eam recti tudinem oportet,quæ eſt inter dextram partem cum partibus eiuſdem lateris, & inter ſiniſtram cum ſiniſtris. Monſtrat quidem fidiſsimum experimentum eodem modo ſemper contingere in his vacuationibus quæ ſecundùm naturam fiunt: ſic enim altera totius corporis pars paralyſi affecta,reliquam incolumen relinquit:ſic ſanguinis fluxus qui per nares fiunt è directo partis affectæ laudat Gale.contrarios verò damnat:nam rationabile eſt, partem dextram ſe ſe in eandem exonerare,ſi quid illi ſupereſt & nocet:nam faciliùs dextra pars per dextrum latus,quàm per ſiniſtrum expurgatur. Hac enim lege fabrefecit natura in animalibus & plantis bina omnia,vt altero læſo reliquum euaderet incolume:ſignum profecto diuiſionis membrorum. Sic & in plantis ſemini dicabit geminum ſitum, quem ſepto quodã medio diuiſit,vt ſi altera pars ſeminis læderetur,altera incolumis ſpeciei propagandæ ſupereſſet. Quibus rationibus coniectabile eſt,dextram partem cum dextra, & ſiniſtram cum ſiniſtra maiorem ſocietatẽ habere in affectionibus ſuſceptandis & propellendis,quàm dextra cum ſiniſtris,aut è contra.

Secunda verò reuulſionis conditio eſt,partium commercium & communitas: nam licèt ſæpe conueniat rectitudinem prædictam ſeruare,tãtæ efficaciæ eſt connexio ſeu communitas partis affectæ,cũ ea à qua ſanguis extrahendus eſt, vt ſæpe potiorem ſui præſtet indicationem: quinimo vt verum fatear,arbitror hanc eſſe in omni vacuatione ſeruandam(maximè ſi affectio vrget)potius quàm ex reliquis aliquam. Eſt tamen prædicta communio duplex:vna quæ conſiſtit in vno communi venarum trunco à quo diſſeminãtur venæ partis affectæ: ſic altero crurum male habente,alterũ ſcarificare iubet Gal.quia vtrumq; crus in vnico cõmunicat trunco venæ cauæ deſcẽdentis. Secunda cõmunio ea eſt quæ fit inter venarũ oſcula:nimirũ cùm oſcula vaſorũ oſculis vaſorũ eiuſdẽ lateris cohærent:nã cõiectabile eſt vnius lateris venas ſocietatem maximã & cõmunionẽ habere cũ venis eiuſdẽ lateris,ita vt communi quodam conſenſu vena ſciſſa in eo latere,quod in eodem ſupereſt,per venã ſciſam faciliùs & promptiùs extrahatur,quã alterius lateris vena aperta. Quod hac ratione euidẽter conſtabit,ſuppoſito priùs fundamento,nimirũ ſatius eſſe in pleuritide à parte affecta ſanguinẽ mittere(etiãſi à vena ſine coniuge, quæ dextram habitat corporis partem,octo aut nouem coſtæ inferiores vtriuſq; lateris alantur,quo videbatur ſemper à dextro latere in quacunq; parte fit dolor,ſanguinem eſſe mittendum:quam dubitationem tollit ſecũda communionis ratio) ac etiam ſi in principijs inflammationũ decretũ ſit apud omnes Medicos,neceſsũ eſſe à diſtantioribus & contrarijs partibus ſanguinem detrahere. Sed huius cõtroueꝛſiæ hæc eſt potiſsima deciſio, nimirum aliud eſſe ſanguinem mittere in pleuritide & membrorũ principalium inflãmatione, & lõge aliud in quouis alio affectu cuiuſuis alterius partis:nam in alijs affectibus ob partis naturam & ſecuritatem, conſtat ſolã reuulſionẽ poſſe fieri citra vitæ aut alterius periculi crimẽ. At in pleuritide tantũ faceſsit negotiũ,quod in particula colligitur,etiam ſi parum ſit, quòd neceſſariò mixtam præſtet indicationẽ,ac celerius expoſtulet auxilium,quàm id quod per diſtantes aut contrarias fieri poteſt. Quamobrem conſulit vrgentiæ ratio ab ea parte per quam reuulſio & deriuatio ab affecta parte fiat, ſanguinẽ eſſe mittendum:nam ab ea reuellimus,vt principium inflammationis expoſtulat, & deriuamus,vt affectus ſçuitia & efficacia deſiderant.

Sanguine itaq; miſſo ex hac parte,cõiectandũ eſt,minimè tantũ eius extrahendũ eſſe

dum eſt mox prædictis adhibitis & ſimul cum ipſis: nam & ſuo modo anodynam quoque habent facultatem. Sunt autem hæc quæ nuper diximus, additis paulò calidioribus & diaphoreticis: cuius cõditionis eſt camemalum, anethum, hyſſopus, vngula caballina, ſaluia, folia lauri, maximè ſi addideris puluerem ireos, ſicut prædictis vnguentis prædictum puluerem & hyſſopi, camemali, anethi, cumini, thymi, marrubij, braſicæ & aliarũ quæ conſimilem habent virtutẽ. Præſtat eundem vſum emplaſtrum filij Zachariæ: ac ſi reſoluere in animo ſit, ei vel vnguento pleuritidis addes (maximè ſi vt ſępe ſolet, maligna ſit pleuritis ex corruptione vel natura) oleũ naphæ, iaſminorum, & quod experimento felici non rarò probaui, oleum de Mathiolo aut theriacæ modicum. Vſus etiam docuit profuiſſe plurimum emplaſtrũ, quod recipit axungiæ porcinæ. ℥.iiij. ſucci caulium. ℥.ij. puluꝛis cimini. ℥.j. ſic & aliud magno pretio habitum apud noſtri ſeculi prædictos viros, quod recipit de radicibus altheæ coctis ac piſtatis, & extractis per ſetam lib. ß. farinæ fabarum, fœnugræci & ſeminis lini. ana. ℥. ß. puluꝛis camemali. ʒ. iij. axungiæ gallinæ, & anatis ana. ℥. ß. vitella ouorum numero duo, croci. ℈. j. Pręſtat & idẽ beneficiũ foliũ caulis contabefactum & axungia ſine ſale inunctum, ſuperſparſis cimini puluꝛibus, & calidum parti dolenti adhibitum: ſed vtilius parabitur ſi partem priùs inunxeris oleo amygdalarum dulcium in quo ferbuerit altheæ radix minutim inſciſſa. Maioris efficaciæ eſſe creditur, quod recipit dialtheæ. ʒ. ij. cum oleo amygdalarum dulcium & ſeſamino ac medulla crurum vituli facto vnguento, & addito puluere radicis ireos. Quem quoque vſum præſtat ex Pauli decreto præſidium ex cineribus caulium mixta adipe & facto linimento. Cùm verò vſu venit vias lenire parteſq; extrinſecas dilatare, neceſſum eſt præſidia adhibere citra cereæ aut alicuius glutinoſæ ſubſtantiæ admixtionem: ſat enim eſt partem fouere, quo faciliùs ad intima permeet medicamenti vis: cuius naturæ eſt id quod recipit olei amygdalarũ dulciũ, butyri recẽtis. ana. ℥.iiij. axungiæ gallinę. ℥.ij. iridis, croci, ana. ʒ.j. Verùm ſi frigidior ſit materia, addes oleum liliorum, radicem enulæ, hyſſopum, muci laginem fœnugræci, ſeminis lini, dialtheã & ſulphur.

Interim tamen dum hæc extrinſecus adhibentur, per interna præbere oportet ea quæ aduerſus humoris inclementiam & viarum ineptitudinem pugnare nata ſint. Docent enim authores humores craſſos extenuare, viſcidos incindere, adhærentes abſtergere aut abluere, & eos qui præ nimia tenuitate tuſsis impetum ſubterfugiunt, ad mediocrem cõſiſtentiam reducere, & tandẽ vias expulſioni apriores reddere, aliaq; opera exequi, quæ ſiccitatẽ tuſsis omnino adimant: varia profecto, vt variæ ſunt cauſæ, quas tuſsim ſiccã efficere poſſe diximus: quippe iuxta cuiuſq; naturã & cõditionẽ neceſſum erit ſputũ mouere: nam dũ pleuritis ſicca efficitur ob mẽbranæ denſitatẽ, fomẽtis molliſsimis & vnguẽtis, vtendũ erit: ſi ob humorũ craſsitiẽ, quæ attenuent (vt mox ſpecialiùs referã) ſi propter humorũ cruditatem, coquentibus: ſi ob animalis facultatis impotẽtiã, roborantibus: ſi propter doloris ſęuitiam, leniẽtibus mitigatorijs: ſi propter obſtructionẽ, hisq; vias reſerare nata ſint: & pari ratione ſi ex plenitudine pulmonis, his quæ tuſsim moueant, quo faciliùs natura gliſcat ad expulſionem. Quæ omnia diſtinxiſſe oportebit, ne in cognita cauſa inutile aut forſan contrarium adhibeatur auxilium, quod non rarò accidere imperitis comperimus. Attenuant quidem & incindunt craſſos & viſcidos humores, vt ab his initium ſumam, quæ ſuapte natura humida ſunt & tenuium partium, aut inciſoriam habent facultatem. Sed expendendum eſt, hæc omnia craſsis & viſcidis omnibus citra diſtinctionẽ adhibenda non eſſe: craſſum

craſſum enim ſæpe tale efficitur ob impenſam aſſationem, aliquando verò ob coctionem, nonnunquam tamen ſua natura tale exiſtit: his verò proficua ſunt medicamenta quæ incindunt & attenuant: aduſtis quæ humectant & madefaciunt: craſsis verò ex coctione quæ abluunt & abſtergunt. Neque inconuenit omnibus craſsis largã humectationẽ porrigere: ſic enim aliquid humidũ ſerapijs admiſcere oportet, velut hordei aut glyzyrrhizæ decoctũ, vel puriſsimæ aquæ modicũ, cuius tanto magis adaugebis, quanto ex aſſatione craſsitiem proficiſci conſtiterit: potus enim largior eo tempore medella eſt. Quòd ſi hæc prodeſſe nõ videãtur, addere ſerapijs oportebit acetoſi modicũ, maximè ſi calor nimius fuerit, ſin aliter, aut frigida ſit & craſſa ex natura ſua humoris cõditio, oxymellitis ſimplicis: & multi addũt ſquillitici: quo caſu admiſcere oportet ſyrupum de hyſſopo, glyzyrrhizæ, aut capillorum veneris, quibus addere oportet modicum acetoſi, quantum ſat ſit, vt humorum craſsities frænetur, excitetur q; ampliùs homo ad tuſsiendum. Nam ſolùm tuſsicularibus, & bechicis vtendum eſt in pleuritide, cùm animalis facultas adeò languida eſt, quòd expellere nequeat: quia ipſe affectus & cauſa ipſa vicem habẽt tuſsicularem & facultatem irritant, ſi quidem morbum conſtituunt in via. Et ob id dum tuſsis deficit, ipſam ſyrupo deprauſio & acetoſis excitare oportebit. In quo ſanè operę lentè & ſenſim progrediendum eſt, ne maior fiat humoris extenuatio, aut tuſsis irritamentum, quàm par ſit, maximè verò in pueris, corporibus macilentis, genere neruoſo affectis, fœminis vterinis affectionibus moleſtatis, & quibus aſperior tuſsis aut vigiliæ grãdiores apparuerint: quibus ſanè ſupplere oportet aceti defectum decocto cardui ſancti, vngulæ caballinæ, ſaluiæ aut aliarum herbarũ quas paulò inferiùs recenſebo. Cõfert mirũ in modũ laborãti præbere. ℥.iiij. aquæ ſtillatitiæ per balneũ Marię extractæ ex floribus camemali: partẽ enim lenit, reſoluit, aperit, & ſudorẽ mouet. Prodeſt & ſerapijs omnibus admiſcere modicũ olei de ſemine lini, aut ipſum oleũ cum pauco ſaccharo, aut ſi fuerit pleuritis nimium biliоſa, loco eius oleum amygdalarum dulcium.

At cùm præ nimia tenuitate ſputũ ſubterfugit naturæ impetũ, ipſum ad mediocritatẽ reducere ſtudebis, & fluxionẽ quoq; compeſcere: vtrumq; tamẽ facies ſyrupo violaceo, addito nenupharino aut roſaceo: maximè ſi grande ſit incendiũ: quo caſu præſtantius eſt ſyrupũ de papauere admiſcere. Hunc etiã vſum præſtat caſia aqua hordei & violarũ liquata, ſicut dragacãtha & ſaccharũ aqua diſſolutũ, additis puluꝛibus amyli, ſeminis papaueris, florũ roſarũ, borraginis & bugloſsi. Præſtat & amylũ aqua ſacchari dilutũ: ſed cùm fluxio prędualet doloręq; nõ eſt tanti momẽti, ſerapij loco vti cõſolunt doctiores cõſerua roſarũ, violarũ aut bugloſsi, cũ puluꝛibꝰ roſarũ, coralli aut dragacãthi & glyzyrrhizæ. Sic initio, fluxione vberiùs prolabente, eclegmata adhibenda ſunt ex tragacantha & ſyrupo roſarũ: q; ſi vigilia & tuſsis prævaluerint, vt ſæpe ſolet, plantaginis, capitũ roſarum & hordei decocto ſyrupum roſarũ aut papaueris admiſcebis, vel ablues in prędictis aquis amylum. Quẽ quoq; vſum præſtat lac amygdalarũ dulciũ extractũ decocto hordei vel ricæ torrefactorum, aut aqua chalybeata vel deaurata: quo etiam caſu ſæpe contingit confugiendum fore ad ea quæ fluxum ſiſtere nata eſſe diximus capite de tuſsi. Verùm quia in pleriſque pleuriticorum non raro vſu venit lenientia, detergentia, incindentia & repurgantia admiſcere, ob id aliqua ſcribere oportet, quæ mixtas habeant vires. Cuius cenſus eſt hydromel, vel aqua hordei ſaccharata & piſtilo glyzyrrhizæ ſumpta: ſyrupus item capillorum veneris incidit & detergit ſine manifeſto calore, ſicut glyzyrrhiza. Præſtat & mellicratũ ex aqua in aqua radix violæ purpureæ,

ſthœcas,chamędrys,vel chamępytis incoxerint. Verùm ſi abſtergendum eſt,aquã ex integro hordeo parare oportet, ſicut vbi leniendum eſt aut ſitis extinguenda, fricare hordeum oportet aſperiori linteo,& exteriori tunica expoliare: ſi verò nutrire ſit in animo,proportio hordei ad aquam augenda eſt,eoque coquendum,donec frangatur hordeum: conſtat enim ex viginti partibus aquæ & vna hordei. Aqua enim ſacchari detergit& coquit,ſi calidior ſit pleuritis:lenit & nutrit ſi. ℥.j. ſacchari coquatur in viginti aquæ ad medietatem:poteſt tamẽ ſacchari portio augeri ad. ℥.iij. facta colatura cum modico cinnamomi. Quòd ſi ſitim extinguere velis & ampliùs lenire,ſerapij violacei modicum addes: faciliùs enim ſic ſputum educimus,maximè ſi modicum ſyrupi iuiubarum addideris,qui coquit & lenit in bilioſa pleuritide,ſicut in pituitoſa mellicratum,in quo radix altheæ,hyſſopus & thymus coquendo maduerint. Præſtat etiam aliud quod recipit ſpartæ parellæ. ℥. j. ß. radicis enulæ campanæ & ireos ana. ℥. ß. ſaluiæ & betonicæ. m. j. coquantur, & in colatura diſſolue mellis quantum ſufficiat vt fiat hydromel non admodum dilutum. Conducit etiam hyeme & frigidis temporibus ſicut reliqua medicamenta quæ capite de tuſsi adduximus.

Sunt enim inter pharmaca huic affectioni proficua,quædam peculiari proprietate efficacia,velut raſuræ dentis apri. ℥.ij. in vino albo tenui,aut oleo amygdalarũ dulcium vel ſeſamino, præterquàm quòd confert ad cohibendam fluxionem ob innatam adſtringendi efficaciam. Prodeſt etiam id quod recipit radicis lapæ ſiccæ quæ purpureum florem gerit,aut floris eiuſdem. ℥.ij. mulſæ quantum ſat ſit ad potum. Valet etiam id quod recipit coralli rubei. ℥.j. mulſæ. ℥.iij. item ius ſerpylli expreſsi cum aqua cardus benedicti:nec non pudendum ceruinum toſtum & in tenuiſsimum puluerem redactum ad. ℥.j. cum oxymellite aut vino: ſunt qui ſummopere laudent oleum ceræ arte chimica extractum cum vino albo, at aqua cardus benedicti, vel vngulæ caballinæ, aut decocto capitum & ſeminis papaueris.

Quòd ſi ne hæc omnia prodeſſe videantur,verendum profectò eſt, ne in ſuppurationem commigret affectio,& curandum omni diligentia eſt,ſi in id malum vergat affectio, vt quã citiſsime per partẽ ipſam affectam materiam extrahamus. Cui operi celebrauit antiquitas duo auxilia:primum & quod periculo non vacat, eſt ante initium ſuppurationis inter coſtas pleuritidi reſpondentes foramẽ ferro candenti, aut inciſorio aliquo ferramento efficere,quo ſenſibiliter totũ illud materiæ quod migraturũ eſt in pus expurgetur,antequã rupto abſceſſu pus in cauitatem thoracis prolabatur. Verũ neq; vſu neq; felici experimẽto adeò creuit vtilitas huius præſidij, quòd cogamur in graue hoc periculum laborantem ducere:quapropter ſecuritatis gratia ab vſu prædicti auxilij ſemper ſuperſedeo: niſi tranſacta decimaquarta die, dum adeò creſcunt ſuppurationis accidentia,quòd longè certius eſt periculum ea facta, quàm thorace perforato. Secundum verò auxilium, quod magis proficuum & ſecurum exiſtit,eſt cucurbitarum vſus:de quarum adhibitione & vſu diuerſa proferunt authores,licèt omnes conſentiant pleuritidi ſupra partem affectam fixas & ſcarificatas, ſummoperè prodeſſe. Verùm qui exactè mentem authorum calluerit, comperiet prædictam varietatem non contradicendi ſtudio, ſed maioris aut alterius vſus gratia ſcriptam fuiſſe. Sunt enim qui poſt principium morbi prædictas cucurbitulas affigunt: ſunt qui poſt decimamquartam diem: ſunt etiam qui in leuiori pleuritide & vetuſtiori eis vtantur: ſunt qui & in acutioribus, ſed parua exiſtente materiæ copia. Sed expen-

pendendum eſt, quid vnuſquiſque velit. Celſus enim lib. 4. cap. 6. arbitratur, tantùm earum opus eſſe,vbi lenior aut vetuſtior fuerit lateralis dolor, quaſi volens in pituitoſis,& quæ ægrè coquuntur pleuritidibus,proficuas eſſe ad materiæ quæ difficilis exiſtit ſuppurationis, ita vt neque per reſudationem, neque per inſenſilem halitum digeritur, extractionem: verùm cutim priùs incidit,poſteà verò cucurbitulas adhibet. Hanc tamen ſententiam ſequuntur alij authores,diuerſo tamen modo: nam Alexander eis vtitur in debili pleuritide, & in corporibus quæ parua abundant humorum copia, & quæ maiorem euacuationem ferre nequeunt. Paulus verò lib. 3. cap. 33. tantùm docet poſt. 14. diem affigendas eſſe cucurbitulas, & poſtmodum ſcarificandas. Ætius verò poſthabitis omnium ſententijs, ad diſcutiendum humorem, qui fomentis & cataplaſmatis non ceſſit, eis vtitur, quas poſteà ſcalpello ſcarificat,& oleo ſale aut nitro perfricare iubet, vt facta per oleum penetratione, ſalis beneficio, materia tenuior facta, promptiùs, & vberiùs expiret. Quibus exactè penſatis facile erit cuiq; noſſe,quo in caſu prædicto auxilio liberè vti poſsit.

Verùm licèt ſpuria & illegitima pleuritis non tantum faceſſat negotium, neceſſum tamen erit docere, qua methodo & quibus auxilijs Medicus teneatur vti in eius curatione. In primis ſi doloris vrgentia poſtulauerit,aut corporis morboſus apparatus,ne vera fiat pleuritis,ſanguinem etiam demes,ſed parciùs: auxilijs tamẽ vtendum eſt,quæ diſcutiendi & attenuandi materiam & aperiẽdi externos meatus vires habeant: ſic enim fomenta quæ veræ pleuritidi prodeſſe diximus, & cataplaſmata quæ reſolutoriã & diaphoreticã vim habeãt,ex vſu eſſe cõperimus.

De pulmonis inflammatione, ac de leuium arteriarum eius obſtructione.

Cap. VII.

PLacet hac in parte peripneumoniæ meminiſſe, nam licèt morbus ſit eiuſdem ſpeciei & naturæ cum præcedenti,eſt tamen affectus loco diſsidens: nam pulmonis eſt inflammatio,cũ acuta febre ac ſpirãdi difficultate,cui & anguſtia & grauitas coniuncta eſt,(obid peripneumonia dicta) ex quouis humore ibidem confluente orta, etiam ſi tanquam certiſsimũ habeatur,à pituitoſiori ſanguine frequentiùs oriri.

Sed antequam eius naturã & cauſas aggrediar,ſtudui leuium pulmonis arteriarum obſtructionis rationem reddere,ac periculi grauitatem oſtẽdere. Reduximus hanc affectionem ad præſens caput,quia plerumque ſolet eſſe inflammationis præludium,nec vllam infert in reſpiratione difficultatem, niſi malum aſperas arterias coarctet. Cuius rei gratia ſtatuendũ eſt,contrario propagationis & inſertionis modo ſe habere aſperas,& leues arterias in pulmone,ſicut diuerſum perficere officiũ,ac diuerſis facultatibus & mẽbris inſeruire. Quippe aſperas pulmoni inſeruire & animali potẽtiæ aërem trahenti,& à ſummo gutture & aſpera arteria per vniuerſum pulmonẽ diſſeminari euidẽtiſsimum eſt: leues verò contrario modo à cordis ſiniſtro ventre oriri,vel ibidẽ implantari,& per pulmonis lobos diſſeminari,ſuſcipiẽtes aërẽ ab aſperis,& cordi ſolũ referẽtes & feruientes,receptantes etiam ipſius fuliginoſum recrementũ,vt Gal. placuit. 7. de vſu partium:

quibus conſtat, earum læſionem potiùs ſubitum interitum, aut ſuffoccationem innati calidi defectu prædicti officij, quàm difficilem reſpirationem poſſe interre, ſiquidem ei non ſeruiunt, ſed cordi. Eſt igitur hæc affectio leuium arteriarum pulmonis obſtructio, quam grauiſsima ſequuntur ſympthomata, nimirum ſyncopis & ſuffoccatio ſubita: ex cuius rei ignoratione ſic affectos arbitramur apoplexia interẽptos: & ſi de cordis anguſtia conquerantur, conijcimus non rarò, vel oris ventriculi conſenſu id pati, vel generali nomine affectionis cordis reſpondemus affectos eſſe, cùm ad veram præcautionem oportuiſſet, locum primò affectum, & affectionis modum nouiſſe. Eſt itaque (vt dictum eſt) obſtructio leuium arteriarum: quibus coarctatis, aut quomodolibet obſtructis, cùm fuliginoſis cordis recremẽtis non ſubſit liber exitus, neque rurſus liber aëris in cor ingreſſus, mirum non eſt, ſi ſubita ſuffoccatione periclitetur homo: idque magis aut minus prout preſsior, aut maior, vel minor fuerit obſtructio: nam ijs obſtructis, cordi tãdem grauiſsima ſuccreſcit affectio, quòd fuliginoſa recrementa expelli non poſsint, aut caliditas refrigerari ac ventilari: quo fit, vt vel in ſyncopim, aut mortem inopinatò procidant ſic affecti. Eſt quidem hæc pernicioſa & fraudulẽta affectio ob adductas rationes: fraudulenta verò, quòd nullum ſubſit antè ſignum, quo prænoſci poſsit imminens malum: quippe nec difficili reſpiratione, nec grauitate, nec dolore, aut quouis alio ſympthomate, quod moleſtiam inferat, premuntur huiuſmodi laborantes. Solũ enim anguſtia, ac ſi manibus comprimatur cor, per interualla torquẽtur: nonnunquam ſaltum in corde perſentiunt, ſed omnia hæc velut leuia contemnunt, adeò vt poſtmodum, malo ingraueſcente, & obſtructione facta maiori, ſubita morte corripiantur, Medicis ſtatuẽtibus malum leue futurum, aut parui momenti. Cauſas habet hæc affectio duplicis naturæ: alteram flatum vel ſuccum (cuiuſuis conditionis) in prædictas leues arterias prolabentem, reliquam verò tuberculum, aut phyma crudum eaſdem comprimens & coarctans: nam licèt in pulmone nullum ſenſibile ſubſit vitium, in corde verò cuius miniſterio ſubſeruiũt, grauiſsima fiunt (vt dictum eſt) quippe non omnia quæ præter naturam in pulmone congerũtur, protinus ipſum lædunt, aut eius actiones vitiant, ſed quatenus aſperas arterias, vel coarctant vel obſtruunt: tunc enim difficiles fiunt reſpirationes & alia ſuffoccationis pericula ob reſpirationis defectum aut vitium: nam ſuffoccatio, quæ leuiũ arteriarum obſtructione fit, citra reſpirationis iacturã fit, ſolo cordis calore ſuffocçato, & veluti obruto fuliginum copia. Noſces autem imminentem & futuram acceſſionem (nam id ſolum eſt, quod ad præcautionem noſſe oportet) ex accidentibus quæ retulimus: verùm quia hæc fallacia ſunt, & mille alias cauſas monſtrant, ob id ſolùm pulſus differentijs fidendum eſſe arbitror. Sic enim pulſus fiunt (corpore apparẽte in reliquis ſano) omni inæqualitate inſigniti, & aliquãdo interrupti: maximè ſi compreſsis leuibus arterijs fiat, idq; cùm iam iam inſtat affectio. Hoc tamen vnum non licet ſilentio præterire, quòd prædictæ inæqualitatum ſortes lõge firmiùs perſeuerant & perſtant, cùm tuberculus aut phyma cauſa eſt mali, quàm dum ſuccus aliquis arterias prędictas replet, vel craſſus aliquis flatus: quo ſigno cauſas inter ſe ſeiũges ac diſtingues facilè. Sunt igitur ex obſtructione pulſus inæquales collectiua inæqualitate, quæ decurtatos ſeu myuros efficit: nam cùm vitalis facultas, ſibi cor obrui fuliginibus agnoſcat, dum primo impetu vincitur, decurtatos efficit, poſteà verò fuliginibus reſolutis (quia obſtructio omnimoda non eſt) paulatim reciprocus efficitur pulſus, & ad antiquum ſtatum paulatim increſcendo, vt paulatim deſcenderat, regreditur, niſi myurus efficiatur deficiẽs, quod ſummũ eſt mor-

mortis inſtantis indicium, etiam ſi aliquando iterum natura in ſeſe redeat, vireſque colligat, ac inimicum pellat, donec iterum congeſtis nouis fuliginibus ad deficientiam reuertatur, aut tuberculo creſcente ac ſuppurato, malum iterum creſcat, nouis & maioribus differentijs præſtitis. Prætereà phymate affectis, ob caloris perfrigerationem & extinctionem à copia fuliginum, nõ rarò iecur perfrigeratur, ita vt in hydropem immedicabilem migret affectio. Plerumque verò cordis ſuccreſcunt palpitationes adeò grandes, quòd laborantes ſummopere anxios reddant, & cùm in deterius malum vergit, premũtur lypothymia ac ſyncopi lethali: quæ omnia expendiſſe oportet, vt antequam in hæc accidentia commigret malum, præueniatur. Atque hęc de arteriarũ pulmonis obſtructione dixiſſe ſit ſatis, curationẽ tamen inferiùs leges.

Pulmonis verò inflammatio fit ab humore, non ad vaſa (hæc aut illa) cõfluente ibidemq; immorante, ſed ad carnea ſpatia: quæ cùm laxa admodũ ſint ob carnis mollitudinem & ſpongioſitatem, facilè humorem à vaſis exſudantem ſuſceptant. Quod ſanè expreſsit Galen. lib. 4. de præſagatione ex pulſ. cap. 12. dicens: Quia laxum & molle viſcus pulmo eſt, & vndique vacuum, à pituitoſiori atque craſsiori ſanguine inflammatur, cùm ſubtilis bilioſuſq; fluat ferè, neque cum viſcere vlla ratione cohęrere valeat. Dubium tamẽ leue pleriſq; ex hac ſententia ſuccreuit, cùm mille in locis à Galen. dictum ſit, à ſolo vel quàm minimum permixto ſanguine phlegmonem oriri. Ex quorũ ſententijs euidenter conſtat, omnino ignoraſſe rarò ſolùm ſanguinem eſſe reperibilem, ſed frequentiſsimè tumorem phlegmonoſum ſpurium mixtumq; ſuccreſcere. Quod his verbis Galen. expreſsiſſe conſtat lib. 2. de diff. feb. cap. 12. Neceſſum igitur eſt, ſanguinem in partibus contentũ, vnà cum ſuperfluitatibus influentibus plerumque putreſcere. Quæ verba clariùs expreſsit lib. de ſanguinis miſſ. cap. 5. & lib. 2. de inæquali intem. cap. 5. apertiùs eadem refert dicens: Iam ipſa phlegmone laborans particula, vel propẽ, vel longè ſita eſt à multi ſanguinis viſceribus, totuſque ſanguis vel bilioſus eſt, atque hæc omnia magis minuſque: quare neceſſum eſt multiformes fieri alterationes, ſiue alterũ alteri ſit collatum, ſiue idem ſit. Ex quibus euidenter conſtare arbitror, inflammatoriũ affectum fieri poſſe, ſed non ſine bilioſo, melancholico aut pituitoſo humore admixto. Quo etiã fit, vt ſi mixta aliqua affectio pulmoni cõtingere poſsit, maximè ſit ex ſanguine pituitoſo, ob adductam à Galeno rationem lib. 4. de cauſ. pulſ. &. 2. de locis affect. &. 6. aphoriſm. 33. qua parte comparãs pulmonis inflammationem pleuritidi, hæc verba ſcribit. Non æquè profectò membrana ac pulmo ſunt natura apta humores ſuſcipere: denſa ſiquidem eſt membranarum ſubſtantia, pulmo verò laxus admodum & rarus: quare huic proprium eſt pituitoſos ſuſcipere humores, membranæ autem ſuccingenti, plus bilioſos. Quod ſanè dogma videtur ſuſpectione non carere: nam licèt pulmo laxæ molliſque ſubſtantiæ exiſtat, & propterea aptiùs in ipſo craſſus viſciduſque cohæreſcere ſuccus valeat, proinde tamen in foraminoſa & cauernoſa ſubſtantia, non minus ac in ſpongia aqua immoratur, tenuis bilioſuſque humor poteſt contineri. Qua ratione videtur, non minus eryſipelate poſſe inflammari, quàm inflammatione ædematoſa: cum hoc tamen, quia ob viſcidam conſiſtentiam pituitoſos ampliùs locus ipſe recipiat humores, quàm maximè ſuæ ſubſtantiæ ſimiles, ideò verum eſt prædictum axioma, adhibito etiam in conſiderationem viſceris calore, quo humores fundantur, quantumuis craſsi exiſtant. Quapropter cenſeo à Galen. & veteribus dictum fuiſſe, pulmoniam non à bile, ſed à pituitoſo ſanguine fieri: tum ob loci naturam:

tùm verò, quia verior inflammatio potius ex ſanguine pituitoſo, quàm bilioſo adnaſcitura eſt: nam ſi perfectam phlegmonem ex optimo ſanguine fieri dicebamus, & pituita magis quàm cæteri ſucci ad naturam ſanguinis accedit, imò crudus dicitur ſanguis, ex ea meritò veram pulmonis inflammationem, ſicut & cæterarum partium fieri credendum eſt. Cum hoc tamen inflammationem eryſipelatodem in pulmone non negauit Galen. quinimo pituitoſam ſubticuit: & lib. 4. de loc. affect. eius reminiſcitur dicens: Siue intolerabile fuerit incendium, angustiæ grauitátiſq; ſenſus minor, eryſipellam ipſum pulmonem vexare cẽſendum eſt. Etiam apud Hippocrat. ſcriptum reperimus libr. de affect. text. 8. & libr. de morbis capit. 6. & libr. 2. de morbis capit. 17. ſed expreſsiùs libr. 1. de morbis cap. 26. quæ ſanè omnia in prædicto ſenſu ſubaudienda veniunt. Sic profectò Aliabas in praxi inquit, & hoc apoſtema aliquãdo fit à materia ſanguinea, aut cholera quæ ad pulmonem incurrit, nonnunquam à catarrho à capite deſcendente, interdum à pleuritide. Eadem refert Paul. ſed clariùs Aui. 1. 3. cap. 10. dicens: Et peripnœumonia fit ab omni humore, ſed vt plurimum fit à phlegmate, quoniam in membro rarò non continetur humor ſubtilis. Itaque præſtant huic affectioni materiam vel angina, vel pleuritis, vt ex Hippocra. conſtat, 7. aphor. vel catarrhus, vel quæuis alia corporis particula, quæ plena cùm ſit, vehementior ad tranſmiſſionem exiſtat, maximè ſi ob aliquam occaſionem pulmo præter naturam incaluerit vehementiùſque moueatur. His ſuppoſitis ſtatuendum eſt, huius affectionis triplicem eſſe generationis modum: quippe interdum ſtatim inuadit, nullo antecedente affectu, ſed ſanguinis bilioſi ac tenuis collectione per totum viſceris corpus, qui à dextro cordis ſinu continuò effluit per venam arteriosam. Et dupliciter huius venæ vitio pulmo in tumorem attollitur: vno modo ſanguinis parte aliqua vitioſa in pulmonem vniuerſum dilabente, & aliquando in partem eius quãuis: & vtcunque ſit, verè pulmo inflammatur & pulmonia fit: illa quidem maioris momenti, & ſummè grauis: hæc verò non ita: licèt in vtraque pulmo per totum, aut ex parte in tumorem eleuetur. Alio verò modo in longe maiorem mollem attollitur aquoſa ſeroſaq; ſubſtantia plenus per eandem venã, dum in his qui malo ſunt corporis habitu aut hydrope laborant, aqua pulmonis motu attracta ibidem colligitur, & per vniuerſum viſceris corpus ſpargitur: quem affectum multi pulmonis hydropem appellarunt, vt cap. de difficili reſpiratione latius docuimus. Interdũ etiam à deſtillatione è cerebro confertim in pulmones elapſa ortum habet, quam pulmo, tum propter laxitatem, tum verò propter trium facultatum imbecillitatem, facillimè excipit: quem generationis modum plerumque à pituitoſo ſanguine fieri arbitror: quippe tunc duobus modis fieri hũc affectum poſſe conſtat: vno plenis aſperæ arteriæ ramis feruido ſpumoſoq; ſanguine, quo & febris, & difficilis reſpiratio ſuccreſcit, & præſidia quæ caput reſpiciant potius quã pulmonem adhibere oportet. Alio verò cùm à prædictis vaſis aliquid exſudat in pulmonis carnem inflammationem efficiens: quod noſces quia minus ſpuitur, & intenſiùs febrit, ac minus difficulter reſpirat laborans. Sæpius verò alijs morbis ſuccedit, vt pleuritidi, anginæ, aſthmati, dum è dictis partibus humor repente rapitur in pulmonem, ſiue idem humor ſit, ſiue qui fluxurus iam iam erat, & qui præfuerat reſolutus euanuit. Quæ ſanè permutatio duplex eſt: vna in qua priore morbo ceſſante nouus oboritur: altera verò cùm ad præexiſtentem morbum morbus alter accedit. De qua permutatione ſic ſcriptum Hippocrat. reliquit. Si qua mala ſupra mala neceſſariò euenerint, eius rei cauſam qui ignorãt, Medicum arguũt. Vt cunque

cunq; tamẽ ſit, peripnœmonia pleuritidi vel ſuperuenit, vel ſuccedit multo frequẽtius, quã pleuritis peripnœumoniæ: idque tribus rationibus: vna, quia ſi facilis ſit peripnœumonia, humor ante expurgatur quàm in latus diffundi queat: ſi verò vehemens ſit, priùs ægrum ſuffoccat quã coſtę coafficiuntur: quibus accedit tertia, ni mirũ quòd licet pulmo in dilatatione trahat à partib⁹ vicinis & leuibus arterijs, nõ ita cùm expellit, reijcit in eaſdem, ſed per aſperas arterias foris expellit, non ad reliqua vaſa à quibus dilatatione traxerat, & ob id nequit ita facilè pleuritidem excitare. At in pleuritide humoris ferocis materia, quæ coſtis cõtineri nequit, facilè pulmoni communicatur.

Verùm cùm à principio dictum ſit, finitimum eſſe hunc affectum pleuritidi, & ferè eiſdem ſignis demonſtrari, neceſſum profectò erat, ſigna referre, quibus poſſimus pleuritidem à peripnœumonia ſeiungere: nam licèt vtrique inſint eadem ſigna, diſident tamen quibuſdam accidentibus & conditionibus peculiaribus, quibus longiſsimis ſeparantur interuallis. Dolor itaque in vtroque affectu iuxta thoracem adeſt, ſed in pleuritide acutior, in peripnœumonia verò ſolùm ponderis ſenſus, niſi pellicula ipſius thoracis ſimul inflammetur: tunc enim dolor etiam in toto ferè thorace percipitur, quo tempore dolor eximius ad ipſum peruenire & ad ſpinam & pectus compellitur, vt Galen. 4. de loc. affect. Nam doloris efficitur particeps non ſui ratione ſed per tunicam, quantum obducitur aliqua ſui parte, tũc vertebris & pectoris oſsi tanquam vinculo committitur, à ſuccingente coſtas membrana accepta (parte ſui ſuperiori, non in lobis) cui à ſexta coniugatione nerui, inſeruntur. Quo quidem fit vt pulmo doloris ſit expers, præterquam grauis, quem tumens excitat in membranis interſepientibus, potiſsimum eis partibus quibus pectori & dorſo alligatur vt diximus. Viget enim in vtroque acuta febris, ſed in peripnœumonia ardentior ob cordis viciniã: tuſsim inſuper cùm incipit, vterque habet, ſicciorem tamen pleuritis, humectiorem verò peripnœumonia, præſertim cũ in vijs magis viget humoris redundantia: ſputum etiam apparet ſpumoſum, bilioſum, & quandoque cruentum, ex quibus ſanè peripnœumoniam & humorem ipſam efficientem venamur. Difficulter quoque in vtroque affectu reſpirat laborãs, ſed longe difficiliùs in peripnœumonia, quia cùm pulmo & thorax quantum ſat ſit, dilatari poſsint, quòd dolore non impediantur, vt in pleuritide, fit profectò vt promptè moueantur, adeò vt præ magnitudine & frequentia, ſuffoccari laborantes videantur, quia inflammatus pulmo & ſubinde humore plenus, quantum par eſt, aërem capere non poteſt, etiam ſi plurimum dilatentur, præterquam quòd caliditima pulmonis & cordis affectio citatiorem expoſtulant reſpirationem, tantòque magis, quantò inflammatio eriſipelatis fuerit particeps, & quia bronchia anguſtiùs coguntur quàm in pleuritide, & in ſupino decubitu anteriores thoracis partes conſidentes pulmonem arctant, & ſufficientem aëris attractionem impediunt. Sed ex pulſu euidentior ſuccreſcit differentia: nam pulmonis inflammatio pulſum habet magnum, celerem, crebrum, languidum, mollem, vndoſum, & aliquando dicrotum, quem rarò accidere arbitror: cui omnino diuerſum pleuritidẽ obtinere certum eſt. Habet igitur peripnœumonia magnum & celerem ob febris vehementiam & cordis viciniam, crebrum verò non ſemper eodem modo habet, ſed aliquando minus, prout incendium aut ſoporoſam affectionem, quæ frequenter peripnœumoniæ comes eſt, poſtulare viſum fuerit: languidus efficitur ob contractam impotentiam ab ingenti intẽperamento: mollis verò ob partis affectæ naturam. In qua re mihi parum immorandum eſt, cùm multa (vel Galen. docente)

Medi-

Medici de his differẽtijs in peripneumonia loquantur. Quippe magnũ ſtatuunt, aduerſus inflammationis naturam, & facultatis impotentiam, quæ cauſæ paruum natæ ſunt efficere: ſed maioris eſt momenti arteriæ mollities ad magnum efficiendum, quàm prædictæ cauſæ ad paruum, ob ingentem vſus vrgentiam. Sed de mollitie longe grauius ſuccreſcit dubium: nam vnanimi omnium conſenſu conſtat, id eſſe ob partis affectæ naturam, quæ molliſsima eſt, & nos etiam lib. de pul. eiuſdem in iuuentute fuimus ſententiæ, ſed nunc maturiori conſilio rem agitantes cenſemus partis affectæ naturã non poſſe inflammatam (cuius ratione duriorem oportebat efficere) molliorem reddere pulſum, quàm ipſe eſſet ſecundum naturam, licèt ob id cùm pulmo inflammatur durior non fiat, at molliorem fieri ea ratione eſt impoſsibile: ſed arbitramur mollitiem fieri ex pituitoſo ſanguine inundante atque humectante arterias: cùm certum ſit mollitiem eſſe propriam arteriarum mollium differentiam, ſed arteriæ non reddũtur molliores quàm anteà quia pulmo inflammatur, ſed quia ipſæ ex materia antecedente & coniuncta humectantur. Quo fit vt rarò fiat vibratus, quia rarò inflammatio pulmonis particeps fit flauæ bilis, nam dũ ſic accidit, vibratus redditur, quia tenſio eſt euidentior & arteriæ ſicciores ſiccitate & calore bilis. Fit inſuper intermittens ob languidam facultatem, ſed id non protinus à principio ſed poſtea, eſſentialiter languente facultate: nam morbo incipiente aggrauatione potius languet quàm re vera. Fit intercurrens etiã poſteà dum vel pus conficitur quia vſus ſupra modum augetur: quæ in principijs accidere non poſſunt. Habet inſuper peripneumonia præter hæc ſigna pleuritidi communia, alia non pauca, quæ illi peculiariùs pertinent, velut eſt maxillarum rubor, vt Galen. placuit lib. 3. de loc. affect. cap. 3. Quia ex feruore ſanguinis in pulmone vapor ſibi ſimilis exhalat, & cùm ob innatam leuitatem ad malas ſeſe extollat conſiſtit ibidem, & per cutis tenuitatem veluti per vitrum colorem ſuum oſtendit. Sed & linguam pulmoni rectà ſuperſtantem, tum per amplitudinem aſperæ arteriæ, tum per membranæ continuitatem, idem excrementum petit & calidiorem reddit: quo fit vt in peripneumoniæ principio rubeſcat lingua, deinde in vaporum & ſeri vbertate intumeſcat, & vltimò exaſperetur albidiorque fiat, ſi pituitoſior ſit affectio. Præterea conſiderandum eſt dolorem non ſemper in medio thoracis apparere, quantumuis pulmo ibidem vigeat. Nam cùm pulmo bifidus ſit, pars dextra interſepientium membranarum interuentu diſtincta ab altera, dextrã thoracis cauitatem implet, ſiniſtra verò lęuam: quo fit vt altera magis plena & inflammata, alteram linguæ partem magis exaſperet & colore afficiat, & rurſus ponderoſo dolore altera thoracis pars magis reliqua afficiatur, & ſi vtrâque vniuerſus etiã lædatur, ſic ex altera clauicula condolente, idem venaberis: aut ſi in altero hypochondriorum velin vtriſque ponderis ſenſus vigeat, maiorem totius aut alterius partis pulmonis inflammationem conijcies. Comatoſi ori inſuper efficitur homo, naſus efficitur ſimus, venæ temporum eleuantur, & appetitus deijcitur cum linguę ſiccitate & rubore, qui poſteà vt inquit Auicen. in nigredinem migrat. Vigiliæ etiã laborantes infeſtant, licèt comatoſi ſint: delirium quoque adeſt ex vſtilaginibus caput irruentibus: extremitates frigeſcunt, & vngues apparent liuidi & incuruantur morbo in deteriùs vergente.

Præſagiũ. Qui tamen ſic affecti ſunt, quarto vel ſeptimo die pereunt, niſi ſanguine per nares ſuperueniente præueniantur: ac licèt prædictum periculum effugiant, non omnino tuta eſt ſalus: nam ocyſimè ſuppurãtur, vel adeò affecto pulmone ſuperſunt, vt cordé ſimul coaffecto lentè moriantur. Quantum enim ex hoc morbo periculi labo-

laboranti ſuccreſcat, nemo eſt qui dubitet, & omnes vereri tenentur: ferè enim ſic affecti à principio in agone adeſſe conſpiciuntur, oppreſsis viribus & fatiſcẽte natura, vel reſpirationis vſu intercepto, vel æſtuãte thorace & acrimonia puris commorſis partibus, quæ ſenſu præditæ ſunt, vel denique deſtillatione à capite, quæ in ventriculum feratur, & illius orificium mordeat. Præterea expuunt aliquid ob laxitatẽ partis affectæ, & calidius ſpirant. Verùm diſputatione dignum ſum arbitratus, vtra peripneumonia deterior exiſtat, pituitoſa ne, an bilioſa: nam hæc periculo carere videtur, quòd ſimilis ſit membro affecto, iuxta illud Hippoc. In morbis minus periclitantur: illa verò longioris eſt conditionis: ſed cùm bilioſa videatur eſſe acrioris materiæ, quæ citiſsimam minatur exeſionem membri huic affectioni obnoxij, & pituitoſa difficilioris coctionis & durationis diuturnioris, adeò vt vrgentiſsimum reſpirationis & cordis ſympthoma diu ferri poſſe videatur per difficile, ſit profectò vt iudicare vtra ſit deterior, non ſit ita facile. Cui dubitationi reſpondet Auic. dicens: Sũmum verti in bilioſa diſcrimen, bilis enim cordi vicina in inflammatione congeſta periculoſiſsima eſt, idque plus momenti habet, quàm proportio & familiaritas bilis ad pulmonis temperamentum: nam licèt temperamenti innati gratia proportionalis habeatur pulmoni, eſt tamẽ aduerſa mille alijs rationibus naturæ & ſubſtantiæ ipſius. Ac licèt pulmoni minus noxia extitiſſet ob aliquam ſimilitudinem, certè bilis ſuccenſa cordi adiũcta aduerſiſsima eſt: præter quam quòd tumores pituitoſi à toto genere bilioſis ſalubriores exiſtunt. Quã doctrinam profeſſus eſt Auicen. dicens: Peripneumonia quæ à colera rubea fit, ſecũdum plurimum ſua acuitate interficit, cùm ſit vicina cordi, & appoſitio cum refrigerantibus non peruenit ad locum: vtraque tamen vt ex Meſue colligitur difficilioris eſt curationis quàm pleuritis, & aptior ad interficiendum, quòd ſolutio continui in pulmone vnionem non admittat, & quia cordis vis plerumque in huiuſmodi affectu deficit ob ingens incendium. Qua ſanè ratione permutatio à pleuritide vel angina aut quouis alio affectu in peripneumoniam periculoſiſsima habetur, vt Hippoc. refert. 5. aphoriſm. 10. dicens: Quicunque ab angina liberantur, ijs ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt, & ſi hos effugiant, ſuppurantur. Septima etiam aphoriſm. 2. A morbo laterali, inquit, inflammatio pulmonis, malum: deterior tamen eſt in phrenitidem commeatus, vt ex eodem Hippo. conſtat. 7. aphoriſmor. 12. ſicut laudabilis in abſceſſum poſt aures, aut ad crura inflammationem abire: maximè ſi abſceſſus fiſtulentur; vt Hipp. refert. 2. prognoſt. 64. Cum hoc tamen peripneumonici omnes plus periculi quàm doloris habent, vt refert Celſus: & qui eorum breuiſsimus eſt, iudicatur, vt inquit Hippo. 2. &. 3. de morbis & lib. de affectionibus die ſeptimo aut quatuordecimo: longiſsimus verò in viginti diebus, & qui hunc tranſeunt diem, ſuppurati fiunt, & ſi ex his aliquis expurgetur, ſecurior eſt, maximè ſi excreatio flaua non multo ſanguine permixta inter initia excernatur: & eo magis certior erit ſalus, quo aliquid notatu dignum natura excreuerit: nam ſi ad ſalutem commigraturus eſt morbus, vt Areteus fatetur, ſanguinis eruptio ex naribus ſequutura eſt, aut alui exturbatio multis exeuntibus bilioſis & ſpumoſis humoribus: quam ſalutem non minus promittit, morbo iam vetuſtiori facto, pus per ventrem aut vrinam excretum. Cum hoc tamẽ ſciendum eſt nullius eſſe momenti ſigna quæ ſalutem polliceri poſſunt, niſi virium robur firmiſsimum admodum extiterit: id enim profitetur expreſsè Galen. 3. prorr. comment. 4. &. 10. metho. cap. 5. namque vna ſalus, tum pleuriticis, tum peripneumonicis eſt ipſum virium robur: quod ſanè in hac affectione conſideraſſe ad quantitatem

titatem vacuationis moliendam,& ad optimam criſim expectandam,ſummopere expedit. Premuntur inſuper alui profluuio:quod in declinatione & ſtatu ferè ſemper lethale eſt, ſicut in principio vt plurimum ſalubre: nam hic materiæ antecedentis nonnihil detraxit, ille verò nec eius,nec coniunctæ quidquam,quinimo vires iam fractas proſternit. Damnat inſuper Hippocrat.in Coacis præ.70.in pulmonia pauca & cocta ſpuere, quia ſputũ in ſtatu debet eſſe multum,coctum,& facilè excretũ:ſæpe enim in pleuritide & peripnœumonia iuuat magis facilitas & copia expulſionis , quàm coctio,cum qua defectu copiæ mille laborantes pereunt. Itẽ poſt aures peripnœumoniam terminari,aut ad crura,prædicere quoque docuerat Hippocrat.in Coacis.40. dicens. Sed abſceſſus fiunt quidem hi in partibus inferioribus, quibus circa hypochondria calor vehemens mouetur: in ſuperioribus verò quibus hypochondrium molle & indolens fuerit,difficiliſque ſpiritus ad tempus citra cauſam euidentem acquieſcit.Præterea nihil ſpuere,ſignum ſuppurationis exiſtit,niſi ad ad aliquam partem arte aut natura pellatur.Si tamen ſuppuretur, quatuor modis poſt ruptionem ſalutem aut mortẽ prædices: duo quidem ſunt ad ſalutem,nimirum puris repurgatio per ſputum, vrinas aut aluum :totidem ad mortem,ſuffoccatio propter puris copiam, & phthyſis corrupto pulmone propter copiam.Præter quæ ſunt etiam alia, bona quidem ſi protinus ceſſet febris: ſi cibi appetentia reddatur, ſi pus reijciatur album,leue, inodorum : ſi aluus pauca & cocta excernat,quibus contraria lethalia etiam exiſtunt.

Curandi ratio. Cùm verò peracutus lethaliſque affectus ſit pulmonis inflammatio repletioque (quòd breuis ſtrangulatus protinus ſubſequatur) ob id profectò æquis reſiſtentia viribus,vt Areteus refert lib.2.morb.acu.cap.1.matureque ferenda ſubſidia ſunt,nã cum viribus robuſtis adeò nobis ſit opus in eius curatione,ex quouis errato vel negligentia,verenda eſt virium iactura.

Primò igitur cibi formam inſtitues, quæ præter id quòd tenuis ſit ſubſtantiæ,vires citra maximum laborem reficiat,& cum hoc aduerſus materiæ inclementiam & vitia ex oppoſito pugnet.In qua ſanè re, non ſatis inter veteres authores conuenit:quippe Celſus inquit.Nec ſalſis opus erit,neque acribus neque amaris,neq; aluum adſtringentibus, ſed paulò leuioribus.Areteus verò loco citato hæc verba ſcribit:Alimenta verò huiuſmodi eſſe debent,acria videlicet, tenuia craſsitudinẽ diſsipantia & extergendi facultatem habentia:quæ duæ ſententiæ contrariari omnino viderentur,niſi Ætius vno verbo conciliaſſet, dicens, cibum debere eſſe extenuatorium:ex cuius ſententia ſentiendum arbitror, minimè eſſe vtendum his quæ acria ſunt & incidentia,licèt certum ſit opus eſſe humores extenuare & extergere:nam prædictum opus duobus modis citra acrium & mordacium vſum fieri poſſe arbitror:vno parciſsimis alimentis exhibitis, hanc enim extenuãtis victus formam non rarò authores appellant, maxime ſi fiant ex tenuiſsimis edulijs: alio verò ex his quæ tenuiſsimæ ſunt ſubſtantiæ, quibus ob id vis ineſt attenuandi ea quæ craſsiora ſunt. Primo modo attenuantur humores calore liberè agente in ipſos: ſecundo modo per ſucci tenuioris admixtionem:quamobrem tutius arbitror eſſe in hac curatione Hippo.conſilium lib.3.de morbis,vbi potiones dulces ſtatim à principio porrigendas eſſe conſulit, hæc ſcribens verba.Sic enim id quod conſedit ac compactum eſt,potiſsimum elueris ac cõmoueris,quarta autẽ die, & quinta,& ſexta non amplius dulces,ſed pingues, nam ad ſputum ſurſum excreandum conducunt.Qua ſententia euidenter conſtat, nõ eſſe vtendum actioribus neque incindentibus,ſed pinguioribus, quæ præter id quod ſputum ſurſum educunt ac ſepa-

ſeparant,vias quoque leniũt,quo faciliùs excernatur.Quo fit,vt optimè conſultũ ſit Medicis noſtri tẽporis,mox à principio vti iuſculis pullorũ aut gallinarũ,modò per elixationẽ,modò per expreſsionẽ extractis:ſed maximè cõducit cremor ptyſanæ cum ſaccharo ex aqua lupulorũ:confert butyrũ vaccinũ,vel iuſculũ ex eodẽ butyro,aqua & ſaccharo mediocriter coctis:loco tamen aquæ adijcere poteris ius pullæ.Præſtat etiã ptyſanã conficere,non hyſſopo,& alijs quæ guſtui ingrata ſunt, ſed cinnamomo vel ſemine fœniculi,quæ ſuauiora exiſtũt. Pari ratione prædictã ptyſanã cõficere poteris iuſculo aliquo ex prædictis,& cibaria omnia calidioribus, aut temperatioribus magis minuſue admiſcere,prout humorem cognoueris magis ad naturã bilis,aut pituitæ accedere:in reliquis verò vt in pleuritide dictũ eſt, rem moderari oportet:ſimiliter & in vino porrigẽdo,quo vel inclinãte affectu,vel ſolũ roborandarũ virium gratia,vtendum eſſe conſulit affectus natura.Potũ inſuper conſulit Ætius parcũ fore:itẽ & Gal.lib.7.localium cap.de orthop.vbi his qui in pulmone abſceſsũ habent,cõuenire paucitatẽ potus ſtatuit.Verũ ſi tẽ diligentiùs conſideres,poſthabi- Ætij ſetẽtia,& ea quæ Gal.eſt,quia loquũtur de frigidis abſceſsibus,non de affectu inflãmatorio qualis peripnœumonia eſt,in qua Hipp.lib. 1.de morbis copioſum porrigit potũ,nec nõ & li.2 cũ pulmo reſiccescat calore, rationi conſonum videtur largam potionem plurimũ profuturam:præterquã quòd ablutionis gratia,vt dictum eſt,proficuam fore arbitrandum erit.

Præmiſſa debita victus inſtitutione,nulli rei tantũ Medici conſiliũ inniti debet, quàm ſputorũ eductioni,longe quidẽ magis q̃ in pleuritide,q; affectionis cauſa in vijs pulmonis grauiùs vrgeat.Sed vt id tutiùs & cõmodiùs fieri poſsit, plenitudini totius & partis affectæ prouidendũ eſt protinus:ſanguine videlicet extracto,prout vtraq; plenitudo poſtulauerit.Quę ſanè res vt magni eſt momẽti,ita profectò perperã,aut vltra citraue modũ adhibita,magnũ faceſsit negotiũ:ſed cõiectandũ primò eſt diligẽter,an peripnœumonia incipiẽdo ꝓceſſerit, vel ab alio graui affectu degenerauerit:nã tũc rationi cõſonũ videtur,ſanguinẽ fuiſſe miſsũ,quantũ ſat fuit pro vniuerſali plenitudine deponẽda.Tũc ſanè ſanguis nec liberaliter,nec copioſè eſt mittẽdus,ſed parcè & per interualla,& ab ea parte quæ ocyſsimè pulmonẽ exoneret,citra virium & ſanguinis totius corporis diſpendiũ:grauius enim impẽdet periculũ ex virium iactura,q̃ ex nõ vacuata aliqua materiæ parte,cui vires nõ deiectę ſufficere videnť.Quo caſu ſanguine miſſo ex cephalica vena ſemel ſat eſt,vel brachijs cucurbitulã primò affixã ſcarificare , aut dorſo è regione pulmonis:maximè ſi ex malo corporis habitu in pulmonẽ repentino caſu mutato,affectio oriatur:quo tẽpore ad crura malũ habitũ reuertere ſat erit,vinculis,frictionibus,lauacris,cucurbitulis ſiccis,aut cũ ſcarificatione , ſi malũ vrgeat & omnis cruriũ tumor euanuerit. Verũ ſi ex ſuppreſsione alicuius cõſuetæ,vel incõſuetæ vacuationis affectionẽ oriri cõpertũ ſit,& ipſam reuocare ſtudueris vt par eſt, copioſiùs ſanguinem mittere opus erit:maximè in fœminis,quibus ob menſiũ, puerperij vel hæmorrhoidũ ſuppreſsionẽ,recurſus ad pulmonẽ ſuccreuerit:quippe hirudinũ vſus in pulmonia nõ ſolùm in ſuppreſsis hæmorrhoidibus,ſed craſſo ſanguine redundãte ſummopere apud pleroſq; doctores probatur:in quibus ſi ſanguis mẽſtruus actu fluit,à talo primò,& mox intra ſex horas à brachio ſanguinẽ mittes,niſi adeò vrgẽtius ſit periculũ,vt cogaris primo acceſſu ſanguinẽ ex brachijs fundere:quo caſu toto tempore quo ſanguis extrahiť,& parũ anteillud,cucurbitulæ femoribꝰ ſunt affigẽdæ.Verũ ſi ex defectu menſiũ qui ſtatuto tẽpore nõ fluxerũt,affectio oriatur,à brachijs primò,id cõſulente vrgẽtiori indicatione,& poſtmodũ modicè ſedato affectu, ab in-

feris partibus ſanguis detrahendus eſt, ſi nihil obſtiterit ex his quæ diximus aut ſuccreſcere poſſunt,quæ vel vires proſternant,aut venæ ſectionem interdicãt. Cæterùm ſi ex corporis & capitis abundantia ſuccreſcat,protinus vena ſecanda erit in cubito,dum modò vires conſtent:nam hac lege licet intelligere verba Pauli, qui ſolùm iubet ſanguinem mittere,vbi incipiendo procedit,non tamen cùm ab alio affectu ſuboritur:nam arbitratur neceſſariò virium adeſſe imbecillitatem ob affectionis longitudinem.Cui profecto ſententię adſtipulantur Celſus & Ætius,nimirum ſanguinem non eſſe mittendum,ſi ſatis validæ vires non ſunt:nã affectus natura & ſitus ſua ſponte ſummopere ipſas,& ſpiritus vitales diſcutiunt & infirmant: quo fit,vt neceſſum ſit eas eſſe validiores,vt & morbum & auxilia ferre citra lethale diſpendium poſsint.Quapropter etiamſi ſanguinem liceat mittere,non tamen copioſè,ne ſubſequatur animi defectio,quæ in his profectò qui ſuffoccatione pericli tantur,ſummopere verenda eſt:tum vt iteratò poſsit mitti ſanguis,tum verò vt vires eductioni ſputorum ſufficiant. Cum hoc tamen ſi ex vbertate ſanguinis prodeat affectio,copioſior admittenda eſt eius detractio:ſi ex bile, parciùs ſufficiens erit: ſi verò ex pituita vel in ſenibus,verenda eſt,non tamẽ omnino auferenda,ſed vel parciùs, aut cucurbitulis exercenda:in nullo enim vitanda eſt omnino ſanguinis detractio,ob impenſum ſanguinis, vel alterius humoris defluxum, quem ob mille cauſas ad eam partem fieri potiùs quàm ad aliam comperimus, ita vt maius periculum neceſſariò ſequatur ex non miſſo ſanguine, quàm ſi extrahatur adhuc frigida exiſtente cauſa.Quòd ſi pro ratione copiæ fluentis,ſanguis mitti non poſſit,cucurbitas inanes aut cum ſcarificatione id poſſe ſupplere refert Areteus dicens.Inanes prætereà cucurbitulæ egregiè faciunt,ſi tergo,dorſo,præcordijs vbiq; adhibeantur: quòd ſi pectus carnulentum ſit, quo minus circum oſſa cutim cucurbitula incumbens affligat,ibi eam affigito: nam ſic ad quamcunque partem corporis humores diſtrahentur & ſpiritus ad extima euocantur,quibus pulmo opprimitur.Nec probo eorum ſententiam,qui viribus deficientibus ad ſanguinis detractionem mox à principio moliendam, eius defectum ſupplent ſcarificatis cucurbitis pectore & dorſo,cùm.11.meth.c.17.&.13. cap. 19.id omnino renuat Gal. Sat enim erit eo tempore muſculis brachiorum primò affigere,quo aliquo modo euacuetur diuertaturq; fluens humor,ac poſteà pectori,ſi vt dictum eſt carnulentum fuerit.Interim tamen eandem rem agere inſtitues frictionibus iuxta crura & brachia,ac partes dorſi & hypochondriorũ: prætereà clyſteribus acrioribus reuocandus eſt materiæ impetus,& copia ſuccorũ crudorũ minuẽda.Sed cauendũ eſt, ne nimis aluũ turbemus,periculoſa enim,vt Hipp.refert,eſt in pulmonia alui fluxio,niſi ſpumoſum ſit quod excernitur:quapropter Auic.nõ laudat humorũ purgationẽ in hoc affectu,exagitatur enim furioſiùs motus humor,& vberiùs cõfluit in affectũ locũ,prætereaq; ab eo qui in parte inflãmata cõtinetur,nihil trahit medicamentum. Verũ ſi humorẽ furere,aut corpus nimia ſpurcitia abũdare cognitũ fuerit,ſanguine ſufficienter miſſo,nõ erit abs re ipſum purgare leui pharmaco,aut acriori,ſed in minori copia. Quòd ſi affectio per defluxũ crudioris ſanguinis dilabẽtis in pulmonẽ fiat,curandũ eſt capiti prouidere his auxilijs quæ caput euacuẽt, & reliquias aliò trãsferãt,ac è pulmone quod fluxũ eſt educãt facilè.Ob id ſanguinẽ quidẽ mittes ex cephalica,aut ex vena carpi manꝰ:itẽ cucurbitis vteris cũ ſcarificatione brachijs affixis: nec erit ab re velut in angina venas, quæ ſub lingua ſunt ſcindere.At ſi pervenã arterioſam ſanguis in pulmonẽ irruat copioſus aut vitiatus, tunc quidem ſatius erit ex communi vena ſanguinẽ copioſiùs fundere ex vtroque brachio,

brachio,& poſteà pectori prouidebis vt mox referã,& huic vſui proficua longe plura reperies tom.2.cap.de præſidijs pulmoni refrigerando & calfaciendo idoneis.

His tamen factis,curandum eſt ſummopere expectorare quod pulmonẽ inundat:ſi calidum fuerit & æſtuans, decocto quod recipiat radicis liquiriziæ & radicis maluarum,ana.ʒ.j.violarum.m.j.prunorum num. x.iuiubarum,num.xx.quatuor ſeminum frigidorum maiorum,ana.ʒ.iij.aniſi.ʒ.j.fiat decoctio in aqua cucurbitæ,& in lib. j. colaturæ diſſolue ſyrupi violarum.ʒ.iiij. Item calida exiſtente cauſa,curandum eſt,vt laborans ſemper ore teneat electarium tragacanthæ frigidum recenter paratum,vel loch hac via confectum:Excipe mucaginis ſeminis citoneorum extractę cum aqua violarum aut cucurbitæ,vel hordei.ʒ.j. emulſionis ſeminum frigidorum maiorum.ʒ.ij.ſacchari albi & penidiarum.ʒ.j. fiat ad modum loch. Frigida tamen exiſtente materia ac viſcida,ea ſunt vſui proficua, quæ capite de pleuritide dicta ſunt, quibus addi poſſunt, vt Celſo & Paulo viſum eſt, aqua mulſa, hyſſopo vel fœniculo incocta, vel ea in qua ferbuerit iris ſicca,& in puluerem redacta: addes inſuper iuxta humoris redundantis ideam vel miſcellam, hordeum,vuam paſſam,adiantum, violas, iuiubas, glyzyrrhyzæ radicem, marrubium aut origanum: affectio enim hæc valentiora non fert: præter oxymel,quod omnibus admiſcendum venit. Interim tamen dum hæc fiunt,pectori extrinſecus adhibendum eſt id quod dolorem ſedare poſsit, licèt non plurimùm vrgeat, ſed quia calidum cùm ſit, digerendi quoque & diſcutiendi vim habet,quorum abunde meminimus capite de pleuritide:interdum tamen thoracem irrigabis oleo amygdalarum dulcium, ſeſamino, butyro, axungijs gallinæ & anatis, in quibus incoxeris hyſſopum, marrubium vel origanum: alijs item valentioribus vteris:nam pulmo extrinſecus ſic expoſtulat,vt conſtat ex Galen.2. ad Glau. cap.2. Verùm ſi calidior æſtuantiorq; fuerit affectio, vteris vnguento quod paratur ex oleo violaceo, de ſemine cucurbitæ, melonis aut cucumeris, cum butyro vaccino aut oleo amygdalarum dulcium : quòd ſi hæc laboranti tędio ſint, ceratum conficies ex butyri recentis, & axungiæ anſeris,ana.ʒ.ij. olei rutacei & vtriuſq; amygdalę,ana.ʒ.ß.puluerisiridis & hyſſopi ſicci,ana.ℨ.ij.œſypi humidæ.ʒ.iij.ceræ quod ſit ſatis vt fiat ceratum,addito aceto gratia penetrationis: ex quibus etiam cataplaſma, (quòd forma emplaſtri longè magis proſunt quàm linimenti) parare poteris, additis pulueribus fœnugræci & ſeminis lini cum radicibus & folijs maluarum & altheæ: quibus tamen addes aliquid acre & calidum ac diſcutiens medicamentum ad euocandam materiam ad extimas partes, vt conſuluerat Hippocr.lib.1.de morbis in curatione eryſipelatis pulmonis: item & Galen. 11. metho.cap.17.quòd ſi non profuerit,ſolis vteris pinguoſis & anodynis. Prodeſt non minus fomentum,ex decocto altheæ,maluarum,fœnugræci,& ſimiliũ.Valet & emplaſtrum quod recipit radicum & foliorũ altheæ & maluarũ, ana.m.ß.contundantur & adde cremoris ſeminis lini, altheæ,& fœnugræci, ana ʒ.ij.iridis,hyſſopi tenuiſsimè tritorum,ana.ʒ.j.butyri pinguedinis gallinæ, ana.ʒ. ß. olei camemali.& rutæ,ana.ʒ.j.cum poſca,mulſa,vel cum terebinthina lota cũ aceto fiat emplaſtrum.Verùm ſi materia bilioſa fuerit,fomentum paretur ex aqua violacea cum modico aceti,& inunctiones fiant poſtmodum cum oleo violaceo. Balneum autem quale Hippoc.& Gal.3.de ratione vict.comment.57. parare docent,ſic affectis inſtitues:quo præſidio vtendum eſſe arbitror, cùm affectio in ſuppurationem migrat,vt ſi aliter fieri non poteſt citius perficiatur,licèt tutius ſit humorem contentum reſoluere,aut per ſputum mouere.

Curare autẽ leuium pulmonis arteriarum obſtructionem, neque ita facile, neque tutum ſemper eſt: ſcito enim in primis, quòd ſi affectio communis efficiatur aſperis arterijs, præter prædicta pericula, etiam difficilem reſpirationem ſuccreſcere neceſſum eſt: quod non minoris momenti exiſtit. At tuberculi & crudi phimatis curatio, penè eſt impoſsibilis: nam reſoluere validis medicamentis non admittit partis præſtantia: leuibus id tentare, nullius eſt momenti: item ſi ſuppurare ſtudueris, præter id quòd vlcus relictum incurabile efficitur ob perpetuum pulmonis motum, dum rumpitur, pus in cor abiens, ſubitam & inopinatam accerſit mortem: quæ omnia & noſſe, & prædicere, & quantum poſsibile fuerit præcauere curaturo ſummopere incumbit. Verùm obſtructio, quæ à prędictis tumoribus prodit, præſertim ſi crudi ſint, non omnino ob prædictum timorem deſtituenda auxilijs eſt: ſed à principio corpus per interualla (ſanguine bis in anno miſſo, cum diutina ſit affectio) purgare phlegmagoſis medicamẽtis oportet, quo diuertatur fluxurus ad partem humor, & tandem fluxus in tuberculoq; contentus per attenuantia & reſiccãtia diſcutiendus eſt. Hujus naturæ ſunt medicamenta quæ aromatis naturam ſortiũtur thoracalibus pharmacis admixta, vt coſtus, zedoaria, cinnamomũ, galanga, cardamomum, macis, cubebæ, & aniſum, diagalãga item, ireos, diamos, amar, diacalamentum & reliqua id genus, velut quæ è ſulphure viuo conficiũntur. Sic ex vſu eſt aqua arte chimica extracta, ex theriaca, mythridato, vngula caballina & prædictis pulueribus & aqua mulſa, vbi priùs ſimul omnia ferbuerint leuiter: quibus admiſcere oportet viuum ſulphur. Verùm quia hæc non ſemper ſufficere poſſunt, ad ſudationes ex ſparta parella, corticibus ligni, & ſaſafraſa Indica, deueniendum eſt. Item ſi hæc non profuerint, non erit abre, ſuffumigijs ex prædictis aromatis vti. Cæterùm ſi ex pituitoſis vel quibuſuis alijs ſuccis, obſtructio prædictarum arteriarum ſuboriatur, curatio omnino inſtituenda eſt ea lege quam adduximus cap. de difficili reſpiratione, qualia Galen. in Antipatro, conſimilem obſtructionem patiente, adhiberi iuſsit, licèt Ætius iudicauerat in Antipatro obſtructionem fieri à tuberculo, aduerſus mentem & curationem Galeni, vt eius verba monſtrant. Hoc tamen habet huius affectionis curatio peculiare, nimirum paulò vehementiora prærequirere medicamenta ob ſitus reconditam ſedem: verùm ſi ſubita fiat humorum liquatio, ſatius duxi, diutius vti paulò leuioribus, quàm ob prædictam rationem in repentinam ſuffoccationem laborantem ducere. Sic profectò huic vſui proficua eſt, elenij aqua ſtillatitia alijs admixta, maximè hydromelliti: præterea medicamenta quæ aut ex ſulphure inſtillantur, vel cum eo componuntur: item ea quæ ex ſquilla confici poſſunt: maximè ſi theriacæ modicum admiſcueris, aut aquæ quam ſuperius ex theriaca & reliquis inſtillari iuſsimus. Præſtant & medicamenta ex chalybe confecta, aut ſyrupus ex ſcoria ferri: maximè ſi admiſcueris gentianæ, aut elenij aliquid cum thymo, ariſtolochia & pulegio.

Proſunt & ſudationes, balnea ſulphurea, & tandem fontanella brachijs affixa.

De ſuppuratione. Cap. VIII.

LIcèt hoc nomen empyema, pro cuiuſais tumoris ſuppuratione vſurpari conſpiciamus, propriùs tamen accipitur (vt conſtat. 5. ſect. aphoriſm. 8. & 7. 45.) pro his ſolùm quibus in pulmone & thorace tumores ſuppurantur: vt ſuppuratio tantum dicatur tranſmutatio ſeu alteratio prædictarum inflammationum ad pus: cum hoc tamen, vt ex prædictorum authorum doctrina euidenter colligitur, ſuppuratio propriè ea cenſeri debet, in qua non ſolùm conuerſio fit inflammationis in pus, ſed dum effunditur ſeu colligitur prædictum pus in ſpatio thoracis atque pulmonis inter medio, poſt abſceſſus diruptionem, vt euidenter ex Galen. colligitur. 4. de locis affect. & ex Hippocrat. 5. aphoriſmorum, &. 2. prognoſt. 72. Sed clariùs id exprimit Areteus dicens: Quibus hominibus in cauis locis è regione pectoris, aut inferiùs ſub tranſuerſo ſepto, puris abſceſſus fiunt, ſi per os id ejicitur, purulenti vocantur, ſed quocunque modo ex prædictis locis pus colligatur, concluſumque intra vomicã ſit, ſuppuratio cenſeri debet, ſed propriùs cùm diruptio abſceſſu, pus in aliena aliqua cauitate colligitur. In qua re expẽdiſſe oportet, quãuis inflammationem quæ in collectionem commigrauit, in thorace aut pulmone, vno è tribus modis terminum ſuſceptare: primo quidem per reſolutionem, non vt cæteræ inflammationes per inſenſilem halitum, ſed per ſenſilem aliquam euacuationẽ, educto humore intra ſtatutum morbi tempus, reſudatione facta per tunicam tumoris, & mox per ſputum excreto: ſecundo verò per corruptionem prædicti humoris, quo breuì moriuntur homines humore vincente naturam: tertiò autem & vltimò per ſuppurationem, in qua magna ex parte moriuntur etiam laborantes, ſenſim tabeſcentes: cum hoc tamen ſuperſtites euadunt aliqui. Ex quo triplici ſtatu, primus optandus, ſecundus prorſus tanquam perniciоſus fugiendus, tertius verò præcauendus, ac ſi id fieri non poteſt, ſtudendum omni diligentia eſt, qua via tutiùs laborantes eruere ab eius ſæuitia poſsimus.

Sed dubitare hac in parte primò oportet, cùm idẽ appellaſſet Gal. coctionem in humoribus intra vaſa putreſcẽtibus, aut aliter alteratis, dũ ad benignũ reducũtur, ac in tumoribus præter naturam ſuppurationẽ, quî factum ſit, coctionem in reliquis morbis venoſi generis ſalutare eſſe beneficiũ, in internis autem inflammationibus perniciоſum ac formidabile. Cuius dubij gratia expendere oportet, coctionem omnem cuiuſuis partis aut humoris, ſalutare eſſe ſignum & certam ſalutem polliceri, quatenus ad propriam naturam & conditionem attinet: cum hoc tamẽ, triplici de cauſa non ſemper id conſequitur natura: prima ob ſitum & conditionẽ loci qui abſceſſum patitur, quantũuis ſuppuratio laudabilis exiſtat: cuius naturæ eſt pulmo, in quo vlcus vtcunque fiat, nunquam coaleſcit ob frequentem & magnum motum. Huic finitimum eſſe thoracem cõſtat, cuius pleura cùm dilatari & comprimi ad ipſius motum teneatur, inflammata neque magnam reſpirationem admittit, neque exulcerata facilem coalitum. Secunda verò cauſa eſt, dum facultas cui munus eſt expellere quod ſuppuratum coctumque fuerit, alterius ordinis & naturæ exiſtit. Sic interni tumores dum ſuppurantur, graues quidẽ ſunt & periculoſi: nã quod excernitur ab eis nec expelli poteſt citra opẽ animalis potentiæ, quæ defeſſa ex graui morbo, nequit munus perficere, maximè cũid opus fieri

Dubium.

Solutio.

teneatur non per insensiles,sed conspicuos meatus & communes canales, quibus pure aut quauisaliare oppletis,suffoccatione periclitari animal nemo est qui ambigat,cùm defessa animali potentia,neque alio modo aut alia facultate excerni sit possibile. Tertia autem & vltima ratio est,quòd rupto abscessu, difficillima ad puris exitum extet via,qua ad thoracis cauitatem prolabitur pus,à quo difficulter expectorari potest:præter quam quòd tussis;difficultas respirandi grauissima, animi deliquium,angor,& vltimò suffoccatio frequenter subsequuntur:ac licèt vita aliquantulum protrahatur,corpus tamen miserè ad tabitudinem ducitur. Ex quibus euidenter constat,quòd licèt coctio suapte natura salubris existat,ex accidenti tamen coctus affectus pernicios efficitur.

Sed scisciteabitur fortassis quispiam,quænam sit ea sputorum coctio,quam Hippocrat. in hac affectione laudat,si quidem ea quam diximus pernicios ab omnibus iudicatur. Cuius dubij gratia dicimus,duplicem esse in internis inflammationibus coctionis naturam: alteram qua perfectè superatur deuinciturq; vitiosus ille humor,& transit in puris naturam,cùm in membri substantiam verti nequeat,ob vitiosam & repugnantem conditionem:alteram verò qua solùm attenuatur contentus humor,adeò vt facilè possit,non quidem insensibiliter resolui:vt in externis inflammationibus plerumque contingit,sed per tunicam inflammatæ partis resudare,aptumque expulsioni reddi:& quanto hoc vacuationis genus præstatius est ruptione abscessus,tanto is coctionis modus dignitate & securitate puris confectionem superat. Quippe coquens natura primò humorem liquat,quo tempore coctionis est principium,tum in venis,vt nebula vrinarum monstrat, tũ in internis inflammationibus,si statim spuere incipiat laborans,licèt tenue aliquãtulũ sit,dũ modò facilè excernatur. Prętereà coquẽdo pergẽs incrassat,vt partis cuius beneficio coquit,figuram & naturam faciliùs susceptet: in quo statu ad resudationẽ vltimus & præstantior terminus est mediocritas,& id appellatur perfectius coctũ sputum:nam si impensiùs crassescat,suscipiet facilè partis coquẽtis similitudinẽ, & id est in pus verti:quod omnino fugiendum esse in his arbitramur. Et ob id iure optimo id sputum quod mediocris est naturæ & consistentiæ, laudabile censet Hippocrat. & perfectè coctum. Nam vt contentus intra membranam humor, vt salubri coctione confectus dicatur,primam tantùm & secundam suscipit naturæ præparationem,hoc est attenuationem,vt si fieri possit resoluatur per insensilem halitum,quod efficacius & perfectius est naturæ opus,quàm sit ipsa suppuratio: & cùm id munus exequi ob humoris crassitiem & lentorem est impossibile, postmodum leuem quandam ad mediocritatem susceptat reductionem, quæ præterquã quòd coctionem attestatur,expulsioni per tussim aptissima efficitur: & is est modus resolutionis internis inflammationibus proficuus & proprior; ac si id natura nequeat per tunicam transmittere,in pus ocyssimè degenerat.

Diffinitio. His habitis,cùm tumores præter naturã interni in pus commigrant,dirupto abscessu,& in cauitate thoracis collecto pure,sic affecti suppurati dicuntur. Ita vt suppuratio sit collectio puris intra thoracis cauitatem:quam quidem puris collectionem,licèt ex varijs suboriri causis certum sit,vno tamen è duobus modis fieri comperimus:ex dirupto nimirum abscessu pulmonis aut thoracis: altero verò ex defluente pituita à capite aut alia parte in pulmonẽ aut thoracẽ ipsum:quæ quidem postmodum caloris præter naturam actione in pus commigrat. In qua quidem disputatione non satis compertũ est,quid tenendũ sit, cũ inter neotericos sint qui omnino negent ex pituita alicubi pus fieri posse, cũ id tantùm ex contusa carne vel

vel ex sanguine fieri assuescat:vnde constat, necessum esse pituitam vel in sanguinem priùs verti,vel in abscessu colligi. Alij verò referunt pituitam in prædictis partibus faciliter in pus mutari absque alia ipsius alteratione:cũ hoc tamen asserũt nũquam tale pus posse perfectum euadere, sed vt Galen. docuit 6. sect. aphor. 8. quid puri proportione respondens. Vtraque tamen authorum classis Galen. sibi authorem aduocat. 5. simpl. & 1. de diff. feb. & 7. aphor. 30. præsertim cùm constet,prædictum pus citra maiores dolores ac febres contrà Hippocra. decretum plerumque fieri. In qua quidem re si quis legat Hippocra. diligentiùs,reperiet prædictum pus veri puris naturam referre,licèt ob pituitam sibi admixtam,quæ perpetuò fluit,aliquando iudicium euertat. Inquit enim Hippocrat. lib. 3. de morb. tex. 16. Fit & suppuratus si pituita è capite in pulmonem destillet,& primum quidem vt plurimum latenter defluit,tussimque tenuem exhibet,& sputum paulò amarius solito,& tenuis aliquando adest calor,sed non adurens. Et paulò inferiùs inquit, Pus crassum ab accessoria & intus putrescente pituita:quo constat non obstare argumenta de febre quæ non apparet: nam sat est,hos nunquam febre carere,licèt admodum cõspicua non sit,neq; semper putrida,quia pituita non est in abscessu collecta. In quo sensu censeo Ætium dixisse, absque febre nonnullos suppuratos vidisse, hoc est, putrida & euidenti,non tamen sine habituali vel lenta:& ob id priùs dixerat indesinenter hos omnes febre hectica laborare. Quo etiam sensu Galen. 4. de caus. pul. dixit suppuratos semper habere hecticos pulsus. Verũ hæc est differentia inter suppuratos ex pleuritide vel peripneumonia, & eos qui ex defluxu suppurantur, quòd illos calor apprehendit interdiu, noctu verò maior vehemẽtiorque fit: quod reliquis non contingit nisi febricula leui contabescere: quippe augetur in instrumentis respirationis calor ob cohibitam ventilationem,& spiritus sub thorace violenter oppressos:occasio profecto succensionis deterioris caloris, & putredinis ac febris, quo huiusmodi pus non minus fœtore & reliquis accidentibus insignitur ac alterum: quibus constat,pus esse,& verum,sed vt dictum est,pituita denuo adueniente adulteratum. Has omnes differentias, nec non & cuiusquẽ signa complexus est Hippocr. pulchra quadam & longissima oratione lib. primo de morbis, qua etiam explicat modũ quo quæuis harum causarum phthysim efficere habeat, quod maximi est momenti ad curationem. Quicumque (inquit) suppurati fiunt pulmone aut superiore vel inferiore ventre, aut tubercula habent, aut vlcera intrinsecus, aut sanguinem vomunt, aut spuunt, aut dolorem aliquem habent, vel in pectore vel in dorso: hæc omnia habent, ex his quidem quæ in corpore sunt à bile & pituita, ab externis verò ab aëre insito calori admixto, sed & à laboribus ac vulneribus. Et quicumque quidem pulmone suppurati fiunt, ab his fiunt, si peripneumonia correptus in iudicatorijs diebus non purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum ac pituita, suppuratus fit, & si quidem statim curatus fuerit, vt plurimum effugit, si verò neglecta fuerint illa in pulmone, corrumpuntur illis, & inhærentibus ac putrescentibus vlceratur pulmo, & suppuratus fit, & non amplius intro ad seipsum nutrimentum memorabile trahit, neque quidquam expurgatur ab eo sursum, sed suffoccatur, & semper amplius difficulter spirat, & respirando stertit, & respirat illinc sursum ex pectore, tandem verò obturatur ab sputo & moritur. Fit autem & suppuratus, si pituita ex capite ad pulmonem destillet, & primum quidẽ vt plurimum latenter defluit, tussimque tenuem exhibet, & sputum paulò amarius solito, & aliquando tenuis adest calor: temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus exulceratur à pituita inhærente ac putrescente, & grauitatem exhi

bet pectori,& dolorem acutum ante & retro,caloresque acutiores in corpore incidunt,& pulmo à calore trahit pituitam ad se ex toto corpore,& maximè ex capite,caput verò excalfactum ex corpore,& hanc putrescentẽ subcrassam spuit: quanto verò magis tempus progreditur, tanto magis pus sincerum spuit,& febres acutiores fiunt,& tussis frequentior ac fortis,& inedia vexat,& tandem aluus infernè turbatur à pituita,pituita verò de capite descendit.Hic cùm ad hoc peruenerit,perit quemadmodum dictum est in superioribus,purulento ac putrido pulmone facto.Cùm venula videlicet aliqua in ipso fuerit rupta:rumpitur autem à laboribus: & vbi rupta fuerit sanguinem fundit,si crassior fuerit,ampliùs,sin tenuior,minus: & sanguinem quidem ipsum partim cõfestim spuit,partim verò nisi vena adstringatur,in pulmonem funditur & in ipso putrescit,& vbi putrefactus fuerit, pus facit:progressu verò temporis,aliquando pus sincerum, aliquando pus subcruentũ, aliquando sanguinem,& si magis repleta fuerit vena,ipsam sanguinis copiam aceruatim à se ipsa reuomit, spuiturque pus crassum ab accessoria & intus putrescente pituita.Hic si anticipetur incipiente morbo,priùs quàm vena sanguinem fundat ac fortiter laxetur,& priùs quàm attenuetur,& in lecto decumbat, & caput corrumpi incipiat & reliquum corpus colliquari,superstes ab hoc morbo euadit: si verò neglectus fuerit,& hæc occuparint, vt eam perpetiatur,aut omnia aut plurima:perit autem hic aut ex eisdem quæ superiùs dixi,aut à vomitu,sanguine multo multoties per vomitum reiecto. Si verò vena omnino quidem rupta non fuerit,verùm acutus tractus in ipsa fiat:fit autem maxime velut varix:qui autem statim factus fuerit, dolorem quendam tenuem inducit,ac tussim aridã,si verò diu duraverit & neglectus fuerit,primùm quidem sanguinem modicum ac subnigrũ dimittit ac reijcit,deinde verò copiosiorem & sinceriſsimum,deinde pus, patiturque quæcunque in superioribus dicta sunt.Conducit autem talibus si ab initio curandos suscipias,vt & venæ de manibus sanguinem emittant,& dieta,à qua quàm ficciſsimus & exanguiſsimus fiat. Eodem porrò modo etiam venæ in latere afficiuntur,quæ intus in superficie sitæ sunt.Cùm igitur affectæ fuerint,varicosæq; effectæ & intus elevatæ & neglectæ fuerint,hæc perpetiuntur,erumpunt & spuunt à se sanguinem,& aliquando etiam vomunt,suppurati fiunt,& vt plurimum pereunt:si verò curentur incipiente morbo,rursus in loco venæ concidunt ad latus, humilesq; fiunt:pulmo quidem ab his suppuratus redditur, & ab ipso etiam talia perpetiuntur,& sic moriuntur.Cæterùm superiori ventri suppurati multipliciter fiunt:nam cùm pituita de capite copiosa,& acerua tim in superiorem ventrem fluxerit, putrescit & in pus vertitur in viginti diebus,& intus fluctuat & cõcutitur ad latera allabens:hic si vratur aut secetur priùs quàm diuturnum fiat pus,sanus euadet.Fiunt autem & superiore ventre suppurati ex pleuritide,cùm fortis fuerit, & in iudicatorijs diebus,neque putruit,neque sputo reiecta est, sed latus exulceratum fuerit à pituita affixa & bile & cùm vlcus factum fuerit reddit ex se pus, & ex vicinis locis præ caliditate in se ipsum pituitam adducit,& hæc vbi computruit, pus spuitur.Aliquando verò etiam ex venis sanguinem vlcus ingerit, & putrefactus pus fit.Fiunt præterea suppurati,si pituita de capite delapsa,ad latus agglutinata fuerit & putruerit:tunc enim latus vt plurimum inflammatur,& patitur eadem quæ ex pleuritide:& cùm præ labore,aut exercitijs,aut alio quopiam modo, vena antea aut retro fuerit rupta,& sic rupta,vt non statim spuatur sanguis,sed in carne acutus tractus siue varix fiat, & caro tracta ac convulsa humiditatem modicam traxerit, & subliuida facta fuerit: & statim quidem sic affectus non præcipit præ

robore

robore ac bona habitudine,aut si etiam sentit,nihil molesti esse putat.Hic vbi deprehenderit,cùm iam præ febribus aut potu aut venere aut aliqua alia re correptus fuerit attenuatus, caro sauciata subresiccatur, & subcalescit & humiditatem in seipsam à vicinis,tum venis,tum carnibus trahit:vbi autem attraxerit,intumescit & inflammatur,& dolorem exhibet tenuem,& tussim raram & siccam primũ, deinde adhuc magis trahit in seipsam,& dolorem inducit vehementiorem,& tussim frequentiorem,& primum quidem subpurulentum spuit,aliquando vero liuidum & subcruentum, & quãto magis tempus progreditur,amplius in seipsam trahit ac putrefacit,& de ipsa carne quantum ab initio liuidum erat,hoc pus fit,& dolorem exhibet acutum & febrem & tussim multam ac frequentem,& spuit pus sincerum.Ex hac quidem Hippocra. sententia diligenter animaduersa, facile colligi possunt quinque morborum ac symptomatum genera ex pectoris partibus, causa tabis laborantibus sumpta: suppurationem nimirum,vlcus,sanguinis sputũ, tubercula aut varices & dolores:ex quibus omnibus triplicem suppurationis explicuit modum. Primum in pulmone:secundum cum vlcere aliarum partium pectoris,non tamen pulmonis: tertium vero qui neque in pulmone,neque cum vlcere aliquo fit. Posta verò eãdem parte,vt verioris tabis speciem,causas & rationem inueniat,statuit,vlcus in pulmone fieri, & suppurationem primę speciei ex tribus memoratis, quatuor modis:primo ex peripneumonia rupta non purgata:secũdo ex pituita à capite descendente ac in pulmone putrescente:tertio ex vena rupta in pulmone,siue magna siue parua:item vltimo ex genita varice in pulmone ac postmodum rupta. Addit insuper quintum modum,licet citra pulmonis vlcus fit, dicens: At verò suppuratio in superiorem ventrem, id est in pectore non in pulmone,quæ non per se lethalis est, fit quinque modis: ex defluxu pituitæ à capite dum putruerit, ex laterali morbo dum non repurgatur,ex vena in pectore aperta, ex morbo laterali pituitoso, & ex varice in pectore: quibus exactè pensatis,diligẽs lector reperiet nihil deesse ad veram causarum cognitionem: nam licet authores annumerent inter causas,aëris, aut regionis vel externarum causarum accessum, potiùs occasiones quàm causas libet appellare.

Est itaque quouis ex prædictis modis suppuratio verè dicta morbus ex numero eorum affectuum,qui toto genere præter naturam alicubi continentur,aut si magis in excessu,vt ex Gale.constat lib.de diff.morb. reliquæ verò suppurationes,quæ nondum abscessum ruperunt,morbum in magnitudine constituunt. Affecta verò pars ea censenda est,quæ priùs abscessum passa,& ex consensu puris thorax etiam: sic enim si suppuratio in altero latere solùm fit,in altera quoque parte thoracis,dextra videlicet aut sinistra,potiùs quàm in vtraque collectum erit:nõ enim facile migrat à dextris ad sinistra & è contra. Vtra verò pars sit,præter quam quòd præcedẽs dolor monstrauerit,cognoscetur,quòd calidior existat ea quæ affecta præfuit,præterquàm quòd dolor & grauitas maximè cubanti supra incolumen partem promptè ostendunt.

Præstant huic malo causam, vt Areteus refert,plaga,casus,cruditas,frigus,& id genus alia: porrò in quibusdam in pectore diuturna tussis incumbens & lateris inflãmatio & vomica pulmonis & fluxio longinqua,& vt idẽ author refert, seroſa à toto corpore fluxio, nec non & acuti morbi in aliquo istorũ decubitus purulẽtiæ originem præbent. At humor aliàs inhæret,aliàs acris & mordax,& ad mortem vsque putrefaciens: quem sanè locum ad verbum transcribere placuit,quod omnẽ causæ modum ac differentiam complectatur. Cui etiam addere cruentam spuitionem, *Causæ.*

nem, iuxta Pauli & Ætij doctrinam opus est: nec non & anginam Aretei quoque decreto. Addit etiam Auicen. 13.3.cap.15. Et causa extrinseca est, sicut casus & percussio, aut multiplicatur cum æstati Boreali siccæ succedit autumnus pluuiosus, à quibus defluxio erodens aut copiosa in pus versa succrescit: item cibi aut potus salsuginosi idem malum assuescunt fabrefacere. His habitis colligere oportet (vt ex Hippocra. constat primo de morbis) triplicem esse suppurationem loco & causa longissimè dissidentem: primam quæ fit in pulmone: secundam quæ cũ vlcere aliarum partiũ pectoris, sed non in pulmone: tertiam verò quæ non in pulmone, neque cum vlcere aliquo fit. Præterea ex eodem Hippocra. loco etiam colligitur, suppurationem primæ speciei ex tribus dictis, fieri posse vno è quatuor modis: primo quidem ex peripnœumonia in pulmone rupta & non purgata: secundo ex pituita (vt dictum est) à capite descendente ac putrescente in pulmone: tertia ex vena rupta in pulmone siue magna siue parua sit: vltimo verò ex varice vel tuberculo aliquo dirupto in ipso pulmone. Item suppurationẽ quæ fit in thorace, statuit idem author quinque posse fieri modis: vno quidem ex pituita defluente à capite & prolabente in ipsam thoracis inanitatem, dum ibidem putrescit: secundo ex laterali morbo dum non repurgatur: tertio ex vena in thorace aperta: quarto ex morbo laterali pituitoso: vltimo verò ex varice in eodem thorace vel resudante sanguine vel aperta. Præter quas sextã addit Hipp. in Coacis præ. 28. dicẽs: Quicũque verò seruantur ex lethargicis, vt plurimũ suppurati fiunt. Contingit enim, licèt nõ admodum frequenter, lethargũ materiæ decubitu ac defusione in thoracem, nonnunquã phrenitide, rarò autẽ materiæ coctione, sed per suppurationẽ vt dictũ est, rariùs, & ob id nullus, quod ego legerim huius mutationis meminit, nisi velis eam Hipp. quoq; intelligere dũ. 3. de morbis scribit, qui è desperatione euadũt, suppuratos fieri. Quibus profectò colligere licebit, nõ semper à puris sputo cõijciendũ esse phthysim superuẽturã, vt latiùs inferiùs sumus probaturi. Inter quas omnes suppurationis species alia non minoris momenti annumeranda est, quæ ex pure nimirũ inflammato succrescit: ac licèt sic affecti verè suppurati non appellentur, quia in thorace pus non colligitur: cum hoc tamen non minus malum quia solet ipsis succrescere, tum quòd rupto abscessu exolutio virium subsequatur à puris illuuie, quæ tetro vapore cor obruit, & ægrum sæpe de medio tollit: tum quòd partes corrumpantur, maxime ex quibus & per quas pus effluit. Nam cùm substantia hepatis ab abscessu scissa vel alio modo corrupta maneat, vitiari omnem visceris actionem necesse est, vnde & hepaticas dysenterias suboriri & hydropes succrescere oportebit, præterquam quòd corpus haud secus quàm in quauis alia suppuratione non alitur, sed verè contabescit, & moritur, excretis substantia sanioſa, nigra & putrida. Ad hanc quoque suppurationis sortem reducere oportet vteri suppurationem, vt Hippocrat. etiam in Coacis refert: & aliam etiam quæ minoris non est momenti, nimirum cùm ventriculi aut alicuius intestinorum abscessus forasrumpitur, sic enim facile homines suppurati fiunt, licèt spuria suppuratione, quia non fit in thorace, & ratio est quia cùm harum partium abscessus extra rumpuntur, hoc est ad tunicam externam, non est locus per quem pus expurgetur, & sic ipso collecto in loco vbi continentur venter aut intestina, cùm expurgatione & loco per quem fiat careat, suppuratus iure optimo dicetur homo: in quo sensu cẽseo Hipp. 1. prorr. tex. 37. dixisse. Quæcumque verò intrò rumpuntur, optima sunt: ratio quidem iudicio nostro est, quia rupta ad interna fundunt pus ad inanitates intesti-

& ventriculi, per quas & à quibus per propria emunctoria facilè ipsum expurgari posse constat: quòd si extra rumpantur, est impossibile.

Tanti est periculi facta puris in thorace, vel quauis parte quæ exitũm non habeat, collectio, tantæq; difficultatis, vt omni diligentia studendum sit, id omninò præcauere: nam factum collectumq; pus hæc & grauiora mala proculdubio accersit. Quamobrem signis distinguere oportet fientem suppurationem, si fortè impediri possit, & factam ocyssimè cognoscere & diligenter expectorare. Item sunt alia quæ iam effusum commonstrant pus, & etiam alia, quæ ipsum inueteraſcere & ad tabem accedere declarant. Colligitur enim pus cũ morbificus humor intra quatuordecim dies repurgatus non est. Vomica autem rumpitur ab his diebus si supputes, frequentissimè quidem circa vigesimum diem: interdum circa trigesimum aut circa quadragesimum: nonnunquam etiam circa sexagesimum, pro natura partis affectæ & redundantis humoris qualitate. Cognoscitur itaquè pus dum fit, ex signis decreti illius Hipp. Dum pus conficitur, &c. nam eo tempore febres, & quod magis est, præmissis euacuationibus maiores fiunt & maiores labores. Ratio profectò dependet ex maiori naturę pugna quam morbifica causa infert, & ex maiori molestia ob maximam plenitudinem, quæ licèt vacuationes præcesserint, eo tempore viget, à qua etiam maximum oritur incendium. Sed huius euentus causa est, quia in morbis duplex reperitur plenitudo: altera quidem in principijs ex immodica materiæ copia: altera verò in morborum statibus, non quidem ex materiæ copia sicut prima, sed ex materię extẽsione & rarefactione, quæ ex efferuescentia eo tempore maiori à calore præter naturam vigente proficiscitur: calore enim tunc efferuescente, magis materia rarefit, & ex rarefactione partes quæ ipsam continent extenduntur, & ex distẽsione sequũtur maiores dolores, & pari ratione maiores febres, quòd eo tempore minus ventiletur calor ob nouam plenitudinẽ: quo fit vt necessum sit, dum pus conficitur, labores, febres ac dolores magis adesse, quàm ipso pure confecto. Quibus adiunges rigorem, qui insolitus, & citra ordinẽ hominem apprehendit, ex materiæ in pus migrantis acrimonia, quæ partibus sensu præditis communis efficitur ob vapores illuc conscendentes. Adest etiam tussiendi cupiditas, qua nihil notatu dignum excernitur, quia materiam seruat natura vt in febribus, ad vnam expulsionem: sic enim in his morbis ad vnam suppurationem & diruptionem. *Signa.*

Est & aliud efficacissimum signum, dolor nimirum pulsatiuus, qui proprium est sympthoma inflammationis quæ in suppurationem commigratura est: nam cùm pleuritidi ex propria natura non accidat pulsatorius dolor, nisi ratione magnitudinis inflammationis, cui proprium frequenter est suppurari, ob id magna inflamtio pulsatoriè dolet: nam ob magnitudinem pars inflammata attingit partes arterijs circumsitas. Addit etiam his signis Hippoc. aliud, nimirum pro dolore parti inflammatæ succrescere pondus: quod quidem licèt ab omnibus tãquam notum sit receptum, nõnihil difficultatis obtinere videtur. Nam antequam pus fiat, pondus fieri est impossibile: quo fit, vt pondus pro dolore non sit signum fientis, sed factæ suppurationis. Cui dubio dicimus dum pus conficitur, dolores & febres simul sentiri, pure verò iam facto mutatur dolor in ponderis sensum. Itaque ex his omnibus intensioribus factis, pus fieri euidenter colligitur: maximè si accesserit tussis valida & sicca, aut cum leui humiditate, qua leuari videntur laborantes, sed nõ leuantur vt ex Paulo colligitur cap. 22. lib. 3.

Instante insuper tempore diruptionis, vehementiùs cum horrore quodam iterum

iterum ſic affecti febricitãt, ac in ſermonis proprietate conturbãtur, offenduntur-
que ſpiritu, adeò vt difficiliùs quàm anteà ſpirent. Pulſus verò his quibus pus confi
citur, apparet inæqualis, inordinatus, in omnibus hecticus, aut ſi tenſio prævaluerit
manifeſtè ſerrans, tandem pulſus fiunt quales in inflammationum ſtatu fieri dictũ
eſt libro noſtro de pulſus arte & armonia: facto tamen pure paulò æqualior in om-
nibus efficitur pulſus, minuſque ſatiſcit natura, & quodãmodo videtur iam à pug-
na deſiſtere, iuxta illud Hipp. quàm ipſo pure confecto.

Pus autem iam effuſum & in thoracem elapſum monſtrãt dolor remiſſior, vt di-
ximus, febris reddita minor, ſed facta habitualis: remanet etiam intus in thoracis
fundo, grauitatis quidam ſenſus, & fluctuat thorax dum laborans hinc inde recum
bit, ab vno videlicet in aliud latus, & ſonitus quidam perſentitur, & parum eo tẽ-
pore excernitur, aliquando fœculentum vt ex Galen. conſtat 4. de locis affect. cap.
7. & 8. Sequuntur etiam anxietas & cibi faſtidium, ex putredinoſo halitu à pure il-
luc tranſmiſſo: quo tempore prodeunt magis ſudores & febres, quæ naturam he-
cticæ referunt. Effluxo iam intra thoracem pure, pulſus fiunt latiores, tardiores,
rariores & languidiores ob facultatem ex certamine defeſſam, & ob caloris effer-
ueſcentiam atque corporis extenuationem. Quo quidem tempore copioſior erũ-
pit inutilis ſudor, oculi caui fiunt, febris noctu exacerbatur, genæ rubent, vngues
curuantur, digiti incaleſcunt & aluus turbatur, & in pedibus tumores apparent
ac cibi faſtidium inaleſcit, & puſtulæ circa corpus erumpũt. Quæ omnia comple
xus eſt Hippocra. mirum in modum lib. de Coacis præ. 49. quamuis in prog. ſpar-
ſim ſcripſerat dicens: Qui ſuppurati fiunt maximè ex pleuritide & peripnœumo-
nia, (quod etiam ſubaudire oportet ex angina cuius ſuppuratio cæteris omnibus
periculoſior exiſtit) eos calores comitantur interdiu tenues, noctu vehementes,
& nihil memoratu dignum ſpuunt, ſudantque circa collum & clauiculas: & his
oculi cauantur, maxillæ verò rubent peius autem calent digiti extremi & exaſpe-
rantur: curuantur vngues & refrigeſcunt, & circa pedes tumores excitantur, &
circa corpus puſtulæ: abhorrent à cibis, quæ igitur longius durãt ſuppurata, ea ſig-
na habent.

Præſagiũ. Quibus profecto viſis, plura potiùs dicenda & præſagienda, quàm exequenda
ſe ſe offerũt. Quippe ſi cùm abſceſſus diruptus eſt, febris eãdem die dimiſerit, euaſu-
rum iudicabis laborantem, vt ex Hippocra. conſtat 2. prognoſt. 53. maximè ſi ci
bum citius appetierit, & ſiti fuerit exors, ac vẽter exigua & conſiſtentia deiecerit,
& pus album, leue, concolorque & pituita vacans, & abſque labore & valida tuſsi
expurgetur. Ægrum verò moriturum arbitraberis cùm hæc omnia vel magna ex
parte contraria acciderint. Quæ ſi partim proſperè ſuccreuerint, partim verò ſe-
cus, moriturum aliquem & alium euaſurum, licẽt longo tempore, prædices. Eſt
tamen hoc diſcrimen ex ſuppurationis occaſione, quòd ex angina ſemper grauiſ-
ſima exiſtat. Præterea ex pulmoniæ pure vt Hippocr. docet 2. prognoſt. 69. faciliùs
liberantur qui natu ſunt minores & iuuentutem agunt, quòd viribus ad expurga
tionem puris ſint robuſtioribus quàm ſenes. At in ſuppuratione alterius tumoris,
minoris natu moriuntur magis ob vehementes dolores, labores & febres, quibus
in ſuppuratione fatigantur, adeò vt ante puris excretionem morte præueniantur.
De ſuppuratione verò pleuritidis 5. aphor. 15. inquit Hippocra. quòd ſi in quadra-
ginta diebus purgantur à die à qua fit ruptio, liberantur: ſi verò non, ad tabem tran
ſeunt: in omnibus tamẽ, vel horrores poſt puris eruptionem manere, vel accidẽtia
non

non protinus ceſſare, grauiſsimum eſt & periculo plenum, ingentem, & intole-
rabilem puris corruptionem, quæ nullis auxilijs emendari poſsit, arguit. Vtcũque
tamen ſit, ſi ruptio abſceſſus per partem fiat ſuperiorẽ, vomica pure ſcatente, tabi-
di & morti proximiores euadunt laborantes: at ex rupto abſceſſu per internã par-
tem pure prorſus per ventrem, vrinã aut ſputum expurgato, multi ſuperſtites eua-
dunt. Quo autem modo per ventrem aut vrinam pus ex thorace expurgari poſ-
ſit, iam ſatis expoſitum eſt lib. noſtro de recto præſidiorum vſu: & ne quis miretur,
qua via tuſsiendo reijciatur pus quod in thoracem deciderat, expẽdat Gal. doctri-
nam lib. 5. de locis affect. & 5. metho. cap. 8. qua docet, expirationis tẽpore, thorace
vniuerſo per validam tuſsim vehementer compreſſo, pus inter ipſum & pulmonẽ
contentum, compreſsione media ad pulmonem adigi; cedente ipſius pulmonis
ſubſtantia aſcendenti puri: & cùm ora & corpora vaſorum quæ cartilaginea ſunt,
comprimi non poſsint, fit facile, vt quod thoracis compreſsione illuc conſcendit,
pulmonis extrema vaſa faciliùs ſuſceptent, licèt Eraſiſtratus contrariũ videatur fa-
teri, vt ex Gal. conſtat lib. 5. de locis affect.

His habitis, curandi rationem diuidere eſt in animo, iuxta tempus in quo pus *Curandi*
conficitur, & confectum iam eſt, & tandem in quo abſceſſus dirũpitur. Nam. 14. *ratio.*
die tranſacta in pleuritide, ſi aliter colligere non valueris, tumorem non poſſe re-
ſolui, ſed in pus adire ſcito: quo tempore ſtudendũ eſt, quam cytiſsimè ad ſuppura
tionem feſtinare, antequam quod ibidem continetur, corruptionem ſubeat.

Dum enim pus conficitur, ea præſidia ſunt adhibẽda, quæ licèt pus maturẽt, ſem-
per tamen admixta habeant quæ reſoluendi vires ſortiãtur: cuius cẽſus plura dixi
mus cap. de pleuritide: nã quo citiùs pus cõficitur, eo pars affecta minus læditur, &
prõptiùs abſceſſu dirupto ad priſtinã reducitur ſanitatẽ: exeditur enim plurimum
particula, dũ pus lentè fit, & tardè rũpitur. Huius autẽ conditionis ſunt, id quod
recipit radicis maluarum ℥.ij. ficuum, nu.x. paſſularum enucleatarum ℥.ß. florum
camemali & meliloti, ana.p.j. coquantur & colentur per cribrum ſubtiliter, & ad-
de farinæ ſeminis lini, fœnugræci & tritici. ana. ℥.ij. olei amygdalarũ dulcium, bu-
tyri recẽtis & terebinthinæ, ana. ℥.j. ß. miſceantur & fiat cataplaſma: prodeſt em-
plaſtrum diachilõ magnum malaxatum oleo anethino vel amygdalarum dulciũ.
Benefacit quoque per interualla parti fomenta adhibere ex aqua temperata, vel
aliquo ex his quæ ex decoctis herbarum remollientium confici poſſunt: ſed potiſ-
ſimum præſtant vſum fotus ex hydreleo: maximè ſi ſuper poſueris cataplaſma ex
farina triticea & eodem hydreleo: item adeps ſuillus cum radice altheæ, farina tri
ticea & oleo amygdalarũ dulciũ, facto cerato. Proſunt etiã eclegmata ore ſumpta,
quale eſt quod recipit mucaginis ficuũ pinguiũ. ℥.j. butyri recẽtis ℥.ij. ſacchari cãdi
ʒ.j. ß. amyli. ℥.ij. miſce & lãbẽdo ſumatur. Iuuat & decoctũ qđ recipit liquiriziæ raſ-
ſæ & radicis maluarũ, ana. ℥.j. ſcabioſę. m.j. coquant, & facta colatura extrahe emul
ſionẽ quatuor ſeminũ frigidorũ maiorum & hordei, & cũ ſaccharo fiat ſerapium.

Facto iam pure, neceſſum eſt abſceſſum protinus dirumpere, antequã aut pus
ampliùs exedat corrumpatq; particulam, ac maiorem febrem ſuccendat: quod fa-
cies corpore validiùs commoto & maiori tuſsi irritata: præterquam quòd attenua
tur pars quæ dirumpi debet ex frequenti hydromellitis potu, & cremoris ptyſanę
cum melle. Idem præſtat decoctũ hyſſopi & epithymi cum melle: verũ quia hæc
rarò prodeſſe ſolent, ſatius eſt extrinſecus adhibere quæ diruptionẽ maturẽt, qua-
le eſt emplaſtrũ ex ſtercore caprino cũ aliquo ex prædictis decoctis & melle. Cæte-
rũ quia abſceſſum rũpi ad interna, graue eſt, ob ſuffoccationis & phthyſis periculũ,

ob id apertionẽ ad externa pleriq; cõmendãt: quod ob id rarò vsu venit peritis in arte, quia paucis datum est pus confectum collectumq; intra vomicã nosse: quod si aliquis id diligenter scrutatus fuerit, mihi non est dubium, tutius & certius esse præsidium, quàm diruptionem spontaneam ad thoracem expectare, cum certiori periculo suffoccationis & phthysis. In qua quidem re expendendũ est, sectionẽ nõ debere fieri in parte qua verè suppuratis fit, hoc est, quibus pus in thoracem iã confluxit: quippe efficitur inter quartam & quintam costas, sed iuxta partem abscessu affectam, quo loco vomica continetur & adhæret, ne nobis accidat aperto foramine longiùs ab abscessu, pus nullum exire, & non curato antiquo malo, aliud denuo efficere. Itaque diligenter considerabis doloris & ponderis locum, & partem quę maiori calore in thorace pollet, & iuxta eam inter duas costas ferro inscindes lentè & paulatim, quousque pus exire comperias, & mox subsistes à sciscione, ne interiorem tunicam simul perfores: priùs tamen de viribus facto diligẽti examine; ne grandi remedio & vtili vires non sufficiant, & ob id succumbat laborans: hæc tamen necessariò cãdenti ferro debet fieri, vt paulò inferiùs leges. Huius præsidij primus omnium meminit Gal. post Hipp. 6. aphor. 26. nam vtroq; ruptionis modo vidétur Hippo. vsum fuisse lib. de internis affectionib. dicentẽ: Si in latere tuberculũ nascatur, & suppuratio fiat, quod in quadraginta diebus aut paulò priùs accidit, atque ex eo dignoscitur quod cùm suppuratus sit, non tamen pus reuomit, neque spuit, hunc cùm sic habuerit, vbicunq; tumor de se significationem præbuerit secato aut vrito, & posteà pus paulatim emittito: qua autem lege debeat fieri & quibus præsidijs vlcus & abscessus ablui possunt, non est præsentis instituti. Cum hoc tamen nec pus totum effluere permittere par est, & ægrum cogere supra idem latus cubare, & tandem siringa lauacrum per factum vlcus in abscessum infundere ex aqua hordei cum saccharo, si pars calore æstuauerit, vel ex hydromellite aut sero lactis cum saccharo vel melle: tãdem omni studio abstergere, euacuare & mundam reddere vomicam oportebit.

Dirupto quidem abscessu, & ad internam thoracis cauitatem pure collapso, res maius faceſsit negotiũ: nam promptissimè ipsum expectorare oportet: quòd rarò per secessum proijcies & longè rariùs per vrinam: sed frequentiùs & tutiùs per sputum aut per sectionem, vel vstionem in thorace factam. Itaque duplex erit indicatio agendorum, pure iam in thorace profuso: altera quæ ex diruptione vlcus factum curet, quæ potiùs ad caput de phthysi pertinere videtur: altera quidem, quæ pus ex thorace trahat, vt abunde diximus capitibus de tussi & pleuritide: cæterùm huic vsui pauca quædam scribere studui. Exequemur enim hoc ministerium, his quæ recipiunt attenuantia & extergentia, vt si laboranti summo mane porrexeris mel despumatum, aut puluerem iridis cum mulsa, vel ptisanã cum melle optimo permixtam. Item hyssopi, iridis, liquiriziæ & hordei decoctum, ex quo mulsa vsui proficua parari poterit: valet & liquirizię succus cum melle & aqua hordei: præstãt prædictarum herbarum pulueres cum melle: item syrupus de prasio, de hyssopo, de glyzyrrhiza, de marrubio, & adianto. Mirabilis insuper efficaciæ est aqua mulsa, in qua lota sit terebinthina abietina: vel aqua mulsa ex decoctione ficuum pinguium: iuuat etiam non parum terebinthina abietis cum puluere liquiriziæ aut saccharo cando, pondere duarum drachmarum. Prodest etiam aliud medicamẽtum, quod recipit syrupi de hyssopo ℥.iij. syrupi violarum & oxymellitis squillitici ℥.ß. item aliud quod recipit loch caulium. ℥.ij. succi liquiriziæ. ℥. ß. pulueris diairis & diapenidionis, ana ʒ.j. cõseruæ capillorũ veneris. ʒ.iij. cũ oxymellite squillitico & syru-

& syrupo violarum fiat loch. Quòd si quæ excernũtur per tussim sordida fœdíque fuerint odoris, tunc fœnugræci & ficuũ pinguium decoctum admiscere oportet, sicut mulsam ex hyssopo aut origano.

Verùm si in ventrẽ pus irruere cognoueris, emollientibus, & his quæ aluũ ducãt vtendũ est, quibus ad eam regionẽ pus cum reliquis excrementis deferatur. Quapropter clysteribus aluus solicitanda erit, & cibarijs quę ipsam lubricã reddant: cui sanè vsui cẽseo, quibusdã nostræ ætatis Medicis visum fuisse, singulis dieb⁹ aliquod porrigere medicamentũ, quod vim habeat aluũ soluere. Sic pleriq; datur medulla casiæ fistulæ masticata, quæ sanè thoracẽ lenire, & quod mouet, in ventrẽ deferre nata est: sic multis placuit pilulã ex optima terebinthina cũ modico agarici offerre: maximè in his, quibus suppuratio ex pituitosa defluxione oritur: quibus etiam ex vsu est, eandem terebinthinam rhabarbaro admiscere: nã præter id q; non minus expurgat & abstergit, mirum in modum fluxionem roborando sistit.

Cæterùm licèt aliquãdo natura necessitate coacta, per vrinã huiusmodi pus pellere soleat, admiratione quidẽ dignũ est: nam id non nisi intermedio maximo discrimine fieri potest: transit enim pus per præcipua cordis cauitates: quod nisi natura feciſſet, carere periculo esset impossibile. Cuius rei primus notitiã præstitit Gal. lib. 4. de loc. & nos lib. de præsidiorum artis med. vsu, rationẽ euentus adduximus. Quem sanè euentũ licèt fieri posse fateantur Medici cũ Gal. nihilominus non citra magnum discrimen, propter cordis præstantiã & fœdissimum puris cõtactũ. Cũ hoc tamen tunc naturæ mõtum sequi Medicus tenetur, non quidẽ quatenus pertinet ad mõtum puris per cor, sed vt renes per quos id pus defert natura ad vesicã, opẽ Medici auidiores fiant ad trahendũ quod illis purulentũ obtulerit natura. Nã primus motus puris per cordis sinus, salubris efficitur, q; actio sit naturæ, nõ artis, & à membro secundũ naturã existẽte nõ morbido, & quia noxiũ expellit natura, non quia suscipit: quo fit, vt quæ naturaliter fiũt, licèt grauiora nobis videantur, leuiora sint & nobis amica magis, q; quæ leuia sunt, si nobis præter naturam succrescant. At secundus puris motus per arterias ad renes, excitandus iuuandusq; est his, quæ vrinã moueãt, siue cibis admixta, siue per se adhibita: non tamẽ his quæ verè vretica censuit Gal. & ob id thoraci & pulmoni aduersa arbitratur, sed ijs quæ vel extergendo vrinæ meatus repurgant auidioresq; tractioni reddũt, aut ijs quæ multam serosamq; humiditatem suppeditant: quæ sanè & pus attemperant, & vias abstergunt, & ad vrinam quod superest in vasis euocant. Primi gradus est terebinthina, secũdi verò multa ex his quæ diximus, velut lac quatuor seminum frigidorum, & alia quæ abunde scripsimus lib. de præsidiorum vsu.

Quòd si nec omnia hæc prodesse videãtur, ad maiora deuenire cõsulit vrgẽtiæ ratio, antequã ex pure & vlcere corpus habituali febre corripiatur, aut vlcus fiat cachoeticũ. Huius generis est sectio seu apertio thoracis: in qua quidẽ re cõsulendus mihi venit Hipp. lib. 6. aphor. 26. qui in hũc modũ scribit. Quicunq; suppurati aut aquã intercutẽ patiẽtes, vrinantur aut fecãtur, si pus aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriũtur. In quo sanè opere tria cõsiderare vt rectè cedat, mihi visum est: primũ, qui sint ex suppuratis, quos secare aut vrere oporteat: secundũ an indistinctè eiusdẽ sit vsus & momenti vstio ac sectio: tertiò & vltimò, quo loco sectionem moliri oporteat. Circa primũ expendendũ est, non quosuis suppuratos secandos vrendosque esse, sed eos solùm, quibus tantũ puris in thoracem confluxit, vt periculum sit, ne vel suffoccentur, vel statuto à natura tempore purgari non possint: nam in quibus puris parua colligitur copia, faciliùs & promptiùs natura quamuis

vacuationẽ aggreditur,ſecus quidem efficit,dum copioſius eſt, maximè ſi nullibi expurgationem moliatur, aut ſi ea quam tentat,non ſatis ſit. Quod inſinuauerat Gal.6.aphor.26.dicens: Vſtione igitur indigent qui plurimum habent pus, adeò vt non ſperent per ſputum poſſe expurgari: hos verò ipſos & difficultas anhelitus vehementer infeſtat ex loci anguſtia,quæ nos cogit vt eos vramus. Nec minoris eſt conſiderationis ſic affectis(ſiquidem Hipp. conſulit loco citato,ſuppuratos aut aquã inter cutem patientes ſecare aut vrere)quoduis auxilium ex his indiſtinctè præſtare. In qua re ſciendum eſt,ſuppuratos in thorace vſtione non omnes eſſe curandos(qui verò,poſteà leges) ſed ſatis quibuſdam eſt ſciſsio quæ penetret: tũ ob puris naturam,ne igne deſiccetur: tum maximè ob ipſius thoracis compoſitionẽ, ex tot oſsibus,cartilaginibus,neruis & membranis conſtãtem,quæ adeò ſunt igni aduerſa dum ſana exiſtunt,quantum illis cùm corrupta ſunt ignis vtilior eſt ferro. Nec impedit quo minus hæc vera ſint Hipp. dictum indiſtinctè prolatum: nec Galen. qui in commento refert vſtione indigere magis,qui in thorace plurimum habent pus,ſectione verò qui aqua intercutem patiuntur. Nec minus probat eiuſdẽ Hipp. dictum lib.3.de morbis vbi ſcribit de ſuppuratis loquẽs,ſecato aut vrito: nã præter rationem videtur adductũ, ſiquidem ipſemet lib.2.de morb. firmiter quid agendum ſit ſtatuit,dicens: Suppuratos non eſſe vrendos, ſed ſolùm ſecandos, & lib.de internis affectionibus,aqua inter cutẽ laborantes non ſecat ſed vrit. Verùm ſi fluxum ſanguinis vereamur,ſecurius eſt in vtroque vrere quàm ſecare. Præter quàm quòd verba illa,ſecato aut vrito,non vt iacent ſunt intelligenda: ego quidẽ arbitror per vſtionem non eſſe intelligendã eam quæ vrẽdo penetret vſq; ad pus, ſed ſolùm quæ efficit exteriùs vlcuſcula manantia,per quæ ſenſim pus expiret: & hac lege hydropicorum vſtiones cenſeo eſſe intelligendas,potiùs quàm eas, quæ penetrare poſsint: ſic enim ventrem hydropicorum circa vmbilicum variis vſtionibus leuiter perforamus,non ſine magno eorum commodo,quòd ſenſim & paulatim aqua expiret. Cùm tamen aqua effundi debet copioſiùs, quod rarò vſu venit,ſectio exequenda venit. Verùm qui voluerit adhuc clariùs hoc difficillimum opus perpẽdere, vt exequi liberè poſsit,expẽdat,q; vt triplex eſt puris collectionis in genere occaſio,ita & triplex erit eductionis modus. Quippe primus eſt dũ ex defluxa pituita in thoracem pus efficitur: quo tẽpore neque ſcalpello,neq; candenti ferro ſcindere vlla lege licet: ſat enim tunc eſt(ſi fluxio compreſſa eſt,aut diſtracta per fontanellam,& cum hoc quod fluxum eſt nequit natura ſufficienter tuſsiẽdo expectorare)locum exteriùs vna aut pluribus partibus inurere,ea vſtione,quæ nõ permeet ad interna,ſed ſolùm cutẽ vrat & nonnihil carnis, vt tradunt etiam Celſus lib.3.c.21.& Ætius. Quæ ſanè curãdi ratio vt tutiſsima, ita & vtiliſsima haberi debet. Secundus autem eſt,cùm colligitur in aliquo abſceſſu copioſa materia, vel pituitoſa ſanguini admixta,vel ſanguis ipſe,quæ in pus verſa exitum expoſtulant, dummodò nullum præſit in thorace vlcus: quo tempore tutiſsima eſt ſciſsio ſolo ſcalpello extrinſecus inter coſtas facta,qua pus educatur citra vllã vſtionẽ, quæ eo tẽpore formidãda erit. Tertius verò & vltimus eſt,dũ pus ex pulmonis vlcere colligitur in thorace,quo caſu ipſum eduxiſſe minimè ſufficit,manẽte adhuc in pulmone cauſa,quę illud ſit denuo conceruata. Quo ſanè caſu non ſat eſt pus eduxiſſe,vel vſſiſſe exteriùs,ſed etiã oportebit ad vlceratos vſq; pulmones cãdẽti ferro inurere, priùs vniuerſo pure educto. Quib⁹, ſi exactè perpẽdiſti, reperies,hanc vſtionẽ verè ab Hipp. fuiſſe vſtionẽ appellatã, nõ illã primã ſolũ extrinſecus vrentẽ: nã dum.3. de morbis Hipp. dixit,ſecato aut vrito,ſolũ intellexit de ſectione citra vſtionẽ, aut de vſtione citra ſectionem vel penetrationem: &. 6. popul. vbi ſcripſit tabeſcentes ſtatim vrere,intelligendum eſt de penetranti vſtione: nam talis proficua eſt vitioſis & antiquis pulmonis vlceribus. Atque hæc ad vnguem expendere tenetur, qui ſtuduerit aliquod ex his auxilijs tentare: nam graue eſt & periculo plenum in grauioribus auxilijs errorem committere. Tertium verò & vltimum quod ſcitu neceſſarium propoſuimus eſt,ſcire qua parte eos liceat ſecare: quod fieri debet ſecundũ longitudinem coſtarum inter quartam & quintam,aut vt alij referunt inter quintam & ſextam,vbi iam pus prolapſum eſt. Sic enim Ætius lib.6. cap.44.ex Leonide refert: ferro mucronato candenti per medium ſpatium vbi abſceſſus eſt adducto vſque ad pus, vſtionem moliri oportet: ſed id de abſceſſu non rupto intelligitur. Nonnulli etiam hos curare auſi ſunt,tranſuerſa linea inter quintam & ſextam coſtam ducta,& cute paululum obliquè diuiſa, deindè ſic ſcalpello membrana quæ coſtas ſuccingit,perforata,pus excreuerunt: cum hoc tamen non omnino probat prædictum opus. Quod ſanè vt certiùs aggrediantur audaciores Medici,probatione priùs facta id tentant: nam decumbat ne pus iuxta illam partem filo actu humido & ſupra locum affectum appoſito,id venãtur, quem ſi exſiccauerit partis calor,arbitrantur ibi colligi & immorari copioſum pus. Prætereà ſi oportuerit thoracem perforare,ſciendum eſt,non eſſe ſimul & confertim vniuerſum pus extrahendum: moriuntur enim vel ſpiritu copioſiori diſsipato, vel ex frigidioris aëris ſubingreſſu,quo forſan halitus in cor & arterias fugantur. Vulnus tamen fiat exteriùs patentius,intro verò quàm minimum. Vlcere verò facto curandum eſt,thoracem ſyringa abluere, & pus extergere aqua hordei & ſyrupo roſaceo,vel hydromellite ſi pituitoſior fuerit affectio; item ſero lactis, vel decocto caryophyllatę herbæ,aut agrimoniæ,quod magni ſolet eſſe momenti.

De Tabe. Cap. IX.

PHthyſis ſeu phthoes, nam vtroque modo refert Galen. 7.aphoriſm. Græcos Athenienſes appellaſſe id quod Latini tabem nuncuparunt, affectio quidem grauis in vitio nutritionis conſiſtens, quæ generali quodam ſignificato complectitur omnem corporis cõſumptionem, vt ex Galen. doctrina euidenter conſtat,qui tabidos eos omnes appellat,quos(vtcunque ſit)extrema macie conſumptos vidimus: interdum verò eos, qui peculiari corporis & naturæ promptitudine apti ſunt ex leui occaſione in tabem prolabi. Quanquam tabes communi ſignificato accipiatur(maximè à Celſo)pro atrophia,cachexia & phthyſi. Frequentiùs tamen & propriùs eos appellat tabidos Galen. quibus pulmo eſt exulceratus. Ex quo febris lenta in corde accenditur,cum totius corporis extenuatione & conſumptione,non modò humorum atque carniũ,ſed etiam partium ſolidarum,vt æger paulatim intabeſcens, tandem oſsibus & pelle ſolùm videatur conſtare: quod ſanè vlcus propter malignitatem ab Hipp. interpretibus θηριωμα dictũ eſt,vel quia feræ cuiuſdam more graſſatur in corpus, vel quia ægros aduncis vnguibus feris ſimiles reddit. Verũ vt quis exactè intelligat quid per tabẽ propriè ſubaudire oporteat,ſciendũ eſt,cõſumptionẽ ſeu marcorẽ aut maraſmũ(vt latiùs expoſuimus li. febriũ,& ſecũdo pulſuũ)eſſe

corruptionem seu consumptionẽ viuẽtis à siccitate:cuius sanè cõsumptionis loco citato,tres adduximus species:vnã ex sola siccitate prodeũtem, partiũ frigiditate & calore secundùm naturam manentibus:secundam quæ duplex est,vel ex siccitate calori adiuncta, vt in vltima hecticæ febris parte conspicimus: vel ex eâdem siccitate cui frigiditas quoq; associatur,qualis senibus succrescit secũdùm naturã, frigiditate mixtionis dominante:tertiam cùm alicui ex prædictis adiungitur defluxus aliquis aut tumor præter naturã,qui syncoposus appellatur marasmus.Quibus marasmi speciebus corpori succrescit id vitium,quod Medici appellant atrophiam,hoc est,nutritionis defectum.Cui quoque affectioni non pauci,neq; contemnendi authores reducunt cachexiam,hoc est defectum veræ & optimæ nutritionis,licèt corpus aut eius partes in maiorem molem augeantur. Præter quas omnes accedit maioris momenti alia,quæ consumptio etiam est cum febre ex vlcere pulmonis(vel,vt quibusdam placuit,cuiusuis alterius visceris,aut magni alicuius articuli proueniẽs) quam profectò veram & præcipuam phthysis rationẽ constituere,nemo est qui ambigat.Cæterum inter has atrophiæ & consumptionis differentias hoc interest discrimen,quòd atrophia sic propriè dicta,à quacunque sit causa,in omnimoda nutritoriæ facultatis ablatione sita est: cachexia verò, actio vitiosa eiusdem facultatis existit: at tabes consumptio est ab extraneo calore facta, consumente proprium cuiusq; corporis humidum:qui calor non solùm vitiũ infert in nutritoriam facultatem,quo minus possit corpus reficere,vt in alijs speciebus, verũ & proprium ac peculiare membrorũ humidum depascitur. Tabis itaq; tres distinguit Hipp.differentias,vnam à defluxione è cerebro copiosa,& non expulsa, mollem pulmonis carnẽ putrescente,aut acri & exedẽti,vel salsa ac biliosa:alteram verò ex successione pleuritidis,anginæ,aut peripneumoniæ : tertiam frequentissimam ex apertione, vel ruptione vasis alicuius,ex qua supersit in pulmone vlcus: tanto curatu grauius & difficilius, quanto vas ex grandioribus fuerit. Quibus tabis speciebus Areteus quartam addit,vt censeo desumptam ex Hippo. lib.1.de morbis,quæ ex siccitate pulmonis proficiscitur,cum leui tussi,in qua nihil excernitur,vniuersum corpus etiã cõtabefaciens:ad quas quoque facile est reducere alias phthysis species, quarum meminit Hippo.lib.de internis affect. dicens: Tabes alia ex labore,alia ex defluxione pituitę à capite,alia verò ex dorso:quę noui ter vxoratis frequẽter contingit:quas quidẽ potiùs modos ex diuersa occasione & causa,quàm veras differentias dixeris.Est itaque tabes ea affectio, quæ ex vlcere pulmonis suboritur,cũ corporis consumptione ac lenta febricula:quam sanè nuncupant tabem exquisitam authores omnes,licèt non desint,qui eam quæ ab vlcere thoracis,asperæ arteriæ,renum,vel magni alicuius articuli prodit,veram quoque appellent:re tamen vera qui hoc morbo laborant,verè tabidi non sunt, quia cùm princeps aliquod viscus non læditur,nequeunt omnes partes simul verè tabescere,& totum simul animal lædi,vt Galen.placuit lib.de marasmo, licèt temporis tractu ex eo affectu simul cor in tabem deferatur, ac ex consequenti corpus vniuersum.

Dubium. Sed prodit ex præfata doctrina nõ leue dubium,nimirũ quanam ratione phthysis non reducitur ad eam siccitatem quæ cum calore adaucto simul adiungitur: si quidem in idem videntur coincidere,sola vlceris ratione,quod in phthysi succrescit,dissidentes.Cui dubitationi,quæ non leuis est momenti,dicimus longissimis dissidere interuallis:nam hectica febris habitualis cùm sit, independens necessario existit: at phthysis,licèt habitus etiã sit febrilis,ex calore & siccitate adiunctus atque

atque factus,cum hoc tamen dependens est:quod habitibus nulla ratione conuenire videbatur.Quippe vt in fieri & cõseruari ab vlcere depẽdet,ita profectò citra vlceris curationem,curari minimè potest.Neque mirandum est,habitum esse & dependentiam sortiri:nam hæc est differẽtia inter febrem hecticam & phthysim, quatenus ad eius febrem attinet,quòd habitus hecticæ cùm independens sit, vnus & idem & eiusdem gradus existit à principio ad finem, licèt possit magis eradicari,& ob id vnica erit curandi ratio, quæ calorem compescat & humidum reficiat: at in phthysi habitualis etiam calor est & independens,quoad illum gradum in quo est habitus,aut habituatus ille calor: cæterùm cum hoc dependentiam trahit ab vlcere,non quoad illum gradum in quo est habituatus,sed quoad intensiorem, quem nititur calor vlceris introducere, & habitualem facere, vt re vera efficit.Nã calor phthysicorum non est eiusdem gradus in fine ac in principio,vt verè est in reliquis febribus hecticis.Quo fit vt curari phthysis non possit sola caloris attemperatione & humidi refectione,quia adest perpetuò causa fouens & nitens non solùm tueri præexistentem habitum & calorem,sed vlteriorem & intensiorem inferre: & hac ratione nisi remoueatur hoc prohibẽs,reficiac attemperari nequiuit phthysicorum corpus.Quapropter optimè factum esse arbitror distinctas cõstituisse siccitates hecticorum corporum ab his quæ reperiuntur in phthysicis.

Causas omnis tabitudinis mihi hac in parte referre in animo est, licèt propriatabes solùm pulmonis vlcus pro causa peculiariter fortiatur. Ante tamen quàm causas recenseam,in animo est triplicem ad tabem apparatum recensere:quod nõ minoris momenti est ad curationem quàm causæ cognitio: quippe vna est vitiosa corporis cõstitutio:altera est ætas,& reliqua aëris cõstitutio,primò Austrina, deinde Aquilonia.Constituunt itaque tabificam constitutionem tria,caput nimirum, pulmo & thorax,& in singulis triplex dispositio.In pulmone quidem mollities natiua: cauitates multæ excipiendis fluxionibus idoneæ,excernendis ineptæ, & ab ortu quasi hæreditarium vitium . In thorace vero angustia in latum & profundũ: collum oblongum & gracile:extantes scapulæ retrorsum in modum alarum & excarnes.In capite autem imbecillitas quacumque ex causa, propter quam facilè impletur:intemperies,quæ calidior trahit ex toto instar cucurbitæ:& meatus patentiores,quo faciliùs expellit quidquid receperit: frigidior,multa excrementa congerens: vitiosa denique conformatio collo gracili respondens. De paratiore ætate sic sentiendum,tabẽ nimirum fieri, maximè in ætatibus à decimooctauo anno ad trigesimumquintum,vt ex Hippocrat.constat. 5.aphor.9.& 3.29.præterquã quòd alibi statutũ est,iuuẽib⁹ fieri sanguinis eruptiones & tabes,forsan ob sanguinis vbertatem, ob vitæ intemperãtiam,& intempestiua exercitia,quibus vel venarũ fiunt ruptiones,vel sanguinis feruores ac defluxus acres & mordaces: aut ex nimio calore contabescentia. His suppositis,licèt communiter tabitudinis omnis causa habeatur ex præcedẽte hemoptoysi ob apertum vas,ruptum,vel erosum,aut ex suppuratione, vtcumque facta sit, aut ex acri defluxu incumbit profectò alias nõ pauca recensere,quæ vel his principium præstant, vel per se idem possunt efficere,vlcere in spiritalibus vel alijs in partibus facto,haud secus vt ex Gale. colligi potest 4. de locis affect.cap.vlti. nimirum propter humiditatem calori coniunctam , quæ ad putrefactionem visceris mollissimi satis esse potest:aut propter immodicum calorem ex corde,qui pituitam exacuit & adurit,vt per morã erodat pulmonẽ meatibus effluxui excrementorum aptis ferè destitutum.Nonnulli tabem quoque asthmaticam faciunt,in qua infartis asperæ arteriæ ramis glutinosissima pituita ob ress-

pirationis noxam conſumptio totius corporis ſequitur. Tabeſcunt inſuper homines ex defluxione cuiuſuis humoris à capite: inquit enim Hipp. lib. de locis in homine. Si pulmo humidus fuerit ex copioſa defluxione, fit ſuppuratio, ſi autem ſiccus, tabes. Addit etiã eâdem parte tabis aliam differentiam dorſalem appellatã, quæ fit cùm fluxio in dorſum incubuerit: cuius ſigna ſunt lumborũ dolor, & quòd caput parte anteriori vacuum eſſe videtur. Itẽ lib. de internis affectionibus, renũ exulcerationem tanquam cauſam alteram tabis annumerat, atque etiam coxendicis, vt lib. de Coacis præ. inquit enim. Quibus ex intermittentibus febribus ſæpius fiunt recidiuæ, his in coxendicũ leuẽ tabẽ deriuantur. Cuius etiã meminit lib. de glandulis dicens: Pituita ſi per ſpinalem medullam defluxerit in coxendicem, tabeſcatq;, ex coxendice morbus fit longus, ſed inſanabilis, ex quo defloreſcit totus vigor hominis, & moritur tandem. Succreſcit non minus ex defluxione ad pulmonem alia tabis ſpecies, vt eodem loco ſcribit Hipp. dicens: Si verò pituita defluxerit ad pulmones ex capite, fit pus & erodit pulmones, & fit tabes. Cuius etiam fluxionis meminerat li. 2. de morb. quod ſanè phthyſis genus Serapio appellat phthyſim ſimilẽ, in qua non eſt vlcus in pulmone, ſed fiunt purulenti quòd pituita craſſa corrumpatur in pulmone, & ſeptem annorum ſpatio finitur. Eſt etiam alia cauſa quam recenſuerat Hippocrat lib. prædict. dicens: Quæ autem ſpecialiter ſanationem prohibent, ſunt ſimiliter, vt virgo ſi ex ſuppreſsione menſium in tabem deueniat: item ex curatis hæmorrhoidibus, ſi ex toto ſupprimãtur, tabe mori dixerat idem Hippocr. 6. aphoriſm. 12. A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi vna non ſeruatur, periculum eſt aquam intercutem vel tabẽ aduenire. Cui ſimile damnũ creditur inferre hæmitritei quoddam genus, ex cõtinua pituitoſa & quartana intermittente conflatum, eſt enim tabificum genus febris, & occidit per hydropẽ. Fiunt etiam nonnulli ex metu tabidi, dum ſenſim & nõ ſubitò cauſa ingruit, quæ ſanè mœrore confectos tabificat: ſic & ex faſcinatione & maleficio multi tabeſcunt. Prætereà temporũ tẽpeſtas ſicca poſt acutos morbos diu durans, tabitudines generat, vt ex Hippoc. conſtat. 3. aphoriſm. 16. Pari lege & copioſus cibus tabem efficit, vt Hippocrat. docuerat lib. de veteri medi. dicens: Copioſior cibus quàm conueniat, ægro exhibitus morbum auget & corpus tabificat: & lib de locis in homine inquit. Quòd ſi corpus ſuperat cibos ingeſtos, floret, ſed ſi vincatur atque ſuccumbat, corpus gracile efficitur. Varios etiam alios modos delabendi in tabẽ ſuppuratione mille modis facta, prægreſſa annumerat longiſsima oratione Hippocr. lib. 1. de morbis, qua parte incipit. Quicunque ſuppurati fiunt pulmone, aut ſuperiore vel inferiore ventre, &c. Tandem vltima parte ſentẽtiæ inquit, vlcus in pulmone fieri vno è quatuor modis: primo ex peripnœumonia rupta non purgata: ſecundo ex pituita à capite deſcendente, & in pulmone putreſcente: tertio ex vena rupta in pulmone: quarto ex genita varice in pulmone & poſteà rupta: & quintũ addit eâdem parte nimirum ex his omnibus, cæterùm in thorace damnum inferentibus, necnon & ex pleuritide aut alio tuberculo ibidem rupto. Quorum omnium prouidentiam ad exactam curationem ediſcere oportet.

Signa. Signa verò quibus huiuſmodi affectus monſtratur, in triplici ſunt differentia: quædam enim affectus ipſius principium monſtrant, quædam eius magnitudinẽ & ſæuitiam: & vltimò quædam cauſas & differẽtias ipſius tabis. Quæ verò affectũ moſtrant, diuiſa quoque ſunt in ea quæ affectum docent, & in ea quæ particulam affectam: nam cùm non vnica ſit ſed multiplex, vt ſuperiùs dictum eſt, eius quoq; habere notitiam conuenit.

Ante

Ante tamen quàm peculiaria ſigna aggrediar, neceſſum iudicaui eſſe, docere potius ſignis principium affectionis huius monſtrare, quàm dum iam in vetuſtatem & habitum deducta eſt: quippe capillorum defluuium, vnguium curuitas & reliqua huius naturæ, ſolùm præſagio proficua exiſtunt, non curationi. Nam cùm hæc affectio rarò curationem admittat, firmato malo, ſed mox incipiente, ob id eis quæ id monſtrant, ſolùm opus habemus. Sic etenim diutina tuſsis cum leui ſanguinis ramento, corporis extenuatio, lenta febricula, & ab ingeſto cibo corroboratio nulla, ſignum eſt inſtãtis aut inceptæ phthyſis, maximè ſi id accidat corporibus alatæ naturæ, & quæ promptitudinem habent huic habitui ſuſcipiendo aptam. Prætereà ſi conſtiterit præfatis ſignis, phthyſis præeſſe principium, ſciſcitãdum eſt vlterius, an ea febricula, eaque ſiccitas, quę tabem primò manifeſtant, ex vlcere pulmonis vel alterius partis prodeat, an ex febrili calore vel diuturno aliquo fluxu. Cuius rei gratia præcedentes ca uſas primò conſiderabis, nimirum ſi ſanguinem excreauerit laborans, nec citò ſanitati fuerit reſtitutus: tunc enim coniectabile eſt, vlcus poſſe in pulmone vel inſciſſa parte relinqui, cuius ſpurcitia & purulentia corpus contabeſcat, idque maximè ſi ab eo tempore puſilla quædam febris adhæſerit. Item ſi præceſſerit praua pleuritis, quæ in ſuppurationem migrauit: ſi præceſsit ictus, caſus vel aliqua ex prædictis cauſis, hæ etenim citra ſanguinem, ſaniem primò oſtendunt.

Prætereà his conſideratis, primum ſignorum genus, quod affectum & affectam partem monſtrare habet, triplicia complectitur ſigna, nimirum quæ excernuntur, doloris proprietatem & locum, & vltimò corporis habitum. Quæ verò excernuntur, variè poſſunt id monſtrare, ex tuſsi nimirum & modo quem in excernendo ſeruat natura: nam cùm vlcus in aſpera pulmonis exiſtit, leuiſsima admodum tuſsi excernuntur quæ in eâdem præſunt, & mox à tuſsi, quantumuis leuis ſit, fit excretio: quæ verò in pulmone exiſtunt, præter id quòd ſine dolore excreantur, maiori tuſsi opus habent: quæ verò in thorace, longe maiorem requirunt naturæ diligẽtiam & laborem, quo fit vt ipſa non excernantur, niſi poſt longam & vehementiſsimam tuſsim, & dolor inſuper in parte vlcerata perſentitur. Secundò id etiam monſtrat quantitas eius quod excernitur: nam quæ ab aſpera pulmonis arteria prodeũt cùm abraditur, parua quidem ſunt, quòd à paruiſsimis vaſis diſcindantur, & cum leui dolore. Quæ verò ex pulmone, longè ſunt copioſiora, ob magnitudinem vaſorum, quia copioſiori indigebat alimento ob motus perpetuitatem. Thorax quidẽ mediocriter excernit, nam vaſorum pulmonis extrema nequeunt à thorace ſugere maiorem copiam, ob idque ſputa ſunt mediocria, inter ea quæ prodeunt à pulmone & ab aſpera arteria. Qualitas verò eius quod excernitur, & locum affectum & vlceris conditionem proculdubio oſtendit. Sic quæ purulenta & ſordida ſunt, vlcus eſſe cachoẽte monſtant: item dum in aqua profunditur & deorſum vergit, ſolidam partis vulneratæ ſubſtantiam putredine exeſam monſtrat: nec placet eorum ſententia, qui pus eſſe probant affuſſo in aquam ſputo, nec rurſus Areteo placuit: nam pituita craſſa etiam in aqua proiecta deſcendit. Verùm id profecto diſtingues, quia pus primò per aquam ſpargitur, poſteà verò deorſum vergẽs iterum colligitur: at pituita licèt deſcendat, etiam ob innatum lentorem & viſciditatẽ proiecta in aquam non ſpargitur neque diſgregatur, ſed conglobata deſcendit, quod eſt certius huius probationis ſignum. Item ſi ſanguis tenuis & cum ſaltu excernatur, arterioſum vas eſſe diruptum monſtrat: ſi verò ſpumoſus ſit qui excernitur, pulmonem eſſe affectum monſtrat. Prætereà ſi aliqua tunica cum tuſsi excernatur, &

ea

ea crassa sit, epiglotidis & partium vicinarum esse vlcera conijcito. Verùm si bronchium aut pars eius magna excreta fuerit, ex magnitudine licebit rimari, asperam pulmonis arteriam esse læsam; nam bronchia quæ ex pulmone prodeunt, minora quidem sunt. Verùm cùm quadruplex sit pulmonis substantia, brõchiosa nimirũ, qua vasa constituuntur, ligamentosa etiam quæ vasa pulmoni cõnectit, & brõchia etiam interse coniungit, pulmonis etiam parenchima seu caro: & quarta quæ ex leuibus cõstat arterijs, hinc fit vt brõchia exeant à pulmone, ligamentis ipsis putre factis præ humiditate: quod monstrat mucilaginosa excretio cũ ipsis ligamentis admixta, aut exesis præ acrimonia & mordacitate humorum: reliquas verò substãtias vt dictum est, facilè nosces.

Tabidorum verò pulsus neque certus est, neque semper idem omnibus incidit, nam cùm tabis tot sint species & modi, fit proculdubio vt quælibet iuxta sui rationem pulsum immutet, & sic marasmus in genere, quatenus corruptio est à siccitate, solùm habet efficere pulsum paruum & languidum: verùm marasmus, cui adiungitur calor, paruum etiam ac debilem efficit pulsum, celerem tamen & crebrum, decurtatum, & eminulum atque prominulum, licèt cùm iam ad solidorum consumptionem est peruentum, hecticus fit & æqualis, vt lib. de pul. arte abunde exposuimus.

Magnitudinem quidem huius affectus & ipsum affectum monstrant pectoris grauitas, angor, cibi fastidium, vespertina extremorum frigiditas, & matutina vt inquit Areteus caliditas, sudor vsque ad pectus caliditate molestior, vox raucescit, ceruix nonnihil tortuosa est, gracilis, non versatilis, sed veluti rigens atque intenta: digiti tenues & articuli crassi, quòd carnes extabuerint digitorum: ventres rugosi, buccarum tenuia dentibus inhærent, vt ridere videantur: apparet insuper capillorum decisio ob inopiam & consumptionem alimenti, succrescit rubedo maxillarum ob acres & calidos halitus maxillas ascendẽtes: vnguium apparet curuitas propter consumptionem carnis subtus iacentis: succrescit & fluxus alui, quibusdam ex substantię colliquatione, alijs ex impotentia naturalis roboris, multisve rò ob vtramque causam: vltimò quidem monstratur hoc malum ex totius corporis consumptione, & facie illa Hippocratica appellata.

Quo autem modo interstinguere oporteat tot causarum tabis differẽtias, facilè quis discet, si eas quæ præcesserunt causas & occasiones percontatus fuerit, ac si expenderit defluxiones, quæ adhuc præsunt & præcesserũt, sanguinis reiectiones, suppurationes, peripneumonias aut pleuritides.

Præsagiũ. Ante tamen quàm præsagium ex hoc malo explicandum aggrediar, expendisse erit operæpretium (cùm thoracis omne vlcus graue sit & periculo plenum, & variæ sint partes quę thoracem constituunt & in ipso continentur ac ipsi adhærẽt) vtrum horum grauius sit & periculosius, dum vlcere afficitur. Cuius dubij gratia statuendum est, ex his omnibus plurimam præbere salutis spem pectoris vlcera, minus laringis: deteriora sunt ex vasis pulmonis: pessima ex substãtia: terret enim ex copia fluxionis magis vlcus quod in vasis est: sed si ante inflammationẽ subueniatur, glutinatur non rarò: at ex pulmonis carne parcior fit fluxio, sed immedicabile vlcus quoad firmam cicatricem attinet. Sed huic rei addit Galen. 5. metho. cap. 18. incolumius rumpi simul cum sanguineo vase ramum iunctum asperæ, quã seruetur integer: nam propter liberum commeatum defluentis sanguinis in asperam, expurgatio integra aditum præbet sananti naturæ: retentus enim dum per norũ, &

anastomosim asperæ transcolatur, parte aliqua abit in grumum per moram putrescentem, & pulmonem putrefacientem. In pulmonis verò carne, licèt contractum vlcus sanari possit, vbi extrorsum pus expurgationem habeat, quod in vulneratis secundum pectus in pulmone visum est, integro tamen pectore ob causas nuper relatas, ferè insanabile est: cæterùm in laringe & aspera arteria, ob id securius est, nec multo quàm in pectore deterius, quia vlcus breue est, & pus facilè spuitur, & membranæ crassities præsertim ad laringem faciliùs coalescit. Verùm in eius capite ferè vlcus incolume est, nisi imprudẽter agatur: cui etenim Areteus maturè subuenire monet, ne per palatũ ad pulmones, sanguine inter dormiẽdum defluente putrescenteq; hominem tabescere contingat. Nec minus magnitudinem periculi metieris, si expenderis humoris fluentis conditionem & puris naturam, vt superiùs dictum est.

His habitis ad duo capita reducere oportet præsagandi ministerium in hoc malo: primum nimirum quod contineat eos qui sanari possunt, cùm Hippoc. forsan citra aliorum mentem, velit etiã exquisitissimum tabis genus sanari posse. Cui vsui proponit secũdo prædict. septem signa quæ significant ægrum euasurum: primum si album sit sputum, æquale & ab inflammatione liberum: secundum quod ea quæ ex capite defluunt, per nares educantur, quo minus præexistens affectio ex fluxione augeatur: tertium vt non adsit febris putrida, quæ noctu crescat & ne cessariò cœnam interdicat: quartũ verò, quòd siti sint exortes, quo apertè scimus febre carere putrida, febre enim hectica affecti parum sitiunt: quintum vt nondũ ad maximam extenuationem deuentum sit, impedit enim summopere curationem: sextum vt aluus deijciat, durum tamen & pro ratione assumptorum: septimum verò & vltimum, vt pectore sint quadrati ipsumq; habeant hirsutum, carnosum & non magnis ossibus, quod indicat naturam membri patientis esse validã. Quos autem mori cogit mali sæuitia, multa etiam monstrant signa: primum si affectio ex suppressione mensiũ intempestiua, & quæ reuocari non possit prodeat, vel si ex defluxu incompescibili humorũ, aut ex repetitis suppurationibus, & sic pari censura de singulis causis quas numerauimus. Cæterùm siue à leui, siue à vehementiori causa malũ oriatur, signa quædam scribit Hippocr. quæ futuram & proximam mortem certò attestantur, quale est fœtidum & saniosum sputũ, quod fœtorem super prunas iniectum non leuem referat: sed intelligendũ est, non id solũ sufficere ad mortem prædicendam, nisi simul capilli à capite defluant, etiam si lib. 2. de morb. dixerit, sputũ graue olens sufficere. Cuius rei occasione sciendum est, quòd in suppuratis ob puris maximam copiam, quæ sola sufficit interficere, solus fœtor sat est, non autem in tabidis: tum quia puris adest minor copia: tum verò quia aliunde quàm ex pectore & pulmone pus confluere potest: sed signa hæc potius mortem quàm eam breuiter fore ostendũt: verùm si his accesserit alui fluor, mox laborantem mori certum est, iuxta illud Hippocrat. 5. aphorismor. 12. cuius signi & aliorum pulchra oratione rationem reddit lib. 1. de mor. dicens: Cùm pus ipsum in ventre moram traxerit, totum corpus ab ipso calescit, tum maximè vicinissimæ partes: calescente autem corpore humidum maximè eliquatur, & quod quidem à supernis partibus eliquatur, in supernum ventriculum defertur, & quã doque aluus ab ipso turbatur & hominem perimit: nam cibi ingesti succedũt incocti, & alimentum ab ipsis corpori non accedit, & sputi sursum purgatio non æqualis cõtingit, aluo nimirum calefacta, & omnia deorsum trahente in seipsam, & ab sputo quidem suffoccatur, & stertit dum non purgatur, à ventre verò fluẽte debili-

debilitatur,& plerumque perimitur. Et paulò inferiùs(vt præſagium concludam) ſcribit. Hunc ſi iam è capite capilli defluant,& nudum ſit caput velut ex morbo,& ſi in prunis ſpuenti,ſaliua graue olens ſit,intra breue tempus moriturum prænuncia:maximè ſi vnguium curuitas,& internodiorum digitorum,& iuxta vngues ex tuberantia,& pedum tumor acceſſerunt, præſertim cùm certum ſit ex omnium conſenſu,vlcera pulmonis difficillimæ eſſe curationis,eo quòd citra tuſsim non repurgentur,& cum tuſsi mutuò corrumpitur & exulceratur:quo fit,vt etiam ſi cicatrice obducantur,leui occaſione recrudeſcant,& iterum pus & ſanguis prodeant, vt experimento conſtat quotidiano:maximè cùm vires medicamentorum vlcus pertingere non poſsint.

Curãdi ratio. Cùm certum ſit pulmonis id vlcus,quod alicuius magnitudinis exiſtat, curari non poſſe,ideò non ſtudui hac in parte plurimũ inniti in vlceris curatione. Verùm quia id quod vel paruum eſt,vel nondum inflammationem contraxit,vel in thorace aut aſpera arteria viget,curari non rarò conſpiciamus,ob id profectò vniuerſam huius mali curationem in duo potiſsimum capita diuidam. Primum quidem quod circa tabificum corpus verſetur,ſtudens ipſum ad pinguiorem ſtatum reducere:alterum verò quod parti vlcere affectæ incumbat,curetque quantùm poſsibile ſit, ſanitati reſtituere. Sed cùm primum opus citra vlceris curationem fieri ſit impoſsibile, ob id ab eius prouidentia initium ſumens, præmitto curationem in his vtilem fore,qui licèt pus iam excreent,in via ſunt vt tabidi fiant: nam ſpes ſubeſt, ſiccato debitis præſidijs vlcere,febrem ceſſare & conſumptionem, vt multis euenisſe Galen. teſtatur. At eos qui iam ad tabem peruenerunt,licèt difficile ſit(ne dicam impoſsibile)ſanitati reſtituere, cum hoc tamen omnino deploratos relinquere,æquum non eſt:nam fieri poteſt,ne in extremam illam tabem tranſmigrent,& diu detineantur in vita, cauſis ſiccitatis diligenti præcautione obſiſtendo: contingit enim calloſum fieri vlcus,& ſiccũ quoad labra ipſius,ita vt nec ſanguis profluat nec ſanies,niſi recrudeſcat occaſione aliqua. Curandi igitur ratio magis in præcauendo quàm incurando ſita,vtriuſque prouidentiam commendat: quo fit, vt partim renutritioni incumbat,partim verò exſiccationi vlceris,præmiſſa eiuſdẽ repurgatione. Atqui cùm has duas actiones omnino cõtrarias eſſe conſtet,& vnã alteri nocuã,prudenter cenſeo factũ eſſe pleriſq; , ſi eas ad inuicẽ admiſceamus, vt quod ſiccat altera,repurgat & abſtergit,reliqua renutritione reficiat.

Dubium. Sed antequam aliquod ex his operibus aggrediar,diſputatione dignum iudicaui,an tabidis aliqua occaſione æquum ſit & præciſè neceſſariũ,expurgans medicamentum porrigere,vel ſanguinẽ mittere: nam iuxta optimam rationẽ videtur pleriſque Medicorum lege inuiolabili ſancitũ,nullo modo corpus tabidum inanire ſanguine miſſo aut expurganti medicamento. Quod facilè quis confirmare poterit ratione ſtatus corporis,qui in inanitione & indigẽtia ſitus omnino adiectionẽ expoſtulat,& prorſus vacuationem renuit. Præterquam quòd Hippo. 4. aphoriſm. 8. tabidos monet cauere à purgationibus per ſuperiora,tum ob partiũ reſpirationi ſeruientium imbecillitatem, ne eo motu rumpantur dilacerenturq; magis, præſertim ſi ex ſanguinis eruptione ſequatur tabes: tum ob acrium humorum affluxum,quẽ ea medicamenta facilè concitãt. Neq; minus vereri oportet vacuationẽ per infernã aluũ,cùm certum ſit,arte aut natura innocuè fieri nõ poſſe, vt teſtatur Hippocrat. 7. aphoriſmorum. 16. Et licèt huiuſmodi euentus & ratione & experimento confirmari videantur, cum hoc tamen authorum decreta & medendi ratio,atque tabidorum corporum diſpoſitio conſulunt, & non rarò cogunt, non

non ſine magno laborantium commodo,ad purgantia auxilia, & ad reliqua quæ corpus euacuant deuenire. Cui rei primus Hipp. lib. de locis in homine ſententia 31. & 35. principium præſtitit,& rationem adduxit dicens: Qui tabe affectus eſt,ei purgandum eſt caput debili medicamento . Sed quod mihi magis ſubit mirari, eſt quod paulò inferiùs ſcribit: Præbe elaterium deorſum purgans & infernè aluum lacte infuſo ablue. Item. 2. de morb. de tabe loquens,veratrum pro vomitorio ipſis concedit,maximè ſi ægri robur id admittat,cùm omnino tabidos cauere per ſuperiora in aphoriſmis dixiſſet. Verùm ne quis Hipp. præceptis prauè intellectis,licentioſiùs quàm par ſit,hoc auxilij genere vtatur,in præfata controuerſia ſentiendum arbitror,tabidis neque omnibus eſſe negandum expurgans medicamentum,neque vllis validum & ephrene aut vtcunque turbans porrigendum: nam cùm tabes,ſiue cum vlcere,ſiue ſecus , vel ex fluxione capitis aut totius corporis prodeat,vel ex cauſa quæ aut tumorẽ ſuppuratum efficiat,aut continuum ſoluat, originem trahat,in his profectò, quibus fluxio acrium,mordacium & exedentium humorum adiuncta eſt,maximè ſi ſuccorum accedat ebullitio & efferueſcentia,non omnino poſthabita conſumptionis indicatione(nam exquiſita tabes, neque in his quibus adhuc fluxio perſtat, vacuantia admittit, ſed ſolùm diuertentia) purgare tutiſsimum & neceſſarium fore certum eſt, maximè his medicamentis, quæ & thoraci & vlceri prodeſſe poſsint, & fluxionem auertere, atque minuere aut compeſcere . Huius ſanè conditionis eſſe creditur rhabarbarũ,nonnunquam torrefactum,nardo Indica admixtum,& infuſione roſarum,ac ſero caprino dilutum. Eundem vſum præſtat manè ſumere cocleare vnum paſſularum Corinthiarum cum puluere rhabarbari & ſaccharo, ita vt pro libra paſſularum, ſit rhabarbari. ℥. ß. & ſacchari. ℥. iiij. Item prodeſt ſaccharum roſaceum cum modico rhabarbaro, vel idem ſaccharum cum bolo Armeno & ſucco agarici, aut bolus ex puluere roſarum cum ſucco ſeminis carthami,aut agarici,aut rhabarbari extracto aqua lactis. Quòd ſi acris ſit materia quæ fluit, frequentiùs lãbendo caſiæ fiſtulæ medullam,aut eandem in conſerua factam,leniter aluum citabis , & fluxionem illuc auertes, thoracemque & aſperam arteriam lenies & ſputum faciliùs reddes,maximè ſi aqua hordei liquaueris:cui admiſcere poteris,vel liquirizię, vel roſarum puluerẽ,aut ſi mauis rhabarbari,quia vna ſalus phthyſicis ſupereſt,dũ materia aliò reuocatur:nã dum prohibetur aliquo ex prædictis,maioris eſt incommodi & periculi.

Sanguinis verò miſsione rariùs in tabe opus habemus,maximè vlcere iã facto, niſi noua ſuccreſcente fluxione,aut niſi adſit venæ alicuius recens apertio, vel vbi feruens admodũ fuerit defluxio,& iecur ſcalidũ aut ferinũ,vel pulmo aliqua occaſione diruptus,quib⁹ caſibus ex Hipp. decreto ſanguis mittẽdus eſt. Duobus enim modis à vena rupta,vel in varicẽ degenerante pulmo læditur,nimirũ ſanguine in pulmonẽ profuſo ac in ipſo putrefacto, quo tẽporis progreſſu pus excernitur ſincerũ,& nõnunquã ſubcruentũ,& aliquãdo ſanguineũ. Verũ ſi vena omnino rupta non ſit,ſed vt Hipp. refert,acutus tractus in ipſa fiat,protinus in varicem degenerat. In quibus affectionibus lib. 1. de morbis diſſertiſsima oratione hæc ſcribit: Patitur quæcunque in ſuppurationibus dicta ſunt: conducit autem talibus ſi ab initio curandos ſuſcipias , vt & venæ de manibus ſanguinem emittant, & dieta ſit qua ſiccisſimus & exanguis fiat. Quibus euidenter conſtat, verendum non eſſe ſanguinem detrahere, viribus ferentibus aut omnino non collapſis , maximè ſi acceſſerit viri alicuius docti conſilium , tanquam in re graui : quo caſu

tutius ſum arbitratus vbi id non audemus,vel aliquis renuit,cucurbitis, frictionibus & alijs præſidijs fluxionem auertere, potiùs quàm cum graui diſcrimine grande auxilium tentare:cum hoc tamen prædictis caſibus non omnino eſt à ſanguinis detractione fugiendum,incipiente tamen malo,& dũ tabitudo adhuc ſub dubio eſt.

Victus ratio.

Quibus etenim ſic conſideratis,tabidorum corporum & vlceris non poſthabita cauſæ prouidentia,ſi adhuc præeſt,ſin aliter citra ipſam, curationem aggrediaris, ſtudens quæ cruda ſunt,vt vlcus aut defluxionis materia,coquere,tenuare,diluere,expurgare, detergere, ſiccare, glutinare & corpus tabefactum diligenter inſtaurare. Ob id primo acceſſu & habita iam fluxionis prouidentia, ſic affectis eum victum inſtitues, qui ſorbitionibus plerumque conſtet,velut eſt qui conficitur ex ptyſſana,oriza,amylo & alica,adiecto lacte vel iure pullorum confecta. Paratur etiam non mediocris commodi cibus ex iure extremitatum hœdorũ aut vitulorum, piſcium, teſtudinum, coclearum, vel conchiliorum.Exhibentur prædictæ carnes contuſæ vel earum ſuccus cum ptyſſana:quem quoque vſum præſtãt cancri fluuiatiles, maximè lacte confecti: multa etenim ex his & alijs parari poſſunt cibariorum genera huic vſui proficua:verùm vtcunque parentur,hoc vnum adſeruare oportebit,vt parum & ſæpiùs ipſis præſtetur alimẽtum:multis enim indigent,& vires conficere nequeunt:quo fit,vt paucis & ſæpe opus habeant. Quapropter, ter eos ſingulis diebus cibare conueniet, quemadmodum in refectoria victus ratione Gal.7.metho.cap.6.ſcripſiſſe legimus.Quo etiam fit,vt alimentum eius naturæ eſſe teneatur,quod ſine magno negocio trahi poſsit,& ocyſsimè alendis partibus aſsimilari.Cui ſanè vſui,& vlceri etiam curando inter omnia,tum alimenta,tum medicamenta phthyſicis proficua, vtiliùs & ſecuriùs exhibentur ea omnia cibaria,quæ ex lacte parantur:quæ ſanè & guſtui gratiſsima, & laboranti proficua comperimus. Huius naturæ eſt id quod recipit caudarum cancrorum fluuiatilium lib.j.lactis vaccini vel ouini lib.iiij.bulliant ad medietatem, demum caudæ optimè contundantur,& cum nouo lacte diſſoluantur,cui adde farinæ hordei.p.ß.lactis amygdalarum dulcium. ℥.iiij. vitellum oui, ſacchari albiſsimi. ℥. ij. miſce & lento igne conducantur vſque ad veram coctionem, & laboranti mane & veſpere porrige.Nec minoris momenti ſunt cibaria, quæ ex hordeo ſemifracto, aut hordeacea farina parantur:hoc vno in huius cibi vſu adſeruato, quòd ſi cum tabe alui fluxus adiungatur,farinam torrefacere modicùm oportebit. Hæc enim vt magis roborat & adſtringit,ita minus alimenti præſtat:nam ſat eſt ad vires reficiendas ſubſtantiæ effluxum prohibere: at dum in animo eſt vberiùs alere ac temperare cum modica adſtrictione,vt opus plerumq; exiſtit in tabidis cum defluxu à capite,integrum hordeum torrefacere antequam in farinam cõmutetur oportet:quippe ſic minus reſoluitur nutrituræ humiditatis,& dũ in pollinem verſum eſt,longè magis,quia minus igni reſiſtit. Paratur etiã aliud non minoris momenti,quod recipit carnẽ teſtudinis,quã cũ aqua calida oportet ſeparare ab externis oſsibus,ac mox eã euiſcerare,& cũ aqua violarũ & ſeminũ frigidorũ calidis optimè diluere:demũ prędicta caro in lac vaccinũ infundatur per noctẽ,poſt verò cũ portionibus cucurbitæ in eodẽ lacte coquatur,& cũ ſaccharo quãtum ſit ſatis, fiat condimentũ.Itẽ parabis aliũ,qui recipit limaciarũ nemoraliũ mundatarũ optimè à ſuis mucaginibus lib.j.vngulæ caballinæ tritæ.℥.j.&.ß.lactis pinguis lib.ij. bulliãt ſimul vſq; ad perfectam limaciarũ coctionem, poſteà facta expreſsione & adiecto ſaccharo fiat condimentũ.Fiet etiam nõ ingratus cibus ex ſola limaciarũ carne cũ lacte

lacte & ſaccharo.Parabis non minoris momenti alium,qui recipit medullã panis, quã in lacte vaccino vel caprino per ſex horas infunde,mox coque in lacte amygdalarum dulcium,& inter coquendum adde emulſionis ſeminis papaueris albi,& ſeminum frigidorum maiorum,ana.℥.ß.& cum ſaccharo fiat ferculum.Sed maioris eſt nutritionis alter cibus,qui recipit caponis carnium citra pinguedinẽ lib.j. infundatur in lacte vaccino per ſex horas,& poſt optimã coctionem laborans ſumat carnis quantum par fuerit,& iuſculo admiſce farinæ hordei.p.ß.lactis amygdalarum dulcium.℥.ij.emulſionis ſeminis papaueris albi.ʒ. ij. ſacchari quod ſufficiat vt fiat condimentum,quod guſtui ſolet eſſe gratiſsimum. Item parare poteris lorbitiones ex amylo & lacte,vel ex farina ærui,hordei & fabarum cum ſaccharo:ex vſu etiam eſt aliud,quod recipit cancros priùs aqua feruefactos & repurgatos,ac poſtmodum lacte vaccino coctos ad dimidias, quorum caudas laboranti porrige.Parari etiam ſine lacte poteſt ferculum aliud,quod recipit carnium gallinarum vel caponum.℥.ij.amyli & tragacanthi.ϑ.j.electuarij de gemmis.ϑ.j.ſeminis melonum.ʒ.iiij.cum ſaccharo dilutoin aqua roſarum fiant morſelli. Vires etiam egregiè roborat ſtillatitius ſuccus,qui recipit cõſeruæ borraginis violarũ & roſarum,ana.℥.j.ß.cõſeruæ ireos & enulæ,ana.℥.ß. electuarij de gẽmis,diarrhodonis tria ſandali,diamargaritonis frigidi,ana.ʒ.ij.margaritarum præparatarum,coralli,& electri,ana.ʒ.j.paſſularum,ficuum,glyzyrrhizæ, ana.ʒ.vj. nucleorũ pineæ, amygdalarum dulcium,ana.℥.ß.tragacanthæ.ʒ.iij.ſeminis aniſi,fœniculi,vrticæ, quatuor ſeminum frigidorum communium,ſeminis papaueris albi, ana.ʒ.j. terræ ſigillatæ,boli Armeni,roſarum ſiccarum, ana.ʒ.iij.aquarum pimpinellæ & vngulæ caballinæ,ana.℥.iiij.decoctionis limacum,cancrorum,gallinarum lib.j. cum carnibus vnius caponis iuuenis & pinguis,& vnius perdicis,& cum mica panis vino odorifero infuſa,& libra vna ſacchari albiſsimi fiat deſtillatio, quam profectò viribus reficiendis & vlceri curando ſummopere eſſe proficuam arbitror,ſicut illud præſidium,quod recipit amygdalarum dulcium mundatarum. ℥.ij. nucleorũ pini, paſſularum mundatarum & in aqua roſacea contuſarum,ana.℥.j. pulpæ carnis caponis,vel coxarum ranarum aut cancrorum fluuiatilium, vel teſtudinis. ℥. j.ß.medullæ quatuor ſeminum frigidorum maiorum,althææ & bombacis,ana.ʒ. ij.aniſi.ʒ.j.cinnamomi.ʒ.ß.amyli parum, ſacchari quod ſufficiat, vt fiat paſta panis cum vino vel iuſculo caponis,& fiant placentæ coquendo. Mirabilis etiam efficaciæ eſt ea compoſitio, quæ recipit pinearum & amygdalarum dulcium maceratarum in iuſculo, ana lib.ß.carnium teſtudinum perfectè coctarum, vel ranarum aut cancrorum fluuiatilium. ʒ.iij. medullæ quatuor ſeminum frigidorum maiorum, ana.℥.ß.aniſi.ʒ.j.cinnamomi.ʒ.ß.amyli parum, ſacchari quod ſatis,fiat paſta cum pauco iure teſtudinum & vino, ac fiant morſcli qui in furno coquantur. Præter quæ ſanè cibaria, alia non pauca conficies ex piſcibus, cancris, teſtudinibus, ranarum, limacum vel pullorum carnibus, maximè ſi pullos nutrieris lacte & farina hordei.Sed ad lactis per ſe vſum tempeſtiuum eſt deuenire.

De lacte.

Conſtat profectò ex Homero & alijs veteribus,tanti eſſe momenti lactis vſum tamq; proficuũ,vt pleraſq; gẽtes ſolo lacte vixiſſe,& hodie pariter viuere Galactophocas,aut Galactophagos dictos,ſcriptum ſit.Dimitto varios cuiuſq; rationis parandi modos:nam quidã coagulatũ diu adſeruant, ſecumq; in bellum ſic deferũt: alij verò eo inſtillato vtũtur,& multis cibarijs admiſcent:nos tamen hac in parte eius ſolũ in vſum phthyſicorũ meminiſſe ſtudemus.Sic profectò omnẽ intabidis recu-

recuperandæ ſalutis ſpem inter cætera noſtræ artis auxilia, præſtantiſsimè vendicauit lac: variè tamen præparatum, vt ex Tralliano, Ætio & alijs veteribus euidenter conſtat. Sed in vniuerſum phthyſicis, vna è tribus cauſis parari conſpicimus: nam aut pus abſtergit: aut ſolutam vnitatem cõiungit: vel partem aut vniuerſum corpus reficit. Quæ ſanè beneficia præſtare habet iuxta tres partes, quibus ipſum lac conſtare ſcimus: nimirum ſeroſa, qua abſtergit & abluit: caſeoſa, per quam agglutinat & diſsitas partes vnit: vltimò butyroſa, qua & vlcus & corpus vniuerſum reficit. Sic profectò eius facultates variæ exquiri debent, & augeri pro vario eius vſu in medendo vlcere: quo fit, vt nunc hordeum, nunc mel, nunc ſaccharũ, aliàs mel roſaceũ, vel ſal, vel amylũ ipſi admiſcebimus. Atq; vt ex eius varia condi tura, varium beneficium conſequimur, ita prorſus ex varia lactis ſorte, varia quoque efficere poſſumus opera. Sic poſteritas lacte vſa eſt aſinino & caprino, quòd ſero abundent, cùm deterſionis vſus vrget magis: ouillo aut vaccino, cùm refouendum eſt: vſtulato, vaccino aut cum aqua pluuiali cocto, ad conglutinandum. Ob id profectò initio curationis cùm abſtergendũ maximè eſt, aſinino aut caprino vti oportet, modico tamen mellis admixto, ne cogatur aut aceſcat in ventriculo, vel ſi placet ſalis modico: procedente verò malo, vbi vires reficere neceſſum eſt, lacte muliebri veteris, quod laborans ab vbere ſugat, vt pariter ſpiritum & calorem vitalem ſibi comparet. Sed in hac re breuiter diſſerendum eſt, quodnam lactis genus cæteris præferatur: quippe ſi vlceris curationẽ abſterſione facta quæras, procul dubiò aſininum præferendum eſt (mox caprinum) maximè aſinæ herbis nutritæ ſiccitati & deterſioni aptis, velut eſt rubus, arbuſtus, lentiſcus, myrtus, abrotonum, hedera, & citinus. Quitamen Galen. legerit. 7. metho. & ſæpe alibi, reperiet muliebre lac omni alio eſſe præferendum: verùm qui ipſum curioſiùs euoluerit, diſcet dum nutritionis vſus prævalet, tunc muliebri eſſe maximè vtendum, quòd natura familiares ſuccos celeriùs trahat & vniat: quo fit, vt cùm Galen. de vlcere agit, humani lactis non reminiſcitur, ſed ſolùm cùm de ſiccitate & corporis refectione diſſerit. Vtcunque tamen ſumatur lactis vſus, ſolùm concedi debet ſi nulla ſit febris acceſsio, ſi non ſint flatu viſcera diſtenta, & æger non ſit ventriculo frigidiori, aut nimis vrente, neque ſit cephalalgicus. Quibus diligenter ſeruatis mirum non eſt, ſi plures phthyſicos ſolo lactis vſu ſeruari conſpiciamus, ante, inquam, quàm ipſum vlcus callo obducatur, vel maius fiat. Quantitas verò lactis quæ aſſumi debet, primo acceſſu trium tantùm ſit vel quatuor vnciarũ, tamen adaugere deinceps oportebit, quantum ægrotantis ætatem, naturam & tolerantiam ferre poſſe cognoueris: à cuius potu quieſcat citra ſomnum, qui capite grauatur aut vlcus ex defluxione paſſus fuerit: verùm ſi laborans vehementer febricitauerit, quartam aquæ partem vel ſacchari modicum adijcies, aut in ptyſſanam vel lac quatuor ſeminum maiorum mutabis.

Præter dicta beneficia, quæ lac præſtare dictum eſt, vt alimentum, alia vlceri curando non pauca, dum medicamenti vires gerit, largiri ſcimus. Sic dum vlcus agglutinare, & foramen quodammodo comprimere cùm partis refectionem, intendimus, vtile paratur præſidium, quod recipit lactis lib. j. aquæ pluuialis in qua roſæ ſiccæ maduerint. ℥. iiij. ſimul bulliant, ſubinde ferrum ignitum in eo ter quaterue extingue. Idem beneficium præſtat, quod recipit lactis à quo butyrum extractum ſit, lib. ß. nocte vna ſubdiu ſit, & deinde fortiter agitetur, & detracta ſpuma, adde ſacchari roſati. ℥. ß. boli Armeni. ʒ. j. Præſtat eundem vſum lac vſtulatum, vel admixtum terræ Lemniæ, aut aquæ chalybeatæ, præmiſſa coctio-

coctione ad tertias, quo ſeroſior lactis pars abſumatur. Idem beneficium præſtat cum amylo vel farina volatili leuiter feruefactum. Mirum in modum præſtat id quod recipit cineris cancrorum lotorum in aqua roſarum, & priapi tauri, ana. ʒ. ij. boli Armeni, terræ ſigillatæ, gummi tragacanthi, & Arabici, ana. ʒ. j. ſeminis papaueris albi, & quatuor ſeminum frig. mai. ana. ℈. j. liquitiziæ. ℈. ij. ſacchari roſati ſicci ad pondus omnium fiat puluis, quem capiat cum lacte capræ aut aſinæ. Quòd ſi partem abſtergere opus ſit, lacti admiſcebis quartã aquæ hordei vel lentium partem, & facta agitatione ſpumam detrahe. Idem beneficium præſtat lac roſaceo ſaccharo in puluerem redacto admixtum & leuiter agitatum vel decoctum. Item lac idem cùm aqua ſacchari, vel ſi affectio fuerit frigiditatis ſoboles, hydromellite admixtum: quinimo vt multis placere video, vtcunque lac paretur, ſemper ſacchari vel mellis modicum admiſcere eſt opus, & eo magis, quo vſus abſtergendi eſt vrgentior. Tandem huic miniſterio abſterſionis lac exhibeatur prævalente in eo magis ſeroſa parte, vel adiecta aqua, vel caſeoſa detracta aut butyroſa, &, de lacte hæc ſint ſatis.

De balneis

Summopere probarunt Antiqui balneorum vſum in huiuſmodi affectione: ſic enim inquit Hippocrat. lib. 2. de morbis de tabe loquens. Lauandum tepida tabidum, excepto capite, quod quàm rariſsimè lauari debet: quapropter, vt recta ratione hoc præſidio vti poſsis, expende, non eſſe balneo in omnibus tabidis vtendum, cùm tabis multiplex ſit ratio: nam vbi ſanguis fluit, fluxit vel fluxurus timetur, balneum adminiſtrare periculo non vacat: & pari prorſus ratione vbi à capite fluxio incumbit: nec non vbi pulmo admodum ſcatet excrementis: ſolùm enim proficuum arbitramur, cùm tabes totius tantum corporis extenuatio eſt abſque vlla defluxione proueniens, vel cùm tabe corpus afficitur ob pulmonis vlcus, quibus profectò balneum mirificè confert, quòd inditam locis omnibus ſiccitatem, & ſimilem naturæ humiditati madorem humiditate mẽque ipſis adhibeat, & præter naturalem calorem contemperet, natiuum autem velut connutriat: ſunt autem huic vſui ea balnea proficua, quæ ex ſola aqua dulci, vel lacte calido conficiuntur. Quo ſanè auxilij genere, nec diutiùs, nec frequentiùs, nec vtcunque vti teneris, ſed pro corporis natura, & ſtatu: quippe hi qui rarò ſunt habitu, tardiùs & rariùs lauandi ſunt, nec diutiùs in balneo continendi: ſic pari ratione qui admodum contabuerunt: exoluetur enim facilè puſilla eorum vis. Pari ratione eos frequentiùs & diutiùs lauabis qui ex vlcere pulmonis tabeſcunt: idque tanto diutiùs & frequentiùs, quanto in principijs fuerit affectio: in reliquis verò eas leges adſeruabis quas ſcripſimus lib. febrium, cap. de hectica febre.

Ante tamen quàm ſoliùs vlceris curationem aggrederer, neceſſum eſſe duxi, prouidentiam quoque habere humorum qui in thoracẽ vel pulmonem confluxerunt. Quamobrem conſiderandum, an fluxio à qua malum incepit, adhuc perſtet, vel ſuppreſſa, finitaue iam ſit: nam ſi fluit, ſiue à corpore, vel à capite vel aliunde, perperam & inutiliter tempus in curatione conterimus, ni priùs fluxionem reſtinxerimus, vel aliò traductã eſſe cõperiamus. Quapropter neceſſum erit, vel præſidijs auertere, vel leuibus vacuationibus finire, vel in membro mandanti compeſcere. Compeſcimus enim reducto capite ad natiuum temperamentum, vel finito diſsipatoq; ibidem humore, vt de emplaſtro ex tapſia Galen. 5. metho. retulit: cuius neque temere, neque vbique aut vtcunque vti tutò datur, ſed capite frigido & pituitoſiori exiſtente: tunc enim & calorem euocat ſopitum,

& frigidum corrigit intemperamentum,& pituitosam fluxionem ob id sistit,quòd discutiat vel concoquat: cui vsui exstercore columbino,pulueribus maioranæ,stœchados,camemali,vernicis,rosis & ladano conficere poteris. Verùm si calida acrisue aut mordax fluxio fuerit,tepidis balneis,vel pulueribus frigidioribus & adstringentibus,aut oleis,velut de papauere,de nymphea,rosarũ, myrtilorum, de omphãcio& similibus rem agere oportet.Pulueres verò,sacculos,cerata & emplastra huic vsui proficua,reperies confecta capite de cephalęa. Materiam verò genitã,& quæ ex facto capitis intẽperamento indies progignitur, nullo alio auxilio tutiùs auertes,quàm fontanella altero aut vtroque brachiorum adaperta, qua experimento fidissimo scio,non paucos phthysis feritate affectos,liberatos fuisse. Dimitto quibusdam profuisse vsum pilularum & paulatinæ purgationis, quemadmodum Arabicarum cocchiarũ,sine quibus, aurearum,fœtidarum ,& similium, quarum modum & quantitatem ac varietatem adduximus cap.de dolore capitis: sed periculo non caret huiusmodi curandi ratio,& ob id tutius fore arbitror experto vti præsidio,licèt primo accessu videatur difficile. Cæterùm his qui iam tabe laborant, caput neque ferro neque potentiali causticovrere opus erit,pro tabis curatione:incipiente tamen malo,& fluxione à capite delabẽte, ex vsu esse solet iuxta sagittalẽ suturam caput inurere,vel in occipitio inter primam & secundam vertebram,sed magis probo eidem parti setonem affigere, quo tutiùs & commodiùs malum imminuitur.

Auxilia verò quæ soli vlceri prodesse scribitur,initio ixorem & saniem absterge re atque resiccare tenentur, & vbi iam satis detersum est, ita vt nihil sanioſum expurgetur, glutinandi virtute esse prædita oportet. Initio igitur si laborans biliosus non sit, vtendum est mulsa ex aquæ potabilis lib.j.& mellis.ʒ.j.sed mox à principio melle crudo vtendum est, postea verò vbi glutinandum magis est,cocto. Præstat & decocto fœnugræci cum saccharo & melle vti: quem quoque vsum porrigit mulsa saccharata ex decocto seminis lini leuiter torrefacti, cicerum rubrorũ nucis pineæ resinosæ,hordei non decorticati,iridis Illyricæ,aristolochiæ,vel si placet,adijce mellis rosacei modicum, quibus insuper addes pulueris cicerum rubrorum.ʒ.ij.succi marrubij,caulium aut hyssopi.ʒ.j.pro libra,& cum melle fiat ad modũ eclegmatis:cui item si velis sputum incrassare,lenire & coquere addes.ʒ.ij.pulueris de pulmone vulpis, nucis pineæ resinosæ.ℨ.j.succi glyzyrrhizæ.ʒ.j. Ex vsu quoque est serum lactis cum melle vel syrupo rosaceo, aut decoctum hordei cum eisdem syrupis vel de glyzyrrhiza.Quòd si post absterſionem exsiccare vlcus voleris, theriacam & mythridatum aqua hordei vel sero lactis dissolutum porriges: tutius vero Gale.visum est porrigere decoctum ambrosiæ & athanasiæ, vel pulueremearũ cum aqua mulsa . Quem vsum præstat id quod recipit pimpinellæ siccæ ʒ.ij.ireos florentis.ʒ.ij.ʒ.sacchari rosacei.ʒ.ij.Quem quoque vsum ferunt præstare suffumigium ex folijs nichocianæ herbæ,quam Indi tabacum appellant. Ferũt quoque non contemnendi authores,eundẽ vsum præstare incredibili efficacia suffumigium ex arsenico, grauissimum alioqui venenum, sed robustum expostulat laborantem,& cum præsagio futuri periculi ex natura mali, nisi magnis auxilijs præueniatur.His tamen factis si constiterit,vlcus repurgatum esse,vnire & agglutinare,aut vt rectiùs loquar renutrire partẽ vlcere affectã oportebit:sed primã indicationem præstat id quod recipit eclegmatis è pulmone vulpis & è pino.ana.ʒ.j.syrupi de hyssopo, myrtini,glyzyrrhizæ ac mellis rosacei an.ʒ.j.boli Armeni, terræ Lẽniæ & lapidis hematitis an.ℨ.j.radicis symphiti. ʒ.ij.diatragacãthi.ʒ.iij.misceantur

tur & fiat eclegma.Præstat etiã puluis qui fit ex vulpis pulmone præparato,cũ sacchar o rosaceo,& syrupo de glyzyrrhiza aut marrubio admixtis. Consolidat itaq; in vniuersum lac vstulatum,bolus Armenus,caseus recens,testæ cancrorũ,terra sigillata,trochisci de karabe,mastix,sanguis draconis,gummi Arabicum, balaustiũ, rosæ,corallum & myrrha,quæ vsui parari possunt vitellis ouorum,lacte vstulato, succo granatorum, cytoniorum,rosarum, syrupo myrtillorum & de rosis siccis. Prodest mirum in modum syrupus hac lege cõfectus :Recipe hordei torrefacti.ʒ. vj.cancrorum fluuiatilium crasso modo contusorũ,abscisis priùs partibus extremis,& lotorum cum lixiuio calido,furfure grosso,& modico salis, & vltimò cum aqua frigida ter quaterue,num.xij.capillorum veneris,pollitrici priùs benè cõtusorum,ana.m.j.ʃ.parietariæ,verbenæ, hyssopi, enulæ campanæ, tapsi barbasi,foliorum vrticæ,ana.m.j.baccarum lauri, seminum papaueris albi, ana. ʒ.ʃ.iuiubarum,sebesten, passularum,acetosæ ana.ʒ.j.carnis testudinis priùs lotæ in vino albo.ʒ.ij.bulliant omnia secundum artem ad perfectam decoctionem,ex qua sume lib.iij.sacchari albi lib. ij.fiat serapium,cuius laborans capiat ieiunus.ʒ.iij.

Extrinsecus verò per initia cataplasma adhibeatur ex altheæ folijs,semine lini ac tenuissimo polline rosarum, quæ cũ decoctione fœnugræci, altheæ vel maluæ, oleo ac melle admisceantur:posteà ad ceratum transeundum erit ex butyro, oleo laurino ac cera paratum.Item dum repurgare est opus,ex terebinthina conficies & oleo ciperino,butyro & medulla ceruina & adipe taurino iridisq; & hyssopi puluere,æqualibus partibus.Tempore tamen cicatricis oleo veteris myrtino aut rosaceo,adiectis alumine,acacia,malicorio,hypocistide aut galla cũ pice, ammoniaco visco quercino & cera.

Verũ quia ex phthysicis non pauci febre,& siti torquentur cũ ventriculi æstu, quæ maiorẽ colliquationẽ portendũt,ob id præter dicta instaurantia, prædictis accidentibus subuenire oportet:huius naturæ est diamellon Alexãdri ex succo cytoniorũ vel ex cydonijs incoctis aqua rosata, aut vtrisq; seminibus frigidis,additis rosis,santhalis & succo glyzyrrhizæ:vel sic confice:Recipe aquæ rosarũ.ʒ.iiij. malorũ dulciũ lib.j.sacchari lib.j.santhalorũ alborũ & rubrorum,ana.ʒ.j.succi rosarũ & glyzyrrhizæ,ana.ʒ.j.succi quatuor seminum frigidorum.ʒ.ij.syrupi rosarũ quod sufficiat: mala intus & extra purgentur,& cum aqua rosarũ lento igne coquantur ad tertias, posteà misceantur cum reliquis,& laboranti porrige.

Verùm si hæc omnia adhuc non prodesse videantur,consulendus est æger maritima & pinifera loca adire ibidemq; diu habitare.

De syncopi,& de venarum interceptione.
Cap. X.

EST quidem syncope grauissimus cordis affectus, in quo vitales vires(& ad earum casum,vt quæ aliarũ sint fundamentum,reliquæ)repente prolabuntur,vt ex Gal en.12.metho.cap.5.apertè constat:nec non ex Auicc. qui syncopen destructionem plurium virtutum motiuæ & sensibilis ob cordis debilitatem definit, ita vt sic correptos imaginem mortis repræsentare sæpe conspiciamus. Cuius naturam duplicis sortis esse coniectandum est:quippe altera est,legitima & exquisita,reliqua

verò illegitima & ſpuria,vt latiùs inferiùs conſtabit. Quarum gratia & vt earum natura ſatis eluceſcat,neceſſum eſt expendere, cor eſſe viſcus quoddam adeò inſigne, quòd ſedes ſit vitalis potentiæ, quæ duplici in animantis corporibus fungitur munere,præter iraſcendi actũ:altero quidem,quo dilatationem & cõpreſsionem ſui & arteriarum molitur,quibus impartitur vim & efficaciam ſingulis corporis particulis: altero verò,quo ſpiritus vitales in ipſo corde fiunt,actionibus viuentium perficiẽdis idonei:ſic profectò iuxta duo hęc officia, duo patitur ſymptomatum genera,mille modis grauiſsima.Primum quidem eſt ſyncope,ad ſpirituum armoniam concentum & naturam attinens, licèt non deſint,qui ſyncopem ad pulſatilem facultatem attinere ſtatuunt,quòd protinus pulſum mille modis immutet Sed hæc ratio inualida eſt, cùm ea motus pulſus vitia per conſenſum à vitio & paſſionibus ſpirituum potius quàm eſſentialiter ſuccreſcant. Quippe in ea affectione ob caloris innati ſuffoccationem aut corruptionem animal perit & propriùs ad generatiuam ſpirituum quàm ad pulſatilem,quæ ſecundariò lædítur pertinet: ſecundum verò pertinens ad motum cordis, ex quo palpitatio & tremor ſuborſuntur.

Subit tamen in examen ſyncope primo loco, quæ nihil aliud eſt, quàm ſubitus virium omnium caſus. Verùm ne quis nominum æquiuocatione deceptus turpiter erret, expendat differentiam non leuis momenti, quæ verſatur inter has affectiones, quæ quodammodo ſimiles videntur, nimirum inter animi deliquium & ſyncopẽ,quę etiam varijs nominibus inſigniuntur.Nam animi deliquiũ appellatur apud Græcos lipothymia aut lipopychia: quæ nomina licèt quid diuerſum ſonent apud aliquos authores,idem re vera ſignificant, nimirum animi deſectionem ſeu deliquium, præludium profectò ſyncopes,aut vt alij interpretantur (quia propriè cordis paſsio ſignificat) paruam ſyncopem & quæ à minoribus cauſis incipiens,in animi deliquium terminatur, non valens ad ſyncopem vſque peruenire, quantumuis cordis ſit affectio. Quem quidem affectum his tribus nominibus inſignitum plerique Medicorum confundunt cum ſyncope, cùm longiſsimis diſsideant interuallis. Nam animi deliquium tãtùm ſignificat ſubitum caſum animalis potentiæ,qui fit retrocedentibus ſpiritibus animalibus ad cerebrum ipſum: quo fit vt deſertis ſenſorijs,& citra ſpiritus manentibus, nulla poſsit fieri eorum actio.Sunt tamen multi qui ſolũ differre maioris minoriſue ratione proferãt, eo quòd vtrumque affectum cordi tribuant,animi deliquium in quo laborantes ſe ſentire animo deficere referunt: ſyncope in qua ob affectus magnitudinem ſubitò citra præludium aliquod procidunt. Verũ ſi quis rem diligentius conſideret,reperiet longè magis inter ſe differre: nam in ſyncope neceſſum eſt ſemper pulſum mutari, tanquam in ſymptomate à propria cordis paſsione prodeunte, cuius occaſione vires omnes etiam animales prolabuntur: at in animi deliquio, cùm ſolũ ſit cerebri & animalis potentiæ paſsio, pulſus plerũque manet illæſus (niſi affectio adeò grauis ſit,quòd in conſenſum alliciat cor)quibus conſtat longè inter ſe differre:quinimo cenſeo ſyncopem includere animi deliquium, non tamen è contra: nam animi deliquium fit per primariam cerebri affectionem ſpiritibus retroeuntibus in ipſum: at ſyncope oritur quòd vitales non eant in cerebrum.Conſtat etiã ex Ætio lib.5.diſsidere, quoniam deliquium ſolos vigilantes occupat citra ſudorẽ,ſyncope verò dormientes etiam & cum ſyncoptico ſudore, deficiente præ magnitudine ſymptomatis retentrice.

Cuius doctrinæ gratia noſſe oportet,verum & legitimum animi deliquium nũquam

quam fieri poſſe,niſi retrocedentibus ſpiritibus ad cerebrũ, nonnihil etiã diſsipatis aut conſumptis,vt in ſyncope: nam diſsipatio & conſumptio ſpirituum animaliũ ſola,potiùs langorem & imbecillitatem in actionibus, quàm animi deliquium nata ſunt facere. Aut arbitrandum eſt maximam diſsipationem eſſe veluti cauſam, qua ſeſe retrahit in cerebrum natura, verens ne omnino ſpiritus diſsipẽtur,qua retractione in animi deliquium laborantes procidunt, & huiuſmodi deliquium ex ſpirituum conſumptione factum, forſan Medicorum nonnulli animi defectum nuncuparunt, licèt hoc nomen propriùs ſyncopi quàm deliquio congruat.Itaque ſupereſt retroceſsionem ſpirituum tantùm eſſe animi deliquij cauſam: ratio eſt, quia cùm ſpiritus animales perpetua propagatione ex vitalibus generentur & reficiantur, & vitalis potentia perpetua tranſmiſsione foueat,hinc eſt,quod licèt animales diſsipentur,cùm protinus à vitalibus foueatur laborans,nõ poſsit ex diſsipatione ſpirituum immediatè in animi deliquium incidere, niſi præ defectu nimio cogantur in cerebrum retroire,& tunc fit animi deliquium ab ſpirituum retractione immediatè.Quòd ſi quis dixerit,in ſanguinis miſsionibus & vacuationibus & alijs quæ ſubitò & affatim fiunt, laborantes frequentiſsimè animi deliquio corripi, non quidem eſt credendum fieri ob ſpirituum diſpendium, ſed ob eos qui ad cerebrum retrocedunt,fugiente natura eorum diſpendium,qui ſanè ob ſubitum motum ad interiora,id ſymptoma efficiunt,& forſan quia vitalis potentia nõ ſuppeditat cerebro vberem eorum copiam ob diſpendium ex vacuatione grandiori factum: quo fit,vt ad ſenſoria non perueniat quantum ad munia exequenda opus eſt: ac ſi vacuatio vltra pergat, non ſolùm ſequitur animi deliquium,ſed & ſyncope etiam, quòd vltra modum diſsipẽtur ſpiritus vitales,orbeturque eis cor,quo frigidum manet,& ſenſoria,quo citrà propria munia ſuperſunt: quod frequentiſsimè in largioribus ſanguinis profluxionibus accidere ſolet.

Sed dubitabit quiſpiam forſan & meritò, ſi retroeuntibus ſpiritibus ad cerebrũ, nouitate rei alicuius triſtantis, animal in animi deliquium agitur, quæ nam intereſt differentia inter retroceſsionem ſpirituum, qua fiunt ſomnus,apoplexia,caro & catochus & aliæ ſoporiferæ affectiones,& inter retroceſsionem quæ inducit animi deliquium, ſiquidem in omnibus ſenſus omnes orbantur ſpiritibus, ac per cõſequens nequeunt operari.Cui dubitationi dicimus in omni deliquio ſubitò & affatim recurrere ſpiritus ad cerebrum, fugientes nouitatem rei præter naturã,quæ animal contriſtat: in ſomno quidem ociantur etiam ſenſus,non tamen retrocedẽtibus ſpiritibus violentia, ſed naturali quodam motu ad perfectiores naturalis potentiæ actiones obeundas:rurſus in ſomno non confluunt ſubitò,ſed ſenſim & paulatim,quia ſua ſponte ſe ſe recondunt potiùs quàm retrocedant, citra cauſæ præter naturam actionem. At in apoplexia & ſimilibus morbis, ſpiritus nec naturaliter nec præter naturam occurrunt ad cerebrum, ſed in eodem ligantur vinciunturq; & detinentur,præter naturam tamen à cauſa morboſa cerebrum obſtruente,vt patet etiam differentia, quæ eſt inter hos affectus & ſomnum naturalem: nã aliud eſt quòd retrocedant ſpiritus, aliud verò quòd impediantur: retrocedunt quidẽ ſed ſubitò & affatim,vt in animi deliquio,& ob id cẽſenda eſt paſsio: impediuntur verò in ſomno naturali & ſeſe colligunt, cæterùm lentè,ſenſim & paulatim,atque impediuntur à cauſa ſecundùm naturam: at in reliquis affectionibus vinciuntur, vt dictum eſt,à cauſa præter naturam & morboſa. *Dubium.*

Hæc itaque eſt affectio quam animi deliquium appellant, at ſyncope ſubitus etiam caſus eſt,cæterùm non vnius facultatis,vt animi deliquium,ſed omnium ſimul:

mul: ratio quidem differentiæ est, quia in animi deliquio cerebrum primò & solũ patitur, in syncope verò, quæ proprius est cordis affectus, cor primò patitur, sed non solùm, quia simul compatiuntur reliquæ totius corporis potentiæ. Ratio huius est, consensus & simpathia & vt rectiùs loquar dependentia, quam omnes à cor de habent, præterquam quòd cor spirituum materiam cerebro suppeditat ac præstat illi, iecori & reliquo corpori vim, calorem & efficaciam, singulis caloribus ne cessariam: quo fit vt læso corde & retractis aut dissipatis eius spiritibus protinus omnes potentiæ corruant: itaque differentia inter hos affectus stat & in membro affecto, & in modo affectionis, & in facultatum læsarum diuersitate, præterquam quod syncope includit in se animi deliquium, quòd subitus sit omnium virium lapsus, ob id quòd cordis sit propria passio, & affectus ipse in genere noxæ functionum omnium, primò tamen vitalium: quæ læsio sita est in diminutione actionum, aliquando verò in ablatione, saltem quoad sensum, nisi morte corripiatur laborans.

Causæ. Causæ verò quæ hunc affectum excitant, vt ipse duplex est (nimirum spurius alter, & alter legitimus) ita consignandæ sunt duplices: spuriæ autem syncopes & illegitimę variæ sunt species & causæ, quæ vt rarò accidunt, & alios affectus plerunque simulant, ita nouitate rei & accidentium frequenter ignorantur & nos deterrent. Inter alias potissima differentia est, nec non & causa venarum interceptio ab Hippocra. & Galen. assignata. 4. acut. à com. 23. in 27. quæ duplex haberi debet: vna ex copioso sanguine in maioribus vasis, reliqua in solis carotidibus, & iugularibus. Prima quidem vulgarior est & ex totius abundantia oritur: nam cùm in vasis maioribus in vena scilicet caua & arteria magna, (vt Areteo placuit & Galen. loco citato com. 27. quo statuit, per venam intelligendum esse venam cauam, qua cor & præcipua membra communicantur) sanguis ea abundantia colligitur, quòd vasa ruptione periclitẽtur, aut calor vniuersus extinctione, & adeò presse ob struit prædictas partes sanguis ibidem firmatus, quòd spiritibus & calori nulla sub sit motus via, tunc quidem suffocato calore, subitò perit animal. Quapropter censeo Hippocrat. dixisse, habitum exercitatorum esse summè periculosum, quòd prædicto modo mortem accersat: nimirum suffocato totius corporis calore, & facta huiuscemodi syncopes specie, & ob id iubet statim habitum illum soluendũ esse. Reliqua venarum interceptio fit corotidibus obstructis: quippe aliquando sanguis ibidem præ nimia copia coercitus, concrescit præ frigiditate spirituum, qui ibidem extinguũtur, & longè maior efficitur coarctatio, quo citius succrescit mors, tanto quidem citius, quanto arteriæ quæ cerebrum conscendunt, plexumque ibidẽ constituunt opilatum reticularem, susceptione spirituum vitalium destituuntur. Calor enim natiuus cum spiritu in illa plenitudine suffocatur, & cùm motu introrasque priuetur, torpet ac refrigeratur, sanguisque coalescit & concrescit: non quidem frigore vehementi aut siccitate, vt in catalepticis, sed suffocato calore, & intercepto spiritu, quo liquidus erat & fluxilis. Quam sanè affectionem syncopem frigidam licet appellare, diuersam ab apoplexia, quòd omnino careat pulsu & respiratione: nam apoplexia difficilem habet, & pulsum euidentem, hæc verò nequaquam. Ob quam sanè causam & vt verè dissideat ab apoplexia constat, plurimis succrescere faciei ruborem ob sanguinis copiam: oculorum immobilitatem, & veluti quendam functionum torporem, læso neruorum principio: manuũ porrectiones, & stridores dentium propter vitiatam motionem conuulsionemque coniunctam: extimarum partium refrigerationes oppresso calore ab humorum copia: fiunt spirituum in prædictis membris præcipuis interceptiones impedito transi-

transitu: sequitur & sensuum omnium ob id ocium: nam cùm in cerebro fiant ad omnia sensuum munia animales spiritus, & vitales, qui illorum sunt materia, ad plexum non permeent, ob prædictam transitus interceptionem, fit facilè vt laborãs ante vitæ discrimen sensibus orbetur: illud quia suffocãtur & extinguũtur vitales: hoc verò quia non fiunt animales. Verùm ne quis arbitretur me de plexu reticulari indistinctè loquutum fuisse, existimet mihi non placere primum Gal. plexũ infra duram meningem constitutum, qua parte prolabuntur ad palatum & nares cerebri excrementa: esset enim à ratione alienum arbitrari spirituum animalium officinam ad mixtam esse excremẽtorum emunctorio: præterquàm, quòd nullus ex peritis dissectorum eum plexum in homine adinuenire hucvsque valuit. Placet tamen (quia dissectorum peritiores id dissectionibus plurimis factis ita esse adinuenerunt) alterum etiam à Galen. adinuentum plexum intra cerebri cauitates à natura constitutum & medullari substantia præmunitum ex ramusculis arteriarũ caput ascendentium, maximè carotidum textura mirabili fabrefactum, probare, in quo spiritus vitalis ex accidenti commodior efficitur susceptioni formæ spiritus animalis. Nec arbitrandum est me dixisse ex accidenti temerè & inconsultò: quippe authorum plures arbitrati sunt ibidem spiritus disponi attemperatione quadam facta ad susceptionem formę spiritus animalis: alij verò statuunt ibidem eam recipere. Nos tamen censemus vtrumque esse falsum: primò, quia in officina spirituum vitalium, qualis naturæ arteriæ existunt, nusquàm fiet spiritus animalis: cuius officina tantùm est cerebri substantia, vt omnes vnanimiter fatentur. Nec rursus in eodem plexu præparari possunt spiritus nisi ex accidẽti: ratio est, quia præparatio ad aliquam formam, maximè accidentalem, fit ab introducente formam per inchoationem eius, si futura est accidentalis, aut per requisitas dispositiones: neutrum possunt arteriæ plexus efficere: ergo: & probatur minor, quia spiritus animalis fit aliquo modo crassior, temperatior, & firmior vitali, existenti in plexu, sed arteriæa plexus longè magis attenuant spiritum vitalem feruidiorem & ad motũ aptiorem reddunt, ergo non præparant de per se ad spiritum animalem, sed ex accidenti. Ratio est, quia cùm spiritus animalis futurus sit longe tenuior vitali, splendidior & à fuliginibus expurgatior, oportebat, ne coctione & attemperatione quã susceptat in cerebri substantia, crassior fieret à plexu reticulari, adeò attenuari & præ caliditate à fuliginibus expurgari, quòd etiam si accedente cerebri coctione aliquantulum crassesceret, longè tenuior & purior euaderet, reliquis omnium arteriarum spiritibus. Ex quibus constat, præparationem quæ fit in plexu, esse ex accidenti, quia non est inchoatio formæ, vt in reliquis præparationibus cõtingit, & Galen. sumpto exemplo ex vasis spermaticis arbitratur. Sed his missis, quæ de hac re sufficere videntur, dum animal prædictis spiritibus orbatur, ob eorum congelationem & carotidum obstructionem, dormientis animalis effigiem repræsentat, quia nihil ad sensoria trãsmittitur spiritus: & licèt apoplexiæ simillima fiat affectio & catalepsi, mille modis ab eisdem dissidet, periculo, causis, & modo. Est quidem grauissima hæc affectio, non solùm quia prædictis simillima est, sed etiam quia sui ratione grauior existit. Nam cum venarũ interceptione habet spirituum vias claudere: cum apoplexia sensu & motu orbare: cum catalepsi hominem ea figura, qua apprehendit continere. Cæterùm sua propria ratione habet pulsu & respiratione ferè homines priuare: spiritus sortiri extinctos, quo iure optimo sibi vendicat nomen syncopes: frigidæ tamẽ, quia ipsos & sanguinem frigidissimos obtinet non quidem positiua frigiditate humorum, vt in catalepsi, sed priuatione & extinctione

ctione proprij caloris,quo veluti congelati, detenti & coërciti ſuperſunt,cum extremorum frigiditate. Placuit hanc affectionem inter ſyncopis ſpecies numerare,quòd ſpirituum vitalium vitio & paſsione fiat,licet ob ſubitam ſenſus & motus priuationem inter apoplexias numerauerim.

Illegitimæ etiam ſyncopis alia ſuccreſcit ſpecies,& aliæ ſubſunt cauſæ : quippe aliquando ex vitio oris ventriculi vehementer dolentis ab acri, venenoſo,aut crudo adhærente,vel ſalſo & pungente humore,adeò præ dolore diſsipantur ſpiritus, vt in ſyncopim acerbiſsimam,ac non rarò in mortem ocyſsimè prolabantur laborantes.Quam ſanè ſyncopis ſpeciem,inter eas quæ per conſenſum fiunt annumerare licet,ſicut quæ ab vtero vel quouis alio modo ſuccreſcunt;corde non læſo primario affectu:quòd ſi quis inter legitimas velit numerare, nullum erit inconueniens.

At legitimæ ſyncopis, modò per conſenſum fiat, modò per primogeneam affectionem in corde præſit, quatuor ſunt numero cauſæ iuxta partes quæ in corde affici poſſunt.Fit namque ex ſpirituum vitalium vitio, ex ſubſtantiæ cordis aut totius corporis diſpendio,ex deprauato etiam eiuſdem viſceris temperamento, aut mutata aliquo vitio decente cordis figura. Sunt itaque primo loco ſpiritus multis rationibus huius affectionis cauſæ, quibus vtcunque vitiatis , protinus facultates concidunt collabunturque omnes.Non quidem(vt multi falſò cenſent)quia ſpiritus facultatum ſunt delatores,ſiquidem facultates in inſtrumentis & proprijs ſenſorijs reſident : ſunt enim ſpiritus facultatum inſtrumenta , quibus partes quo ad innatum calidum reducuntur inactum per vitalem ſpiritum à corde trãſmiſſum, quo etiam omnes facultates exequũtur ac perficiunt ſuum actũ.Quod nequeuntes antiqui diſtinguere,decepti ſunt exiſtimantes prodire facultates omnes à corde,cum earum quælibet ſuam habeat ſedem & peculiaria inſtrumenta : cum hoc tamen habent omnes hoc commune,quòd calido innato & ſpiritu vitali vtantur tanquam concauſa ad proprias actiones obeundas.At ſpiritus multis modis vitiari poſſunt:nam aut alterantur,aut diſtrahuntur,aut ſuffocãtur,vel intercipiuntur, aut corrumpuntur.Alterantur quidem ex venenoſa aëris qualitate,aut cuiuſuis alterius putridæ vel corruptæ ſubſtantiæ,quibus ſpiritus infecti retrocedentes in cor ipſum, facilè ſyncopem inducunt, propter venenoſam qualitatẽ à re extranea cõtractam,vel ab alia excedente qualitate extrinſecus aut intrinſecus occurſante:itẽ ab aëre corrupto,venenoſo,peſtilenti, ſiue ab externo veneno,ſiue à corruptis humoribus intrinſecus vigentibus,vt in vterinis affectionibus accidere conſpicimus: ſic & à materia putri retenta in ventre,& aliqua occaſione commota.Diſtrahũtur tamen ſpiritus à varijs alterationibus diuerſarum partium,vt in animi perturbationibus, vel impedita eorum generatione,aut ob nimiam eorum vacuationẽ,quoties natura per diuerſas partes laceſſita affligitur varijs doloribus & accidentibus. Sic enim propter ingentem & diuerſam ſpirituum diſtractionem , minori facta facultate vitali (iuxta illud vulgare:Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus) laborantes inopia ſpirituum in ſyncopem incidunt,ſed maxime cùm à corpore aliquid immodicè excernitur,non ſolùm ob doloris grauitatem aut morbi vehemẽtiam,ſed ob famem aut abſceſſum,& maximè diruptum in parte principe,aut iuxta ipſam vel partem neruoſam,vt contingit iuxta magnos articulos,in pulmonis vomica,à neuriſmate rupto , hepatis vomica,vacuatione repentina hydropis, aut empiematis.Suffocantur quidem inſignium vaſorum obſtructione, difficili reſpiratione , vaporibus craſsis & caliginoſis aſcendentibus cor ipſum , quibus ſpiritus pro-

prohibita diffl atione ſuffocantur. Sic à multis & craſsis humoribus ſyncope etiam oritur,veluti in febre,ſyncopali humoroſa frequenter conſpicitur: pari etiam lege ex eiſdem ſpiritibus præter naturam ſubitò & affatim corruentibus,velut in quibuſdam animi paſsionibus contingit,ira nimirum,mœrore & triſtitia,quibus ſubitò confluentibus,ſyncopes periculum minantur. Intercipiuntur autem,vt mõſtrant venarum interceptiones iuxta cor,adeò vt ſpiritus non permeent ad conſueta loca. Corrumpuntur quidem ſpiritus ex ardentiſsima aliqua febre, aut alio grandi laborantis pathemate, quibus facile eſt ſpiritus euaneſcere, quo prompte ſyncope accerſitur. Vnum tamẽ habet hęc cauſa proprium & peculiare, quòd ſemper neceſſum ſit,ſiue ſpiritus ſuffocentur,ſiue vtcunq; lædantur,fieri vt in ſyncope fiat recurſus eorum ad cor,ſubitò tamen & affatim factus,alioqui ſyncope non erit.Nam cùm cor ſiue animi pathema ſiue quoduis aliud vitium patitur,protinus ad ſe aduocat ſpiritus tanquã vltimum ſubſidiũ,& valida attractione (ex calore dilatatione ipſius & arteriarum,& ob ſimpathiam quam habet cum ſpiritibus) facta prædictum ſymptoma concitat,niſi protinus ad ſenſoria redeant.

Secunda cauſa,cuius interuentu immediatè hoc ſymptoma ſuboritur,eſt ſubſtãtiæ cordis aut totius corporis diſpendium: quod fieri eſt neceſſum vna è tribus cauſis: aut ab exurente ,colliquanteue febre,ſeu calore aliquo , cuius munus eſt tenuiorem corporis ſubſtantiam depopulari,qua diſsipata vires collabuntur:aut ab humorum tenuitate aut acrimonia, qua quidem facilè per totum corpus expirant & in diaphoreticum ſudorem degenerant : tertia verò cauſa eſt cùm eo miſeriæ deueniunt facultates naturales,vt ne ſubſtantiam quidem optimam corporis continere queant,ſed liberè fluere permittant:ex cuius ſubſtantiæ defluxu nõ ſolùm ſyncoptici ſudores ſuboriuntur , ſed & omni actione animal priuatur. Solidarum quidem partium ſubſtantia multis modis labefactatur, ob defectum nimirum alimenti , ob conſumptionem proprij humidi ,& ob refrigerationem calidi innati,vt in longiſsimis morbis ex atrophia,& in febribus acutis ex colliquatione non rarò conſpicimus. Quo fit,vt duo ſympromata perpetuò ſyncopi accedant: frigus nimirum totius corporis à calore exoluto,& ſudor diaphoreticus aut ſyncopticus, quorũ vterque peſsimus eſt, & alter ab altero diſtinctus: nam diaphoreticus plerumque calidus erumpit ,referens quidem naturam cauſæ corpus deuaſtantis , eſt enim hæc calida,erodens & mordax , ex qua ſudores erumpunt, non quidem vitio facultatis contentoriæ, neque caloris innati ,ſed propter efficaciam & vim cauſæ corpus in ſudorem colliquantis. Sudor verò ſyncopticus frigidus oritur,qui à vitio facultatis contentoriæ prodit:atqui cùm hæc defectu innati calidi imbecillitetur,fit quidem deficiente calido,ſudores eſſe frigidos. Itaque ſubſtantia hæc perit,aut propter humorum tenuitatem,qui facilè ſpirant,aut propter facultatis contentoriæ vitium,& expultricis irritamentum,aut propter vitium alicuod humoris aut caloris prꝛter naturam corpus deuaſtantis.

Tertia verò cauſa qua laborantes in ſyncopem incidunt , eſt ingens aut valida cordis aut totius corporis , vel principiorum diſtemperies. Cuius gratia abdubitare oportet , quî fieri poſsit , cùm ſyncope ſit ſubitus virium caſus, quòd ex diſtemperie ſuboriatur , ſiquidem diſtemperies quæ motu alterationis acquiruntur, nequeunt quidquam efficere , niſi ſenſim & paulatim: qua ratione credendum eſt, ſyncopem quæ ſubitus eſt caſus,à diſtemperie non poſſe fieri . Cui dubitationi dicimus , diſtemperiem eſſe duplicem : fientem vnam , alteram factam : facta quidem nequit ſyncopem inducere , neque fiens

quæ leuem habet cauſam,hoc eſt leuiter operantem. Quamobrem morientes etiamſi ſpiritu & viribus careant, ob diſtemperiem in ſyncopem non incidunt: fiens verò,vt quæ multos ſimul habeat diſsipare ſpiritus,plures,inquam,quàm generet,facilè ſyncopem affert,non quidē ex calore qui introducitur,ſed ob ſpiritus qui reſoluuntur ratione caloris nitentis ſuam formam introducere:quod nequit, niſi diſsipatis ſpiritibus & proprio calore,quibus actiones vitales fiūt,quo fit, vt his deficientibus ſubitò etiam vitales vires concidant.

Quarta verò & vltima cauſa eſt vitiata cordis figura,quæ aut ex tumore præter naturam,aut ex ſoluta vnitate,vel obſtructione originē trahit: quæ vitia ne leuia quidē vix cor patitur,maiora autē minimè.Atqui quo membrū principali actioni dicatum eſt,eo à facilioribus cauſis alteratur corrumpiturque: quo fit,vt affectus quos cætera mēbra corporis patienter ferunt, nequeat vel minimo tēporis ſpatio cor pati.Qua ratione dubitationē dignum eſt,quī fieri poſsit,quòd à ſyncope excitetur,qui aliqua ex his tribus cauſis eo affectu laborat, ſiquidē ſemper & in eodem loco perſtat vel obſtructio,vel tumor,vel ſolutio cōtinui: nā videtur quoque ſyncopē eo vſq; duraturā,quo cauſa perſtiterit.Cui dicim⁹,inter hos affectus quos in hoc genere memoramus,quoſdā eſſe,qui eā magnitudinē ſemel ſunt adepti, quæ morti efficiendæ ſufficiat,quoſdā verò eam quæ ſolū ſyncopem,quo tempore ſuſcipere poterunt magis aut minus:nā cùm ob aliquā internā vel externā occaſionem creuerint exacerbatiq; fuerint,tunc quidē ad ſyncopē ducēt laborātem,ſiue occaſionem præſtet calor,ſiue animæ paſsio,ſiue noua fluxio: tunc quidē natura calore reuocato,cōterit & reſoluit quod denuo ſuccreuerit,& laborās licèt tumor maneat adhuc,quia minor redditur,reſpicit ab acceſsione, licèt aduēniente iterū occaſione in eā prolabatur.Atq; hæ ſunt in vniuerſum cauſæ quæ hūc grauiſsimū affectū excitāt,qui ſanè duobus modis in humano corpore ſuboritur: vno modo per primogeneā affectionē affecto corde:alio modo cæteris partibus illi cōſentientibus,quod facilè diſtinguitur ex ſymptomatis partium affectarum,quarū cōſenſu cor patitur.

Signa. Quibus autē ſignis per eſſentiā ne ſit an per cōſenſum prædictus affectus legitimus ve aut ſpurius,non ſatis conſtat,nec rurſus qua via quæuis cauſarum dignoſci poſsit,& ob id,& quia curādi ratio maximè ab his petenda eſt,ſeorſum meminiſſe oportebit. Illegitimā eſſe ſyncopē,& à venarū interceptione,ex ſanguinis vbertate aut congelatione,proficiſci noſſe potiùs arbitror garrulitati, & inani loquacitati,poſt laborantis obitum eſſe proficuum, quàm quòd quid commodi,laborantibus afferre poſsit.Quapropter(ſiquidem hæc facillimè præcaueri poteſt,cū imminet,curari verò cùm iam adeſt,difficulter)ſatius eſſe duxi imminentis ſigna monſtrare,quibus præuiſa faciliùs præcaueri poſsit.Monſtrant quidē eam futurā ſigna non quæ ab Hipp.4.de ratione victus adducta fuere: nā ea iam præſentem oſtendunt,ſed quod laborantes ante caſum, quandoque patiātur veluti præfocationē quandā,nō iuxta fauces,neque ad partes ſpiritui ſeruiētes,ſed in partibus internis, & in viſceribⁿ,velut ſi cor manu cōſtringatur:præterea nōnunquā animo deficiūt & viuidus color ipſis in pallidū mutat' cū leui ſudore iuxta frontē:ac licèt facilè ab hoc ſymptomate reuocentur,ſubſequitur laſſitudo adeò magna ac ſi è grauiſsimo euaſiſſent morbo.Subſequitur etiā his pulſus intermittens, qui ſi frequēter appareat,iam iā ſyncopē inſtare cōſtat:ſtatuerat enim Hipp.li.de Coacis præ.17.cordis dolorē ſeniori ſæpius cōſuescente repentinā mortē ſignificare,ſic profectò qui hoc malo periclitantur ſemper vel triſtes incedunt,vel melācholicis imaginationibus præ-

premuntur, vel animo ſunt deiecti, & grauem ac difficilem ex leui cauſa patiūtur reſpirationē:itē his omnibus accedit capitis grauitas, in ſomnū prōptitudo, anxietas,& citra euidētē cauſam exſolutio,&animi angor,atque anguſtia.Verū ſi legitima fuerit ſyncope, noſces ab aliarū partiū vitio cor affici, ex cuiuſq; proprijs accidentibus quæ neceſſariò ſyncopē ipſam antecedunt.Exēpli cauſa,ſi oris vētriculi morſus præceſſerit,vomitus,nauſea & reliqua huius naturæ,certū eſt cōſenſu eiuſdē membri malū oriri.Nam qui ſic in ſyncopē procidūt,ante ipſam animi deliquio corripiūtur,& vēter grauiter premitur,maximè à cibo:dolor adeſt in propria eius regione,& vt Aurelianus refert,adeſt nauſea,vomitus liquidorū atq; cibi. Itē ſudor apparet tenuis & aquoſus,longe quidē diuerſus ab eo qui in ſyncope ex primario cordis affectu orta prodit,qui craſſus plerumq; eſt & malè olens, ſaniem vel cruorē ſimulās.Præterea ſi ex vētriculo prodierit affectio,vrgebit magis in principio,& ſi ex corde,grauior fiet deſinēte,vt idē Aurelianus aduertit:quo fit,vt ex cordis ſyncope plures mori cōtingat.Verū ſi ob flauæ bilis copiā os vētriculi infeſtantē ſyncope accidat,cognoſces quidē ex maiori dolore oris vētriculi atq; ex anxietate & vellicatione,necnō ex oris amarore,ſiti & ſiccitate:& ſic de reliquis partibus quibus cor conſentit,iudiciū facies.Quòd ſi nullū præceſſerit partis affectæ ſignū, nulluſq; alius affect⁹ accedat,cōijcere oportebit ex cordis primaria affectione ſyncopē prodire. Quòd ſi ſolū cor pati cōſtiterit,ex defectu ſignorū affectionis aliarū partiū venaberis.Cognoſces iterū cor pati ex totius corporis perfrigeratione,& ſolidæ ſubſtātiæ diſpēdio,& quia nullū præceſsit neq; apparet in eo caloris aut frigoris à manifeſta cauſa ſignū.Tūc rurſus ſciſcitaberis,ſit ne ob ſpirituū vitiū aut cordis intēperiē,vel ſubſtātiæ eius deperditionē:an ob aliquod figuræ vitiū:nā vt cauſæ diuerſæ ſunt,ita & diuerſam expoſtulāt medēdi rationē.Noſces autē id ex laborantis effigie,ex modo quo in ſyncopē procidit,& vltimò ex his quæ præceſſerūt. Sic ſpirituū alterationē ex putredinoſa,aut venenoſa cōtagione ortā noſces, quia ſic affecti in liuorē & ingentē frigiditatē habēt mutata extrema: facies pallida aut plūbea eſt citra collapſionē,reſpiratio nondū mutata,licèt frigida:præceſsit ſubitus laborātis caſus cū leui moleſtiæ ſenſu,& tandē non erit ignotū,vel venenū ſumpſiſſe,vel à fera clam fuiſſe demorſum. Ob ſpirituū diſsipationem ſyncopē prodire, conſtabit ex præcedenti & ingenti ac inſolito labore,ex varijs vacuationibus, aut vna grandiori & ſubita,ex diuerſis partibus vehemēter dolentibus:maximè in his qui cor habēt deiectum,aut os vētriculi nimis ſenſile. Ob ſpirituum ſuffocationē fieri,ex priuatione & defectu prædictarum cauſarum diſces,& quia ex anteacta vita conſtabit,prædictū corpus craſsis & plurimis abundaſſe cibis: item ex vētriculi anxietate & nauſea inani,cū præcordiorum tenſione & dolore,ac totius corporis inſolito tumore,colore ſubalbido aut nigriore vel liuido:pulſu exiſtenti minore, obſcuro, inæquali, maximè inæqualitate congeſtica, deficiente etiam in vno pulſu ea quæ interceptos in vno pulſu efficit.Interceptos verò eſſe vitales ſpiritus diſces, quia laborans ſubitò,& citra cauſam aliquam concidit,maximè ſi præceſſerit frequens & fortis exolutio,vt Hippoc.refert. Corrumpi autem ſpiritus diſces, quòd neceſſariò in corpore conſpicua ſit diſsipationis cauſa,velut ingens calor,ac ſubitus & grādis labor,& alia quæ ſpirituū ſubſtātiā diſsipare & cōterere nata ſint. Quòd ſi cordis aut totius corporis ſubſtātiā diſsipari cōtingat,id quidē ex corporis extenuatione,facie Hippocratica,& ſuma corporis ac facici collapſione colliges. Verū quia prædictā ſubſtātiā vno è tribus modis abire cōtingit,ob id quidē cuiuſque notionē præſtare oportebit:colliquari autē ex ingenti calore,vt in ardētibus

febribus & malignis tertianis,diſces ab excrementis:quippe in vrina ſupernatantes pinguedines,& in excrementis quid opimum & pingue comperies, quo proferes ſyncopem à prædicta colliquatione prodire. At contabeſcit corpus etiam humorũ acrimonia & mordacitate,quæ ſudoribus diaphoreticis ſubſtantiã cõterit,irritata adeò expellente potẽtia,vt quod laudabile eſt,etiã non ſine magno periculo pellat:quod dignoſces ex calidis & glutinoſis ſudoribus,qui ex calore arguunt cauſæ naturã,& ex conſiſtentia diſſipatam ſubſtantiã. Cæterũ ſi ſyncopticus frigidum exſudauerit,cum frigiditate etiam & liuore extremorum,certum eſt ſyncopem prodijſſe ex grandi caloris innati extinctione,& contentricis facultatis exolutione. Diſces autẽ ex grandiori & vehemẽter agente intẽperamento malũ fieri ab eodem,ſiue calidũ vt in vehementibus febribus,ſiue frigidũ vt in hydrope,ſit: ipſa enim intẽperaměti natura facilè ſe ſe oſtẽdet:præterquã q̃ qui ſic afficitur,nec ſubito caſu corripitur,neq; ſubitò interit. Fieri tamẽ ob figuræ vitiũ diſces,ſi tuberculus aliquis prope cor ſteterit,ex tabitudine quæ mox ſuccreſcit:ſi obſtructio, q̃ ſubitus fiat caſus citra manifeſtam cauſam:ſi verò ſolutio continui cauſa ſit,ex his diſces quæ præceſſerunt,vt ſi ictus,caſus,aut percuſsio præfuit.

Præſagiũ. Præſagare enim frequentiùs malum ex hoc ſymptomate licet, maximè ſi frequenter irruat,iuxta illud Hipp.2.apho.41. Si quis abſque cauſa manifeſta:ſed longe certiùs licet mortẽ prædicere ſi ex ſanguinis vbertate ſpuria fiat ſyncope. Sed vtcunq; accidat,cenſenda eſt pernicioſior ea,quæ faciem reddit cadaueroſam,maximè ſi non præceſſerit aliqua ex cauſis ab Hipp.ea parte ſcriptis,quod Galen. arbitratur.12.metho.nec non & Ætius lib.5.cap.98. Verùm vbi cor proprio laborat affectu,periculum non leue imminet,minus tamen ex cerebri damno, & adhuc minus ex iecore,vt ex Paulo cap.38.li.2.& ex Ætio lib.5.cap.99.apertè colligitur. Syncope verò quæ ab inſtrumentali cordis affectu prodit,præter id quòd grauiſsima eſt,citiùs interimit, vt ex Galeno conſtat libr. 5.de locis cap. 2. ſic & illa quæ ex attenuatis ſpiritu & ſanguine prodit, maximè ſi accedat virium imbecillitas. Item pernicioſa eſt, quæ ex crudis ſuccis totum corpus grauantibus oritur, aut biliоſis os ventriculi infeſtantibus: & ſic iuxta cauſæ dignitatem & ſæuitiam,eam iudicabis periculoſam omnino,aut prorſus periculo vacare, vel ſolùm timorem incutere.

Curãdi ratio. Quibus cognitis,curandi ratio duplex erit:altera quæ acceſsionem proſpiciat, & laborantem ab ea eruat:altera verò quæ præcaueat quo minus laborans in ſyncopem incidat:hæc quidem fit per ablationem cauſæ quæ affectum mouet, iuxta cuiuſq; naturam vt antea retulimus. Quippe in ſpuria,quam licet prædictis ſignis prænoſſe,ſanguis protinus demendus eſt, antequam ſpiritibus orbatus concreſcat & immedicabilior fiat affectio, idque ex baſilica dextri lateris, quantum par ſit provirium robore & plenitudinis magnitudine,vt Hippoc.conſuluerat.4.acuto.tex.25. Quo facto & inſtituta parca victus ratione, omnino diuertere ad inferas ſedes quod in imo corpore continetur oportet, ac poſteà potibus calidæ, quod ſanguinis iam concreuerat fundere, necnon & frictionibus molliter per vniuerſum corpus factis. Verùm in huius cauſæ acceſsione, rarò datur ſanguinem fundere, ni vires longè magis quàm anteà conſtiterint: nam ſi minus, ſignum eſt(aut ſi pulſus adſit deterrima aliqua conditio) ſanguinem iam concretum eſſe: quo caſu omnino à ſanguinis detractione erit abſtinendum, ſolùmque vti licet laxantibus fundentibuſque præſidijs, necnon & ijs quæ concretum ſanguinem fundunt, vt leporis coagulo in aqua mulſa, vel eâdem mulſa

mulſa vbi ferbuerit amaraci coma, maximè addito oxymellite: item theriaca,aut mythridato in eâdem aqua diſſolutis quantitate.3.ß. Verùm ſi conſtiterit, ſanguinem concretum non eſſe,nullo alio auxilio citiùs & tutiùs ab acceſsione laborantem reuocabis,quàm ſanguine miſſo,quod quidem tentans primò facito, ac ſi probè ſucceſſerit,laboranſq; probè ſe habeat,& ſanguinis impetus fuerit grandis,iterum id tentabis auxilium donec aliquantulum leuiorẽ perſentias laborantem:quòd ſi vel nihil exeat,cõcretum iam iudicabis, & nullo modo id amplius tentabis. Altera verò curandi ratio, quæ acceſsioni debetur,in reliquis ſyncopes cauſis fit per contraoperationem cauſæ quæ agit in ſpiritus, in ſubſtantiam ſolidam,in cordis temperiem & eius ſitum. Sic enim diſtractis ad diuerſas partes ſpiritibus,ijs quæ congregandi introque pellendi vires habeant rem ages, & vltimò alimentis quæ citiſsima alitione reficiant. Circa primum expende,non vno & eodem modo reuocandos eſſe eos, qui ob ſpirituum diſpendium ſyncoptici fiunt, cùm neceſſum ſit,modum quem cauſa imprimit conſiderare, & aduerſus ipſum præſidijs pugnare:nam licèt vacuationes quæ immodicæ ſunt, ſpiritus diſsipent, alio modo eorum diſpendium compeſces,ſi ſudore nimio id fiat,alio ſi alui fluxibus,alio ſi ſanguinis profuſione, & alio rurſus ſi vomitu. Nam qui per ſudorem aut ingentem calorem exoluuntur,debilemq; habent retentricem,facilè excitantur aqua frigida vel roſacea ſola, aut cum modico aceto deſuper ſparſa, non quidem in tota cute, ſed in facie & manibus,idque ſubitò,affatim & inopinatò, tum vt cute denſata minus diſsipentur ſpiritus,tum vt ſubito ſpirituum retroceſſu faciliùs excitetur laborans. Pari etiam ratione curandum eſt aërem prædictis aquis refrigerare,& flauellatione facta linteis aqua frigida madidis attemperare, quo & cutis adſtrictior facta ſit,& ſpiritus denſior & craſsior. Vteris etiam frigido epithemate quod recipiat aquæ roſarum, acetoſæ, ſcabioſæ & borraginis, ana. ℥.iij. vini odoriferi. ℥.j. diamargaritonis frigidi. ʒ. j. ℈. miſce & adhibe panno ſerico. Proſunt & inunctiones ex vnguento roſaceo & oleo violarum cum tribus granis camphoræ:vel ex oleo roſarum & cydoniorum cum goſsipio & guttulis vini rubri,cordi admoto. Præſtat & ſyrupi limonum cum aqua in qua aurum ſit ſæpius extinctum.℥.ß. cum eâdem quantitate oxyſaccharæ ſimpl.ſyrupi acetoſi, violarũ aut de pomis. Hunc etiam vſum præſtant ex odoratis quæ frigidiora ſunt, aut reficere poſſunt. Quibus ſanè præſidijs non vteris, ſi alui fluxus ſyncopi cauſam præſtiterit: frigidis enim aſperginibus facillimè intro pelluntur humores,quos ne ad aluũ fluãt,opus erit ad extima euocare:nec rurſus id facies ſi ex plenitudine aut obſtructione laborãs animo deficiat. Verùm ſi ex aliquo animi pathemate,quod vim habeat extra ſpiritus euocare,id accidat,eodem poteris vti præſidio,ſicut ſi ex varijs doloribus aut euacuationibus ſuboriatur. Eodem etiam modo ægrum excitabis,nares vehementer comprimens & dimouens, maximè ſi per infernas ſedes humores effluxerint: quòd ſi ex vomitu ſit,crura ligabis,calfacies & fricabis:ſi verò aluus fluat, brachia. Sanguinis verò fluxionibus languentes excitabis eiſdem diſtractionibus & vino calido teſticulis,ſi vir fuerit, aut mammis ſi fœmina,admoto:ſed hos & reliquos omnes tutiùs reuocabis his quæ ſpiritus reficiãt, cuius naturæ vinum eſt album,tenue,odoriferum & aqua ferrata dilutum,ſi ſudoris occaſione malum oriatur,maximè ſi odoriferis vtaris,vel panem recenter coctum his irroratũ naribus admoueris:at in alui fluxionibus rubrũ pane admixto recẽti maioris eſt momẽti,ſi neq; interna ſit inflãmatio, neq; deliriũ vel ardor præſint. Ex vſu etiam ſunt iurulenta omnia,ſiue ſtillotica ſiue decocta, ſiue prælo præſa, quibus

admiſcere oportet puluiſculum, qui recipit margaritarum præparatarum. ℈.ij. raſuræ eboris, oſsis de corde cerui, ana. ℈.j. cornu monocerotis. ℈.ß. ſacchari violarum. ʒ.ij. miſce & porrige. ʒ.j. Præſtat per ſe aut prædictis adiunctum modicum huius aquæ, quæ recipit aquæ roſarum & naphæ, ana. ℥.ij. vini optimi & ſucci pomorum, ana. ℥.ß. & ſi velis id odorandi gratia conficere, addes muſci & ambræ g.iiij. Quibus ardens febris cauſa fuit ſyncopes, proſunt epithemata & aſperſiones frigidæ per vices & interualla, ne prohibeatur omnino effluxus vſtilaginũ: prodeſt tum frigidæ, tum frigidorum & adſtringentium vſus, qualis eſt ſuccus mali punici acidi. Verùm qui ob ſudores labuntur, à frictionibus & vino abſtineant, niſi odoramenti gratia: quibus prodeſt puluis ſupra lectum ſparſus, qui recipit florũ roſarũ rubearum, nymphææ, labruſcę, ana. ℥.ij. myrtillorum, coralli & raſuræ eboris, ana ℥.ß. diambræ. g.iiij. Vomitu confectos excitabis, præter ea quæ dicta ſunt, poſito ſupra ventriculum cataplaſmate ex pane toſto, vino rubro, & pulueribus diarrhodonis: cui etiam porriges vini albi aut nigri veteſtioris hauſtum: maximè ſi ex crudis aut viſcidis ſuccis malum oriatur, ſicut frigidæ aut calidæ aquæ; ſi bilioſus aut acris vel ſalſuginoſus ſit humor: quæ omnia etiam facies (exceptis diſtractionibus) ſi ex impenſa caliditate laborans corripiatur.

Quòd ſi ſpiritus ſuffocatione periclitentur, laborãtem excitabis cõtrario prorſus modo, nimirum ad cutim eis euocatis, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis & caloreficis auxilijs, extremis partibus ſæpius appoſitis, vt humores & ſpiritus foras euocentur, ſiue ex mœrore malũ oriatur, ſiue ex obſtructione aut humorũ copia, craſsitie vel lentore. Si tamen ob impenſam alicuius viſceris frigiditatem, crudorũ ue ſuccorum copiam, præter eam caliditatem quam excitãdam extremis partibus fore diximus, curandum eſt, alimentis etiã admiſcere puluiſculum, qui recipit corticis citri. ʒ.j. margaritarum. ʒ.ß. citri conditi, ſeminis melonum & acetoſæ, ana. ℈.ij. limaturæ auri, fragmentorum ſmaragdi, hyacinthi & ſapphyri, ana. ℈.j. ſacchari ʒ.iij. miſce & porrige. ʒ.ß. Alius etiam paratur puluiſculus, qui recipit electuarij de gemmis, confectionis Alkermes, aromatici roſati, ana. ℈.ij. macis, cinnamomi, ana ℈.ß. ſacchari in aqua borraginis diſſoluti & exſiccati. ʒ.iij. miſce. Præſtat vini odoriferi hauſtus, vel Hippocras appellati modicum, ac ſæpe mirum in modũ iuuat parum aquæ vitæ. Quòd ſi ex venefica qualitate à veneno quod incorpore gignitur, affectio ſit, factis diſtractionibus, cucurbitam è regione cordis ante aut retro affiges, ac ſi ſanguinem redundare conſtiterit & veneno eſſe admixtum, ſcarificabis, & iterum eidem parti affiges epithemata, quæ calfaciendi vires habent, atq; euocãdi ad extimas partes aut ibidem diſsipãdi venefícos ſpiritus aut halitus: verùm ſi venenum ſit aſſumptum, vel à fera eiaculatum, alexipharmacis remages, vel parti demorſæ cucurbitulã affiges. In ſubſtantiæ autem deperditione, vires & amiſſam ſubſtantiam potibus, iurulentis, & tenuibus cibis reficies. Sitũ cordis ex flatu mutatum & euerſum vini aut aquæ calidæ potu emẽdabis: q; ſi ex alia cauſa ſit, ipſam omnino infirmare curabis.

Sed in omni ſyncopes curatione & in reliquis cordis affectionibus ſummopere obſeruandum eſt, cordi eſſe maximè prouidendum, tum per ea quæ contraria ſint affectui, tum verò per roborantia, quæ vel à tota ſubſtantia id efficiunt, vel adſtrictione ſi diſsipatio ſpirituũ, aut ſubſtantiæ cauſa eſt, vel, vt ferunt, peculiari quadam ſimilitudine, & moderatione ſubſtantiæ, quemadmodum ſunt appellata alexipharmaca, quorum omnium non leuem copiam adduximus lib. de curatione febris malignæ. Dum modò neque frigida cordi intus aut extra adhibeantur ſine calidis,

calidis, ſpirituum gratia, neque calida ſine frigidis, quo minor fiat ſpirituum diſpendium, & hac lege epithemata adhibenda ſunt, & non aliter.

Altera verò curationis via, quæ ſyncopes cauſam reſpicit, & ab ea initium ſumit, non animi deliquio præſente aut imminẽte exercẽda venit, ſed abſente diu, & cum timore ne iterum redeat: quod ſolet eſſe grauioris periculi cauſa. Habet profectò tot curationis vias inter ſe adeò diſsidentes, ac ſunt cauſæ, quas nuper retulimus: nam qui ex inanitione aut ſubſtantiæ deperditione in hunc morbum incidunt, haud ſecus quàm hectici præcauendi curandique ſunt: ſic & ijs quibus ſpiritus deſunt, dùm modò iuxta cauſæ differentiam & modum prouidentiam inſtituamus. Qui verò ex obſtructione, tuberculo, inflammatione interna, vel humorum abundantia, craſsitie, acrimonia vel tenuitate in ſyncopem frequenter incidunt, tractandi præcauendique ſunt, iuxta cuiuſque prædictarum rerum diuerſitatem: nam ſi præſit interni alicuius membri inflammatio, ſanguis mittendus eſt, parcè tamen & prudenter, ne vires adeò collabantur, quòd redeunte iterum ſyncope, minus reſiſtere poſsint: ſed eo copioſiorem extrahes copiam, quo magis cognoueris vel ex copia ſpiritus ſuffoccari, vel calorem extingui, præſertim ſi ex ſuppreſis hæmorrhoidibus aut menſtruis, vel varicibus malum oriatur, tunc quidem ex talo, ſaltẽ ſemel ex brachio ſanguine miſſo. Quapropter ſic affecti tractãdi præcauendique ſunt, vt in capite vniuſcuiuſque harum affectionum abunde dictum eſt, & maximè capite de tertiana pernicioſa, vbi hæc omnia diffuſiùs ſcribuntur, præſertim de ſanguine extrahendo, ac de exhibendo pharmaco. Qui verò ex doloribus, animi pathematis ac diaphoreticis vacuationibus in ſyncopem parati ſunt iterum incidere, ijs quæ dolorem leniant; cauſam auferendo, vel parẽgoricis, & his quæ verè dicuntur anodyna vtendum eſt. Sed quod magis ex vſu in his eſſe ſolet, id eſt quod ſtupefacere aliquo modo natum exiſtit: hoc enim vel ſenſum ſtupefaciendo, vel ſomnum cõciliando, fluxuum perplures compeſcit, quo vires reficiũtur ac à dolorum & accidentium inclementia laborantem tuentur. Sed cùm in huiuſmodi laborantibus plerũque vires deficiant, cautiùs & parciùs eis vtendum conſulo, & pari penſu de euacuationibus, quæ cauſas illidunt ſubaudiendum eſt: nam licèt aliquando purgare ſit opus, id quidem leuiſsimis auxilijs & maxima conſideratione præhabita exequendum eſt. Quæ verò ſtuporem inducunt, ſunt velut pilulæ de cinogloſſa ad ℈.ij. vel philonium vtrumque eãdem quãtitate aut paulò minori: valet & theriaca recens, aut ſyrupus papaueris, vel de portulaca cum modico eiuſdem papaueris. Venenatos verò curabis, vt capite de febre maligna dictum eſt. Secus rẽ ſe habet, ſi extrinſecus venenum accedat, nam iuxta cuiuſque naturã alexipharmacũ illi inſtitues. Verùm ſi ſolidæ ſubſtantiæ diſsipatione animus deficere ſoleat, cauſam conijcere oportet: primò ſi humoris ſit tenuitas & defluxus, his oportet vti præſidijs, quæ vires habeant condenſandi humores, reddẽdiq; eos motui ineptiores. Sunt autem hæc frigida medicamenta, aut alimenta craſsioris ſubſtantiæ, aër frigidus, qui pororum recluſione diſsipationem inhibeat. Verùm ſi humoris acrimonia expultricem laceſſerit, temperatis medicamentis & alimentis res agenda eſt: ſic & potibus calidis, ac ſi vires tulerint frigidis indulges. Si tamen inedia ſit aut atrophia, alimentis vberioris ſubſtantiæ & facilis nutritionis malo prouidebis. Si verò frigiditas ex caloris innati defectu malum concitet, circundabis hominem recenti pane, vino odoratiſsimo & aqua naphæ irrorato: frictionibus etiam & caloreficis auxilijs extrinſecus calorem cunctis partibus euocabis. At ſi ſudor adſit ſyncopticus, alimentis compeſces: ſi diaphoreticus, temperatis aſ-

perginibus: at dum mali causa intemperies est, protinus contrarijs compescenda: si verò figuræ vitium, curabis velut solutio continui, tumor præter naturam vel obstructio curari desiderant: in quo casu potiùs bona spe alere ægros oportet, quã miserè & inutiliter eosdẽ auxilijs frustra torquere. Sed in omnibus his causis quatenus pertinet ad euacuationem per sanguinis detractionem aut expurgans medicamentum, recurrendum est ad caput de tertiana pernicioſa, vbi hæc copiosiùs tractantur. Quòd si particularia auxilia cordi refrigerando aut calfaciendo idonea copiosiora desideraueris, lege tom. 2. cap. de cordis attemperatione.

De palpitatione & tremore cordis.

Cap. XI.

ACCIDVNT quidem cordi præter dictum symptoma, alia duo non minus toleratu grauia, cum hoc nõ minus periculosa, licèt non omnino desperata. Sunt autẽ hæc tremor & palpitatio: hæc quidem palmos appellata à Græcis, & à nonnullis veterũ cordis saltus, ab alijs verò formido. Quæ sanè affectio motus est præter naturam à flatu in corde incluso, qui exitum quærens, agitat secum cõtinentia membra tandiu, donec vel resoluatur, vel violenter explosus in cognatum sibi aërem spiret. Accidit verò hæc affectio cuti & subiectis ipsi musculis: præterea à ventriculo, vesicæ, vtero, intestinis, septo transuerso, ieiunio, atque vt summatim dicã, omnibus quæ distẽdi possunt, vtpote arterijs & ipsi cordi, ac nonnunquam toti corpori. Tremor verò inuoluntarius est, & præter naturæ motum & ordinem sursum, & deorsum motus partium, quæ per se motum habent. Circa quæ verò symptomata, duas etsi vtrasque falsas, licet reperire opiniones: prima quidem asserit, nihil differre tremorem à palpitatione: altera rursus existimat, tremorem cordi nulla lege posse accidere. Quarum gratia naturã vtriusque symptomatis priùs expendere oportet: secundò differentiam inter vtrumq; : tertiò omnia posse cordi accidere: quartò verò à quibus causis quoduis originem trahat, & qua medendi ratione auferri possit.

Circa primum nosse oportet, inter plerosque scriptores statutum iam esse, nihil differre inter se hos affectus, sed solùm maioris minorisue ratione. Nam palpitationem constituunt esse debilitatem virium cordis: ac si vires ampliùs labãtur, cor tremere: si adhuc ampliùs, in syncopem prolabi. Sed re vera si quis rem diligentiùs pensitet, reperiet proculdubiò differre natura, modo & causa: qua in re dicimus, præmissa diuisione symptomatum à Gale. signata lib. 2. de causis sympto. (nimirum symptomatum quædam esse quæ prodeũt à solo morbo citra alterius causæ interuentum, vt palpitatio & conuulsio: quædam à sola facultate licèt irritata, vt tussis, sternutamentum & rigor: quædam ab vtraque causa simul, vt tremor) non minus differre, quàm quòd palpitatio à solo morbo efficiatur, tremor verò à morbo & facultate simul. Secundò differũt, quia palpitatio quibusuis partibus propria est, præterquam duris, & quæ flatui se mouenti cedere nõ possunt: at verò tremor, vt Galeni est mens, lib. de rigore, solis partibus voluntariè se mouentibus proprius existit: ratio huius est, quia cùm constet ex facultate quæ conatur membrum mouere,

mouere, & grauitate eiusdem, quę præ pondere ruat, necessum est his tantùm partibus accidere, quæ voluntario aut inuoluntario fruantur motu.

Quibus sic constitutis (vt respondeamus secũdæ dubitationi, qua quæritur possit ne tremor cordi accidere) stat vtrumque symptoma posse illi optimè succrescere. Primò quidem de palpitatione nullus dubitat, non tamen vt in Praxagora & Erophilo Galen. lib. de trem. & rig. cap. 5. reprehẽdit, quòd statuerat Praxagoras solis arterijs palpitationem accidere, necnon præter pulsum etiam earum affectus esse tremorem & conuulsionem: in qua re excepto tremore arterijs conuulsionẽ & palpitationem conuenire statuit eodem loco: quem quoque taxat cap. 9. quòd arteriarum affectum tremorem effecerit, cùm solis partibus voluntariè se mouentibus accidere statuat. Cũ hoc tamen de cordis tremore nil ad mentem Galen. probari potest, cùm statuat nullũ membrũ tremere posse nisi motu moueatur volũtario: aliquid tamẽ ex eius scriptis elici potest, quo ꝓbetur cor tremere posse. Et primò videtur posse ex Gal. id colligi li. 2. de cau. sym. c. 2. quo loco trementis pulsus meminit, quippe statuit pulsum formicãtem partium tremori persimilem esse, quem iure optimo nos trementem quoque appellare possumus, quamuis Gale. nomine formicãtis ipsum insignierit, scilicet iunxeritque à partium tremore quietum paruitate. Præterquam quòd nomine etiam palpitationis tremorem constat voluisse exprimere, lib. 2. apho. 41. dicẽs: ob imbecillitatem facultatis cor vehementer palpitare, quo loco verbum illud palpitare, non de palpitatione, sed de tremore venit exponendum, cùm palpitatio non sit motus à facultate effectus. Cæterum ratione sic probatur. Motus pulsus constat ex facultate mouendi, vsu & instrumento: sed ad tremorem tantùm requiritur facultas quæ mouere conetur, & instrumentum quod motui resistat: hæc reperiũtur in pulsu & corde: ergo & tremor. Dicet aliquis, forsan verum esse, cor facultatem obtinere & instrumentũ, cæterum carere volũtate, quę motum imperet, & sit potissima conatus causa. Cui dicendum est, verum esse, cæterum loco voluntatis inesse vsum qui facultatem cogit irritatque ad motum. Itaque quemadmodum in voluntarijs motibus præest voluntas, ita in vitalibus vsus, ac per consequens in vtrisque reperitur tremor, quantumuis Galen. alijs solùm accidere statuerit. Quinimo si quis rem diligentiùs pensitet, reperiet in quibusdam tremoribus nullum esse voluntatis imperium, sed esse motum quendam motui conuulsiuo persimilem. Probatio huius veritatis sita est in distinctione tremoris, qui duplex proculdubio existit: alter legitimus & exquisitus, qui fit ad mentem Galen. ex debili facultate & grauitate membri, vt videre est in senibus & in cõualescentibus: alter rursus omnino morbosus existit, ex causa quæ animalem potẽtiam cogit ad motum (inuoluntariè tamen, vt in motu conulsiuo contingere scimus) & ex grauitate membri quæ cõtrarium omnino motum cogit fieri, ita vt fiat motus ex motibus contrarijs constitutus. Cuius veritatis probatio est, quòd multi ex his qui hoc morbo laborant, etiam si velint quiescere, & membrum supra rem aliquam firment, membrum ipsum præter voluntatem tremens mouetur. Qua probatione videtur euidentissimum, non omnem tremorem constare ex motu imperio voluntatis facto (nam id solùm senibus & imbecillimis proprium est) & membri grauitate, sed aliquando fieri à motu præter naturam, & à grauitate præter naturam, vt in morboso tremore dictum est: aliquando verò à facultate quæ non sit subdita imperio voluntatis (vt vitalis est) & à membri grauitate: qua motionis sorte mirum non est si pulsus tremulus fiat, facultate nimirum dilatare conante & grauante membro.

His

His iactis fundamentis, facile erit cuiusque horum symptomatum naturam nosse: sic palpitatio in communi sita proculdubio est in eleuatione & depressione partium quæ distendi, & rursus in se se residere possunt, vt in cute, musculis, corde, ventriculo, vesica, vtero, intestinis, diaphragmate & reliquis non rarò conspicimus: cæterum non in omnibus eodē modo nec eâdem causa: nam flatibus alicubi intercluſis exitum quærentibus, vniuersam membranam disrumpere conantibus, ipsa eleuatur, ac resolutis, mox ipsa ex se cōcidit. At in corde palpitatio quam saltum vocant, duabus potissimum de causis incidit: nam altera (vt Gale. 1. prorr. 29. scribit) solùm fit ob congestum spiritum ex frigore, idque alio modo quàm musculorum palpitatio, nimirum subito aliquando & sine alio manifesto accidēte propter sanguinis feruorem (vt inferiùs referam) cuius præsidium statuit Galen. 5. de locis affect. esse sanguinis detractionē: de qua etiam palpitatione statuerat Hippo. lib. de Coacis hoc verbo: Vētris palpitationes in febre insanias mouent: & Galen. statuit huiusmodi affectos vel syncope, vel repentina morte vt plurimum corripi: ac licet non semper fiat in corde, sed in vehemēti motione arteriæ quæ iuxta dorsum sita est, frequentiùs tamen ex cordis motione subaudiri oportet. Secundò autem modo fit, dum in pericardio aut prope cor humor aliquis præter naturæ modum mouetur, ita vt cor ipsum variè etiam moueri cogat. Itaque cordis palpitatio in hoc sita est, non quidem in actione facultatis nocuum expellere conantis, vt multi falsò sunt arbitrati, sed in motu quodam cordis & arteriarum interturbato & aberrante, à flatu effecto, qui distendens & mouens præter naturam cor & arterias ipsas, ab eodem corde sic commotas, palpitationem & inordinatum motū facit: haud secus quàm ex solo flatu in musculosis partibus contingere scimus: credendum enim est, motum hunc quē in cordis regione palpitationi similē conspicimus, non solùm esse à flatu factum, esse tamen palpitationi similem effectum à flatu interturbante motum naturalem cordis & arteriarum, cùm se se mouēt ad dilatationem & compressionem efficiendam. Quo sanè fit, vt multi hunc motū palpitationis saltum dixerint, quia ob inordinationem motuum, qui nunc maiores, nunc minores fiunt, quasi saltum efficiunt, non quidem omnino palpitationē, sed quodammodo illi similem, quia compositus videtur ex flatu distendente & vitiante naturalem cordis & arteriarum tonum, & ex ipsa cordis motione: est enim veluti accidens motui pulsus succrescens, à solo morbo, hoc est à flatu distendente & conante exitum quærere, factum. Ex quo prodit palpitationem esse eleuationē quandam præter naturam atque depressionem, in quibus cor non seipsum dilatat ea differentia motus sicut in pulsu, in quo motus ille verè est operatio ipsius secundùm naturam: at motus qui fit in palpitationibus, affectio est & accidens motui succrescens, vt ex Galen. constat. 6. de Hippo. & Plat. decret. ita vt sit symptoma in genere deprauati motus toto genere præter naturam: insequens tamen morbū in intemperie, aut insoluta vnitate, dum partes discedunt ob flatus subingressum in partes cauas aut porosas. Fit autem palpitatio cordis, sæpe nihil mutatis arteriarum pulsibus, ac è diuerso palpitant sæpe arteriæ, corde neutiquā palpitante, quia solùm palpitant partes, quibus flatus includuntur, cæteris manentibus illæsis. Motiones denique cordis præter naturam veteres, duplices (præter pulsus differentias naturales aut non naturales) constituerunt, vtrasque tamen nomine palpitationis comprehensas: vnā quidē saltum seu palpitationē verā & legitimam nuper à nobis expositā: reliquā verò spuriā, quæ tremori potiùs quàm palpitationi affinis existit, vt paulò inferiùs referam si prius vtriusq; causas recensuero.

In

Palpitationis causæ.

In qua re necessum est expendere palpitationem esse in duplici differentia, alteram legitimam, & spuriam alteram. Legitimam verò arbitrandum est fieri ex motu cordis, à nulla alia causa concitato, quàm à præter naturali & morbosa, facultate cordis & arteriarum nihil agente, sed præter vitalis potētiæ motum, in hac legitima palpitatione, succrescere alium extraneum & præter naturam, à sola causa morbifica vel à solo morbo vt Galen. statuit 2. de caus. symptom. cap. 2. Quippe plerumque contingere cōstat, ex crasso nebuloso que aēre, vel caliginoso spiritu. Quo fit vt frigidiores corporis naturæ & ætates, palpitationibus frequentiùs corripiantur, maximè anni tempore & regione frigidis, potissimū si præcesserint vita otiosa, satietas & temulentia, ac reliqua, quæ cor & corpus refrigerare nata existunt. Vtcumque tamen sit, si flatus generentur, vel prope cor, aut aliunde illi (vt ex vtero, ventriculo aut vasis maioribus) accedant, palpitatio fiet: per essentiam quidem, si ex humoribus cordis aut pericardij in sinistrum eius ventrem irruat flatus: per consensum verò, si aliunde in ipsum cōscendant. Nec mouent rationes neotericiquiusdam arbitrantis cor palpitationem legitimam pati non posse, quòd calidissimum sit, & ob alias non maioris momenti rationes quas in corde affecto, & malè se habente vim habere credendum non est. Scribit etiam Gal. 5. de locis pa. cap. 2. & neotericorum non pauci fieri alia de causa palpitationem legitimæ finitimam: quippe scribunt plerumque fieri ex aquoso humore, vrinæ persimili in pericardio, tunica cor ambiente, collecto: qui cùm sinistrum ipsius sinum mouere non sinat liberè, fit vt dum facultas valida est ad pellendum quod grauat, concitetur, & tunc vehementius motum exequatur, licèt inordinatè, quod palpitare quodammodo dicitur: quippe vt resarciat impeditum motum, alterum maiorem mouet, ad modum caprizantis pulsus, quem quoque palpitationi similem arbitramur. Item eâdem parte scribit, plerumque hoc malum accidere iuuenibus & adultis integra valetudine fruētibus, forsan ex feruido sanguine: id quod à frigida etiam causa fieri, arbitrati sunt neotericorum plures, cū sibi persuasum habeant, ex calore non posse hoc malum oriri, siquidem neque ardentibus febribus, neque hecticis aut alijs huius census euenire vsquam visum fuit. Quorum contrariam sententiam tuentur ex iunioribus etiam alij, & probant experimento à calore id posse fieri. Ego tamen arbitror, hanc palpitationis sortem à calore oriri posse, sicut in iunioribus scribunt Galen. & Paul. lib. 3. cap. 34. qui validiores cordis palpitationes, sæpe ex sanguinis in eo concepti copia aut feruore contrahi, expressè asserunt. Quod etiam arbitror intellexisse Galen. 4. apho. 65. nam studens exponere, quid sibi voluisset intelligere Hippo. per verbum cardiogmos scribit, bifariam esse accipiendum: vno modo pro cardialgia: alio verò pro motu quodam cordis, palpitationi persimili: quem arbitrandum est, esse motum cordis vehementem & inæqualem, ex facultate excitata à causa calfaciente ac feruida. In quo sensu credo Auicennam dixisse, plurimis cordis affectionibus sanguinis missionem prodesse, ob feruidū & crassum sanguinem iuxta cor ebullientem. Quod profectò à Galen. acceperat lib. 5. de locis cap. 2. qui omnibus palpitatione affectis sanguinis detractionem iuuare scribit. Palpitat non minus cor & periclitatur, ex obstructione leuium pulmonis arteriarum: tum quia fuliginibus non satis purgatur: tum verò quia non capit quantū aēris par est: cuius affectionis notitiam qui maiorem desiderauerit, legat initium cap. de pulmonis inflammatione. Monendus mihi tamen hac in parte lector est, pleraſque palpitationes, quas spurias nuncupamus, ad cordis tremorem facilè posse reduci, vt motus, qui nō à sola causa morbifica sicut legitima, sed à facultate,

quæ

quæ motum naturalem pulſus vitiat citatioremque efficit, vt de caprizãte & inter currente pulſu dictum eſt, quos potiùs palpitationi ſimiles, quàm veram palpitationem cenſemus; aut (vt rectiùs loquar) verè ſaltum cordis, in quo extra corpus cor proſilire clamant: ſiue id, quod natura ſtimulata & impulſa pellere ſtudet, aura ſit venenata, aut ater vapor opprimens, ſiue cordis intemperies calida, frigida, humida, vel ſicca, ſiue humorum vel vaporum confluxus, vel obſtructio & ſpirituum interceptio aut paucitas. Appellamus tamen hunc cordis motum ab his cauſis effectum ſpuriam palpitationem, quia mixta eſt hæc affectio ex motu facultatis irritatæ, & ex cauſa quæ aliquo modo turgens, efferueſcens & mota, motũ quoque adiuuat: cuius naturæ plures ex fœminis quæ ex vtero malè ſe habent, iuxta mammã ſiniſtram, motum quendam vehementem palpitationi ſimilem perſentiunt, & aliquando perpetuum, in quo à vera palpitatione diſidet, quia perpetua non eſt, ſed per interualla repetens. Cæterum cùm inter ſpuriæ palpitationis cauſas dictũ ſit à Galen. & alijs aquam pericardij non eſſe minoris momenti, & ab Hippocr. lib. de corde ſtatutum ſit, pericardium aqua abundare, videbatur veriſimile cor ſemper palpitaturũ, quod experimentum non probat. Cui dubitationi dicendũ eſt, aquoſum illum humorem per ſanitatem non inundare, neque colligi intra pericardium, quinimo veluti humiditatem copioſam, ſolùm adeſſe tantam, quanta innati calidi temperiem & cordis humiditatem natiuam tueri ſit potens: nimirum quòd tunica ipſa per ſe vniuerſa madore perfundatur, vſui prædicto ſufficienti, & ob id non eſt coniectandum, ibidem per ſanitatẽ colligi. Quòd ſi aliquando colligatur in ipſo pericardij cauo, aut in tumore aliquo hydatode appellato vt de ſimia tabeſcente retulerat Galen. id quidem morboſum eſt, & palpitationis grauioris & ſpuriæ cauſa. Quippe ſtudens natura moleſtam illam cauſam pellere, maiores efficit pulſationes, varias & inæquales, licèt aliquando flatus ab eâdem aqua excitatus legitimam palpitationem efficere aſſueſcat, item hanc ſpuriam & mixtam ex flatu per ſe eleuante, & ex facultate irritata & coacta ampliùs eleuare. Vltimò tamen expendendum eſt, has ſpurias ab omnibus humoribus poſſe fieri, vt docuerat Auicen. lib. 3. fen. 11. tract. 1. cap. 6. quæ ſanè de palpitationis natura & cauſis ſufficere videntur.

Dubium.

Tremoris igitur natura & conditio compoſita eſt ex motu, ſiue voluntario, ſiue inuoluntario, modò ſit præter naturam, & ex altero motu à ſola membri grauitate effecto. Cuius profecto non ita facilis eſt cognitio, neque vna eſt & ſimplex natura, & ob id maiori diligentia inueſtiganda. Reperiuntur enim tremoris variæ ſortes: nam trementes dicuntur vel qui cõtremiſcunt, vel qui ſubſultant ad Medici tangentis manum, vel qui vtrumque ſimul patiuntur (quantumuis hoc poſtremum ſimul fieri Galen. poſſe neget) ita vt conſtet, quendam eſſe tremorem legitimum & propriè ſic nuncupatũ, & reliquos eſſe illegitimos & ſpurios: Eſt itaque legitimus tremor motus muſculorum præter naturam cum voluntate, (ad differentiam conuulſionis, quæ citra voluntatem fit) nitente membrum dimouere, & membro renitente atque præ grauitate deorſum vergente: qua contentione motus ſubſequitur tremulus. Illegitimus verò tremor eſt, in quo manus non tremunt ſed diſſiliunt & quodammodo conuelluntur contremiſcendo. Sed ad verum tremorem redeuntes, dicimus veram tremoris rationem compoſitam & mixtam habere, tum cauſam, tum naturam, membrum videlicet deprimens, & facultatem voluntariè ſurſum mouentem, ex quibus veluti pugna quædam emicat, ex inuicem vincente & victa natura, quæ motum conſtituit tremulum, mutuò ſuccedẽtibus

tibus contrarijs motibus. Non quidem ſicut motus pulſus ſurſum & deorſum, vterq; enim motus ab vna facultate & natura fit, in tremore verò nequaquam. In quo etiam à palpitatione diſsident tremor, quia in tremore ſurſum & deorſum ferũtur partes: in palpitatione verò ſurſum partes ſolùm eleuantur: diſsident enim inter ſe, ſurſum ferri, & diſtendi: & deorſum ferri & cõtrahi: nam quæ ſurſum ac deorſum feruntur, priore loco relicto, in alterum tranſeunt, quæ vero diſtenduntur ac contrahuntur, veterem ſedem ſeruantia loci circunſiti aliquid occupant, aliquid relinquunt: & licet vtriſque commune ſit præter naturam moueri, cum hoc tamẽ diſsident, quia in palpitatione maior & minor locus occupatur, non relicto primo: in tremore verò adeò loca mutantur, vt in eâdem ſede non maneant. Itaque palpitatio fit facultate & inſtrumento nihil per ſe agentibus, cum actio à ſolo morbo ibidem proficiſcatur: in tremore verò facultatem & membrum arbitrandum eſt per ſe affici: quo fit, vt Galen. aduertat. 2. de cauſ. ſymptom. cap. 3. hæc ſymptomata differre affectus natura, loco affecto, accidentibus & cauſis, ſiquidem palpitationis cauſa eſt repletio inſtrumenti flatuoſa, tremoris verò facultatis impotentia, & inſolita ac pręter naturam inſtrumenti grauitas. Quo fit vt cor rarò contremiſcat ex inſolita grauitate, ſed ob aliam cauſam vt mox referam, ſi priùs dixero cordi rarò accidere verum tremorem, ſi quidem is ſolùm partibus ſe mouentibus imperio voluntatis ſuccreſcit, tremit tamen, cæterum ſpurio tremore, in quo partes quæ tremunt debiles quoque eſſe oportet, & aliquid ſimul, quod facultatem ad motum laceſſat. Sic enim cor & arteriæ debiles facilè tremore corripiuntur ob quemuis morbum qui viribus incommodet, quo pulſus fiunt formicanti perſimiles. Aliter etiam & multis modis cordi ſuccreſcere poſſunt huiuſmodi tremores (quos licet ſpurios nuncupemus facta collatione ad legitimum tremorem, cordi tamen proprij & legitimi ſunt habendi, quandoquidem aliter cor tremere nequit.) vt mox à principio dictum fuit, vno è tribus modis, nimirum contremiſcendo, vel ſubſultando, vel vtroque modo: obtremiſcendo verò fit velut in his qui rigent in principijs acceſsionum contingit: ſubſultando autem fit per motum compoſitum ex tremore & motu conuulſiuo, cuius ſimilis motus in piſcibus videtur aut moribundis aut vibratione reſilitioneue molientibus euaſionem, cum partes neruoſæ auferre ſe à ſuo contrario mordente aut opprimẽte nituntur: ſubſultãt igitur & ſubſiliunt, haud ſecus ac ſi iacentis corpus pungatur, quod vniuerſum ſimul attolli non poteſt. Quo fit vt non ſit à ratione alienum aliquem conſtituere tremoris modũ, ex tremore & motu conuulſiuo conflatum; ſiquidem in eâdem parte optimè poteſt eſſe & facultas infirma ab oppreſſione materiæ grauantis ſimul & mordentis, ita vt membrum contremiſcat ob facultatis infirmitatem, deſiliat etiam ob conatum à morſu concitatum: non enim facultas eſt quæ tremit, vt in vero tremore, ſed membrum & ſubſtantia neruoſa, cuius cauſa eſt imbecillitas: hæc enim affectus eſt facultatis: tremor verò partis ipſius. Sic enim cùm manus ægri ſubſiliunt, aut partes aliæ ad manũ Medici ſubſultant, imbecillitatem facultatis ſubeſſe, & partes neruoſas affici neceſſum eſt, vel per ſympathiam cerebri, vel per primogeneũ affectum: quod pari ratione de cordis tremore ſubaudiendum eſt.

Sed huius ſymptomatis triplex poteſt eſſe cauſa: nã partes deſiliũt oppreſſæ à copia & malignitate materiæ, ſub qua vnico tractu ſe ſe conantur excitare, nec poſſunt: qui motus in corde propriè tremor eſt, non qualis ſenũ, ſed morboſus, medius inter verũ tremorem & motum conuulſiuũ. Succreſcit non rarò hæc affectio incẽdij febrilis acrimonia, quia vellicantur neruoſæ partes vehementer reſiccatæ atq; *Cauſæ tremoris cordis.*

reuellũtur,quia motũ habẽt nerui quo ſe retrahãt & veluti diſſiliãt: facultas enim ab eãdem cauſa laceſsita,dũ noxã pellere nititur,partẽ mouere nitẽs,tremulũ tantum præ infirmitate motũ excitat: quo fit,vt pars quodãmodo cõtremiſcat in ſe ſe cõtrahens,& cõuulſiuo motu ſubſultet.Itaq; fiunt huiuſmodi tremores vel à copia humorũ,vt in morborũ initijs:vel ab ſpirituũ agitatione & collectione,vt in animi affectib⁹:vel ab intẽperie magna partiũ neruoſarũ,vt in ſtatu febriũ ardentiũ, ex quo phrenitidẽ & cõuulſionẽ ſequi cõperimus:vt nõ rarò contingit febriẽtibus febre maligna,ſicut lingua tremula oſtẽdit.Tremit itaq; cor ob febris incẽdiũ (vt dictũ eſt)ſpiritus conterẽs & facultatẽ,vt dixerat Gal.2.apho.41.licèt aperte palpitare vehemẽter dixerit:quod verbũ de tremore ſubaudiendũ eſt, ſiquidẽ palpitatio nõ prodit à facultate ſiue deiecta,ſiue ſecus,ſed tremor. His habitis arbitrandũ eſt huiuſmodi tremoris naturã & cõditionẽ ab imbecilla fieri facultate:& cũ vires in ſpiritu,humore & ſolidis mẽbris contineãtur,interdũ ſpirituũ diſsipatione aut collectione tremor fit,vt in affectibus animi cõperimus:interdũ humorũ ac ſpirituũ reſolutione aut euacuatione,vt in fame,laſsitudine,vigilijs,curis & immoderata venere:in acutis verò ſæpius,vel oppreſsione à materia,vel vehemẽti ſolidarũ partiũ intẽperie,vt ſiccitate in phreniticis.Deniq; tremoris cordis potiſsima cauſa eſt,omnis quæ ipſum imbecille reddere poteſt,& cum hoc ipſum excitare ad pulſum aduerſarij ſucci,fuliginis,ſpirit⁹ aut cuiuſuis alterius venenatæ ſubſtãtię,quib⁹ ſæpe pulſus fit tremulus & formicanti ſimilis,vt in febribus malignis nõ rarò cõſpicimus.Quibus rationib⁹ arbitrandũ eſt,quod licèt legitimi & mixti tremores grauiſsimis morbis ſuccreſcãt,ſalutis tamẽ aliquãdo poſsũt eſſe cauſa & ſigna:(cũ videlicet à cerebro ad neruoſas partes & ſentiẽtes,mordaces, acres & malignos mittit natura humores,vt Hipp.ſcribit in frigido & humido ſtatu.1.epid.qui conuulſiones multis contigiſſe innoxias retulit)cũ hoc tamẽ cordis tremores à quacunque cauſa oriantur,non leue periculum minari eſt credendum.

Signa. Signa verò harũ affectionũ vanum eſſet ſcribere,cùm ipſa ſymptomatis ratio facilè ſeipſam oſtẽdat: cõũ hoc tamẽ cauſarũ ſigna docere, nõ erit abſre,cùm id curaturo vtilius exiſtat.Palpitationẽ itaq; fieri à flatu diſces,non ſolũ ex anteacta vita, ſed ex flatu ante acceſsionẽ per diuerſas corporis partes vagante,ex leuamine eo excreto,ex ventris præcedẽte murmurio.Conſtat etiã,quia ex leuiſsima corporis motione in palpitationẽ procidit laborãs, cũ difficili reſpiratione & palpitatione in tẽporibus,apparentibus etiã partibus oculorũ cauis:quibus accedunt repẽtini dolores,qui ſtatim ſua ſponte ceſſant,& accedit oculorũ obtenebroſitas,& ſonitus ac ſibilus auriũ.Sed à qua parte flatus oriãtur (quod ad curationẽ tãti eſt momẽti) à cuiuſq; partis ſymptomatis facilè diſtingues,& diligẽter venaberis. Fieri tamen ab aquoſitate in pericardio contenta conſtat,quia ſic affecti ſine cauſa manifeſta contabeſcunt,cum cor videatur vehementer pulſare,& cum hoc febricula hecticæ ſpeciem referens ſuccreſcit, quòd ventilare cor liberè vt par eſt, nequeat. Feruorem ſanguinis noſces ex ætate, ex ſuppreſſa ſanguinis vacuatione, ex ſiti,ex difficili reſpiratione,& thoracis anguſtia,ex oculorum inſolito rubore & tumore , ac rurſus ex ſubſidio à frigidis. At in tremore cordis, pulſus arteriarum inæquales fiunt magnitudine,celeritate,crebritate & vehementia: qua lege id ob alias cauſas fieri diſces lib.noſtro de pulſus arte & harmonia.At ſolẽt(licèt rarò) arteriæ tremore affici,corde nequaquã læſo, quod diſces altera manu carpo adhibita altera verò thoraci,quibus diſparem motum comperies,aut eiuſdem ordinis, ſi vtraque pars afficiatur.

Præ-

Præſagium quidem docet formidabile membri affecti præſtantia & dignitas,in quo ſanè nulla affectio leuis eſt,neque cõtemni debet,quãuis primo acceſſu mitis & parui momenti videatur.Tremores enim à quauis oriãtur cauſa(niſi ex animi perturbatione fiant)cũ ex imbecilla facultate vitali prodeant,iam ſola hac ratione vereri oportet, nedum cùm cauſa adeſt cor & arterias præter naturã grauans,quę iuxta cor exiſtens periculum minatur ſyncopes.Sic profectò palpitatio pari ratione idem malum portendit,& maximè cùm ex aqua in pericardio contẽta, aut ex feruente prope cor ſanguine oritur,facilè enim cordi inſidiãtur huiuſmodi humores:maximè ſi flatuoſum quid acceſſerit,nam inopinatò hominem interimit, vt Gal.aduertit.2.aphor.45.& experimento quotidiano comperimus. *Præſagiũ.*

Quibus exactè penſatis,medẽdi ratio in palpitatione duplex exiſtit: altera quæ palpitationi ipſi proficua ſit:altera verò quæ cauſæ quæ flatũ mouet,aut illi materiam ſuppeditat infirmando prouideat.Palpitationi verò dũ viget, duplex auxilij genus ex vſu eſt:vnũ quod cauſam illidat,hoc eſt flatũ diſcutiat:alterũ verò quod cordi prouideat.Nã vt anteà dictũ eſt, licèt plerumq; flatus in hoc malo reperiantur,cũ hoc tamen in ſpuria palpitatione,quæ ex ſanguinis feruore aut pericardij inũdatione prodit,tutũ non eſt primo acceſſu quæ calida ſunt adhibere.Quapropter,ſi ex ſanguinis feruore malũ oriatur,primitus vt Gal.eſt conſiliũ.5.de locis, nec non Auic.& aliorũ ex eius familia,ſanguis mittendus eſt ex dextro brachio : verũ hoc facto,aut ſi craſſum ſanguinẽ redundare ſit cõpertum,& ex eo craſsũ vaporẽ eleuari,ex ſiniſtro, aut ex ſaluatella eiuſdẽ manus,ſicut dũ menſes aut hæmorrhoides ſupprimũtur,ex talo,aut per cucurbitas ſuris affixas & ſcarificatas,vel per hirudines hæmorrhoides ſugentes.Satius tamen duxi,ſi morbus per anni tempora ſtatuta reuertatur,maximè tempore hyberno,ante tempus cõſuetũ ſanguinẽ mittere cauſa præcautionis.Quòd ſi ne hæc quidẽ prodeſſe videãtur,vt aliquantulũ ceſſent palpitatio & anxietas,ſcapulis cucurbitas cũ ſcarificatione adhibebis, quibus à parte affecta humor deriuetur,aut vapor euaneſcat . Prætereà iuuenibus & alijs qui ex ephebis exceſſerunt,vel ſuppreſsione ſanguinolẽtæ vacuationis ſic afficiuntur,aut ijs qui vino & carnibus ſe inuitarunt,aut rurſus fœminis ipſis,præſertim iuuenculis,vel nuper viduis,plus quã mediocrẽ ſanguinis copiã demere non erit abre,dũ modò id per interualla duorũ triumue dierũ fiat,& dũ laborans palpitatione non premitur,ſed in hora quietiore.In alijs verò qui pericardij inundatione laborant,nuſquam,ſi macie iam affici inceperint, ſin aliter parciùs & rariùs, ſolùm vt quod vires cordis premit, modicè diſtrahatur,minuſq; febricula(quæ forſan ob defectum commodæ ventilationis ſuccreſcit)vigeat:atque hoc eſt quod primò exequendũ venit in ea palpitationis ſorte,quam ſpuriam aut illegitimam cẽſemus ex prædictis cauſis ortam.Qualiter verò extrinſecus vtrique liceat ſubuenire, paulò inferiùs leges,dũmodò ſtatuas in ea palpitatione quæ à ſanguinis feruore & vbertate prodit,neque calidis,ne maior fiat efferueſcentia,vtendum eſſe, neque frigidis,ne efflu xu vaporum prohibito,vehementior ſuccreſcat palpitatio:ſat enim eſt in his,temperatis,roborantibus & odoriferis vti,quorum infra latiùs meminero. *Curãdi ratio.*

Secundò verò his & reliquis omnibus qui ex frigida cauſa prodeunt,& flatũ au thorẽ immediatũ habent legitimæ palpitationis,ex vſu ea auxilia ſunt,primò quę auertant à corde & diſtantiùs pellãt quod cor labefactat & perdit.Id enim perficit cucurbitarũ vſus in dorſo è regione cordis:in fœminis verò in femorib⁹ aut ſuris frictiones & ligaturæ,lauacra atque id genus alia,quibus flatus aliquo modo diſcutiantur diſtrahanturque ad extima.Quem vſum præſtant extrinſecus etiam adhibita,

hibita, quæ flatus diſcutiunt, qualia ſunt modicè calida, veluti vinum, aqua vitæ, aqua naphæ, trifolij & aliarum herbarum calidarum aut aromatũ, quibus epithemata confecta, interim dum maioribus datur locus, non parum proſunt: cuius naturæ etiam ſunt olea aut inunctiones cum diambra aut diamuſco, item & ſacculi ex floribus & herbis calidis. Verùm quia rarò his & alijs quæ inferiùs ſcribã, quis tutò vti poteſt citra vniuerſalem prouidentiam, ob id ſi conſtiterit, frigidum craſſumue humorẽ flatibus materiam præſtare, & cũ hoc cor frigida intemperie affici, primo acceſſu victum porriges humiditatis im modicæ ac flatus expertẽ, boni nutrimenti & facilis coctionis, qualis eſt auiũ, vitulorũ, arietũ, cuniculorũ & capreolorum caro, plerumq; aſsa, & nonnunquam elixa, ſed aromatis & his herbis ac ſeminibus, quæ bonũ conciliant odorẽ præparata. Potus ſit vinũ tenue, aquoſum, ſed vetus & optimi odoris, dilutũ tamen aqua meliſſæ, cinnamomi, corticũ citri aut ſaſa fraſæ Indicæ, vel cuiuſuis alterius rei aromaticæ & calidæ ac flatus diſcutientis, vt ligni aloës & radicis Chinæ. Caueat inſuper laborãs à perturbationibus animi: ſit in aëre lucido, cubiculo ſicco, & aromatis olfactui gratioribus ſuffumigato. Tandẽ facta ſanguinis detractione (nam in his quoq; Gal. ſanguinẽ mittere iubet, ſi caſus nimis vrgeat, cautè tamẽ & viribus cõſtantibus, ac parcè) curandũ eſt humorẽ purgationi parare, & ſimul eiſdem præſidijs flatus diſcutere: id quod facies melle roſaceo cũ modico oxymellite, ſyrupo de corticibus citri aut hyſſopi, addito modico oxymellite ſquillitico. Poteris etiã conficere ſerapiũ (maximè ſi ex aqua in pericardio malũ oriatur) ex decocto capillorũ veneris, caryophyllorũ & ligni aloës, braſſicæ marinæ, thymelææ, ſeminis cartami, graminis, ruſci, aſparragi, rubiæ maioris, ſeminis aniſi & petroſelini cũ melle & ſaccharo, cui addes oxymellitis modicũ. Verũ quia tutius lõgè eſt in huiuſmodi affectionibus ſæpius & leuiter purgare, quã rarò & confertim, tunc quidẽ huic ſyrupo addere oportebit ſeminis cartami cõquaſſati pro libra. ʒ. vij. foliorũ ſenæ. ℥. j. ß. facta ebullitione colentur & laborãti præſta. ℥. iij. ſũmo mane. Purgabis pituitoſum humorẽ infuſo quod recipit agarici. ʒ. j. foliorũ ſenæ. ʒ. ij. turperti. ϑ. ij. facta colatura adde mannæ electæ. ℥. ij. vel ſyrupi ex infuſionibus roſarũ. ℥. iij. Itẽ veteris pilulis maſtichinis, de rhabarbaro cũ modico agarici, alephãginis & aggregatiuis aut alijs quæ cõficiũtur ex agarico, maſtiche & aloë pari pondere cũ ſucco braſſicæ marinæ. Sed vtiliores cõficies ex terebinthina abietis cũ puluere hieræ ſimpl. Gal. ac ſi laborãs nimis anxius ſit, cũ puluere diamargaritonis frigidi, vel electuarij de gemmis, ſuperbibito decocto ex radice carlinæ, vel ſcorcioneræ. Melancholicũ itẽ humorẽ præparabis his quæ ſæpiſsime retulimus ſyrupis, vt borraginis, bugloſſæ, violarũ, de pomis, & corticibus citri, ac fumariæ cum aqua melliſſophylli, lupulorũ & borraginis. Quẽ etiã purgabis ex ſero lactis capri ni, aut aſinæ, in quo maduerint foliorũ ſenæ & epithymi, ana. ʒ. ij. corticũ mirabolanorũ Indorũ. ʒ. iij. colaturæ adde ſyrupi ſolutiui roſarũ, aut ſyrupi D. Auguſtini. ℥. iij. vel mãnæ. ℥. ij. aut ſyrupi infuſionũ violarũ. ℥. iiij. Cuius efficaciæ ſunt prunæ damaſcenæ ſaccharo & decocto ſenæ cõfectæ: tandẽ curatio omnis inſtituẽda eſt ad modũ curationis melãcholiæ. Hoc vnũ habet huiuſmodi affectio peculiare, quòd maximũ ſuſceptet leuamẽ ex clyſteriũ purgantiũ & reſoluentiũ vſu. Quapropter, omni diligentia curandũ eſt, flatuũ materiam minuere, diſtrahere & ad inteſtina clyſteribus diuertere.

Quibus factis, reſoluẽtibus vteris, & his quæ vim habẽt conterẽdi humorũ & flatuũ reliquias, ac roborãdi cor ipſum. Sed vt his ſecuriùs & vtiliùs vti poſsis, expẽde, frigida exiſtente cauſa, aut copioſiori exiſtente flatu, primò corpus oportere diſpo-

ponere vſu aquæ calidæ ante prandium & ſummo manè ſumptã, frictione etiam deinceps per vniuerſum corpus leuiter facta: à quibus cor ipſum intus & extra roborabis, auxilio quod recipit, corticis citri conditi, mirobalanorum conditorum, nucis muſcatæ conditę, conſeruæ anthos, violarum & bugloſſæ, ana. ʒ. ij. ſpecierũ diamargaritonis calidi, aromatici roſati, lætitiæ Galeni, ana. ϑ. ß. ſacchari roſati ad pondus omnium fiant trochiſci, quorum bis die exhibe. ʒ. ß. Eiuſdem efficaciæ eſt illud quod recipit theriacæ de citro. ℥. ß. diamoſci dulcis. ʒ. ß. confectionis alkermes. ʒ. j. conſeruæ bugloſſæ. ℥. ij. pulueris electuarij de gemmis & diamargaritonis calidi, ana. ʒ. ß. ſyrupi bugloſsi quod ſufficiat vt fiat confectio. Prodeſt & id quod recipit corticis citri conditæ, conſeruæ borraginis & meliſſæ, ana. ℥. j. alkermes, mythridati veteris ana. ʒ. ß. fiat bolus, & manè ſume. ℥. ß. præſtat etiam mythridati aut theriacæ. ʒ. j. cum modico vino aut aqua meliſſæ, naphæ, ſcorcioneræ aut cardiacæ. Ex quibus etiam efformantur morſuli cum. ϑ. j. diambræ aut diamuſci, vel confectionis xiloaloës aut cinnamomi, addita. ℥. ß. ſeminum melonum cum ſaccharo aqua roſacea diluto. Sed inter omnia auxilia huic affectioni proficua, incredibilis efficaciæ exiſtũt rhapõtici. ϑ. ij. ex vino: aut vinũ in quo maduerit idẽ rhapõticus, panax, ariſtolochia rotũda aut fœnugræcũ. Itẽ parabis aliud quod recipit confectionis alkermes. ℥. ß. conſeruæ radicũ bugloſſæ. ℥. j. cõſeruæ florũ anthos. ℥ ß. pulueris diamargaritonis frigidi. ʒ. j. cum ſyrupo de pomis fiat opiata. Quòd ſi ex flatu malũ oriatur, id conficies quod recipit aromatici roſati. ʒ. ij. diarrhodonis, & alkermes, ana. ʒ. ß. corticis citri ſaccharo cõditi. ℥. ß. cõſeruæ bugloſſæ, & anthos, ana. ʒ. iij. fiat cum ſyrupo de pomis. Mirabilis etiã eſt efficaciæ aqua arte chimica extracta, quæ recipit cordis porci, num. ij. cordis cerui vel bouis, numer. iij. caryophyllorum, galangæ, ſeminis baſiliconis, ana. ʒ. iiij. & ß. macis. ʒ. iij. florum bugloſſæ & borraginis, ana. p. j. florum anthos. p. iij. temperentur in vino per noctem & diſtillentur in alambico, & doſis ſit. ℥. ß. ex qua etiam cum ſaccharo fiat iulep, addita aqua roſacea vel hordei: nam hac lege proderit etiam cauſæ non frigidæ: nec minoris momenti eſt idem cor porci aſſum, & cum caryophyllis comeſtũ. Maximi etiam eſt vſus ſtillatitia aqua ex cinnamomo, ex aniſo, ex liquirizia: aut aqua in qua hæc & cortices citri incoxerint, feruens exhibita: vel aqua naphæ aut ſcorcioneræ cum granis quinq; diamuſci aut dianiſon vel diaciminon. Tandem hunc vſum præſtant calida omnia, non ſolùm per ſe exhibita, aut adinuicem commixta, vel aqua liquata aut conſeruis roſarum & borraginis exhibita, ſed etiam cum caponibus, perdicibus, aut columbis aſsis inſperſa, ita vt lardo aliquo prædictis carnibus adhæreant, quantum ſat ſit vt vires & odorem eorum concipiant. Quem quoque vſum præſtant gallia muſcata, alipta muſcata, pliris archoticon, diamargariton calidum, electuarium de gemmis cum ſpeciebus, lætificans Galeni, theriaca, mythridatum, cubebæ, ros marinus, galanga, amomũ, cardamomum, fœniculum, aniſum, ambra, ſtirax, calamintha, moſcus, lignum aloës, caryophylli, cinnamomum, cortex citri, nux muſcata, ſemen baſilici, & vinum Hippocras appellatũ, quorum mille modis effingere poteris huic vſui medicamenta proficua. At vbi venenoſæ auræ ab vtero aut ab alia parte elatæ ſuſpicio eſt, prodeſt confectio de aromatibus: conferunt & trochiſci moſcati, quorum deſcriptio talis eſt. Excipe maſtichis, ſpicæ, xiloaloës, cinnamomi, caryophyllorũ, galliæ muſcatæ, cubebarum, cardamomi, granorum paradiſi, corticum citri, ana ϑ. iiij. cum vino odorifero fiant trochiſci ponderis. ʒ. j. Exteriùs tamen cordi prouidebis fotu quo flatus cor affligentes ſecurè diſcutias: qui recipit foliorum borragi-

nis;cichorij,meliſæ,& oxalidis, ana. m.j. carnis pomorum dulcium odoratorum ℥.iiij.corticum citri.℥.ß.cinnamomi.ʒ.iij.bulliant in lib.iij.aquæ roſaceæ ad conſumptionem tertiæ partis,& adde vini albi.℥.iij. aceti roſati. ℥.j. & calido partem iuxta cor fouebis filtro ſerico. Quo facto cor inunges vel vnguento naphæ cum pulueribus electuarij degemmis,vel linimento quod recipit vnguenti roſarum.℥ j.vnguẽti naphæ.℥.ß.cinnamomi.ʒ.ß.corticis citri pulueriʒati.℈.ij.muſci, ambræ ana.℈.ß.floris nenupharis & violarum,ana.ʒ.ß.miſce & fiat vnguentũ cum modico oleo roſaceo.

Verùm ſi cordis intemperamentum, ſiue calidum ſit,ſiue frigidum,ab alicuius viſceris obſtructione prodierit cõſenſumq; traxerit,nullo alio auxilio cauſis, morbo & ſymptomati citiùs ſubuenies,quàm præſtito ſyrupo de ſcoria chalybis, cuius efficacia fidiſſimo experimento probatiſſima eſt ;ſiue laborans exercitio vti poſſit,ſiue ſecus.Recipit quidem aquæ lupulorum lib.iiij.extinguantur quater ſex vnciæ chalybis igniti,& poſteà aliæ ſex vnciæ chalybis pari ratione quater extinguãtur in prædicta aqua, & facta colatura adde ſcoriæ chalybis præparati aqua roſarũ ℥.vj.paſſularum ſine nucleis.℥.iiij.macerentur per tres dies in prædicta aqua chaly beata,& poſtea bulliant ad conſumptionem tertiæ partis,& facta iterum colatura adde radicis rubiæ & rumicis,ana.℥.ij.radicis cichorij & fœniculi,ana.℥.j. ß. agrimoniæ & capillorum veneris,ana. m. ij. iterum bulliant & poſt ſeparationem ab igne adde foliorum ſenæ.℥.ij.ſeminis cartami conquaſſati.℥. j.& facta poſt refrige rationem mediocri expreſsione,adde ſacchari quantum ſufficiat vt fiat ſyrupus, cui adde antequam refrigeretur,ſyrupi de duabus radicibus & cichorij, ana. ℥. ij. Huius autẽ medicamenti ſingulis diebus.℥.ij.ſummo manè porriges.Verùm ſi ad ſtrictioris ventris laborans fuerit,ſatius cẽſeo eſſe vti chalybe præparato eo modo quo dictum eſt latiùs lib.de fœminarum morbis.cap.de febre alba, quia prædictus ſyrupus cõmodior eſt his qui ſolutam habent aluum,aut oportet addere nonnihil foliorum ſenæ aut ſeminis cartami.

Si tamen cordis intemperamentum calidum fuerit(nam de frigidis ſatis hucuſque dictum eſt) ſerbueritq; ſanguis plurimum,tunc opus eſt frigidis præſidijs rem agere,adhibitis primò ſyrupis granatorum,de ſucco acetoſæ,roſarum & borraginis,cum aqua bugloſſæ,borraginis,ſcorcioneræ,cardiacæ & ſimilium.Sed præſtat cùm laborans in acceſsione eſt,ob prædictam cauſam,breuiter ſtillatitiam aquam in duplici vaſe parare ex iure pulli infarti floribus & radicibus cordialibus , cum pulueribus margaritarum & roſarum.Parabis etiam ſyrupum,qui recipit ſuccorũ depuratorum borraginis,acetoſæ,endiuiæ,citræ,pomorum olentiũ,ana.℥.iij.aquæ ſcorcioneræ & borraginis,ana.℥.iiij.pulueris electuarij de gemmis.ʒ.ij.confectionis Alkermes.ʒ.j.ß.bulliant leuiter,& facta colatura adde ſacchari quod ſufficiat vt fiat ſyrupus,quo vtatur bis die cum aqua ſtillatitia,cardiacæ,aut acetoſæ. Proſunt & trochiſci,qui recipiunt ſpodij,ſeminis cucumeris & citruli, endiuiæ, lactucæ,portulacæ,ſanthalorum alborum,pulueris roſarum,ana.℈.iiij.camphoræ. ℈. j. cum modico ſucco citruli fiant trochiſci pondere.ʒ.j.quem ſumat cum modico vino,aut aqua in qua maduerit lignum aloës.Ex vſu quoque eſt potus aquæ roſarũ, vel aquæ frigidæ in qua ſæpius aurum ſit extinctum.Prodeſt & ſaccharum roſarũ album,aut rubrum cum pulueribus margaritarũ aut diamargaritonis frigidi, vel electuarij de gemmis ſine ſpeciebus cum aqua cucurbitæ aut ſtillatitia ex decocto hordei & ramentorum cucurbitarum cum ſaccharo:ad cuius penſum alia auxilia non minoris momenti parare poteris,licèt exteriùs in hac æſtuoſa cauſa tantùm liceat

liceat quæ temperata ſunt adhibere,intus verò frigida , quibus feruor & exuſtio compeſcatur refrigereturq;,ac minus ſubinde flatus concitentur.

Nec omnino poſthabenda eſt in reliquis cauſis externorum auxiliorum commoditas:nam cauſa exiſtente frigida,primò è regione cordis ea adhibebis, quæ præter id quod flatus diſcutiant,cor ipſum calfaciant & roborent, quale eſt vnguentum naphæ aut oleum eiuſdem,vel oleum extractum arte chimica ex cinnamomo,aniſo,ſemine angelicæ,vel de Mathiolo, cum ambra,moſco,diambra, vel diamoſcho,cum pulueribus ex cortice citri, caryophyllorum, electuarij de gemmis cum ſpeciebus,ligni aloës,ſeminis angelicæ & aliorum quæ ſuperiùs ſæpiſsime retulimus,maximè ſi deſuper poſueris pomum aſſum vino odorifero irroratum, aut aqua naphæ vel trifolij,limoncelæ aut aqua vitæ.Proſunt & epithemata , quæ fiunt ex aqua meliſſophylli,calendulæ,cardamomi,vino odorifero , cinnamomi, caryophyllorum,vel ex eiſdem pulueribus oleo irino vel iaſminorum exceptis,& facto linimento.Ex vſu etiam ſunt inunctiones,fotus & ſaccelli qui parantur hoc modo:Excipe caryophyllorum,roſarum,florum anthos,ana.ʒ.ij.corticis citri, macis,ligni aloës,ſanthali albi & rubei,ſeminis ocymi,& angelicæ, ana.ʒ.j.ſpicæ celticæ & lauendulæ,foliorum lauri,ana.ʒ.ß.pulueris diamargaritonis calidi. ℈.ij. pulueriʒentur omnia & cum vino aut aqua naphæ cordi applicentur,aut ex eiſdem fiat ſacculus in ſerico rubro. Alter verò recipit florum bugloſsi,citranguli & ſeminis angelicæ,ana.ʒ.ij.corticis citri,cinnamomi,caryophyllorum,zedoariæ,doronici,ana.ʒ.ß.roſarum & croci,ana.℈.j.muſci & ambræ,ana.g.v.pulueris granæ.ʒ. ij. miſce & fiat ſacculus.Ex quibus etiam facto decocto in aqua naphæ, cardiacæ aut ſcorcioneræ cum modico vino,fotus parari poſſunt cum filtro ſerico.Verùm ſi ex pericardij ſeroſo humore malum oriatur, eiſdem ſubueniendum eſt incremento mali & acceſsionibus eius:nam radicitus id extirpare,difficile iudico. Verùm ſi ex calore & feruore iuxta cor palpitatio fiat,ipſius regionem inunges vnguento roſaceo aut ſanthalino,vel oleo roſaceo,adiectis tamẽ quæ modicè calfaciant, velut eſt oleum naphæ vel iaſminorum cum pulueribus granæ,diamargaritonis frigidi & parum ſeminis baſiliconis:reliqua verò quæ frigidioris ſunt conditionis, extrinſecus fugienda eſſe arbitror. Plura tamen huic muneri apta reperies tom.2.cap.de præſidijs cordi calfaciendo,aut refrigerando aptis.

Tremor verò duplicem etiam habet medendi rationẽ:prima quidem eſt, dum tantùm aut ſua ſponte aut ex morboſa cauſa labitur facultas,quòd citra mẽbri ſibi commiſsi vitium,nequeat ipſum vt fas eſt,mouere,ita vt naturale membrum illi graue efficiatur.Quo tempore ea præſidia ei ſunt adhibenda,quæ ſenibus & conualeſcentibus proficua exiſtunt.Cæterùm dum cor ob aliquem tumorem in maiorem molem creſcit,aut aliqua occaſione majorem congregat humorum copiã, ita vt eo facultas vti liberè non poſsit,ſed illi exiſtat veluti onus & impedimentũ: eo tempore antequam facultatem roboremus,neceſſum eſt copiam deponere, ſi plenitudo ſit,ſanguine miſſo:ſi cacochymia,expurgãti medicamẽto.Quòd ſi mordax aut venenatus aliquis halitus cor aliqua cauſa deiectum ad tremorem laceſſerit,verendum eſt ne maius aliquod malum ſuccreſcat,ac protinus ſubueniẽdum eſt,vt diximus in ſyncope debere fieri:ſi verò in ſolidis partibus cordis aut corporis imbibita ſit extranea aliqua ſubſtantia,rem agere oportet his præſidijs intus & extra adhibitis quæ paulò ante palpitationi conuenire diximus: nam hæc præter naturam quam habent diſcutiendi,firmant roborantq; viſcus ipſum,niſi humoris abundantia ex calidorum ſit ſuccorũ : nam eo tempore temperatioribus epithe-

matis rem agere oportebit, vt abũde anteà dictum eſt in curatione palpitationis: nam quatenus ad indicationem attinet, conſimilia expoſtulant præſidia, quæ bis in tam breui ſpatio repetere nõ licet. Habet inſuper huius affectus curatio hoc peculiare, quòd ſi tremor ſit ex communi cauſa ortus, vt in ſenibus & conualeſcentibus contingit, refectoriam artis partem exoptat: verùm ſi ex cauſa ſit morboſa, haud ſecus quàm paralyſis curationem inſtituram deſiderat. At ea tremoris natura, quæ mixta eſt ex tremore & conuulſione, quam plerumq; alijs morbis grauiſsimis ſuccreſcere ſcimus (vt malignis febribus & omnibus alijs morbis quorum humores aut halitus caput feriũt) eam curãdi rationem ſortitur quam & morbum, cuius eſt accidens, expoſtulare conſtiterit: quippe præmiſsis vacuationibus curandũ eſt lenire neruaceã ſubſtãtiam, maximè iuxta dorſum, ac reſoluere quod ibidem naturam laceſsit, his quę mollia ſint, & modicè reſoluẽtia: cuius naturę eſt oleũ de ſemine cucurbitæ & ſeſami, amygdalarum dulcium, irinum, liliorum alborum, & in ſenibus & diu patientibus hunc tremorem coſtinũ, de flore roris marini, de la bendula: ſed maximè oleũ theriacæ aut balſami, vel petrolei, quibus aliquid emollientium addes. Proſunt & balnea, maximè ſulphurea in inueteratis affectionibus. Atque de neruorum tremore hęc dixiſſe hac in parte ſatis ſit, quia reliqua non pertinent ad hoc caput.

LAVS DEO.

DE INTERNORVM MORBORVM curatione

LIBER TERTIVS.

Diſſerit liber hic tertius affectiones omnes quæ ventriculo & inteſtinis ſuccreſcunt, & earum omnium curationem diligenter expendit.

De cardiaca paſsione, ſeu oris ventriculi dolore.

Cap. I.

EST profectò ventriculus ratione officij, vna ex præcipuis corporis particulis, nam & toti corpori appetit alimentum, & conficit: ac licèt non ſit ex tribus partibus, quas Medici appellant principes, vna, habet tamen peculiare quoddam munus, quo æquari reliquis videtur: nam & ſenſu pollet, ita vt nulla corporis particula exactiorem obtineat, & naturali etiã potentia viget, adeò vt ſolus alimentũ perficiat prima ſui cõfectione. Quippe liquat, mutat, & fæculẽtum omne ac excrementitiũ propria actione ab optimo ſecernit alimento: deniq; ſenſu tactus cerebri dignitatem æmulatur, coctione facultatem iecoris, ac diſtributione & ſeparatione excrementorum reliqua membra excellit. Expendiſſe tamen oportet, hęc omnia opera non fieri in omnibus ipſius partibus: ſed appetentia animalis cibi & potus quæ illi ſoli præſtita eſt (qua nomen etiam principis meretur) in eius ore viget & propria munia exequitur: coctio verò elucet magis in vniuerſo eius corpore, ſicut excrementorum eductio in ea parte, qua inteſtina diſſeminantur, & alimenti diſtributio ope meſeraicarum perficitur. Quamobrem neceſſum eſt partiri ventriculũ ipſum in tres potiſsimas regiones: nimirum in oſculum, cui exactiſsima inest ſentiendi potentia: in œſophagum, quod veluti delatorium viaq; eſt alimenti: vltimò tandem in fundum, receptaculum quidem & officinam alimenti. Prima quidem pars appetitui deſeruit: ſecunda vomere & vomere præſtat: tertia confectioni alimenti eſt dicata. Quamobrem affectiones huius membri in tres potiſsimum partiri oportebit: in eas quidem quæ ei accidunt vt parti ſentienti, & ob id appetitui deſtinatę: & in eas quæ officio œſophagi aliquando ſuccreſcunt: tandem vltimò in eas quibus frequentiùs corpus ipſius ventriculi afficitur: initio tamen ſumpto ab his quæ ventriculi ori non ſine periculo ſuccreſcere conſpicimus.

Accidunt quidem ori ventriculi duo morborum genera: primum quidẽ quatenus particula eſt ſenſus particeps: ſecundum quatenus appetendi præſtat munus. Sic profectò dum ſenſus particeps eſt, inſigne quoddã patitur ſymptoma, nimirũ dolorem: nam propria paſsio eſt ſenſus tactus: cuius tantùm toto hoc capite memi-

miniſſe inſtitui. Eſt itaque cardialgia Græcè, id quod Latinè cordis dolor: nã apud Medicos veteres os ventriculi cor nominabatur, ad differentiam alterius viſceris in medio thoracis ſiti, ſpeciali nomine cor etiam appellati. A quo ſumpſit antiquitas occaſionem vſurpandi ſpeciale nomen, tribuendique ori ventriculi, ob grauiſſima ſymptomata, quæ ex huius viſceris affectionibus ſuboriri ſolent, ſimillima his quę vero cordi accidũt. Quæ omnia illi euenisse cõſtat ob exactiſsimã ſentiendi potentiam, per ſextam neruorum coniugationem illi à cerebro præſtitam. Quo ſenſu pollet. Quam huic viſceri præſtitiſſe naturam conſtat: non dignitatis gratia ſolũ: quippe alia ſunt ipſo digniora, ſed quia famis erat futurum inſtrumentum, tam vt ex naturali ſuctione moleſtiam dolorem & famem perſentiret, oportebat exactiſsimo pollere ſenſu, alioqui id erat impoſsibile. Quo fit vt cardialgia à me hac ratione diſsideat (licèt vterque affectus ſit in ore ventriculi & ob eius exactum ſenſum) quia cardialgia fit à cauſis omnino præter naturam, & cum ſenſus illius partis ſit exactiſsimus, grauiſsimi ſuccreſcunt dolores, fames vero à ſuctu qui cauſa eſt naturalis, & ob id nõ acerbiſsimus dolor, ſed molieſtia quæ fames dicitur & alimento ſedatur. Prætereà efficitur in hac parte acerbiſsimus dolor & mille periculis expoſitus, ob conſortium & colligantiam quam obtinere comperimus cum præcipuis membris: nam præterquam quòd cordi non parum accedit, arterias ab eo recipit, per quas mox in quouis affectu ipſum in cõſenſum trahit: ac ſyncopem accerſit, cerebrum quidem, per inſignes has neruorum propagines, & epilepſiam aut animi deliquium, & vertiginem: iecur per venas, ac æruginoſos accerſi vomitus: ſplen per aliam, à multis coronalem appellatam: ita vt hac parte patiente neceſſum ſit prædictas compati, & ob id meritò dictum eſt à Philoſophis cor, ad penſum ſaltem affectionum eius. Appellatur enim prædicta affectio cardialgia ob dictam rationẽ: cum hoc tamen tria hæc accidentia nomine & natura illi ſimillima apud Medicos (præſertim Græcos) reperiuntur: cardialgia nimirum, cardiogmos & cardiachi, quæ licèt idem ſonare videantur & quodammodo aſsimilari inter ſe, longè tamen differunt, quibus profectò perperam vtuntur Medici, confundentes & nomina & reſipſas. Quippe cardialgia, nullo renuente, oris ventriculi dolorem ſignificat, quẽ affectum multi cardiogmos appellant: tamen Galen. quarta ſect. aphor. 5. cardiogmos ſignificare tantùm veri cordis motum palpitationi ſimilem, palam oſtendit, & tex. 17. cardialgiã cordis (hoc eſt oris ventriculi) morſum: ex quo loco conſtat cardialgiam & cardiogmos differre nomine, affectu & particula affecta. At cardialchi, non dolorem oris ventriculi, ſed languorem, reſolutionem & ſummam totius corporis impotentiam ex oris ventriculi vitio: itaque cõſtat differre nomine & re: nam aliud eſt os ventriculi dolere, & longè aliud exolui. Verùm licèt inter neotericos non deſint qui hæc etiam omnia animaduertant, nequeunt tamen conſtituere differentiam, quæ eſt inter exolui & dolere: namque os ventriculi nulla alia ratione pati poteſt, quàm eo quòd ſenſu tactus participet, ob idq; dolere neceſſum eſt & moleſtari, quia alio modo pati non poteſt niſi medio dolore: qua ratione neceſſum eſt differentiam conſtituere inter dolorem & exolutionem. Eſt namque dolor paſsio ex ſoluta vnitate prodiens, in qua partes quæ ſeparantur manent, & hac ſola ratione, cardialgiam conſtituit, vt 2. metho. & 2. de Hippocrat. & Plat. placit. apertè colligitur: quo fit vt iure optimo dictum ſit à Gale. 5. de vſu part. cardialgiam eſſe mordicationem oris ventriculi. At verò angor ſeu exolutio eſt diſsipatio ſolidæ ſubſtantiæ oris ventriculi citra vllum doloris ſenſum: quia fit ab intemperamento ſenſim & paulatim diſsipante ac diſcutiente ſubſtantiam, quæ ſeparatur: quippe

quippe non manent ſeparatæ partes, vt in cardialgia. Prætereà in cardialgia fit paſsio ſubitò & affatim, quod non paruam affert affectus differẽtiam, etiam ſi ab vna cauſa proficiſci poſsint. Ex qua affectus differentia prodit, cardiachi ſemper habere comitem febrem: cuius ratione & ex materiæ venenoſitate aut acrimonia proficiſcitur prædicta illius partis reſolutio, & partium etiam quæ illi propiores exiſtunt: quam affectionem ſæpe ſequitur ſudor diaphoreticus, in quem abit ſolida corporis & illius partis ſubſtantia: quem affectum ſic exprimunt Alexãder cap. 11. lib. 7. & Celſus lib. 3. cap. 19. At hæc accidentia in cardialgia ſubeſſe non eſt neceſſum: caret enim febre plerumq;, caret etiam ſudore diaphoretico, niſi in fine mali. Quinimò ſanis hominibus ob diutinam famem, mœrorem & alias animi affectiones, vbi plurimũ laborantes ſeſe defatigant, non rarò ſuccreſcere ſcimus. Quibus conſtat, quantum inter ſe differant: ſiquidem alter ex dolore prodit, alter verò ex diſsipatione ſolidæ ſubſtantiæ, in qua calor naturalis ſubijcitur: itaque aliud eſt affectum eſſe cardiacum, aliud verò cardialgiacum: hic ſanè noxa eſt functionis ſenſoriæ facultatis oris ventriculi: cardiacus verò affectus ſolùm eſt grandis exolutio eiuſdem partis & aliarum.

Cauſæ verò quæ prædictos affectus excitant, licèt aliquo modo ſimiles videantur, inter ſe differre, & certo etiam numero contineri conſtat: nam cum ex dolore oris ventriculi cardialgia ſuboriatur, certum eſt illi cauſam præſtare continui diuiſionem, quæ vel à re prodit diſtendente, vt à flatu, vel ſoluẽte ipſum, vt ab acri & mordaci humore, vel à phlegmonoſa affectione, quam bilioſus, calidus & æſtuoſus humor plerumq; molitur: qui licèt tumorem præter naturam non efficiat, ſoluit tamen partium continuitatem. Itaque cardialgiam efficit humor acris, crodẽs & mordax, aut venenoſus, qui deueniens ad os ventriculi, ſolutionem cõtinui molitur, ſiue bilioſus, ſiue aduſtus, pituitoſus, ſalſus aut acidus ſit, & qui vehementer impactus adhæreſcendo mordeat, aut ex maligno halitu, ſiue diſtẽdente, ſiue morſum inferente. Prodit etiam ex corruptis edulijs, ex intẽpeſtiuo frigidæ potu, maximè ſi mox ab exercitio fiat, & ventriculus propria natura excarnis exiſtat. Idem malum non rarò excitatur à purganti medicamento, maximè ſi ex vehementioribus ſit, ſin aliter ab attracto ad ipſum os ventris acri & erodẽti humore, præcipuè vbi per vomitum purgare nitimur, aut natura errans illuc humores trudit. Quòd ſi diu perſtiterit dolor, aut reuertatur poſtquam remiſerit, cauſa profectò eſt, quòd materia difficulter eradicatur, vel intemperamentum aliquod vitioſum ibidem relictum fuit, à quo iterum aggregatur ſimilis humor, vel vtrumque ſimul: maximè, quia ex dolore nonnihil ad partem perpetuò allicitur, præſertim ex iecore: cuius occaſione bilis retorrida in ventrem regeritur, quæ mordicationem inferendo id malum efficit. Id etiam fabrefacit animi affectus, retroeuntibus ſubitò prauis humoribus & ſpiritibus: idem etiã fames immodica, corpore exiſtente bilioſo, quæ cogat humores acres & bilioſos in os ventriculi confluere. Cardiacum affectum excitat humor calidus & exurẽs, ſicut & venenoſus, aut venenum quoduis, vel lumbrici ipſi, vbi ex halitu ipſorum partis ſubſtantia diſsipatur: nec non id efficiunt animi paſsiones, non quatenus intro reuocant humores, ſed quatenus ſpiritus diſsipant & os ventriculi ea ratione diſſoluant. Quibus ſanè cauſis diſsipata ſolida ſubſtantia, & calore etiam innato, frequenter prædictus ſubſequitur affectus: quo fit, vt cardiacus affectus febribus malignis, æſtuoſis aut peſtilentibus non rarò ſuccreſcat.

Cauſæ.

Sunt tamen aliæ cauſæ, quibus vice ſignorum vtimur, quia aliquid efficiunt pecu-

Signa ex

causa diuersitate prodeuntia.

peculiare in hoc ſymptomate, & etiam in eo aliquid peculiarius oſtendunt: huius naturæ eſt per interualla repetere, & à cibo vel potu excitari aut ſedari. Primum quidem vno è duobus modis certum eſt poſſe ſuccreſcere, nimirum cauſa externa & euidenti denuo accedente, aut cauſa interna: nam ingenti dolore quandoque premuntur ſic affecti à cibo, nonnunquam citra ipſum, aut forſan à dolore liberantur cibo aut potu accepto. Primum quidem contingit, quia bilioſi, crudi & mordaces humores ventris tunicis adhæreſcentes, cibo ingeſto mouentur, agitantur & denuo incaleſcunt ad cibi coctionem: quo fit, vt eo tempore ipſis commotis vehementiùs dolor affligat, quàm interim dum quieti erant. Aliquando enim citra cibum, aut cauſam aliam extrinſecus occurſantem, prope meridiem dolor grauior efficitur, aut denuo recrudeſcit, quod iecore in ventriculum reiectante, aut ventre à reliquis partibus trahente, facilè fieri conijcimus: ſicut dum calor aliquis putredinoſus aut vſtiuus cibo communicatur. Sedatur quidem dolor cibo ingeſto, vel quia humor eſt melancholicus, vt Auicenn. refert, vel quia ex cibi ipſius admixtione minus mordax & acris euadit peccans humor, & ob id minorem dolorem infert. Sunt item alia ſigna cauſam mali monſtrantia, quæ maioris ſolent eſſe momenti ad tutam & certam curationem moliendam: ſic enim cauſæ quæ diſtendunt vt flatus, facilè diſtinguentur ex tenſione in parte affecta, & toto ventre percepta: ex crepitu & flatu cum conferentia excreto: ex difficili reſpiratione, ex dolore aliquando vſque ad reſpirationis inſtrumenta extenſo: nec non ex eo quòd ſubitò ſoluatur ac redeat per inordinata interualla: quòd ſi dolor aliunde per interualla fluens mali cauſa ſit, dum dolor ceſſat humore non fluente, non omnino, nec ſubitò ceſſat, vt inflatu. Mordacem & acrem ac erodentem humorem cognoſces ex ſenſus acrimonia & mordacitate percepta, ex ſiti, oris amarore, ructu nidoroſo vel aduſto: inquit enim Auicen. Mordicatio cum inflammatione eſt ſignum materiæ calidæ propter qualitatem acutam, aut ſalſam: quod etiam oſtendit, dum malum vltra pergit, maxima exolutio cum diaphoretico ſudore, & iam prope finem cum ſyncoptico. Fieri verò dolorem à cauſa frigida, craſſa & nimis adhæreſcente oſtendit frigiditas, necnon & grauitas in ventriculo percepta, ſitis carentia, oris inſuauitas ad amarorem vergens, licèt frequentiùs ſalſuginoſus compareat ſapor. Erit inſuper mordicatio ſine inflammatione aut æſtu, cum vomitu pituitoſo aut acido & melancholico: aderit inſuper dolor intenſior (ſed non adeò vrgens vt præcedentium cauſarum) cum extremorum frigiditate, vt Hippocra. viſum eſt. 7. aphoriſmorum. Phlegmonoſam autem ventriculi cognoſces affectionem, ex febre continua, maxillarum rubore, anxietate & ſiti implacabili, ſed maximè quia creſcente febre, dolorem quoque creſcere comperimus, quod in alijs cauſis minimè accidit, eo quòd in hac cauſa febris doloris eſt accidens, in alijs verò febris præſidium exiſtit, quia cauſam illidit. Signa verò quibus huiuſmodi affectus cognoſcuntur, ſunt dolor partis ſupra dictæ, vomitus bilioſus aut æruginoſus, ingens nauſea, cibi faſtidium, pulſus paruitas, frequentia & debilitas. In cardiaco verò affectu præterquã quòd febris adeſt, reperitur etiam ſudor mucilaginoſus in partibus circa thoracem, ceruicem ac frontem: & extremarum partium adeſt frigiditas: item angor, iactatio, inquietudo, & decubitus pronus.

Curãdi ratio

Erit igitur curandi ratio in cardialgico affectu (in quo nuſquam eſt tuta ſalus, neque cuiuis alleuiationi credere opus eſt: nam ſæpe inopinato & ſubito caſu

caſu mortẽ ſolet accerſire) duplex: altera quæ ſenſus acrimoniam mitiget, ſi affectio adeò ſit vrgens, q̃ non præſtet occaſionẽ differẽdi in poſterũ, neque adhibẽdi mitigatoria auxilia: altera rurſus, quæ cauſæ malũ efficiẽti prouideat. Hebetatur quidẽ ſenſus his auxilijs, quæ mucilaginoſa ſunt, & quæ pinguẽ aut emplaſtricã virtutẽ obtinẽt, vt oleũ dulciſsimũ epotũ, quod Gal. docuerat li. 2. ſimpl. c. 13: ſic mucilagines, amylũ, lac & huius cẽſus pleraque acuitatẽ retundũt, ſicuti dum malũ plurimũ vrget, narcotica medicamenta ſeu ſtupefaciẽtia appellata: cuius cenſus eſt ſyrupus de portulaca, de papauere, philoniũ Romanum: nã hæc ſunt quibus tuto in hoc affectu vti poſſumus. Sic enim vrgẽte affectu (qui non patitur diutiùs auxiliũ differre, neque aduerſus cauſam pugnare) primò ſomnum conciliabis, vt qui mirũ in modum dolorem ſedare habeat, & calorem reuocare ac ſpiritus reficere, dum modo calore & ſpiritu non admodum orbatus ſit laborãs, & viribus imbecillibus exiſtat, q̃ vim horũ medicamentorũ, quæ nimis frigida ſunt, deuincere non poſsit: quo tẽpore leuioribꝰ ſomniferis vteris, hiſque potiùs extrinſecùs applicitis, niſi ex humorũ acrimonia & incẽdio malũ oriatur: tũc enim vt Gal. cõſulit, intus ſumpta præſidio ſunt ſymptomati & cauſis. Primò itaque curabis per frõtis & nariũ illitionem ſomnũ conciliare: q̃ ſi hæc non proſint, porriges papaueris ſyrupum, aut philonij Romani. 3. ʒ. cum modico ſyrupo ex portulaca aut ex borragine, dũ modò priùs reliquis facilioribus vſus fueris.

Secunda curandi ratio circa cauſam ipſam verſatur, quã cũ protinus extrahere (quod eſſet tutius) propter doloris vehementiã nõ datur, frænare & cõpeſcere primò oportet: quod fit duobus præſidiorũ generibus, quorũ aliud id efficit manifeſta quadã qualitate pugnãte aduerſus humoris peccantis aut cuiuſuis alterius cauſæ qualitatẽ vel copiã, quibꝰ dolorẽ aut exolutionẽ molitur: qui ſi calidus fuerit, frigidis cõpeſcitur, ſin acris aut mordax, leniẽtibus: qualis eſt aqua calida, decoctũ aut expreſsio quatuor ſeminũ frigidorũ, aut ſuccus violarũ & portulacę, vel aqua ſtillatitia ex portulaca aut ex folijs violæ. Præſtat id etiã amylũ cũ lacte amygdalarũ: ſicut dũ ferues humor eſt, aquæ frigidæ potus aut mali punici acidi ſuccus cũ ſacharo ingeſtꝰ. Si tñ frigidꝰ ſit humor, flatuoſaue aut nebuloſa ſubſtãtia, ex potu meracioris vini vel aquæ vitæ, aut ſtilloticæ ex cinnamomo præſidiũ fiet: itẽ ex aqua feruẽtiſsima, vel decocto camemali, aniſi, fœniculi, roris marini, corticum citri naphę aut limõcellę. Quòd ſi ex ſalſa pituita à cerebro delabẽte malũ oriat, tũc quidẽ eiſdẽ veteris, quæ leniẽdi & cõpeſcẽdi acrimoniã vires habeãt, verũ non vtcũque & temere ſunt adhibẽda: quippe in hac cauſa, mox ab exhibito cibo præſidia ſunt adhibẽda, ſicut in frigidæ & acidæ pituitæ imbibitione in ipſo vẽtriculi ore: at in reliquis quæ vel à iecore in vẽtris os regurgitãt, aut ibidẽ generãtur, vẽtriculo ieiuno adhiberi debẽt. Sedat tñ phlegmonoſam vẽtriculi affectionẽ aquæ frigidæ, vel cucurbitulæ aut ptyſanæ, vel aquę ipſiꝰ hordei vel cichorij cũ ſacharo potus exhibitꝰ.

Mitigato his auxilijs dolore, curatio ea lege inſtituenda eſt, qua cauſas diuiſimus In flatuoſam, acrẽ & mordacẽ, frigidã & phlegmonoſã, quibꝰ aliquãdo accedit venenoſus halitus aut humor, cuius nõ parua habẽda eſt prouidẽtia. Sic dũ flatus vigẽt, nõ tamẽ in doloris vehemẽtia, ſed poſt aliquã remiſsionem, ventriculo fomenta adhibebis (ſi flatus craſſæ materiæ ſit exors) tum ſicca ex milio, ſale, furfure, camemalo & ſimilibus: tũ verò ex decocto camemali, meliloti, anethi abſynthij, cũ vino aut oleo dulci, vel aqua ex oleo anethino & abſynthite. Quo facto & clyſmate etiam ex diſcutientium genere iniecto, cucurbitam parti dolenti affiges, ex cuius vſu Galen. maximum pollicetur auxilium: quod etiam frequens experimen-

tum confirmauit,dum crudi aut pituitosi parum vel nihil in ventriculo insit,alioqui maioris solet esse doloris causa: tũc enim priùs vti oportebit his quæ pituitam educant,& residuum extenuent ac digerant & coctioni paratius redant. Quòd si purgationi per pharmacũ vrgentia mali locum non præstiterit, clystere ex rutaceo & hiera simplici vel logodij cum prædicto decocto,vel addita diaphœniconis semiuncia,vẽtrem à crudis succis liberabis,vt posteà modicè sedato dolore,in præ-
Purgandi ratio. dicta causa picra vtaris,agarico,pilulis mastichinis,vel his quæ ex aloë, agarico & rhabarbaro cõficiuntur: quem vsum etiam præstat terebinthina,maximè si eã dissolueris oleo amygdalarum dulcium,& priùs eam laueris decocto aliquo aromatico,quo & gratior fiat & præter absterſionem,flatus quoq; resoluendi vires nãcisca-tur. Præstat & theriacæ veteris vsus,& ius galli cum anetho & sale decoctũ: item diaciminon vel dianison cum vino,vel decocto absynthij vel corticis citri. Iuuat non minus decoctum spicæ cum vino ventri apponere, vel cataplasma aliquod quod vires habeat discutiendi & roborãdi caloré: huius pretij est oleũ de anisо,vel de theriaca. Quòd si probè laborans egesserit, corpus fricare oportebit ac modicè exerceri: à quo ventri panem recenter coctum vino irroratum ac sparsum cinnamomo & caryophyllis,apponere erit necessum.

Quòd si ex acida pituita crudisue succis ventris ori impactis (non in cauitate existentibus,vt nuper diximus) affectio suboriatur,priùs quàm purgatione vtaris, cõsiliũ est bis terue vomere,ac posteà hiera & agarico,aut terebinthina per epicra sim purgare,& reliquias cõterere,vt paulò anteà dictũ est theriaca, stillotica aqua ex cinnamomo vel theriaca & corticibus citræ,aromatico rosaceo & similibus, & prædicto oleo ex anisо ventris regionẽ inungere, quod incredibilis est efficaciæ.

Verùm si ex delabente à capite salso humore fiat,nõ protinus est ad pilulas,quæ à capite purgant,confugiendũ: vereri enim oportet,ne euocato nouo effluxu, maior & periculosior concitetur dolor. Quo casu per ea quæ per os caput purgãt,prędictum humorẽ distrahes & euacuabis, ac postmodum frænata humoris acrimonia,& maiori parte depositа,ad vsum pilularum te conferes,dum paulatinam insti tuas purgationem,non confertam aut copiosam,ob adductam rationem.

Quòd si calidus sit humor acris & mordax,primò inclementiã ipsius cõpescere & mitigare studebis,tum his quæ lenia esse retulimus,tũ verò alimẽtis & alijs quæ paulò inferiùs referã. Posteà verò ventriculum purgabis,tẽpore maioris remissionis,rhabarbari infuso ex aqua portulacę,aut sero vel aqua hordei: item manna sero liquata,vel pilulis ex aloë lota aut syrupo ex infusionibus violarum. Quo facto, & ventriculo extrinsecus præmunito oleo omphãcino aut rosaceo cum pulueribus coralli,margaritarum & rosarum,ad secundam indicationem te conferes,quæ admixtis alimẽtis optimæ substãtiæ & nutrimenti,id docet exequi: nihil enim citiùs venenosam & aduersam cõpescit qualitatẽ,quã admistio optimæ substãtiæ: vel si mauis,vtere his quæ alexipharmacam habent virtutem,cuius census est lapis bezoar,electuariũ de hyacintho,de gemmis & alkermes,quæ humoris malitiã frænent,& simul viribus prouideant.

Verùm quia aliquando iecur in doloribus,quæ à bilioso prodeũt humore,& caput in pituitosorũ redũdantia,& splẽ cùm atra bilis causam malo præstat, culpam obtinere assolent,horũ quoq; prouidentia habenda est: nam corroborare eorum quoduis oportet,ac redundantiam alio trãsferre cucurbitis scapulis & brachijs affixis,ligaturis & frictionibus: tandẽ eis vteris,quæ capite de catharro copiosè adduximus. Iecore etenim affecto regurgitanteq; bilem in os ventris, non est plurimũ cun

ctandum (si vires admodum dejectæ non sint) sanguinẽ, saltẽ ex saluatella dextræ manus, mittere: quinimò sæpe solet esse præsentaneum auxilium, maximè si icteri aliqua sit suspicio. Posteà verò vtendum est frequenter infuso rhabarbari, quo id quod bilis quotidie gignitur antequam in ventriculum irruat, expurges: item rosaceo aut refrigeranti & santhalino vnguento iecoris regionẽ inunges,& curabis lacte seminum frigidorum extracto,aqua cichorij,vrinas mouere & iecur ipsum attemperare. Splenem etiam purgabis cõfectione Hamech simplici, superbibito sero lactis,aut infuso foliorum senæ & epithymi ex eodẽ sero facto, vel prunis damascenis cum decocto senæ & saccharo conditis: tandẽ vnumquodq; membrum roborabis iuxta eius indigentiam. Quòd si in ventriculo ob imbecillitatem contractam ex præstantia cuiusuis prædictarum causarum, cruditates copiosiùs generentur,quibus dolores frequenter exacerbantur,tunc profectò,præter purgationem & vomitum tertio quoque die factum,proficuus erit potus aquarum sulfurearum aut nitrosarum: extenuant quidem hæ omnes,siccãt,& fundunt humores,ac flatus etiam dissipant.

Cæterùm in apostemosa oris ventriculi affectione,cui plerumque febris adiuncta est,sedare dolorem oportebit potu aquæ,vel decocto maluarum & hordei,aut ipso hordei cremore: item inunctionibus oris ventriculi ex oleo rosaceo aut mucagine psyllij,& oleo omphancino cũ rosaceo,adiecto modico papaueris,si doloris vrgentia postulauerit. Quo facto dolore vtcunque sedato,verendum non est modicum sanguinis extrahere,aut si vires non patiantur,cucurbitas brachijs scarificare,cauens ne vllum expurgantis pharmaci genus adhibeas, sed lenientibus & temperatis ac paulò frigidioribus vti esto contentus.

Quòd si ex venenosa aliqua substãtia,siue intus genita, siue extrinsecus præstita,malum oriri comperias,alexipharmacis, & alimentis ac potibus rem primo accessu agere oportebit: postmodum verò admixta,retusa frænataque venenosa substãtia,purgare aggredieris,quod anteà dum effræne venenum vagatur, agere vetitum est in optima medendi ratione.

Necessum præterea est in quauis causa,& quouis modo vires dissipentur, ipsas reficere & tueri mox primo mali accessu, si velimus occasionem non amittere ad auxilia administrãda. Quod facies vno è duobus modis: primò his quæ dissipationem innati calidi & solidæ substantiæ impediunt: quæ sunt in duplici differentia: nam quædam cutim densant meatusq; coarctant,ne facilè corporis substantia euanescat: sunt autem hæc adstringentia medicamenta,veluti oleum omphacinum,myrtinum & cytoniorum,quibus obturatis meatibus,facilè inhibemus corporis dispendium: secunda verò docet extremas partes calfacere euocareq; incendium illud ad easdem. Secundus verò completur alimentis & odoramentis tenuis substantiæ & optimi nutrimenti, quibus quod quotidiana dissipatione perit,reficiatur. Exteriùs tamen ventriculum fouere oportet,in mali principio ante vacuationem causæ,temperatis vt antea dictum est,materia tamen facta minore, prædictis oleis modicè adstringentibus,additis pulueribus ex corallo,rosis,& diarrhodone: prodest & mica panis tosti imbuta succo mali punici acidi, agresta aut vino. Quòd si æstuosa,acris ac mordax & bilиosa fuerit causa,dubium non est conuenire eis omnibus & reliquis emplastris maluam decoctam & pistatam cum butyro recenti: itẽ emplastrũ ex mucilaginibus cũ eisdẽ maluis,farina hordei & rosis, quorũ filuã reperies tom.2.cap.de attẽperãtibus prędidijs, tit.de vẽtriculo scalido. Pari lege emplastrum quod conficitur ex crusta aut mica panis, & id quod fit ex

malo cydonio vino nigro madefacto piſtatoque prædictis puluerib⁹:ad quorum penſum,habito reſpectu ad dolorem, vel ad cauſam, vel gratia virium ſeruandarum,varia effingere poteris topica auxilia ventriculo proficua,quorum copiã maiorem reperies tomo. 2.cap.de præſidijs ventriculo calfaciendo aut refrigerando idoneis.

De canina appetentia & de bulimo.

Cap. II.

SI quis diligenter examinet famis ſeu cibi appetitus naturam & differentias, reperiet proculdubio quinque eſſe in vniuerſum genera eius: primum quidem cùm homo conſueta hora fameſcit cibumque ingerere appetit:ſecundũ cum vltra ſtatutũ tẽpus ingerendi cibum fame corripitur,quas iure optimo fames naturales appellabis aut appetitum potiùs, non famem, quia in prima alimento orbatur ventriculus quod illis horis cõſuetis ipſum habeat in chylũ vertere:in ſecũda quidem chylo orbatur.Tertiũ eſt,cùm non ſolùm chyloſa ſubſtãtia vẽtriculus orbatur,ſed etiam propria humiditate: in quas omnes famis ſortes corpora athletarum incidere ſolent:in quibus omnibus etiam venter corrugationem patiens moleſtatur,in cuius ſubſidium appetitus excitatur. Quartum quidem famis genus eſt,dum corpus inanitur,& ob veram indigentiam in famem incidit, non quidem ex conſuetudine, vt in primo famis modo,neque ob diſsipationem chyli,vt in ſecundo,neque ob defectum ſubſtantiæ ventris,vt in tertio,ſed quia(vt dictũ eſt)membra commodo alimento orbantur. Quam ſanè famis ſortem multi cum Galeno naturalem appellarunt,nos verò non naturalem eſſe cenſemus,cùm ſemper à cauſis non naturalibus proficiſcatur,licèt naturali ordine & modo actionis fiat,quo potiùs cenſeo naturalem fuiſſe appellatam,quàm quòd re vera talis exiſtat:quippe ab inanitione & moleſtia prodit. Quòd ſi aliquãdo naturalem appellare libuerit, ſcito id poſſe fieri, quia non intendit natura dolorem illum & moleſtiam,tanquam finem,ſed tanquam medium prohibens grauius malum, puta marcorem:nam ea ratione ſenſu os ventriculi muniuit prædicta potẽtia,qua præcaueret à conſumptione ob defectum alimenti animal,cùm hoc tamen prædictũ famis genus ſumpta ratione à cauſa,non naturale cenſeri debet. Vltimò tamen fameſcunt homines, dum à cauſa præter naturam fames excitatur quæ caninus appetitus aut fames vaccina dicitur,quorum duorum hac in parte ſolùm meminiſſe ſtudeo.

Vterque hic affectus ad animalem appetitum ori ventriculi hac occaſione excitatum, citra dubitationem pertinet. Dictum eſt præcedenti capite os ventriculi ſenſu tactus maximè pollere: quod haud temerè feciſſe naturam eſt coniectandum: ratio tamen facti eſt, vt in ea parte appetitus quidam excitaretur ex cibi indigentia in famis ſubſidium. Cuius gratia expendiſſe oportet, famem quam non naturalem appellamus, præcedere quinque motus: quorum primus eſt membrorum inanitio, cui mox ſequitur naturalis quædam appetentia, (licèt ſolito maior) ad refectionem deperditi: tertius eſt tractio minorum vaſorum à maioribus, & maiorum à iecore & ventriculo: quartus eſt quædam ſenſatio, quæ ex ſuctione ſoluente & dilacerante os ventriculi ſubortitur, dolori quidem perſimili: quintus verò & vltimus eſt appetitus quidam ad proſequutionem cibi, in ſubſidium triſtis illius ſenſationis. Quorum ſanè motuum primus homini ineſt, quatenus calido conſtat, quo calore neceſſum eſt diſsipari:ſecundus verò & tertius illi inſunt,quatenus vegetatiua plantarum facultate fruitur, plantis enim appetitus ineſt trahendi naturalis. Quartus verò & quintus quatenus ſenſitiuus eſt, ex ſenſu quidem moleſtiam, & ex moleſtia appetitum præſidij obtinet,non quidem naturalem ſed animalem, longe diuerſum à primo: quia appetitus naturalis ventriculi ad alimentum, non eſt aliud quàm tractus alimenti, & perpetuò operatur præſente obiecto: appetitus verò animalis fertur quoque in cibum dum fameſcit homo, ſed multò magis abſentem quàm præſentem, & non perpetuò adeſt, ſed deficiente tantùm in ventriculo alimento, ſi naturalis futura eſt fames: nam dum fit ex ſuctu ab inanitione aut à re præter naturam in ventriculo exiſtente, non eſt abſolutè & propriè naturalis: licèt non deſint qui ſtatuant, quòd licèt nulla ſit membrorum inanitio, nihilominus tamen ſubſequutura eſt tractio: nam cùm membra ſint agentia naturalia,ſemper debent eſſe in actu ſecundo,& eo magis,quo præſentius fuerit obiectum, hoc eſt alimentum: nam arbitrantur has potentias adhuc acquiſito fine non ceſſare. Quibus omnibus dicendum eſt, id verum eſſe de ſola concoctrice ſeu nutritoria facultate, non de reliquis,quæ ex indigentia & appetitu ſolùm operantur.Namque appetitus naturalis ſolùm in opus dirigitur in abſentia alimenti vt trahat, aut in præſentia excrementi vt expellat. Quo fit, vt neceſſum ſit alternatim operari & pro indigentia: quippe neque ſemper adeſt alimentum, nec ſupereſt excrementum, & ob id non ſemper coguntur operari: quo fit, vt athletæ non poſsint incidere in famem à Galen.naturalem,& à nobis non naturalem appellatam, ſed eam ſolùm,quæ deficiente in ventriculo alimẽto ſuccreſcit,quam nos naturalem nuncupamus.

His habitis ſtatuendum eſt, os ventriculi eſſe præcipuum huius actionis organum, quia licèt in reliquis membris fiat etiam indigentia præſitq; ſenſus,cum hoc tamen non eſt in eis ſuctus, quia facilè cedunt venæ, & eis iecur,atq; ei ventriculus: ſed is à venis neceſſariò patitur,& ob id in ea ſolùm parte ſita eſt famis ratio. Cæterùm ad prædictam cibi appetentiam moueri (exceptis tribus primis eius ſpeciebus) dum præter naturam futura eſt, animal non poteſt, niſi accedente cauſa aliqua, quæ citra motus illos quinque(quos præcedere famem non naturalem diximus)inducere famem habeat.Huius naturæ ſunt quædã cauſæ præter naturam,quas mox recenſebo,ſi priùs dixero cibi aut potus appetitum longe differre à fame,licèt ab Ariſtot.& pleriſque fames per appetitum definiatur:nam fames iudicio noſtro,in triſti illa ſenſatione,quæ quartum motum conſtituit ſita eſt:ſiquidem hac lege eam definierat Gale.lib.1.ſympto.dicens:Fames triſtis quidam ſenſus eſt:appetitus verò in ſubſidium eſt famis ipſius.Quo fit, vt ſalſamenta illa & acetaria,quæ cibum faſtidientibus porrigimus,appetitum,non famem excitare habeant:famem enim eo tempore patiuntur laborantes,licèt non appetant aut fameſcant,quia non ſentiunt:ars verò nititur ſenſum triſtem inferre, vt inde appetere gliſcant.

Cæterùm ſolet hæc fames & huiuſmodi appetitus,cùm naturæ modũ excedit, ob cauſæ vehementiam,eo creſcere & deuenire, vt præter naturam multis modis fiant:fit autem id aut diminuta facta appetendi potentia,aut deprauata: depra-

uatur quidem vbi modum excedit,vt in canina fame & bulimo,aut dum res appetit laborans ab omni alimonia & communi hominum natura alienas,vt in picaceo appetitu.

Est itaque canina appetentia(simul & bulimos)deprauatus cibi appetitus,in intensione seu magnitudine peccans,prodiens quidem ex oris vẽtriculi vitio. Quæ sanè duo nomina ingentem famem & omnino præter naturam significant,licèt bulimos à varijs authoribus diuerso modo vsurpetur.Gaza quidem bulimon canina appetentiam vertit:Aristot.in problematis famem à frigore,intro pulso calore vertit:Aphrodiseus confundit cum pica. Communiùs tamen vsurpatur vt Galen.2.aphorism.21.pro defectu animi ex inopia alimenti in partibus corporis:quę sanè penuria fit,quoniam corpus non assumpsit,quia nõ appetebat,emortua à frigido facultate. Sic enim.1.de sympto.caus.inquit Galen.bulimos est cùm penuria & frigiditate ac imbecillitate laborat corpus:ex frigiditate inquam ventris, penuria verò & imbecillitate totius,vt optimè exponit Ætius:quo fit vt facilè in deliquium animi incidant sic affecti,ob resolutionem & frigiditatem cordi communicatam.In quo sanè symptomate initio multa appetunt laborantes,cùm nondũ naturæ modum refrigeratio excesit:nam tunc robur ventriculi dissoluitur,& leuissima appetentia sequitur(& vt multi statuunt) cibi fastidium, etiamsi corpus multis indigeat.Ex quo proculdubio suboriuntur,vẽtris imbecillitas & animi deliquia,quæ pauciſsimo ciborum subsidio cessant:& ob id corpus inanitur ob diminutam appetentiam & ea ratione diminutum subsidium,quod sanè leuissimum est,quia paucis ingestis cessat deliquiũ, & sic semper est in perpetua exuritione. Quapropter necessum est frequenter incidere in deliquium,quantũuis citò reficiatur,quia licèt spiritus restaurentur,inanitum supereſt corpus & illi succrescit virium exolutio,color fœdus,torsio stomachi,cordis & extremarum partium frigus & pulsus obscurus.Ex quibus constat,bulimon esse casum appetentiæ à frigiditate exteriori,cum indigentia totius corporis & imbecillitate stomachi,qui refrigeratus & resiccatus existit:& ob id debiliter appetit,ita vt non sufficiat quod resolutum est reficere,quo cogitur semper appetere accedente etiam ventriculi frigiditate,quæ appetitum etiã licèt nõ intendit,protrahit tamen & cũ hoc rarò sentiũt famem quia ferè semper sunt in perpetuo deliquio.His nõ obstãtibus Tralianus & Auicen.ex calore etiam fieri fatentur:quos arbitror fefellisse,hunc affectum aliquando febribus succrescere.Sed verior est Galeni sententia,quantũuis Arnal.& Arist.8.proble.7.statuant ex calore oris ventriculi ad animi deliquium ducente: nam in febribus vel nimia adest caloris dissipatio,quæ corpus inanit cogitq; appetere ob spirituum dispendium,tamen id leui subsidio vt dictũ est reficitur:vel succrescit in prædictis febribus ob ingentem acidorum copiam.Finitimus huic affectui est canina appetentia,quia neuter ex inopia alimenti immediatè prodit, sed ab ore ventriculi affecto,puncto ac lacerato à causa præter naturã,vel summè languido.

Distinguũtur inter se hæc duo accidentia,natura,causa & modo: natura quia canina fit ab oris ventriculi punctione & mordicatione,idque aliquando ab acidis & frigidi succis,bulimos ab ingente frigiditate,non mordẽte,sed imbecillitante ac deijciente ipsius vires,ferè vt in syncope aut deliquio animi contingit: item canina appetentia à causa interna,bulimos ab externo frigore, quatenus ad vitiũ ventris attinet:præterea illa degenerat in vomitum & maciem (quo fit vt meritò dixerit Gal.caninam famem in bulimos degenerare aliquando)licèt nonunquã à macie

à macie proficiscatur: bulimos incipit à frigore,penuria,& à macie, ac degenerat in animi deliquium,quia licèt cõtinua videatur fames, dũ animi deliquium succrescit,amplius non sentitur fames in ore ventriculi,sed indigẽtia in vniuerso corpore supereſt,qua occasione huiusmodi affectus per famem definitur, licèt cibos aliquando fastidiant, vel non amplius aut debiliter appetant qui sic affecti sunt, vt placuit Galen.commen.illius sententiæ 21.aphor.2. Canina verò fames contrario modo ingens appetitus existit,manens & insatiabilis,quia mox à saturitate euomitur cibus,& superstite eãdem appetentia,amplius denuo ingeritur: nam cũ causa quæ pungendo excitat,fixa ventriculo adhæreat, imbecilliores reddit vires, ita vt copiam alimenti sustinere nequeant, quo fit vt necessariò sequatur vomitus:nam perseuerante affectu tanta imbecillitas succrescit, vt nihil amplius ventriculus contineat,sed alui profluuium,cœliacæ affectiones & hydropes protinus subsequantur,nullo accedente animi deliquio,vt in bulimo, quo constat non solùm causa sed symptomate ab eo differre.

Causarum verò in his affectionibus,& omni fame non paruã comperimus differentiã:plures enim sunt qui præter naturalem famem excitare natæ existunt.Nã primò adest corporis inanitio,quã fieri mille causis est arbitrandum:quippe vel ab impensa & extrinseca fit caliditate,qualis balneorum est & qualem concitat exercitium,maximè tempore æstiuo,sic victus vel parsimonia vel diutina famis tolerãtia,superflua quoque vigilia & nimius veneris vsus:item retentricis facultatis vitium seu impotentia, corporis raritas & occulta perspiratio, aut vacuatio aliqua insignis vtcumque fiat, vermes,maximè grandiores, detergentium pharmacorum imprudens & excedens vsus,febres colliquantes,& denique quiuis calor dissipare natus: non quidem ventriculi,vt arbitratus est Auic. nam hic potiùs deijcit appetitum.Quibus sanè omnibus facile inanitum corpus in caninum procidit appetitum,spurium tamen,nam legitima fames canina iure optimo haberi non debet,quousque ventris os simul afficiatur,vel frigido aliquo intemperamento, quo factus imbecillior (non tamen stupefactus,vt semper appetitus crescat & à bulimo dissideat)alimentum ingestum nec continere nec cõficere valeat,sed protinus vomendo reijciat,quo & iterum appetat plus ingerere,& præexistens inanitio nullũ susceptet leuamen nullamque refectionem.Quapropter licèt in aliquibus canina appetentia ab inanitione incipiat,nihilominus tamen vt differre posit à non naturali illa fame quinque motibus constãte,necessum est os vẽtris prædicta intẽperie affici,& prædictũ etiã symptoma perpeti: nã sic nec reficitur,quia nihil retinet, nec retinet,quia calore orbatur vẽter,nec desinit appetere, quia semper suctio aut aliquid illi persimile infestat & excitat appetitũ.Quo fit, vt vera & genuina caninę appetentiæ ratio & causa,potiùs sit acidorũ(siue pituitosi sint, siue melãcholici vt testatur Galen.lib.6.popu.par.3.co.37.& 6.de locis pat.cap.1)frigidorum,crudorumue succorum copia os ventris & eius substantiam permeans,vitians ac exulcerans,inferensque accidens suctioni persimile & intensum,quàm vera suctio. At verò in bulimo prædicta frigiditas necessariò ad impotentiam ducere tenetur vẽtris facultates, donec cordi communicata imbecillitas syncopem aut animi deliquium accersat,ob consensum oris ventriculi: quippe in hac non est ingens desiderium ingerendi cibum vt in canina appetentia, sed solùm ingens necessitas in subsidium syncopis & impotentiæ facultatum.Itaque cõueniunt hi affectus,quòd aliquando ab inanitione prodeant ambo, sed caninus spurius haberi eo tempore debet:aliquando citra ipsam:cæterùm cùm sine inanitione fiunt, bulimos ille-

Causæ.

gitimus eſt,quòd à ſola prodeat frigiditate grandiori: canina verò apetentia non niſi ab acido ſucco,ſi legitima futura eſt: nam cùm ab inanitione prodit, & legitima non eſt,à ſola frigiditate oris ventriculi ſuboriri poteſt, quo tẽpore leuior eſt intemperies, nimirum quantum ſat ſit,vt coctio aboleatur appetitu manente. Nam is affectus ſolùm ſequitur frigidam intemperiem vbicumque ſit,dum modò ad ventriculum perueniat,vt contingit his qui iter agunt per niuoſa loca & copioſo vtuntur ac frigidiſſimo potu:ſequitur tamen pituitam acidam vel melancholiã, nec non & diſſolutionem totius corporis: quibus ſi accedant virium debilitas & emortua facultas,vt Hippocrat. aduertit 6. popul. bulimos proculdubio ſuccreſcet.

Dubium. Ex præfata doctrina ſuboritur difficultas ex Galen.deſumpta lib. artis Medicinalis 2.qua parte exiſtimat ventriculum frigidum aptiorem eſſe ad appetendum: rationem quidem reddunt omnes à Gale.mente & à ratione ſatis alienam: ea nimirum eſt, frigiditatis proprium eſſe comprimere & compreſsione ſucculentam ſubſtantiam à parte expellere,cuius defectu fames protinus ſuboritur: Quam tamen parui eſſe momenti ſic probabitur: frigiditas in tantum habet condenſare,& condenſando comprimere, atque comprimendo expellere, in quantum eſt in actu: ſed ventriculus animalis viuentis nequit actu huiuſmodi frigiditatem obtinere:ergo neque ob eandem rationem fameſcere:nam licèt minus calidus quàm par eſt aliquando ſit,non tamen ſortitur tantam frigiditatem, quæ nata ſit primò famem excitare,licèt id etiam Gal.viſum eſt.1.de cauſ.ſymptoma.cap.7. dicente (etiam ſi ſub dubio.) Itaque non parum ad eſuriem frigiditas eorum,quæ in ventre habentur, confert, cum & corpora eorum tunicaſque vacuet,& cogendo cõſtringat,conſtringendoque appetentiam irritet: dixeratque parum ante quemadmodum (arbitror)frigiditas vacuat. Cum hoc tamen cenſendum eſt, frigiditatem potiùs mordendo & irritãdo appetentiã & prædictas corrugationes excitare,quã præ vacuatione,quæ ſequitur compreſsionem,ſiquidem,non adeò eſt intenſa viuẽte animali,quin potiùs ex pulſu ob mordicationẽ fiat inanitio, quàm ex compreſſione,quod mihi verius videtur. Sic namque credendum eſt ex melancholico ſucco ſecundùm naturam ab ſplene tranſmiſſo,animalia fameſcere: nam ſi ob id eſſet,cùm actio naturalis poſitis præuijs diſpoſitionibus,non poſsit non fieri, & aliquid melancholiæ ſemper in os ventriculi deferatur,fameſcerent profectò animalia ſemper. Si verò arbitreris ex melancholia famem ſolùm excitari, cùm vẽter præindigentia cibi melancholica excrementa è vicinis partibus trahit,tunc profectò, longè minus eſt arbitrandum id poſſe fieri,quia prius eſt fameſcere quàm attrahere. Quamobrem ſuſpicor melancholiam, ſi contingenter in ventrem confluat, appetitum potiùs præſtare quàm famem,quæ ſit vera ob oris ventriculi moleſtiã, ſed quia perſimilem infert in ipſum alterationem leuiter mordendo,quantumuis venter cibis ſcateat,vt acida omnia inferre comperimus:quo fit, vt hic appetitus non ſequatur aliquam ex inanitionibus dictis, ſed moderatum acidorum vſum, & ob id non eſt perpetuus ſed mox ſuccreſcit à cibo incidente & mordente vel à melancholiæ tranſmiſsione,propter mixtionem quæ fit cum ipſis cibarijs quos guſtui gratiores,velut acida omnia,ſolet efficere,cùm moderatè confluit & miſcetur,ac ob id non fame,quæ ſit triſtis ille ſenſus, ſed quid illi perſimile,quod appetitum excitat eſt credendum.

Quibus accedit aliæ cauſæ ſpecies,cuius Galen.meminit lib. de theriaca ad Piſonem,nimirum lati & prægrandes vermes chylum de paſcentes:quam quidẽ cauſam

ſam ad caninam appetentiam multi vt Auicen.Serap.& Tralian.referunt. Itaque conſtat qualis ſit natura cuiuſuis prædictorum affectuum, & quales vnuſquiſque ſortiatur cauſas.

Dignoſces prædictas cauſas hac lege, quòd inanitio vel à cauſa ſit euidenti,cuius notitia facilè haberi poteſt ex interrogatione eorum quæ præceſſerunt,vel ab interna,quæ ſita eſt in calido intemperamento aut inſenſibili euacuatione per vẽtrem,vomitum,hæmorrhoides,vterum aut diaphoreticum ſudorem,vel inſenſibiliter, quòd cibo aſſumpto æger non corroboretur. Quòd ſi horum nihil præfuerit credendum eſt,ex frigiditate ventriculi affectum proficiſci,maximè ſi acidi ructus ſuccreſcant. *Signa.*

Commigrant plerumque hæ duæ affectiones vel in vomendi conſuetudinẽ, vel in alui fluxum, immedicabilem dyſenteriã, cachexiam,hydropem,ac non raro in tabem & mœſtiſsimam melancholiam. *Præſagiũ.*

Plures ſub ſe curandi ratio complectitur conſiderationes in bulimo & canina fame:nam primò multa ſunt vtrique affectioni proficua & communia,velut eſt reſolutorum vtcumque fiat refectio:item frigidi intemperamenti vel humoris attẽperamentum,præparatio & eductio:quæ omnia eodem modo, ſiue in bulimo ſiue in canina appetentia fieri debent. At in bulimo peculiare eſt ſyncopem vel inhibere,vel ab ea laborantem reuocare:in canina verò appetentia vomitu, quo nutritione laborans orbatur, prouidere. Quapropter initio ſumpto à bulimo,primò expendant quod illi eſt peculiare,nimirum ſyncopes prouidentiam & inanitionis refectionem. In quo affectu virium reſolutionem ac ex conſequenti ſyncopem inhibebis,ſi priùs conſideraueris,nullum prærequirere neque admittere vniuerſale præſidium,neque euacuationem aliquam quatenus pertinet ad prædicta ſymptomata:ſolùm enim expoſtulat ſpiritus & caloris refectionem,his quæ capite de ſyncope copioſiùs adduximus. Inter quæ non ſunt minoris momenti paſtilli ex vino & paſſulis ex Corintho cũ pulueribus electuarij de gemmis, vel ex carne pullorũ cum ſaccharo & nucleis pineorum,aut ex carne cytoniorum vino confecta aromatico,vel ex cinnamomo ſaccharo & caryophyllis cum eodem vino. Prodeſt non parum aquæ vitæ modicum iuribus pullorũ iniectum,aut expreſſionibus carnium,vel ſtilloticis eius aquis,maximè ſi addideris cinnamomi aut theriacæ modicum: neque eſt minoris momenti ſtillatitia aqua ex eâdem theriaca & confectione alkermes, dilutis vino rubro aut aqua deaurata vel ferrata. Quibus factis & viribus refectis optimis alimentis & aromatis conditis,ad externa auxiliate confer es. Nam ſi præfuerit ingens frigiditas,quę potiſsima eſt huius mali cauſa,fomentis ex decocto abſynthij,camemali,cinnamomi,aniſi,& ſeminis angelicæ ſpongia & vino exceptis, miteſcit: item ſacculis ex eiſdem herbis:inunctionibus ex oleo abſynthij,menthæ,ſpicæ,balſami,abietis,de pipere,de aniſo,de caryophyllis & de angelica. Præſtat & ventriculo ſæpius adhibere panem recenter coctum vino made factum & calidum:ſed efficacius inclementiam frigiditatis compeſcit meri potus, maximè ſi vinum ſit conditum aromatis & melle:item aqua vitæ, vel aqua cinnamomi vel corticum citri,quæ arte chimica extrahatur. Verùm ſi bulimos, vt non rarò accidit,prodierit ab acri humore diſsipante ac diſcutiente ſpiritus & ſubſtantiam oris ventriculi,& qui implacabil indigentia ad cibum capeſſendum excitet; aut in ſyncopem laborãtem ducat cum imbecilla ventriculi facultate,quæ ipſum conficere nequeat,& ob id non reficiantur vires,& nouo vti ſubſidio cogantur,duplex inſurgit medendi ratio:altera quæ humorem euacuet,primò per vomitum à *Curandi ratio.*

cibo,

cibo,& per auxilia quæ vim habeant leniẽdi acrimoniam, & cum hoc abſtergẽdi & repurgandi ventrem,velut eſt mulſa calida,in qua diluëris agarici.3.j.ſ. cum modico oxymellite:id quod facies bis terue in hebdomada. Quòd ſi laborans id promptè non fecerit,per infernam aluum purgabis medicamentis quæ ab infartu liberent,velut eſt rhabarbari infuſum,aut dilutum foliorum ſenæ cum ſero lactis, vel exhibita caſia,quæ ſimul humorem retundat & expurget:proſunt & pilulæ ex aloë,rhabarbaro & maſtiche,vel ipſum rhabarbarum ſingulis diebus maſticatum. Quo facto ventriculus exteriùs roborandus eſt in hac æſtuoſa cauſa,oleo omphacino,roſarum & cytoniorum,cum pulueribus coralli,roſarum & ſanthalorum. Verùm quia ſæuiſſima hæc affectio non quouis præſidio leuatur,neceſſum eſt ad ſenſus vſque retuſionem peruenire,his primò quæ humorum actionem compeſcant ac frænent:cuius cenſus ſunt mucilaginoſa omnia,nec non & narcotica,velut ſyrupus portulacæ,de papauere vel de mucilaginibus: quæ dum os ventriculi attingunt,eius ſenſum retundunt,& humoris acrimoniã mixtione temperant, quo fit vt & minus appetant,& minorem perſentiant moleſtiam,ac ex conſequenti animo non deficiant.

Quòd ſi canina ſit appetentia,tunc quidem iuxta diuerſitatem cauſarum ei medeberis. Primò enim dum ab ingenti totius corporis inanitione prodit(præter cutis denſitatem,quam teneris fabrefacere,ne amplius diſsipetur,quæ exequenda venit vt dictum eſt,cap.de ſyncope) reficere oportet diligenter quod perit, ſufficiente copia alimenti exhibita,quæ diſsipationem æquet,& paulò maiori:ſed quia diſpendium plerumque ab ſpiritus conſumptione prodit,odoramentis,vt Hippocra. lib.de alimento conſulit,rem tutiùs & commodiùs ages, maximè ſi alimento ſam ſortiantur naturam,vt ſpiritibus & ſolidæ ſubſtantiæ pariter prouideas. Cui operi quæ potantur primas tenent,facilius enim eſt repleri potu quàm cibo:ſic enim alimentis boni & facilis nutrimenti veteris,modica tamen copia & breuioribus interuallis,quo faciliùs coquantur & ocyùs diſtribui poſsint. Sed inter omnia quæ corpus breuiſsimè reficiunt,vinum proculdubio primum ſortitur locum, niſi quis eo aburatur:& ob id ipſum porrigere oportet ventre non ieiuno,nam cùm ocyſsimè in corpus eat,neruos lædit & cerebrum. Quapropter vel cibis miſcere oportet,vel à cibo præbere:id enim conſuluerat Galen.21.aphor.2. ſic in medio cibi commodiorem ſortitur occaſionem,ſi vniuerſus venter intemperatus ſit: verùm ſi ſolùm os eius frigiditate afficiatur in poſtrema menſa porrigendus eſt:ante tamen quàm cibus confici incipiat,tantum bibant,quantum par eſt,quia tunc efficacius os ventris calfacit. Quibus factis,eis vtendum eſt auxilijs,quæ capite de ſyncope vires poſſe reficere ſcriptum reperies, & curationis principiũ auſpicaberis ab excalfactione vẽtris:nã licèt inanitio mali ſit principium,tamen vomitus & ob id nouus appetitus à frigiditate ventris prodit,quia nequit alimenta conficere,quibus venter grauatus vomere cogitur,& iterum appetere. Quapropter ea auxilia quæ bulimo eſſe proficua diximus,huic quoque communia eſſe certiſsimum erit.

Cæterùm dum caninæ famis cauſa eſt viſcoſus ſuccus,acidus aut viſcidus oriẽ triculi impactus,aliunde tranſmiſſus aut ibidem genitus, & in eiuſdem ſubſtantia infartus,vel in plicaturis adhęreſcens,medendi ratio(præter eam quæ viribus prouidet,i ntemperamento atque coctioni,vt antea dixeram) vnica tantum methodo perficitur, per euacuantia nimirum auxilia (vbi præceſſerint quæ incindendi,extenuãdi atque calfaciendi vires habeant)quæ ſunt in duplici differentia, quædam per vomitum euacuant,quo tempore humor in ventriculo ipſo immoratur,aut in ore

ore eius: altera verò per expurgans medicamentum perficitur, quæ modò humor aliunde profluat, modò in eâdẽ parte preſit proficua eſt. Vomitus verò præparata priùs oxymellite materia, melle roſaceo aut oxymellite ſquillitico,excitatur tepido decocto raphani,ſeminis eius & erucæ,addito pauco oxymellite:quod fieri potiùs conſulo ieiuno quàm ſaturo ventre, ſiquidem fieri debet his quæ vim habeãt purgatoriam,velut eſt dilutum agarici aut puluis Mechoacam Indorum ponderis.3.j.cum modico oxymellite & copioſiori tepida, quibus ventriculus frequentiùs ad vomendum excitatur. Expurgatio verò per imum ventrem futura hiera ſimplici Galeni perficitur,quæ præterquàm quòd hos humores à ventriculo pellit, eundem calfacit, & contractã diſtemperiem corrigit,ac inſuper eodem calore humores fundit & liquat. Purgabis etiam aloë, agarico, turpeto ac pilulis quæ eadẽ met medicamenta recipiunt:eiuſdem etiam cenſus eſt terebinthina ſola aut melle roſaceo admixta. Proſunt quoque diuretica vino, pane ac edulijs admixta vel ſola exhibita:huius cenſus eſt mellicratum ex thymo,origano, hyſſopo, ſatureia & pulegio. Quibus factis iterum conferunt pilulæ ex hiera & agarico trochiſcato. Magni etiam vſus eſt vinum generoſum aromatis conditum: prodeſt & aqua vitæ,aut ſtillotica ex cinnamomo. Quibus accedunt etiam ea auxilia,quæ exteriùs ventriculum calfacere & fouere valent,qualia ſuperiùs diximus. A quibus omnibus intus exhibenda ſunt medicamenta,quæ humoris reliquias conterunt, ac ſimul partem labefactatam roborant,quale eſt aromaticum roſarum,diaciminon, dianiſon,& alia huius naturæ,ſicut theriaca quæ in ſanandis his affectionibus miram habet efficaciam, ſic & confectio de hyacintho, & reliqua quæ bulimo prodeſſe diximus.

De cibi faſtidio. Caput. III.

Ertinet eâdem ratione ad læſionem appetitiuæ potentiæ cibos faſtidire,nam appetendi actio, quæ tribus modis poteſt lædi,ablatè nimirum,diminutè aut corruptè, cùm vel ex toto aufertur vel diminuitur,hanc cibi inappetentiam,ſeu faſtidium generat:cùm verò deprauatur,vnum è tribus ſymptomatis progignere valet:nam vel plus iuſto appetit,vel res deprauatas exequitur, vel familiares & amicas auerſatur. Primi igitur ſymptomatis iam meminimus nomine caninæ appetentiæ:ſecundi latiùs inſtituimus ſermonem lib.de fœmi.morb.cap.de picaceo appetitu: tertij verò iam agendi ſe ſe offert occaſio,nomine abominationis ſeu faſtidij ciborum, ſi priùs de diminuta ſeu ablata appetentia differuero.

Suboriuntur itaque affectiones,quæ pertinent ad cibi faſtidium: vno è tribus modis:nimirum diminuto aut ablato ciborum appetitu quod ſolùm quoad magis & minus diſsident,auerſo & faſtidito, vel omnino abominato cibo: quippe aliud eſt cibum non appetere,aliud faſtidire,& longe aliud abominari. Atqui licèt hæc vitia vnius videantur rationis & potentiæ,cum hoc tamen non ſolùm diſtinguuntur inter ſe nomine,ſed re & ratione vitiatæ potentiæ. Quippe non appetere,proficiſci quidem poteſt,eo quòd vel cibis aut ſuccis abundet homo, vel quòd nullus ſit ſuctus in ore ventriculi,vel quòd non ſentiatur,aut vltimò quod deiecta ſit appetendi potentia:nam his de cauſis animantia appetere ſolent,vel non appe-

tere

tere:at cibum abominari aut faſtidire à ſola appetitiua potẽtia imbecilla & errante prodit,quæ proſequitur odio alimenta,tanquam ſi quid alienum eſſet à noſtra natura.Quod ſanè prodit,quia potentia ipſa non ſolùm non apprehendit cibum vt iucundum,verùm potiùs odore & ſapore iniucunditatem progenitam à vitio humorum qui ſunt prope os ventris,perſentit.Sciendum tamen eſt, quòd licèt cibum non appetere ſymptoma ſit appetitiuæ potentiæ,cum hoc tamen non ſemper primario eius vitio prodit:nam aliquãdo potentia non appetit,quòd nullus ſit ſuctus in ore ventriculi,neque in reliquo corpore inanitio:& ob id ſuctus aut non fit,aut quòd læſa etiam ſit ſentiendi potentia non ſentitur: quo fit, vt appetitiua non gliſcat ad proprium munus exequendum,& ſequatur cibi inappetentia. Præterea(vt propoſueram)aliud eſt amicos cibos non appetere,aliud auerſari, & lõge aliud eos tanquam alienos & extraneos abominari.Haud ſecus res ſe habet, quã ſi quis ſano homini,ſaturo tamen,cibos offerat,hic ſane non appetet:aut illos porrigat quos ipſi nunquam gratos fuiſſe conſtat, vel eos quibus eſt ſatur, hos enim veluti faſtidiet homo:aut rurſus ſi quis illi cõtrarios omnino & inimicos porrigat, velut ſerpentis aut alterius venenoſi animalis carnem:nam hos omnino abominabitur & eis viſis exhorreſcet natura.Quippe refert ſenſus appetitui ſimiles eſſe cibos & leſuros,ac ſunt humores quibus læditur in ore ventriculi ſenſus ipſe:& cùm humores ſint adeò vitioſi & tetri,ſic laborans cibos odio habet,ac ſi eſſent de illorum humorum natura & conditione,quòd illos referat ſenſus eſſe prauæ quoque conditionis.Itaque cui propriè pertinet alimenti amor & fruendi deſiderium, illi profectò,odium & triſtitia ex eodem alimento ſuccreſcet,atque hæc eſt cibi faſtidij in vniuerſum ratio & differentia.

Dubium. Dubitabit iure optimo quiſpiam, qua nam ratione ijdem humores in eodem ventriculi ore exiſtentes ac lædentes eandem facultatem,tam diuerſa & omnino contraria pariant ſymptomata, adeò vt in picaceo appetitu res omnino à noſtra natura alienas & aduerſas cogant appetere: in cibi faſtidio res familiares & amicas odio habere & abominari.In qua etiam re aliud non minoris momenti hæſitandum ſuccreſcit,nimirum qua ratione in picaceo appetitu,ſemper appetitus feratur in ea quæ humoribus peccantibus ſimilia exiſtant(quippe appetunt carbones, qui adufta bile læduntur, terram,qui melancholiam,gypſum,qui craſſam pituitam tanquam cauſam ſortiuntur,ſal,qui ſalſos humores)in faſtidio verò & abominatione cibi,ea aduerſatur natura & fugit ac abominatur, quæ noſtræ naturæ ſunt familiaria & amica,& nonnunquam quæ contraria exiſtunt humori peccanti:quæ ſanè pahemata diuerſiſsima admodum eſſe nulli erit dubium. Quarum hæ ſitationum gratia expendendum eſt,in picaceo appetitu ſimilia humoribus peccantibus exequi naturam maiori ex parte,quia connaturales facti ſunt, & eorum temperamentum factum eſt habituale,& cùm natura ſimilia ad ſui conſeruationem appetat,ſic quæ verſa ſunt in habitũ & facta connaturalia,neceſſariò ſimilia exequentur,haud ſecus quã dũ actio fit ſecundùm naturam:at cùm in cibi abominatione intemperamentum ſit in fieri,& in diſpoſitione vt aiunt,& os ventriculi nondum eorum humorum habitum contraxerit,aliquando potẽtia appetit contraria,quæ futura ſunt ſubſidium mali, vt de ventriculi intemperantia retulerat Gal.2.tegni:& ſi vltra pergat,abominatur familiaria & amica,quia ab ipſis lęditur & alteratur ſummopere natura:at dum in naturam prædictorum humorum mutatur habitus,inimica inſectatur & appetit,vt.c.de picaceo appe.lib.de fœmi.mor. latiùs reperies ſcriptum. In qua re non eſt credendum,habitũ illum eſſe omnino factum

factum more febris hecticæ,ita vt natiuus ſit ex toto corruptus,ſed intelligendum eſt,adeò eſſe vitioſam atque efficacem qualitatem, vt poſthabito natiuo temperamento,more habitus cogat appetitiuam potentiam à ſuo ſcopo aberrare . Probat hanc veritatem,non ſentiri huiuſmodi intemperamentum,neque aliquam inferre moleſtiam,ſicut id quod verè fiens eſt,ſubitòque & affatim naturam vitiat, vt in cardiacis affectionibus conſpicimus. Quòd ſi aliquando quæ familiaria ſunt, auerſari videamus,illud quidem fiet,quia euerſa eſt omnis natura & temperies partis illius, ab humorum corruptorum labe, adeò vt externa etiam quæ ſimilia ei naturæ erant,natura quoque hac lege euerſa odio habeat: nã qua ratione naturã corrumpit humorum vitium,ita & appetitum.

Vt triplex eſt faſtidij ſors,nimirum inappetentia, faſtidium & abominatio,ita *Cauſæ.* prorſus triplex inſurgit cauſarum differentia.Nam inappetentiæ,cuius immediata cauſa eſt vel ſuctus vel ſenſus defectus,pręcedẽtes cauſæ eſſe poſſunt ſatietas aut humorum ingens copia:itẽ impedita reſolutio,ſiue ab ambiente refrigerante atq; conſtringente,ſiue à demiſſo exercitio,ſiue à balneo cutim denſante.Senſus enim oris vẽtriculi hebetior efficitur vel vitio aut reſolutione nerui à ſexta neruorũ cõiugatione prodeuntis, vel quia caliditas liquauit ſubſtãtiam aliquam, qua obtuſus efficitur,quo minus poteſt ſuctum perſentire.Obtunditur etiam ſenſus defectu ſuperiorũ potentiarum,quarum munus eſt ſenſuũ moleſtias aut actiones percipere: ſic delirantes aut ebrij quantũuis cauſam habeant vrgentiſsimam ſitiendi aut fameſcendi,nihil tamẽ ſentiũt,vt experimentũ & Hipp.teſtantur:quibus modis appetitũ lędi per conſenſum euidẽter conſtat.Faſtidiũ verò, (quod iam non ſolũ inappetẽtia eſt, ſed vltra pergit,vt ſi quis velut ſatur cibos auerſetur quibus ſatur eſt) non quidem à nuda intemperie,neque à ſuctus aut ſenſus priuatione prodit,ſed à calore liquãte,& adiũcto prauis ſuccis,vt qui laxet & ſoluat ſolida corpora ac deiecta reddat,maximè ſi adiũgatur alicui humori qui nõ iã per cõſenſum,ſed primariò affici facultatẽ efficiat,cuius naturæ eſt biliоſus humor, vel ſeroſus excalfactus, vel ſemiputris,pinguoſus aut inſipidus:quippe tũc nõ ſolũ inappetentiã,verũ auerſionem & tædiũ ciborũ progignũt.Huic enim proxima eſt abominatio,quæ ab humore os vẽtriculi inũdante,non vtcũque putrido,ſed plurimũ ac praua putredine affectũ inſurgit,maximè ſi viſciditas acceſſerit, dummodò acoris & ſalſedinis ſint expertes,vt docuerat Gal.1.pop.par.1.com.7. Quib⁹ humoribus & prædictis qualitatibus affectis,adeò grandis inſurgit ciborũ horror,vt non ſolũ eos auerſẽtur laborans,ſed adeò intenſè eos odio habeat,vt nõ ſolũ ex eorum eſu, verũ ex viſu aut auditu adeò expaueſcat animus,vt vomitibus & nauſea frequẽtiſsimè infeſtetur, haud ſecus quàm ſi cibaria eſſent deleteria.Probat has eſſe veras omnis inappetentiæ cauſas febrilis calor,qui mox à principio cuiuſuis febris,ſolũ inappetentiam gignit,ore vẽtriculi laxiori facto & humore ibidẽ exiſtente modicè liquato:at creſcẽte febre & humoris putreſcentis aliqua portione in ipſum cõfluente, faſtidium efficitur:prætereà vlteriùs confluente humore intenſiùs & ſordidiùs putrido,abominatio ſuccreſcit,quibus euidenter cõſtat,qualis naturæ ſit quæuis prædictarum differentiarum cauſa.

Verùm licèt affectiones hæ ſigna ad propriam cognitionẽ non requirant,ei ſta *Signa.* men indigent ad cauſarũ exactã diſtinctionem & notitiam:primum enim cauſam externam ſecludes,& victum conſiderabis, nam copioſus & craſſus ſimul cum ocio tædium facilè concitant.Præterea febres appetitum tollunt,& ob calorem & ob humorem putridum & ſanioſum: maximè dũ humores in ventrẽ funduntur:

idem contingit in mœrore & timore. Sed præter hæc calidam ventriculi intemperiem teſtantur tetri ac nidoroſi ructus & vomitio bilioſorũ, quos monſtrat ventris eroſio & morſus. Frigidam intemperiem contraria indicant, ac ſi frigidi præſint humores, nauſea plerũque adeſt, & crebra ſpuitio, & à cibo, ventris fluctuatio, ſomnus profundus, ructus acidus & reliqua huius naturæ. Reliquas verò cauſas facilè venaberis ex priuatione prædictorum ſignorum, & ex relatione habita à laborante & aſsiſtentibus.

Curandi ratio.

Curandi verò ratio in præſenti affectu multis modis perficitur: primo quidẽ ablata inappetẽtiæ cauſa, iuxta trimẽbrẽ illã diuiſionẽ. Quippe ſi nullus ſit ſuctus, prohibens remouere oportet, vt ſi copia ſuccorũ naturaliũ, per inediã: ſi effluxus prohibitus, per frictiones & ea quæ cutim aperiãt & halitũ euocent. Si verò ſuctus non ſentiatur, prohibens quoque remouere oportet, ſiue humor ſit, ſiue natiua humiditas liquata, ſiue intemperamentũ aliquod calidum & laxans ac fundens. Sic enim primò cauſa auferenda eſt, quam diximus, purgatis nimirum per alterutram aluum humoribus os ventriculi infeſtantibus, eo ordine & eiſdem medicamentis, quæ diximus capitibus præcedentibus. Hoc tamen obſeruatione dignum eſt, quod ſi aliquod ex his trib⁹ ſymptomatis alicui morbo ſuccreſcat, ratione eius aut cauſæ, morbo curato, illis protinus medella ſubſequetur. Verùm ſi eorum quoduis per ſe à ſuis cauſis excitetur, duplex neceſſariò erit medendi ratio: vna quæ cauſam illidat, iuxta cuiuſq; cauſæ ideam & naturam (quippe non opus eſt vbique docere qualiter bilioſa aut pituitoſa expediat purgare, aut calida vel frigida attemperare) altera rurſus quæ appetitum ipſum excitare valeat, velut ſunt quæ guſtui grata, varia & odorata exiſtant. Quæ ſanè in calidis refrigerantia eſſe oportet: maximè quę aceto aut ſucco limonum, agreſtæ & aranciorum acidorum parantur: quibus non rarò prodeſt panis poſca imbutus, vel ſucco limonum aut granatorum acidorum cum ſaccharo, vel aqua ſola frigida prima menſa ſumpta, ſi moderatè bibatur. Ex vſu quoque ſunt cibaria ſorbilia acidis parata, & quæ faciliter ingerantur: nam ſolidorum cõmanducatio nõ rarò tẽdiũ parit: odoramẽta quoque adſint ex roſacea aqua cũ aceto, vino & ſanthalis. Extrinſecus autẽ quæ refrigerando roborant, ſunt adhibenda: vt eſt roſaceũ & oleũ omphancinũ, cum pulueribus roſarũ, coralli & ſanthalorũ. In frigidis verò intẽperamẽto & humore, facta copioſiori purgatione, aut minori & ſæpius repetita, calorificis veteris, vt vino dulci & aromatis cõdito, tũ per ſe, tum cibarijs admixto: confert etiam cibarijs hæc eadẽ aromata admiſcere. Prodeſt quoque ſyrupus de corticibus citri & puluis earum cum ſaccharo, aut dragea ex eiſdem facta. Conferunt theriaca & medicamenta ex pipere & zingibere confecta. Acetaria etiam conficies ex melle & aceto cum ſucco pomorum dulciũ addito cinnamomo. Exteriùs verò calidis inunctionibus & fomentis veteris: maximè inunctione, quæ recipit mẽthæ ſiccæ & ligni aloës, ana. ʒ.j. maſtichis. ʒ.iij. aloës ʒ.ij. ſucci abſynthij. ʒ.iiij. olei nardini & maſtichini, ana. ʒ.ſs. ceræ quod ſit ſatis. Cõfert etiã inunctio ex balſamo, oleo de pipere, de cinnamomo, de abiete, de mẽtha aut de aniſo. Idẽ præſtãt ſacculi ex galãga, cinnamomo, aniſo, caryophyllis, mẽtha, abſynthio & ligno aloë, quos & ſiccos, & vino calido madidos ex vſu eſſe cõperim⁹. In vtraq; tamẽ cauſa neceſſum eſt & vtiliſsimũ, rhabarbaro vti maſticato, aut pilulis ex maſtiche aut rhabarbaro quarto quoq; die exhibitis, vel terebinthina abiectis eiſdem dierum interuallis præſtita: iuuat & oxymel ſquilliticum, aut medicamentum quod ex malis cotoneis paratur.

Verùm ſi ob impotentiam animalis facultatis & virium cibus non appetatur, quatuor

quatuor cibariorum aut ſalſamentorum ſortibus appetitũ excitare oportebit, cuius naturæ ſunt quæ guſtui grata exiſtunt, velut ſalſa, aromatica aut acria: ſecũdò per ea auxilia quæ ſua ſponte excitare habent appetitum, contrarium cauſæ morbificæ inducendo effectum: ſunt hæc quidem in triplici differentia: quædam calidi tatem quæ ſenſum deijcit compeſcunt refrigerantq;, qualia ſunt frigida omnia, tum alimenta, tum medicamenta: quædam rurſus inanitionem efficiunt, veluti frigida & adſtringentia, quæ facta corrugatione aut repulſione, humores ab ore ventriculi pellant, quibus etiam ſuctionem fieri & ſentiri eſt neceſſum. Tertia verò medicamentorum ratio eſt eorum, quæ ſua ſponte mordicationem efficiunt, qualia ſunt ſalſa, acida & acria omnia, quibus mordicatione facta, ſimile fit ſuctui accidens, ac per conſequens triſtis ſenſatio, quę appetitum præcedit. Quibus omnibus addere placet quartum aliud genus, quod continet odorata omnia, & quæ guſtui & olfactui gratiora eſſe ſolent, licèt deteriora ſint, vt conſulit Hipp. 2. apho. 38. & Celſus lib. 5. cap. 6. quibus fortaſſe excitatus appetitus in deſiderium alicuius rei prorumpit: nam quemadmodum ex delectabilium memoria ſæpe appetitus inſurgit, ita ex memoria quæ renouatur per ſe aut ex odoratis & guſtui gratis, inſurgit non rarò ſua ſponte deiectus appetitus. Cuius naturæ multa reperiuntur, ſed inter ea ius glaciatum parari poteſt, quod vberrimè nutriat & appetentiam inuiter, ſi acceperis ius decoctum extremitatibus caponis vel gallinæ, hœdi aut vituli, eique addas ſacchari albiſsimi ad ægrotantis guſtum, aceti & vini albi quantum apertè ſentiatur, & ſanthali rubei ad inducendum colorem ceraſorum quod ſufficiat, cui addere poteris, ſicut & alijs cibarijs, cinnamomi parũ aut caryophyllorum vel nucis muſcatæ. Sunt etiam clyſteria, quæ & appetentiam excitant & vires roborant: primi vſus eſt, quod recipit vini albi lib. ſs. vrinæ pueri. ʒ.iij. mellis deſpumati. ʒ.ij. injiciatur mane ante cibum, quippe abſtergit & vim expellentem excitat. Quòd ſi gratia nutritionis conficere velis, iuris vel lactis caprini. ʒ. vj. addes vitella duorum ouorum. Præſtant tamen excitando appetitui plura, quæ exteriùs adhibita magno ſunt vſui: nam præter ea quæ ſuperiùs diximus, extant cataplaſmata, quæ ex pane toſto & ſucco granatorum cum prædictis oleis & pulueribus conficiuntur, nec minoris momenti ſunt emplaſtra & cerata, quæ huic vſui copioſè ſcripta reperies capite de imbecillitate ventriculi. Proſunt etiam electuaria, quæ ventrem roborent & vires habeant conſumendi humorũ reliquias, velut eſt diarrhodon, aromaticum roſaceum, & decoctum aut infuſum abſynthij, & alia quæ citato capite reperies.

Cæterũ in cibi faſtidio & abominatione longè aliter agendũ eſſe arbitror: quippe euidentiſsimũ eſt vtrũq; ſymptoma vno è duobus modis poſſe ſuccreſcere: nimirũ quatenus vtrũque aut alterũ per ſe morbũ cõſtituit, & nulli alteri affectui cõiungitur, vel cũ febribus aut alijs affectionibus ſuccreſcit: vtcunque ſit, conſiderare oportet humorũ ad os vẽtriculi affluxu fieri: ſicut in febribus quarũ humor, vt ad caput vel ad inteſtina, aut quãuis aliã partẽ cõfluit effecturus phrenitidẽ aut ſomnum profundũ, vel aliũ affectũ, ita prorſus ad os ventris effecturus faſtidiũ. Quo tempore diligens & prudẽs Medicus vereri debet ne turgentium humorũ more vel alijs partibus communicetur, vel ibidem manens in ſingultum immedicabilem commigret: ſæpe enim ex poſthabito cibi faſtidio (quod in omnibus morbis ſummopere damnauerat Hipp.) in grauiora mala delabuntur laborãtes. Quapropter vt humori turgẽti purganti ſubuenimus medicamẽto, ita profectò, & longè citius ſi in os ventriculi confluat. Hoc tamen vno adſeruato, quòd in morbis

febrilibus aut quibuſuis alijs,quorum materia confluit in ventrem,purgare oportet,vel in principijs,ſed eligentibus medicamentis,& his quæ à venis & corporis ambitu euacuare nata ſunt, qualia præexiſtens affectus expoſcit: at vbi nullus alius adeſt affectus quàm cibi faſtidium,ſat eſt ventrẽ purgantia ſolùm porrigere pharmaca:quinimo alia quę aliunde humores euocãt fugienda,ne plus ad affectã partem trahant.

De ſiti. Caput. IIII.

CVM certum ſit,corpus noſtrũ quotidiana diſſipatione(ob ſubſtantiæ noſtrę effluuium,quod vitari non poteſt)perire,ob id quidem breuiter eum caſurum ſperandum eſt,ni citò reficiatur,cibo quod calidum ſiccumq; erat,ac potu quod frigidum & humidũ. Expedit enim elementorum ſubſtantias & qualitates in eâdem temperie & proportione ſeruare,ſi corpus à prædicto damno tueri aliquo tempore velimus. Quod ſanè prouida natura, quãtum poteſt,inſtituit efficere, duos in nobis excitans appetitus:alterum calidi & ſicci,in ſubſidium famis & penuriæ alimẽti: alterum verò frigidi & humidi,in ſitis medellam & refrigerium. Atq; licèt fames ſolùm ex craſſæ terreæque ſubſtantiæ deperditione ſuboriatur,cum hoc tamẽ ſubſidium calidum & ſiccum eſſe oportuit:cùm certum ſit, ad deperditionem illius ſubſtantiæ calidum quoq; innatum deperdi: ſicut in ſiti quæ etiam humidioris liquidioris & roridæ ſubſtantię defectu fit,præſidium expoſtulat homo frigidum & humidum,quod non ſolùm deperditam ſubſtantiam reficiat,verùm & calorem, quẽ ad humidi defectum acriorem & maiorem fieri neceſſum eſt(ſi ſiccitas caloris eſt lima)refrigeret & contemperet. Quippe naturaliter ſemper ea concupiſcimus,quæ illis aduerſa ſunt quibus lædimur,niſi iam in naturam ſint verſa.

Sitis igitur in triplici exiſtit differentia:nam quædã eſt naturalis,altera non naturalis,reliqua verò præter naturam.Ea quidem cenſenda eſt naturalis,quæ à cibo ingeſto mox inſurgit:nã vis vẽtriculi appetẽs nouit vſus potionis,& tũc eũ mouet imprimitq; in vẽtriculo,cũ eius vſus auctus eſt ex cibo,excitatq; tũc ſitim, vt animal in eius ſubſidiũ inſurgat ad exquirendũ potũ,licèt nullus adſit ſuctus : implet nãque eius defectũ vel guſtus vel memoria.Haud ſecus enim appetimus cibũ aut potũ ex memoria guſtus rei delectabilis aut vtilis,ac ex ſuctu & triſti ſenſu:præterquam q; etiã ab ingeſto cibo cõteritur,& ebibitur humiditas,quæ oblinit extrinſecus os vẽtriculi,quo facilè & leuiter cõtingit corrugari,& ſubinde ſitire & appetere.Ex quo dogmate diluitur cõtrouerſia nõ mediocris momẽti,nimirũ q; licèt prꝰ deperdatur in noſtris corporibꝰ humidũ roridũ(in cuius defectu vulgariter fertur, ſitim naturalẽ ſitã eſſe)quã ſiccũ terreũ,cuius defectus famẽ excitat,& ex deperditione humidi,ſitis primò oriri teneat,cõtrariũ tamẽ ſemper accidat,hoc eſt homines primò fameſcere,& mox ingeſto cibo ſitire,quia ſitis hæc quæ primã hãc ſpeciẽ cõſtituit,nõ ꝓdit ex illius humidi roridi deperditione(licèt illud etiã potulẽta ſubſtãtia reficiat)ſed eã excitat ad vſum & ſubſidiũ alimẽti natura laceſsita & irritata à leui illa corrugatione vẽtriculi,quæ mox ab ingeſto alimento ſuccreſcit ob ebibitionẽ illius humidi madefaciẽtis os ventriculi.Noſcit nãque natura ipſa potum, non ſolũ ad refectionem prædictæ humiditatis ex vſu eſſe,ſed etiam alimentis eſſe multis vſibus neceſſariũ:primò vt exuſtionem alẽtis humidi ex calido remoretur, permixtione humidæ & potulentæ ſubſtantię,& vt fieret vera elixatio, nã alioqui vſtio alimẽtis ingeſtis ſuccreſceret:ſecũdò,vt cibaria etiã diuerſi generis,liquari, cõmiſceriq; ad inuicẽ & cõfici faciliùs poſſint:tertiò vt potus craſsioribus alimẽtis admixtus,faciliùs ab eis extrahat exprimatq; nutrituã humiditatẽ, haud ſecus quàm aqua calida oleum ab oliuis ſeparat & educit:quartò verò potus vehiculum efficitur alimenti à ventriculo in iecur,& vt ab eo in reliqua vaſa pingue & craſſum deferatur.Quos ſanè vſus ſi dempto potu dempſeris, facilè inſpicies homines in naturalis huius ſitis modum incidere,tantoque magis,quanto cibus adauctior fuerit:quæ ſanè protinus ceſſat à potu,& in cibi abſtinentia nunquã inſurgit,niſi adeò creſcat inedia & fames,vt in ſecundam ſitis ſpeciẽ laborans decidat,quæ propriè & verè prodit ex tenuis & roridæ ſubſtantiæ defectu.

Secunda igitur ſitis ſpecies ea iudicio noſtro exiſtimanda eſt,quam Gal.& Medici omnes,ad penſum famis naturalis,naturalem quoque appellãt,conſtitutã ex deperditione roridæ ſubſtantiæ,quã ſequitur appetitus naturalis,in cuius ſubſidium venæ vſque ad ventriculi os ſugendo ſenſum triſtẽ inferunt,quẽ ſequitur ſitis,appetitus quidem frigidi & humidi,appellatus naturalis.Hanc nos clarioris & verioris doctrinæ gratia,non naturalem appellamus : quod facile probari poteſt,ſi quis eius naturam modũ & cauſas expẽderit,ac in memoriã reuocauerit, quæ capite præcedenti de fame non naturali diximus.Quippe hæc,licèt ordine naturæ procedat ab inanitione ad appetitum media ſuctione & ſenſibilitate ventriculi, nihilominus tamen ſemper proficiſcitur à cauſis quæ præter naturam & præter naturæ modum operantur.Quo factum eſt,vt ratione prædictarum cauſarum,licèt more naturali procedat,non poſsit dici propriè & verè naturalis, ratione tamẽ prædicti modi procedendi,licèt cauſam ſortiatur præter naturam,non poſsit integrè præter naturam nuncupari,& ob id iure optimo illi præſtitum eſt nomen non naturalis,quantumuis reliqui authores contrarium ſenſerint.Excitatur igitur hæc ſitis in ſubſidium deperditionis roridæ ſubſtantiæ.In qua re expendendum eſt,potulentam ſubſtantiam cuiuſuis naturæ & conditionis ſit,duo præſtare in noſtris corporibus beneficia:primum quatenus potulenta ſubſtantia eſt,nulla alia habita conſideratione,quo tempore in ſubſidium naturalis ſitis ingeritur: nam & reſiccatum os ventriculi madefacit,& alimentorũ confectioni prædictis modis iuuat,ipſa potulenta ſubſtantia eâdem manẽte:ſecundũ verò, quatenus alitura ſubſtantia eſt, & roridam humiditatem propter ſympathiam & ſimilitudinẽ refectura,quo tempore in ſubſidiũ ſitis non naturalis præſtatur.Quæ ſanè rorida ſubſtantia licèt ſemper deperdatur ſicut craſſa,non tamen ſemper ſitim cõcitat, niſi quãdo acceſſerit quæ plus eius conterat,quàm potulenta ſubſtantia reficere poſsit. Dubitabit forſan aliquis,qua nam ratione appetitus naturalis qui inſurgit ex defectu humidi roridi,& animalis qui ob id concitatur in ore vẽtriculi,feratur magis in potũ quàm in cibum, ſiquidem vices alimenti gerit eo caſu potulenta ſubſtantia. Ratio eſt, quia cùm appetitus excitetur in ſubſidium eorum quæ corpus lædunt,& inanitio minimè percipiatur ab animali potentia,ſed ſolùm caliditas & ſiccitas,quas concitat prædicta inanitio,ob id appetitus indagari tenetur & quærere frigidum & humidum ſubſidium: cuius naturæ potus eſt, non cibus. Ex quibus euidenter conſtat, hanc ſitis ſpeciem à prima differre, quia ſitis naturalis incipit à leui illa ſiccitate oris ventriculi , & niſi protinus præueniatur, degenerat in ſiccitatem roridæ ſubſtantiæ & in ſitim non naturalem:hæc verò incipit à membrorũ inanitione & deſinit in ventriculum & eius appetitum. Secundo , quia naturalis

Dubium.

fit citra humidi roridi & ſubſtantifici deperditionem : non naturalis verò minimè, niſi priùs adſit prædicti humidi exolutio. Item quia naturalis fit ne humidum diſsipetur: non naturalis verò, vt diſsipatum reficiatur. Præterea, prima fit citra ſuctum, ſecunda minimè. Item prima fit mox ab ingeſto cibo: ſecunda verò antequam ingeratur & à cauſis violentis, & non naturalibus, quæ modum excedunt & præter naturam exiſtunt.

Tertia verò ſitis ſpecies ea eſt, quam ſitim præter naturam appellamus, quòd natura & cauſis ac modo procedendi præter naturam exiſtat: natura quidem, quòd à calore incipiat & cõmigret in ſiccitatem, contrario prorſus modo naturæ cõſuero & inſtituto. Nam cùm ſitis potiſsima ratio in ſiccitate ſita exiſtat, aduerſus eius naturã eſt à morboſo calore incipere. Ratione etiam cauſarum præter naturã exiſtit, quòd ab eis proficiſcatur, quæ omnino ſunt præter naturam: quo ſanè fit, vt hæc ſitis in ſui ſubſidium primò expoſtulet frigiditatem, ſecundariò verò humiditatẽ. Modo etiam & loco affecto, quia plerunq; incipit à vitio oris ventriculi, & nõ vtcunq;, ſed ab efferueſcentia, inanitione aut calore humidi ſubſtantifici & roridi eiuſdem oris ventriculi: quo differt à ſiti naturali quæ ſolùm fit defectu humidi extrinſecus madefacientis aut eius alteratione: differt quoq; à ſiti non naturali, quòd hæc non naturalis dicta initium ſumit ab inanitione membrorum: quæ verò præter naturã dicitur ſitis, ab inanitione roridæ ſubſtantię ventriculi, quę poſteà commigrat in conſumptionem reliquarum particularũ. Neq; incõuenit, deteriorem eſſe non naturalem ea quę eſt præter naturam, quatenus pertinet ad ſubſtantiam & copiam reſolutæ ſubſtantiæ, licèt aliquãdo ratione cauſæ deterior fiat quæ præter naturam exiſtit. Mirari hac in parte deſinat lector, ſi lib. de præſidiorũ artis medicæ indicatione aliter cauſas & modum cuiuſuis ſpecierum ſitis docuerim, cùm mihi iam ſeniori verior & vtilior videatur præſcripta ſententia.

Cauſæ. Ante tamen quàm cauſarũ tractationem aggrediar, inſtitui exemplo monſtrare differentiam harum trium ſitis ſpecierũ: quippe in febre quauis vel primo eius acceſſu, ſitis ſuccreſcit, quam nulla lege arbitrari oportet eſſe primæ ſpeciei, quæ cibo ingeſto ſuboritur: nec rurſus credendum eſt eſſe non naturalem, quæ ab humiditatum reſolutione prodit, quia initio febris id fieri eſt impoſsibile. Quapropter ſtatuendum eſt, ſolùm eſſe tertiam ſitis ſpeciem, quæ ex calore præter naturam orta, in efferueſcentiam ducit humiditates ipſius ventriculi, haud ſecus quàm contingere ſcimus in omnibus internis inflammationibus & reliquis morbis caloriſicis, vel qui ex humoribus ſalſuginoſis & nitroſis os ventriculi irruentibus origi nem trahunt, quia hi ſucci eodem modo imprimunt in os ventris ſuctum & mordicationem, ac ſi vera fuiſſet humidi conſumptio: quod pari ratione contingit dũ efficacia caloris natiua humiditas oris ventriculi efferueſcit. Ex qua cauſarum differentia prodit euidenter cuiuſuis ſitis natura, & inter omnes diſsidium. Cauſæ etenim quæ ſitim excitant nõ naturalem aut præter naturam (nam harum ſolum modò hac in parte meminero) plures quidem ſunt & variæ: nam quædã propriæ & peculiares exiſtunt ſiti non naturali: quædam verò ſiti præter naturam. Illam quidem excitant omnia quæ roridam totius corporis & oris ventriculi ſubſtantiã diſsipant, ſiue extrinſecus accedant, ſiue interiùs vigeant (ac licèt in hac ſerie calor annumerari poſsit, cùm id ſecundariò efficiat, placet calfacientem cauſam ad tertium genus reducere) ſic labor, vigilia, indigentia cibi aut potus, ira & alia quæ huius cenſus ſunt, & quæ humidum imminuere poſſunt, eam excitare habent. Verùm quia hæc ſitis ſpecies vel ſolo potu vel alimento tenuiori tantùm ſedari deſiderat, placet eius tractationem ſilentio prætermittere. Ea enim quæ præternatura lis eſt, & cauſam habet præter naturam, ſiue ab alio morbo proficiſcatur & eius ſymptoma ſit, ſiue à peculiaribus cauſis, nullius alterius morbi interuentu, vt quæ tole ratu grauior ſit, & per cauſæ ablationem mitigari potiùs deſideret, maiorem expoſtulat conſiderationem. Itaque hæc ſitis quæ à calore incipit & mox media efferueſcentia ſiccitatem accerſit, cauſas habet eas omnes, quæ mediante calore vires habent mouere in feruorem humidum tenue ventriculi, ſiue id ſit per eſſentiam & primogeneam ipſius affectionem, ſiue ab vniuerſi corporis calore, vel à vitio alicuius membri vicini, aut quòd connexionẽ vel colligantiã obtineat cum ipſo. Cuius naturę ſunt pulmo, gula, iecur, & renes, quibus accedunt externæ cauſæ, vt aëris caliditas & æſtus, ignis, fumus vel puluis: vſus etiam cibariorum ſale, pipere aut aromatis conditorum: & quæcumque alia quæ facilè in bilem vertuntur: item vini meracioris aut calidioris medicamenti vſus: quibus omnibus aut aliquo ex his, ventriculus vel membrum aliquod ex memoratis italæditur, vt in prædictam affectionem prolabatur, maximè ſi vel os ventriculi vel vniuerſum corpus, aut quæuis prædictarum particularum, humore putreſcente & feruido abundet, vt ex Archigenis mente Galen. refert 6. popu. par. 4. com. 22. Sic etiam pulmone calfacto & areſcẽte, ingentiſsima ſitis oriri aſſolet, quæ nullo vſquam potu ſedari poteſt: item ſcalfacto iecore, efferueſcente aut inflammato ob abundantem bilem. Pari ratione renes, maximè diabeticam paſsionem patientes: ſic & venter cùm hydrope laborat: ſed ſpecialiùs corpus vniuerſum, vel febre vel ſicco alio intemperamento affectum, quo ob humorum calorem, vſtionem, putredinem aut acrimoniam, ingentiſsimam ſitim concitare habet. Cum hoc tamen grauior longè & intenſior (placatu tamen facilior) ea proculdubio eſt, quæ ex oris ventriculi efferueſcentia prodit. Reperitur inſuper vitioſa ſitis & quæ appetitum concitat alienorum, ob alienos & vitioſos ſuccos os ventriculi inundantes, picaceo appetitui perſimiles. Quibus conſtat, ſitim hanc fieri ex caloris copia, ex humidi inopia, & ex vtraque cauſa ſimul, vel ex eis quæ idem efficere poſsint. Vtcumque tamen ſit, affectio hæc oris ventriculi paſsio eſt, & ſymptoma in genere noxę functionum appetentiæ depraua tæ: ſequiturque calidam & ſiccam vẽtriculi intemperiem, nudam vel cum affluxu materiæ,

Licèt ſitire cuique notum exiſtat, & ſignis non indigeat, vt alij affectus, cauſas tamen eius noſſe cùm difficile ſit, citra ſigna nullus diſtinguere aut noſſe optimè poterit. Sitim igitur non naturalem oſtendunt præcedentes cauſæ, quas memora uimus. Verùm quòd ex calore diſsipante humidum vẽtriculi prodeat, vt primam cauſam ſitis præter naturam inueſtigemus, monſtrat cibi faſtidium, calor ipſius vẽtris citra morſum, nauſea vel ſapor alicuius ſortis. Noſces etiam huiuſmodi ſitim (quemadmodum in ardentiſsimis febribus comperimus, vt 4. aphor. 54. docet Galen.) ex faucium aſperitate, quam leuis tuſsicula aliquando ſedat, ſicut exacerbatur, creſcit intenditurque ex febris vehementia, quam ſæpe eadem tuſsicula concitat: illud quidem quia ad partes tuſsi commotas & vicinas humoris aliquid trahitur, quo madeſcunt loca aſperæ arteriæ & partium vicinarum: hoc verò, quia ex valida & vehementi prædictarum partium motione incaleſcunt magis loca illa, vt ſcribunt Hippocrat. & Galen. lib. 3. popu. parte 1. com. 5. & 11. quod inter peſsima ſigna prædicti authores recenſent. Humorem aliquem præter naturam ibidem præeſſe & efferueſcere, putrefieri aut vitiari cognoſces ex ſapore guſtui amaro, ſalſugino ſo, nitroſo, aut putredinoſo, ſi cum tædio aut ciborum abominatione ſitis adiunga

Signa.

tur: si verò exustus sit, ex nimia oris & faucium exiccatione, cũ grãdiori siti. Quòd si ex totius corporis vitio suboriatur, considerandum tunc est, an corpus febre prematur, vel affectu alio, eo enim tempore signis opus non est. Verùm si ex intemperamento calido & sicco siti prematur homo, etiam scisciatari oportet, an à causis prodeat procatarticis vt æstus aut ignis: an solùm ab internis, vt ira est & reliquæ animæ perturbationes incalescentes: vel ex vsu cibariorum calidorum vel salitorum, prodeat, quo tempore ex relatione certior fies. Item ventriculum iecoris consensu & intemperamento pati, promptè percipitur, ex peculiaribus ipsius iecoris symptomatis, ex vrinæ colore flauo aut igneo, vbi intẽsiores appareant, vel ex eius calore, qui dum mingitur percipitur à laborante: nec non ex colore faciei vergente ad auriginosum vel croceum: item ex præcordiorum duritie, calore & dolore: Verùm si vitio cordis, pulmonis aut instrumentorum respirationi seruientium, sitis prodeat, id nosces ex calidissimo spiritu per efflationem emisso, ex siti quæ nullo potu sedatur, & à frigidi aëris inspiratione protinus subsidet & leuatur. Multi verò ex eduliorum copia & calore sitiunt, scalfacto ipso vẽtriculo, qui profecto à somno siticulosiores euadunt, neque ob id illis vigilia medella est, licèt Hippocrat. 6. popu. parte 4. tex. 23. videatur asserere, cuius contrarium statuerat Gale. 5. aphorismorum. 27.

Præsagiũ. Contemnendam non esse ingentem sitim, docuerat Galen. 1. de caus. symptoma. cùm plures ea perijsse, ipse viderit, idque ob causarum vim & deterrimum sitis modum. Item quia immodicè sitientes ex ingenti potus copia quam ingerunt, & in hydropem & alios grauissimos affectus ocyssimè prolabuntur: sic enim in æstuantibus & calidissimis temporibus ob largiores potus, plures in malum corporis habitum procidunt, quàm hyberno tempore. Prẽterquam quòd hoc habet proprium & peculiare sitis, quòd & morbum cui adiungitur intendat, (si frigidus sit ob immodicum potum, si verò calidus ob intensiorem calorem) & vires omnes dejciat.

Curandi ratio. Cùm sitis triplices sint differẽtiæ, & diuersas earum quæque sortiatur causas, ob id profectò, licèt affectus in vtraque vnus & idem sit, non vna erit sedandi ratio, neque vnicus modus. Sed prætermissa siti naturali, ea quæ non naturalis appellatur parum aut nihil ex potulenta substantia, vt potus est, leuatur: nam cùm vniuersa eius ratio sita sit in roridæ substantiæ deperditione, arbitror citra dubium ab alimẽtosis potibus sedari potiùs, quòd reficere vires habeant, quàm à potu vt potus est: nam hoc sensu arbitror ab Hippocrat. dictum fuisse: Facilius est repleri potu quàm cibo: cuius naturæ sunt stillatitij liquores, & succi ex carnibus, ex piscibus & alijs cibarijs pressi: vinum item & aqua mulsa. Neque enim hæc sitis aqua extinguitur, licèt aliquod leuamen susceptet, quinimo & vomitum & alui fluxum ac sæpe diabetem accersere certum est: quia cùm ex potu non leuentur, ampliùs & ampliùs ingerunt, donec ex leui affectu in grauiorem deuehatur laborans: itaque initium curationis sit ab humectatione primò, cui mox succedat leuis refrigeratio. Sed expendendum est, hac etiam ratione differre à siti præternaturam, quæ nullum susceptat leuamen nisi ablata causa: hæc verò solùm humidi deperditi refectione mitescit. *Dubium.* Dubitabit forsan aliquis si sitis hæc non naturalis, defectu roridæ substantiæ concitatur, qua nam ratione protinus ab ingesto huiusmodi alimentoso potu, vel quouis alio, leuamẽ sentit laborans, ac sitis molestia & appetitus cõfestim cessant, ante deperditi refectionem: quod etiam dubitandum est de fame ac de animi deliquio, quod ex spirituum aut cibi penuria insurgit. Quibus dubijs dicimus, id fieri ob

ob mutuam partium connexionem & consensum: nam qua ratione inanitionis membrorum damnum sentit os ventriculi, ita delectationem & leuamen ex susceptо in ipso potu aut alimento ob voluptuosam, vt ferunt, nutritionem, gaudet profectò magis ex susceptо beneficio à cibo vel potu, quàm tristetur à suctu, qui mox etiam cessat, quia partes inanitæ congaudent simul cum ventriculo: & ob id non minus subsidet appetitus naturalis mẽbrorum, & suctio cessat, quàm animalis vẽtriculi à susceptо subsidio.

Sitis autem præter naturam duplicem prærequirit ad præsidium susceptandum considerationem: alteram dum alijs affectionibus tanquam symptoma succrescit: reliquam verò, dum sola à peculiaribus causis orta in corpore viget, citra alterius affectus complexum. Præterea dum per se morbum constituit, cùm à duplici causa oriatur, externa videlicet aut interna, illa quidem externarum causarum prouidentia habita, solo frigidæ potu plerumque sedari habet: hæc verò à causis sit internis, & potus differentiam cuique causæ peculiarem exoptat ad sui subsidium, & causæ ablationem antè prærequirit. Sic profectò quæ ex ingente calore oris vẽtriculi prodit, dum naturalium eiusdem partis humiditatum efferuescentiam concitat, frigidissimæ aquæ potus subsidium & causæ ablationem præstat, maximè si cibaria eiusdem qualitatis porrexeris citra cibi oblationẽ, bis terue solùm tribueris potum ex aqua sola aut cum modico aceto vel succo granatorum acrium, pampinorum, portulacæ & seminis cucumeris, lactucæ, portulacæ & coriandri, vel adiecta modica aqua cucurbitæ aut melonum, vel syrupo rosarũ aut de succo limonũ, maximè si niue refrigerentur. Verùm si iam siccitatem contraxisse os ventris cognoueris, resolutis prædictis humiditatibus, licèt idem potus ex vsu etiam sit, frequẽtiùs tamen eum porriges, sed parciùs & non æquè frigidum, quinimo humectioribus admixtum, vt syrupo violarum, portulacæ, cucurbitæ & buglossæ, vel mucilaginibus borraginis & similium: vel iurulentis, aut alimẽtosis potionibus, quarum copiam nuper scripsimus. Quo facto & mox eâdem die somnus imperandus est, & quies instituenda, & tandem omnis humectatio: nam huic sitis sorti proficua sunt quæ consuluerant Hippocra. & Galen. 6. popu. par. 3. tex. 33. quæ omnia pari pensu exequenda veniunt, dum ex immodica vacuatione sitis succreuit. Exteriùs verò in vtraque causa adhibere oportet oleum rosaceum vel omphancinum cum modico succo portulacæ, sonchi, & intybi, addito aquæ rosaceæ modico cum guttulis aceti.

Quòd si aliquid humoris biliosi, salsi, nitrosi aut pũtridi in ore ventriculi, vel confluxerit aliunde, vel ibidem vitiatum fuerit: tunc quidem primò id curabis purgare & abluere his quæ capite de cardiaco affectu diximus. Verùm si totius corporis consensu & vitio ad ventriculum aliquid confluat, vel sitis alio modo concitetur, considerandum est primò, ex frigido ne an ex calido proficiscatur affectu: nã in hydrope adeò ingens succrescit sitis, vt potu magis exacerbetur & crescat: in febribus verò pari pensu eam succrescere comperimus. Itaque si febris consensu sitis suboriatur, scisciatari oportet, an ex solo calore exsiccante, aut in feruorem agente humiditatem oris ventriculi, prodeat, vel ex affluxu eius humoris, qui vel febrẽ committit, vel in eodem corpore vitiosus abundat. Quod sanè distingues, quia calidi intemperamenti sitim extinguit tussicula: quam tussim dum humores sitim moliuntur, exacerbant & maiorem efficiunt, commotis eisdem & ad os ventris & partes vicinas euocatis. Quòd si cognoueris ex solo fieri calore febris, nullo alio auxilio & causam & sitim extingues, quàm frigidæ potu, si priùs consideraueris, an

ex

ex ſola efferueſcentia humiditatum oris ventriculi calore febris concitata oriatur: vel ex humorum confluxu vt in febrium acceſſionibus confluere aſſueſcit, vel ex eorum humorum vbicumque ſint vbertate & copia, dum tamen putreſcũt. Nam ſi ſolum ex feruore humiditatum fiat, licèt in principio incrementi febris ſit, paulatim frigidam porrigere oportet, nimirum quãtum ſat ſit vt feruor aliquo modo in ore ventris miteſcat, aqua non eunte ad vaſa qua humores ibidem putreſcẽtes incrudentur: quo quidem & laborantes leuantur & nil mali ſuccreſcit. Vel iterum conſiderabis, ſi humoris aliquid ad os ventris confluat: nam id eſſe poteſt in rigore & initio febris: quo tempore licet ſitis excitetur maxima, aquæ nihil porrigere oportet eo vel maximè, quia creſcente febre quæ humorem conterit, decreſcit pariter ſitis ita vt nullo indigeat ſubſidio: verum ſi vel in febre continua, vel in intermittentis incremento aliquid confluat ad os ventris, vel ibidem ſitim efficiẽs immoretur, tunc potius paruiſsimis aquæ tepidæ potibus ſitis ſedatur, quàm frigidis, qui cruditatem inferàt in feruescentes humores, donec inclinauerit febris & citra periculum id porrigi largior potus poſsit. In qua re tunc quidem qualis naturæ humor ſit, conſiderandũ eſt: quippe ſi aduſtæ & retorridæ ſit conditionis & nimis æſtuoſæ, poſca erit præſentaneũ auxiliũ, maximè ſi ei admiſcueris ex lenientibus aliquod, velut eſt portulacæ & borraginis ſuccus: prodeſt etiam ſtillatitia aqua ex cucurbita, lactuca aut ſcariola, vel ex hordeo ad crepaturam cocto. Verùm ſi bilioſus ſit humor, ne aqua bileſcat, tepida priùs vomendum eſt, ſi leuiter fieri poſsit: ſin aliter hæc eadem quæ diximus porrigenda ſunt, ſimul & aqua frigida cum his quæ lentorem & mucilaginem ex ſe præſtent, vt ſemen pſylij & cytoniorum. Verùm ſi ex pituita ſalſa proficiſcatur ſitis, maximè eam extinguit ſuccus glyzyrrhizę aut eius aqua, cum his quæ præterid quòd leniendi vim ſortiantur, etiam abſtergẽdi vires habeant, quale eſt hordei & glyzyrrhizæ decoctum cum ſaccharo. Sed quibus humor ſit qui ſitim concitat, oris magna habenda eſt prouidentia, ſiquidem potulentis plurimum inniti tutum non eſt, nam vt inquit Gale. 6. de locis affect. cap. 3. ex largo potu vomitus concitatur & celerrima cibi excretio, ac non rarò diabetica paſsio: quapropter os abluere oportet frigidiſsima aqua, lacte caprino vel amygdalarum dulcium, poſca, vino rubro dilutiſsimo & aqua hordei cum ſaccharo: neceſſum etiam eſt linguam extergere, & vniuerſum os à ſordibus mundare, & omni arte madefacere. Quod ſanè facies interim dum morbus occaſionem præſtat expurgandi prędictos humores, quippe tunc leuiſsimis, vel nullo auxilio ſitis ſedatur: ſed antea vteris his quæ valde humectent & leniant, dummodo ſapore aut odore ingrata non ſint. Talis profecto eſt ſyrupus violaceus, iuiubinus, è portulaca, vel ex cucurbita, cremor hordei, ſaccharum cryſtallinum, ſuccus glyzyrrhizæ vel decoctum hordei, radicis & ſeminis althęæ, foliorum portulacę & lactucę, carnes cucurbitę & prunorum dulcium, pſylij & foliorum bugloſsi: cui decocto addes ſacchari albi quod ſufficiat ad conciliandam dulcedinem. Proſſunt & gargariſmata quę leniant, vt lactis vel emulſionis amygdalarum dulcium & reliquorum quę nuper diximus.

Quòd ſi mendoſa ſuboriatur ſitis, qualis ea eſt quę ex hydrope ſuboriri aſſolet, vẽtriculo nitroſum aut ſalſum vel putridum halitum aut humorem ex peritoneo ſuſceptante, non quidem potu ſedanda venit (quòd copia falſi humoris aut nitroſi adaugeatur, quo fit vt exacerbetur magis & creſcat) ſed his quę oris ventriculi ſenſum obtundunt, aut vapores & humores leniunt & mulcebres reddunt: ſic amylũ & eius aqua, ſic mucilagines, & nonnunquam quæ pinguoſa ſunt, mire proſunt.

Verùm dum ſitis mendoſa exiſtit ex pulmonis incendio, nihil patiente ore ventriculi, ſed ſolùm ore & faucibus ſummè aridis exiſtentibus à fuligine, quæ aſsiduè per eas partes erumpit, facilè diſces, quia ſic affecti difficulter loquuntur, propter aſperæ arteriæ ariditatem, & etiam quia à nullo potu ſedatur. Cui ſanè affectioni potiùs medeberis frigidi aẽris inſpiratione & frequenti oris ablutione frigidiſsima aqua, vel ſumpto ſerapio violaceo cum aqua hordei paulatim & lambendo ingeſto: & tandem ea omnia prodeſſe poterunt, quæ tuſsi reſiccatis faucibus ex aſpera arteria proficiſcente, vtilia eſſe capite de tuſsi ſcripſimus.

At dum iecoris ingenti calore aut alio ſimili vitio, malum hoc ſuboritur, tunc quidem ipſi primò prouidendum eſt ſanguine miſſo ex ſaluatella, vel ex baſilica dextra, exhibito etiam diluto rhabarbari, ſi humoris aliquid affuerit: præſtita etiã aqua lactis vel conſerua roſarum cum aquis cucurbitæ, lactucæ, intybi, cichorij vel emulſione quatuor ſeminum frigidorum maiorum. Item facta ſupra iecoris regionem inunctione ex vnguento roſaceo, ſanthalino aut refrigerãti Galeni ſuper poſitis pãnis aqua roſarum & aceto madidis, vel ſucco agreſtæ aut intybi. Prouidendum autem ori eſt ijs quæ aſperitatem & ſcabritiem leniant, qualia nuper ſcripſimus, cui etiam potum largiorem porriges, ſed per maiora interualla.

Cæterum ſi renum vitio ſitis ſuboriatur, vt in diabetica paſsione ſuccreſcit, nullo alio auxilio cenſeo te potiùs in hoc malo profuturum, quàm eo quod vel ſomnũ conciliet, vel ſenſum ſtupefaciat aut ſaltem leniat. Sic profecto ex vſu eſt in hyſteria quaque nocte ſyrupi papaueris ʒ. j. ß. cum aqua hordei aut decocto maluarum vel althęæ porrigere: quem quoque vſum præſtat eiuſdem aliquid interdiu lambẽdo ingerere. Prodeſt & ſyrupus portulacæ, violarum, de mucilaginibus, & tandem omnia quæ ſenſus acrimoniam retundere nata ſunt. Quòd ſi ne hæc quidem prodeſſe comperiamus, non erit ab re tertio vel quarto quoque die noctu ʒ. ß. vel ℈. ij. philonij Romani præbere, quo & ſenſus moleſtia hebetior fiat & ſomnus conciletur, vt à potus damno liberetur æger.

De ſingultu. Cap. V.

EST quidem ſingultus deprauatus quidam, & contra naturam ventriculi motus, qui conuulſionis modo efficitur, cùm tamen conuulſio non ſit: quæ ſanè affectio licèt primo acceſſu videatur cognitione facilis, eſt profecto ſumè difficilis, non ſolùm quatenus ad naturæ explanationem, ſed etiam & longè magis ad curationem attinet. In cuius affectus enodatione primò compertũ eſt, paſsionem eſſe totius ventriculi, & nõnunquam ſolius eius oris, aut inferioris cauitatis, vt ex Galen. 3. de locis affect. cap. 7. & 5. cap. 6. & 3. de cauſ. ſymptoma. cap. 2. apertè colligitur. Secũdò expendendum eſt, & ferè omnium authorum conſenſu conſtat, non eſſe veram conuulſionem, ſed certum quendam motum conuulſiuo motui perſimilem: cùm indubitatum ſit, conuulſionem affectum eſſe à ſolo morbo exortum, nihil agente facultate cuius motus oblæditur, ſed omnino patiente: at ſingultum euidenter cõſtat affectum eſſe à facultate, irritata tamen à re præter naturam, & conante quod nocuum eſt expellere. Differunt inſuper, quia conuulſio propria eſt affectio inſtrumentorum voluntati ſeruientium, ſolius enim muſculi paſsio eſt vt Galen. aduertit.

tit.3.de cauſ.ſymptom.cap.2.& ob id ad animalem potentiã peculiariter pertinet: at ſingultus partibus ſolùm accidit, quæ naturali fruuntur facultate,& ſic proprius eſt eius affectus & peculiaris oblæſio.

Inſuper nemo eſt qui ambigat,motum eſſe ventriculi deprauatum ad expellendum nocuum, & ob id perſimilem exiſtere vomitui & nauſeæ,qui etiam eiuſdem finis ratione excitantur à natura: & ferunt ſolùm differre, quia in ſingultu natura nititur expellere quod infartum eſt in ipſius ventris aut oris eius tunicis:in vomitu verò & nauſea,quod in cauitate abũdat & præeſt.Et ob id ſtatuunt,ſolùm ratione motus maioris aut minoris diſſidere, cùm vehementiori conatu quod infartũ eſt in ſingultu natura cogatur expellere,leuiori verò in vomitu.Nam cùm ſtatutũ ſit,nullum motum prẽter naturam fieri niſi ſupra eum qui ſecundum naturam eſt, & in ventre nullus alius reperiatur præter eum qui excrementa pellit,& ad eum attineat vomere, videbatur ad eundem ſingultum eſſe reducendum ac de ſorte & natura vomitus exiſtere,& ſola ratione maioris aut minoris diſſidere. Sed iudicio noſtro falluntur qui hac ſola ratione diſſidium conſtituunt: nam etſi vehementia motus & loco humoris peccantis vt ipſi ſcribunt, differant,ratio tamen differentiæ in hoc ſita non eſt, ſed in modo quo facultas in vtroque affectu operatur: nam in vomitu totus venter ſimul mouetur:in ſingultu verò non ſemper vniuerſus,ſed aliquando eius os,aliquando corpus. Præterea naturalis potentia, quæ nocui expulſioni dicata eſt, duplici modo id exequitur:vno quidem cõpreſſis partibus quibus ineſt,qui ſanè expulſionis modus communis eſt & naturæ familiaris, & ſic ventriculus dum ſeſe corrugat conſtringitque, nauſeam & vomitum concitat. Alio verò modo partes naturales expellunt vtentes inſtrumentis & modo ſimillimo eis quibus motiua facultas vtitur, nimirum fibris & filamentis quibus pars conſtat conſtituiturque, & eodem prorſus modo, videlicet quoties commouent ſeſe,haud ſecus quàm muſculus motui locali dicatus. Sic etiam ventriculus ſingultum mouet,non quidem ſe corrugans & conſtringẽs,vt in nauſea & vomitu, ſed ſeſe quatiens & contorquens, vt mediante motu illo expellat quod ſibi eſt moleſtum,haud ſecus quã cerebrum in epilepſia partes voluntati ſeruientes mouet & concutit: non quidem voluntariè ſe mouente naturali facultate ipſius cerebri,vt etiam nocuũ expellat. Itaque conſtat in vomitu ſolũ cõtractione & corrugatione facta,naturam expellere,at in ſingultu extendit natura ventriculum primò & poſteà veluti ſe comprimit,vt cum ſaltu,vibratione & concuſsione impetu maiori quatiat,& pellat quod ſibi eſt moleſtum.Conſtat igitur vno motu vomitum mouere naturam,duobus verò,extenſione nimirum & contractione ſingultum,quem ob id appellauit Aui.motum compoſitum.Sunt tamen qui arbitrentur,primò naturam ſe ſe contrahere,& poſtea vibratione & impetu dilatari & pellere:ſed falluntur profecto,quia non mutat cõſuetum expellendi ordinem,hoc eſt per contractionem,ſed mutat modum, quia ſe dilatat,& poſtea impetu & ſaltu (non ſola corrugatione & compreſsione) ſe contrahit & expellit: quippe ſi dilatatione pulſum tentaſſet, vtique ad extima ventriculi pelleret,quod eſſet alienũ a ratione & natiuo pellendi modo,quòd nullus eſſet locus per quem extra corpus truderetur, & ob id priùs ſe dilatat vt compreſsione intra ventris cauum pellat. Ex quibus prodit ratio, inter alias,quare ſingultus dicatur potiùs motus conuulſiuus quàm conuulſio:nam conuulſio motus eſt,cęterũ ad vnam tantũ ſitus poſitionem factus, vbi membrum quieſcit, ſiue ante ſiue retro ſit.At motus conuulſiuus compoſitus eſt ex motu ad vtraſque partes, nam ſe ſe extendit membrum, & mox ſe

ſe contrahit atque quatit.Ex quo etiam coniectanda eſt differentia inter conuulſionem & motũ conuulſiuũ,quæ magni eſt momenti: quia in cõulſione impeditur facultas & ſolùm membrũ morbidum agitur à morbo:in conuulſiuo verò motu agit facultas & patitur membrũ: præterquam quòd facultate etiã differunt. Ex qua profectò veritate prodit non ſolùm pulchra quædam differentia inter prædictas affectiones,verũ conſtat,neque ſingultũ,neque motũ aliũ quẽuis concuſsiuũ, poſſe omnibus partibus noſtri corporis accidere,quantumuis expellẽte facultate fruãtur,& acri humore irritentur,niſi tãtùm his quæ villis & fibris cõſtitutæ ſunt: quod probant partes carnoſæ,adenoſæ & pinguoſæ,quas nunquam viſum eſt à ſe concuſsiuo & vibrato motu quidquam pellere,quòd villis careant.Quo fit,vt ventriculus,in ſingultu,muſculoſæ partes in rigore,vterus in vterinis affectionibus,cerebri meninges in epilepſia concuſsiuo motu à ſe pellant,à naturali quidem facultate facto,ſed non modo naturali, nec facta partium inter ſe leui compreſsione. Differunt tamen inter ſe concuſsio membrorũ in epilepſia,& in rigore ac ſingultu,licèt ab eãdem fiant facultate & ob eandẽ cauſam:quia in epilepſia partes concutiuntur per conſenſum cerebri ſe ſe concutientis & conantis expellere nocuũ: at in rigore omnes partes ſentientes primaria affectione lædũtur & cõcutiuntur, vt in ſingultu ventriculi prædictæ partes.Excogitauit enim natura nouum expellendi modũ,& cũctis validiorem,tum quia humor preſsiùs partibus inhæret, tum etiam quia penitiùs inſertus imbibitur,adeò vt cõmuni expellendi modo ſeparari erat perdifficile,ne dicam impoſsibile,cùm ſolùm ea via,quod in cauitate immoratur,aſſueſcat natura pellere:quo fit,vt maiori conatu opus ſit, & noua pellendi arte,qualis in ſingultu & ſimilibus reperitur. Itaque conſtat ſingultum eſſe expultricis facultatis ventriculi noxam & ſymptoma, quod ſequitur etiam retentricis ventriculi vitium non potentis cibos probè complecti & retinere: ſed id ex accidenti illi ſuccreſcit, non tamen integrat eius naturam.

Cauſæ. Sed de cauſis hũc affectũ excitantibus,longe maius licet contexere certamen, q̃ indiſtinctiùs earũ diſcrimẽ & naturã adduxerint authores ferè omnes, ne dicã Hipp.& Gal.licèt ij modeſtiùs & oculatiùs eam rẽ ſcripſerint.Cõſtat igitur vnanimi omniũ ſententia,eaſdẽ ſingultũ ſortiri cauſas,quas conuulſionẽ verã,& eã quæ muſculoſis partibus accidit,nimirũ repletionẽ aut inanitionẽ: & addunt nõnulli peculiarem etiam aliam ſingultum ſortiri,hoc eſt acrimoniam & mordacitatẽ humoris.Verũ ſi quis rẽ maturiùs penſitet,reperiet profectò,hac vltima excepta,ſingultũ omni alia carere:quod ex ipſa affectus ratione & modo quo cauſæ in ipſum efficiẽdũ cõſcendũt facilè diſcet.Primò quidẽ cùm cõuulſio actio ſit à ſolo morbo prodiẽs,& morbus ſit ſoluta cõtinuitas cũ dolore,neceſſariò obtinuit cauſas, quæ ſoluere cõtinuũ natæ eſsẽt,qualis repletio diſtẽſione,& inanitio cõtractione (idq; nõ vtcũq;,ſed vt proprio cap.de cõuulſione ſcripſimus)efficere habẽt:at ſingult⁹ ex his eſt ſymptomatis,quæ à ſola facultate,licèt irritata,prodeũt citra ſenſibilẽ morbũ,ſed ſolo irritamẽto vltra naturę modũ illato in facultatẽ,cui opus nõ eſt plenitudine aut ſiccitate,ſed ſolũ cauſa quæ pũgẽdo aut mordẽdo facultatẽ vltra cõſuetũ modũ,ipſam ad vehementiorẽ expulſionẽ nocui inuitet,quantũ ipſa cauſa naturalẽ excedit.Quòd ſi aliquãdo in ventrẽ vberiùs cõfluat, ſingultireq; laborãtes cõſpiciamus,aut rurſus ſi accedat cauſa quæ inanitionẽ & ſiccitatem moliatur,vt in grãdioribus euacuationib⁹,aut æſtuãtib⁹ & malignis febribus accidit, exiſtimãdũ quidẽ eſt,repletionẽ & inanitionẽ illã ſingultũ nõ efficere eo modo quo & cõuulſionẽ,neque qua plenitudo aut ſiccitas ſunt.Nã in conuulſione lędunt,quia adeò

dolorosè continuum extendunt & soluunt, vt figuram mutent: at in singultu, plenitudo lædere quidem potest, sed quia grauans est & irritans pondere, aut malignæ existit conditionis, citra id quod partē distēdat, & ob id cogat ad originē verti. Siccitas verò & ingens euacuatio singultū efficiunt, non quia corrugant partē & contrahunt ac soluunt præ compressione, sed vno è duobus modis: primo, quia ex inanitione, sequūtur fuctus & mordicatio in ore vētris & eius corpore, quam vt fugiat natura, glisçit ad expulsionem nocui, & prædicto singultu vtitur, vt finē consequatur. Secundo verò, quia causæ quæ prædictam inanitionem aut siccitatē induxerunt, ventris facultatem irritant & mordent, & rursus quia loco eius quod vacuatur, in ventrem confluit flatuosum quid, aut aliud acre vel mordax, quod prædictum irritamētum molitur, siue vacuatio per vias sit communes, siue sanguinis à venis, quo profuso copiosiùs, necessum est acres humores vberiùs abundare & futere, ac in ventrem irruere, & ibidem prædictum accidens excitare. Sæpe tamē ex ingentibus vacuationibus, sanguinis aut calidorum succorū, adeò intensa contrahitur in ventriculo frigiditas, vt sola nata sit singultū mouere, sicut re vera citra calidorum euacuationē solet efficere, vt mox referam. Itaque constat repletionem aut inanitionem non posse, vt conuulsionem ita & singultum efficere, neq; vt tales sunt, sed vt citra morbum aliquem aptæ sunt naturam lacessere & irritare, exemplo quidem sunt rigoris & epilepsiæ motus, qui nusquam ab exsiccatione aut repletione proficisci visi sūt, sed à causa quæ naturā irritet, licèt in corpore præsit plenitudo aut siccitas: quo fit, vt minimè credēdū sit aliter accidere in singultu. Constat igitur hūc affectū eas tantū sortiri causas, quæ natæ sint citra alterius morbi interuentū mordicationē inferre, & naturam excitare. Huius sanè naturæ sunt flatus, vel humores acres, mordaces, serosi, nitrosi, aut medicamenta seu alimēta, vt de pipere & pharmaco ex tribus piperibus Gal. refert: huius etiā conditionis sunt frigus, calor acrior, cibus copiosus, aut mala qualitate affectus, vel in nidorosā aut corruptam conditionē versus. Quòd verò vehemens caliditas atq; frigiditas morsum inferant & singultū, testimonio sunt pueri, & Galen. 4. simpl. differunt tamen quia frigiditas veluti erodēdo, & caliditas diuellendo morsum inferat: at caliditas plerumq; succrescit ex calidioribus alimentis, frigiditas tamen ex frigidiori potu, vel cū quis festinanter alimentū deuorare nititur, quia tunc aēris nō leuē portionē ingerit, vt probat curatio, nā sola vocis cohibitione cessat. Insuper etiam alia ratione frigiditas singultum infert, nam corpora omnia neruosa ad difflationē inepta reddit, & ob id causa est, quòd acri vapore abūdent, & subinde singultus excitetur. Cuius profectò repletionis, & nō eius quæ distensionē & solutionē continui molitur, censeo locis omnibus meminisse Hipp. quod Gal. expressissimis verbis testatus est. 6. apho. 13. dicens, sternutamentum à singultu liberare, quòd sternutamentū plenitudinem euacuet: quam plenitudinem prædicto modo fieri exprimit, & ob id ex frigiditate, & ab ea orta plenitudine asserit pueros frequenter singultire: quinimo existimandū est, has solas esse veras singultus causas, plenitudinem verò atq; inanitionem non nisi metaphoricè. Sic profectò in confirmationem huius veritatis Gal. 8. pharmac. loc. cap. 2. hæc scribit verba. Ego verò in cōuulsione tertiam aliquā causam citra euacuationē & repletionem nondum reperi, singultum etiam sine his fieri video: quod cēseo dixisse, quia illæ natæ sunt morbosam cōtinui solutionē efficere, quæ immediata est cōuulsionis causa, vtpote quæ à solo morbo debet fieri, hæc verò nō nisi irritamentū in naturā citra permanentem & sensibilem morbum, sed solùm passione hac excitata, & lacessita natura, nullo morbo mediante. In febribus verò hunc affectum fieri credendum est ob halitus vel humoris acrimoniam, aut venenosam qualitatem, & si quando ventriculus ex ingenti calore resiccatur, & forsan ex resiccatione mordetur, aēris enim & caloris mordacitas, cùm citra materiam facultatem expellentem lacessant, ad inanitionem reduci debent, ad differentiam alterius mordicationis quæ ex humore prodit. Sic profectò vermes mordendo partes ori ventriculi vicinas, singultum excitant: & pari ratione exquisita oris ventriculi sensibilitas, quæ vel à naturalibus & consuetis causis, singultum ob id mouet. Prætereà accidit reuulsa interiori tunica ventriculi, siue ichoribus aut bile refluente in stomachum, quod in hepatis inflammationibus euenire par est: quanquam consortio tenuium neruorum, qui ab hepate ad stomachum pertinent, videtur attribuisse Hippocrat. 1. popul. & Galen. At materia quæ aliunde regurgitat in ventriculum, irritat quidē aliquando, nonnunquam vel inflammationem gignit, vel erysipelam, ac non rarò fluitat, & sæpe in corpore eius imbibita est.

Præsagiū. Præsagandi ratio exquirenda profectò est, vt certior euadat, ex modo inuasionis affectus: nam si incipiendo procedit à frigore, calore, cibo, potu vel quauis alia causa, quæ nondum in alium affectum proruperit, leuior est singultus. Verùm si alium affectum sequatur, aut vt rectiùs loquar, causam eius, vtcunque sit, longè grauior est: nam à vacuatione sanguinis, à vomitu, ab alui fluxu, à sudore, à menstruo fluore, à febre maximè laboriosa, vel quouis alio, mihi non est dubium quin maximum portendat periculum, vt experimento confirmatum est, & Hippocrat. docuit aphorismorum. 3. &. 4. lib. 5. Pessimus etiam est exinflammatione ilei, meserei, ventriculi, hepatis aut cerebri, sicut in sopore vel animi deliquio aut tertianis febribus, sic & in febre ardente & quacunque continua, qualis ea est cuius meminit Gale. 4. acutorum singultuosa nuncupata, quæ summè malum portendit, nisi vomitus sequatur: nam venenosam materiam vel internam tunicam ventris exuri proculdubio significat, aut acres & biliosissimos humores & quos vix superare potest natura. In hystericis verò fœminis non ita periculosus existit: in vteri inflammatione deterior, à musculis & ossibus temporum læsis, lethalis: item in senibus ob prolapsa intestina non ita, quia sola reductione curatur.

Signa. Nosces singultus causam prægressam ex relatione: nam inanitionem præstitisse occasionem, ex præcedentibus euacuationibus disces, vel ex largiori inedia. Humorum vel alimentorum copiam causam præstare, cognosces, quòd præcesserit multorum aut prauorum alimentorum esus. Acrimoniam & mordacitatem disces ex oris sapore & vomitu, ex anxietate & mordicatione & graui in ventriculo molestia: item ex his quæ excernuntur. Ita & in febribus ex humore peccante copioso vt in principijs, prauo & venefico vt post euacuationem, aut ex solo incendio, quod testatur ingentissima sitis: sic pusilla humoris portio aut vaporis maligni noscitur priuatione prædictorum signorum.

Curādi ratio. Curationem probè institues, si diuiseris in eam quæ singultui debetur, cùm per se affectum constituit, & in eam quæ ei proficua sit, cùm alterius affectionis est accidens. Huic enim medeberis triplici auxiliorum genere: vno quidem quod morbo proficiat & symptomati, si morbi materia occasionem præstitit, vt in febribus conspicimus (nam de singultu ob inflammationem ventriculi, cerebri, vteri, iecoris & aliorum membrorum, sat est nosse per ablationem affectus, aut per solam sensus oris ventriculi retusionē cōpesci debere) quarū succi in ventrem confluentes id malū machinantur vno è tribus modis: nam aut succrescit singultus

in principio febris, crudorum ſuccorum vbertate & à recrementis primarum venarum: quam ſanè vel expurganti pharmaco, eoque leniente protinus demes, vel vomitu. Secundò prouenire aſſolet in ſtatu, quo tempore criſis per vomitum futura monſtratur, cui ſanè nullum præſidium adminiſtrare oportebit. Tertiò verò & vltimò ſuccreſcit ſingultus in febrium augmento, humore ob calorem præter naturam vigentem fuſo & feruido, ac ob id ad plures partes euaporante, ac forſan maximè in ventrem & os eius. Quod ſanè vt fieri aſſolet duobus modis, ita vtrumque ſeorſim ad curationem, tanquam differentes expendiſſe oportebit: quippe vel refunditur vitioſus ac feruidus humor per meſeraicas à iecore & venoſo genere in ventris inanitatem, aut per venas quibus os ventris & venter ipſe gaudent & fruuntur, permeat ad prædictarum partium ſubſtantiam, quod grauius ſolet eſſe & periculoſius. Diſtingues autem ad inanitatem confluere, quia rariùs ſingultiunt laborantes & leuiùs, atque ab aſſumpto cibo vel potu aut quouis medicamento leuantur. Fieri autem in ventris ſubſtantia autore eius, quòd non ſedetur cibo ingeſto, & ſingultus frequenter & importuniùs fiat, ac veluti vera ventris conuulſio videatur, quia non quieſcit longiori temporis ſpatio, ſed præ frequentia veluti ſuffocari laborantes videantur, quia cùm infartum ſit quod mordet, difficiliùs pellitur, & preſsiùs ac importuniùs naturam laceſsit. Quo fit, vt duobus etiam modis ſubuenire huic malo oporteat: nam præexiſtente in ventriculi cauo mordaci humore, vel vomendo, aut leni pharmaco expurgando, protinus demendus eſt, cauens ne ſeligentibus vtaris, ne plus humoris ad ipſum ventrem euocetur. Quippe quæ leniendo purgant, humorem euacuant & ſimul reſiduum mitigant: ſic dum vomendum eſt, aquæ calidæ hauſtum copioſum porrigere oportebit, vt & abluatur ſordities, & ſurſum ducta faciliùs vomitus concitetur. Verùm ſi conſtiterit infartum eſſe in ventris ſubſtantia humorem, vt toleratu eſt grauius, ita prorſus curatu difficilius exiſtit. Cùm hoc tamen tribus præſidiorum ſortibus pugnandum eſſe conſulit vrgentiæ ratio: nam ſi vel corpus purgatione iam vſum fuerit, aut ob febris inclementiam non licuerit, curabis ſenſum (ne laborans plurimum labatur) ſtupefacere, ac primò ſi fortè ſuffecerit à leuioribus facto exordio: nimirum à ſyrupo violarum, portulacæ, de mucilaginibus & de papauere, ac vltimò deueniendum eſt ad philonij vſum: interim tamen alexipharmacis curabis humoris inclementiam conterere, vt theriaca vel electuario de hyacintho, ſi febris incendium non vetuerit, ſin aliter ea admiſcere oportet ſyrupo violarum, de ſucco limonum & de portulaca cum copioſioribus aquis. Exteriùs verò oleo de Mathiolo, naphæ vel abſynthio cum vino partem inunges. Verùm ſi febrilis feruor non vetuerit, ex re erit ante ſtatum ſeligenti pharmaco purgare, vt infuſo rhabarbari vel foliorum ſenæ, & ſyrupo ex infuſionibus violarum aut manna. Vel ſi huic curationi locus non ſit, clyſmatis ventrem ſolicitabis interim dum corpus ad maiora auxilia paratur, & pari penſu humoris ac flatus acrimoniã retundes: quem vſum præſtare poſſunt ptiſſanæ cremor, lac amygdalarum dulcium, amylum, lac aſininum aquæ admixtum vel iuri pulli aut aquæ lactucæ vel portulacæ. Item emulſio quatuor ſeminum frigidorum maiorum extracta aqua hordei, portulacæ aut lactucæ: cuius etiam cenſus eſt hauſtus aquæ feruentiſsimæ, aut ſi maximus ſit feruor, & nihil aliud vetuerit, frigidiſsimæ. Quòd ſi ſola ſit æſtuoſa caliditas, mirum in modum proficiunt trochiſci, qui recipiunt ſpicæ nardi, roſarum viridium & maſtichis, ana. ʒ. ℈. aloës & aſsari. ℈. j.

opij

opij. g. xij. excipiantur mucagine pſyllij facta in decocto lactucæ & fiant paſtilli quantitatis. g. x. Prodeſt in vtraque cauſa potus aquæ alicuius ex dictis, aut pluuialis frigidiſsimæ, ſi vires aut ſumma cruditas non vetuerint. Verùm in hac æſtuoſa cauſa venter exteriùs fouendus eſt, (non quidem vt in præcedenti vbi reſoluere ac digerere calidis opus erat) oleo roſarum, vel omphancino, de ſemine cucurbitæ aut de papauere, additis pulueribus ex corallo & roſis cum mucagine pſyllij & guttulis vini albi.

Quòd ſi ſingultus nulli alteri affectioni, quæ peculiarem prouidentiam expoſtulet, adiungatur, tunc profectò à cauſæ conſideratione & ablatione initium curationis auſpicari oportet: quippe ſi à ſola frigiditate oriatur, ſola vociferatio vel anhelitus voluntaria cohibitio, vel cogitatio intenta, vel timore percuſſa ſufficiens eſt, quòd ſpiritus compreſſus vicinas pulmoni partes plurimum calfaciat: idem quoque præſtat aqua frigida in faciem inopinatò inſperſa. Præſtat etiam intus & extra ventrem calfacere per ea quæ partem ipſam rarefaciant, facta priùs leui frictione: cui vſui ſummopere confert vinum Hippocras appellatum, vel ius cum cinnamomo, aut ipſum cinnamomum commanducatum, aut aqua cinnamomi, quæ feruens exiſtat. Exteriùs verò dorſum inunges oleo naphæ vel de pipere, & ventrem eiſdem & balſamo, oleo nardino & de mentha, ſuperpoſito cataplaſmate ex furfure, vino, aqua vitæ & pulueribus calidis. Verùm ſi flatuum multitudo ventrem ad ſingultum laceſsit, præterquam quòd nuper adducta præſidia ex vſu eſſe poſſunt, prodeſt etiam vinum in quo maduerint aniſum, baccæ lauri, ruta, roſmarinus, iuniperus & galanga: valet vinum Hippocras appellatum, aut aqua in qua maduerit anethum, abſynthium, caryophyllus & id genus. Præſtat & leuis hauſtus aquæ vitæ, aut aquæ cinnamomi arte chimica extractæ: item diaciminon, dianiſon, & electuaria quæ fiunt ex nardo, gallia & zingibere. Idem præſtat theriaca vetus aut mythridatum. Quòd ſi ex corrupto cibo flatus prodeat, maximi eſt vſus id quod recipit ſpicæ celticæ, zingiberis, nepetæ, ſeſeli, rutæ, dauci, cumini, ana. ʒ. j. ſacchari. ℥. vj. fiat puluis cuius. ʒ. ß. porriges ſuperbibito mellicrato. Proderit tamẽ priùs rhabarbaro aut hiera ventrem purgare, vel pilulis quæ recipiunt ſpodij, ſeminis intybi, portulacæ, ligni aloës, ana. ℈. j. pulpæ tamarindorum. ʒ. j. rhabarbari electi. ʒ. ij. conficiantur cum oxicrato. Magni etiam eſt momenti ſyrupus de corticibus citri cum infuſo rhabarbari in hydromellite: ſicut exteriùs calidis & diſcutientibus vti, ſed maximè decocto camemali, abſynthij & caryophyllorum aut fœniculi: prodeſt & cataplaſma ex furfure, vino, & pulueribus carpeſiarum, galangæ & cinnamomi.

At ſi ex cauſis prodeat, quas diximus affines eſſe inanitioni, tunc profectò reficientibus potiùs & reſtaurantibus, quàm his quæ vel euacuẽt, vel calfaciant aut digerant, res agenda eſt: quapropter vtendum erit deſtillatis colatitijſque iuſculis & expreſsionibus ac cibis humectantibus. Fiunt autem hæc ex conſeruis bugloſſæ, borraginis, nenupharis & ſimilium: item ex iure extremitatum capreolorum aut auium addito cinnamomo & ſaccharo. Præſtat etiam dorſum inungere & ventriculum oleo violarum, hydreleo & oleo ſeminis melonum cum hapſu ex goſsypio carpto illis imbuto, qui perpetuò ventriculo & dorſo inſideat: tandem conſulendus eſt Galen. 7. metho. cap. de ſiccitate ventriculi.

Quòd ſi à calidorum humorum affluxu is affectus ſuboriatur (quod ex roſionis & mordicationis ſenſu perdiſces facilè) quàm citiſsimè curandum eſt ventrem à

prædictorum humorum ſpurcitia liberare,quod promptiùs facies vomitu,exhibitis priùs quæ humorum acrimoniam retundant,& aliquo modo attenuent (quia ſemper his adiungitur aliquis lentor,qui fixiùs adhæret) atque pariter contemperent:cuius naturæ eſt aqua calida cum ſyrupo violarum, borraginis & bugloſſæ, atque portulacæ,& guttulis oxymellitis: item panis aqua imbutus,vel aqua hordei cum ſaccharo violarũ & modico aceto. Proſunt & emulſiones ſeminum frigidorum maiorum,& ſuccus portulacæ aut lactucæ cum aqua hordei & ſaccharo, vel decocto papaueris:prodeſt etiam lac ſeminis eius. Quibus factis audaciùs poteris vomitum mouere, ac ſi laborans vel renuerit vel difficulter vomuerit,vel factũ non profuerit,his ventrem purgabis quæ ſuperiùs diximus, infuſo nimirum rhabarbari, manna, ſyrupo ſolutiuo roſarum cum decocto foliorum ſenæ. Prodeſt & abſynthij decoctum cum expreſsione rhabarbari aut foliorum ſenæ cum ſaccharo,vel ſyrupo portulacæ:poſtea verò frigidæ aquæ potus mirum in modum ſingulis tui medetur. Quibus profectò non ſolùm ventri beneficium præſtabis,ſed prouidebis etiam iecori,cuius occaſione & vitio non rarò hanc affectionem ſuccreſcere ſcimus. Sed exteriùs quoque venter & iecur inunges oleo roſaceo vel omphacino,aut vnguento roſaceo vel ſanthalino,vel ceratum ſuperimpones ex oleo roſaceo & violaceo ſæpius aqua roſacea cum modica cera lotis.

Si tamen ex humore craſſo,frigido & parti nimium infarto homo ſingultiat (præter ſternutamentum & alia quæ authores proficua eſſe ſcribunt,quia vim habẽt calorem ſubitò ad interna reuocare, vt ſunt ſubitæ animi paſsiones,& alterationes) primitus humores extenuare & calfacere ac incindere opus erit,quod faciesprimum mellicrato, oxymellite diuretico aut ſimplici: quibus factis quãtum ſat ſit,vomitum excitabis bis terue in hebdomada,porrigens intermedijs diebus, hydromellitis ſquillitici modicum,aut oxymellitis ſquillitici cum melle roſaceo tantundem. Verùm ſi vomuiſſe non ſuffecerit,iterum humores præparabis, & ad hieræ ſimplicis Galeni vſum(quæ primas tenet in hoc affectu)te conferes, vel ad pilulas maſtichinas,de aloë,de rhabarbaro & agarico cum modico turpeto: nec non ad terebinthinæ abietis vſum,vt quæ mirè viſcera omnia repurget, maximè ſi ex ea & rhabarbaro pilulas confeceris. Inter vnam tamen & alterã purgationẽ, modico veteris aceto ſquillitico,aut oxymellite cum decocto cinnamomi, hyſſopi,thymi,ſatureiæ & ligni aloës:quibus factis authores conſulunt caſtorei. ℈.j. aut 3.ß.cum poſca potui tribuere,vel theriacæ aut mythridati.℈.j.cum vino aromatis condito,& iterum ad purgationem ex hiera & agarico iubent deuenire:poſteà tamen commendant vſum vini quod ſic conficitur.Excipe vini albi.℥. vj. in quo leuiter ferueat galangæ.3.j.cinnamomi & ſeminis anethi,ana.3.ß. caſtorei.℈.ß. cuius ſingulis diebus manè ſumat laborans.℥.j.ß.Præſtat & hydromel ex decocto ſquinanti,aſſari,maioranæ,ariſtolochiæ & zingiberis:prodeſt & diaciminon, dianiſon & diatrion pipereon.Sed mirum in modum prodeſſe ſcimus electuarium quod recipit(maximè ſi quid vitioſum & corruptũ adhæſerit)ſeminis anethi, cardus benedicti,citri,ana.℈.j.meliſſæ,corticum citri,ana.3.ß.coralli rubei, galangæ, macis,cinnamomi,ana.g.x.margaritarum,fragmẽtorum ſmaragdi,ana.g.viij.cornu cerui & lapidis bezoar,ana.℈.j,cum ſaccharo et vino albo fiant tabellæ: item theriacæ modicum aut mythridati vel ſtillationis eiuſdem theriacæ. Huic etiam cauſæ,poſt prædicta præſidia ſcimus incredibili efficacia prodeſſe cucurbitã ventri appoſitam:nam euocato calore materiæ inclementiam et duritiẽ frænat.Exteriùs verò inunctiones,fomenta, cataplaſmata & emplaſtra quæ ſuperiùs ſcripſimus

mus vim habere calfaciendi adhibenda ſunt:oleum item aniſi, caryophyllorum aut cinnamomi,aut theriacæ & alia plura,quæ huic vſui proficua leges tom.2.cap. de præſidijs ventriculo calfaciendo aut refrigerãdo idoneis.Verùm ſi ne hæc quidem aut illa prodeſſe videantur,ad narcoticorum vſum iterum confugiendũ eſt ea lege quam ſuperiùs adduximus.Expendendum tamen eſt in curatione cuiuſuis cauſæ,purgantia medicamenta non vehemẽtia,nec copioſè atque confertim eſſe adhibenda,langueſcit enim ſummopere eorum vehementia & calore vis ventriculi, quo deterior plerumque fit affectio,ſed ſatius eſt paulatim & per interualla minutis vti purgationibus,vt citra virium iacturam ſenſim hummores imminuamus.

De nauſea & vomitu. Cap. VI.

EST quidem vomitus vna ex affectionibus quæ ventriculo accidunt,cui comites ſunt conſimiles aliæ, nimirũ nauſea,ſupinitas,ſubuerſio,æſtuatio & conturbatio ventriculi,& tandem aliæ,quas ſtomachicas Galen.8.pharmac.loca.appellat.Recenſet namque eos ſic eſſe appellandos,qui ab accepto cibo grauantur & ægre tolerabilem anxietatem habent,& qui nauſea infeſtantur: maximè cum ciborum acore aut nidore,vel alio vitio: & qui ructus eiuſmodi cum moleſtia quadam, anxietate ac ſubuerſione eructant: maximè ſi nondum cibum acceperint, & qui in ventre diu cibum adſeruant grauantem, & qui à nimio premuntur appetitu. Item eos qui fortiter exoluuntur, ſi citò cibum non accipiunt, & morſum perſentiſcunt: tandem eos omnes qui nauſeabundi cum æſtu, anxietate et triſti moleſtia exiſtunt.

Cæterùm primò expendere hoc capite oportet, ſubuerſionem eſſe laxitatem quandam ipſius ventriculi,quæ ex diſtemperie,aut(vt.8.pharmac.local.Galen.refert)ex copioſa et inundante humiditate proficiſcitur citra aliud vitium humoris, quibus de cauſis ventriculus ſubuertitur et veluti nauſea mouetur.Cui affectioni finitima eſt ſupinitas,in qua quidem ventriculus parilege mouetur, verùm citra ciborum abominationem & tędium,in quibus videntur differre huiuſmodi affectus. Cæterùm quia ſubuerſio finitima eſt faſtidio, ſupinitas quidem nauſeæ,ob id arbitramur differre ab æſtuatione & conturbatione,quæ ſunt quoque depraui motus,dũ ventres ęſtu & calore ac propenſione ad motũ nauſeatiuũ mouentur,quę ſanè ab aſſumpto pharmaco plerũque ſuccreſcere ſolent, & potu frigidę protinus ſubſident & quieſcunt,quo differunt à ſubuerſione & ſupinitate:ſed horum hac in parte ſeorſum meminiſſe non eſt opus,cùm ſat ſit vomitus & nauſeæ curationem & naturam expendiſſe.

Eſt quidem nauſea inanis quædam vomendi neceſsitas, qua ventriculus citra manifeſtam excretionem ad vomitum mouetur. At vomitus tantùm eſt expellentis facultatis motus, quo pellit quod ſibi eſt moleſtum in ventriculo. Quarũ definitionum gratia expendere primò oportet,qua nam ratione ventriculus huiuſmodi moliatur vacuationem,naturaliter ne,an pręter naturam:nam potiſsima ratio propter quam toto genere pręter naturam Medici eam appellarũt, eſt quia nullum huic vacuationi natura dicauit inſtrumentum:namque ſtatutum eſt ven

triculo per œsophagum vorare, ac per piloron & infernam aluum expellere: igitur nulla lege videtur posse fieri, quòd animal naturaliter vomat, etiam si Galen. dixerit œsophago inesse vorare & vomere. Præterea nullum esse instrumentum constat: nam per villos rectos œsophagus trahit, per circulares pellit ab œsophago in vẽ triculum, & nullum aliud habet villorum genus, quo possit sursum pelliere, ergo vomitioni nullum datur instrumentum. Quod secundò sic probo: nam vacuatio quę fit per vomitum, etiam cẽsenda est præter naturam, quatenus id quod excernitur non est residuum optimæ coctionis, sed quid superuacuum & excremẽtitium, alienum quidem ab his quæ secundùm naturam solent fieri. Insuper præter naturam efficitur, non quòd ope naturæ non fiat, neque quòd subito naturæ instrumẽto creat, sed quia natura ipsa peruertit agendi antiquam consuetudinem. Ratio huius rei stat in hoc, quòd vt alimentum ab ore in ventriculum deferatur, necessum est fibras oblongas moueri primò ac motum incipere à parte œsophagi suprema, & ministerio transuersarum quæ comprimunt alimentum ab eâdem parte incipientium defertur deorsum. Itaque cùm motus fibrarum principium sumit à parte superiori œsophagi, deuoratio perficitur: cùm verò principium prædicti motus fibrarum fit à parte inferna œsophagi ad supernam & os ipsum efficitur vomitus. Quo fit, vt hac ratione aliquo modo constet vomitum non omnino subuertere naturæ leges, neque omnino esse præter naturam: quippe abutitur ipsa villis oblongis & circularibus, vt vsus tempore hunc motum exequatur: nam vomitus fit mediantibus duobus motibus, ventriculi nimirum conantis expellere, & œsophagi trahentis sursum mediantibus villis rectis, (quibus voratum secundum naturam efficit) apprehendentibus quod ventriculus regerit, cui operi iuuant etiam villi transuersi comprimentes, facto principio compressionis à parte inferna sursum, donec per os euomatur excrementum, & hoc est quod Gal. dixerat 6. de morb. & sympt. nimirum naturam his motibus abuti.

Sic nausea fit inanis duobus modis, aut quia villi memorati non trahunt, etiam si ventriculus regerat quæ continet, & talis motus appellatur supinitas: aut quia vẽ triculus non regerit, quòd impacta adhærensque sit contenta substantia, etiam si œsophagus conetur trahere, quæ vera est nausea. Itaque si vterque motus principium sumat à parte inferiori, vomitus nauseaue fiet: nam sicut quod in ore continetur, deorsum fertur, facto motus principio à parte ori proxima, pari lege vomitus efficitur eius quod in ventriculo continetur, facto motus principio à parte œsophagi ventriculo proximiori. Ex quo constat, vomitum esse affectum præter naturam facultatis expellentis ipsius ventriculi, factum eisdem instrumentis, quibus deuoratio fit, cæterùm diuerso modo & ordine operantibus. Nausea etiam eiusdem est naturæ conatus, licèt irritus & inanis, in quo differt à vomitu, quia nihil notatu dignum excernitur in ea. Qui sanè duo motus ob id à Galen. naturæ opera appellantur, quòd à principio intrinseco proficiscantur: & eo quòd natura non nisi irritata eos moueat, aliquando symptomata appellat. Quo fit vt affectiones naturę potiùs quàm actiones censeri debeant: contrahit enim se se ventriculus in vtroq; motu, & ad modum quo manus nostræ comprimunt quod continent, premit & pellit: ac licèt toto genere præter naturam sit quod proijcit, dum prodest, & ex nocui expulsione animal iuuatur, sub affectu præter naturam continetur, non tamen toto genere, vt ex Gal. constat lib. de differentijs sympto. in fine.

His habitis, constat euidenter hos omnes motus vni facultati, nimirum expultrici, conuenire; tanquam in vnica ratione generica, verùm dissidere inter se peculiari

liari quadam & specifica ratione, qua vnusquisque propriam adipiscitur naturã. Nam vomitum & nauseam potiùs mouet naturalis facultas expultrix, appetitu quodam naturali stimulata, quòd sibi tanquam dissimile apprehendat, quod nititur expellere, potiùs quàm occasione alia. At singultum ob sensus acrimoniam & læsionem excitari comperimus, & quasi præstans subsidium expultrix gliscit ad nocui & molesti pulsum, in quo etiam conuenire cum vomitu videtur, licèt in modo longissimis dissideat interuallis. Verùm in supinitate, subuersione, æstu & turbatione ventriculi, in animalis appetitus subsidium se se accingit ad nocui expulsionem, vt euidenter probat cibi fastidium, cui prædictæ affectiones iunguntur: quippe omnes sunt cum cibi horrore & tædio, in cuius gratiam ac medellam expultrix insurgit, ac etiam adeò intenditur motus, vt vomitum & nauseam in subsidiũ aduocẽt, vt non rarò accidit his, quibus visa aut audita re aliqua sibi aduersa non solùm supinitas & subuersio succrescunt, verùm & nocui vomitus: secus res se habet dum malum à vomitu incipit, quia tunc satis est, causam quæ ipsum excitat ob dissimilitudinem esse naturæ aduersam, adeò vt nitatur ipsam pellere: præterquam quòd (vt mox probabo) causæ ratione longissimis dissident interuallis.

Causæ. Proficiscitur vtraque affectio à causis quibus inest vis facultatem ventriculi expultricem irritandi, aut labefactandi contentricem, ne possit sibi commissum alimentum continere, aut actibus errantis expultricis resistere, etiam si leues sint, nã sola sui ratione arbitror minimè posse vomitum mouere, quantumuis frigiditate aut humiditate abundet, quæ potissima sunt eius impotentiæ principia. Facultatẽ verò expellentem variæ causarum sortes lacessunt: cæterum duo tantũ earum genera ipsam ad expulsionem vitiatam inuitant, nimirum ventris vlcus, tuberculus aut acrior ipsius sensus, vel humor aut excrementum quoduis quod præter naturam ibidem confluat, aut generetur. Hæ tamen sunt in duplici differentia, nã aut pondere & grauitate molestant, aut acrimonia & mordacitate lacessunt. Materia tamen harum causarum multiformis est & varia: nam ex humoribus quilibet, nec non & excrementis, diuerso tamen modo: nam quædam ventriculum inundantia replentiaque eiusdem cauitatem, id malum efficiunt: nonnulla ipsi ventriculo adhærentia infartaque (quæ maiori ex parte nauseam efficere sunt nata) siue crassa sit pituita, quæ plerumque aut innatat aut adhæret, siue bilis, serosusue humor, aut aliter vitiatus, adustus, putrefactusue. In quo etiã genere sunt cibi & potus vel fœtidi, vel pinguosi, vel tædiosi & prauè olentes aut acres & mordaces.

Dubium. Sed suboritur non leue dubium in modo quo hæc omnia prædicto malo causam præstant: inquit enim Galen. 1. de locis capi. 4. Ex humoribus prædictos affectus efficientibus, quosdam ventris cauitatem replere & inundare, quales sunt aquosi, aut qui ex crudis edulijs praui gignuntur: quosdam ventriculi tunicis adhærescentes & impactos, qui crassi sunt, viscidi & glutinosi: alios verò acres, mordaces, serosos & nimium tenues, qui plerumque in ipsius tunicas infarti, acrimoniam inferunt & mordacitatem. Et subdens diuisionem inter nauseam & vomitum docet, humores vel adhærentes vel in cauitate inundantes vomitum mouere, hos quidem facilem, illos verò difficilem & cum maximis conatibus, quem cum praua excretione præcedit vehemens nausea: nauseam verò efficere eos qui in ventris ipsius tunicis inuiscati & penitiùs inserti sunt. Ex qua doctrina prodit dubitandi occasio, nimirum quæ sit differentia inter singultum & nauseam, si quidem vterque affectus ab eisdem fit humoribus & eodẽ modo infartis in eisdẽ

eiuſ-

eiuſdem membri tunicis. Cui dubitationi, ne longiùs abeam, dicimus longè magis eſſe in ſingultu infartos humores in ventris ſubſtantia, quàm in vomitu, quia ſolùm inundare ſat eſt, & in nauſea, cui ſufficit adhæreſcentes in ventris tunicis eſſe, dummodo humor ſit admodum tenax, cuius tenacitatẽ ſupplet humor tenuis in ſingultu, dum in poris reconditus hæret. Præterquam quòd non rarò conſtat vomitum & nauſeam hoc habere proprium & peculiare, quòd ſibi habeant comites ſubuerſionem, ſupinitatem, aut laxitatem, tædium vel abominationem ac æſtũ & horrorem: quo fit, vt plerumque vomitum moueant viſa & audita, quæ hæc accidentia ſua natura inferre poſſunt. At ſingultus nulli iſtorum adiungitur, ſed citra alterius ſymptomatis commercium hominem infeſtat. Cuius diuerſitatis etiã ratio eſt diuerſa humorum natura: nam qui nauſeam & vomitum moliuntur, præter morſum & acrimoniam aut pondus, quæ communia habent cum his quæ ſingultum efficiunt, habent inſuper ſpecialiùs tædioſam, humidam & veluti pinguoſam naturam, aut ſordidam quandam & nimis humentem putredinem, quibus non ſolùm natura ad motum excitatur, ſed etiam animalis potentia moleſtiã quandam & tædium, ac veluti horrorem & abominationem eorum quæ in ventre ſunt, perpetitur: cuius ratione licèt humores ſint ijdem, hoc peculiari accidenti diſſident, & pari ratione ſymptoma quod ab eiſdem prouenit, vt dictum eſt: quippe ſingultum ſicciores & craſſiores humores proculdubio efficiunt. Præterea differunt, quia per ſingultum ventriculus in ſe contractus & velut deſcẽdens gulam deorſum trahit: contra in nauſea nimium laxatus quaſi inuertitur, & ad ſuperiora vergit œſophago etiam laxiore facto, quòd in ſe nauſea contineat ſupinitatem & ſubuerſionem, ſiquidem præ nimia humectatione ventriculus ligamentorum inſtar laxus cibum faſtidit, & leuiſſima de cauſa reſupinatus ſubuertitur: oportuit profectò hæc ſymptomata prædicta cauſæ ratione etiam diſſidere, quia quæ appetitum lædunt naturalem, potiùs diſſimilitudine quàm alio vitio id nata ſunt efficere: quæ verò ſingultum, ſenſum tactus ob actimoniã & mordacitatem: at quæ appetitum animalem, tædio & horrore concepto potiùs quàm alijs qualitatibus, quæ nobis diſſimiles ſint, aut ſenſum tactus lædant, id efficere habent: & ob id cauſas prædicto modo diſſidere opus fuit.

Signa. Qua ratione partiti ſumus huius affectus cauſas, partiri etiam tenemur ſigna, quibus quælibet cauſa cognoſci faciliùs poſsit. Sic dum vomitus ex nauſeatiua ciborum ſatietate proficiſcitur, ſumpta ratione ab his quæ præceſſerunt, facilè cognoſcitur: nam ſi quis plus iuſto alimenta ſumpſerit, aut ea fuerint praua qualitate affecta, alijs ſignis opus non eſt. Verùm dum ex totius corporis vitio prodit, nã ſæpe id fieri contingit, corpore ſe ſe in ventriculum exonerante, ex deprauato totius corporis colore iuxta peccantis humoris ideam, facile erit cognoſcere. Nam dum bilioſi ſunt vomitus, pallidum corpus vniuerſum exiſtit & ſcalidum, dolores perſentit maximos, & laſsitudinem ſpontaneam præceſsit deprauata vitæ inſtitutio, qua totum corpus excrementis ſcatens, tanquam validius & fortius in ventriculum ſua vitia tranſmittit. Sic in pituitoſis vomitibus cognoſces corpus peccare ex albo colore, carnis mollitie & ad actiones torpore & ineptitudine: præterquã quòd præceſsit pituitoſorum inordinata ingeſtio, exercitij conſueti demiſsio, nauigatio, natatio, habitatio in locis frigidis & humidis, ac vita admodum ſedentaria. Vomitus præterea melancholicus cognoſcetur ex toto corpore prodire, ex plumbeo faciei colore ad nigrum potiùs vergente, ex triſtitia, ex mœrore ac deſperatione: quibus præceſsit ingens cura aut labor, leguminum & piſcium, atque carnium ſalitarum præter modum & conſuetudinem eſus: item eſt in toto corpore impotentia quædam inſolita.

Proficiſcitur non rarò vomitus à cerebro in ventriculum inſtillante pituita aut ſalſuginoſo humore, quod facilè noſces ex præcedente & præſente inſtillatione ab eo, necnon ex ſpumoſis vomitibus, & quòd frequentiùs nauſeabundi exiſtant laborantes, quo tempore cibum ingerunt, & mox ab ipſo ingeſto: nam maſticationis opere & calore facilè inſtillat & attrahitur pituita, quo crebriùs nauſea & vomitu infeſtantur laborantes.

Nec minus vomere coguntur laborantes iecore in ventriculum regerente ſuccum ſuperabundantem, ſed maximè bilem. Quod noſces ex vrinæ colore, ex iecoris tumore & dolore, ex natura humoris per vomitum excreti, corpore non peccante: & ex eo quòd ieiunis magis ſuccreſcat ventriculum impleri à prædictis recrementis ex iecore, quàm ſaturis, licèt vt cibus nõ euomatur, neceſſum eſt in hac cauſa ante ipſum vomere, quod etiam mõſtrare habent linguæ color & ſapor, quibus plerumq; iecoris vitia venamur.

Cæterùm dum in ventriculo mali cauſa immoratur, faciliùs multò cognoſcitur: nam pituitoſi humores præter id quòd vomitum mouent ventriculum nauſeabundum obtinent, & adeſt quædam veluti cibi auerſio, ventriculi frigiditas, tremor maiori ex parte maxillæ inferioris, etiam ſi id omnibus vomentibus accidat: item ructus excretio, quæ nullum refert ſaporem, niſi acida ſit pituita aut ſalſa, quæ facilè his ſaporibus ſui præbent ſpecimen, præterquam quòd in ſalſa plurimum ſitiunt laborantes, & à potu non leuantur, ſed citiùs vomunt. Flaua autem bilis faciliùs dum redundat, cognoſcitur ex linguæ colore, amarore & ſiti, ex ventriculi anxietate, cibi faſtidio & bilioſorum excretione.

Nauſea ergo interdum mouetur primogeneo ventriculi affectu ab humoribus mordentibus aut opprimentibus ventriculum, quam non ſequitur vomitus propter imbecillitatem facultatis, aut partium ſuperiorum œſophagi ac lentorem & craſsitiem materiæ, quæ contumaciter tunicis adhæreſcens, minus obſequioſa eſt: interdum verò per conſenſum à phlegmone partium vicinarum, ex qua tenues ixores in ventriculi cauitatem reſudant, vbi collecti orificium ipſius vellicant, vnde ingens cibi faſtidium, nauſea, & interdum pauca ac bilioſa vomitio commouetur, quod in phlegmone partis cõcauæ hepatis euenire refert Galen. 5. de locis cap. 4. Sæpe etiam nauſea ſuccreſcere aſſolet ex colliquatione materiæ quæ in venis eſt, maximè in malignis febribus, in quibus multi falluntur arbitrantes purgationem præferendam eſſe ſanguinis miſſioni, decepti nauſea illa mendaci, & ob id diſtinguere oportet, quando ex hac cauſa & quando ex cruditate vel humorũ motu ad ventriculum nauſea fiat, ne vel fiat inutiliter vel prætermittatur auxilium.

Supereſt tamen modò docere, in qua nam ventriculi parte huiuſmodi humores immorentur: nam iuxta id quoque curandi methodum variare oportebit. Quòd ſi ventriculi cauitas repleatur, facilè cognoſcitur, quia ipſi humores & cibi etiam mox ab eorum ingeſtione, leuiſsimo quodam motu excernuntur, & tanta ineſt in ventriculo ex alimento tenſio, anxietas, conturbatio & inquietudo, quòd laborantes donec vomant minimè quieſcant: quod in his in quibus humor tantũ tunicis adhæret, non contingit, ſed alimentum excernitur, quale fuit ingeſtũ. Cæterùm hæc eſt differentia, quòd in primo caſu etiam ſine cibo vomitus mouẽtur, & ſtatim à vomitu alimentum retinent: in ſecundo verò caſu non vomunt niſi cibo ingeſto, citra cibũ verò nauſeabundi admodũ ſunt, & dum aliquid excernitur, id

id profecto est pituitosum, crassum, viscidum & maximis conatibus excretum. Verùm dum humor infartus est in ipsa ventriculi substantia, quo plus alimentum in gestum coquitur, eo plus euomunt, quia ex efferuescẽtia & ebullitione, quã præstat natura alimentis ad confectionem, ipsi etiam humores infarti agitantur & mouentur, quorum irritatione facultas excitatur ad expulsionem & vomitum efficit, tantum illius alimenti ingesti & semiconfecti: cæterum ex hac causa potius prodit nausea quàm vomitus. Superest adhuc alia vomendi occasio, cuius etiã prouidentiam edisce oportet: quippe vomunt multi ex ciborum corruptione intra ventriculum ipsum facta: nam inest aliquibus tanta ipsius impotentia, aut vitium, quòd alimenta, etiam si diu retineantur, cõficere nequeat, aut potiùs corrumpat, etiamsi optimæ sint substantiæ: cuius rei signum euidens est qualitas, quam præ se fert id quod vomitione reijcitur, nidorosa nimirum, acida aut insipida.

Curandi ratio.

Dictum est lib. 1. de auxiliorum arte, ex vacuationibus quasdam esse prorsus cõpescendas, eas nimirum quæ omnino lædunt & ex laudabili substantia fiunt, siue sanguis sit, siue alimentum: alias prorsus permittendas, velut sunt quæ conferunt & leuiter feruntur, quòd in illis quod nocuum est, natura excernat: velut sunt pituita bilioſis permixta, nonnunquam bilioſa, sincera, crocei aut æruginosi, porracei, cærulei, liuidi aut nigri coloris: nonnullas etiam esse, quæ licèt modò non prosint, postmodum profuturæ sunt, & ob id eas non cohibere sed moderari oportet, maximè dum per eas corpus ab aliquo vitio se se exonerat: alias verò, quæ etiam si nunc lædere non videantur, postmodum læsuræ sunt, quas proculdubio protinus finire & vniuersum humorẽ opus est educere: rursus alias mox à primo naturæ impetu compescere: qualis naturæ est vomitus, antequã vel natura vomitui assuescat, vel si diu vomat, impetu & consuetudine per eam partẽ ferantur vniuersi corporis excrementa, aut vitium aliquod ventriculo succrescat. Quapropter, si cognitum sit, aut nunc lædere vomitum, aut mox fore læsurum (hoc tamen est inter vomitum & nauseam discrimen, quòd nausea & reliqui motus ventris semper compesci desiderant, quòd semper sint præter naturã: vomitus verò secus, quia aliquando ex vsu existit) tunc profectò protinus compescere studendum est, cùm læsurum speramus. In quare medendi ratio iure optimo tot partes complectitur, quot sunt causæ, quæ vomitum excitare natæ existũt, & sic iuxta cuiusque rationem oportet methodum & curandi rationem scribere, si priùs nauseam sedare docuero: quippe hæc febricitãtium plurimos adeò vexat, vt sæpe expostulet peculiare sibi auxilium: nam inter initia & sæpe inclinante affectu, aut in conualescentibus id proculdubio malum succrescit, sed in his ob reliquias quæ ad futuram recidiuam superfuerunt, maximè quia impurum corpus quo magis cibis vsitur, eo maior succrescit excrementorum prouentus. Accidit plerumque febrientibus, aut his qui nimio potui indulgent vel pituitosis febribus vexantur: nã ex ventriculi madore & putrida pituita facilè succrescit, maxime viscida atque adhærescente. In quibus omnibus primò purgatione & clysmatis, ac tandẽ calidis & adstringentibus veteris: si priùs quæ ventriculo insunt, vt faciliùs purgẽtur, disposueris oxymellite aut melle rosaceo: ac si bilioſa fuerint recremẽta, his quæ abluãt & detergãt, quale est decoctũ hordei cũ saccharo, aut succus rosarũ cũ aqua tepida, vel magna copia iuris pulli cũ saccharo. Quibus factis, ventrẽ purgabis iuxta ideã humoris peccãtis, vt paulò inferiꝰ leges: à quibus, alimẽtis admiscere oportet anisũ, cinnamomũ, caryophyllos, aut ex eis dragetã cõficies.

Pro-

Prosunt & salsamenta & aromata, quantum gustui satis sit, aut febrilis calor admiserit. Ex vsu quoque est, bis in hebdomada (si febris non sit) hiera Galeni vel aloës lota aqua rosarum, & quatuor horis ante cibum ℈.j. porrigere: cuius etiam vsus est sequenti die sumere diaciminon vel dianison aut diarrhodon vel aromaticum rosaceum. Cui vsui summopere prodest hic puluis, qui recipit coriandri præparati. ʒ.j. & ß. seminis anisi, & fœniculi. ʒ.j. carnis cydoniorum in vmbra siccatæ. ʒ. ß. corticum citri. ʒ. iij. coralli rubei vsti & loti rosacea, membranæ ventriculi gallorum vino albo lotæ & resiccatę. ana. ʒ.j. & ß. margaritarum ʒ. ß cruſtæ panis tostæ. ʒ.j. galangæ, caryophyllorum & macis. ana. ʒ.j. cinnamomi & mastichis. ana. ʒ. ß. sacchari rosati tabulati ad põdus omnium, fiat puluis, cuius laborans ante cibum sumat cocleare vnum: quòd si à capite instillare aliquid compertum fuerit, post pastum oportet id sumere. Exteriùs curabis vẽtris os & ipsum ventrem roborare ac firmare eo quod recipit, coriandri. ʒ.ij. coralli rub. vsti & loti. ʒ. ß. anisi. ʒ.ij. rosarũ rub. corticis citri, carnis cydoniorum exsiccatorum. ana. ʒ.j. sacchari rosacei exsiccati. ʒ.iiij. misce, & fiat puluis, quo vel modo dicto vtatur, vel cum mica panis tosti vino rubro madida fiat cataplasma, quod ventri apponatur. Quòd si humorem aliquem ingrati saporis aut mordacioris qualitatis præesse comperias, eadem quoque ex vsu erunt, maximè si prùs corpus purgaueris pilulis, quæ recipiunt rhabarbari electi & agarici trochisati. ana. ℈.j. aloës purissimæ. ʒ.j. cum melle rosaceo aut succo absynthij fiant pilulæ vj. & sumat laborans. ij. & sic tertio quoque die facito: die tamen intermedio vtatur laborans syrupo de mentha, vel eo qui conficitur ex malo granato & cydonijs, rosis & foliis mẽthæ siccis cum modico galliæ muscatæ. Prosunt prolixior somnus, inedia, exercitium, vinum etiam Hippocras appellatum, & multa exteriùs ventriculo apposita, vt paulo inferiùs leges, sed inter omnia quæ ventriculo per os præstantur, primas tenet in nausea sedanda feruentissimæ aquæ potus, aut decoctum camemali, anisi, caryophyllorum, & similium.

Verùm quia contentrix facultas adeò solet labefactari, quòd sæpe nec alimentum quidem complecti probè possit, sed veluti graue & alienum pondus sustineat ita vt ab expellente quantumuis secundũ naturam existat pellitur, ob id profectò prouidendum quoque est, præstitis duobus auxilijs, quæ non solũ huic vitio, sed & omni alteri ex frigida & humida intemperie proficiscenti, proficua esse experimẽto didicimus: quæ sanè, præterquam quòd scripta sunt lib. nostro de recto præsidiorum vsu, capite desistendis fluxionibus, mox scripturus sum. Interim tamen monẽdus mihi lector est, ea medicamenta quæ passim ab authoribus adstringentia scribuntur, nulli alteri causæ proficua esse, nisi ei quæ ex laxitate & defectu retentricis succrescit: præterquam quòd ex vsu etiam sunt, vt resistere possint expellentis facultatis actibus deprauatis: quod tamen fieri non debet, nisi eductis humoribus qui facultatem lacessunt, alioqui pressiùs ventriculo adhærentes maius efficient irritamentum. Quapropter in prædicta ventris laxitate proficuum est ventri apponere id quod recipit succi cydoniorum. ʒ.ij. succi pirorum, sorbarum vel vuæ acerbæana. ʒ.j. aceti albi rosati. ʒ.j. & ß. agitentur simul & cum pauca farina fiat cataplasma, quod ori ventris in parte antica eius & postica applicetur. Valet etiam plurimum, non solùm in hac causa, sed in quauis alia ad roborandum ventrem, ad coquẽdos etiam & discutiẽdos ibidem contentos succos, emplastrũ quod recipit furfuris depurati. p.j. pulueris rosarũ, camemali, corallorum, & diarrhodonis an. ʒ.j. vini nigri q. sufficiat vt fiat cataplasma: cui addes carni scytoniorũ decoctę in

vino rubro, q. ſ. vt fiat emplaſtrum. Præſtat & aliud, maximè dum præ æſtu & calore languet ventriculus, quod recipit carnis cydonij ſemiaſsi numero j. madefiat aceto acerrimo, cui poſteà adde pulueris maſtichis. ℈. j. pulueris coralli, roſarum & myrtilorum ana. ʒ. ß. fiat ad modum emplaſtri. Valet & oleum de abiete, naphæ, balſamum, ſparſis pulueribus aromatici roſati & maſtichis, & inter omnia oleum è floribus ſpicæ. Prodeſt & cucurbitula ſupra ventrem poſita, donec cibus coqui incipiat. Similiter & potus aquæ feruentis, ſi pituita aut flatus cauſam præſtent: vel aquæ frigidæ poſt cibum, ſi ventriculi æſtus poſtulauerit: quibus ex vſu eſt parum ſucci cytoniorum cum ſaccharo præbere: alia etiam adhibere poteris, quæ paulò inferiùs & capite ſequenti reperies.

Prima igitur cauſarum eſt nauſeatiua ſatietas, cuius præſidium eſt vlteriùs vomere, alimentum interdicere & ſomnum conciliare, donec totum id quo ventriculus grauatur, vomitu excernatur, vt inedia euaneſcat, & ſomno, ſi quid ſupereſt, concoquatur conficiatúrque.

Cæterùm ſi vel totius corporis vel iecoris, capitis aut ſplenis vitio & conſenſu, huiuſmodi malum ſuboriatur, triplex eſt medendi & compeſcendi ratio: prima quæ toti corpori debetur, aut membro in ventriculum mittenti: ſecunda quæ humoribus in ventriculum fluentibus: tertia verò & vltima quæ ventriculo prouideat. Initium autem curationis docet ars fieri à corpore, cuius vitio ventriculus afficitur: circa quod duplex inſurgit medẽdi ratio. Prima quæ genitos humores euacuet, vt corpore inanito facto, deinceps deſit in ventriculum tranſmittere. Vacuatur autem corpus, non ſanguine miſſo, niſi aut laborans robuſtus admodũ fuerit, aut plenitudo præſit ſimul cum cacochymia: quod quia rarò ſolet accidere, rarò etiam debet fieri. Vacuandi verò ratio inſtituenda eſt penes humoris peccantis ideam & naturam: ſic bile ſuperãte ex vſu eſt dilutum rhabarbari præbere, aqua lactis factum, ſi iecur ſcalidum etiam malo conſentiat, aut ſuccò roſarum cũ corticibus mirabolanorum: & ipſi mirabolani citrini infuſi & expreſſi in decoctione bilioſa. Robuſtis tamen & ruralibus hominibus prodeſt electuarium roſarum Nicolai aut Meſues: prodeſt & diaprunis laxatiuus, conſerua roſarum facta cũ rhabarbaro. Pituitam verò expurgant agaricus, maximè leuiter torrefactus, ne vomitum cõcitet, ſyrupus ex 9. infuſionibus, electuarium Indum & diaphœnicon. Melancholiam quidem, diaſenæ, confectio Hamech ſine ſcamonio & colocynthide: prunæ etiam damaſcenæ cum infuſione foliorum ſenæ & ſaccharo conditæ. Facta humorum vacuatione corpus alere oportet cibis boni ſucci & facilis coctionis, & qualitate præditis quæ aduerſetur humori peccanti ac meliorem ſuccorum ſubſtãtiam deinceps generet citra maximum naturæ laborem. Quo facto, ſi qui ſucci ſuperſunt, corrige ne facilè deinceps in ventrem fluant, præſtitis alimentis craſsioris formæ & quæ vim habeant compeſcendi fluxum: cuius naturæ ſunt amylum cum lacte vaccino, aut ipſum lac chalybeatũ, ex quo cum farina hordei torrefacti polẽta fiat, additis vitellis ouorum aqua roſacea & ſaccharo: ex vſu etiam ſunt carnes aſſæ comeſtæ cum ſucco granatorum vel omphancio: prodeſt & ius glaciatũ capite de cibi faſtidio ſcriptum. At in frigido ventriculo conferunt aromata & vinum antiquum, quod ſubauſterum ſit: præterea cibus paulatim ſic affectis adminiſtretur.

Secunda medendi ratio, quæ circa humorum impetum verſatur, docet eoſdem ad alias partes transferre, ne facilè in ventriculum irruant. Fit id quidem duobus modis, aut diſtractis ad alia membra frictionibus, ligaturis, aut cucurbitulis in vniuerſo corpore adhibitis & vltimò exercitijs: aut rẽſolutis per contrarias regiones, per balnea, per ſudores, quæ in hac affectione dum inueteratur, maximi ſunt momenti & efficaciæ, & per ea etiam medicamenta quæ vrinam & aluum mouent. Compeſcit quidem vomitum pedes & manus in aquam ſolito calidiorem immittere, quod Ætius probat magis quàm in frigidam, ſiquidẽ contrarius planè fieret reuulſioni motus.

Præter quæ auxilia, abſterſorijs præſidijs vtendum eſſe conſulit rei ratio, quibus ſuſceptos in ventre humores ibidemque immorantes abſtergere & euacuare poſsis, poſt quæ roborantibus & comprimentibus vteris, ne ventriculus ampliùs ita facilè humores ſuſcipiat. Fit autem vtrumque medicamentis detergentibus in ea forma præſtitis, qua diutiùs in ventre immorentur: cuius naturæ ſunt pilulæ de hiera Galeni, aut rhabarbarum maſticatum vel in pulucrem redactum cum modico roſaceo & aliquando laxatiuo. Proſunt & carnes cytoniorum cum rhabarbaro: eandem gratiam præſtat vſus paſſularum Corinthiarum cum rhabarbaro & ſaccharo parum ante cibum: præſertim ſi prædictis paſſulis vino rubro infuſis addideris ex adſtringentibus & modicè calidis aliquid, velut eſt puluis ex myrto, roſis, rhu obſoniorum, & ex malis cotoneis aridis. Sed abſtergit mirum in modum & vomitum compeſcit vſus terebinthinæ abietis cum modico rhabarbaro aut aliquo ex prædictis pulueribus. Sic extrinſecus ventrem inunges oleo abſynthite, melino, de mentha, nardino, de angelica, de abiete, balſamo & alijs eiuſdem naturæ, maximè ſuperſparſis pulueribus ſupradictis vel diarrhodonis, coralli, maſtichis, roſarum aut menthæ. Quòd ſi ventriculus corruperit ſibi commiſſum alimentum, longè aliter fluxum compeſcere oportet, vt capite ſequenti latiùs ſcriptum reperies.

Cæterùm dum humores iam in ventriculum immorantes, aut ibidem geniti corruptionem ſubeunt, diuerſam longè deſiderant medendi rationem. Quippe ſi crudi ſucci vel frigidi abundent, vtendum eſt victu ſicciori & aromatis condito, vt cinnamomo, caryophyllis, aniſo, thymo, fœniculo, ſampſuco, ſerpillo & pulegio confecto, additis puluiſculis roſarum, coralli aut myrtilorum, ſi affectio caliditate polleat. Potus ſit vinum nigrum ſubadſtringens, tenui & albo admixtum aut aromatis conditum, ſi ventriculum calore eſſe orbatum conſtiterit. Verùm cùm prædicti humores varijs modis ventriculum obſideant, variè proculdubio profligandi ſunt: quippe vel adhærentes ſunt & impacti, & tunc varijs modis ab ipſo ventriculo pelli deſiderant, vt inferiùs monſtrabo, nimirum irritata & laceſsita expellente facultate, dum nauſeabunda exiſtit, & nequit quod contriſtat pellere, aut obtuſioris eſt ſenſus venter ipſe: aliquando verò abſtergendo quod adhæret: ſæpe abluendo quod ſordidum reddit ventrem: item leniendo quod obduratum eſt, maximè dum retentrix facultas nimis rigida exiſtit: præterea comprimendo, quo ventriculus facta vacuatione inundantium aut fluitantium humorum, faciliùs alimentum complectatur. Verùm vt hæc opera commodiùs fiant, priùs vno è quatuor modis prædictum humorem ſtudebis educere: primo quidem per vlteriorem vomitum, nam in hoc tantùm caſu verum habet ſententia illa Hippocratis, Vomitus vomitu curatur. Quamobrem duobus modis vomitum excitare oportebit, aut ingeſta maxima diuerſorum ciborum quantitate, à quibus vomitus excitare digitis aut penna oportet, vt dum ventriculus vndique alimentum complectitur & excernit, humores etiam

ex toto radicitus ſecum deferat:quod auxilij genus & hoc modo præſtitum, profuturum magis arbitror impactis humoribus,quàm inundantibus: quippe his copioſa aqua tepida ex vſu magis eſt, quia eleuat ac ſurſum fert ſuccos vagantes.Secunda vacuationis ratio medicamentis fiet,quæ laxandi & irritandi ventriculum ad vomitum efficaciam habent, quale eſt decoctum raphani, erucæ,fœniculi & melle addito cum oxymellite vel aceto,quo & ventriculus ad vomitum excitetur, & humores abſtergantur. Tertia vacuandi ratio fit vehementer commoto corpore, vt conſului in purgationibus quæ futuræ ſunt per vomitum,quo turbati humores qua parte euocantur, faciliùs adeant. Quarta verò & vltima docet per infernam aluum huiuſmodi humores purgare, his medicamentis quæ parum moueant, quòd in parua ſint quantitate & plurimum purgent, ne à diſtantantiſsimis partibus ad ventriculum alliciant, & citra eam noxam,quod in ventriculo ineſt confeſtim excernatur, ne reliquijs remanentibus fœda corruptione alimentum vitiari contingat. Sunt etiam huius cenſus medicamenta quæ blanda à Medicis appellantur:blanda quidem, ne plurimum trahant & in maxima quantitate exibita,vt aliquid efficiãt:huiuſmodi eſt terebinthina ſola aut cum rhabarbaro, pilulæ maſtichinæ vel de hiera, & aliæ quas ſæpius memorauimus, ſi priùs ventriculi excrementa eduxeris melle ex roſis Perſicis, aut ſyrupo ex infuſionibus roſarum. Cauere tamen in hoc caſu oportet medicamenta adſtringentia,ni purgandi etiam vires habeant: nè vi adſtringente fixiùs ventriculo adhæreant humores,& vehementer reluctentur medicamẽtis blandè purgantibus.

Quibus præmiſsis,quæ ſupereſt curandi ratio,eiſdem fit auxilijs, quæ corroborare ventriculum nata eſſe ſuperiùs diximus: hoc vno animaduerſo, quòd quia non ſolent huiuſmodi humores vomitu aut purgatione radicitus excerni, neceſſum eſt ob id,factis purgatione aut vomitu, ea adhibere præſidia, quæ vires habeant interiùs reliquias conterendi,& ventriculum roborandi: velut eſt electuarium diarrhodon,aromaticum roſaceum, ac ſi frigiditas præualuerit,dianiſon aut diaciminon,theriaca,mythridatum, vel vinum ex abſynthio & cinnamomo, aut Hippocras appellatum.

Supereſt etiam ea vomitus cauſa,quæ à capite originem ducit: cui vniuerſa prouidentia adhibenda eſt,habito reſpectu ad caput,vt capit. de catharro abunde dictum eſt.

Pari prorſus ratione agẽdum eſt cum ea vomitus ſorte,quæ ex iecore originem ducit,vt capite de iecoris intemperie latiùs ſcriptum reperies.

Supereſt vltimò ea vomitus cauſa quæ aut ventriculo adhæret, aut in eius ſubſtantia imbibita eſt, cui nuſquam mederi licet per ea medicamenta quæ vomitum moueant:nam cùm ex hac cauſa nauſea & vomitus maximè excitentur, & ventriculus vi prædictorum medicamentorum,plus reliquorum excrementorum trahat à reliquo corpore, quàm quidquam eorum quæ continet excernere poſſint,ob id alia via incedẽdum eſt.Quapropter ſupereſt in prędicta cauſa triplex curandi ratio: vna quæ docet ciborum adminiſtrationem, quos duplici conditione præditos eſſe oportet: nimirum laudabilis nutrimenti & facilis, vt lẽui negocio antequã reliquorũ ſuccorum vitium contrahant,conficiantur, & reliquis admixti eorum impuritatem compeſcant:altera verò quòd ſint ex toto contrarij qualitati ſuccorum præexiſtentium,vt & qualitate & ſubſtantia eos attemperent & compeſcant.Secũda curandi ratio alia auxilia ſuppeditat,quæ abluendi & leniẽdi ſuccorũ acrimoniam vim habeant:nam huiuſmodi cauſa potiùs malitia,quàm copia ventriculum ad vomitum laceſsit. Ob id quidem præſtant medicamenta duorum generum:quædam quæ id quod mox diximus,efficere habeant,qualis eſt feruentiſsimus aquæ potus,quæ copia ſui abluit,calore ſeparat viſcidos humores,& infartos penetratione & dilatatione ob actualem calorem mirè abluit expurgatque: præſertim ſi aquæ permiſceatur(licèt optimè id ſola valeat efficere)aliquid quod aduerſus humorem peccantem pugnet,veluti in pituita mel roſaceum aut oxymel:in flaua bile,craſſa & adhæreſcente,hordei aut ſacchari decoctum. Reliqua verò medicamenta quæ huic vſui deſeruiunt,ea ſanè ſunt,quæ ventriculi ſenſum quodammodo hebetare habeãt,velut pinguia & mucilaginoſa omnia.Tertia verò & vltima medendi ratio, & in qua potiſsima huius mali medella conſiſtit,ea profectò eſt, quæ docet hos humores infartos & imbibitos per infernam aluum purgare, eis tamen medicamentis,quæ ſenſim & paulatim id efficiant: nam cùm huiuſmodi humores ſint infarti aut adhærentes, nequeunt copioſè excerni, niſi à validiſsimis medicamentis,quæ & proſternere naturam & plures humores ventriculo allicere ſuperiùs diximus.Quapropter mitiora,aut in paruiſsima quantitate & repetitis vicibus ea adhibere oportet:illud quidem vt tantũ moueant quantum purgare ſint nata: hoc verò vt frequentia adimpleatur quod ex quantitate detrahitur.Quem vſum præſtant in bilioſis rhabarbarum maſticatum aut dilutũ cum mirabolanis citrinis, aut pilulæ ex aloë lota vel terebinthina cum rhabarbaro.Verùm in pituitoſis agaricus trochiſcatus maximè leuiter toſtus,pilulæ maſtichinæ,& hiera ſimplex Galeni,vel eadem terebinthina abietis.Verùm ſi materia fuerit admodum acris, modò ſalſa,modò bilioſa ſit,non erit abre modicum caſiæ fiſtulæ prædictis medicamentis addere,maximè ſi anteà ſyrupis & potibus prædictos ſuccos temperaueris,ne dilabentes ad inteſtina exulcerationem & dyſenteriam moliãtur.Quo facto non ſolùm in hac cauſa,verùm & in omnibus alijs vẽtriculo prouidendum eſt inunctionibus ex oleis ſuprà dictis, item cataplaſmate ex pane toſto,furfure,vino rubro ac pulueribus maſtichis,roſarum, coralli, diarrhodonis,& alijs quæ conſimilẽ adſtringendi & reſoluendi vim habeant. Ex vſu etiã ſunt fomenta ex vino decoctionis camemali,roſarũ, myrtillorũ & abſynthij, ſed maximè emplaſtra,quorum capite ſequenti magnam copiã reperies,ſicut alia quæ libro noſtro de recto præſidiorũ artis Medicæ vſu,capite de ſiſtendis fluxionibus, reperies,& eâdẽ parte.c. de preſidijs vẽtriculo refrigerãdo aut calfaciẽdo idoneis.

De imbecillitate & cruditate ventriculi ac de eius intemperantijs. Cap. VII.

Licèt affectus ventriculi numeroſi reperiantur,iuxta eius diuiſionem in œſophagum, ſtomachum ſiue orificium, fundum,pilloron,& tunicas, cum hoc tamen per imbecillitatem intelligimus in coquendo & appetendo vitia cõmuniori vocis ſignificato, etiamſi aliquando alui fluxus ad hoc quoq; malum reducatur:nam reliqua vẽtris vitia plerumq; horum malorum ſolent eſſe cauſa,aut eorum accidentia:velut ſunt inflammationes, intemperies omnis generis,tumores præter naturam, obſtructiones, defluxiones,excrementa ibidem collecta vel genita aut aliunde trãſmiſſa,quibus

ſuccreſcunt deiecta appetentia, nauſea, vomitus, humores infarti aut fluctuantes, inflatio, dolor & exulceratio: necnon & ventriculi adſtrictio: cuius ſolùm Ætium meminiſſe conſtat: (quam arbitror eſſe eius cruditatem, cùm cutis & carnis adeò ſit preſſa adſtrictio & coarctatio, quòd nihil eius quod à cruditate excitatur, exhalare poſsit, aut per cutem abire) cuius occaſione corpus & facies rubeſcit, ac ferè hypochondriaca ſubſequuntur accidentia: ac ex conſequenti eadem curandi ratio proficua exiſtit, ſi cutem quantum poſsibile fuerit laxaueris. At imbecillitas verè ea ſolùm dici meretur, qua ipſius membri facultas à ſuo munere deficit: & cùm præcipuum ventriculi munus ſit alimentum conficere & cõcoquere (cui operi multa miniſteria illi præſtantur, appetitus nimirum, attractio, retentio & nocui expulſio) fit profectò, vt cùm venter in coctione deficit, propriùs dicatur imbecillitas, quàm cùm in alijs muneribus aberrat aut deeſt. Itaque cùm imbecillitas ſit quæ potentiam à ſuo ſcopo aberrare facit, dum ventriculus in alimentorum confectione deeſt, iure optimo imbecillis dici meretur. Sed ventriculi in hoc munere defectus triplex omnino apparet: nam aut ex toto abolentur actus cõcoctoriæ potentiæ, ipſa ſummè languida exiſtente: aut licèt ex toto non auferatur, diminuitur tamen & inceptam coctionem nequit perficere, ſed in medio actus ſubſidet collabiturque. Secundò concoctionem aggreditur ac diu operatur, cæterum tam eſt imbecilla, quòd ſemicrudum relinquat ſibi præſtitum alimentum. Tertio verò, adeò ſolet eſſe prauo temperamento conſtituta, vt coctionis loco alimentum corrumpat & alieniſsima qualitate fœdet. Quæ quidem vitia licèt vnica communi ratione cruditatis comprehendantur, eo quòd in neutra aſſequatur natura ſibi intentam coctionem, cum hoc tamen ſtatuendum eſt, in tres ſpecies debere diſtribui, tribus diuerſis nominibus inſignitas. Sic cruditatis illa ſpecies, quæ nomen generis obtinet, in qua nulla naturæ actio effulget, quòd alimenta qualia ingeſta fuere excernantur aut permaneant, iure optimo ab Ariſtotele & Græcis omnibus apepſia appellatur. In ſecunda autem ſpecie alimenta ſuperſunt aut excernuntur ſemiconfecta, & ob id appellatur à Græcis bradipepſia, & à Latinis tarda coctio. Tertia verò & vltima cruditatis ſors efficitur, dum alimentum aggreditur natura, & diu ac multum operatur, cæterùm alimentum degenerat in alienam quandam conditionem, corpori alendo contrariã: quam cruditatis ſpeciem generali quodam vocabulo appellant Græci deprauatam coctionem, & magis propria appellatione nidoroſam aut acidam cruditatem, quã Græci appellãt diſpepſiam. Atque hæ ſunt omnes cruditatis differentiæ.

Cauſæ. Cauſæ verò quibus hæc vitia ventriculo contingunt, trimembri diuiſione comprehenduntur: vna atque potiſsima in facultatem ipſam refertur, quæ ita ex toto eſt abolita & obruta, vt ne principium coctionis aggrediatur: aut ita languida & impotens, quòd etiam ſi incipiat, perficere tamen non valeat, aut eo calore vtens, quòd loco coctionis corrumpat. Secunda verò cauſa ad ventriculum ipſum reducitur, cuius ſtructura & configuratio tam eſt prauè affecta, vt etiam ſi facultas perſtet, cum hoc tamen ventriculi vitio fruſtra conetur ſuum munus perficere. Tertia verò & vltima cauſa reducitur ad ea quæ extrinſecus ventriculo occurſant, vt inferiùs latiùs conſtabit. Quarũ ſanè omnium prima alias habet primas & ſpecialiſsimas cauſas: nam cùm tota ferè naturalium facultatum ratio ſita ſit in partiũ quibus inſunt temperamento & calore, iure optimo fit, vt dum facultas à proprio munere deficit, id neceſſariò ſit vitio vel temperamenti ipſius innati, vel caloris influen-

influentis: hoc quidem plerumque in conualeſcentibus aut morboſis corporibus: illud verò maiori ex parte in ſanis, qui in morbum caſuri ſunt aut ceciderũt, licèt plerumque has duas cauſas complicari cõperiamus, & ab intemperamẽto corpus morbo affici, aut à morbo in mille intemperamenti vitia prolabi, quod ad curationem nouiſse nõ eſt parui momenti. Quauis enim harũ cauſarum ventriculi vires labi certum eſt, & ob id coctionis munus ex defectu caloris, nam vt inquit Galen. lib. 2. de ratione victus com. 22. cauſa proxima iſtius coctionis calor eſt, non ſolùm humidi & vaporoſi, ſed influẽtis, aut ex mixtione reſidui, præcipuè tamen humidi. Quapropter Ariſtot. hanc coctionem elixationi ſimilem eſſe dixit: præterea cùm ventriculus ſit neruea ſubſtantiæ, oportuit à circumuicinis partibus mutuam gratiam præſtiti alimenti ſuſcipere, ita vt ex proprio & mutuato calore temperatus euadat, qui alimentorum confectioni eſt profuturus. Quo profectò fit, vt corpore à graui vel diutino morbo confecto, calore innato exoluto, vel ex vitio humoris aut caloris putredinoſi infirmato in morbo aut recidiua, facilè concoctoriam vim labefactari conſpiciamus. Itaque triplici gaudet & indiget ventriculus calore: vno ex elementali materia ſibi præſtito à natura ſuæ compoſitionis: altero à corde & reliquis membris circumuicinis mutuato: quippe neceſſum erat alimenta à calore eorum membrorum initium alterationis & mutationis ſuſcipere, in quorum ſubſtantiam abitura erant: reliquo verò ab innato & proprio, cõtracto quidem à ſemine & ſanguine menſtruo ſubditoq; in humido radicali. Itaque ventriculi actionis duobus modis contingit euerti, vno ex temperamenti mutatione in exceſſu aut defectu alicuius qualitatum ipſius, vt cùm ventriculus calidior, frigidior, humidior, aut ſiccior iuſto efficitur: altero verò cùm ex prædictis caloribus, quib⁹ ad propria munia exequẽda opus habet, vnus aut plures imminuuntur aut vitiantur. Quorum ſane calorum vnuſquiſque vt vario fungitur in alimentorũ confectione munere, ita eo vtcunq; oblæſo coctionis miniſteriũ oblędi contingit. Quippe ex natiua & primæua ſubſtantiæ ventriculi temperie, alimentorum quæ familiaritate ſubſtantiæ proficua ſunt alliciuntur, renutriturque quod diſsimile & alienum à principio apparebat: præterquam quòd eãdem temperie prodit propria ventriculi nutritio, & in ſimilem ſubſtantiam alimenti conuerſio. At ex calore à circunſtantibus membris præſtito non ſolùm fit alimentorum liquatio & fuſio atque commixtio (id enim cuiuſuis caloris proprium eſt munus) ſed alimentis præſtatur quædam veluti aptitudo & diſpoſitio ad ſingulorum membrorum nutritionem. Cæterùm innati & primogenei caloris ventriculi munus eſt liquatũ alimentũ in chyli ſubſtãtiã & naturã vertere, adeò ſimilẽ ventriculo, quòd omnino videatur ſuæ eſſe cõditionis, ac nõ niſi ab eius proprio calore factã. Sic profectò ex læſione cuiuſq; prædictorũ calorũ quatenus ad imminutionem attinet, varia ſuccreſcere in alimentorum confectione vitia, variaſq; crudi tatis ſortes, naturã & curationem diuerſam adeptas, nemo eſt qui ambigat. Præter hæc caloris dãna, etiã aliud ſuccreſcit nõ rarò, nimirũ eius intẽſio ſeu acrimonia vel deprauata conditio, quibus alimentum, quantũuis laudabilis ſit ſubſtãtiæ & tẽperamenti, in nidoroſam fumoſam & vſtã editur naturã. Cõtingitq; id profectò in biliоſis & calidis naturis, in quibus leui facta proprij caloris intenſione aut mutatione protinus in hæc vitia migrant alimenta & nidoroſa ſuccreſcit cruditas, qua facilè homines vel in melãcholiã hypochõdriacã delabũtur, vel in febres ephemeras. Qua in re ſciſcitabitur forſan aliquis, vtra ſit in his corporib⁹ & ſcalidis vẽtriculis deterior cruditas, cũ nidoroſa, quantũuis deterior habeatur, quia his naturis eſt

familiarior,minus grauis,& moleſta cenſeri debeat:acida verò licet ſua natura facilior & leuior ſit,quia diſsimilis, difficilior habeatur:quã ſententiam videtur confirmaſſe Galen.lib.8.metho.cap.5. vbi minus nocere acidam his naturis ſtatuit.Quã dubitationem facilè ſoluet,qui expenderit, nidoroſam & acidam cruditatẽ tribus modis poſſe conſiderari:vno prout in ſe vnaquæque eſt,& in ſua natura,quo tempore nulli dubiũ erit nidoroſam(niſi ex nidoroſis & pinguoſis ſuboriatur edulijs) grauiorem eſſe:ſecundo modo facta collatione ad naturã corporis cui ſuccreſcit, quia tunc proculdubio ſicut acida in bilioſis periculoſior & grauior exiſtit, ita nidoroſa in frigidis & pituitoſis naturis: tertio verò & vltimo prout quæuis earũ apta eſt,febrem ephemeram,vel alium quemuis affectũ accerſire. Sic etenim acidam in bilioſis naturis arbitratur Galen. loco citato,minus contingere & minus nocere, quia nidoroſa non ſolùm in calidis naturis, verùm & in frigidis aptior eſt & potentior ad febres ephemeras,& quaſuis alias accerſendas:quam interpretationem videtur inſinuaſſe Galen.in fine cap.citati.

Fit igitur influens & præſtitus calor impotens & coctioni ineptus multis modis: primo per læſionem alicuius ex membris quæ ipſum calorem præſtant:ſic Galen.4.de vſu part.ex vulnere ſi exciderit omentum refert coctionem vitiari: ita & iecore & liene laborantibus ſcirrho, ventriculus ægre concoquit: pari ratione in hypochondriaca fit affectione:item ex diſtractione vel diſpendio,vt in immodicis vigilijs & laboribus.Quæ ſane vitia longe aliter emendari deſiderant quã ſi vitio alio ſuboriantur: nam vitiũ coctionis huius caloris defectu ſubortum,præterquam quòd plerumque eam cruditatem generat,qua alimentum citra vllam liquationem excernitur,per ea auxilia quæ caloris defectum ſuppleant,refici emẽdarique deſiderat.

Innati tamen & humidi caloris priuatio longè aliter vitiat alimenta: nam omnino denegat ipſis formam chyli: quippe id ſolum eſt huius caloris munus & officium. In qua etiam cauſæ natura & ſorte ſciendum eſt, innatum ventriculi calorem varijs modis minorem fieri poſſe:vno quidem diminuta innati humidi ſubſtantia, & ob id calore ipſo diminuto: alio verò ab externis cauſis diſsipato aut à frigido etiam obruto,vt mox referam. Cæterum hæc eſt differentia inter hos duos calores (licèt mutuam gratiam alter alteri præſtet)quòd innatus & primogenus ſemper nitatur in naturam membri cui ineſt,alimentum commutare, & ſic ex alimentis huius caloris beneficio, chylus vt dictum eſt conficitur, vel eius defectu non conficitur, etiamſi alimenta probè fuerint liquata,vt plerumq; in cœliaca paſsione conſpicimus: & ſic hecticorum corpora non aluntur, quia licèt alimentum liquetur, nondum optimè chyli formam adipiſcitur: at verò influens calor,licèt alimentis præſtet aptitudinem quandam ad ſuſcipiendam cuiuſque membri naturam,ſolũ præſtat eiſdem liquationem: quod profectò qui nouerit,facilè præſidium adinueniet.

Præterea vitio temperamenti adeò labefactari aſſolet facultas, vt ne aggredi quidem poſsit coctionem, maximè dum ventriculi temperies omnino ad frigiditatem prolapſa eſt,vel calorum aliquis diminutus exiſtit.Cæterum diminutam parit actionem vbi aut frigida ſit temperies,licèt non ex toto,aut ventriculus maxima humiditate abundet,quæ ſufficiat caloris natiui efficaciam obruere, retundere & infirmare:à qua diſtemperamenti ſorte nulli dubium eſt,quin facultas etiam ſi conetur & incipiat ſuum munus perficere,tamen non valebit, ſed liquatum alimentum in pituitæ aut crudorum recrementorum formam mutabit, ac ſi mox excer-

excernatur, ſignum eſt retentricem maximè labefactari vt latiùs capite de cœliaca affectione ſum monſtraturus. Ex quo ſanè intemperamenti genere proficiſci acidam cruditatem,& eam quæ citra acorem aut ſaporem aliquem ingratum ſit, nemo eſt qui ambigat.In qua ſane noſſe oportet,qua nam ratione ex diminuto calore aliquando cruditas prodeat citra acorem, ſed ſolùm pituitam crudam conſpiciamus,aliquando verò acidam cruditatem.Cui dubio dicimus calorem imminui vno è tribus modis:aut propria nimirũ eius ſubſtãtia imminuta,vel præſtita maiori alimenti copia,cuius reſpectu calor imminutus ſubſit, aut addita frigida ſubſtantia vel qualitate: vbi verò ſolũ alimenti copia cruditas ſuccreſcit,efficit ſuccũ crudum, qui emendari & vltra concoqui facilè poteſt. At defectus ſubſtantiæ calidæ, aut ad minus frigiditas per ſubſtantiæ frigidæ exuperantiã, acidã efficit cruditatem,quæ rarò aut nuſquam corrigi poteſt.Verùm ſi quis rem maturiùs penſiter,reperiet cruditates fieri ex alimentis ex copia,crudum ſuccum ex caloris ſubſtantia imminuta,acorem,ex eâdem diminuta cęterum per frigidæ ſubſtantiæ acceſſum. Sed dicet forſan aliquis,noſtrum dogma à Galeni ſententia deuiare cùm 6.apho. ex Hippocra.acceperimus,in longis leuitatibus inteſtinorum ructum acidum ſuperuenientem coctionis arguere principium:quo profectò videtur conſtare, maiorem eſſe in leuitate inteſtinorum cruditatem, quàm in acidorum generatione, & inſuper acorem à maiori calore vel ſaltem à minori frigiditate confici. Cui dicimus,illud ſolùm eſſe verum in longis leuitatibus inteſtinorum,in quibus coniecta bile eſt,præter inconfecta alimenta,eſſe etiam acidorum nõ paruam copiam, quia diutinus eſt affectus ex caloris impotentia ſubortus:poſtea verò acido ructu aduẽtante coniectabile eſt aliquam caloris actionem adeſſe,non quidem acidam gignentis pituitam,ſed ex acida iam generata eleuantis ructum acidum, quem anteà cùm nihil operabatur calor, eleuare minimè poterat:& ob id prudenter dixit Hippocra.in longis leuitatibus,quia innuper factis ructus acidus potiùs erit ſignũ diuturnitatis affectus,quàm incipientis coctionis. *Dubium.*

Præterea dubitabit aliquis vlteriùs,quanam ratione ex prædicta caloris imminutione fiat acor, cùm conſtet ex Galeno & alijs veteribus,acorem fieri in vino & reliquis quæ aceſcunt ex putredine,& ſubinde ex calore præter naturam,non quidem ex frigiditate aut calore imminuto.In qua re aſſerendum eſt acorem nulla ratione fieri per putredinem, ſed ſolũ per diminutam à frigiditate caloris actionem, in qua cum putredine conuenit: nam in vtraque actione calor imminuitur à calore diſsipante aut à frigiditate extinguente innatum rei quæ patitur.Hæc tamen eſt differentia quòd in putredine calor præter naturam coagit ſimul cum calore innato,& ob id prauè olent quæ putreſcunt:in acore verò frigiditas quæ extinguit rei innatum calidum coagit pari penſu ſola, cum calore qui ſupereſt externo aut interno.Sic enim in aceto contingit,quippe hyberno tempore locis calidioribus vinum calidius effectum aceſcit ob diſsipationem proprij calidi:& æſtiuo tempore ob locorum impenſam frigiditatem extincto proprio calore vinum aceſcit,niſi generoſum fuerit.In fructibus verò qui in maturatione acidiores reddũtur, contrario modo reſe habet:nam quo magis eorum calor conterit quæ frigiditate obtundunt & obruunt humida,eo magis in maturatione aceſcunt, non quòd calor acorem generet,ſed quòd remoueat prohibentem admixtam ſubſtantiã quæ acerbum reddebat fructum.His præmiſsis,ſtatuẽdum eſt prædictas ac reliquias cruditatis ſpecies in ventriculo fieri: nam dum ventris temperamentum iuſto calidius eſt redditum,nihil mirum eſt,ſi coctionis loco vrat,vel putrefaciat corrumpatque alimentum *Dubium.*

mentum ipſum:quod (licèt diſpari efficacia)ſiccitas dum ſupra modum augetur, nata eſt efficere. Sic enim in ſiccis ventriculis etiam ſi calor plurimum non ſit adauctus, alimenta æruginem & vſtionem redolent, licèt varietatem corruptionis potiùs ad varietatem aduſtæ materiæ,quàm ad caloris differẽtiam reducere oporteat,vt lib.febrium capite de febre ephemera abunde expoſuimus. Nam licèt ob caloris tres imminutionis modos, trés quoque ſuccreſcant cruditatis differentiæ, non ſubinde ſequitur calorem poſſe tribus modis ita intendi,quòd ex eius varia intenſione tres prædicti nidoris modi ſuboriantur. Quippe hæc eſt differẽtia inter intenſionem & remiſsionem caloris,quòd licèt remitti poſsit ab oppreſsione, non tamen intendi à defectu oppreſsionis. Item, etiamſi à defectu calidæ ſubſtantiæ imminuatur,ab abundantia verò calidæ & naturalis ſubſtantiæ non intenditur morboſa intenſione:quo fit vt ſola graduum additione vſtiuus reddatur, & vno modo nidorem inferat,qui varius poſtea efficitur, ob materiæ(vt dictũ eſt) varietatẽ.Expendendum etiam eſt an aliquod ex prædictis intemperamentis accedat, vel humoris eiuſdem naturæ aliquid:nam aliquando humor copia, qualitate praua,aut alio vitio abundans,vel in ventrem confluit,aut ibidẽ congeritur, fluitanſque,adhęrens aut tunicis imbibituss huic malo pręſtat frequentiſsime cauſam,cuius ad curationem maxima habenda eſt prouidentia.

Secunda verò cauſa,quam ad ventriculi figurã pertinere diximus (figura enim in officinis opus habet natura,licèt in alijs partibus ea non indigeat ad coctionem vel quoduis aliud ex vegetabilibus munijs:nam hac ratione diſsidet naturalis potentia plantarum,à ſe ipſa in animalibus) ventriculum ipſum euertit flatu,vlcere, inflammatione, tumore præter naturam proprium ventriculum obſidente,aut quamuis aliã ex vicinis partibus,ita vt aliquo modo ſitus & figura ventriculi euertantur:ad quam etiam cauſam reducenda eſt ventriculi humida aut frigida intẽperies,quæ impediat retentionem alimenti, aut vt rectiùs loquar, quominus vndique ventriculus ipſe alimentum complectatur, vt capite de lienteria latiùs dicturi ſumus.

Tertia verò & vltima cauſa quæ ex his conſtat,quæ extrinſecus accedunt,ſubdiuiditur in ea quæ ingeruntur, in excrementa etiam quæ in ventre congeſta coctionem interturbant, in ſomnum etiam diminutum aut adauctum, & vltimò in ea quæ extrinſecus accidunt, vt quæ plus iuſto calfaciunt,aut refrigerant. Sic profectò(vt ab hac vltima cauſa initium ſumam) calor immodicus, diſsipato interno ventriculi calore cruditatem efficit:ob id quidem meritò dixit Hipp.æſtate & autumno cibos difficile ferunt.Quippe æſtas diſsipato influente calore cruditatem parit,autumnus verò vt qui inæqualis & ſimilis corruptioni ſit, languidiori facto innato,licèt diuerſo modo,quod magni momenti ad curationem eſt diſtinguere. Item fit ab externa frigiditate,quæ tam ſit vehemens,vt non ſolùm retroceſsionẽ caloris,verùm & extinctionem ferè moliatur.Læditur ſecundò ventriculus ab his quæ intus ſumuntur,velut medicamenta quæ aut vehementia aut frequentia vel indebitè præſtita id efficere habent.Item cruditatem efficere nata ſunt alimenta ipſa,idque vno è tribus modis:primo quidem,dum tanta ipſorum quantitas ingeritur,quòd vires ventriculi ſuperent,& ob id cruda ſuperſint. Secundo dum ea alimenta ſumuntur,quæ ſuapte natura nobis aliena & inimica ſunt fœtida nimirũ, craſsiora aut tenuiora quàm par eſt,vel à tota ſubſtantia aliena. Tertio verò & vltimo,dum euerſo ingeruntur ordine.Quippe in debilibus præire debent quæ tenuioris ſunt ſubſtantiæ:nam interim dum hæc coquuntur, craſsiora quæ magis corru-

corruptioni reſiſtent,præparationem in ſuprema ventris parte ſuſceptabunt, qua faciliùs dum miſcentur alijs,coctionem ſubeunt.At in robuſtis craſſa prę euntia,& tenuia in vltima menſa æquali tempore coquuntur: nam tenuibus ſat eſt calor ſuperioris ventriculi partis,& ſic dum miſcentur,ſimul coqui eſt neceſſum. Sed his omnibus addes indebitam vitæ inſtitutionem, quæ mox ab alimento intempeſtiuis & inconſuetis vtitur exercitijs. Somni igitur defectus mille modis coctionẽ interturbat:quippe euidentiſsimum eſt, coctiones, non ſolùm ventris, verùm & partium externarũ perfectiùs fieri per ſomnum:ventris quidem,quia calore ociante eo tempore,à ſenſuum & reliquarum actionum miniſterio,copioſiuſque in internis vigente,coctionis muneri expeditiùs incumbit. Verùm ſi quis dixerit, ſequi ob id in vigilia externorum partium coctiones cõmodiùs debere fieri,quòd calor eo tempore ad exteriora magis vergat,expendat, quòd licet ita ſit,non tamen ob id ſequitur coctiones perfectiùs fieri, quàm in ſomno: nam licèt calor influens deſerat eo tempore prædictas partes, non tamen eſt omnino: arteriæ enim non ceſſant vndique moueri, tranſmittereq; ſingulis partibus quantum par fuerit ad perfectionem ſuorum operum.Præterquàm,quòd alimentum tertiæ regionis commodiùs coquitur & perficitur eo moderato calore, quàm copioſiore: & ratio eſt,quia quantum ſubſtãtia quæ coctione indiget tenuior & elaboratior fuerit,tanto quidem minori indiget calore, & à maiori ſeu intenſiori exuritur & reſoluitur,vt in vigilia contigit:Sic enim dixerat Hippoc.aqua edax,vigilia edax, & cum ros cambium & gluten, materia quidem nutritionis partium, adeò ſint tenuis ſubſtantiæ,ob id meliùs longe conficiuntur noctu à moderato calore, & diu ab intenſiore reſoluuntur commodiùs. His ſuppoſitis ſtatuendum eſt ſomno deficiente coctiones omnes incommodiùs fieri: ſicut vbi modum naturæ exceſſerit, alimenta vel vri vel peracta coctione reſolui. Vltimò tamen coctionem interturbant ventris ipſius excrementa,quæ,vt rectè præſidium adhiberi poſsit, aduertendum eſt vno è tribus modis in ventriculo ſuccreſcere: vno quidem dum aliunde in ipſum ventrem confluunt: quippe impediũt integram & liberam caloris actionem in alimenta,ex quo ſequitur,tantum ſupereſſe cruda alimenta quãtum calor conterit ſui in prædictis excrementis: ſequitur inſuper prædicta excrementa non ſolùm cruditatem moliri, ſed eam vel nidoroſam vel acidam prout excrementi redundantis fuerat conditio:quippe bilioſa nidoroſam, & acida acidam gignunt. Secundo modo excrementa præſunt in ventriculo,dum ipſius expultrix adeò languida exiſtit, quòd propria excrementa nequeat pellere, quibus ibidem congregatis mirum non eſt ſi coctio improſperè fiat: exemplo ſunt qui hypochondriacam patiuntur melancholiam,quibus longè maior efficitur cruditas, quo minor fuerit excrementorum expulſio:quorum omnium ediſcere prouidentiam conuenit, vt quæ maximam efficere in curatione varietatem nata exiſtant. Tertio & vltimo modo excrementa in ventre congregantur (vt dictum eſt) vitio coctionis qua loco alimenti excrementa aut vitioſos gignit ſuccos: ſed hæc cauſa alterius eſt ſortis,non enim ad excrementa attinet,ſed ad facultatem.

Verùm quia nullus quantumuis diligens ſit, curandi rationẽ poteſt ad vnguem exequi,quin priùs cauſarum omnium notitiam adipiſcatur, neceſſum eſt ſingulas cauſas proprijs ſignis docere.Sic etenim eſſentialis imbecillitas quæ ex morbo ſuccreſcit, facilè noſcitur ex præcedentis aut præſentis affectus magnitudine aut durationẽ: maximè ſi præceſsit alui fluxus aut vomitus, vel alius ventris doloroſus æſtuoſuſue affectus, quibus compertum ſit calorem & ſpiritum diſſolutum fuiſſe, *Signa.*

& præ

& prædiuturnitate aut magnitudine euacuationis, humidum & calidum ventriculi euanuisse. Quod pari pensu venaberis ex diutina inedia, vigilijs & laboribus. Verùm si id ex consensu alicuius membri ex vicinis fiat, peculiaria membri affecti symptomata id monstrabunt, vt iecore frigidiore aut corde, vel exciso omento, aut frigido & crassis succis obstructo splene. Sit ne essentialis ventriculi affectio, cognita ventriculi intemperie facilè venaberis: nam si frigiditas præsit, cognoscitur quòd alimentum diu in ipso ventre immoretur, ac dum exit, citra vllam mutationem odorem aut saporem alienum à naturali prodit, sed ad summũ liquatum & in crudorum excrementorum effigiem excernitur. Persentit quoque laborans maximam in ventriculo & prope ipsum frigiditatem, appetit plurimum, idque duabus rationibus, & quia frigidus est ventriculus, & quia non fruitur alimento sibi commisso. Potum omnino renuit, anxius aliquando est, nonnunquam dolet ventriculus. At si grauitas etiam capitis adsit & dormitatio, aut calor, signum est humiditatis ventriculum inundantis caputque ascendentis, dum humiditas calori adiungitur: modus tamen cruditatis id facilè monstrat: nam semimutatum excernitur & in aliam ab alimento naturam semiuersum, maximè si aciditas superueniat: est enim acor proprium opus, non quidem frigiditatis simpliciter, sed diminuti caloris, vtcunque imminuatur: vtrumque tamen ostendit, præter ea quæ mox diximus, flatuum maxima copia, quos ab acido sapore non esse exortes certum est: sequitur etiam ventris inflatio, fluctuatio & rugitus, præsertim à confectione alimenti vsque ad distributionem, à quibus mox sequitur ventris dolor, tensio, & ciborum inordinatus appetitus, maximè si acidus abundet succus: inappetentia tamen si humiditas abundauerit, vel nimium excesserit frigiditas, & potus fastidium. Caliditatem ventriculi manifestè ostendit eorum quæ excernuntur natura, namque nidorosa sunt & prauè olentia, ructus excernuntur frequenter huiusmodi naturam referentes: caliditas sentitur in ventriculo quæ maximè à potu leuatur, licèt deteriùs se habeant laborantes: præterea siti premuntur, cibos fastidiunt & abominantur, venter à cibo mox subsidet, cæterum deinceps exacerbatur flatus cum oris amarore, ructu, tensione, dolore, acrimonia, mordacitate, anxietate, nausea, vomitu & inquietudine: quibus aliquando sudor circa frontem erumpit, caput verò vel dolet vel somnos turbulentos efficit & breues: quæ omnia accidentia à frigidæ potu mox cessant, cæterum affectio non sanescit. Mœsti sunt huiusmodi laborantes, cogitabundi & veluti desperatione deiecti, vt etiam contingit his quibus ex siccitate ventriculus afficitur: præterquam quòd ij semper eructant æruginosum & vstum: sitiunt plurimum, potu non leuantur & crassa alimenta non conficiunt: tenuia protinus corrumpunt & à quauis minima quantitate grauantur: cum hoc tamen inediam minimè perferre possunt, & facilè in hypochondriam melancholicam commigrant. An verò hæc omnia à iecore vel aliunde proueniant, docuit Galen. nosse. 1. de locis affect. cap. 4. & libr. 2. de temper. ex aliarum partium symptomatis.

Ventriculi verò deprauata structura si ex propria aut vicinarum partium inflammatione prodierit, aut tumore quouis præter naturam, facilè nosces ex priuatione dictorum signorum, & ex his quæ suapte natura habent tumores, & inflammationes illarum partium ostendere: quæ sane licet petere ex proprijs capitibus de pleuritide, de peripneumonia, de inflammatione ventriculi, de inflammatione aut tumore iecoris vel splenis: præterquam quòd facile est id cognoscere ex proprijs cuiusuis particulæ symptomatis & situ. Quòd si nullam harum causarum notam apprehenderis, neque rursus causam externam præcessisse aliquam constiterit, certo existimabis figuram vitiari ex nimia humiditatis inundatione, quæ non permittit ventrem ea figura continere alimentum, qua vndique posit ipsum complecti, quod ad veram coctionem necessum erat, vt paulò inferiùs sum monstraturus.

Tertia verò causarum series facilè seipsam manifestat: nam habita notitia vitæ præcedẽtis & victus, facilè cognoscitur in deprauatum victum aut ingerẽdi ordinem & copiosiorem quantitatem, aut quid extrinsecus occursans ventriculi cruditatem esse regerendam.

His omnibus adhuc exactè consideratis, sciscitandum vltra est, an præsit in ventriculo humoris vitiosi aliquid, cui regeri posit culpa prædictorum accidentium, an à sola prodeant intemperantia. Quod sanè haud difficulter percipies, si experimento quod Galen. consulit vsus fueris. Nam primo alimenta porriges quantum fieri posit ex sua natura corruptioni inepta: sic enim acidum eructantibus mel, & nidorosis panem porriges: quòd si excrementa citra alicuius humoris corrupti miscellam excernantur, intemperiei sine materia signum erit: si verò simul cum corruptis excrementis humoris etiam aliquid exeat, conijcies intemperiem cum affluxu illius humoris esse. Præterea consideraris an in cauitate ventriculi innatent prædicti humores, an adhærentes sint vel tunicis infarti: item an generentur eo loci, aliunde ue transmittantur. Bilis enim quæ in ventre generatur, plerumque porracei coloris est, aliunde verò transmissa pallida, æruginosa vel adustæ conditionis. Sic pituita ibidem genita crassa, ex capite verò tenuis & spumosa, ex corpore vniuerso tenuis & citra spumam, quæ fluxioni paratior est.

Præsagiũ.

Vt certò de futuro euentu posis sententiam proferre in quauis cruditatis sorte, primò excludere oportet euidentes causas, quarum effectus non sunt ita graues ac internarum. Ex quibus videndum nunc est, an actiuæ qualitates grauiores sint passiuis, quod certissimum est, nisi siccitas (quæ semper grauior est humiditate) ad solidas partes vsque pertingat: nam vt ante id facilè curari potest, ita dum ad fibrosum genus peruenit vt lentè fit & tardè, pari pensu dificillimè & morosè curari potest. Vtcunque tamen sit, has vẽtriculi affectiones grauissimas iudicamus, & eo magis, quo morosiùs & negligentiùs curantur: procidunt enim plerumque in atrophiam, hydropem, hypochondriacos affectus, fastidia, vomitus perseuerantes, & alia grauissima mala.

Curandi ratio.

Medendi verò ratio, vt à facilioribus initium sumam, docet in vltima hac causa, quæ deprauata victus institutione oritur, tantùm ex vsu esse vitæ & victus modum in melius & regulatius mutare. Certum enim est, victus quantitatem imminuendam esse, si constiterit eam fuisse cruditatis causam: sæpe enim natura licèt proprijs legibus gubernetur, nequit munus suum implere, quòd alimenti copia excedat proprias vires: quapropter vtendum est protinus, si nauseatiua subsit satietas, si pondus in ventre, si inquietudo & tædium, vomitibus: verùm si cibum iam descendisse constiterit, clysmatis, aut casia vel manna, quo faciliùs quod grauat excernatur. Post modum verò victus parsimonia vtendum est, & moderato exercitio, quæ sat esse

comperimus ad auferendam ex copiosiori alimento cruditatem. Pari etiam ratione si ex alimentorum praua natura cruditas succrescat, eorum mutatio in meliora satis erit: ni priùs necessum sit, quod vitiatum corruptumque est, demere vomitu, clysmatis aut leui purgatione vt nuper diximus. Si tamen alimentorum præposteró ordine prædictum succrescat malum, eidem quoque prouidebis, iuxta ventriculi indigentiam: quemadmodum in explicatione causarum paulò ante retuleram: quapropter non placet hac in parte iterum repetere. Verùm dum ex calore ambientis alimenta ex toto non conficiuntur, vt Hippocrat. refert, qui æstate & autumno cibos difficilè ferre scribit, tunc quidem huic malo medeberis frigidæ aquæ potu in prima mensa præstito, vel potu ex malis granatis, arancijs, lactuca & alijs quæ intemperiem corrigant, simul & calorem intro reuocent, ac firmiores reddant spiritu & discussioni minus aptos. Si tamen ex frigore ambientis remoretur ventriculi actio, primò vinum tenue porriges, aut panis modicum eodem vino madefactum: omnibus tamẽ confert prandium finire modico aquæ potu.

Altera verò causarum series, quæ vitia figuræ continet, prætermittenda nunc mihi visa est, & reducenda ad caput de ventriculi inflammatione, vbi tumoris præter naturam & vlceris curationem sum scripturus.

Tertia & potissima huius mali causa, quæ vniuersa in ventriculi distemperiem refertur, habet, hoc proprium quòd cuiusuis distemperamenti sit, peculiarem prærequirat medicamentorum materiam, & sibi propriam medendi viam: habent tamen omnes distemperies id commune, vt per contraria curari desiderent, & ex altera parte alimenta iuxta ventriculi & naturæ modum, qui varius est, adhibeantur. Sic calida distemperies, vt ab ea initiũ sumam, refrigerationem iure suo expostulat, quibus verò, quantum & quomodo adhiberi debeant, haud facile est nosse: nam licèt affectus cõditio æqualem expostulet refrigerationem, renuit ventriculi natura tantum refrigerari, quantum affectus expostulat, etiam si ex Galeni sententia libr. 9. metho. particulam suapte natura frigidam, dum calido morbo laborat, audaciùs liceat refrigerare, sed cùm ventriculus membranosus & frigidæ naturæ sit, videbatur liberaliùs posse refrigerari. Cui dubitationi dicimus, ventriculum duplicem præstare indicationem: alteram ratione substantiæ quæ frigida est, qua facilè sustineret prædictum refrigerandi modum: alteram verò sui officij, quod est mediante calore coctionem efficere: quæ sanè indicatio tanti est momenti, quod iure optimo obumbret indicationem propriæ naturæ: & ob id in calidis eius distemperantijs condonandum aliquid est ventriculi officio: nam refrigerare ipsum oportet paulò mitiùs, idque iuxta modum sui caloris. Sic intus sumpta & exteriùs èregione ventriculi in parte antica & in dorso auxilia sunt adhibenda: modus etiam docet, neque in maxima quantitate, neque diutius esse in eis persistendum, ne ventriculi natiuus calor, qui dissipatione ob calorem extraneum, aut defectu substantiæ humidæ pusillus factus, maxima refrigerantium copia extinguatur. Distinxisse hac in parte priùs oportet, dum distemperies cum affluxu materiæ ingruit (cuiusuis naturæ materia sit) euacuandum esse priùs aliquo modo, vt dictum est cap. de vomitu.

Victus in scalida intemperie.

Verùm si nuda fuerit intemperies, victus rationem instituere oportet, initio sumpto à potu frigidæ aquæ, deinceps ea alimenta adhibere, quæ frigidæ sint naturæ & facilis distributionis, vt antequam vstionem subeant dige-

digerantur: velut est ptissana hordeacea, alica, amylum, lac am ygdalarum dulcium aut seminum frigidorum maiorum: ex oleribus lactuca, portulaca, scariola, cichorium: ex carnibus iura decocta & eisdem herbis confecta, vt arietis, vituli citra pinguedinem, aut pullorum & caponum. Potus sit aqua frigida mortario lapideo percolata, aut diu domi adseruata, decocta autem minimè: sumat medicamenti gratia succum granatorum acrium & dulcium, item aranciorum acrium & agrestæ: quæ omnia niue refrigerari possunt. Syrupos etiam huic vsui confectos præstabis, velut de agresta, de succo acetosæ, de succo citræ & limonum: tandem ventriculum purgare oportebit, si in ipso bilis ab scalorem ex alimentis gignatur porracea, vomitibus & his quæ abluant: si verò aliunde fluat, leuibus pharmacis & frequenter adhibitis, maximè dum à iecore prodit. At si à toto, copiosiùs licebit purgare: vteris tamen eisdem pharmacis, quæ citato capite scripsimus.

Verùm ne in hac tractatione quidquam deesse ex his quæ illi proficua sunt videantur, expendisse oportet, nidorosam hanc cruditatem, quam ex calido ventriculo oriri diximus, plures sortiri differentias: quæ licèt ab vno eodemque intemperamento (calido nimirum) prodeant, inter se ob peculiarem aliquam conditionem, longis interuallis disident. Qui etenim hanc patiuntur cruditatem, licèt fumosum semper eructent, aliquando ructus nidorem repræsentant, qui si ex alimentis hanc naturam referentibus (velut sunt frixi pisces, aut oua vel raphanus) non prodeat, ab intemperamento ventris calido proficisci est necessum, vt antea dictum est, maximè si siccitas accesserit, aut ab humorum bilioforum vel adustorum in ventriculo ipso redundantia. Docet hanc cruditatem ab alimentis fieri, natura eorum quæ ingesta sunt: à calore tamen, ex quouis cibo nidoris redolentia, à bilios is humoribus, eorum vomitus aut oris amaror, vel si adusti sint æruginosi ructus. Alij etiam eructant fœtidum: quòd si ex pestilenti aëris contagio non sit, vel ab vlcere aut pure, à putrefactiua humiditate cum calore præter naturam proficiscitur: nonnulli cœnosum eructant ab eodem calore & edulijs præhumidis, quæ natura conficere nequit. Item alij rancidum, æruginosum ac fumosum eructant, quod vel à cibo eius naturæ, vel adusta & præassata bilios a humiditate prodire est certum. Sed mirandum profectò est, cur in his nidorosis affectionibus, quibus plerumque adiungitur bilioforum ac vitioforum humorum copia, vel ventriculus non impensè doleat, vel cibos auersetur & summopere fastidiat, aut prauos insectetur, siquidem ab eisdemmet succis prædicta accidentia succrescere antea statutum est. Cui dubio dicendum arbitror, hanc esse differentiam, quòd in illis accidentibus quæ dolorem inferunt, substantia oris ventriculi diuellitur mordicatione & acrimonia succorum: in nausea & vomitu corpus eius: at in debilitate & cruditate corpus magis intemperatur citra irritamentum potentiæ expellentis, & quia ibidem generantur non ita lædunt sicuti si aliũde confluxissent, vt in prædictis affectionibus. In ciborum verò peruersa appetitione aut auersione os ventris intemperatur, si fastidium sequitur, aut leuiter mordetur, aut irritatur more naturali, si adauctus futurus est appetitus, & ob id ab vna eâdẽque causa coniectabile est, varios affectus posse succrescere. Quibus omnibus causis medeberis tũ per ea quæ calorem compescũt, & ventrem citra maximã refrigerationẽ ad antiquũ

ſtatum redigunt, habito tamen ad cauſam materialē reſpectu: quippe in his, præterquam quòd victum à potu frigidæ incipere oportet (niſi fluctuationibus & flatibus venter abundet, quo tempore ſatius eſt quatuor aut ſex horis à cibo prædictum potum porrigere, quo minor fiat alimenti vſtio) paulatinis purgationibus vtendum eſt, per interualla ſerum caprinum porrigendo, maximè ſi in eo ferbuerint folia ſenæ aut rhabarbari tantillum. Prodeſt mirum in modum ſic affectis, id quod recipit radicum intybi, cichorij, & bugloſſæ. ana. m.j. & ℈. hordei, paſſularum ſine acinis aut Corinthiarum. ana. p. j. foliorum ſenæ. ℥. j. abſynthij. m. j. in lib. vj. aquæ fiat decoctio ad conſumptionem tertiæ partis, & prædicti decocti excipe ℥. v. & infunde ac exprime rhabarbari. ℈. j. & adde ſyrupi cichorij & portulacæ. ℥. j. & ſingulis diebus aut tertio quoque die porrige ventriculo ieiuno: quòd ſi magis attemperare libuerit, oxyſaccharæ, aut ſyrupi acetoſæ, vel roſarum addes. ℥. j. Eundem vſum præſtat ſyrupus de mucilaginibus cum infuſo foliorum ſenæ aut rhabarbari. Item pilulæ ex maſtiche & rhabarbaro & aloē lota, aut idem rhabarbarum maſticatum. Proſunt & pilulæ ſub lingua detentæ, quæ recipiunt ſeminis cucumeris in aqua macerati & excorticati. ℥. ℈. tragacanthi diſſoluti in oui albumine. ʒ. ij. liquefiant in vaſe duplici & fiant pilulæ. Eūdem vſum præſtat confectio quæ recipit ſanthalorum omnium, roſarum, ſpodij & corallorum. ana. ʒ. ℈. margaritarum, iaſminorum. ana. ℈. j. corticum citri conditorum. ʒ. j. & ℈. coriandri præparati. ʒ. iij. cinnamomi. ℈. j. ſacchari albi. lib. j. aquæ roſarum ℥. iij. Idem beneficium præſtat miua cytoniorū citra aromata, cum modico aceto & corallo præparato admixta. Monendus tamen lector eſt, ne indiſtinctè auxilijs quæ acetum recipiunt vtatur: ſolū enim ex vſu eſſe comperimus, vbi nimia humiditas, eaque craſſa adiūcta eſt calori: quo tempore vel dilutius debet eſſe, vel refrigerantibus & lenientibus admixtū. Quem quoque vſum præſtant pleraque auxilia, ex his quæ reperies cap. de melancholia hypochondriaca. Exteriùs verò ventriculum refrigerare oportet, cautè tamen, ne conſtipata cute intenſiùs vratur: ob id ipſius regionem fouere conuenit oleo roſarum cytoniorum & omphancino, poſca ex pane deſuper poſita. Dorſum etiam iuxta duodecimam vertebram ex vſu eſt inungere refrigerante Galeni, vel vnguento ex cucurbita aut roſacea & ſanthalino. Valet etiam antè & retro appoſitum ex eiſdem vnguentis ceratum. Idem beneficium præſtat, in hac cauſa, & in febribus æſtuoſis, quæ ventriculum præ calore laxant id q. r. olei violarum. ℥. ij. olei nenupharis & amygdalarum dul. ana. ℥. j. ceræ. q. ſ. fiat linimentum. Maioris efficaciæ eſt q. r. olei roſati omphancini, & cytoniorum. ana. ʒ. ij. pulueris roſarum, coralli, & ſantha. rub. biſtortæ, & boli armeni. ana. ℥. j. ceræ. q. ſ. fiat vnguentū cū modico aceto roſaceo. Præterea ſi ventriculus robuſtus ſit, aut laborans iuuenculus, cucurbitarum aut melonum ramenta ventriculo adhibenda ſunt, ſicut pāni lacte imbuti, aut veſica aqua frigida vel lacte aut oleo roſaceo omphancino plena, vel ſuccus granatorum acrium cum pane. Adſtringentia verò neque omnino ſunt prætermittenda, neque audacter adhibenda: illud quidē ne per poros cutis innata caliditas diſſipetur: hoc verò ne pręternaturalis calor vehemētiùs retrocedat. Medicamēta verò purgātia ab huiuſmodi nuda diſtēperie ablegāda eſſe cēſeo, niſi leuiſſima ſint, vt caſia & māna. Reliqua leges. c. de hypochondriaca melācholia.

Frigida diſtemperies ſi huic malo cauſam præſtiterit & nuda ſit, citra vllam dubitationem, ea quæ æqualiter calfaciant adminiſtrari poſſunt: tum quia frigiditas morboſa id expoſtulat: tum verò, quia calidis medicamentis innatus ventriculi calor iuuatur, & actio perficitur: medicamenta verò quæ id præſtare poſſunt, reperies capite de vomitu paragrapho de frigida materia, & tomo ſecundo capite de his quæ ventriculum calfaciunt, ſunt enim auxilia maximi momenti & vſu probatiſsima. Quibus præſtitis, præter ea auxilia quæ ſimplici intemperamento proficua eſſe diximus, conſideranda ſunt alia, quæ frigiditati adiuncta humori proſint, ſi priùs in memoriam reuocauero, humorem malo cauſam præſtantem, vel ab eodem ventriculo indies magis augeri, vel aliunde in ipſum confluere frigidum & aptum vitiare & interturbare coctionem. Quòd ſi primum ſit, curationis principium auſpicari oportet à vomitu crudorum, & poſtea (quia coniectabile eſt, aliquid impactum manere) paulatim purgabis pilulis maſtichinis, dehiera Galeni, aut alijs quę ex maſtiche, rhabarbaro agarico & aloë conficiuntur. Cui vſui terebinthina abietis cum rhabarbaro aut pulueribus foliorum ſenæ magni fore momenti arbitror. Proſunt pari penſu pilulæ quæ recipiunt aloēs non lotæ. ℥. j. myrrhæ. ℈. j. cinnamomi, aſſari, ſpicæ, an. g. vj. formentur pilulæ v. pro drachma: item aliæ quæ recipiunt hieræ ſimplicis. ℈. j. agarici. ℈. ij. cum vino formentur pilulæ quibus addes trochiſcos de abſynthio & ſuccū apij. Quo facto curandū eſt ventriculi acquiſitam frigiditatem compeſcere fomentis, quæ recipiunt abſynthij, menthæ, ſquinanti. ana. m. ij. radicis cyperi, caryophyllorum. ana. ʒ. ij. vini quod ſufficiat. Eodem modo proſunt ſacculi ex eiſdemmet herbis cum cinnamomo, cortice citri, ligno aloē, zingibere, nuce & reliquis calorificis aromatis. Conferunt & inunctiones ex cinnamomi oleo, nec non & aniſi, ex abſynthio, mentha & nardo. Prodeſt & balſamum, oleū de therebintho aut de pipere. Nam vbi cruditas & humor quo fouetur ex vitio potiùs intemperamenti prodit, quàm ex fluente humore, maior habenda eſt calfaciendi cura, donec ad antiquū calorem partem reducamus. Sic em plaſtra & cerata ſummopere prodeſſe ſcimus, quale eſt quod Raſius conficit ex ſtiracе, ſpica, ſquinanto, calamo odorato, maſtiche, caryophyllis, cinnamomo, mentha & abſynthio cum ladano. Prodeſt & id quod recipit olei piperis aut cinnamomi. ℥. ℈. pulueris aromatici roſati, caryophyllorum, macis, nucis, carpeſiarum & ligni aloēs. ana. ʒ. ℈. ladani depurati & ceræ quod ſufficiat. Item aliud conficies quod recipit pulueris diarrhodonis, cinnamomi, ligni aloēs, carpeſiarum, caryophyllorum, menthæ, abſynthij, corticum citri & galangæ. ana. ℈. j. diambræ & diamuſci. ana. gra. vj. olei abietis quartam vnam, ceræ & ladani quod ſufficiat. Sed mirabilis efficaciæ diutino experimento comperi ceratum conficere quod recipit diachilonis minoris. ℥. j. ℈. picis, aut terebinthinæ abietis. ʒ. ij. pulueris diarrhodonis. ʒ. j. ceræ Berberiſcæ, q. ſ. vt fiat tela cerata, cuius partem ventriculo appones. At ſi velis cataplaſmatis vti, excipe furfuris depurati. p. j. pulueris diarrhodonis, aromatici roſati, corticum citri & coralli. ana. ʒ. j. carnis cydoniorum aſſæ vel vino decoctæ. ℥. ij. cum vino fiat cataplaſma: ad quorum penſum mille alia effingere poteris, quæ conſimilem habeant vim, quæ iuxta dorſum aut ventriculum vel vtramque partem adhibita, maximi erunt momenti. Sic intus porrigere oprtebit quæ ſopitum calorem excitent, & frigiditatem adimere poſsint, qualis eſt puluis cinnamomi, corticis citri, ligni aloēs, zingiberis, chebuli conditi, nucis, menthæ, abſynthij, & galangæ. ana. ℈. j. ſacchari. ℥. vj. cuius ſumat laborans ʒ. j. Prodeſt & miua aromatis confecta, diaciminon, dianiſon, diatrion pipereon, theriaca, nux muſcata, vinum aromaticum, aqua ex theriaca, mythridato & vino, aqua cinnamomi arte chimica extra-

extracta , ſyrupus de mentha,de corticibus citri,mel antoſatum vel cum decocto cinnamomi confectum.Item præſtat vinum in quo bullierint caryophylli,abſynthium & aniſum cum cinnamomo & melle:valet & id quod recipit radicis fœniculi.ʒ.ij.coquantur in ℥.iiij.vini ad dimidias cum modico cinnamomo. Eundem vſum præſtant trochiſci qui recipiunt roſarum rubearum,ligni aloës,ſpicæ, maſtichis,ſquinanti,macis,cinnamomi,abſynthij.ana.ʒ.j. ex vino veteri fiant trochiſci. Verũ quia flatus plerumque huic ventris vitio ſuccreſcunt, addere tunc oportet prædictis auxilijs,tam his quæ intus ſumuntur,quàm quæ exteriùs adhibentur,quę flatum diſcutiant, qualis galanga eſt,grana paradiſi,ciminum, aniſum & ſimilia, quæ etiam vino veteri excepta magni ſolent eſſe momenti.

Verũ ſi ventriculus frigidior factus ſit ex adhęſu frigidi humoris in ipſum aliunde confluentis,ſtudendum magis eo tempore eſt detractioni & euacuationi humorum, quàm calfactioni ventriculi, licèt ſummopere oporteat ipſum roborare, quo minùs recipiat,& feliciùs concoquat. Quapropter conſiderandum eſt primò, confluat ne humor à capite (cui prouidendum erit, vt capite de catharro ſcripſimus) an ab vniuerſo corpore. Habet tamen vndecumque fluat,id commune, quòd primo acceſſu,quod ſuperabũdat,euacuari expoſtulat,& mox quod ſupereſt diuerti:ſic etenim dum ex ſignis conſtiterit,vniuerſum corpus illuc tranſmittere, corpus & ventrem ſimul purgabis (præparata priùs viſcida adhærẽte & craſſa pituita,oxymellite,melle roſaceo,ſyrupo de mentha & alijs huius cenſus,cum aquis cinnamomi,radicis Chinæ,ſpartæ parellæ aut ſaſafraſiæ Indicæ) ex hiera & agarico factis pilulis,aggregatiuis,alephanginis,de agarico & alijs huius naturæ:item ſyrupo ſolutiuo roſarum,electuario Indo, diaphenicone & alijs quæ vehementis operationis non ſint,hæc enim vt refert Galen.2.acuto.vires ventriculi deijciunt, & plus ad ipſum trahunt,quàm euacuant. Quo facto,& præmiſſa victus ratione extenuante & exiccante,ac poſt habita ex toto ſanguinis detractione vt Gal.12.metho.& 4.de ſanit.tuen.& capite 11.lib.de ſanguinis miſsione , aperte conſulit,nam id tanquã ſummè pernicioſum fugit in totius corporis cruditatibus, confugiens ad ipſius frictiones & exercitia ac victus parſimoniam,conſulens poſt victum quietem,quo calor non diſtrahatur à coctione:poſtea tamen purgationes conſulit, & ſudorificis vti auxilijs,nec non & balneis ac maiori exercitio. His factis(quæ vt fieri debeant, ſæpe dictum eſt)omni arte curabis ventriculum roborare,quo minùs recipiat vt fœliciùs deinde concoquat:ac ſi quid in eo crudum redundare cognoueris,vomitu aũt leuioribus purgationibus educes. Ventri igitur adhibebis quæ nuper rerulimus,& alia quæ præter id quòd calfaciant,roborent etiam & adſtringant,quibus addes caſiam,cinnamomum,ciperum maſtichem,ladanum , hypociſtidem caryophyllos,& ſemẽ angelicæ,acaciam & reliqua id genus:velut eſt quod recipit olei deſpica.℥.iiij.ceræ.ℨ.j.maſtichis.ℨ.ʃ.liqueſcant in vaſe duplici,& adde pulueris cyperi,macis & cinnamomi.ana.ʒ.j. miſce & fiat emplaſtrũ pro ventriculo: vel ſic confice:R.maſtichis,cerati ſtomachici Galeni æquales partes, & cũ oleo de terebinthina fiat emplaſtrum.Parabis item vnguentum ex olei naphæ.ℨ.j.ladani depurati.ℨ.j.pulueris macis,& belzoini.ana.q.ſ.vt fiat linimentum cui addes ambræ.g.iiij.Præſtat mirum in modum in hac cauſa oleum de abiete,balſamum Indicum,aut oleum maſtichis.Inter quæ omnia grandioris eſſe momenti arbitror id q.r.olei amygdalarum amararum & omphancini.ana.ℨ.ij.vini albi odoratiſsimi.ℨ.ij.ʃ.abſynthij minutim inſciſsi comam vnã,cinnamomi pulueriza ti & ligni aloës. ana.ʒ.ʃ.maſtichis.ʒ.j.pulueris nucis muſcatæ,caryophyllorũ, & ſeminis angelicæ.

ana.

ana.ʒ.ij.bulliant in duplici vaſe ad vini conſumptionem & facta colatura adde ceræ modicũ,aut abſque cera eo vtere.Sed ſumere oportet vinum abſynthites cũ medietate mellis roſati,vel vinum idem cum theriacæ.ʒ.j.Præſtat & miua cytoniorum cum oxymellite:ſed cum hoc probatum reperio medicamentum ex cotoneis,quod mille modis paratur.Primo recipit ſucci cotoneorum.℥.iiij.coquantur ad ſpiſsitudinem & adde pulueris piperis.ʒ.j.zingiberis.ʒ.ij.ſacchari.℥.j.& miſce. Raſius enim aliter conficit,nam recipit ſucci cotoneorum depurati.lib.j. ſacchari lib.ʃ.vini veteris lib.ʃ.coquantur & deſpumentur & adde zingiberis,ſpicæ,cinnamomi,caryophyllorum.an.ʒ.ij.maſtichis.ʒ.iiij.omnia pulueriza ta in prædicta mi ua calida macerentur & poſt refrigerationem validè exprimantur.Præſtat & ſyrupus de corticibus citri,cum pulueribus diamargaritonis , aut ſyrupus ros.cum pulueribus diarrhodonis aut mirabolanorum chebulorum:nec minoris momenti eſt emplaſtrum ex gallia muſcata Meſues(in debilibus ex frigiditate aut humiditate, & ex gallia muſcata Nicolai in his qui præter imbecillitatem lubricum quoque ventrem habeant quòd maioris ſit adſtrictionis) & ladano ac oleo abietis & naphæ, addito aromatici roſati modico . Græci tamen ferè omnes aliter id medicamentum parant,nam recipit ſucci cytoniorum, mellis optimi ana.lib.j. aceti.℥.j. & ʃ.zingiberis.ʒ.ʃ.piperis albi.ʒ.j.& ʃ.ſuccus cum aceto & melle modicè bulliat, & additis pulueribus ad ſpiſsitudinem coquantur.Prodeſt & vinum cum theriaca, & confectio quæ recipit cinnamomi.ʒ.iij.galangæ.ʒ.j.corticum citri conditorum ʒ.iiij.ſacchari albi lib.j.aquæ roſarum ℥.j.Item ea quæ recipit zingiberis & piperis albi.ana.ʒ.j.galangæ,cinnamomi, zedoariæ. ana.ʒ.j.coriandri præparati.ʒ. iij. aniſi,fœniculi,ſpicæ nardi,cardamomi,maſtichis.ana.ʒ.ʃ.corticum citri conditorum.ʒ.v.liquiriziæ raſæ.ʒ.ij.ſacchari candi.ʒ.v. paſſularum Corinthiarum.℥.j. & ʃ.aquæ roſarum.℥.ij.ſacchari albi.lib.j.fiat cõfectio.Valet etiam vinum Hippocras appellatum,& puluis alter qui recipit aniſi & ſeminis fœniculi.ana.℥.j. mẽthæ hortenſis ſiccæ,cinnamomi.ana.ʒ.j.ſeminis coriandrorum præparatorum.℥.j.& ʃ.pulueris diarrhodonis.ʒ.j.& ʃ.liquiriziæ.ʒ.j.corticum citri.ʒ.iiij.maſtichis.ʒ.j.ſacchari roſacei in tabellas confecti lib.j.pulueri zentur omnia ſubtiliſsimè& miſceantur. Exteriùs verò ea ſunt adhibenda quæ ſæpius diximus.

Siccitas autem ventriculi,quæ maius faceſsit negocium,vt quæ caloris innati plus diſsipet,& difficiliùs ſubinde curetur,ſe ſe iam offert:quæ ſanè non ſolũ quatenus talis eſt qualitas,ipſius ventris actiones vitiat,ſed quatenus defectum humiditatis ſpirituoſæ accerſit,& innat⁹ vẽtris calor marceſcit,& imminuitur.Cuius doctrinæ gratia expendere oportet, duplicem eſſe ſiccitatem: alteram quæ defectu humidi ſubſtantifici ventriculi ſuboritur:alteram verò quæ defectu humiditatis eius, qua madeſcit ventriculus intrinſecus:quibus accedit alia ſiccitas ex vicinia humoris aduſti,terreſtris & ſicci , aut ex halitu huiuſmodi naturam referente, vt videre eſt in hypochondriaca melancholia,& in his quibus abundat huiuſmodi humor, præſertim in ventriculo,ſplene,meſereo & iecore.Quarum omnium prima ad vltimam cauſam imbecillitatis ventriculi referendam cenſeo,vt quæ ſita ſit in caloris defectu,cuius mox meminero:reliquarum vero ſat eſt ſcire,ea lege debere tractari,qua dictum eſt affectus melancholicos poſſe curari,vt proprio capite abundè diximus . Ea verò ſiccitas quæ defectu humiditatis ventriculum madefacientis ſuboritur , largiori potu , tenuioribus alimentis , quiete & ſomno facile temperatur.

Quarta verò & vltima cauſa ex his, quas natas eſſe cruditates efficere in ven-

triculo diximus, est caloris ipsius imminutio: qui sanè cùm duplex sit, duplicẽ quo que prærequirit considerationem. Quippe si innatus & primogeneus calor defue rit, vt antea signis distinguere docuimus, coniectandum est innati quoque humi di defectu ventrem laborare & exiccatum esse, idque magis minusue, prout humi dior solidiorue eius humiditas dissipata est, ad cuius pensum etiam caloris innati maiori aut minori copia caret. Cui sanè malo nulla alia via commodiùs medeberis, quàm si ventriculi siccitatem correxeris: nam cùm triplex sit facultatis corro borandi ratio & via (vna quæ per ea quæ deperditam substantiam reficiunt, fiat: se cunda, quæ actum quem natura nequit efficere, suppleat: reliqua verò quæ contrariam qualitatem præstet ei quæ imbecillem reddit naturam) fit facile, vt vniuersa medendi ratio in hac ventriculi siccitate & caloris innati penu ria, in substantifica eius humectatione & refectione sita sit. Quamobrem, maxi mum facesit negotium vt Galeno visum est. 7. metho. cap. 7. quippe quæ vt difficulter perit, ita & difficillimè reficitur. Cum hoc tamen eius curandi ratio sita est in vnica tantùm actione, quæ vera est partis renutritio: nam refrigeratæ hoc mo do partes calfieri vsquam nequeunt, nisi mediante substantifica humectatione, quæ fit per alimenta humidæ substantiæ, calidæ atque tenuissimæ: potibus etiam & iuribus ac stillatitijs liquoribus carnis, quæ mediante caloris actione commutẽ tur facilè, & mediante tenuitate permeent faciliùs. Verùm quia non sat est com modissima medicamenta seu alimenta præbere, nisi constrictæ, corrugatæ, arefactæque partes ea susceperint, accedit alia medẽdi ratio, quæ docet huiusmodi par tes susceptioni alimenti præbere aptiores. Fiunt autẽ huiusmodi opera, intus per ea medicamenta quæ actuali calore, tepido tamen, polleant, qualis est ab ingesto cibo per sex octoue horas, aut vna duabusue horis ante cibum potus aquæ mode ratè calidæ, quæ mediante tepidissimo calore poros aperiat, partes corrugatas & collapsas dilatet, vt facilè alimentũ ex præcedentibus coctionibus ventriculo transmissum, subingredi possit minimas quasque eius particulas. Alimenta autẽ desiderat hæc affectio per statuta interualla, & in parua quantitate exhibita. Exte riùs ventriculum & vniuersam eius regionẽ modicis frictionibus tractare opor tet, inunctionibus etiam oleorum sesamini, amygdalarum dulcium, violarum & de semine cucurbitæ: oleis quidem molescit & cedit corrugata pars: frictione verò calor ad particulam trahitur: calor rursus attractus, vt de more habet, partes di latat, & mediante motu frictionis, alimentum faciliùs allicitur ad particulã oleis molliorem factam, & calore iam dilatatam, quo fit vt facilè possit alimentum sus cipere. Tandem ea est huius affectus vera medendi ratio, quam diximus profi cuam esse vniuerso corpori hectico lib. de febrium essentia & curatione. Hoc tamen vnum præ oculis habendum esse censeo in hac curatione, nimirũ adstrin gentia pharmaca nulla ratione esse ex vsu, neque calida, quæ temperatum calorẽ excedant: illa quidem nutritionem remorantur & impediunt: hæc verò calorem innatum euocant & longè magis dissipant: temperatis enim calorem reficimus, & actum naturæ ruentis supplemus, & rursus causam illidimus.

Verùm si caloris partium vicinarum defectu (quæ est altera causa huius imbe cillitatis vt superiùs proposuimus) vel intensione, quæ calorem ventris ipsius vel ad se euocet (vt fertur) aut ob frigiditatem vt in hydrope, vel in iecoris & mese rei inflammationibus euocato ad externa ventriculi calore, tunc quidem longè aliter res fieri desiderat: nam siue ob calidum membrorum intemperamentum fiat, siue ob eorum frigiditatem, semper eum calorem præstabis, qui æqualis sit ca

lori

lori influenti ipsius laborantis cùm sanus erat: nam simile debet esse quod refi citur deficienti, nisi intemperamentum correctionem etiam postulauerit: nã cor roboratio hæc simili calore facta, solũ dum calor deficit proficua existit, nullo habito ad causam respectu. Quapropter non vtcumque licet prædicti caloris defectum supplere, adhibitis quibusque calorificis, sed solũ eis quæ nostro calori simil lima existant. Sic enim calor volæ manus aut catuli, vel pulli, vel puerulus biẽnis ventri admotus summopere iuuat, & quæcumque prædicti caloris modum ęmu lantur. Est tamen in applicatione huius caloris hæc adseruanda differentia, quòd vbicumque membra ventriculo vicina calidiora iusto existunt, & ob id vẽter pra uè concoquit, auxilia temperatæ naturæ adhibenda esse cõsulit rei ratio, vt calor membrorum mansuetior fiat, & ventriculus calorem susceptet: nam huius con ditionis constat esse quæ temperata sunt. Hæc enim ex vsu esse comperimus hy pochondriacis, & his qui prauè concoquunt: quod eo magis videtur proficuum, quo cruditas ad nidorosam accesserit: hæc quidem plerumque prædictis intem perantijs comes it. Verũ tãti est momenti temperatorum vsus, vt & his & reliquis cruditatibus prodesse possit: nidorosis quidem, si magis ad frigidius vergant: reli quis verò, si vel temperata sint vel parum ad calidius accedant, dummodo labo rantis calorem naturalẽ nõ superent: nisi intemperies quoque correctionem ex postulet. At dum vicina membra adeò sunt proprio calore orbata, vt de iecore & de omento in hydrope fertur, quòd ob id venter eorum calore destitutus non cõ ficiat alimenta, tanto supra temperatum calidiora sunt adhibenda auxilia, quan to nostrum calorem membrorum frigida intemperies superat, vt quantum ven ter positiua frigiditate intemperatur, calore medicamenti ad proprium cuique calorem reduci possit: quæ sanè præcepta si Medicus diligenter obseruauerit, pro culdubio arbitror multa accidentia huius mẽbri difficilia posse infirmare ac de uincere, quæ alijs videntur velut desperata, maximè si legerit tom. 2. cap. de præ sidijs ventriculo calfaciendo aut refrigerando idoneis.

De cholera morbo. Cap. VIII.

CVM hucusque actum sit de his affectionibus quæ ven triculo dumtaxat peculiares sunt, commodissimũ mi hi visum fuit hac in parte ad eas peruenire, quæ licèt ab eodem principium sortiantur, intestinis etiam com munes efficiuntur, cuius sanè cõditionis cholera mor bus esse creditur. Est sanè hæc affectio, Galeno teste. li. definitionum, affectus peracutus & grauis, qui per vo mitum & alui fluxum protinus hominem tollit: eodẽ etiam loco scribit esse acutum affectum cum vomiti bus biliosis multis, alijsque deiectionibus, suris quoque se contrahentibus, ac frigescentibus extremitatibus: qua diffinitione vsi sunt Paulus lib. 3. cap. 39. & Tral lianus. lib. 2. cap. 51. Ex quibus omnibus elicitur, nihil aliud esse, quàm immodi cam perturbationem ventriculi & intestinorum, quæ fit à valida expultrice, co nante quod sibi est molestum expellere. Appellarunt antiqui choleram huiusmo di affectum, non ob biliosum humorem à quo frequenter fit, cuius ratione à Bar baris cholera appellatur, sed potiùs ab intestinis, quæ choladas vocant veteres, vt Trallian. censet: aut forsan sic dicitur, quòd per contraria fiat fluxio. Hunc morbũ

cen-

censent Neoterici ex proprio marte Barbaros appellasse cholericam passionem, cùm longè antè Hippoc.7.popul.text.81.cholericam nuncupasset, vt paulò inferiùs monstrabo. Est igitur is affectus notissimus, acutissimus ac periculosissimus, cuius symptomata sunt assidua simul deiectio & vomitio. Ex quibus euidenter constat, ad expultricem ventriculi facultatem validissimè irritatam pertinere, ac non solùm os ventriculi, verùm & inferior etiam eius pars, quæ piloron dicitur. In quo etiam affectu credendum est, non tantùm lædi solam ventris expellentem facultatem, sed etiam plerumque accidere his, qui imbecillam habent retentricem, aut ex diutina retentione biliosorum facta est impotentior, quod ego magis arbitror: quippe dum à principio languida est, potiùs lienteriam aut cœliacã mouet, paulatim demissa crudorum sarcina, quam choleram. Quo fit vt licèt imbecillitas huius facultatis non sit causa huius symptomatis, sed validus & concitatus expultricis motus, cũ hoc tamen, eo validior & sæuior vomitibus & singultibus efficitur, quo retẽtrix facultas minus resistit actibus expultricis, adeò vt quocunque modo expultrix instituerit expellere, possit citra controuersiam aut resistentiam contentricis, quo solent fieri copiosiores & periculosiores expellentis actus: nam vt mea mens est, succi qui hunc affectum excitant, haud secus molesti existunt contentrici facultati, quàm expellenti: & ob id certissimum erit, vtramque simul ob eandem causam oblædi: ita vt facultas expultrix quasi furore videatur percita, siquidem non rarò noxia non solùm expellit, verùm & vtiles simul succos, quos etiam præ imbecillitate retentrix liberè permittit exire, adeò vt in hoc solo affectu omnia ventriculi symptomata in vnum conspirare videãtur. Est enim nausea & vomitus interdum, necnon & singultus: præterea angustia stomachi, cardialgia, æstuatio, inflatio, dolor ventriculi & intestinorum ac vtriusque alui fluxus cum animi deliquio, pulsuum paruitate, syncope & conuulsionibus: iuuenibus quidem frequentiùs ob flauæ bilis vbertatem, pueris ob crudorum esculentorum copiam. Sit ne tantùm ad huius morbi integritatem necessarium per vtramque aluum fieri simul euacuationem, in dubium vertitur: quòd Hippo. 5.popul. dixerit in historia Euthychidis ex cholera vrinam & aluum habuisse suppressas. Cum hoc tamen sciẽdum est, nusqu ãhunc affectum fieri citra simultaneam vacuationem, cęterum plerumque degenerare in alterutram: nam solet vomitus cessare manente alui fluxu, autècontra.

Prætereà constat ex Hipp.lib.4.de ratione victus text.103. duplicem esse choleræ speciem: alteram cuius naturam hucusque adduximus: humidam speciali nomine & genere comprehensam, ob excrementorum vbertatem, sic appellatã: reliquam verò siccam, vtramque vno communi nomine insignitam, eo quòd vtriusque vnus communis generationis modus existat. Differunt tamen quòd humorem in humida natura excernat, flatum verò in ficca: nam hæc sicut illa, nihil aliud est quàm quædam ventris perturbatio sursum deorsumque cum excretione eius quod irritat facultatem, licèt Hipp.loco citato siccam appellauerit, quòd nihil in ea notatu dignum excernatur: cui Galen. minimè consentit, cùm per vtramque partem flatum excerni necessum sit, alioqui aut ventris esset inflatio aut tympania: cum hoc tamen sat est aliquando leuiter flatum excerni, dum modò semper sit ad vomitum & intestina irritamentum, turbatio & motus.

Causæ. Harum enim affectionum causæ dissidentes profecto inter se sunt: nam licèt vtraque in ventriculo generationem aut permansionem sortiatur, ficca tamen, vt mox referam, ab spiritu flatuoso copiosissimo prodit, humida verò à prauis succis.

succis. Fit igitur humida, vel ex ventris totius debilitate, qua facilè susceptat quod in ipsum transmittitur, vel ex iecore, aut splene aut meseræo, prauis succis abundãtibus vt inferiùs constabit, vel ex vniuersi corporis vitiosa copia, quam per ipsum ventrem deponere studet. Vtcunque tamen sit, ab vna è duabus humorum naturis prodire est compertum: nimirum ex crudis aut aliter vitiatis edulijs: vel ex biliosis humoribus copiosiori sero admixtis, siue à genere venoso confluat, siue in ventre ipso geniti per cruditatem aut alio modo, copiosè excernantur. Nam potissima huius affectionis causa est, totius ventris imbecillitas, vel alimẽti quod ingeritur corruptio, aut incoctibilitas, vel deprauata ex natiua sorte qualitas, velut acris aut nitrosa, pinguis, oleosa, aut fumosa & rancida, quorum omnium naturam latissimè adduxit Hipp. 5. popul. text. 81. Cholerica ex carnium esu. Sed mirandum profectò est & inquirendum, quæ sit ratio propter quam plera- *Dubium.*
que ex alimentis, vitio sui aut ventriculi cruda solùm supersint, citra id quod adeò validè excitent ad pulsum naturam: alia verò hanc peculariùs affectionem gignãt. Cuius dubitationis gratia expendendum est, quòd licèt in alijs cruditatibus cibus liquetur, & in hac pari ratione liquationem subeat & fusionem, nihilominus tamen hæc est differentia, quòd in illis alimentum nihil cõtraxit præter naturam, nisi inconfectum esse, vt copiosis alimentis contingit, aut si putruit & vitiatum fuit lentè & paulatim, vt in cœliaca expulsit natura: at in his quæ effectura sunt huiusmodi damnum, necessariò succrescere tenetur, præter cruditatem, aut incoctibilitatem, vitiosa aliqua conditio & qualitas adeò à natura euersa, quòd ipsam omnino lacessat: quam contrahit, quia cùm in liquatione vel vitio caloris liquantis vel alimenti ipsius, nequiuerit natura formam chyli inducere, nec solùm crudum quid superesse, susceptauit putorem & conditionem adeò naturæ inimicam, vt mox ipsam lacessat, & ad expulsionem grandi diligentia inuitet. Præsertim cùm diu detenta, ex copia & malitia id efficiant. Hac enim occasione copiosissima in corpore succrescunt excrementa, quia cùm paulatim fiant & tenuissima sint, velut lactis serum, & non protinus putorem contrahant, congregantur copiosa, & ob eam copiam succrescit putor & corruptio ad pensum quantitatis immodicæ, & ob id irritamentum & vacuationes fore immodicas nemo est qui non intelligat: nam affectus validus multarum causarum congressum desiderat, quibus expultrix facultas validè irritetur & excernat. Dimitto hac in parte alias externas causas, quas potiùs dixeris occasiones, vt frigus externum, aut aquæ frigidæ potus, vel decubitus supra frigidam herbam, maximè si corpus sudauerit vel scalidum ab exercitio fuerit. Ac licèt alicui difficile videatur plerunque ex vitiosa cruditate hunc morbum oriri, quòd tantam copiam, quantam natura in hoc malo excernit, videatur impossibile ventrem continere, est tamen verissimum, quia mæseraicæ & proximæ cauitates adeò grandem solent adseruare, vt quod dictum est, credibile fiat: præterquam quòd Hipp. lib. 5.popul.text.81. & Galen.8. localium: in auxilijs huic affectioni Asclep. scriptis, id apertissimè testantur. Nonnunquam verò à toto corpore alicuius prædictorum succorum, adeò grandis succrescit & irruit in ventrem quantitas, vt difficile videatur corpus vnum eam copiam potuisse congerere. Sed aliquando id efficit natura & sæpe vtiliter, vt optimè aduertit Gal.7. metho.cap.2. dicens. Fit interdum vt aliqui per quasdam veluti periodos correpti à cholera, copioseque expurgati ab huiusmodi vitiosis excrementis, quamuis fieri nequeat, quin adeò liberali & copiosa vacuatione aliquid vtilis excernatur, paulò post tamen resum-

resumptis viribus, longè meliùs se habeant & sani degant.

De cholera sicca. Sed ad siccæ choleræ notitiam accedere tempestiuum mihi videtur: quæ sanè est affectus,in quo inflato ventre & obstrepente cum dolore laterum, nihilq; aluo deijciente,excernitur per superiora & inferiora spiritus acris admodum molestus:nam cùm partes propeventrem neruosæ sint,sicuti latera & lumbi,mordẽs ille flatus hinc inde discurrens,cruciatus excitat & dolores vagos ob motum inordinatum,ac in vniuerso ventre perstantes cum tensione. Prodeunt autem hi flatus adeò acres & mordaces,longeque ab alijs omnibus non rarò dissidentes, ab vna duarum causarum:nam aut ventriculus adeò est ignei & exurentis caloris,vt quoduis alimentum quantumuis laudabile sit,in nidorosam & exustam naturam commutet,adeò vt flatus ab eo elati acres fiant & mordacissimi: præterea ciusdem conditionis proficisci possunt ab edulijs exustæ & corruptæ naturæ ac sortis,& quæ fumosam conditionem sortiantur, vt cepa,oua frixa, aut pisces & reliqua huius naturæ.Neque ob id credendum est,non posse fieri ab alijs cruditatis speciebus quę calore diminuto fiũt,vt ferè omnes qui loco citato Hippo. legerunt,sunt arbitrati:verùm licèt id aliquo modo illis cõcedi possit, potiùs arbitror ab eisdem inflationes aut tympaniam fieri,quàm choleram siccam, quia flatus à frigidis cruditatibus orti,omni carent acrimonia & mordacitate, medium profectò necessarium ad choleram siccam efficiendam.Fit itaque communiter,vt omnia complectar,cholera sicca à flatulento spiritu acri,si legitima futura est,in ventre & eius vicinis partibus genito,in qua per vtramque aluum,quę sumopere per latera & lumborum regionem dolent, flatus excernuntur,nec ob id quidquam leuantur,sicut in tympania & ventris inflatione:nam in his ab excreto flatu leuãtur,in cholera verò sicca non adeò,quia vt vehementior & citatior est flatus excretio,ita & generatio,quòd humorum adustorum & crassorum sit magna copia,& calor ibi maior,& aptior flatibus eleuandis quàm discutiendis: quod quidẽ frequentissimè accidit his qui cibis memoratis & copiosioribus præter morem sese ingerunt.

Dubium. Sed dubitatione dignum esse existimo,an sola leuis caloris imminutio idonea existat flatibus gignẽdis. Nam mirandum profectò est, flatutum esse omnibus, diminutum calorem solùm cruditatem efficere,& minus diminutum flatum eleuare.Nam si minor calor efficax est humorem liquare,in cuius liquatione euidẽtissimum est halituosam substantiam eleuari, ac ex consequenti, cùm calor sit adeò exiguus,nequiuit resoluere,& pari ratione copiosiores tunc temporis erunt flatus,quàm si calor maiusculus extitisset,cùm coniectabile sit, eo tempore magis eos posse resoluere.In qua re ego arbitror,non esse solam caloris imminutionẽ,quæ flatibus eleuandis idonea existit: sed prærequiritur adhuc in materia flatus ea tenacitas & crassities, quæ flatibus ab ea exortis præstita, resistat discussioni caloris,cùm non sit admodum intensus: vnde duo simul prærequiruntur: calor paulò diminuto intensior,qui flatum valeat eleuare, nam qui admodum est remissus,id non valebit efficere:& rursus materiæ tenacitas, cuius discussionem non possit consequi calor huiusmodi.Itaque neutra causarum per se sufficiẽs est flatum eleuare sed ambæ,aut calor imminutus cum tenui materia, vel intensior cum crassiori,vt mox clariùs explicabo.

Sed in choleræ siccæ essentia & cognitione, nonnulla se se offerunt expendẽda auxiliorum administrationi idonea & proficua.Primum sanè est,non parum eos aberrare, qui existimant(licèt apud Hipp. pro eodem vsurpari conspiciamus non

nõ rarò) flatũ & spiritũ idẽ esse.Quippe vt Arist. accuratiùs distinguit, spiritꝰ nihil aliud est,quã sanguinis purior pars,aut calor qui suas sedes habet in humido tenui, qui pars est eius partis cui cohæret,aliud quidẽ ab ipsa parte specie,quantitatevnũ, corporis & animi copula quædã,author naturalis cõstitutionis & operum animæ instrumentum.Qui sanè ex halitu per coctionem ab humorum massa elatus, coctionem etiam vlteriorem nactus,in corde naturam sortitur. Qui etiam peculiares affectus præter naturam patitur,nimirum resolutionem,extinctionem,alterationem,corruptionem,distractionem,caliginem,agitationem, torporem aut stipationem,quorum hac in parte meminisse non est opus: quippe hæc dixisse sit satis,vt constet differentia inter spiritum & flatum,qui non à coctione, vt de spiritu dictum est,eleuatur,sed ab actione caloris nequeuntis omnino concoquere, licèt materiam ob sui actiuitatem attenuatione media in flatus vertere natus sit. Qui sanè calor imbecillus natura (vt defectu humidi proprij aut spirituum,vel remissione & paucitate graduum, aut exuperante materiæ copia) efficitur, licèt conditione & actiuitate ob tenuitatem vel acrimoniam (vel vt superiùs dictum est, quia crassiorem materiam incipit deuincere,vt de acido ructu retulerat Hippocr. qui soboles est coctionis, quia nactus est calor,non intensiorem gradum, sed efficaciorem conditionem huic muneri aptam, hoc est, quòd ex acida materia quæ præfuerat, flatum quem antea nequibat, iam eleuet) tribus modis natus est flatum vbicumque sit elicere. Primo ab alimento flatulento:secundo à crasis,viscidis,frigidis,aut aquosis humoribus:vel vltimo ex propria natura, vt in hydrope sicca latiùs dicturi sumus, ob frigidam intemperiem, sed habitualiter contractam actione caloris præter naturam innatum dissipantis, vt in febribus degenerãtibus in prædictam distemperiem, non rarò conspicimus: siquidem ex quauis substantia sibi commissa flatum gignit, quia talis est conditio pusilli, acris & actiui illius caloris ibidem relicti cum habituali frigiditate, cùm non omnino iecur à calore absolui sit credendum, quantumuis intemperatum ad frigidum existat. Quo fit vt calor naturalis in materia crassa ob natiuam actiuitatem & spirituum efficaciam, cùm ob materiæ tenitentiam coquere non posit, flatus eleuat: is autem calor qui spirituum inopia & qualitate frigida paucus est, ob acquisitam conditionem mordacem & acrem,ex quauis materia,quãtumuis laudabili, flatum gignit.Qui sanè vtcumque genitus,si incluſus maneat,necessum est impetu in varias partes irruat:quòd si exire non permittatur,cruciatus,ventris inflationes, vertigines,difficilem respirationem & cæphaleas concitabit immanes:sin aliter liberũ sortiatur exitum,prædictam choleram siccam si vtrãque aluum adoriatur, à qua non protinus liberantur ægri propter assiduam flatuum propagationem: nam concalfacta vtcũque materia,quæ non coquitur,crescit & quasi fermentatur, & vberiùs in flatus commigrat & resoluitur.

Tam est hic affectus sua natura euidens & conspicuus, quòd signis nullo modo indigere videatur, nisi ad causarum cognitionem:quarum præcedentes ex anteactæ vitæ studio venaberis:nimirũ ex præcedenti victu & vitæ modo,vigilijs,curis,aut vitæ otiosæ dedito. Humoris autem naturam ab excretis facillimè disces, præterquam quòd laborans ex sapore id quoque referet:bilis enim præter amorẽ quem præ se fert, maiores dolores& cardialgiam nata est efficere:crudorum aut corruptorum succorum copia eadem concitabunt accidentia, non tamen adeò vrgentia, neque dolores adeò graues,ac bilis corrupta:sed vtramque causam monstrabit grandis exolutio ob impensam virium resolutionem, quam hi humores in *Signa.*

magna hac vacuatione efficere assolent, simul cum flatuosa quadam conuulsionis specie, quæ crurum femorumque musculos molestissimè torquet, signum quidem ingentissimæ crudorum vacuationis, ad quorum commotionem flatus multi illud efficientes eleuantur.

Præsagiū. In hoc tamen affectu scrutandum peculiari diligentia est, quò se vertat, vt pari studio ei subuenire possimus: quippe intra primum septenarium frequentissimè soluitur, & frequentiùs in primo quaternione hominem tollit, eo quidem citiùs, quo frequentiori syncope aut animi deliquio laborans corripiatur, maximè si conuulsio aut singultus accedant, & adhuc magis si cum interceptione pulsus frigidū exudauerit, aut vomuerit aliquid loturæ carnis persimile, & longè quidem magis si nigrum, liuidum, pingue aut æruginosum excreuerit. Sed inter omnia signa id grauius censetur, cùm venter superior stercus redolet. Est enim summè grauis hæc affectio, vt quæ hoc habeat proprium, quòd omnium facultatū simul summè grauem imbecillitatem protinus accersat, & ab aliqua etiam initium sumat. Quo fit, vt sequatur à primo insultu vocis defectus, mouendi impotentia, caligo & oculorum excauatio cum extremorum perfrigeratione: quæ sanè vitia principiū sortiuntur ab immodica oris ventriculi affectione.

Curandi ratio. In huius affectus curatione primò diligenter expendendum est, à qua nam corporis particula natura irritata, pellat succos vitiosos regeratque in ventrem, quibus venter ipse veluti furore concitatus, aluum vtramque turbet. In qua re statuendum est, à tribus potissimùm partibus, & varijs humorum sortibus, prædictum fluxum posse concitari. Prima sanè est ventriculus in se continens ciborum corruptorū & prauorum eam copiā & conditionē, quæ ipsam lacessat, præstita molestia, nausea, vomitu, rugitu & anxietate, quibus veluti nauseabunda est, ad concitandū prædictum fluxum, & si diu permittatur hæc accidentia pati, protinus concitata mouebit, ni anteà diligentia pręueniatur euacuatione, ac si fecerit, prępediē da nō est. Quippe diligēs & prudēs Medic⁹ his accidētibus perspectis protinus hāc nauseatiuam satietatem & prædictam copiam deponere tenetur, clysmate vel leui purgatione, antequam sua sponte moueatur: non enim ita facilè quiescit. Secūda autem particulæ affectæ classis cōstat ex hepate, liene & mesenterio, à quibus vel cruda vitiataque alimenta, vel alij succi ibidem præter naturam geniti, impetu naturæ supra modum lacessitæ, per vtramque aluum fundūtur. Tertiam verò partē, & tertiam humorum vitiosorum sortem constituit corpus vniuersum se se exonerans in ventrem. Cæterum videdum primò est, an sicut dictum est in prima partium & humorum sorte protinus esse purgandum, ita prorsus in alijs duabus, vel è contra mox fluxum liceat sistere: siquidem symptomatum immanitas & viriū celerrimus lapsus id videntur exposcere: an aliquantulum permittere, quòd excreta substantia pernicios sit, & cohibita grauiora accersat mala. Qua in re considerabit prudens Medicus virium robur, excrementorum quæ excernuntur naturam, copiam & impetum, item accidentia quæ ex eorum excretione succrescunt, nec non & modum quem seruat natura in expulsione, videlicet an minutim & paulatim, an confertim, per longa interualla, an per minora: habito tamen respectu ad excrementorum naturam, quòd extraneæ sint conditionis, adstrictionem protinus tentare non licet sine maiori periculo: dixerat enim Hippocra. in perturbationibus ventris & vomitibus spōtinis si talia purgētur, &c. Præterquam, quòd natura impetuosè est ad eorum expulsionem irritata, cuius impetum primo accessu cohibere non licet: nam si cohibeatur, aliò periculosiùs transfert humores, maximè

mè si vomitū cōpresseris: nā licèt cēseatur ab aliquib⁹ semper præter naturā quoad modum, tamen quo ad rem nonnunquam est naturæ consentaneus, & depraua tæ causæ signum bonum, quapropter primum vacuationis impetum permittere oportet, & mox (quia vt Galen. 7. metho. capit. 2. refert, ex vtilibus multa simul excernuntur, & propter symptomatum etiam grauitatem) moderari fluxum opus erit, præmissa vacuatione, quæ sufficiat copiæ redundantium excrementorum, maximè si virtus adhuc non plurimum labatur, nam ferendæ sunt aliquæ debilitatis notæ, ne maius, excrementis cohibitis, sequatur incommodum. Quo sanè tempore neque fluxum prouocare neque cohibere opus erit, sed viribus, ob symptomata, omni diligentia subuenire, donec constiterit, vel satis vacuatum esse, vel plus processisse, quàm pro excrementorum in corpore redundantia opus erat: quo tempore sistere compescereque omnino fluxum oportebit. Verùm si symptomata adeò creuerint, quòd vereamur maius subinde malum subsequuturum, vel si irritatio, dolor & anxietas maiores sint, quàm pro magnitudine euacuationis, tunc quidem moderari rem quoque conuenit, si adhuc aliquid euacuandum superst: sin aliter, aut si constet se se iam naturam continere non posse, omnino cohibere curandum est: neque compressiones ad extremum ducendas esse consuluerat Hipp. At si maius sit irritamentum, & minor vacuatio quàm copia excremētorum redundantium postulauerit (quod ad excretionis modū attinet) tunc quidē, quod deest arte vacuabis, vt copia affatim deposita, symptomata mitescant simul. Cui profectò operi tria veniunt exequenda munia: primum diuertere naturam à vehementi hac vacuandi propensione: secundū, si in eo munere ipsa deficit, iuuare oportet: tertium verò roborare firmareque partes, quo minus liberè fluxui cedant. Atqui licèt hæc tria necessaria videantur, non tamen vnumquodque semper & vtcunque exequendum venit, sed quodlibet suam habet occasionē. Diuertere enim non protinus aggredieris, sed transacto impetu naturæ, & excreta maiori humoris copia: nam videndum est, an par sit vacuatio quæ per vomitum fit, ei quæ per aluum: quo tempore ad neutram reuelles, nam altera alteri sufficit: quinimo ad vtramque partem aliquo modo frictionibus, vinculis & calorificis auxilijs brachia, crura & vniuersum corporis habitum tractabis, quantum sat sit, vt profusio minor fiat. Verùm si ad aluum inferiorem propensior fuerit natura, studebis eo tempore per vomitum aliquid humoris purgare, tum vt præpediatur naturæ impetus ad inferiora, tum verò vt aliquid humoris simul educatur. Sic enim Hippocrat. fecisse constat 5. popul. in vito quodam cui porrexit elleborum, quia deiectio multò maior erat quàm vomitus: ac licèt methodus mihi probatissima visa sit, medicamentum tamen non probo, tutiora quidem & vtiliora existunt medicamenta, quæ longè mitiùs vomitum moueant: verùm si in vomitum procliuior fuerit natura, purgantibus per ventrem protinus vtendum erit.

Qualia verò futura sint, mox referam, si priùs dixero quod secunda consideratio docet, nimirū supplēdum esse naturæ defectū. In qua re quæ magni est momēti & in qua facile hallucinari cōtingit, videdū est, quādo natura deficiat. Quod hac lege disces: si enim vacuationes videantur procedere copiosæ cum conferentia & tolerantia, aut saltim quòd virtus adhuc non plurimum labatur, tunc ferendæ sunt aliquæ debilitatis notæ, ob speratum ex euacuatione subsidium, neque fluxum cohibere, neque diuertere aut citare opus erit, sed solùm occurrendum est symptomatis. Verùm si irritatio, dolor, & anxietas maiores sint,

quã pro magnitudine euacuationis,& euacuatio minor quã pro multitudine redundantium excrementorum,expurgandum eſt, vt copia affatim depoſita, faciliùs miteſcant accidentia. Cæterũ quia ſymptomata mox à principio vigent & ſemper durant,neque cũ purgamus,ſymptomata negligere,neque cũ mitigamus, poſthabere fluxum oportet,quod monſtrat vltima conſiderationum. Euenit tamen non rarò adeò copioſus & exuperans fluxus,vt vltra videatur proceſſiſſe,quã pro excrementorum copia aut vitium robore par ſit:tunc profectò partes firmare,denſare humores & vires roborare neceſſum erit: quibus certò ſcimus fluxum compeſci aut moderari. Quapropter(cũ irritatio non ceſſet in hoc affectu)nuſquã cũ expurgamus,ſymptomata hæc negligenda ſunt,neque cùm cohibemus,irritantis excrementi debemus obliuiſci,ſed expurgantibus admiſcere tenemur aliquid adſtringens,& adſtringentibus aliquid extergens,vel aliquid mordacitatem hebetans,vel alternatim eis vti.

Subſunt igitur ſex opera exequenda in hac curatione: primò vomendum eſt, vbi ad ſuperiora reuellere nitimur: ſecundò purgandum, cùm vel ad inferiora retrahere,vel naturæ defectum ſupplere:tertiò humores lenire & eorum mordacitatem retundere:quartò firmare & comprimere partes oportet, atque humores denſare:quintò vero omni ingenio vires roborare ac ſpiritus reficere: tandem vltimò ſymptomata corrigere & mitigare.

Circa primum,vbi in hoc malo vomere vſu venit,parcè vomendum eſt: nam licèt mens ſit à copioſo fluxu naturam diſtrahere, minimè moliri oportet vacuationẽ quæ copioſa ſit,maximè per nobilioré regionẽ:exoluuntur enim ſummopere vires,& grauiſsima ſequuntur ſymptomata ac intolerabiles conuulſiones, quapropter ſat erit nauſea aut leui commotione naturam quodammodo diſtrahere. In quo caſu ego ſæpe loco tepidæ vtor iure pulli gallinacei citra pinguedinem: quippe vim habet abluendi & alterandi acriora excrementa,vt ex Galeno conſtat 2. de facultatib. naturalib. Poteſt verò frequenter ebibitum(etiam ſi cuomatur) excrementa diluere verſùs inteſtina:quòd ſi contineatur ſicut ſolet, poſtquã iam ventriculus redditus ſit mundior, tum grato odore, tum familiaritate ventriculum non parum firmat. Sed id hoc ſolo præſidio facito, nam ſæpius cogimur vomitum compeſcere ob adductam rationem,magis quàm expurgare. Purgandum ſecundò eſt,ſi expedit eâdem die,cùm adeo immoderatè natura vomit, quòd vereamur ex ventriculi ſymptomatis & vacuatione per ſuperna facta,ipſam cito periclitari poſſe:quapropter pharmacis quæ roborando & adſtringendo purgẽt,ſi profuſio maior quã irritamentũ ſit, vtẽdũ eſt. Sic enim rhabarbaro, corticib⁹ mirabolanorum, ſyrupo ex roſis Hiſpanis cum decocto corticum mirabolanorũ vteris:ſed curabis id potiùs iteratò facere,quàm ſemel copioſa vacuatione facta,ſimul naturam minuere. Verùm ſi purgare ſtudueris, quòd maior ſit irritatio quàm humorum profuſio, & hæc minor quàm copia (quam ars deficiente natura deponere docet) tunc quidem purgandum quoque eſt, cæterum non admodum roborantibus & adſtringentibus pharmacis, vt nuper diximus, ſed his tantùm, quæ præter id quòd aliquo modo roborent, leniant magis & laxent mediocriter : tum quia hæc humorum acrimoniam retundunt, tum verò quia citra maximum periculum,quantum ſat eſt educunt. Sunt hæc manna in ſucco roſarũ liquata,vel decocto mirabolanorum: caſia cum pulueribus diarrhodonis aut rhabarbari,vel corticum mirabolanorũ:ſaccharum roſaceum cum corticibus mirabolanorum aut rhabarbaro. Cauere tamen oportet acriora medicamenta, licèt ea Ga-

Galen. 4. acutor. com. 110. conſulat, citiùs enim periclitarentur vires.

Cæterum quia accidentium immanitas plerumque prodit ex humorũ acrimonia & mordacitate(præterquam quòd eam retundere etiã oportet, vt probè cedat vacuatio)protinus vel à primo morbi inſultu cõpeſcere ſtudebis:quod facies ſerapijs & apozematis,velut ſyrupo violarum,roſarum,de mucilaginibus, de portulaca,de papauere,de ſucco granatorum,maximè ſi citra aquã præbueris,ne amplius venter laxetur. Verũ ſi(quòd fluxio bilioſa ſit)ex acidis ſyrupis, vt de ſucco limonũ & citræ aliquid admiſcere volueris, addẽdum eſt modicum ſerapij violarum aut de portulaca cum aqua deaurata, argentata vel chalybeata. Hunc vſum etiam præſtat potus aquæ calidæ, aut mucilaginum pſylij extractarum aquã capitum roſarum vel plantaginis: præſtat & amylum, ptiſſana, lac amygdalarum dulcium aut ſeminum frigidorum omnium: ſed his omnibus tanquam probatiſsimum ſecretum habetur admiſcere pulueris cryſtalli modicum, aut eboris nonnihil, cuius loco addes pulueris diarrhodonis aut margaritarum præparatarum, vel coralli, aut electuarij de gemmis. ℈.j.

Quòd ſi ne hęc quidem omnia prodeſſe videãtur, modicè cõprimere & humores craſſare opus erit:cui ſanè operi multa & varia authores ſcribunt auxilia, calida quidem in frigida cauſa,& frigida in calida:inter quæ mihi probatũ & vtile videtur,primò id quod recipit(ſi priùs flatib⁹ & borboriſmis aquã calida & cumino ſubueneris)ſyrupi roſarum. ℥.ij. ſucci granatorũ. ℥. j. Proſunt & ſyrupus myrtilorum, de agreſta, de cydonijs,de roſis ſiccis & granatorum,quibus nulla aqua admiſcẽda eſt,quo magis proſint & minus ventrẽ laxent. Horum tamen loco placentas & bolos conficies ex roſaceo ſaccharo cũ pulueribus coralli & margaritarũ aut cryſtalli, vel porrige maſtichẽ ex decocto mali alicuius adſtringentis. Confert etiam medicamentũ quod recipit conſeruæ roſarum antiquæ. ℥.ij. conſeruæ acetoſæ. ℥.j. coralli rubei præparati. ʒ.j.& ß. ſacchari optimi quod ſufficiat,& fiat cõditum,cuius chocleare vnum ſumat laborãs ante cibum. Quòd ſi cauſa frigida in ventre prævaluerit,admiſcere prædictis ſyrupis oportet noſatã nouellã,aromaticum roſaceum, ſpicam,cinnamomum,nucẽ & ſimilia:vel addes ſyrupum de mẽtha,de abſynthio & miuam aromatis conditam:extrinſecus tamen in cauſa frigida,& intrinſecus gratia ſedandi accidentia porrigere oportet modicum olei de aniſo aut cinnamomo. Cauere tamen oportet medicamenta quæ ingratum odorem referentia ventriculum ſubuertunt:ex vſu tamen eſt medicamentum ab antiquis probatum,quod fit ex vini granatorum. ℥.ij. ß. ſucci menthæ depurati. ℥. ß. ſumat laborans chocleare vnum. Conficit Raſes trochiſcos magni vſus,qui recipiũt maſtichis, boli Armeni, thuris ana. ʒ.ij.& ß. cardamomi. ℈.ij. galliæ muſcatæ,caryophyllorum. ana. gr. v. cũ ſucco granatorum fiant trochiſci pondere. ʒ. ß. quorum laborans ſumat vnum ſuperbibita. ℥.j. ſucci granatorum.

Cæterum quia ſecurius & vtilius experimur exteriùs adhibere adſtringentia & roborantia quàm per interna, ob id eorum maiorem copiam ſcribere placuit, dummodo non ſit ante frænatũ impetũ & depoſitam maiorem humorũ partem, atq; correctionem & attemperamentum prauorum ſuccorũ. Quibus factis ſunt proficua in cauſa calida eboris tabella ventri admota, & emplaſtrum quod recipit micæ panis toſtæ. ℥. iiij. madefiat vino rubro, & adde pulueris diarrhodonis, coralli rubei, roſarum & myrtillorum. ana. ʒ. j. fiat cataplaſma:idem beneficium præſtat mica panis toſta vino & prædictis pulueribus irrorata & ſæpius ventri admota: item emplaſtrum de cruſta panis, quod mira quadam

efficacia prodesse conspicimus, aut panis nuper coctus madidus succo granatorũ: præterea emplastrum ex furfure, succo granatorum, vino rubro & dictis pulueribus, aut illud quod recipit santhalorum rubeorum, rosarum rubearum. ana. ʒ. ij. gal liæ muscatæ. g. vj. madefiant in ℥. iiij. aquæ rosarum & ℥. j. aceti, in qua miscella pãni culi madefiant & exprimantur, ac frigidum ventri adhibe. Item recipe farinæ lentium. ℥. ij. rhu coriariorum. ʒ. ij. succi plantaginis aut cytoniorum vel rubi quantum sit satis, vt fiat cataplasma. Ex vsu quoque est id quod recipit panis tosti lib. j. coquatur in aceto & aqua, & adde menthæ viridis. m. j. pistẽtur & per setaceum transmittãtur, & adde rosarum, coralli & pulueris crystalli præparati. ana. ʒ. j. & fiat cataplasma: quòd si velis eis addere pulueris santhalorum, coriandri, rhu & myrtillorũ ana. ʒ. ß. magni momenti conficies præsidium. Inunges etiam oleo rosarum, cytoniorum, omphacino & similibus, & cum prædictis pulueribus & oui albumine: aut adhibebis emplastrum ex carne cytoniorum, mastiche & prædictis pulueribus. Aliud etiam parabis quod recipit farinæ hordei lib. j. pulueris spodij. ℥. ij. & ß. albumina ouorum numero iiij. succi plantaginis aut bursæ pastoris vel caudæ equinæ quod sufficiat vt fiat cataplasma cum guttulis aceti rubri: in æstuantissima autem causa aliud conficies ex mica panis cum rosaceo & succo granatorum. Verùm si causa frigida fuerit, præualuerintque flatus, vẽtrem inunges oleo absynthij, nardi, de mentha, balsamo aut deterebintho. Item supra inunctionem adhibere poteris cataplasma quod recipit micæ panis tosti. lib. ß. decoquatur in aceto & vino & adde menthæ. m. j. extrahe per setam, & adde pulueris caryophyllorum, macis & cinnamomi. an. ʒ. j. spicæ nardi, cyperi, nucis cupressi. an. ʒ. ß. Præterea ex ladano & prædictis pulueribus emplastrum confice cum oleo mastichis aut de abiete, vel de cinnamomo aut de aniso. Quòd si ne hæc quidem prodesse videãtur, cucurbitam ventri admouebis, qua semota, dropacismum si ipsa non suffecerit, parabis ex quatuor partibus picis & vna olei cytoniorum vnà liquatis & extensis in alutæ: vel adhibe id quod recipit ladani depurati, hypocistidos. ana. ʒ. iij. acaciæ. ʒ. j. dissoluantur in oleo lentisci, mastichis vel absynthij aut nardino, & ventri adhibe.

Victus ratio. Quibus factis, studendum est deinceps vires roborare & reficere spiritus, quo possint tanto labori sufficere: quod sane facies victu & odoramentis & alijs quæ id beneficium præstare sunt nata. Sed prodest sæpissime, maximè primo morbi impetu, ciborum parsimonia, quo natura auarior facta, tenaciùs humores complectatur: efficacissimum etiam est præsidium somnus, quo vires reficiuntur, à quo parũ & sæpe porrigere oportet eorum ciborum qui boni sint succi & facilis coctionis. Præstant hũc vsum iura gallinarum cum acetosa: item & perdicum, sed potissimũ expressio carnium earum auium quæ siccioris sint naturæ, vt columbarum, perdicum & turturum, quibus addes aquæ rosatum aut plantaginis vel capitum rosarũ nonnihil. Corroborat etiam cibus qui sic cõficitur, perdiculas aut iuuenes pullos columbarum confixos baculis myrti aut rubi conspergue puluere cinnamomi interim dum assantur, & vino granatorum aut austero & odorifero irrorato, primum quidem calidas naribus ægri admouebis, & mox eorum succum exprimes prælo, & sorbendum laboranti præbeto. Præstat & ius glaciatum ex extremitatibus animalium cum aqua rosarum & myrtillorum, sparso puluere rosarum aut conseruæ earum. Porriges etiam amylum, panatellam, ptissanam, panem coctum super sparsis pulueribus ex saccharo rosaceo, margaritis, corallo, crystallo, aut electuario de gẽmmis, vel diamargaritonis frigidi, conditis, conseruis & alijs etiam quæ cap. de syncope adduximus. Item ouà sorbilia præbebis vel confecta saccharo, vino & aqua

aqua rosacea: præterea in prima mẽsa porriges panem biscoctum vino madidum, aut succo granatorum vel aqua rosacea: item vino vteris si vires collabi perspexeris, habito respectu ad ægri consuetudinem, vel aqua cinnamomi, aniſi, vel è corticibus citræ aut ex Indica sasafrasa: sicut in causa calida aqua ferrata. Odoramentis etiam vteris ex pane recenter cocto aqua rosarum, vino aut aqua naphæ inspersa: suffumigijs etiam vteris boni odoris. At si vomitu omnia alimenta protinus excernantur, ante cibum cucurbitam ventri admouebis, aut clysmatis nutritorijs vteris.

Quibus factis & iterum dum fiunt accidentibus subueniẽdum est: quippe quæ summopere virtutem prosternunt, & maius mortis discrimen accersunt: sic enim dum vrget conuulsio, syncope, sitis, aut animi deliquium, ad proprium cuiusque caput recurrendum erit. Verùm si eorum nihil prodesse videatur, sed constet vires plurimum periclitari, confugiendum profectò est ad narcotica auxilia: quo casu ℈. j. aut ʒ. ß. philonij Persici aut Romani aqua plantaginis liquati tutò porriges, aut si securiùs libuerit agere, syrupum papaueris cum aqua ferrata.

Choleræ verò siccæ curatio ab Hippocrat. scripta consulit primò cauendũ esse à vomitu, ne acris & erodens materia os ventris summopere offendat: deinde iubet ventrem oleo calido subducere, retundendæ acrimoniæ & vacuandæ materiæ gratia: item balneis ex oleo aut aquæ dulcis corpus temperare aut apperire, quo facilè flatus spiret & coctio perficiatur, cui si somnus subsequatur, omnia faciliùs præstat, maximè si vinum ante somnum porrexeris, & caput de tympania attentè leges. Quòd si ab expergefactione adhuc perstiterit dolor, olei dulcis potu subueniẽdum est, quo siccitas & acrimonia mansuetiores fiant, maximè quia à cibo, quantũ possibile fuerit abstinendum erit, saltem interim dum vacuatur materia, quod nõ primum (iudicio nostro) exequendum venit, vt in alijs affectionibus: laxare enim priùs corpus oportet, ac frænare impetum flatuũ, eorumque acrimoniam retundere, ne in humorum commotione plures eleuentur, ac minus educti magis noceant. Tandem vt in diaria ex nidorosa cruditate, curandi ratio instituenda venit. Fugiendum etiam est à casiæ fistulæ exhibitione, quia flatulenta est, & educta materia sicut ventris inflationem tractare oportebit per fomenta, inunctiones, cucurbitas siccas, & alia quæ discutiant citra maximum calorem, & vim simul habeant anodynam. *Coleræ siccæ medella*

De læuitate inteſtinorum. Cap. IX.

IN huius affectionis enodatione primitus ediscere oportet, Medicos ferè omnes triplicem earum fluxionum quę per intestina fiunt speciem ad ventriculum referre, vt in alimenti munere tria ipse natiua sorte exequitur. Primũ sanè est alimentum susceptum continere, quantum ad susceptandum naturæ beneficium parfit: secundum coquere & inchyli naturam mutare: tertium verò probè & per loca in iecur euntia distribuere. Sic profecto dum à quouis prædictorum munerum deficit, sua prodit per vẽtrem fluxionis differentia. Deficiente quidem retinente facultate, lienteriam fieri omnes fatentur: item cœliacam affectionem vbi comprehendens hæc facultas non probè continet, & vndique complectitur alimenta: in vtraque tamen vitiũ elucet

concoctricis euidentissimum, licèt non semper eiusdem sit iactura & impotentia. Verùm si in his facultatem deficere non contingat, sed probè vtrumque munus fieri, euenit non rarò distribuentem ex se, aut impedita ab officio aberrare, ac per intestina chylum perfundere, & chylosum moliri fluxum: itaque constat, vitio vẽ triculi iuxta hæc officia prædicta, homini succrescere lienteriam & cœliacam affectionem, nec non & chylosum fluxum. Non desunt qui de nomine huius affectionis dubitent, cur læuitas intestinorum nuncupetur potiusquàm ventriculi, cùm potissimum, vt Galen. refert, eius quàm eorum noxa existat. In quare licèt Galen. antiquiores acriùs quàm par sit accuset, censendum est, non semper morbos nomen accipere ab æquiore & propriore symptomate, sed frequentiùs à manifesto & vulgari. Sic certè in læuitate intestinorum, vulgo notior existit intestinorum quàm ventriculi læsio: dimitto etiam, quia non rarò hæc affectio primò & per se intestinis tribuitur, vt Galeno placuit. 4. aphor. 12. Nam vbi solius ventriculi reminiscitur, addendum est, & intestinorum, vt ipse etiam scribit 3. aphoris. 22. Vtcumque tamen sit, læuitas intestinorum seu lienteria, sic nuncupatur, ob celerem & leuem morum, aut excretionem eorum quæ ingeruntur: quo fit vt affectio hæc nihil aliud sit, quàm eorum quæ deuorata fuerunt celerrima excretio, ea forma qua ingesta fuere: ita vt iure optimo, eam definierit Galen. 6. aphoris. 1. per coctionis carentiam: inquit etiam. 6. de locis affect. quòd eâdem ratione in ventriculo fit lienteria, qua in vesica affectus qui diabetes dicitur, in quo potus vt bibitur, ita mingitur: nam ita celeriter in vtraque affectione quod ingeritur excernitur, quòd nullam admittat coctionem neque gratiam à natura: in quo sanè ab omnibus fluxuum speciebus differre constat, quia licèt alij sint, in quibus celeriter aliquid excernatur, non tamen exit citra aliquam mutationẽ. Ex quo prodit mirã dum esse qui possint laborantes alimoniam suscipere ac diu viuere, siquidem alimentum non solùm non conuertitur in substantiam aliti, verùm neque vllã fortitur mutationem, & cum hoc constat citrà alimoniam septem dierum spatium animal transire difficulter posse. Cuius dubij gratia asserimus, inter alia multa quæ homini offeruntur, quædam esse adeò tenuis & potulentæ substantię, quòd etiam in minori adhuc tempore naturam conficere ea posse constet, sicut quæ crassioris, integra propelli: quapropter coniectandum non est, omnem cibum naturam deijcere, neque à crasso tenuẽ partem exsuccare, vt nonnulli falsò intelligunt, sed ex alimentis tenuiora paruo illo retentionis tempore aliquid commutari, antequã quod crassum est, excernatur.

Causæ. Verùm quia huius affectionis natura eluceſcet longe magis ex causarum notitia, quàm quouis alio modo, placet ob id earum tractationem paulò diligentiùs expendere. Constat igitur ex Galeni decreto locis nuper citatis, duplicem tantùm huius mali subesse causam: vnam quidem, imbecillitatem retentricis facultatis vẽ triculi, quæ nequit eo alimenta continere, quousque coctionem consequantur, quam fieri ab humiditate nec non à frigiditate aliquali certum est: alteram verò exulcerationem ventriculi & 3. aphoris. 22. addit & intestinorum, quo expultrix irritatur ad expellendum intempestiuè: cuius sententiam sectatur etiam Paulus. Cui causæ etiam reducitur acris & erodẽs humor (qualis in diarrhœa vel dyssenteria conspicitur) facultatem lacessens ad expellẽdum, vt vesicæ accidit straguria, & anoteneſmus. Ex quibus iam constare arbitror, hunc affectum sequi intemperiẽ ventriculi & primorum intestinorum frigidam & humidam, quæ siccitatem & calorem retentionis authores destruxerunt. Quippe intemperies, siue sit in ventriculo,

triculo, siue in intestinis, quæ anadosi inseruiunt, siue in vtrisque, cũ adeò intenditur, quòd hectica fiat & in habitu ac firmata existat, tunc calore supresso coctionem prohibet & cibum diluit humiditate: aliquando verò id efficitur propter acidam pituitam diutiùs inhærentem, vel frigidam aut crassam & lentam, quæ ventris & intestinorũ rugas & sinuosas partes replet, vt inducta læuitate cib⁹ defluat: item fit à mendicamento lubricante, aut alimentis pinguibus vel à copioso cicatricum prouentu ex prægressa dysenteria. In quare videndum primò ac dubitandũ est, intestinorum vitium an possit ad huius affectus effectionem concurrere ventriculo illęso: quòd si concurrat, vt constat. 3. aphor. 22. cui nam vitiorum generi tribui debeat: nam aut ad intemperantiam intestinorum referri debet, vt 4. aph. 12. Galen. asserit, aut ad vlcus vt lib. 3. comm. 22. Vtcumque sit, erit necessum cibos immutatos prodire ob aliquã ex prædictis causis. Sed dubij ratio augetur, quia licèt vẽ triculus affectus sit, cur intestina, quæ sana existunt conficere non possunt: & rursus quid interest ventriculo vt concoquat, intestina esse affecta, si ventriculus ipse coctionis est potissima officina? Secundò dubitandum est, an necessum sit, alimẽta ex toto inconfecta exire: nam constat Rasem & Paulum dixisse, alimentum parum immutatum exire, non immutatum prorsus, adeò vt difficulter visu distinguatur alimenti ingesti genus. Tertium verò dubium est, an Celsi & antiquorum sententia omnino ableganda sit, qui tanquam causam addunt politam ex cicatrice aut pituitoso succo internam ventris & intestinorum faciem: nam vt Galen. refert 6. aphor. 1. vesica continet vrinam citra rugas & asperitatem vllam. Quartò quærendum est, cur reijciatur à causarum consortio, coquentis facultatis impotẽtia. Quintò dubitatur in hac re si vitia intestinorum hũc etiam affectum cõcitant, cuius nam facultatis eorum dicetur: nam si contentricis dixeris, ipsa, refert Galen. intestina carere 5. de vsu part. cap. 11. cuius loco tortuosa fabrefecit natura: quòd si concoctricis dixeris, iam lienteria non erit velox excretio eorum quæ comedantur.

1. *dubium*

2. *dubium*

3. *dubium.*

4. *dubium.*

5. *dubium.*

Dilutio dubitationũ. Quibus omnibus dubijs respondendum mihi nunc est: primò quidem sciendũ eam esse intestinorum cum ventre connexionem & cohæretiam, eamque officij communitatem, vt etiam si ventriculus affectus primariò non sit, ab vlcere aut intemperie intestinorum protinus oblædatur, ita vt ex vtriusque partis damno alimẽta protinus cruda excernantur, vt in dysenteria euidenter contingit, in qua protinus à ventre alimẽtum rapitur & excernitur. Sic dum ipsa imbecillitate laborant, etiam si retentrice careant, grauantur onere ob impotentiam & ad pellendũ insurgunt, atque id in intestinis est retinentem imbecillitari, hoc est citiùs quàm par sit expultricem excitari. Obsunt etiam retentioni cicatrices & glabra ac tersa ob pituitam rugositatibus infartam, interna intestinorum & ventris facies: cicatrices quidem, quia obturarunt meseraicarum oscula: quibus trahentibus & sugentibus alimentum diu immorabatur, ac veluti detentum erat in eisdem: quam tamen causam rarò posse accidere (quamuis Ætius & Celsus eam consignauerint) arbitramur, quia creditu videtur difficile adeò viuente animali posse intestina exulcerari, quòd omnino aut maiori ex parte oscula vasorum obturentur. Censeo tamen ex grãdi dysenteria, tum intestina, tum ventriculum adeò labefactari, quòd facilè deinceps in hoc vitium incidant. Pituita verò, quia impedit exactam compressionem in ventriculo, & lubricam (sicut pinguia alimẽta) reddit viam, tum etiam quia oblenit & obturat eadem oscula meseraicarum, quo minus sugant, & virtutẽ concoquentem in vtraque parte obtũdit, & calorem, operum omnium instrumentũ, obscu-

obſcurat & imminuit. Neq; obſtat huic ſolutioni Galen. qui hoc axioma aduerſus antiquos taxat: nam ipſe tantùm inſtituit docere, læuitatem inteſtinorum non ſumere denominationem ab hac cauſa, non tamen negat ex profeſſo id accidere poſſe. Dubitandum præterea eſſe duximus, cur ablegauerit Galen. coctricis vitia à cauſis lienteriæ. Quod ſanè videtur optimè fuiſſe factum, cùm vniuerſa huius affectus natura ſita ſit in crudorum celerrimâ excretione: quam eſſe adeò celerem eſt impoſsibile, ſi coctricis vitio crudum excernatur alimentum: nam diu immorari, ſi vitio coctricis fieri debet, neceſſariò tenetur. Altera verò ex parte conſtat ex multorum ſententia, hunc affectum referendum etiam eſſe ad coctricis vitium, quod etiam videtur inſinuaſſe Gale. 4. de vſu partium, ſiquidem ſcribit ea parte & 4. aphor. 27. ventriculum non coquere, dum omentum oblæſum eſt, aut iecur & cor præ nimio ſanguinis fluxu refrigerata ſunt, & ob id cruda excerni excrementa: ſed clariùs adhuc lib. 6. aphor. 1. vbi Hippoc. in lõgis læuitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus qui antea non erat ſuperueniat, bonum eſſe ſignum ſtatuit: & rationem reddens Gal. in comment. inquit. Quia ſignum eſt, iam naturam aggredi coctionem, & aduerſus alimenta aliquid agere. Ex qua ſententia videtur poſſe colligi, malum etiam hoc ad coctricem attinere, ſiquidem ſalutis futuræ eſt ſignum, eius noua actio quæ antea non erat. In qua ſententia, ſicut in reliquis, multa ſe ſe offerunt ad veram huius quæſiti enodationem notatu digna.

Dubium. Primum, qua nam ratione futuram coctionem & iam inceptam monſtret Hippocrat. per longè maiorem cruditatem, quàm ſit ea quæ coctione corrigitur. Certum enim eſt, in lienteria alimenta ſolùm eſſe incocta, in acido verò ructu eſſe cruda; & ſicut maiorem arguit cruditatem putredo quã immaturitas, ita profectò maiorem etiam acida cruditas, quàm incoctibilitas, vt ſic loquar more Galeni. 8. pharmac. loca. cap. 6. quippe putredo & aciditas emendari nunquam aut rarò poſſunt, vel ſaltem in noſtram ſubſtantiam, ſi corrigantur, mutari (quia in putredine deuictus eſt calor ob externum calorem, in acore ob frigiditatem) immaturitas verò & incoctibilitas optimè quidem. Si igitur aciditas maiorem arguit cruditatem, quomodo ructus acidus coctionem alimẽti deſignabit? *Solutio.* In quare, & vt conſtet veritas illius ſententiæ, dicimus aliud eſſe, ructum acidum qui antea non erat, in longis læuitatibus apparere, aliud verò ſemper adeſſe: & rurſus lõgè aliter poſſe ſignificare in longis ac in incipientibus. In longis quidem, licèt affectio ſuapte natura ſolùm à vitio retentricis aut expellentis prodeat, neceſſum eſt etiam temporis tractu, calorẽ imminui & coctionem vitiari ac ſuccos acidos fieri, à quibus ob caloris defectum nihil toto temporis ductu flatuoſum eleuauit natura, nunc verò calore reuiuiſcente ex acido humore qui præfuerat (non qui modò generatur) eleuat ructum, qui arguit principium actionis naturæ, quod antea non fuerat, ſicut neque præfuerat ructus. Quo fit vt mirum nõ ſit, ſi ex crudioris humoris ſigno principium coctionis venemur: dummodo intelligamus, aliter eſſe ſentiendum, ſi à principio ructus acidus appareat: quippe eo tempore non eſt ſignum coctionis incipientis, ſed impenſæ frigiditatis & cruditatis ſummæ, & ob id non coctionis initium, ſed exitium exiſtimare oportet.

Præterea ſciendum eſt, huiuſmodi cruditatem quæ in acorem mutatur, non eſſe materiam neque principium lienteriæ, neque ob impotentiam eiuſdem facultatis: quippe lienteria arguit defectum caloris membrorum, qui temporis breuitate (non defectu ſui) cibos non valuit liquare: acidus verò ſapor potiùs dicit defectum eius aut extinctionem, vel ſummam frigiditatem ſubſtantiæ & caloris ventriculi:

triculi: ex quo liquet, quòd licèt acidus ſapor auferatur, nõ ſubinde ſequeretur lienteriam curari, niſi ex accidenti, quia arguit immorari ampliùs alimenta, & pariter calorem in ea & acidam cruditatem agere, quod antea non poterat, quia impotens, & quia non euocabatur ad coctionem ob celerem alimenti exitum à ventriculo. Cuius rei gratia dicimus duplicem eſſe lienteriam: alteram legitimam, cui propriè definitio celeris excretionis crudorum conuenit, quæ ſolùm fit defectu contentricis, aut irritamento expultricis: alteram verò illegitimam. Et rurſus hæc duplex conſpicitur: vna quæ per complicationem vitij plurium facultatum & excretionum efficitur, qualis eſt cui adiungitur acida cruditas: altera verò in qua cruda quidem aut incocta excernuntur alimenta, non tamen celeriter, qualis fit vbi omentum, hepar aut cor frigidiora exiſtunt, & tanto quidem ſpurior & illegitima eſt, quanto poſt maiorem moram crudũ excernitur. Ex quibus conſtat lienteriam fieri coctrice vitiata, cæterum ſpuriam, quam certum eſt vitio prædictorum membrorum, aut defectu caloris ventriculi poſſe fieri.

Itaque conſtat ex dictis, legitimæ lienteriæ duas tantùm eſſe cauſas, impotentiam nimirum contentricis facultatis, & irritamentum expultricis: illam quidem ex frigido & humidiori intemperamento exortam, quòd aliquando ſimplex ſolet eſſe, frequentiùs tamen cum pituita, quæ ventriculo adhærens prædicta mala fabrefacit: hanc verò irritamentum concitat expultricis ab exulceratione, vel mordentibus, acribus & erodentibus alimentis, medicamentis, ſiue humoribus, vel à quauis alia re quæ irritamentum aut grauitatem inferre poſsit. At illegitimam generant quæcũque coctionem vitiare poſſunt: ſiue id ſit calorem membrorum imminuendo, ſiue imbecillitato ac diminuto proprio ventriculi calore: nam defectu primi, alimenta non liquantur, defectu verò ſecundi, liquata non mutantur, ſed acorem contrahunt. Vtrique tamen vitio plures cauſæ internæ & externæ occaſionem præſtant. Reducantur ne hi affectus ad hanc vel illam morbi ſpeciẽ, abunde cenſeo dictum eſſe.

Signa. Signis profectò opus non eſt ad huius mali exactam cognitionem & diſtinctionem à reliquis fluxibus, cùm in eo excernantur alimenta qualia deuorata fuere: ex vſu tamen ſunt ad cauſarum cognitionem & diſtinctionem. Dignoſces quidẽ primò, expultricis ne vitio, an retentricis ſuboriatur, ex ſenſato morſu labentis alimenti: quippe dum facultas expultrix irritata eſt, non fit excretio citra peculiarem ſenſationem, eamque triſtem, moleſtã ac doloroſam, maximè eius partis vbi exulceratio, aut fit ex acrium humorum afluxu (quem noſcimus ex humore ſimul cum alimento excreto) aut à re vlcerante, velut in dyſenteria contingit: quod etiam noſces, quia purulentum, ſanioſum & ſanguinolentum cum alimento crudo exit: Verùm ſi vitio fiat contentricis, id dignoſces ex ventris fluctuatione, præſertim à cibo ingeſto: præterquam quòd vrgent magis excretiones nouo alimento ſumpto, nam facilè eo tempore propellitur, aut vt rectiùs loquar, fluere à ventriculo permittitur quod incoctum in ventre immorabatur, præ grauitate aduenientis: quod profectò fiet citra dolorem aut ſenſationem vel moleſtiam aliquam. Verùm ſi ſpuria ſit lienteria, & vitio caloris circunſtantium membrorum crudum ſuperſit alimentum, id profectò diſces, quia licèt dũ ibidem immoretur, nullam ſubinde ſuſceptat coctionem: præterquam quòd prægreſſa cauſa id quoque monſtrabit, nimirum an præceſſerit diutinus ſanguinis fluxus, aut alia affectio ex his quæ plurimum caloris & ſpirituum conterere natæ ſunt. At ſi ſpuria etiam ſit, ex acidorum admixtione vel noua generatione, ex ructu & diuturnitate mali venaberis ipſum

ventrem

ventrem frigido intemperamento esse affectum, ita vt licèt circunstantium calor quodammodo semiliquet alimenta, maior tamen eorum pars in acidum commigrat. Ventrem quidem pituita abundare aut aquosiori substantia, discès ex his quę simul cum incocto cibo excernuntur: maiori enim ex parte, obductum ac veluti vestitum excernitur pituita alimentum, & pari ratione fit, si intestinorum vitio ob eandem pituitam affectio suboriatur. Sic enim si ex capite pituita defluxerit diligenter obseruabis signa quæ catarrhum ostendunt, præterquam quòd quæ sic excernuntur spumosa plerunque exeunt: Quòd si ab inducta cicatrice affectio prodeat, præcedens dysenteria aut exulcerationis occasio facilè monstrabit.

Præsagium Si diu durauerit affectio, certò proferes morbum in atrophiam commigraturum, aut in malum corporis habitum: verùm si cum febre adiungatur, vereri hecticam consumptionem oportebit: quapropter diligentiùs rem hanc præcauere erit necessum.

Curandi ratio. Cùm constet legitimam lienteriam duplicem tantùm sortiri causam (alteram retentricis impotentiam, & reliquam expultricis irritamentum) proculdubio duplex quoque erit medendi ratio. Nam dum irritatur natura ab acri & vitioso humore, vt arguit oris ventriculi morsus & condolentia propter corruptum in ventre succum, aut aliunde ibidem transmissum, duplex necessariò insurget curandi via: altera quæ mordacitatem retũdat frẹnetque, vt præstat syrupus granatorum, de agræsta, de portulaca, violarum, nenupharis & papaueris cum aquis bugloss æ, borraginis, acetosæ & plantaginis: item amylum, ptissana & potulenta aciurulenta omnia, & quæ mulcebrẽ habẽt vim, vt mucilaginosa omnia: reliqua quæ his factis purget per epicrasim biliosos & acres succos, rhabarbaro aut mirabolanorum corticibus: sed in hac causa prodest magis earum dilutum ex sero aut aqua portulacę. Vtilis quoq; est syrupus cichorij compositus, aut acetosus diarrhodon: verũ si diu malum persueraverit, commãducatum rhabarbarũ maximi est pretij. At si vlceris occasione malum suboriatur, videndum tunc est, an in intestinis præsit, & ad caput de dysenteria confugiendum est: si verò in ventriculo sit, purgandum minimè erit, ne vlcus ibidem euocatis humoribus exacerbari contingat, nec rursus iurulentis & pinguibus vtẽdum, ne sordidius fiat: sed primò abstergere, mox exsiccare opus erit, ac nonnunquam adstringere, tum vt aliquo modo agglutinetur, tum verò, vt si forte causa exulcerans adhuc influit, compescatur frẽneturque. Quare aquam saccharatam ex hordeo aut mellitam porrigere opus erit: à quibus succum ribes vel granatorum cum spodij vel rosarum rubearum. ʒ. ℈. ante cibum porrigere oportet. Item eãdem occasione præstabis amylum, ptissanã aut hordei farinam cũ saccharo, & trãsactis quatuor aut sex horis à cibo, ventriculum ablues & abstergespræd ictis decoctis: & mox antequam iterum cibus adhibeatur, abstergẽtibus prædictis & alijs eiusdem naturæ vteris: cuius gratia adhibebis puluerem coriandri præparati & succum vuæ acerbæ: item puluerem corticum hordei cum saccharo, coriandro & corallo: quòd si miuę cytoniorum aliquid addideris, optimè facies. Prosunt & exteriùs emplastra quæ capite de cholera adduximus: hoc vno animaduerso quòd si in febribus (nullo coimisso errato in cibo aut nimio potu) liẽteria succrescat, quòd acrium & calidorum succorum aliquid ad vẽtriculum fluat, quo ad celerem pulsum alimentorum gliscat, ipsum vẽtrem inunges oleo rosarum aut omphancino cũ pulueribus coralli & rosarũ. Absinthite verò aut alia inunctione calida nõ vteris, nisi ob potus vbertatẽ aut ventriculi frigiditatẽ malum succrescat.

Verùm si lienteria ex vitio retentricis prodeat, duplex etiam erit medendi ratio: altera

ratio: altera quæ causam imbecillitatis illidat corrigatque: altera verò quæ actũ languentis virtutis suppleat. Imbecillitatem itaque parit frigida & humidior intẽperantia: quapropter euacuatis per epicrasim humiditatibus (masticato rhabarbaro vel in tabellis cum corallo & saccharo ac rosis, confecto: item pilulis ex hiera, mastichinis, rhabarbaro, agarico & aloẽ confectis: item prunis damascenis cum decocto senæ, syrupo rosarum Persicarum, & alijs huius naturæ, quorum sæpe meminimus, præsertim cap. de vomitu) ac resiccatis eisdem per emplastra, fomẽta, cataplasmata & inunctiones, quæ fiunt ex decocto camemali, absynthij & corticum citri, ex mentha etiam & caryophyllis, ex quibus cataplasmata conficies addito furfure. Emplastra verò ex eisdem adhibebis cum cinnamomo, aniso, ladano & cera: sic inunctiones ex oleo de spica, de absynthio, de mentha, de abiete, & de cinnamomo. Porriges etiã summo manè diarrhodonis aut aromatici rosati tabellas, vel puluerem cinnamomi, anisi, caryophyllorum, coriandri præparati cum saccharo & vino absynthite. Factis item vacuationibus prosunt diaciminon & dianison, theriaca, mythridatum & huius naturæ reliquia.

Quòd si ne hæc quidem prodesse videãtur, bis in hebdomada vomere proficuũ erit, quod tanquam summè vtile laudo, sicut pro potu aquã porrigere decoctã ex radice Chinæ aut smilace aspera, sasafrasa Indica, corticibus citri, ligno aloë, vel bibere in vasis politis intrinsecus sulphure. Quibus factis, ad ea quę adstringũt, veniẽdum esse consulit rei ratio: ea enim sunt quæ actũ ruentis retẽtricis supplent: inter quæ primum locum habet id quod recipit (summo manè & ante cœnã sumptum) succi cytoniorum, & è malis granatis ana partes æquales, coquantur ad spissitudinẽ & cum melle fiat eclegma. Præstat & syrupus ex cydonijs aut ex granatis cũ syrupo de mentha & rosarum: item diacodion cum sapa factum, quod somnũ conciliat & ventrem sistit. Præstat & auxilium Asclepiadis, quod recipit pirorum immaturorum, malorum cydoniorum, granatorum acidorũ, dactilorum immaturorũ. an. ʒ. j. coquantur cum mellis rosacei. lib. j. donec inspissentur, subductis ab igne addemacis, acaciæ, caryophyllorũ. an. ʒ. j. cinnamomi, balaustiorum. an. ʒ. j. & ℈. datur. ʒ. ℈. cũ aqua deaurata. Prodest & puluisculus qui recipit coriandri præparati. ʒ. ij. corralli rubei, rosarũ rubearũ, rasuræ eboris, cornu cerui præparati, ossis de corde cerui an. ϑ. j. cinnamomi. ʒ. ij. sacchari rosati. ʒ. ij. fiat puluis subtilis quo vtatur in pane tosto cum modico vino. Præterea ferunt prodesse puluerẽ ex pudendo tauri aut cerui, vel coagulum vituli ad fabæ magnitudinem cum vino aut succo oxyacanthæ. Roborat etiam ac firmat ventrem, id q. r. myrabol. emblicorum nu. j. cydoniorum ʒ. j. corticis citri conditi, ʒ. j. puleris diacitonites. ʒ. ij. diarrhodonis Abb. & rosatæ nouellæ. ana. ʒ. j. corralli rubei vsti. ʒ. j. ℈. cõseruę acori colatæ & trãsmissæ per cribrũ. ʒ. vj. cũ syrupo cydoniorũ fiat opiata ante cibũ sumẽda: cui si addideris, zingiberis cõditi & aromatici rosati, rasuræ eboris, vel cineris intestinorũ galli ʒ. ij. maioris mẽti efficies, vel ex eisdẽ & pane tosto, aut carne cydoniorum cũ vino rubro, cataplasma confeceris. Prosunt etiã cataplasmata ventri admota, maximè id q. recipit pulueris mẽthę, balaustiorũ, myrti, corticis mali granati, florũ roris marini. ana. ʒ. j. vini rubri & succi cydoniorũ ana partes æquales, myrrhæ, mastichis, gũmi Arabici. an. ϑ. ij. fiat cataplasma. Exvsu quoq; est emplastrũ qđ recipit oleicytoniorum, mastichis & myrtillorũ. an. ʒ j. puleris sanguinis draconis, mastichis, gũmi Arabici, dragacãthi. an. ʒ. ij. cerę q. s. ufficiat, fiat emplastrũ. Aliud etiã cõficies, qđ recipit acacię, boli Armẽi, hypocistidis balaustiorũ, galbani, myrti, mastichis. an ʒ. ij. caryophyllorũ, cinnamomi. an. ʒ. j vini rubri & succi cydoniorũ. an. q. s. ufficiat vt fiat cataplasma. Quòd

si hæc omnia adhuc non profuerint, ad sudationem ex decocto radicis Chinæ deuenire consulo.

Si tamen exspurijs lienteria sit, videndum tunc est, an defectu caloris membrorum circunstantium prodeat, vt conualescentibus non rarò accidit, & his quibus copiosiùs fluxit sanguis: quo tẽpore calorificis auxilijs exteriùs tantũ adhibitis, defectum supplere oportet: sic enim manus temperati hominis diu ventri imposita prodest: item catulus aut columborum pullus: nec non & cataplasma ex vino & pane ac cinnamomo, aut emplastra quæ adduximus capite de imbecillitate ventriculi. Verùm si ex diminuto ipsius ventris calore suboriatur, vt ex acidis ructibus & humoribus venari possumus, per ea quæ eiusdem caloris defectum suppleant, intus & extra adhibita, rem commodiùs ages: quale est quod recipit aquæ vitæ. ℥. xij. corticum malorum aranciorum. ʒ. j. florũ roris marini. p. ℈. cinnamomi. ʒ. j. & ℈. belzoini. ʒ. j. croci. ℈. j. musci parum misce, & facta leui ebullitione vsui serua. Præstat etiam ante cœnam ventrem inungere oleo quod recipit succi immaturarũ oliuarum ad mensuram olei, in quibus frusta aliquot alabastri ter aut quater incensa extinguantur, deinde in puluerem redacta in idem oleum infundantur, & adde ceræ rubræ. lib. ij. ac postmodum instillentur, donec oleum totum exierit: cui deniq; adiungito myrrhæ optimæ & in vino dissolutæ. ℥. ℈. succi absynthij totidem & misce. Quæ si non profuerint, ad ea quæ ampliùs adstringunt, deueniendum esse consulit curandi ratio, veluti sunt medicamenta quæ ex mastiche & supradictis pulueribus conficiuntur (hæc namque alteram complẽt indicationem.) Quòd si caloris nonnihil inesse cognouerimus, malum cydonium vino nigro feruefacies, pistabisq; pulueribus rosarũ, coralli, myrtillorum & similiũ, & ex eis emplastrũ efformare oportet. Cui vsui plurimum prodest quod cõficitur ex furfure, vino nigro, oleo myrtino, mastichino, & pulueribus vltimo loco adductis: item emplastrum diaphœnicõ quod mirè solet prodesse. Benefacit etiam vinum nigrum vetustum & aqua frustis alabastri chalybeata, prima mẽsa sumpta: vltimò tamẽ suffit⁹ per infundibulũ ventriculo adhibiti maximi sunt momenti, ex eisdem rebus exhalãtes, quę exteriùs adhibitæ prodesse diximus. Prosunt etiam maximè quę substantiam innati calidi reficiunt, vt sunt alimenta & potus optimæ substantiæ & calidæ naturæ, quo faciliùs frigiditatis additæ inclementiam & intemperamẽtum frænemus, qualia citato capite copiosè adduximus. At si ob inundantem pituitam citò alimenta prolabantur, præter purgationem & vomitum, vt superiùs diximus, abstergẽtibus rem agere oportebit, per ænemata, si intestina obducta sint pituita; & per potiones si ventriculus. Prosunt hæc confecta ex melle squillitico & decocto furfuris, aqua marina aut aluminosa vel mulsa: Cicatrices verò difficulter emendare poteris, neque earum læsionem compescere: quapropter parum & sæpe licebit alimentum, idque tenue porrigere, vt aliquid natura arripere possit: maximè si ex prædictis emplastris, aut cataplasmatis, vel cucurbita vtaris, quo firmiùs natura alimentum cõplectatur. Verùm si læuitas intestinorum conualescenti euenerit, roborantibus solùm vtendum erit & modicè adstringentibus, nullis tamen vacuationibus

institutis: roborat enim emplastrum ex mica panis tosti vino & pulueribus diarrhodonis, cum ligno aloẽ & cinnamomo confectum.

De cœliaco fluxu. Cap. X.

NVllus authorum ex his quos ego legerim, ita accuratè & differtè cœliacæ affectionis naturam & causas exposuit, ac Areteus lib. 2. de signis & cau. diut. cap. 7. qui sanè scriptum reliquit, cœliacam affectionem nil aliud esse, quã liquidi & incocti alimenti profluuium, & ob id ventriculum debere dici affectionem. In qua sanè ventriculus frigidior existit, & calor impotentior ad coquendũ, quippe qui liquare alimẽtum solummodo valeat, concoquere verò nequaquam, nec rursus in succum proprium vertere, sed semicoctum imperfectumq; relinquere: quod sanè coctione destitutum, ad prauam adeò mutatur conditionem, vt colore, odore & consistentia à se ipso & à corpore alendo, lõgissimis interuallis dissideat. Quibus sanè verbis ferè comprehensa est omnis huius mali natura: est enim velox quidam exitus eorum quæ per os assumuntur, verum nõ omnino crudorum & incoctorum: nam in hac affectione solùm leuia & humectata egerũtur excremẽta, ventre præ imbecillitate ea integrè mutare nequeunte. Atque licèt dictum sit velocem esse excretionem, non subinde intelligendum est, velocitatem dicere excretionem mox à cibo ingesto factam, id enim proprium est lienteriæ, sed designare celeriter & frequenter sic affectos excernere, non mox à cibo, quia ibidem immoratur quantum par est vt coqui possit, si huic muneri sufficisset natura.

Causæ. Cuius affectionis (vt eius natura magis propriùsque elucescat) causas mihi est in animo diligenter euoluere, necnon & dissidium inter eam & læuitatem intestinorum, quantumuis vnias membri & consimilis naturæ videantur. Habet autem hæc affectio causas, quæ ipsum excitant varias, & alias etiam quę ipsi præstant conditiones, quibus à lienteria & reliquis fluxibus differre constabit. Est in vniuersum proxima & immediata causa, ventris ferè totius frigidum cum sordida humiditate intemperamentum, cum imnati calidi & humidi proprij imminutione, ac nonnunquam calidum, ex quibus non leuis sequitur impotentia facultatibus ventriculi: primum quidem contentricis: item & necessitate quadam naturę affectus, concoctricis: vltimò verò distributiuæ & secernentis. Atq; res ita se habet re vera, vitio tamen retentricis primò & per se ab omnibus tribuitur: licèt in hoc à vero, aliquo modo aberrent, nam omnibus potẽtijs tribui necessariò debet, sed clarioris doctrinæ gratia id dictũ fuisse arbitror, cũ constet adeò imbecillã esse, vt ea forma ac modo alimentum complecti & vndiq; circundare non possit: quo fit, vt etiãsi liquetur & tenuior fiat, formam tamen chyli susceptare non possit, quòd vẽtriculi tunica non omni ex parte ipsum cõplecti & attingere possit: ex quo prodit, mutata forma alimentum exire liquidum & aquosum factum, verùm minimè in substantiam chyli mutatum. Atqui licèt in hoc causæ genere à lienteria differre non videatur, quia vterque affectus ab imbecillitate retentricis prodit, cum hoc tamen lõgissimis distat interuallis. Cuius doctrinæ gratia expendendũ est, primò differre (licèt vitio eiusdẽ contentricis prodeant ambæ) modo affectionis eiusdẽ potentiæ, excrementorum diuersitate, & aliarum potentiarum læsione. Quippe cùm retentricis duo sint munia, nimirum eo vsque alimentum continere, donec integram adipiscatur coctionem, & ita ipsum vndique cõplecti, quòd vniuersam chyli formam & ventriculi naturam induat, constat in lienteria tempus debitum non

adſeruari ſed anteuerti,in cœliaca verò ſolo complexu & cohærentia cũ cibo ventriculũ aberrare. Quo fit vt in lienteria alimẽta immutata exeãt, in cœliaca verò liquata,quia diu ibidẽ immorata ſunt,cæterũ chyli formã nondũ adepta, quia vẽtriculus non valuit eã præſtare ob prædictum contentricis vitium. Et licèt in læuitate videantur actiones omnino abolitæ,& in cœliaca diminutæ,cũ hoc tamẽ quia in illa auferuntur per conſenſum & cõpaſsionem retentricis aut expellentis,& in cœliaca per eſſentiam,ob id grauius eſt vitiũ diminutionis in cœliaca, quã abolitionis in læuitate: præterquã quòd in cœliaca etiam corruptionis adiũgitur labes. Differunt etiam ſecundò in excretis,quia lienteria ſolũ excernit alimenta immutata,cœliaca verò mutata,humidiora,corrupta & mille vitijs conſpurcata. Præterea tertiò differunt,quia in lienteria reliquæ potentiæ priuantur actu,defectu temporis,non vitio ſui: at in cœliaca potentiæ omnes oblæſæ exiſtunt,& ob id nullum perficiunt actum,quantumuis immoretur in ventre alimentum,vt mox probabo: nam licèt vtriuſque affectus nimia frigiditas morboſa cauſa ſit, in hoc tamen magna intereſt differentia, nimirum quòd in lienteria ſuperflua humiditas præualet, quæ potiſsima cauſa eſt, ob quã dilabuntur alimenta ante debitũ tẽpus. At in cœliaca frigiditas quidem adeſt,ſed cum defectu proprij caloris & humidi ipſius ventriculi,adiuncta ſordida humiditate, licèt copioſa non ſit vt in lienteria: haud ſecus quàm in legitima hepatica dyſenteria dictum eſt fieri: quippe ſi in cœliaca, excrementa excernuntur humida,non eſt ratione cauſæ,ſed quia liquantur alimenta,& ſic manent & excernuntur. Ex quo oritur ratio,qua probari poteſt neceſsitate quadam naturæ affectus facultates omnes ſimul oblædi,ſed primò in cœliaca. Contingit itaq; vtrumq; affectũ ab exuperãte fieri frigiditate, & læuitatẽ ſimul ab humiditate (in quo etiam magna intereſt differentia) cæterũ lienteriam in partte ventris interiori,& in eius facie potiùs quã in vniuerſa tunica,& ob id ſolus ille retentricis actus,ſolaq; potentia proculdubio vitiãtur: at in cœliaca vniuerſa ventris ſubſtantia humectior efficitur ac impenſè refrigeratur,aut calore humido deijcitur,adeò vt non ſolũ contentricis munus oblædatur, ſed vt etiam calor innatus ſimul infirmetur,quo minus reliquæ potentiæ infirmiores eſſentialiter factæ poſsint munus ſuũ perficere,vt pulchrè Areteus aduertit li.2.de diuturnorum morborum curatione cap.7.dicens: Si ventriculus ciborum digerendorũ impotẽs ſit, diffluat autem alimentum non coctũ, non mutatũ, crudũ, nihilq; ad corporis molem tranſeat,cœliacos hos appellamus, refrigerato nimirũ intus calore innato,quo minus coquat,& viribus quæ diſtribuũt alimenta debilitatis. Quod profectò rei ipſius euentu confirmari poteſt, cum diu ibidem immorante alimento liquidioríque facto, nullam contingat ſuſceptare coctionem: ac non ſolùm id, verùm nec valet ventriculus impedire quominus putreſcat vitieturque alimentum, quin potiùs ob defectum diſtribuentis prædicta mala contrahat, beneficio caloris innati omnino deſtituto. Qua ratione fit, vt huiuſmodi excremẽta malè olida frequentiùs prorumpant: aliquando etenim contingere ſcimus adeò flatulentæ ſubſtantiæ copia ventriculum abundare, quòd ea intercluſa inter ventriculum & alimenta impediat optimum & adæquatum complexum ventris ipſius ad eadem: quo fit vt partim excernantur cruda, fœtida & liquata,& partim cocta,& ob id omnino inæqualia: ſecus res ſe habet cũ præ impotentia contentrix nequit cibũ vndiq; probè cõplecti, ita vt nihil interſit inter cibos & vẽtris tunicas: Oblæditur inſuper diſtributiua facultas, quòd nõ ſtatim prædicta excrementa pellat, ſed maiori facta mora quã par foret, occaſionẽ præſtat prędictę corruptioni, ita

ita vt falſò Celſus arbitratus fuerit, nihil in hac affectione ventrem excernere. Itaque cùm in ventriculo neceſſariò contineatur,& non ſatis poſsit confici, neque ob id diſtribui, reliquum eſt, cũ plus iuſto in eo loco immoretur, in præternaturalẽ & alienam naturam ac fœdiſsimum putorem mutari. Contingit etiam hunc fluxum non continuò ſed per interualla effluere, quo ſenſu credimus Celſum poſſe interpretari: cuius euentus cauſa eſt vitium diſtribuẽtis facultatis, quia ſingulis diebus cũ languida ſit, non excernit: quippe ſi potens eſſet, expelleret vtique quod alienũ perſentiſcit, quod cùm minimè poſsit, facilè copioſè excrementa congregantur, quæ poſtea facultatem laceſſunt, & copioſam etiam concitant alui deiectionem, quod in lienteria non fit, ſed quotidie quod ingeritur excernitur. Contingit etiã alia huius affectus ſpecies, pſeudocœliaca nuncupata, quæ licèt excrementa excernat qualia prodeunt in vera & legitima cœliaca, nihilominus tamen ab ea multis numeris diſsidet: nam præter id quod ſubitò fit & ſoluitur (quod veræ & legitimæ cœliacæ non contingit) non fit à ventris intemperie & habituali impotentia, ſed ſolùm ab alimentorum vitio, aut ea vbertate, & vario ingerendi atque frequenti modo, quòd natura liquare quidem poſsit, commutare verò omnino, nequaquam, tum ob natiuam protopathiam, & contrarietatem aut differentiam quã cum corpore alendo habet, tum ob inſuperabilem omnino copiam: quam ſanè affectionem ſcimus, nõ rarò in guloſis hominibus & his qui nimio, vario & inordinato vtuntur cibo, contingere, & pari ratione ſi prudenter præueniatur ſubſiſtere.

Diſtinguitur huiuſmodi affectus ab alijs alui fluxionibus & per ſe innoteſcit ex magna & per maiora interualla deiectione excrementorum humidorũ, nõ ſub alimenti forma excretorum, nec mutatorum in alienam qualitatem, hoc eſt in naturã ſuccorũ bilioſorũ, pituitoſorum aut melancholicorũ, ſed tantũ referentiũ alimẽti liquati & corrupti ſpecimen, licèt quale fuerit alimentum, diſtinguí minimè poſsit. Ratio tenuitatis potiſsima eſt liquatio alimenti, fœtoris verò non quidem vẽtriculi vitium, ſed mora præter rationem alimenti in ipſo: atque licèt ſcriptum ſit, prædicta excrementa non eſſe in alienam naturam mutata, intelligendum eſt, vt modò diximus, quia non ob id ipſis repugnat fœtorem concipere ex diutina mora in ventriculo. Vexat inſuper ſic affectos cibi deprauata appetentia, referens quidem naturam deprauatorum ſuccorum, quæ fœtorem præ ſe ferunt. Oſtendit etiam huiuſmodi fluxum animi deliquium excretionis tempore ſuccreſcens, quòd à ſe fœtidus illæ ſuccus tranſmittat tetros halitus, qui virium robur deijciunt,& os ventriculi infirmant: præterquam quòd crebra excretio, ſpirituum magnam copiam diſperdit. Excernitur quoque in hoc affectu frequenter ſanguis flauus & tenuis, nam dum diuturnus efficitur, à iecore etiam, aut ex venarum extremitatibus & totius corporis habitu aliquid excernitur, & colliquatur cruẽtum. Quo fit vt corpus in his colliquefiat, tum ob adductas cauſas, tum verò, quia vniuerſum alimentum in excrementum commigrat, adeò vt corpus quàm pauciſsimum aſſumat: ex qua etiam cauſa prodit, vniuerſam cutim fieri rugoſam. Præterea totius ventris venæ liueſcunt continentque parum ſanguinis: ſignũ profectò paucitatis ſpirituum & caloris vitalis, ex quo fit vt liuorem præ ſe ferant. Inſuper vẽter modò quaſi ab igne vritur, modò verò quaſi à cryſtallo cõglaciatur, vt Areteus perbellè expreſsit. Eſt profectò huiuſmodi accidẽs prædictæ affectionis certiſsima nota, quantũ eius cauſa difficilis eſt & abdita: nã quí fieri poteſt, quòd in vnica eâdẽq; particula, vnica & eâdẽ intẽperie præter naturã affecta, vnicũ & eũdẽ affectũ

patiens, ac eadem ſemper ſymptomata efficiens, poſsit adeò facilè ad diſsimilem & contrariam intemperiem mutari in gradu adeò intenſo. Cuius ſanè euentus ratio pulchra eſt & veriſsima: nam cùm vniuerſa huius affectus natura ſita ſit in grandiori ventriculi imbecillitate, & cùm facultates habeant cauſis alterantibus tantum reſiſtere, quantũ ipſæ extiterint validæ, fit facilè vt ventriculus ſummè lan guidus (à quacumque intemperie id proficiſcatur) citra vllam difficultatem à cauſis calfacientibus & refrigerantibus ſummè alteretur: dixerim quantũ cauſæ ſuapte calfacientibus & refrigerantibus ſummè alteretur: dixerim quantũ cauſæ ſuapte natura citra controuerſiam & reſiſtentiam noſtri caloris, efficere habent: ob id confluente flaua bile, aut dum putreſcit & corrumpitur cibus, ventriculus etiam ſi ad frigidum & humidum diſtemperatus ſit, protinus ad calorem alteratur, calore innato nequeunte compeſcere bilis inclementiam & incendium: ſic etiam aduentante pituita, aut iam facta corruptione ciborum, facilè ob eandem cauſam conglaciatur, & quia ſimilis eſt intemperamento ipſius ventriculi. Quæ ſanè omnia Medicum expendiſſe oportet, ne deceptus qualitate eo tempore vigente, præſidium adhibeat, iuxta eius naturam, poſthabita principalioris cauſæ indicatione. Accedit inſuper his omnibus ſignis, articulorum & totius corporis grandis impotentia & confractio.

Præſagiũ. Quæ ſanè ſigna ſi quis diligenter examinet, nec non & vim atque efficaciam cauſarum, proculdubio conijciet hunc affectum (niſi magna diligentia præueniatur) commigraturum in atrophiam: nam cùm diutiùs durat ad magnam omnino ſalutis deſperationem res deuenit. Quapropter niſi quis primo morbi acceſſu diligenter curare ſtudeat, vt Alexand. libr. 8. capit. 8. ſcribit, poſteà curationem non admittit, quòd habituale facillimè efficiatur. Quo fit vt arbitrandum ſit, longè deteriorem eſſe læuitate inteſtinorum, licèt à Galen. & alijs dictum ſit, cœliacam aliquando illius eſſe: quam ſententiam ego intelligo de ea cœliaca quæ à vitio alimentorum prodit: nam ſi ex læſione ipſius ventriculi proficiſcatur, proculdubio deterior erit magnitudine affectus, modo agendi cauſarum, & læſione eſſentiali plurium facultatum: nam in cœliaca ferè omnes facultates eſſentialiter læduntur. Item humiditas immerſa eſt penitiùs in ipſa ventris ſubſtantia, non quidem ſolùm in interiori tunica ipſius, vt in lienteria. Præterea longè grauiora habet accidentia, quibus exiſtimo longè difficiliorem & periculoſiorem eſſe, vt dictum eſt.

Curandi ratio. Licèt conſimilem is affectus videatur curationem expoſtulare ei, quam lientericis conſcripſimus, cum hoc tamen non leuem ſortitur differentiæ rationem. In qua re coniectandum eſt (præter victus mutationem, ſi vitio alimentorum, eorum corruptio ſuccreſcat) duplicem eſſe medẽdi rationem: alteram aduerſus huius mali cauſas pugnantem: reliquam verò defectum naturalium potentiarum & innati caloris adimplentem.

Primò igitur, dum redundans flatus qui ventriculum diſtendit, mali cauſa eſt, medendi ratio conſulit, duplici eſſe incedendum via: prima quæ materiam à qua flatus eleuantur, auferat medicamentis purgantibus, iuxta humoris peccantis naturam, vt dictum eſt cap. de vomitu: altera his, quæ cum hoc quod habeant flatus diſcutere, etiam roborare poſsint, idque duplici modo: nam aut facultas languida eſt & impotens ex præcedenti morbo, quo tempore alimentis optimi nutrimenti reficere ipſas oportet. Aut ſi impotentia ex aliqua diſtemperie ſuboriatur, diſtemperiem corriges (ſi frigida ſit) eiſdem omnino medicamentis, quibus flatus etiã diſcutiuntur: ſunt autem hæc, ea quæ diximus capite nuper citato, paragrapho de roboratione ventriculi. Huius etiam naturæ eſt, & inſuper caloris iacturam reſarcit medicamentum, quod recipit aquæ vitæ ℥.xj. corticum malorum aranciorum ℥.j. florũ roris marini p. ℈. aſſæ dulcis ℥.j. muſci parũ, cuius ſummo manè parum ſumere oportet: inſuper alimenta & medicamẽta, cinnamomo admiſcebis, aniſo, iunco odorato, caryophyllis, ſerpilo, ſampſuco, hyſſopo aut menthæ: & aliquando veteris dianiſo, diacimino, theriaca aut mithridato: nam ſic ad penitiora ipſius ventriculi permeant huiuſmodi auxilia, quo magis profutura ſunt. Poſtea verò ventri admouebis quæ actuali calore calfaciant ſimul & adſtringant. Huius autem generis eſt oleum quod recipit ſucci immaturarum oliuarum tantum quantum tuerit oleũ, in quo fruſta alabaſtri ter aut quater ignita extinguantur, deinde in puluerem redigantur, & poſtea adde ceræ rubeæ. lib. ij. poſtmodum deſtillentur donec oleum totum exierit: cui denique adiungito myrrhæ optimæ in vino liquatæ ℥.j. ſucci abſynthij ℥.j. & ℈.

Verùm ſi affectio, vt frequenter contingit, exredundantia ſordidæ frigidæque humiditatis per ventriculi ſubſtantiam imbibitæ ſuboriatur, ita vt impediat commodum alimenti vndique complexum, curandi ratio duplex inſurgit: prima quæ ſi quid vitioſum exiſtit, aluo purgata protinus auferatur, per ea tantùm medicamenta, quæ primam regionem purgare ſunt nata: namque à vehementioribus imbecillior plerumque ſupereſt vẽtriculus: ac dum Medicus cognouerit ſatis eſſe depoſita prædicta excrementa, tunc aggredi poterit ſecundam huius curationis viã, quæ ſit humiditate illa per paulatinam purgationem euacuata, aut per reſoluentia diſcuſſa & cõſumpta. Primum ſit purgatione frequenter facta agarico, aloë, hiera ſimplici Galeni, pilulis maſtichinis vel alephanginis, aut ex rhabarbaro, vel ipſo rhabarbaro cum terebinthina admixto: in quo opere præſtantiora ſunt medicamenta ſolidiora quàm liquida, vt diutina in ventriculo facta mora, faciliùs eradicetur humiditas ibidem infarta. Conſumitur autem & per inſenſilem halitum euaneſcit ex potus parſimonia, & medicamentis quæ paulò ſuperiùs diximus reliquijs humorum conſumendis eſſe idonea. Cuius profecto indicationis adeò ſæpe creſcit neceſsitas, eo quòd cætera medicamenta nihil profint, quòd authores cogãtur ad vſtionem ferro candenti ſupra ventriculum factam peruenire, vt per foramen illud, aut per parua foraminula in circuitu ventris facta, ſuperabundans humiditas expiret. Quod ſanè auxilium cenſeo, vbi reliqua non profuere, tutum eſſe, & admodum vtile: ante cuius vſum piperatis aut cum ſinapi & pice medicamentis vtẽdum, poſtea verò calidis & modicè adſtringentibus rem agere oportet. Quòd ſi hæc omnia nõ profuerint, ſetonem ſupra regionem vẽtriculi affigito, per cuius foramina frequenter fricato vlcere, citra vllum periculum euacuatur cõmodiùs materia. Ante tamen quàm omnia hæc experiaris adſtringẽtibus & roborantibus veteris, & ad hæc tanquam ad vltima præſidia deinceps deuenies.

Quibus factis, non erit ab re iam conſumptis humiditatibus, & attemperata aliquo modo frigiditate, reliquam curandi rationem aggredi: quæ perficitur his auxilijs, quæ adimplere habeant actum facultatis retentoriæ, dũmodò actu calida ſint: nam interim dum affectum radicaliter curamus, neceſſum eſt comprimere medicamentis ventriculum, vt quod facultas præ impotentia efficere nequit, arte adimpleamus. In cuius auxilij adminiſtratione non parua ſuccreſcit difficultas: quippe videtur impoſſibile, aut ſaltim perdifficile, citra longè maius damnum iacturam facultatum & earum munus in hoc affectu arte adimplere. Nam cũ excremẽta quæ natura pellit, ſint adeò prauæ conditionis, ſi ipſa adſtringentium adminiculo con- *Dubium.*

tineas, grauiora concitabis accidentia in ipso ventriculo: si ad venas distribuere naturam coëgeris, vniuersam humorum substantiam vitiabis: si verò facta compressione & expulsione quotidiani effluxus vberior postea succrescat, vires ocyssimè prosternes, cùm ferè semper horum expulsio cum animi deliquio & anxietate fiat. Quapropter videndum diligenter est, quid citra damnum fieri possit: quo fit vt constet (cùm potissima huius affectus ratio sita sit in caloris innati imminutione, ob humidi extranei ac frigoris copiam) nulla alia via commodiùs posse emendari ac suppleri, quàm per ea auxilia quæ caloris copiam adaugeant: quippe hæc interim dum humidum & frigidum alijs auxilijs conteruntur, caloris innati defectum supplẽt, & alimentum in aliti naturam vertunt: quo fit, vt calore illo sic acquisito, venter pressiùs complectatur alimentum, & media coctione minus corrumpatur, ac ex consequenti distribuatur commodiùs, trahaturque à meseraicis auidiùs, & ob id minus venter fluat, ac substantia innati calidi vberiùs reficiatur. In quo sanè opere non cuiuscumque naturæ & conditionis calorẽ eligere sat est, sed eum tantùm qui præexistenti & natiuo, dum sanus erat homo, simillimus existat: quippe is solus est qui sui ipsius defectum adimplere potens existit. Verùm si frigiditas humiditasue adeò creuerint, quòd sit lõgè maior earum excessus, quàm caloris innati defectus, iam tunc non calorificis, quæ solùm caloris defectum adimpleant, sed eo gradu & ea siccitate præditis, quæ possint excessum prædictarum qualitatum retundere ac frænare, vtendum erit. Qualiter verò hęc duo opera fieri debeant, iam audies, si priùs dixero, principium curationis nullo habito causæ respectu, ab his calorificis auspicandum fore: nam si solùm causam nitaris retundere, cùm id lentiùs & sensim debeat fieri, præter id quòd nihil proficies, vitium ob defectum caloris crescet indies magis ac magis. Quapropter semper vteris solis à principio, vel admixtis eis quæ vires habent aduersus causam pugnare. Quòd si hæc sufficere non videantur, ad ea quæ adstringunt, cõprimunt & roborant ventrem, est deueniendum. Sunt autem huiusmodi quæ intus ventriculum corrugare vires habeant, vt citisus, malicorium, balaustium, puluis corticum granatorum, coralli, cornu cerui & calidi pulueres, quos sæpius retulimus, cum furfure aut pane tosto admixti: quæ præter id quòd corrugent, calfaciendi etiam potentiam habeant, vt vinum rubrum aut album stipticum factum, aqua mastichis dilutum. Et præter hæc maximi esse momenti arbitror vsum passularum ex Corintho cum aqua vitæ aut vino adstringenti, vel Hippocras appellato. Exteriùs verò ea sunt adhibenda, quæ comprimere possint: ante omnia tamen cucurbita ventri admota, qua & calor ad ipsum euocetur, & quod ingeritur contineatur probè: postea verò inungere oportet oleo mastichino, cydoniorum, de balsamo, de terebintho, de aniso & cinnamomo, aut de stirace cum pice, resina, ladano & stirace, additis pulueribus & facto ceroto vel emplastro, cum thure, mastiche, rosis, myrto, baccis lauri, mentha, absynthio, & alijs quæ consimilem virtutem obtineant.

Vltimò tamen ea methodo vtendum est, quæ docet alimenta distribuere per singulas corporis partes, & calorem in omnibus concitare: nam huiusmodi affectio etiam proficiscitur vitio distribuẽtis potentiæ: & ob id modicis totius corporis frictionibus ac vinculis & cucurbitulis, donec corpus in calorem & ruborem alteretur, vteris: necnon & balneis aquæ dulcis mediocriter calidæ, quibus partes dilatentur & alimentum trahatur, rem efficere oportet. Nec displicet in hoc affectu ad sudationem ex radice Chinæ & sasafrasæ Indicæ peruenire, quã maximi fore momenti sum arbitratus. Quòd si obstructio meseraicarum distributionem impediat,

impediat, diligenter id quoque perdiscere curabis, quippe chylosi etiam nonnihil simul excernetur: cui medeberis per ea auxilia quæ capite sequenti reperies. Deliquijs verò animi subuenies vsu alexipharmacorum, quæ sicca & adstringẽtia sunt, vt puluis coralli, rosarum, margaritarum, de gemmis, boli Armeni, terræ sigillatæ & lapidis bezoar: ex quibus sic conficitur electuarium. Excipe conseruæ rosarum antiquæ, ʒ j. micletæ & confectionis de hyacintho. an. ʒ. iij. coralli rubei præparati, electuarij de gemmis, seminis portulacæ. ana. ʒ. j. lapidis bezoar. ℈. j. syrupi cytoniorũ quod sufficiat vt fiat confectio, cuius porriges cocleare vnum. Ferunt smaragdum his fluxibus prodesse, licèt Aloisius Mundella cõtrarium sentiat, sed experimentũ fidem præstare constat.

De *diarrhœa*. *Caput II.*

Diarrhœa quidem affectus est, cui fluxus alui nomen iure optimo debetur, & sic à plerisque hoc caput inscribitur, de alui fluxu: qui sanè nihil aliud est, quàm immodica per aluum excretio alicuius humoris sine exulceratione, inflammatione aut tenesmo. Cæterum vt omnium fluxuũ natura facile elucescat, & apertum etiam sit in quo differant, nosse oportet, ea quæ per aluum excernuntur, tripli ci differentia distingui & contineri: vna quidem iuxta naturam conditionem & varietatem eorum quæ excernuntur: alia verò habita consideratione partis, à qua fluit excretus humor: tertia & vltima ex affectu cuius occasione fluit. Iuxta primum nosse cõuenit, ea quæ per aluum excernuntur, esse aut alimenta cruda incocta vel prauè confecta, vt capitibus præcedentibus dictum est: aut excremẽta, vel aliquã laudabilẽ substantiã, qualis est chylus, sanguis, pinguedo, corporis colliquamentũ, aut vltimò sunt corporis humores sub propria forma, aut quauis corruptione vitiati. Præterea locum à quo humores in ventrem dilabuntur, quod secundo loco proposuimus, constat, esse vnum aut plura, aut corpus vniuersum: quo factum est vt Medici varias huius fluxus partitiones, & diuersa capita effinxerint: nã diarrhœã vnam appellant capitalem, aliam iecorariam, aliam spleneticam, & reliquam à toto corpore, quas omnes nos clarioris doctrinæ grãtia, ad has tres species reduximꝰ, hoc vno tantũ capite contentas. Tertium verò genus desumitur ab affectu cuius occasione & causa fit, siue in vniuerso corpore sit, siue in quouis eius mẽbro vitiosus ille humor generetur. Nam euidentissimum est, qualis fuerit natura excreti humoris, talem fore membri aut totius corporis intemperiem. Cui causæ accedit inflammatorius ventriculi aut intestinorum iecoris aut splenis affectus, quo non rarò humores ad eam partem euocantur diarrhœamque concitant dysenteria deteriorem, aut ipsam in dysenteriam mutãt pernicioſam: & ob id ex fluxibus constat quosdam esse colliquatiuos, alios pituitam sapere aut bilem corruptã, vel mixti esse excrementorum generis, pro sorte & ratione prædictorum morborum aut causarum. Verùm quia huiusmodi fluxus de genere est symptomatum pertinentiũ ad ea quæ immodicè excernuntur, vel toto genere præter naturam, ob id professò præcipuæ differentiæ ab excreta substantia desumi debent, licèt cuiusque curatio fieri nulla ratione possit, nisi in medium adductis, ac forsan primò consideratis prædictis differentijs.

Fit

Fit igitur diarrhœa ex omnibus humoribus, aut ex aliquo, ſanguine excepto: & ob id Medici optima ratione diſtinguunt diarrhœam in biliosam, pituitosam & melancholicam, iuxta naturam humoris per aluum fluentis, modò naturalis prodeat, modò præter naturam & vitioſus. Verũ quia non leuis in curatione ſuccreſcit differentia, ſiue huius ſiue illius ſit excrementi aut humoris, ex loco à quo prodit, & ex complicatione humorum, qui ſimul fluunt, nec non dum vnius naturæ fluxus eſt, alterius verò cauſa, ob id profectò hæc omnia primò diſtinxiſſe & enodaſſe mihi eſt opus, ſi priùs dixero, ſiue à toto, ſiue à parte fluxio prolabatur, neceſſariò id accidere, vel quòd ſe exonerans natura (quod pleruũque contingit in excrementis aut humoribus, qui maxima copia ipſam laceſſunt) illuc tranſmittat: vel quòd viæ naturales per quas alimentum pertranſit, aut in quibus recipitur, aut aliquod excrementum reconditur, obſtructæ ſint: vel vltimò quòd ex vitioſa totius aut partis intemperie, aut conficiendi facultate, loco optimæ ſubſtantiæ excrementum efficiatur ex alimento, aut humores vitientur ea labe, qua natura cogatur tanquam alienum pellere.

Præter dictas diarrhœę ſortes, memorię proditum eſt, alias ſuccreſcere poſſe, in quibus oſsicula quædam ſimilia paſſerculorum oſsibus prodeunt, quaſi laborãs integrum deuoraſſet paſſerculum: quę ſanè grauiſsimis excernuntur doloribus. Quam etiam excretionem maleficio factam potiùs, quam à naturali cauſa nonnulli ſunt arbitrati. Alia enim aſſueſcunt fluere excrementa ſimilia his quæ in abſceſſibus externarum partiũ ſolẽt reperiri, quippe nouimus excerni pilos, carbones, lapillos, vngues, teſtarũ fragmẽta, oleũ, cœnum, lutum, mellis ſpecimẽ, aut vini fęcem. Quibus excretis rarò laborantes in priſtinam ſanitatem reſtituuntur: nam tabidi aut doloribus conſumpti, plerumque pereunt.

Sic profectò dum vniuerſum corpus huic fluxioni cauſam præſtat, vt ab hoc membro initium ſumam, conſiderare oportet vna è tribus rationibus id poſſe fieri: prima quidem eſt, dum humores corpus vagantes natura ſua ſponte pellere deſiderat, irritata eorum copia aut malitia, quæ rarò citra iecoris aut venoſi generis vitium fieri poteſt: ſecunda fit, cũ aut facultas nutritiua nequit commutare humores in aliti ſubſtantiam, aut facultas retentrix non valet eoſdem quantum par eſt, continere: vtraque tamen ratione hecticorum corpora alui fluxione laborant: tertia verò & vltima proficiſcitur ex colliquatione & conſumptione partium ſolidarum ipſius corporis, vt paulò inferiùs, latiùs ſcriptum reperies.

Signa. Dignoſcitur autem à toto corpore prodire ex ſymptomatis in toto repertis, & ex priuatione ſignorum quæ particularem aliquem affectum deſignant. Sic enim in toto corpore reperiuntur alicuius intemperamenti ſigna, quæ peculiariter ſcribit Galen. lib. de plenitudine, & quarto de ſanitate tuenda. Præterea noſcetur prima fluxus ſpecies ex ipſius humoris ſecreti natura: nam dum pituita & vtraque bilis ſub propria forma excernuntur, nemo non cognoſcet, ſcimus tamen rarò eas à toto corpore prodire: ſic dum bilis alijs admiſcetur, aduritur & ad præternaturalẽ ſtatũ deducitur, vt vitellina, æruginoſa aut praſina: pituita falſa aut acida facilè dignoſcentur ex colore & accidentibus. Secunda fluxus ſpecies quæ fit dum corpus non alitur, cognoſcitur, quòd excrementa quæ excernuntur, non ſapiunt naturam alicuius humorum, & quia corpus ocyſsimè contabeſcit, & infirmantur ipſius facultates: item quia excreta ſunt aquoſa, ſubalbida, aut in obſcurum rubeſcẽtia. Tertia verò fluxus ſpecies cognoſcitur ab ipſis excremẽtis, namq; pinguia ſunt, craſſa, glutinoſa & opima, & grauiter olentia, ſi putredo ſimul adſit.

Si

Si verò ex vitio ventriculi diarrhœa ſuboriatur, chyloſa maiori ex parte fit excretio, & hoc nomine à pleriſq; inſignitur: nã reliquæ ventriculi corruptæ cruditates ad cœliacam vel lienteriã reducẽdæ ſunt. Cauſas profecto (vt ſimul eas noſcas) habet affectus venter, nonnunquam ex ipſo alimento ortas, aliquando ex ventriculo, ſæpe ex vniuerſo corpore, ſæpiſsime verò ex iecore aut meſeraicis obſtructis. Alimentum enim cauſam præſtare venaberis, ſi interrogatione facta cognoueris, laborantem ingeſsiſſe mordacia, acria, & quæ vim habẽt proritandi chylum ante quàm per propria loca diſtribuatur: nam alio modo lienteriæ aliquam ſpeciem gignit: nam hæc & quæcunque praua affecta ſunt conditione ocyſsimè irritant naturam ad pellendum: idque cognoſces, quòd mutato cibo protinus ceſſat fluxio. Ventriculus autem huic malo pronus efficitur, quòd non quãtum par eſt, chylum conficiat, ſed potiùs vrat aut alio vitio conſpurcet, ita vt iecur ipſum exugere renuat: præterquam quòd aliquando non quantum par eſt contineat: vis enim contentrix non poteſt dum imbecilla eſt, donec diſtribuatur cõtinere, & hac ratione aliquando chyloſæ apparent deiectiones: nam ſicut in lienteria non continet natura alimentum quantum par eſt vt liquetur, ita prorſus in hoc fluxu non continet quouſque diſtribuatur, & ſic cum alui excrementis chylum abire patitur natura. Succreſcit præterea diarrhœa ventriculi vitio ob aliam cauſam, nimirum ob defluxum alicuius acris & mordentis ſucci, qui anteuertat tempus & locum excretionis ipſius chyli, & ipſum per inferiorem ventrem pellat. Sic profectò in puerorum dentitione, & in catarrhis diarrhœæ cõtingunt, quas etiam vermes efficiunt: itẽ ab obſtructis iecore & meſeraicis plerunque fit, quia chyloſa ſubſtantia nequit ad iecur permeare: quo fit vt ad inteſtina per meſeraicas illuc cõſcendentes perueniat chyloſa ſubſtantia. Et ſicut in prima cauſa, quæ virtutis contentiuæ eſt imbecillitas, frigida & humida intemperies cauſa exiſtit, ita vltima ab acri aliquo irritamento prodit, licẽt Galen. 5. de locis cap. 2. regerat huius cauſam in imbecillitatem contentricis: quod intelligendum eſt, quando nulla iungitur cauſa proritans & mordens, quarum ſigna deſumes capite de lienteria. Ex vniuerſi etiam corporis occaſione, chyloſum fluxum aliquando ſuccreſcere comperimus dupliciter: vel cùm vitioſi humores ob ventris imbecillitatem in ipſum confluunt: vel cùm adeò copioſo homines veſcuntur cibo, quòd tanta copia corpus non indigeat, quare vt ſatur dimittit per inteſtina: nam ea eſt naturæ lex, vt quouſque & quantum nutritioni ſit neceſſarium, contineat alimentum, reliquum verò pellat: ſignum verò eſt corporis bonus habitus, vegetus color & calor, hominis alacritas atque plenitudo, & alimentorum vbertas ac vita ſedentaria. Quod ſanè vitium ſolet non rarò iecoris occaſione ſuccreſcere, & chyloſas fieri etiam excretiones, vt mox referam.

Ex iecoris occaſione tres prodeunt fluxus ſpecies: vna ex chylo non ſuſcepto ab ipſo iecore, vel quòd non indigeat vt ſatur, ita vt neque à ventre neque ab inteſtinis quidquam trahatur: vel quòd adeò frigidum ſit, quòd ſtupore afficiatur & indigentiam non percipiat: item quia obſtructæ ſunt venæ meſeraicæ & ſima iecoris, quibus omnibus de cauſis chyloſam fieri excretionem iecoris occaſione cõperimus. Secunda autem fluxus ſpecies, quæ à iecore prodit, fit ex humore melancholico & atro, via à iecore in ſplenem obcœcata, vel quòd iecur plurimum generet melancholiæ, quàm capere benè nequeant. Tertia verò & vltima ea eſt, in qua bilioſus funditur humor vna duarum occaſionum: prima à calore exurente iecur: altera ab obſtructione, non ciſtis fellis aut pori eius, quia tũc deiectiones bilioſæ nõ eſſent,

eſſent, ſed viſceris ipſius, quòd vena caua nõ recipiat biliosum ſuccum, ſed regurgitans in ventriculum, per inteſtina prolabatur. Quæ ſanè omnia facilè noſces ex viſceris ipſius inflammatione aut immodica caliditate, vt capite de iecoris inflammatione, aut obſtructione reperies.

Splen quoque in hoc affectu non paruam aſſolet præſtare cauſam, nam præter eius imbecillitatem (quæ cognoſcitur, quòd nullũ adſit tumoris aut obſtructionis veſtigium) ſcirrhoſam duritiem vel obſtructionem, ſe ſe non raro in vẽtrem expurgat, aut ſanguinem iecoris & vniuerſi corporis non probè repurgat, quo corpus ipſum & iecur non ratò coguntur in vẽtrem quod fæculentũ recipiunt, regerere. Primum ſanè ſplenis vitium eſt irritamentum à copia vel acrimonia fæculenti humoris, quo laceſsitur, & per inteſtina ſeſe exonerat: ſed huius humoris vbertatẽ illi præſtat iecur exuſtum & ſiccum: vel vberior & intempeſtiua alimentorũ ingeſtio, quæ talẽ ſuccum nata ſunt generare: hoc ſane dignoſces inſpectis vitæ & alimenti modo: illud verò ex peculiaribus iecoris ſymptomatis, quæ reperies capite de dyſenteria hepatica. Obſtructio verò ſplenis ac viarũ quæ in ipſum conſcendunt, impedit quominus poſsit ſanguis à melancholica ſpurcitia liberari: quo tempore neceſſum eſt, eos ſuccos in ventrem irruere, aut in vniuerſum corpus permeare: eum quidem fluxum Barbari opilatiuum appellarunt, quem oſtendit nigra deiectio, ſplenis tumor, dolor, tenſio & viarum iuxta ipſum durities, & alia etiam quæ capite de ſplene obſtructo longiùs ſcripta reperies.

Prodit etiam diarrhœa ex oris ſeu linguæ affectionibus: primum in pueris cùm dentire incipiunt: ſecundum verò in bleſis vt 6. aphor. 32. apertè docet Hippo. (dicendum ne ſit de bleſis an de traulis non eſt huius loci diſputare) docens eo loco Galen. vtrumque contingere ob cerebrum nimia humiditate luxurians: quapropter facile erit cauſas per ſigna venari, cùm perpetuo os humiditate inundet.

Vltimò quidem certiſsimum eſt ex capite frequenter diarrhœam prouenire, dũ ab ipſo in ventrem pituita, vel ſalſa, vel putris aut nimiũ tenuis prolabitur: id quod ex frigida prodit diſtemperie, quæ crudos relinquit humores, aut calida quæ coſdẽ tenuet. Quod ſanè vt Hipp. 7. apho. 30. docet, facilè noſces ex deiectione ſpumoſa, (ſaltem cùm à cerebro ſpumoſus prolabitur humor, vt probat loco citato Galen.) capitis imbecillitate, continua defluxione, ſomno profundiori, nulla ſiti, alimentorum in ventre corruptione, & quòd fluxio potiùs fiat noctu quàm diu.

Præter dictas fluxionum differentias, numeroſæ aliæ reperiuntur complicatæ: quarum quædam prodeunt mixtæ, diuerſorum humorũ miſcela: nonnullę ex complicatione diuerſorum fluxuum. Quippe aliud eſt bilem flauã aut atram, vel pituitam naturalẽ vel præter naturã ſimul excerni, & excretionem ſubinde fieri variegatam: aliud quidem lienteriã adiungi dyſenteriæ aut cœliacæ, vel diarrhœæ, præter quas nonnullæ à ſalſa pituita aut cruenta, cruda & pituitoſa prodeũt cruditate: hæc tamẽ omnia ſimul diuerſis vnius diei partibus, aut diuerſis diebus: quæ ad vnguem conſiderare & diſtinguere oportebit, ſi curationem rectè inſtituere velis.

Præter ſigna hucuſq; adducta alijs etiam opus habemus, quibus aliquid ſpecialius in hoc morbo noſſe eſt magni momenti. Nam excrementa quæ excernuntur, vel exeunt ſecundũ naturam vel præter ipſam: ſi primum, maiori ex parte prodeũt vitio expellentis grauatæ pondere: quod noſces ex irritamẽto. Si præter naturam, facilè diſces, quia aut fit cum exceſſu qualitatum pręter naturam, aut cum defectu coctionis, vtrumq; tamen monſtrabit excremẽtorum qualitas. Præter quæ omnia vt certior fias, cõſiderare oportet, an ex vlcere aut tumore præter naturã vẽtriculi, inteſtinorum, iecoris vel ſplenis fluxus prodeat: ſigna enim hæc habẽt cõſpicua, nimirum partis dolorem, maximè à cibo, febrem & cruentam excretionem. Sic etiã vterus plerumque diarrhœæ cauſa exiſtit: quod diſces ex eius ſymptomatis. Sit ne ex paralyſi inteſtinorum, nec ne, cõperies ex priuatione aliorum ſignorum, & quia alimenta etiam prodeunt prauè aut diminutè confecta.

Vtcũq; enim hos fluxus cõſideres, ſcito proficiſci vel à morbo in via, vel ab intẽperie partis, vel totius corporis, preſertim frigida, qua facultas cõcoctrix impotẽtior & lãguidior facta, nequit probè ſuũ munꝰ perficere: vel, pficiſcitur à calida & acri, quæ vitiat alimentũ, aut irritat naturã ad expulſionẽ, ac vltimò nata ſit corpus colliquare, humores exurere ac putrefacere. Ex quibus cõſtat fluxũ quẽuis aliquem ex prædictis morbis ſequi, & ipſum eſſe ſymptoma in genere excretorum immodicè, quod multis modis tale efficitur: nã vel tota ſubſtantia, quãtitate aut qualitate à naturali excretione recedit: licèt aliquãdo in animalis cõmodũ & vſum id moliatur natura, quod ad curationẽ ſummoperè expẽdiſſe oportebit, nam permittẽdæ ſunt criticæ fluxiones, quantumuis primo acceſſu videantur naturæ modum excedere. *Quis morbus in qua uiscausarũ*

Antè tamẽ quã vlteriùs pergã, noſſe oportet de prima fluxus ſorte, quæ ex humorũ fluentiũ differẽtia deſumitur, an ſemper ſit cõpeſcenda: nã vt inquit Celſus, vna die aluũ fluere, ſæpe pro valetudine eſt. Verũ vbi modũ naturę exceſſerit fluxus, immodicuſq; fuerit quantitate aut duratione, vel cũ maximis & periculoſiſsimis ſymptomatis, vt Gal. 12. metho. cõſuluerat, nec non & Hipp. 6. popu. par. 2. tex. 28. tunc quidem trãſacto primo impetu compeſcendus eſt, ſi priùs permiſeris tantũ fluere, quantũ ſat ſit, vt quod generatum aggregatumq; eſt, minuatur: quo facto, ſi plurimũ vrgeat, diu ertẽda fluxio eſt, aut minuẽda per ſubadſtringẽtia pharmaca. Quippe fluxionis impetus, & immoderantia adeò ad ſe vertit omne curantis cõſilium, propter imminens periculũ quod ſequitur ex viriũ diſpendio, vt licèt quod excernitur omnino ſit præter naturã, cohiberi aliquo modo deſideret, & iubeat virium cuſtodia. Quòd ſi hæc feceris, dum opus fuerit, aut non factũ, ſi non vrgeat, curãdi deinceps aut ſiſtendi hos fluxus eam rationem inſtitues, quã cognoueris cauſam fluxuum & eorum differentiam expoſtulare: nam humor qui fluit, præter ſui notitiam quã præſtat, etiam præſcribit auxiliorum materiã: pars verò affecta, cui ſubueniendum ſit, & cui præſidium adhibere conueniat, & naturam ac modum etiã auxilij demonſtrat: affectus verò ipſam curationem deſignat. Initium tamen ſumam ab eo fluxu qui totius corporis vitio prorumpit. *Curandi ratio.*

Hũc ſanè diximꝰ fieri vel ex humorũ vitioſorũ copia: aut rurſus ſit corpore ſe ſe colliquãte. Si primũ ſit, cõtinget, vel ꝙ natura grauatur aut mordetur copia vel malitia, humoris biliosi, pituitoſi, vel melãcholici: ſiue id ꝙdeat natura neque eũte præimpotẽtia cõtinere, ſiue irritata cogatur propellere, quòd partes nõ cõficiãt alimẽtum, aut prauè afficiãt, quod in pleriſq; fluxibus diuturnis fieri cõſpicimus, quæ ſanè fluxionis cõditio & ſors nullius humoris naturam refert, neque colliquatiuus eſt, ſed excrementi mille modis fœdati & cõſpurcati effigiẽ æmulatur: quo ſolo ſigno cognoſces, ex corporeæ ſubſtantiæ intemperie & vitio fluxionem conſpurcato, & ſemicorrupto alimẽto profluere, non ex iecore aut venoſo genere, quia ab his partibus potiùs humores naturales aut præter naturã exeũt: à toto verò ex hac cauſa, ſolùm excremẽta aut humores corrupti nullũ humorẽ repræſentantes, vt in cœliaca ex vẽtriculi vitio cõtingit. In quo ſanè fluxionis genere nec corpus purgare neq; ſecꝰ vſquã viſum fuit prodeſſe, ſolũ enim ex vſu eſt optima victus & vitæ ratio; ꝓſũt & vniuerſales totiꝰ corporis frictiones, exercitia, ſudores ex ſparta parella

aut china, balnea vel dulcis aquæ vel ſulphureæ, ſi excrementa frigiditatẽ atteſtentur. Vel ſuccreſcit quòd à iecore aut alio viſcere deprauatum ſuſcipiant: nam hæc omnia ante manus adhibitionem conſiderare oportebit. Vtcumq; tamen fiat, medendi ratio conſulit ante fluxus cohibitionem (niſi præ impotentia retentricis alimenta membrorũ defluant, quo tempore protinus cõpeſcere citra aliã vacuationem, & cõprimere oportebit) vlteriùs ſuperuacuos humores euacuare: nã depoſita naturã grauante plenitudine, nõ irritabitur deinceps ampliùs, nec excernet. Quãobrem eis medicamentis purgare corpus oportet, quæ ſi quid redundat vitioſum aut copioſum, excernant iuxta humoris peccantis naturã. Sic etenim redundante pituita ſalſa, aut quauis alia, facta ex hidromellite aut rhodomelle præparatione, purgabis quod redundat, vel alicubi impactum eſt, infuſo agarici & corticum mirabolanorum in ſucco roſarum: purgabis etiã pululis aggregatiuis, aut ex agarico, maſtiche & rhabarbaro confectis, vel corticibus mirabolanorum chebulorum infuſis in infuſione roſarum Perſicarum. Prodeſt etiam in inueterata diarrhœa terebinthina abietis, lota aqua capitũ roſarum & mulſa cũ infuſo aut pulueribus rhabarbari aut mirabolanorũ chebulorũ. Poſt quæ medicamenta, ad conterendas humorum reliquias ſummoperè prodeſt opiata quæ recipit ligni aloës, ſpicæ, galliæ muſcatæ, cyperi, calami aromatici. ana. ʒ. j. cimini infuſi per diem in aceto, deinde toſti, ſeminis porri toſti & naſturcij. ana. ℈. ij. granorum myrti. ʒ. viij. balauſtiorum, conchularũ toſtarũ, thuris, fructus lentiſci. ana. ʒ. j. ameos. ʒ. j. ℈. infundãtur omnia in puluerẽ reddacta in vino rubro & exſiccentur, poſt diẽ iterũ infundãtur in aqua ferrata & exſiccẽtur, & admiſceantur miuę cytoniorũ aromatizatę. q. ſ. vt fiat opiata, cuius. ʒ. ij. cũ aqua deaurata porriges. Præſtat & pulueris ſpartę parellę. ʒ. j. in ouo ſorbili præſtita: Itẽ potus ſit aqua ex radice Chinæ decocta: ante cibũ tamen ex vſu erit corpus vniuerſum perfricare, donec calore euocato, coctiones perfectiùs fiant.

Bilioſum verò humorem ſuperuacuum naturalem, citra vllam præparationem tranſacto primo impetu purgabis rhabarbaro iuſuſo aqua ferrata, admixtoq; ſyrupo de roſis noſtris: vel præſtabis conſeruã roſarũ cum puluere rhabarbari aut corticum mirabolanorum citrinorũ. Proſunt etiã in inueterato fluxu ex bile, pilulæ de rhabarbaro, ſicut & in immodico & nimis citato (non vt purgemus, ſed vt cõpeſcamus) eæ quę recipiunt ſeminis papaueris. ʒ. ij. ſeminis hyoſcyami albi. ʒ. j. opij. g. vj. croci, caſtorei. ana. g. x. ſumach, acaciæ, verberis & roſarum. ana. ʒ. j. ſucci liquiriziæ & cytoniorum quod ſufficiat vt formentur pilulæ, quarum ante prandium ſumat laborans. ℈ j. Præſtat eundem vſum quod recipit granorum myrti, ſpodij, ſumach, ſanthalorum omnium, gummi Arabici. ana. ʒ. j. ℈. oſsium mirabolanorum omnium aſſatorum. ʒ. vij. coriandri præparati toſti. ʒ. iiij. ſeminis acetoſæ, plantaginis, & roſarũ. ana. ʒ. j. omnia in puluerẽ redacta infundantur cũ ſuccis plantaginis, agreſtæ & acetoſæ per diẽ, deinde exſiccẽtur, & cũ ſufficiẽti quãtitate miuæ cytoniorũ fiat opiata, cuius quãtitas ſit. ʒ. iij. cum aqua deaurata. Ante tamẽ quã hoc porrigas medicamentũ, vel poſt, ſi nõ profuerit, ex vſu erit materiã ſyrupis & apozematis cõpeſcere, quibus addes puluerũ ſmaragdi, vel margaritarũ, aut electuarij de gemmis, vel diamargaritonis frigidi & puluerẽ cryſtalli, ſanthalorũ & coralli quãtitate. ℈. ℈. Præſtat mirũ in modũ. q. r. roſarũ rub. gũmi Arabici, coralli, ſpodij, ſuccini, balauſtiorũ, acaciæ, terræ Lemniæ. ana. ʒ. j. ſeminis pſyllij & acetoſæ. an. ʒ. ij. cũ ſucco plantaginis fiat confectio, & porrige. ʒ. ij. cũ ſucco agreſtę clarificato. Quo facto, ſi conſtiterit acrimoniã humoris retuſam quodãmodo eſſe, purgabis eo pharmaco quod recipit corticum mirabolanorũ citrinorũ. ʒ. ij. rhabarbari. ʒ. j. torrefiant modicũ, & adde

adde boli armeni. g. x. dragacãthi. ʒ. j. cum ſaccharo roſaceo antiquo & miua cytoniorum fiant boli. Poſt hanc enim purgationem ex vſu eſt medicamentum quod recipit, corticũ mirabolanorũ citrinorum. ʒ. j. infundantur in aqua pluuiali, in qua chalybs ſępius extinguatur, & roſæ rubeę, ſumach & balauſtium bullierint, & facta expreſsione ſume. ʒ. ij. miuæ cytoniorum. ʒ. ℈. Conſiderabis tamen ſit ne bilis quæ fluit ex his quæ præter naturam exiſtunt, & tanto citiùs & copioſiùs eam frigidis & humectioribus mitéſces & attemperabis, quanto ex aduſtioribus fuerit, ac rurſus tanto parciùs & mitioribus medicamentis purgabis: ſæpe enim his ignoratis affectio in dyſenteriam commigrat. Quo caſu ab re non erit parum ſanguinis (ſaltem ex iecoraria vena) fundere, tanto minus aut nihil, quanto fluxio fuerit furioſior.

Melancholiam mox à principio, licèt fluat, nõ prohibeto, difficulter enim id facies, & forſan fluxionem aliã deteriorẽ concitabis: ſed pręmiſſa præparatione ſuffi cienti ex ſyrupo lupulorũ, borraginis, bugloſſæ & ſimilium, confectione Hamech ſimplici purgabis, maximè ſi addideris pulueris foliorũ ſenę, aut mirabolanorũ chebulorum. ʒ. j. ℈. item infuſo foliorũ ſenæ aut mirabolanorũ omnium cũ ſero lactis, vel decocto paſſularum & florum cordialium cum modico radicis Chinæ: cui addere oportebit ſyrupi ex infuſionibus violarũ & è roſis Hiſpanis. ana. ʒ. ij. Humore tamẽ ſic imminuto, ex ſiniſtra ſaluatela ſanguinẽ fundes, aut cucurbitã ſupra eã partem appones, poſtea verò neceſſum eſt quod ſupereſt, aut aliò trãsferre, aut per aliam regionem euacuare: ob id quidem, intus aliqua medicamẽta vrinas mouentia admouebimus, & alia quæ ſudores excitent, medio balneo aquæ dulcis, aut per euaporationem decocti herbarum quę emollientẽ & diaphoreticam vim habeãt, vt per eandem regionem qua abundant humores, nimirum per totum corpus, aliquid etiam excernatur. Conſulere inſuper oportet frictiones, exercitia & ea omnia quæ ad extimas partes humores euocare habeant.

Verùm ſi conſtiterit vel pituitam ſimul eſſe adiunctã, vel indies ex defectu virtutis concoctorię ventriculi, aut iecoris vel venarũ genitã, conſultiſsimũ eſt, bis aut ſemel in hebdomada vomere, & ſi in corporis mẽbris adeò immerſa fuerit, vt cõna turalis facta ſit, ſudoribus ex guayaco, ſparta parella aut radice Chinæ diſcutienda eſt, vel ſtuphis aut balneis cõfectis ex decocto calidarũ herbarũ. Proſunt & balnea naturalia, maximè ſulphurea in pituitoſo fluxu, ſicut ferrea & aluminoſa in bilioſo. Ex vſu etiam ſunt ſtuphæ & euaporationes ex decoctis conſimilẽ vim habentibus, maximè ſi aliquid earũ ſpargas ſupra ignitos lateres, & vaporem laborãs ſuſcepter. Conſiderare etiã oportet non minus reuellere & aliquãdo cõpeſcere poſſe ſanguinis detractionẽ, ſed maximè vbi ſanguinoléta vacuatio ſuppreſſa eſt, corpus robuſtum, ſanguinis abundantia, vel humor peccans ſanguini admixtus, vt in diarrhœa quæ continentibus febribus accidit, videre eſt. Quòdſi ne hæc quidẽ prodeſſe videantur, vrinã mouere in quouis tutiſsimum erit: quæ ſint pharmaca id valentia, abunde ſcripſimus capite de mouendis vrinis lib. 1. de recto præſid. vſu. Sed in hoc pituitoſo fluxu poſt prædicta auxilia, vt reliquias conteras, vtendum eſt zingibere condito, dyanthos vel electuario de granis myrtii, Athanaſia, theriaca cum vino calido & melle ſquillitico: tandẽ pleriſq; eorũ quæ adduximus capite de cruditate vẽtriculi. Obſeruabis tamẽ dũ humorũ ſalſugo aut putredo vniuerſi corporis natura laceſsita & irritata affectũ cõcitauerit, licèt purgare expediat, vt dictũ eſt, nõ tamen antequã humorũ malitiã frẽnemus alimẽtis & medicamẽtis, ne euocatis humoribus per inteſtina, dyſenteria cõcitetur. Quapter primò frænare, deinde purgare oportebit, cõprimere verò minimè, ne furẽtes humores prẽter naturę modũ retẽti,

in aliud membrũ decumbant, & maius malum efficiant, niſi purgata priùs copia. Quo tẽpore cõprimentibus,& his quæ ventri adhibemus admiſcere oportet quæ calfaciendi & concoquendi vires habeant: quod in bilioſis fluxibus fugiendum ſummopere eſt. Verũ cũ impotens partium facultas, alimentum nec continere,neque cõficere valet,fluxus qui ob id mouetur ocyſimè eſt cõpeſcendus. Primò corroboratis facultatibus quarũ vitio fluxus excitatur: ac ſi frigida fuerit diſtẽperies, frictionibus,balneo calido,exercitio,inunctionibus ex oleo naphæ,iaſminorum & aliorum quæ calida ſint:adhibitis etiam alimẽtis, quæ quodãmodo adſtrigẽtia ſint & calidis condita & præparata. Item quiete vtendum eſt,ſomno,ſerapijs & apozematis quæ ſimul adſtringãt,roborent ac firment facultates & humores cõdenſent, veluti eſt roſarum ſiccarum,de myrto,cytoniorum & alia eiuſdem naturæ.

Fluxus ex colliquatione.

At ſi totum corpus per alui fluxum colliquatione reſoluatur, non licet temere adſtrictionibus vti, etiamſi laudabilis & vtilis exiſtat ſubſtãtia quæ perijt: nã ſæpe hæc affectio contingit ab exurente,colliquante,exuſto, acri & erodente humore, qui partis ſubſtantiam conterit aut à colliquante calore;qualis in hecticis febribus reperitur. Contingit enim non rarò ſubſtantiam corporis refici prauis ſuccis, qui ſuccenſi aut ſcalfacti,in colliquamentum ocyus degenerant, quã laudabilis ſubſtãtia,quæ nõ niſi à colliquãte calore,vt in hectica,aut humoribus exuſtis,vt in cauſonide liqueſcit:at quæ ex prauis fit edulijs,à febrium tertianarum calore promptiſsimè in diarrhœam aut dyſenteriam pernicioſam commigrat,vt anno 1591. populariter omni Hiſpaniæ contigit: quippe ad peſtilentis conſtitutionis modum omnibus febribus tertianis protinus ſuccreſcebat huiuſmodi alui fluxus, qui plurimos interemit, omnia vulgaria auxilia contemnens. Quare modò calor exuperans,ſeu exurens,modò prædicti humores cauſa ſint,triplici remediorum genere res agenda eſt: nimirum primò his quæ refrigerent,modicè tamen,nam periclitatur extinctione à frigidis puſillus hecticorum calor,paulò tamen intenſiùs, quibus prædicti humores abundant, in quibus non eſt verendum ſyrupos, apozemata & reliqua auxilia niue refrigerare. Secundò rem hanc exequeris his quæ humectent,plus in hecticis,vt pote qui ariditate contabeſcunt,dummodo humectatio ſubſtãtifica ſit, nõ madefactiua:minus tamẽ in his qui prædictis humoribus abundãt,ne ex humiditate aliquid vlteriùs putreſcat vehementia caloris præter naturã,à quibus putredo facilè ſuccreſcit:quapropter cautè humectatione in his vtendum eſt,nã licèt iulentis vti oporteat,eorum tamen minorẽ copiã porriges. Tertiò verò & vltimò, his quæ renutritionẽ moliantur,in hecticis lentiùs,ſenſim & paulatim,in alijs verò, citiùs & frequentiùs,non tamen vberiùs,iuxta illud Hipp. Quæ lõgo tempore extenuãtur corpora. Præterquã quòd ea quæ renutriẽdi vim habent,in his in quibus prædicti humores abundãt,non ſolùm præſtãt refectionem eius quod quotidie perit,ſed attemperamentum humoris maligni natiuam ſubſtantiã deuaſtantis:& ob id diximus frequentiùs in his eſſe renutritione vtendum, ſed parciùs, non tamen his quæ corruptioni obnoxia nimis ſint, ne ocyſsimè putrilaginem concipiant. Quapropter,vel aliquid ſubadſtringens,ſolidioris ſubſtãtiæ,vel frigidum admiſcere oportet,vt corpus tutiùs reficiatur,& vtriq; dãno faciliùs ſubueniamus. Quòd ſi attemperato iã corpore fluxus adhuc perſtiterit,aut leuiter purgato (non in hecticis,ſed in alijs quibus acres humores abũdãt) vti poſſumus adſtringẽtibus medicamẽtis,quæ licèt fluxum non ſiſtãt, maiorem tamẽ innatæ ſubſtãtiæ diſſipationem impediant:quæ medicamenta exteriùs minimè ſunt adhibenda,ne caloris præter naturã effluxus præpediatur,ſed intus,vt & partes roborent,firmẽt,atq; cõſtringãt,

ne

ne facilè erodenti cauſæ cedant. At in alijs qui ex frugibus madefactis, putridis & praui ſucci alimentis in hos affectus decidẽt,mox à principio purgare licet,& in recidiuis febrium,antequam in alui fluxum degenerent,nequaquam:ſi verò inciderint,paulatinis ex rhabarbaro & mirabolanis purgationibus vtendum eſt,dũmodo horum medicamentorum ſubſtantiam præbeamus.

Si à capite prodeat fluxus.

Dum verò à parte aliqua fluxus cõcitatur,multiformis exiſtit pro varietate partis à qua defluit:ſic dũ à capite decidit,maiori ex parte albicãtia refert excremẽta: quod cõtingit capite præimbecillitate nequeũte cõficere alimentum,aut præ diſtemperie corrumpente,ſalſuginoſumq; efficiente, quod tranſmittit per ventriculũ ad inteſtina, deferendo pariter ſecũ vẽtriculi excremẽta & alimẽta. Cui duplex curãdi ratio debetur:altera quæ caput reſpiciat,præcauẽdo quominus hæc excremẽta generet,vt copioſè dictum eſt cap. de tuſsi per defluxũ à capite:nã omnis curãdi ratio circa caput verſatur penes diſtractionem geniti humoris,quæ fieri debet per diſcuſſionẽ fomẽtis factã,puluerib⁹,facculis & emplaſtris:ſed potior eſt per paulatinas purgationes,& per reductionẽ capitis ad propriũ tẽperamentũ. Quòd ſi hæc ſufficere non videãtur,fontanellã brachio aut ſetonẽ occipitio affigere præſentaneũ eſt auxiliũ. Ventriculo etiã prouidendum eſt,vt euacuet ſi quid receptũ habet à capite,vomitibus per interualla factis,tũ vt à fluxu diſſueſcat,tum verò vt per contrariam regionem expellat quod aggregatum habet:quẽ etiã inungere oportet roborantibus auxilijs,vt facilè conficiat & difficulter recipiat.

Si à iecore fiat fluxus aut ſplene.

Multorum etiam membrorum conſenſu aluus fluit,ventriculi nimirum, ſplenis & meſeraicarum,quorum ratione variæ ſuboriũtur huius fluxus differẽtię,quarum quaſdam Barbari appellant ſpleneticas,alias iecorarias & ſic alias pro ratione membri à quo decidunt. Quæ omnes proficiſcũtur vna trium rationum: aut quia iecur non ſuſcipit chylum vitio viarum ad ipſum eũtium:aut quia plus quã par ſit generat illius humoris qui per inteſtina profluit:aut quia membrum cuius munus eſt id excrementum ſuſcipere,obſtructum imbecilleque exiſtit: quo fit,vt in ventrem remeent prædicta excremẽta,& diarrhœam ſui generis concitent. Quòd ſi excretio ſit ex melancholico humore, id profectò fit, quia iecoris ad ſplenem viæ obſtructæ ſunt, vel quia iecur ipſum ſicco & frigido intemperamento affectum exiſtit,cauſa profecto gignendæ melancholiæ idonea. Quæ ſanè cùm vberior eſt quàm ſplen poſsit fugere, redundans in ventrem irruit & prædictum fluxum concitat. Id quod facilè noſces ex ſignis paulò antea adductis, & ex corporis habitu melancholico,duritie & tumore lateris ſiniſtri:quæ ſi non apparent in eo latere corpore exiſtente melancholico, coniectandum eſt præimbecillitate ſplenem non poſſe trahere. Quatenus verò ad curandi rationem ſpectat, duplex tantùm reperitur: altera quæ obſtructionibus debetur: altera rurſus quæ membrorũ diſtemperiem corrigat. Prima quidem perficitur per ea auxilia quæ inſcindant, aperiant atque quodammodo expurgent. Quæ ſanè auxilia licèt primo acceſſu videantur aliena, eo quòd fluxum ſua ſponte concitare habeant, cum hoc tamen, quia fluendi cauſa ab obſtructione proficiſcitur, nulla alia eſt commodior & tutior. Qua verò ratione obſtructiones iecoris,ſplenis & meſeręi curari poſsint, dicturi ſumus latiùs proprijs capitibus: quamobrem oportet lectores illuc relegare, præterquã quòd ſupra ſplenẽ nequeuntẽ melãcholiã trahere,aut plurimum obſtructũ,cucurbitã ſcarificatã affigere ſæpe vtiliſsimũ fuit. Diſtẽperies verò licèt curationẽ expoſtulet per cõtraria,cũ rarò iecur intẽperie,citra materiæ illi reſpõdẽtis vbertatẽ afficiat,nã protinus alicuius excremẽti copiã cõgerit,ob id iuxta optimũ

consilium erit,ea præmitere medicamenta, quæ membrum quodammodo purgare habeant,idque ratione humoris quem redundare cognouerimus: nam antea temperantibus vti,præterquam quòd inutile est,maiorem reddunt affectionẽ aut in aliam deteriorem commutant. Habet insuper hæc curandi ratio hoc peculiare,quòd nunquam tutò fiat cõfertim & celeriter, & ob id necessum semper est paulatinis vti euacuationibus, idque triplici ratione: prima quia humorum copia parua est,& cui leuissima sufficit purgatio:secunda quia vim purgãtium medicamentorum nequit iecur dum imbecillitate afficitur, innoxiè sustinere, tũ quia eius robur à vehementer purgantibus exoluitur, tum verò quia intensiùs incalescit,si distemperies calida fuerit:tertia & vltima,quòd antequam excrementa irritationi apta congregentur, vi expurgantis medicamenti expellantur:cui vsui etiam necessum est ea adhibere auxilia quæ per vrinas expurgare possunt, vt natura à consueto fluxu dissuescat, humoribus peccantibus ad aliam regionem distractis. Quibus præmissis,tutissimum est eis præsidijs vti,quæ distemperiem corrigant cũ adstrictione & corroboratione leui,nisi ex obstructione fluxus prodierit:qualia verò hæc debeant esse, capite de iecoris aut lienis intemperantia abunde scripta reperies. Interim tamen iecoris calido & lãguido adhibebis exteriùs id quod recipit pulueris electuarij de gẽmis. 3. ℈.coralli,santhalorum rub.ana. ℈.ij.spodij,tragacanthi,gummi.ana.3.j.cum aqua rosacea,fiat ad modum vnguenti. Prodest & cerotũ santhalinum,admixtis pulueribus rosarum,& coralli,vbi sæpius adhibeatur. Item epithema ex succo agrestæ,plantaginis aqua,agrimoniæ, cũ prædictis pulueribus. Intus etiam ea præstabis quæ vim habeant refrigerandi cum modica adstrictione: sic aqua plantaginis, aut ferrata cum succo agrestæ,cum succo granatorum acriũ, ribes aut diacytonitę,& alijs huius cẽsus cum prędicto puluere electuarij de gẽmis aut trium santhalorum vteris.

Fluxionis maximè cõplicatæ prouidẽtia & de victus ratione.

Quòd si his omnibus adhuc præstitis fluxio importuna sit, qualis naturæ est, quæ ex varijs tum excrementis,tum membris prorumpit, tunc quidem omnibus, vel maximè vrgenti prouidendum erit,altero non neglecto: quod facies vel mixtis auxilijs,quæ hucusque copiosa scripsimus,vel alternatim & per vices nunc hæc nunc alia porriges,prout vrgentia præualuerit. Hoc tamen vnum in fluxuum cõplicatione adseruabis,nimirum quod membro vel mandanti,vel generanti magna diligentia prouideas:nam aliter vires facillimè procident: tunc quidem viribus labentibus,aut mox casuris omni diligentia prouidendum est, & considerandum sit ne fluxio ex mixtis humoribus,vt vtrique prouideas quantum fieri possit. Sed ne vires vlteriùs labantur,fluxioni prouidendum est per ea auxilia,quæ intus sumpta vel exteriùs apposita,fluxionis impetum compescant, vt paulò inferiùs leges. Primò tamen & interim victum & potum in biliosa fluxione institues modicè attemperantem & comprimẽtem:potus fiat ex oriza & hordeo torrefacto & semicontuso cum aqua pluuiali aut ferrata,additis mali punici granis & oxalidis folijs: prodest aqua ferrata aut deaurata. In pituitosa decoctum radicis Chinæ aut corticum ligni guayaci, cinnamomi,anisi,corticum citri,safrasæ Indicæ & similium. Sed biliosis etiam præstat ius gallinarum aut pullorum cum agresta aut folijs oxalidis:biliosus namque humor lenientibus magis,vt discedat,gaudet. In vniuersum scito à principio pauco & tenui esse vtendum victu, quo tenaciùs natura humores cõplectatur: verùm vbi diuturna fuerit fluxio,aut talẽ futurã à principio venatus fueris, vel facultatem prolabi in dies cognoueris,copiosior & copiosioris succi cibus porrigendus est: vt hepata gallinarũ vel pullorũ testes,succus & carnes galli-

gallinarum & perdicum. Prosunt & prædictæ carnes elixę iure extremitatum arietis aut pullorum:iuuant maximè carnes columbarum & auium montanarum,cuniculorum,& hepar hœdi acum aceto: prodest amylum, oriza, panis biscoctus cum lacte amygdalarum dulcium,aut cum iure aliquo ex aqua chalybeata facto:perdicis item caro assa aut elixa,& iura per instillationem in duplici vasẽ facta cum cydonijs,piris,mespilis & myrtillis:lac itẽ vstulatum lapillis aut ferro vel auro ignitis,sed oua aceto cocta & indurata maximè prodesse ferunt. In prima autẽ mẽsa vtatur miua cytoniorum cũ pane tosto:si verò tenuis sit fluxio & fluida, ad crassiora & adstringentia alimenta veniendum esse consulit rei ratio. Verùm inter ea quæ sic affectis exhibemus,nihil profectò vires æquè habet alimenti & medicamẽti,quàm lac bubulum aut caprillum,purum quidem si citra febrem laborans sit,verũ si adsit,quarta aquæ parte addita,vt Ætio & Alexandro visum est,maximè si biliosorum vacuatio præcesserit,vt consulit Galen. 5. aphor. 64. alioqui enim aduersum esse lac quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones,quoniam in nidorem celerrimè vertitur:post purgationem verò & febre remissiore vtilissimum censetur, maximè si frusta alabastri ignita,aut albos lapillos succensos, vel ferrum candens ibidem extinxeris,& spumam interim detraxeris, ne facilè in nidorẽ mutetur:quibus sanè conditionibus aufertur difficultas quæ apud authores de lactis exhibitione in huiusmodi affectibus habetur.

Quo facto si adhuc vires periclitari constiterit, ad adstringentia (siue humor biliosus sit,siue secus) veniendum esse consulit vrgentiæ ratio. Quapropter primò in biliosis porriges syrupi acetositatis citri,& de ribes.ana.3.℈.syrupi rosarum siccarum aut viridium,aut cytoniorum. 3. j. aquarum plantaginis vel hordei tosti seu ferratæ vel deauratæ. 3. iij. pulueris margaritarum aut de gemmis.g.vj. cornu cerui vsti,seminis oxalidis & plantaginis.ana.g.iiij.& porrige. Prodest & vsus sacchari rosati vetusti cum prædictis aquis & pulueribus, vbi in formam boli reduxeris: cui etiam admiscere poteris boli Armeni aut terræ sigillatæ, trochiscorum de spodio aut de succino. ℈.j. Sed mirabilis efficaciæ est saccharum rosaceum succo cydoniorum, & aqua plantaginis dissolutum & feruefactum atque colatum datum ventre ieiuno. Item pueris alia prodest quæ recipit caryophyllorum,mastichis,aut amyli.an.3.j.aquæ rosaceæ. 3. vj. in duplici vase coquito. Ex vsu etiam est puluis rhabarbari cum eodem saccharo rosaceo. Verũ si adhuc constiterit humoris aliquid redundare, purgandum modicè est,his quæ post purgationem adstringant: cuius census arbitror esse pilulas omni fluxui proficuas,quæ recipiunt mirabolanorum,citrinorum & chebulorum.ana. 3.℈.mastichis.3.℈.spicæ nardi.g.viij.cum syrupo rosarum solutiuo fiant pilulæ quarum.3.j.sumat laborans. Quibus factis vtatur micleta cum syrupo myrtino aut rosarum,addito modico puluere lapidis hematitis aut coralli rubei præparati vel mastichis somnum item conciliabis syrupo papaueris cum rosaceo & aqua portulacæ. Præterea in causa calida prodesse scimus trochiscos qui recipiũt granorum granatorum assatorum,boli Armeni,rosarum, spodij,seminis acetosæ.ana.3.j.℈.verberis,coriandri sicci infusi in succo agrestæ vel aceto per diem,& postea leuiter torrefacti,gummi Arabici,balaustiorum,sumach,gallarum non perforatarũ.an.3.v.fructus myrti.3.vij.terantur & cribrentur & cũ succo cytoniorum formentur trochisci ponderis.3.ij. Præstat & puluis q.r.acaciæ,balaustiorum,seminis rosarum.ana.3.j.℈.cimini infusi in aceto,& postea torrefacti. 3.ij.capiat laborans.3.j.cum miua cytoniorum. Quòd si causa frigida sit,hoc facito: excipe ligni aloës,macis,galliæ,apij,balaustij,calami aromatici. ana. 3. j. ℈.mastichis.

chis. ʒ. vj. roſarum. ʒ. xv. fiat puluis, cuius laborans ſumat ſingulis diebus. ʒ. ij. cum ſucco cytoniorum. Prodeſt in omni fluxu lib. ij. aquæ vſque ad medietatem cum ℥. iiij. limaturæ chalybis feruefacere, & cum prædictis rebus aliquid eius ſumere. At ſi hæc non profuerint, excipe granorum myrti, ſanthalorum omniũ, ſumach, ſpodij, gummi Arabici. ana. ʒ. j. ℈. oſsiũ myrabolanorum omnium aſſatorum. ana. ʒ. vij. coriandri præparati toſti. ʒ. iiij. omnia in puluerem redacta infundantur in ſucco agreſtæ aut plantaginis & acetoſæ per diem, demũ exſiccata cum miua cytoniorum fiat confectio ad modum opiatæ, cuius ſumat. ʒ. ij. cum aqua plantaginis & portulacæ. Sed in pituitæ fluxibus præſtat cuminum toſtum aceto infuſum, aut aniſum eodem modo præparatum. Prodeſt &. ʒ. j. caſei antiqui in aqua chalybeata, tam per ſedem iniecta, quàm per os ſumpta: item adeps caprillus liquatus & admixtus micæ panis: præterea coaguli hœdi. ʒ. j. cum aqua plantaginis.

Exteriùs verò varia & valde proficua adhibere poteris, tum ventri, tum ventriculo: nam licèt vniuerſum corpus mali cauſam præſtet, cum hoc tamen fluendi conſuetudo & ventris facilitas, laxitas & impotentia, ſæpe fluxus ſolent in intolerabilem diuturnitatem deducere. Quapropter primò fotibus vteris, in biliosis eo qui recipit radicis biſtortæ, quinque folij. ana. ℥. iiij. corticis mali granati, balauſtiorum. ana. ℥. ij. abſynthij & menthæ ſiccæ. ana. p. ℈. florum roſarum. p. j. ſeminis myrti. ℥ j. bulliant in aqua cum modico aceto. Proſunt irrigationes etiam ex decocto malicorij, abſynthij, gallarum, nucum cupreſſi, balauſtiorũ, hypociſtidis, cum vino rubro & aqua ferrata: valet quoque fotus ex vino rubro extinctionis pini tædoſi ſuccẽſi: item olei omphancini, roſarum & maſtichis. Exteriùs tamẽ emplaſtrũ appones quod recipit, ſanthalorum rub. roſarum, ramich, malicorij, maſtichis, corticum auellanarum & coriandrorum aceto præparatorum. ana. ʒ. j. corticis capparorum infuſorum in aceto. ʒ. v. conficiatur cum ſucco cytoniorũ. Verùm ſi cauſa frigida ſit, prædictis calida medicamenta addere oportet, velut eſt cortex citri, lignum aloës, caryophyllus, ſpica, ciminũ toſtum & reliqua huius naturæ. Præſtat etiam vnguentum quod fit ex aliquo ex prædictis oleis, vbi ſæpius fruſta alabaſtri extincta ſint. Ex vſu quoq; eſt id quod recipit maſtichis, corticum thuris. ana. ʒ. iij. pulueris menthæ & cinnamomi. ana. ʒ. j. &. ℈. olei nardini, maſtichini & abſynthij ana. ℥. j. vini odorati modicum, ceræ quod ſufficiat vt fiat vnguentum. Prodeſt & aliud quod recipit olei nardini & maſtichis. ana. ℥. j. &. ℈. olei omphancini. ℥. ij. maſtichis quod ſufficiat ad conſiſtentiã, & fiat emplaſtrum. Magni quoq; vſus eſt emplaſtrũ ex palmulis, vino, farina hordei, croco, aloë & maſtiche à Galeno ſcriptũ 1. ad Glauconem: velid quoque recipit olei maſtichis, cydoniorum & myrtillorũ ana. ℥. j. pulueris ſanguinis draconis, thuris & gummi tragacanthi. ana. quod ſit ſatis. Prodeſt incredibili efficacia aliud quod recipit cytoniorum, vel pirorum aut dactilorum viridium lib. j. macerentur in aceto & aqua & decoquantur, atq; adde roſarum & abſynthij. ana. m. j. cimini toſti & aceto macerati. ʒ. iij. fiat decoctio: piſtentur diligẽter, & adde acaciæ & maſtichis. ana. ℥. ℈. coralli. ℥. j. caryophyllorum & ſpicæ nardi. ana. ʒ. j. olei roſarum omphancini & myrtini. ana. ℥. ij. &. ℈. cum lib. duabus panis candidi vel furfuris reducatur ad formam cataplaſmatis. Eiuſdem efficaciæ eſt id quod recipit micæ panis toſti & infuſi in aceto chalybeato, carnis cytoniorum. ana. partes æquales, coquantur cum oleo maſtichino & vino rubro, additis pulueribus maſtichis, thuris & ſanguinis draconis, ana. ʒ. ij. fiat cataplaſma. Præſtat eundem vſum emplaſtrum diaphœnicõ Meſues, ac maximè ex deſcriptione Alexandri: item emplaſtrum de cruſta panis, & alia quæ copioſiùs ad-

duximus

duximus capite præcedenti. In quorum omnium vſu hãc legem adſeruabis: quòd ſi vitio concoquentis malum fiat, quæ calorem adaugent & ſupplent adminiſtrabis: ſi retinentis iactura, quæ adſtringunt: ſi expellentis irritamento, quæ attemperant & leniunt.

Neque prætereundum eſt, ſi hæc omnia non proſint, magni eſſe momenti ſomnum conciliare, maximè ſi vel in dyſenteriam, vel in colliquationem aut tabitudinem affectio commigret: in quẽ vſum narcotica primum & potiſsimum locum obtinent, præſertim viribus non labentibus. Quapropter dormituro præbè ſyrupi papaueris. ℥. j. ſyrupi de roſis ſiccis. ℥. ℈. aquæ deauratæ aut plantaginis. ℥. j. quòd ſi profuiſſe non videatur, ad philonij. ℈. j. vel ʒ. ℈. te conferes. Hoc tamen ſcito, inter narcotica eſſe quædam, quæ frigidis humoribus proficua exiſtunt, quæ ſi calidis adhibeas, haud parum lædes, qualis naturæ eſt aurea Alexandrina, theriaca & alia huius naturæ: nonnulla etiam aduerſus humorum acrimoniam & calorem pugnãt, præter id quòd ſomnum conciliant, velut eſt requies magna, & alia quæ maiorem opij copiam recipiunt. Alia item ſunt quæ omnibus proficua exiſtunt, velut philonium Romanum aut Perſicum. Romanum quidem paſsionibus à cauſa frigida ortis, Perſicum verò eis quæ à calida fiunt. Sed præſtat tanquam adſtringens & narcoticum pharmacum id quod recipit micletæ. ℥. ℈. conſeruæ roſarum antiquæ. ℥. j. trochiſcorum de Karabe, de ſpodio & de terra ſigillata. ana. ʒ. ij. pilularum Nicolai cõtra fluxum ʒ. j. requiei magnæ. ʒ. ij. & ℈. ſyrupi myrtillorum quod ſufficiat vt fiat confectio, cuius bis in hebdomada. ʒ. j. porriges. Maioris etiam efficaciæ in ſedandis fluxibus eſt pilula quæ recipit opij. g. j. croci. g. iiij. cinnamomi & caſiæ lignææ ana. ℈. ℈. cum tragacantho fiant pilulæ duæ, quarum vnam ſummo manè porriges.

De dyſenteria. Caput XII.

DYſenteriam appellant Græci, id quod Latini tormina ſeu difficultatem inteſtinorum. Sed id nomen generali quodam ſignificato complectitur omnem cruentã excretionem per infernam aluum factam, ſpecialiter verò, non ſolùm tormina & difficultatem inteſtinorum, verùm & dyſenteriam propriùs dictam, hoc eſt ſolam cruentam excretionem cum vlcere & torminibus, in qua ſanguis quidem exit, ſed non vt in cæteris à iecore aut vniuerſo genere venoſo, ſed ab inteſtinorũ abraſione. Atqui licèt quatuor conſignentur cruentæ excretionis differentię, iuxta Galeni mentẽ, cum hoc tamen ſi rem diligentiùs velis expendere, ſeptem proculdubio reperies: vnam quidem ex ſanguinis optimi vbertate: aliam ex diluto & crudo: tertiam ex fæculento: quartam ex bilioſo & acri ac ſalſuginoſo: quintam ab hæmorrhoidibus, quam ablegare à vitijs inteſtinorũ placet, vt c. de hepatica dyſenteria leges: ſextã vero eã, quæ in morbis acutis vel decretoriè vel tabeſcẽtiæ & liquationis modo, contingere aſſueuit in quo excretionis genere ſanguis qualitate à natura alienus excernitur, vt habetur à Galen. 3. de ſymptom. cauſ. cap. 2. quam quo que ad eã quæ fæculentum ſanguinem excernit, reducere poteris, licèt malignior ſit: ſeptima deniq; (quam Galen. quartam arbitratur) ab excrementis ſit cruentis quæ ob exeſionem inteſtinorum ſanguini admixta excernuntur: quæ ſanè veram

dyſen-

dyſenteriam & legitimam conſtituit,cui hoc caput peculiariùs dicauimus:nam re liquarum, capite de hepatica dyſenteria & cruentis excretionibus meminero latiùs.Eſt igitur dyſenteria excretio cruenta per infernam aluum facta,quæ ex inteſtinorum abraſione & exulceratione tantùm cruenta efficitur: quippe nihil aliud eſt quàm diarrhœa ad maiorem feritatem ducta. In vtraque enim ijdem humores per inteſtina dilabuntur:verùm diſident, quia in diarrhœa morbus eſt ſolùm ab intemperamento cum humorum affluxu prodiens : at in dyſenteria, præter id quòd ſanguinolenta excretio exiſtit, morbus exulceratio eſt, & ſoluta inteſtinorum vnitas . Quo fit vt hæc nunquam ſine dolore appareat, illa verò ſæpiſsime citra ipſum : item hæc cum moleſtia , torminibus & difficultate inteſtinorum,diarrhœa verò ſecus:denique diarrhœa pernicioſa & cruda,bilioſa,ſpumoſa, praſina, nigra , ramentoſa aut varij coloris prodiens ſæpiſsime in dyſenteriam commigrat. Itaque licèt plures ſint cruentæ excretiones, ea ſolùm veræ dyſenteriæ nomẽ meretur,cuius ſanguis ab inteſtinorum vlcere profluit:item licèt vlcera ex varijs cauſis inteſtinis ſuccreſcant, id vlcus ſolùm haberi debet dyſentericum, quod ab humorum acrium & mordacium eroſione prodit. Præterea etiam ſi inteſtinis tormina & difficultates accidant,hæ ſolùm dyſentericæ debent cenſeri,quæ ab vlcere ex eroſione humorum prodeunt:vt conſtet dyſenterię verę naturam integrari his tribus conditionibus,ex vlcere, dolore & humore aeri,erodẽte atque mordaci cum fluxu ventris. Quo fit vt reliquæ excretiones,quantumuis cruentæ ſint,illegitimæ & pſeudodyſenteriæ haberi debeant.

Cauſa. Veræ & legitimæ dyſenteriæ cauſæ ſunt humores acres,erodentes & mordaces, ad inteſtina præter naturam (hoc eſt citra correctionem, attemperamentum aut mixtionem,ſeu naturæ miniſterium) prolabentes.Quos ſanè ſuccos, vel intra venas & iecur fuiſſe factos conſtat,vel in primis corporis venis,aut à capite prolapſos: A iecore enim & vniuerſo corpore incoctibiles ſucci,qualis eſt bilis vitellina,porracea,æruginoſa aut atra dilabuntur, & nonnunquam exuſta melancholia, aliquando verò ſalſa pituita:ſed hæc plerũque à capite aut à vẽtriculo frigidiori,iecore exiſtente calido.In quare,ne in curatione aberres, diligenter conſiderabis,fiat ne ſalſa pituita per putredinem,vel per pauci,amari & aduſti permiſtionem,aut per adhæſum ſeroſæ ſubſtãtiæ:nõ enim parui momenti eſt ad curationem id diſtinxiſſe. Ab alijs verò partibus plerũque excrementa his humoribus ſimillima prodeunt,externa tamen frequentiùs accedente cauſa (licèt interna vt in febribus, vigilijs,inſuetis laboribus & curis,vel prauis edulijs aliquãdo contingat) ſic enim Aquilonia exiſtente tempeſtate , humor in quauis parte ſit exitum non habens,retrocedit. & id malum concitat: Vere etiam Auſtrali & pluuioſo, tempeſtas quidẽ pituitæ ſalſæ procreatrix & innati calidi corruptrix: Æſtate inſuper feruidiſsima , maximè in fine,& Autũno,viris qui lienoſi ſunt,aut corpus habent præhumidum & prauè inſpirabile,id non rarò lethaliter accidere ſolet. Sic etiam pituita craſſa & viſcida in inteſtinis colligitur,cui ſi pro conſuetudine quantum ſat eſt bilis ad expurgandum & extergendum non acceſſerit,cùm vtriuſque in corpore & inteſtinis plus quàm par eſt abundet,hæc omnia æſtiuo calore putreſcunt, quia ex intempeſtiuis & copioſis potionibus,præſertim frigidioribus,pituita aut crudi ſucci abundant , ac primò pituita hæc acris euadit & inteſtina ad expulſionem laceſsit,quæ cũ ſeparari nõ poſsit,facilè acrimonia & mora atque adhærentia inteſtina abradit & minutim excernitur. Quod etiam fit dum bilis illa ſic miſta & putris magno impetu ad inteſtina confluit,quæ cùm ob lentorem plus iuſto adhæreat,exulcerat ac mordet : quod etiam

etiam de reliquis excremẽtis ſubaudire pari ratione oportet. Dimitto acria,erodẽtia,que & nimis purgantia pharmaca,aut venenata & cauſtica conditione affecta, quæ id quoque efficere nata eſſe conſpicimus,ſicut & flatus præcalidi,quibus ſuccreſcunt tormina maioris momenti,ſed longè maiora cùm inteſtinis inflammatorius aliquis ſuccreſcit affectus , eſt enim non leuis occaſio euocandi humores ad ipſa,vt ſtatuerat Galen. 1. phar. gene. dicens. Atque omnis dolor inflammata exacuit irritatque & fluxionibus occaſionem præbet, quamuis reumatica diſtemperie æger non afficiatur.

Sed conſideratione dignum fore iudicaui differere,quid nam in cauſa ſit, quòd plerũque ij humores tantùm diarrhœam efficiant & mordaciſsimi ſentiantur ac feruidiſsimi,æruginoſi,praſini,fuſci coloris & variegati , qui ſumum malitiæ genus moſtrant,& tamen dyſenteriam non pariãt, ita vt conſtet in aliquo alio ſitam eſſe differentiæ rationem , ſi quidem ſola mordacitas & acrimonia per ſe non poſſunt (licèt neceſſariæ ſint) eroſionẽ & vlcus efficere ſemper:nam cum minori acrimonia prædictis,non rarò dyſenteriam fieri conſpicimus.De qua dubitatione ego ita ſentio,nimirum neceſſariam eſſe in his humoribus præter dictas conditiones,vnã etiam aliam, huic muneri efficiendo peculiarem & propriam,videlicet viſciditatẽ aut lentorem,quo prædicti ſucci plus ſolito inteſtinis adhæreant,quantum nimirũ ſat ſit,vt abradere & exulcerare poſsint:indiget enim prædictum opus plus temporis quàm in ſolo tranſitu conſumitur,alioqui calfacient quidem & irritabunt ad citatiorem excretionem, non tamen exulcerare aut mordere poterunt. Hoc enim eſt quod pulchrè dixerat Galen. reddens rationem 3. aphor. 12. quare à ſalſa pituita fiant grauiſsimæ dyſenteriæ,inquiẽs. Ea igitur quæ fit in præſenti conſtitutione pituita,propter eam quæ fit caliditatem,ſalſa erit,& hac ratione dyſenteriam maximam generabit, quando longiori tempore mordens atque abradens inteſtinum offendit:nam inter exeundum propter lentorem inteſtinis adhęrens & immorãs, ſemperque ipſa propter qualitatẽ detergens,facit dyſenterias. Itaque potiſsima ratio erit viſciditas & acrimonia ſimul,qua dyſenteria differt à diarrhœa , in qua ſat eſt humores copia aut qualitate alia eſſe vitiatos.

Ex qua item interpretatione diluitur difficultas à Galen. 5. de vſu part. agitata,nimirum qua ratione in inteſtinis ab his humoribus , qui adeò ad ſui expulſionem naturam laceſſunt,vlcus fieri poſsit,cùm bilem vel naturalem vel leuiter etiam ad inteſtina prolabẽtem adeò celeriter trudat. Ac licèt ipſe arbitretur ob anfractus & circũuolutiones inteſtinorum id fieri,credendum eſt,id poſſe quidem iuuare ſed nõ ſufficere,alioqui à quauis bile acri & mediocriter aduſta, vt ipſe refert,exulcerationes fierent: ſed præter id neceſſum eſt lentorem & tenacitatem prædictos humores ſortiri,vt exulcerationem efficere poſsint.

Signis quidem in hoc affectu ſummopere opus habemus, non quidem ſolùm quæ affectum monſtrent & ab alijs cruentis deiectionibus diſtinguant,ſed quæ affectam partem & affectus differentias ac magnitudinem monſtrare nata ſint. Sic enim dyſenteriam à reliquis cruentis deiectionibus diſtingues,quòd in illis ſolus ſanguis,copia aut vitio peccans excernatur,in dyſenteria verò reliquorum humorum maximè vitiatorum maior copia,ſanguinis verò longe minor,ſimul cum ramentis & mucoribus, quæ monſtrant ſanguinem à ſolis inteſtinis prodire: præterquam quòd in dyſenteria ſemper excretio fit cum torminibus & cruciatibus maximis, in alijs verò non ita: item in hac minutiſsimæ fiunt excretiones,tum ſanguinis,tum aliorum ſuccorum , in alijs verò copioſiores. Eſt etiam affecti loci ſignum *Signa.*

venter

venter imus à ventriculo vſque ad rectum inteſtinum dolens: præterquam quòd ipſa inteſtina exulcerari oſtendit, præter dolorem, ſanguinis excreti paucitas, & inteſtinorum ramenta. Verùm quia diuiſio ſeparatioque inteſtinorum in gracilia & craſſa, maximi eſt momenti ad locum per quem auxilia adhiberi debẽt, dignoſcendum, obid diligenter diſtinguere vtra harum partium abraſionem patiatur neceſſum erit. Sic enim ex loco doloris ſupra vmbilicum, gracilia, ſicut dum infra vrget, craſſa eſſe affecta conijcies: item grauiores exiſtunt tenuiũ quàm craſſorum dolores. Præterea ſi ramenta craſſa & copioſa cum excrementis exeant, craſſa inteſtina abradi dices, ſicut tenuia, ſi pauca & gracilia: idem quoque oſtẽdit interuallũ inter dolorem & excretionem, nam dum ſuperiora inteſtina exeduntur, lõgiſsimo interuallo poſt dolorẽ excretio fit, cùm verò craſſa, mox à dolore. Mõſtrat id etiam permixtio ſanguinolentæ excretionis cum ipſis excrementis: nam cùm gracilia abraduntur, alui excrementa & ſanguis plurimum confunduntur & commiſcentur, quia diu ſimul iter agunt: dum verò craſſa & infima inteſtina afficiuntur, ſeorſum aut parum cõmixta cum ſanguine apparent prædicta excremẽta. Antè tamẽ quã ad ſpecialiora ſigna loci affecti deſcendamus, monſtrare incumbit vlceris aut abraſionis magnitudinẽ ſeu differentias. Ætius etenim & alij, tres poſuerũt dyſenteriæ gradus ſeu differentias, non ſolùm iuxta maioris aut minoris exulcerationis modũ adductas, ſed etiã iuxta eam inteſtinorũ ſubſtantiam, quæ in hoc affectu abradi & excerni ſolent: quorũ primũ eſt pinguoſum, mucilaginoſumq; corpus, quo inteſtina obducuntur, ne facilè ab excrementis dilabentibus afficiantur alterenturq;: hæc enim primò excernũtur in dyſenteria, quæ leuem ſeu fientẽ (vt Galeni verbo vtar lib. 5. de locis) cõſtituit dyſenteriã, primumq; eius gradum ſeu ſpeciem circũſcribit. Secundum eſt ramentoſum quoddã corpus, album, tunicæ inteſtinorum perſimile, quod monſtrat interiorẽ eorum ſuperficiẽ abradi. Tertium fit cùm aliquid ex ipſa inteſtinorum cõpage excernitur, quod carnem & verã eorum ſubſtantiã atteſtatur, conſtituens factã & grauiorem dyſenteriã. Qui tamen exactiùs velit cuiuſq; inteſtinorum exulcerationem atque quantitatẽ vlceris rimari, expendat, in gracilibus ſuperficiem ſolùm eſſe læſam monſtrare excrementũ tenue, bilioſum & inodorum, ieiuni excrementa crocea, mali odoris & nonnulla cum alimentis prauè liquatis admixta: deprauatus tamen odor aliquando ab vlcere, nonnunquã ab humore aut excrementis prodit: quod diſces quia vlcus putrilaginẽ ſemper redolet. Ab inferiorum autem inteſtinorum vlceribus excrementa aquoſa prodeunt, tenuia, ſine odore, niſi vlcera profundiora ſint: quo tẽpore ſanioſa prodeũt, ſubrubra, vinoſa, aut inſtar aquæ in qua caro lota eſt. Si verò vlcera in gracilibus latiora ſint & ſuperficiaria, biliioſum quod effluit, inſtar pinguedinis prodit: ſi profundiora ſint vlcera, non ſolùm exquiſitè biliioſa, ſed crocea fæcem vini referentia, ſpumoſa & nigra, porracea, craſsiora, inſtar putredinis graueolẽtia. Ex profundioribus verò craſſorum inteſtinorum vlceribus cruenta emanant, craſſa, pituitoſa, carnoſa, valde pinguia, ramentoſa, velut ipſorum fruſta & integræ partes: ſi tamen vlcus profundius ſit, emanat gutta cruoris, craſſa, carnoſa, rubra, grumoſa, nonnunquam nigra, multis modis varians, odore intolerabili affecta. Contingit etiam vt vniuerſa inteſtini tunica diſcedat adeò incredibili magnitudine, quòd videatur maiorem partem inteſtinorum continere: quo tempore iam negocium in diſcrimine vltimo verſatur, licèt viſum ſit tunicam quæ remanet cicatricem contrahere. Item contingit ex aliquo vaſculo cruorem adeò copioſè effluere, vt iam rem indeſperatione poni iudices, maximè ſi ex magno vaſe ſit. Accidit præterea vlcus & inteſtina

inteſtina adeò inflammari continuo dolore & cruciatu, vt nulla ſalus ſperanda ſit, niſi pus effluat febre ceſſante & vberiùs ſanguine miſſo.

Quantumuis pernicioſa ſit & ferè omnino lethalis hæc morbi natura & conditio, cum hoc tamen contingit aliquos morbos difficiles, ſuperueniente dyſenteria ſanari: non quidem cũ adeò peſsimi exiſtunt humores, quòd cruenta ſit excretio ex inteſtinorum exulceratione, ita vt tormina & difficultas inteſtinorum ſubſequantur (quippe hæc deterior & periculoſior eſt, quã ſint affectus qui ea ſuperueniente ſanantur) ſed quòd per eam peſsimi & deteriores humores excernãtur, quã antea in ſola diarrhœa ſolent reperiri, & in cæteris morborũ, qui citra ipſam ſanari non poterãt, excernerentur. Sed cõiectabile eſt hãc (licèt dyſenteria nuncupetur) talẽ re vera & exquiſitè nõ eſſe, ſed ſolũ quia adeò ſucci qui profluũt pernicioſi exiſtunt, vt tormina & difficultates inferant, vlcera autem minimè, quia longè inſanabilia eſſent, vt de dyſenteria ex atra bile refert Hippocrat. Verùm cùm vlcera non fiant, & longè deteriorem ſuccum cõtingat excerni, quã in quauis diarrhœa, obid felicem morborum euentum præſagare licebit. Et hoc eſt quod dixerat Hippo. 6. aphor. 46: Quicunque lienoſi, aut 48: Lienoſis dyſenteriam aduenire, bonum: item 7. apho: A furore difficultas inteſtinorum: & 2. prædictionum ſcribit, podagricos optimè ſe habere dyſenteria ſuperueniẽte. Quæ vt rectè interpretari poſſis, expende duo eſſe dyſenteriæ genera, vnum acutum, pernicioſum, ſignis manifeſtum pernicioſis, cuius finis ſemper eſt naturã perdere, & inteſtina abradere: alterum verò mitius, in quo potiùs cruor quàm ramentũ excernitur, & in quo corpus exoneratur: ſic profectò dum aliquis morbus per dyſenteriam ſoluitur, credibilius eſt per hoc ſecundũ genus potiùs ſolui, quã per primum. Cuius ſententiæ creditur Hippo. fuiſſe 2. prædict. dicens: Dyſenteriæ, ſiquidẽ cum febre inuaſerint, aut varijs alui egeſtionibus, vel cũ hepatis aut præcordij & ventris inflammatione, vel quæ doloroſæ ſunt, aut cibos intercipiunt, hæ omnes prauæ ſunt, & qui ſanè plurima horum malorum habuerit, citiſsimè peribit, cui verò pauciſsima taliũ affuerint, huic plurima ſpes eſt. Moriuntur autem maximè ex hoc morbo pueri quinquennes, & ſeniores adhuc decennes, reliquæ verò ætates minus: at quæ dyſenteriæ cõmodæ ſunt, mala hæc non inducunt. Verũ ſanguine & ramentis egeſtis, deſiuerunt 7. aut 14. aut 20. aut 40. die, aut intra hæc tempora morbos ſanant antiquiores, ac recentes, hos citiùs, illos ſeriùs, adeò vt etiam vtero gerentes alleuient, & fœtus corroborent, perducantque incolumes ad partum ſi nihil doloroſum adſit: at ſi quid horũ adſit, niſi prima die deſinat aut paulò poſt, fœtui quidem perniciem & periculum adfert. Denique prima illa acutiſsima & periculoſiſsima eſt, cuius meminit lib. de Coacis dicens ferè eadem verba quæ retulimus, cuius euẽtus omnino pernicioſus eſt, ſiue ab alio morbo decidat, ſiue incipiẽdo fiat: Cæterũ ſi materia, cuiuſuis cõditionis ſit, vincatur à natura ac per inteſtina pellatur, licèt difficultatem eorum generet, minoris eſt mali & boni finis præſaga, vt Clazomenio in epid. contigiſſe refert Hipp. nam eo tẽpore dyſenteria cruenta (quòd copioſiori ſanguine admixtus temperatuſque excernatur humor, quo minus lædere eſt credendũ) nõ crodẽs exoritur, in qua ſanguis niger & craſſus exit, quo lienoſi plerũque curantur, ſi diuturna non ſit per aluum egeſtio: nam ſi diu duret, in aquam intercutem & in mortem commigrat. Verùm ſi purgatio impuri ſuccí ſalutis eſt cauſa, cur non ſufficeret diarrhœa? quæ igitur eſt ratio quæ cogat dyſenteriam neceſſariò fieri, cùm affectus ſit ſua natura pernicioſus? Cui dubitationi reſpondendum eſt, dyſenteriam neceſſariò debere eſſe, quæ à prædictis malis liberet, ac non ſufficere

Præſagiũ.

diarrhœam, quia ob id cognoſcitur materiam mali excerni: nam ſi alia quæ illud malum non efficeret excerneretur, vtique laborans non reſtitueretur ſanitati ex grauiori malo. Dicet tamen aliquis nullo modo poſſe dyſenteriam ſequi ex prædicto humore, quantumuis pernicioſus ſit, quia per coctionem mitior factus eſt: quòd ſi coctionem nondum eſt nactus, eius vacuatio ſalubris habenda non eſt, & ob id ſat eſſe diarrhœam ſubſequi. Huic dubio dicendum eſt, nunquam ſic huiuſmodi humores exquiſitè concoqui, quin aliqua eius particula acrimoniam adſeruet adeò inſignem, quòd dum per inteſtina dilabatur, tormina efficiat, & ob id vt ſalubriter excernatur, duo expoſtulat: primum vt cum torminibus exeat, ſignum profectò humorem morbum efficientem radicitus expurgari: ſecundum quòd cruorem habeat admixtum, quo frænetur eius malitia, ne præter tormina, exulcerationem efficiat. Itaque ſi quis intellexerit quæ diximus, reperiet facilè, qua lege enodare oporteat illud Hippocra: Si atra bilis, ſurſum aut deorſum feratur, lethale, & dyſenteriam omnem ab atra bile lethalem & inſanabilem eſſe: & etiam intelliget quomodo cohærere poſsit cum præfata doctrina, quę locis nuper citatis adduximus, nimirũ dyſenteriam ab atro & prauo ſanguine ſalubrem eſſe, & alios affectus ſoluere. Nam cùm Hippocrat. dixit lethales eſſe dyſenterias ab atra bile, intellexit de eis in quibus inteſtina exulcerantur ab eâdem atra bile, quas ſanare eſt perdifficile, cùm vlcera cancroſa fieri ſit neceſſum. Item ſurſum aut deorſum moueri ſolam atram bilem lethale eſt & periculo plenũ, verùm moueri cum ſanguine vt in hac dyſenteriæ ſpecie intellexit Hippocrat. minimè graue, quinimo tutum, niſi diu duret, vt explicat in Coacis: tunc enim in hydropem aut atrophiam commigrat. Item dyſenteriam fieri, & ſanguinẽ ab vlceribus atra bile excauatis promanare, lethale, verùm ſi cum ſanguine ad inteſtina dilabatur, licèt tormina efficiat & ramenta vt Hippocra. 2. prædictionum inſinuauit, minimè graue eſt, dum vlcera non fiunt. Præterea de dyſenteria hac iudicandum eſt, nimirum eam quæ ſuperiora vexat inteſtina, grauiorem eſſe ob ſymptomatum immanitatem & ventriculi viciniam: tum etiam quia difficiliùs ſanitatem ſuſceptat, & æger faciliùs exoluitur ob nauſeam, cibi faſtidium, vigiliam, & quia vlcera eo in loco rarò coaleſcunt, vt ex Hippocrat. mente Gal. 6. meth. refert. Ex natura verò cauſæ ea inſanabilis eſt, quæ ab atra bile prodit, vt ex Hippocrat. conſtat 4. aphor. 43. Sic grauiſsima exiſtit, quæ à praſina, æruginoſa aut ſincero humore prodierit: ſi tamen ſymptoma ſit alicuius febris, vt grauis cenſenda eſt, auget enim morbum vigilijs ac doloribus, & vires longè imbecilliores reddit, quo fit vt periculoſa habeatur tum ob id, tum verò quòd mali moris eſſe febrem oſtendit. Critica verò in ardentibus ſalubris, intempeſtiuè tamen & ſponte ſuppreſſa, abſceſſum gignit in lateribus, viſceribus & articulis, & digreſsionem ac deceſſum materiæ, præcluſa via inferiore, quo vnius morbi in alium tranſitus fit. Nec periculo caret cui initio bilioſus ſuccreſcit vomitus, quia ortum habet à materiæ copia & feritate, quæ duas ſimul partes imbecillas inuadit, & etiam quia in principio vacuatio illa per vomitum (quæ alioqui futura erat præſidium dyſenteriæ) pernicioſa eſt aut inutilis. Pueris item quia non obediunt, & quia facile diſſoluuntur, periculoſa exiſtit dyſenteria omnis (excepta ea quam mitem diximus, ſine febre & tormini bus, qua pueri diutiùs perſtant & viuunt, ac euadunt) ſenibus verò quia magnitudinẽ cauſæ arguit. Grauis in vniuerſum eſt affectio, vt quæ in colliquationẽ, tabitudinem, hecticam febrem, malum corporis habitum & hydropem plerumque commigrat. Cum hoc tamen cautè eſt compeſcenda: nam ſi intempeſtiuè id fiat, mirũ non

non eſt ſi in pſoram, furorem, hydropem & alios grauiſsimos affectus degeneret, vt in Coacis conſtat ex Hippo.

Curandi ratio.

Vt magnos & grauiſsimos morbos, ac ſæpe mortem, hæc dyſenteriæ ſpecies minatur, ita profectò maxima diligentia prouidendum eſt, ne vltra pergat, aut diu duret: immedicabilia enim ſunt, quę ab ipſa ſuccreſcunt mala. Quapropter medendi ratione petita à Gal. 6. lib. pop. par. 6. com. 5. (qui abluere mordaces ſuccos, & oblinire inteſtina, ac tẽperare eorum quæ defluunt acrimoniam iubet) conſtat omnẽ huius curationis ſcopum triplicem inſurgere, quorum quilibet ſuam præſtat peculiarem medendi viam & rationem. Primus ſanè verſatur circa cauſam quæ fluit exulceratque inteſtina: ſecundus circa ipſorum inteſtinorum vlcera: tertius verò & vltimus iuxta ſymptomata quæ accidunt. A quo tamen prædictorum auſpicari principium curationis oporteat, non eſt ita facilè interſtinguere: cùm aliàs vnus, & nonnũquam alter præpolleat, & ſibi curationem abroget. Quamobrem in hac hæſitatione diligenter morbi tempora conſiderabis: quippe in principijs & dum vires conſtãt, & accidentia perferri poſſunt, atque vlcera nondum cœperunt, ſolius cauſæ habenda prouidentia eſt, poſteà verò & vlceri & dolori diligenter prouidebis. Namque ſi cauſa mox à principio negligatur, poſtmodum vrgẽtiores ſe ſe oſtẽdent vlceris & doloris indicationes, & malum ſubinde immedicabiliter exacerbatur.

Iuxta primum autem ſcopũ, corpus affectum conſiderabis, vt venari certiùs poſſis naturã & conditionẽ humoris peccãtis: in quo tria tibi expendenda ſuccreſcũt, qualitas nimirum ipſius humoris, copia, & impetus. Qualitatis verò nomine conſiderabis humoris naturam, ſit ne bilis aliquo vitio affecta, atra, vel æruginoſa, aut ſal ſa pituita: item cuiuſque maiorem aut minorem acrimoniam ac mordacitatem, vt cuique pro indigentia ſubuenias. Præterea copiam niteris venari, nam ſi maior exiſtat, quam quòd ſperandum ſit ex attemperamẽto, aut diuerſione temperari poſſe & corrigi, protinus ab eius vacuatione curationis principium auſpicari oportet: nullo enim præſidio, in principio morbi, tutiùs impetũ cõpeſces, quã euacuata humoris maiori parte. In quo opere diligẽter conijcies, an ſanguini admixtus ſit humor peccans, vel ipſius ſanguinis maxima copia, corpus carnoſum graui febre atq; inflammatione vel iecoris ſcalore oppreſſum, vel ſupreſſa aliqua ſanguinis (vt hæmorrhoidũ aut menſium) euacuatio, conſentientibus inſuper ætate & viribus, venã ſecare citra cunctationem opus erit: moderatiùs tamẽ quã affectio expoſtulat, ob aſsiduã egeſtionẽ & perpetuã vigiliã ac dolorem. Quo ſenſu intelligendus eſt Gal. 1. ad Glauc. & 4. de ratione victus, vbi ſanguinis detractionẽ interdicere videtur, quod in diarrhœa ſolũ eã interdicere eſt arbitrãdum, non in dyſenteria, ſi quis eius verba diligenter conſideret. Audaciùs tamen quã in quouis alio affectu, ſanguinẽ mittere poteris, vbi vel febris adſit, vel ſuperueniat cõtinua, vel iecur excalfactum exurenſq; fuerit, vel dyſenteria, ex phlegmonoſa inteſtinorum affectione prodeat, ſiue vlcus phlegmone vitiatum ſit, ſiue inteſtina ipſa ob affluxum ſanguinis aut bilis, incipiente enim dyſenteria, retractionis gratia ſanguinem quoque mittes. Eſt tamen differentia, vtra venarum tundenda ſit, humeralis ne, an baſilica vel ſaluatella: ſed ea eſt obſeruanda lex, quòd in ſupreſsis hæmorrhoidibus ac menſtruis, ex talo ſanguis mittatur: copioſo tamen ſanguine in vniuerſo corpore redundante, à baſilica: ſi tamen reuellere magis placuerit, ab humerali aut ſaluatella: vtcumque tamen fieri debeat, parciùs & per partitas vacuationes id facito: in pueris tamen & fœmellis, imbecillibus vel cucurbita

Sanguinis detractio.

cum scarificatione veteris, vel brachijs hirudines affiges, aut longè parciùs mittes.

Purgandi ratio.

Quòd si vnius tantum succi quantitas iusto maior appareat, nulla vel quàm leuissima expectata præparatione, aut attemperamento, ipsum purgabis: nam huiusmodi humores, tanquam turgentes & irreparabile malum minantes purgare protinus oportet: ac licèt timorosum sit, vt Auicen. refert. ventrem soluere supra ventris solutionem, aut per locum affectum affectus causam purgare, præstantius est maiorem copiam subita vacuatione demere, quàm paulatinè facta, ventrem maiori exulceratione perdere. Habet tamen hæc purgandi ratio hoc proprium, quòd eligentibus desideret fieri medicamentis, mox à principio: cæterum ijs quæ cum hoc quòd corpus plurimum non turbent, suapte natura partes comprimere & roborare habeant, vt educta sufficienti humoris copia, partes deinceps fluxui ineptiores reddantur. Quo fit vt audaciùs quàm nonnulli censent, si hæc medicamenta adhibeas, purgare in dysenteria possis: dummodo conijcias copiosam esse humoris peccantis quantitatem, vt ex oris amarore & ventris turbatione venatur Hippocrat. id iubens debere fieri 2. popul. parte 6. tex. 27. Verendum tamen est, prædicta purgatione copiosa vti, in ea dysenteria quæ ex humoris deterrima conditione & venenosa qualitate prodit, vel si atrabiliares sint humores: quippe hæc corrigi, attemperari & compesci potiùs & primò desiderat, & alijs succis & medicamentis misceri, vt miteſcat, quàm vacuari: nequit enim id fieri citra maximum maioris mali periculum, licèt post prædictam correctionem, vacuatione etiam opus sit. Scito tamen in principio licere purgare non abiecta purgatiua parte pharmacorum, verùm si semel hac via humoris maiorem partem eduxeris, postea vel tota rhabarbari substantia, vel abiecta maiori parte solutionis & efficaciæ pharmaci purgabis. Medicamenta autem huic vsui proficua, in biliosis sunt, velut rhabarbarum, quo nullum est in hoc malo præstantius, à quo purgatio non semel conuenit, sed si res exigit & vires permittunt, bis terue, aut sæpius, vt consuluerat loco nuper citato Hippocra. id enim oportet fieri ob perpetuam humoris morbifici generationem. Eiusdem etiam conditionis sunt cortices mirabolanorum citrinorum, quæ aut tota substantia in puluerem redacta, & saccharo rosaceo vetusto admixta, vel syrupo rosarum, iterum in bolis compacta, exhiberi possunt, quantitate duarum drachmarum aut ʒ. j. & ß. in pueris verò & fœmellis. ʒ. j. satis est. Possunt etiam hæc medicamenta leuiter torrefieri, & eadem parum maiori quantitate exhiberi dissoluta in aqua plantaginis aut capitum rosarum: neque credendum est, vim propriam efficacia ignis amittere & acrimoniam acquirere, vt nonnulli arbitrantur, siquidem nobis non est in animo eorum medicamentorum formam ustione corrumpere, sed solũ quod in ipsis mordacius & tenuius est, leui igne dissoluere: quapropter non licet eadem vrere, sed moderatè calfacere, ac postmodum aqua rosarum irrorare, quo vtiliora reddes. Prosunt etiam eadem si infundas in prædictis aquis, & leuiter expresseris, ac proiecta parte solutiua, scobem seu recrementa porrexeris, in boli forma coacta cum syrupo rosarum siccarum aut myrtillorum. Quas sanè medicamentorum formas non primo accessu porriges, vt multi consulunt, sed cùm in animo est leuiùs purgare, & pressiùs cõprimere: nam primo morbi insultu, & vbi suspicio est de obstructione aut descensu mucaginum ad intestina, tunc quidem expressioni. ʒ. j. rhabarbari infusi in aqua cichorij adijcere oportet expressionem. ʒ. ß. agarici trochiscati infusi in succo rosarum: nec desunt qui loco agarici, cartami. ʒ. ij. in sero lactis infusi, aut

aut syrupo rosaceo solutiuo adijciendam esse consulant. Procedente tamẽ morbo infusioni. ʒ. j. ß. rhabarbari, pulueris corticum mirabolanorum. ʒ. ij. adijciunt, aut ℈. j. pulueris eiusdem rhabarbari. Postremò tamen ad ipsius, & corticum mirabolanorum substantiam, vt primò dictum est, deuenire oportet, siue puluis solus in forma boli exhibeatur, siue leuiter torrefactus, aut mediocriter post infusionem expressus, admiscereque opus erit syrupo solutiuo è rosis Hispanis, aut sero lactis, vel aquæ portulacæ aut plantaginis. De falsa enim pituita quatenus ad purgationem attinet, pari lege subaudiendum est, cæterum diuersis medicamentis: cuius naturæ est agaricus cum modico rhabarbaro, aut mirabolanis, maximè emblicis. Cui vsui excipe corticum mirabolanorum citrinorum, emblicorum & chebulorum. ana. ʒ. ß. agarici trochiscati. ℈. ij. syrupi solutiui rosarum. ℥. ij. aquæ plantaginis. ℥. j. & ß. Considerabis in pituitæ falsæ purgatione, sit ne facta pituita per putredinem, vt in plerisque febrium diuturnarum, (aut acutarum quibus adiuncta sunt in venis pituitosa recrementa) contingit: quippe tunc frequentiùs purgabis, eo nimirum vsquè dum omne putridum extraxisse compereris. Verùm si constiterit ex fereæ substantiæ admistione pituitam ortam fuisse, renes adeò purgabis & vreticis veteris, donec coegeris ipsos auidiùs feream substantiam attrahere, & perfectiùs sanguinem purgare. At si ex amari permistione fiat, purgabis quidem, sed medicamentis quæ & bilem educant & iecur roborent, adhibitis maiori diligentia quæ iecur ipsum ac venosum genus attemperent. Verùm si ab atra bile prodierit dysenteria, eadem proderunt medicamenta, commixta tamen confectioni Hamech simplici, vel conseruæ violarum cum pulueribus foliorum sennæ: prodest & serum lactis cum eisdem folijs in eo infusis, polipodio & epithymo, addito syrupo ex infusionibus violarum & succo è rosis Hispanis. In hac etenim non antè purgare aggredieris quàm humorem cognoueris vel mistum mitioribus succis, vel medicamentis attemperatum: vereri enim oportet ne ex fluxu pernitiosi huius succi sæuiora fiant vlcera cancrosa & incurabilia. Quòd si constiterit dysenteriam popularem esse, ac suspicio fuerit virulentæ materiæ, tunc quidem purgantibus addere oportet cornu ceruinũ crematum & elorum: item cornu monocerotis pondere. ℈. j. quem quoque vsum præstabit puluis margaritarum præparatarum, lapidis bezoar, de gẽmis, diamargaritonis frigidi, vel terræ lemniæ, boli Armeni & similium, quæ præter id quòd venenis aduersantur, quodammodo vites habent compescendi impetum fluentis humoris.

Depositа igitur vel omnium humorum copia, vel vitiosi & redundantis, tunc quidem ad eius quod supereſt attemperamentum & correctionem, deuenire consulit medendi ratio. Nequit enim natura perferre vitiosi huius succi compressionem aut retractionem ad aliam partem, citra eius attemperamentum & correctionem: sed primò considerandum tibi est, graciliora ne, an crassa intestina oblæsa sint: nam in his, per ea quæ per sedem injciuntur potiùs oportebit attemperare, at in illis, per ea quæ per os sumuntur, licèt aliquando per sedem quoque aliquid immitti possit. Quapropter mox ab expurganti pharmaco, aut si eo non sit opus quòd quantitas non expostulet, humoris acrimoniam & mordacitatem corrigere, frænare atque miteſcere opus erit: sic biliosis succis prodest syrupus intybi, cichorij, portulacæ, violarum, rosarum, nenupharis & papaueris cum aqua plantaginis, hordei, violarum, cichorij, ferrata, deaurata, argentata, aut cum lacte seminum omnium frigidorum. Præstat etiam

ſerum lactis,ptiſſana,amylum,&vltimò lac ipſum caprillum chalybeatum aut vſtu latum fruſtis alabaſtri ignitis,vel cum quarta parte aquæ feruefactum,ſi febris aut putredo adſit, aut ſi refrigerare impenſiùs velis, addita etiam ſeri lactis quarta parte, vel aquæ portulacæ. Quibus etiam vteris ad compeſcendam pituitæ ſalſæ acrimoniam,ſed maximè mucilaginoſis, vt ex pſyllio, ſemine cytoniorum & lini: ſed præſtantius eſt,quod ex radicibus bugloſſæ & borraginis per leuem decoctionem educitur. Quæ ſane vſtis quoque humoribus prodeſſe poterunt, præcipuè tamen iurulenta omnia,preſertim ſi carnes pullorum,anatum& tenerum porcellorum in coxeris extremitatibus adiunctis,cum violis,hordeo, portulaca,borragine & ſimilibus,quæ gelatinum ius efficiunt,quod cum ſaccharo præſtitum,vſtorum acrimoniam frænat,& impetum coercet. Per aluum enim clyſmatis iniectis id quoque opus exequendum venit: refrigerant enim,attemperant,& humorum acrimoniã retũdunt clyſmata,quæ fiunt ex ptiſſana, aut aqua calida,vel hydrelæo ex roſaceo: conficiuntur etiam ex decocto hordei,corticum cucurbitæ,lactucæ,ſcariolæ, florum violarum,nenupharis,& borraginis,cum oleo roſaceo & ſero lactis,cum aqua etiam chalybeata ac expreſsione ſeminum frigidorum cum ſucco portulacæ,vitellis ouorum & ſaccharo albiſsimo.

Humorum fluxus medella.

Manſuetiori minoreque facto humore,tunc quidem eius impetum compeſcere opus erit: ſæpe enim exulcerata pars deterior redditur ex continuo affluxu,licèt humor mitioris ſit conditionis. Hoc autem opus facies,humorem aliò transferendo & compreſsis roboratiſque partibus,dẽſioribuſque factis humoribus ipſis. Aliò enim humorem trãsferes ſanguine miſſo,ſi (vt dictum eſt,) opus fuerit: item expurganti pharmaco exhibito,vel vomitibus,maximè in ſalſa pituita: nam hac via diuturnas dyſenterias curari conſpeximus: ſudor etiam excitatus plurimum prodeſt viribus valentibus,balneo aut ſuffumigio ex rebus adſtringentibus. Sed præcipuè humoris impetum frænabis ijs quæ adſtringant & comprimant ac humores denſent: quod ſanè cautè facies,ni velis longè maiorem efficere eroſionem: tãto enim his minùs vteris,quanto conſtiterit humorem eſſe craſsiorem ac viſcidiorem,quo certum eſt,maiores fieri abraſiones. Quapropter liberaliùs vteris adſtringentibus & denſantibus, vacuata maiori humorum parte & reſidua mitiori facta: quo tempore à leuioribus initio ſumpto, ad validiora prorſus deuenies, ac lenientium aliquid admiſcebis, & nonnunquam refrigerantium modicum: nec non ea quæ vrinas mouere nata ſunt. Quippe vbi ſalſa pituita ex ſerea fit ſubſtantia, his quæ vrinã moueant longè citiùs ſaneſcunt, quàm adſtringẽtibus, aut alio diuerſionis genere. Sed expendiſſe in adſtringentiũ adminiſtratione oportet, ea potiùs proficua fore per os ſumpta, quã per clyſteria, ni ceſſante iã fluxu, corroborationis & agglutinationis gratia. Præſtãt tamẽ prædictũ vſum potio omphacomelitis, ſyrupus de agreſta, de myrtillis, de ribes, ſuccus meſpilorum, cytoniorũ, prunorum ſilueſtrium, coquantur ſucci & ſaccharo roſaceo admiſceantur, cui adde aquæ plantaginis aut capitum roſarum & maſtichis modicum. Verùm ſi à leuioribus initium velis ſumere, primò aquam hordei vel orizæ torrefactæ, vel loturã amyli cum ſyrupo roſaceo porriges, poſtea cum ſyrupo myrtillorum aut de ribes, vel cum aliquo ex prædictis ſuccis, vel aqua deaurata aut ferrata, cum maſtiche & ſyrupo de roſis ſiccis, vel de agreſta. Quibus vt ſimul materiam mitiorem reddas, addes amyli modicum, tragacanthi. ʒ. ß. terræ lemniæ aut boli: item pulueris roſarum, coralli, myrtillorum, cryſtalli, diamargaritonis frigidi, vel margaritarum præparatarum, aut electuarij de gẽmis. ℈. j. Quòd ſi velis ſimul ampliùs comprimere & humores craſſare, aluminis tri

ti. g. vj. porriges cum ouo ſorbili, vel pumicis tenuiſsimè triti. Item ſuccum radicis ſymphiti pondere duarum drachmarum aut puluerem eius. Præſtãt pira & poma ab interaneis mundata & plena cera, vel carnes aſſas cera oblinire aut intra ventrẽ auium quæ aſſantur recondere. Quæ præſidia ſi obſtructionis ſuſpicio ſit, ſuſpecta quoque exiſtunt. Tanquam peculiare etiam ſecretum nonnulli conſulunt radicis filipendulæ ʒ. j. contritam & in ouo ſorbili præſtitam: item vinum auſterum vbi pituitæ aliquid redundauerit, cum ſaluiæ decocto. Præſtat etiam lac vſtulatum cũ ʒ. j. ſtercoris canini, aut in quo radices quinquefolij, conſolidæ maioris, aut filipendulæ & ſimilia coxerint. Laudatur oui vitellum aceto feruefactum: item ſemen eupatorij, in vino datum aut aqua plantaginis, maximè toſtum: item radices quinquefolij decoctæ in lacte vel deploratis proſunt: polygoni ſuccus ſi febris non adſit, ſuccini puluis cum aqua myrti vel cydonij exhibitus prodeſt, vel gummi Arabici, ſanguinis draconis, hypociſtidis. ana. gr. viij. cum ſyrupo myrtino. Eundem quoque vſum præſtãt trochiſci ex corallo, ſpodio, ſuccino, terra lemnia, eupatorio, rhabarbaro, aut de abſynthio. Item coagulum leporis vel hœdi. ʒ. j. cũ vino veteri, vel aqua maſtichis, vel ſucco plantaginis. Fertur etiam prodeſſe puluerem factum è turture cum bolo Armeno, ſanguine draconis, & mumia, cõtuſa, vaſſe teſtaceo bene lutato & ita cremata datur. ʒ. j. ex lacte ouillo cocto: ſed hanc potionem expertus ſum valde vtilem, quæ recipit ſyrupi papaueris. ℥. j. ſyrupi de roſis ſiccis. ℥. ß. diamargaritonis frigidi. ʒ. ß. eboris. ℈. ß. aquarum plãtaginis & caudæ equinæ. ana. ℥. ij. Cõferunt etiam conſerua roſarum cum aliquo ex prædictis pulueribus, maximè cũ corallo, terra lemnia, bolo & pulueribus electuarij de gemmis: item cydoniatum cum ſucco ſymphiti, ſuccus portulacæ cum puluere qui recipit ſeminum roſarũ, oxalidis, plantaginis & portulacæ. ana. ℈. j. corallorum rubeorum & cornu cerui vſti. ana. ʒ. j. amyli, tragacanthi. ana. ʒ. ß. quæ omnia cum ſaccharo roſaceo vetuſto præbere poteris, vel ſuccũ cytoniorum cum paſtillis de ſuccino, ex quibus & ſucco polygoni facti boli mirum in modum proſunt: itẽ micletæ. ʒ. j. cum pulueribus moræ, vuæ acerbæ, aut moræ rubi deſiccatæ & in puluerem redactæ. Proſunt & poma cocta vino rubro, vel aqua cum puluere aliquo ex prædictis, aut boli vel ſanguinis draconis, mumiæ, balauſtiorum, gallarum, hypociſtidos, thuris & ſimilium. Præſtant & oſſa femoris vituli trita: alumen in ſucco plantaginis diſſoluitur, in eo linteolum immergitur, ſiccatur & fit puluis vtiliſsimus. Quibus ſanè omnibus tanquam peculiare præſidium, multi ex authoribus arbitrantur ex vſu eſſe aliquid diu reticum admiſcere, vt non ſolùm fluxus compeſcatur, ſed ad alias etiam ſedes deriuetur, qualis naturæ ſunt aromata, & quæ tenuium ſunt partium: quapropter nõ erit ab re aliquid cinnamomi, aut fœniculi, aut ſeminis petroſelini, vel meu addere, vel aliorum quæ id poſſe diximus. Sed inter cætera præſidia, à doctiſsimis etiã viris ratione & diutino ac fidiſsimo experimento firmatum proclamatur frequens aquarum thermarium, quæ potentiam habẽt refrigerandi, vſus, ita vt in potu & ad cocturam alimentorum, & per clyſteria, mirum in modum prodeſſe referant. Cenſeo potiorem eſſe eam aquã quæ in ferri, argenti vel auri fodinis reperitur, ſed in earum vſu, maxima ventriculi habenda eſt prouidentia.

Clyſteria.

Hunc etiam vſum adſtringentia clyſteria præſtant, ſed non æquè tuta ſunt ac potiones, quapropter clyſteribus admiſcere quæ adſtringunt, neque temere, neque cuique tentare licèt, cùm preſsiùs quæ erodunt eis adhibitis, adhæreant inteſtinis, maioremque ſubinde exulcerationem & maiores cruciatus concitent. Retulimus enim in vſu adminiſtrãdorum clyſterium lib. de recto præſidiorum vſu, hæc

verba ex Galeni mente. Si vlcera ſint inflammationis expertia, idem genus ablutionum erit accommodatum: verùm vis adſtringendi erit parum intendẽda, non tamen multo maior eſſe debet, quandoquidem in his quoque adſtrictio modum excedens, mordicationem adfert, & vlcera proritat, & eo adigit, vt vel inflammentur vel humectentur. Neque dubitandum etiam eſt in dyſenteria, ex inordinata clyſterium adminiſtratione, hæc & maiora mala oriri poſſe, nam crebra refrigerantium iniectione ob inteſtinorum continuitatem, ventriculus quoque refrigeratur, quod & flatuum multitudo, & cruda excrementa commonſtrant. Quod etiam damnum adaugent, qui potiones & electuaria his admiſcent, quæ retrigerando adſtringunt, & paſsim ac ſine methodo dyſentericis exhibent, non aduertentes diminui aſsiduo fluxu ventriculi calorem ampliùs, ob idque extingui & coctionem interturbari. Quo fit vt non expediat hæc, nec adſtringentia dyſentericis temere adhibere, niſi calfacientibus & cõcoctorijs caſtigata, quod veteres illos ſapientiſsimos in ſuis ad dyſentericos medicamentis feciſſe conſtat: in quibus vel mentham, abſynthium, hyſſopum, acetum, fœniculum, aniſum, daucum, nardum, cinnamomum, caſiam, crocum, thus, vel mirrham aut maſtichem adiunxerunt, niſi vlcera adeò computreſcant, vt firmandi carnem gratia atque roborandi, adſtringentia adiungere ſit neceſſum. Adminiſtrabis igitur adſtringentia clyſteria, primò temperatis, lænientibus & anodynis admixta, vt prolabens materia temperetur, ſimulque doloris inclementia miteſcat, & pars ineptior ad recipiendum fiat. Cui vſui clyſteria conficies ex decocto orizę & hordei torrefacti cum ſaccharo & oleo roſaceo omphancino: conficies etiam ex lacte vſtulato lapillis aut fruſtis alabaſtri, vel chalybe, ignitis, cum oleo myrtino aut ſucco polygoni. Verùm quia ex adſtringentibus, alia ſunt calida & alia frigida, fluentis humoris ideam conſiderabis, vt pro eius indigentia hæc aut illa admiſceas: ſunt autem calida nardi ſpica, abſynthium, cinnamomum, caryophyllus, calamus aromaticus, lignum aloës, maſtix, thus, manna thuris, aloës, mirrha, ariſtolochia, gentiana, enula, ſtirax, propolis, ſaluia, caſeus inueteratus, coagulum leporis & huius cenſus alia, quibus non deeſt, vt ex Galen. conſtat, ſua trahendi efficacia, vt cautè eis ſtudeas vti. Frigida verò ſunt vitis capreoli, arnogloſſum, rubus, myrtus, balauſtium, malicorium, roſa ſicca, ſorba, pruna ſilueſtria, pira, meſpila, galla, verberis, acacia, hypociſtis, terra ſigillata, hematitis, bolus Armenus, ſanguis draconis, coriandrum in aceto maceratum, karabe, corallũ, margaritæ, cornu cerui, ſanthali, ſpongia, interior tunica ventriculi gallinarum, & denique alia intenſiùs infrigidantia, vt portulaca, lenticula paluſtris ſemperuiuium, polygonum, ſigillum, radix filipendulæ, lactuca, vmbilicus veneris, cauda equina, oxalis, violaria, cucurbita, & papauer. Quorum pro indigentiæ ratione, prædictis clyſteribus aliquid addere poteris vel ſucci eorum, vel pulueris, vel decocti cum oleo roſarum omphãcino, myrtino, maſtichis, vel abſynthij: quorum formam ſic facito: excipe hordei integri & roſarũ rubearum. ana.p.j. fiat decoctio cuius accipe.ʒ.x.& adde ſyrupi roſarum.ʒ.ij.ſacchari rubri. ʒ.j. ſucci polygoni. ʒ.j. ℈.vitella ouorum numero.ij. hoc enim præmiſſo, veteris eo quod recipit hordei torrefacti.p.ij. tapſi barbati cum radicibus linguæ paſſerinæ, plantaginis & foliorum myrti.ana. p.j. roſarum.p.ij. fiat decoctio, & in lib.j. diſſolue olei myrtini & ſucci plantaginis.ana.ʒ.j.&.℈.ſacchari albi.ʒ.j. Aliud etiam conficies, quo vehementiùs adſtringes, dum fluxio magis vrget, quod recipit radicis conſolidæ maioris & biſtortæ.ana.ʒ.j. gallinarum, nucum cupreſſi.ana. ʒ.℈. roſarum, florum cameleontis ana p.℈, fiat decoctio in aqua ferrata & in.ʒ.x. diſſolue ſucci polygoni.ʒ.ij. ſepi hyr

cini

cini.ʒ.j.& ℈.fiat clyſma. Quòd ſi velis ex pulueribus, ſuccis, aut decoctis clyſteria cõficere, hoc modo facito: R. pulueres boli, terræ Lemniæ, aut cuiuſuis alterius medicamenti adſtringentis, infunde eque in ſuccis aut decoctis, & poſteà facta expreſſione, adde ex memoratis medicamẽtis, quod vſui magis proficuum cognoueris.

Exteriùs verò ventriculum & inteſtina comprimes, roborabis & arctiora reddes fotibus, ſaculis, inunctionibus & emplaſtris. Sic enim iecur primò roborabis, quo minus vel à toto corpore ita facilè recipiat, vel prauè generet, quod efficiunt ceratum ſanthalinum quantitate.ʒ.iij. cum oleo roſaceo malaxatum: ſed huiuscõditionis plura reperies capite de iecoris imbecillitate. Ventri enim, quòd facilè ob ſympatiam & continuitatem ab inteſtinis oblædatur, adhibebis oleum maſtichis, myrti, cydoniorum & abſynthij: tandem alia quæ capite de imbecillitate ventriculi latiùs ſcripta reperies. Valet & cataplaſma q.r. panis candidi lib.j. abſynthij ſicci, menthæ.ana.m.j. corticis citri.ʒ.ij. carnis cytoniorum.ʒ.iiij. corticis mali granati. ʒ.j. fiat decoctio in vino rubro, & per cribrum mittantur, quibus adde hypociſtidos ʒ.℈. galangæ, nucis muſcatæ, caryophyllorum, maſtichis, cardamomi.ana.ʒ.j. ſpicæ nardi.ʒ.j. olei abſynthij & nardini. q.ſ. vt fiat cataplaſma, ſi fluxio ex pituitoſis ſalſis ſit. Præſtat & emplaſtrũ diaphœnicõ Meſues in fluxione humorum frigidorum, & Alexandri in calidis & exurentibus, maximè ſi liquetur oleo de cucurbita: quippe hãc legem in omnium topicorum adminiſtratione obſeruare oportebit, ne turpiter aberrare contingat. Vngere etiam oportet ventrem & renes eo quod recipit olei roſarum, myrtillorum & cytoniorum.ana.ʒ.j. aceti.ʒ.℈. miſce: item alio quod recipit gallarum, myrtillorum, nucis cupreſſi, roſarum rubearum, ſeridis, verberis. ana.ʒ.j. corticum thuris, coriandri.ana.ʒ, ℈. coralli rubei.ʒ.ij. fiat puluis tenuiſsimus qui inſpergatur ſupra inunctionem: vel fiat hoc linimentum. q.r. pulueris præſcripti.ʒ.iij. olei roſarum, myrtillorum, cytoniorum, & omphancini.ana.ʒ.℈. ceræ albæ. q.ſ. fiat linimentum. Verùm ſi his aut ſua ſponte aluus adeò fiat ſupreſſa quòd nullũ excernat alimentorum excrementum, interdum emollientibus vteris clyſmatis, quo promptiùs hæc excernantur, ne vlcera ampliùs citra nouam fluxionem irritẽtur ob excrementorum irritationem, quod ſæpiſsime ſolet dyſenteriam protraliere.

Vlceris autẽ medella (quæ præmiſſa cauſarũ prouidẽtia ſolis clyſmatis perficiẽda venit) tot ſibi vendicat auxiliorum differentias, quot ipſum poſſe ſortiri prauas conditiones certum eſt. Quippe aliquando vlcus nihil aliud mali ſibi habet adiunctum, quàm vitium humoris fluentis: aliquando ſordidum factum eſt: nonnunquam putrilaginoſum ac ſerpens, & frequẽtiſsimè phlegmonoſum efficitur: quapropter iuxta cuiuſuis indigẽtiam, præſidium adhibere oportebit. Sic profectò vbi inteſtina humore dilabente abraduntur, ea ſolùm clyſteria proficua ſunt, quæ abluendi vires habent, qualia ex decocto hordei cum ſaccharo conficiuntur, aut ex decocto plãtaginis, portulacæ & violarũ cũ ſaccharo. In quo ſanè opere fugiendum eſt à communi & vulgari Medicorum vſu, qui oleum his admiſcent, quo ſordidius reddũt vlcus: quo profecto tantũ licèt vti, dum aut opus eſt inteſtina oblenire, aut dolorem compeſcere. Verũ ſi vlcus ſordidum eſſe conſtiterit, quod excrementi conditio & ſordities monſtrabit, detergentia ſunt adhibenda auxilia, ſimulque acrimoniam materiæ reprimentia: quale eſt quod paratur ex aqua hordei, aut lacte aſinino, quòd copioſum habeat ſerum, & ob id abſtergendi vim, addito ſacchari aut ſyrupo roſaceo. Præſtat & hydroſaccharum, aut ſi pituita abundauerit, hydromel confectum ex decocto cicerum rubrorum, lentium, lupinorum, parietariæ,

Vlceris cũ ratio.

rię,furfurum,addito vino rubro ex decoctione betę,ſi inflammatio nulla ſit:quòd ſi ſalis aut mellis aliquid addere placuerit,id cum lacte & ſero admiſce,& in pituitoſa & contumaci dyſenteria facito. Præſtat & illud quod recipit aquæ hordei lib.j. ſucci plantaginis.ʒ.iij.ſyrupi roſarum.ʒ.j.&.ſ.vitella ouorum.n.ij. Quòd ſi fluxionem adhuc perſtare compereris,ſcito opus eſſe admiſcere decocti roſarum, plantaginis& polygoni aliquid,quo modeſtiùs fluat deinceps humor.Sic ad vlcera cõpeſcenda & ſiſtendam materiæ fluxionem, parantur varia medicamenta per os ſumenda:quorum primum recipit aloes,thuris,cõſolidæ maioris.ana.partes æquales cum ſucco plantaginis,miſce & præbe.ʒ.j.valet,& id quod recipit ſeminis pſyllij & plantaginis.ana.ʒ.ij.gummi Arabici, terræ Armeniæ.ana.ʒ.iij. miſce & ante cibũ præbe.ʒ.ij.Vehemẽtibus torminibus & in deſperata ſalute prodeſt trochiſcus qui recipit ſanguinis draconis,croci,ladani.ana.ϑ.j.aluminis,gallæ. ana.ʒ.j.ſ. acaciæ.ʒ.iij. terræ lemniæ, balauſtiorum. ana.ʒ.iij.ſ. caliculorum glandium, ſeminis acetoſæ.ana.ʒ.j. ſeminis pſyllij. ʒ.ſ. miſce cum ſucco myrti & porrige.ʒ.j. Itaque prout materia quæ inteſtinis hæret,plus minuſue hærens fuerit, eo magis aut minus abſterſio exequenda venit : & ſic adſtringere oportet magis minuſue, prout magis aut minus impetuoſè fluxerit.Fortiora verò abſtergentia vereri oportet, vt quæ plurimum protitare fluxionem, & dolorem cõcitare ſunt nata, vel mox alio veteris leniẽte clyſmate. Quòd ſi abſtergere ſimul,lenire & adſtringere velis, proficuum eſt,quod recipit amyli.ʒ.j.lactis.ʒ.x ſeri lactis.ʒ iij.butyri recentis & ſaccari.ana.ʒ.ij.adipis hirci liquati. ʒ.j. boli Armeni.ʒ.ij.vitella ouorum.n.ij. Cæterum ſi vlcera putrida ſerpentiaque ſint,vt ex dolore in varijs inteſtinorum partibus ſerpente conijcies,alijs veteris quæ humorem frænare,partem roborare, fluxionemq; compeſcere cum attemperatione,nata ſint:ſed prętermiſsis cauſticis medicamentis,quibus antiqui vtebantur,ſecuriùs conficies ex decocto polygoni,portulacæ,radicis bugloſſæ, & borraginis, æquiſeti, plantaginis,lentium & hordei cum ſuccis prædictarum herbarum,& modico melle aut ſaccharo, vel pulueribus maceratis & colatis in prædicto decocto,ex bolo, terra lemnia,corallo, cornu cerui vſti, roſis & malicorio,quibus ſi vinum rubrum addideris,ex vſu facies.At ſi aliquando adeò neceſsitas & putrilago creuerint (conſtantibus tamen viribus) quòd opus ſit ad cauſtica auxilia deuenire, hoc ſolo paſtillo veteris in aliquo ex prædictis ſuccis, vel decoctis cum vino rubro liquato, qui recipit trochiſcorum de minio,vel pulueris Ioannis de Vigo quod ſufficiat,miſceantur cum ſucco plantaginis & vino rubro, qui poſtea diluantur in lacte aut ſero pondere.ʒ.j.ſunt qui addant (& optimè quidem faciunt)ſingulis eorum drachmis opij g.j. quibus profecto ſi vti velis, primò porriges laboranti buccellam panis aqua frigida aut lacte madidam,mox inquam ab iniecto clyſtere,quod prædictum trochiſcum,dixerim partem eius recipiat:longè tamen vtiliùs & ſecuriùs facies, ſi ſolũ vtaris trochiſcis Andronis in aqua plantaginis aut ſolani diſſolutis,& per clyſterẽ iniectis:puluis autẽ Ioannis de Vigo ſuſpectus mihi videtur, cuius loco vnguẽto rubeo liquato ſero lactis libẽtiùs vterer. Quòd ſi vlcus inflammatum ſit ſeu ſcalidum, vt ex calore partis affectę in vẽtre ac ex febre & ſiti comperies,ex lacte & roſaceo,aut decocto hordei & roſaceo, ex ſucco ſemperuiuij & roſaceo clyſterẽ parabis : laudat tamen & meritò Tralianus ex ſucco plantaginis & roſaceo confectum.Verùm ſi ab his malis vlcus vendicaueris, protinus ſtudendum eſt ipſum ad cicatricem perducere, hac facta diſtinctione, quòd in craſsis inteſtinis generanda caro eſt, in membranoſis verò conſolidanda. Carnem quidem generabis,clyſtere primò iniecto,quod abluat,vt ex decocto hordei &

dei & ſaccharo,aut ſero & ſaccharo vel ſyrupo roſaceo : item ex vino calido auſtero,mulſa ex decocto hordei & ſimilium : quibus vt carnẽ generes addere oportet puluerẽ aliquẽ ex ſarcoticis,qualis eſt qui recipit:pulueris gentianæ, thuris, enulæ ʒ.ij.tetrapharmaci. ʒ.ſ. vel prædicto decocto admiſcebis, terebinthinæ & butyri ana.ʒ.iiij. quæ ſanè medicamenta diutiùs immorari in aluo oportet, quo magis operentur. Cõſolidant quidem & cicatricem inducunt decoctiones adſtringentium,in quibus terræ ſigillatæ, boli Armeni, ſanguinis draconis, thuris & ſimilium aliquid admiſcueris, & ex his alia conficies cum ſucco plantaginis, portulacæ & oleo roſaceo:quibus addes terræ lemniæ modicum cũ oui luteo. Vel ſic conficies: Recipe hordei mundi,lentiũ depilatorum & toſtorũ. ana. ʒ. vj. balauſtiorum,roſarum ſiccarum.ana.ʒ.iiij.oricæ toſtæ.ʒ.iij.ſeui caprini ʒ.vj.in aquæ pluialis li.iij.lẽto igne coquito,donec tertia pars ſuperſit,& facta colatura adde rubricæ Armeniacæ,gummi Arabici,ceruſæ, acaciæ.ana.ʒ.j.cum oui luteo, & vncia vna olei roſacei confice.Solent in hoc affectu adeò grauiter & periculoſè accidentia vrgere, vt plerunque ad ſe omne curantis conſilium vertere videantur:inter quę (præter vigiliam,quæ ſedato dolore etiam miteſcit) primum locum tenet dolor (nam de teneſmo protinus ſum acturus,de ſyncope verò & alijs actum eſt ſatis) cui medeberis primò per clyſteria, quæ leniendi vires habeant,quæ non ſolùm dolorem compeſcunt, ſed plerumque indurata excrementa emolliunt,& aliquando (quod in hac curatione frequenter eſt expendendum)flatus diſcutiunt, & partes laxant: nam ſæpiſsime dolores à ſuccis craſsis eleuato flatu,maiores quàm ab exeſione prodeunt,cuius habere quoque prouidentiã ſummopere conuenit. Primò enim parabis clyſterẽ,eo qđ recipit,roſarum.p.j.fiat decoctio in lacte & facta expreſsione immitte:item roſarum.p.ij violarum p.j. violariæ, altheæ,lactucæ, parietariæ, ſummitatũ anethi,(ſi flatus adſit) ana m.ſ. prunorum. n.x. hordei integri. p.j. ſeminum altheæ,pſyllij & cytoniorum.ʒ.j. fiat decoctio in qua diſſoluatur(ſi potior ſit ratio materiæ & doloris quàm vlceris) butyri recentis, vel olei amygdalarum dulcium. ʒ ij. ſacchari aut ſyrupi roſarum. ʒ.j. &.ſ. vitella ouorum. n.ij. Confert mirum in modum ad doloris ſedationem id.q.r. acaciæ,hypociſtidos, carnis cydoniorũ ſumach,gallarum.an. ʒ.j.coralli rubri vſti & loti aqua roſacea.ʒ.j.ſ. opij ϑ.j.cinnamomi,cyperi.ana.ʒ.j.ſyrupi de roſis ſiccis quod ſatis vt fiat opiata in forma ſolida,ex qua fiant pilulæ quarum præbe.ϑ.j.aut.ʒ.ſ.Mitigat etiam dolorem oleum roſaceum,vel lotura amyli vel tragacanthi:ac ſi flatus adſint,potes addere decoctum altheæ, maluarum, fœnugræci & ſeminis lini:item prodeſt olei amygdalarum dulcium. ʒ.vj.mucaginis ſeminis pſyllij & cytoniorum extractæ in lacte ʒ.iij. Proſunt & iura pinguia extremitatum animalium,aut carnis gallinarũ cum butyro aut adipe anatis ac hordei cremore.Commendat Raſius clyſterẽ ex li.1. olei roſarum cum mucagine ſeminis pſyllij: item lactis lib.j. ſepi hirci. ʒ.ij. butyri recẽtis. ʒ.j. ſyrupi violacei. ʒ.j. &.ſ. vitella ouorum.n.ij. Verùm ſi dolores fuerint vehemẽtes,narcotica etiam addes vt hyoſcyamum, capita papauerum viridium in quauis prædictarum decoctionum,vel opij.g.j.aut.ij.Item noctu dum laborãs it dormitum porriges ſyrupi papaueris.ʒ.j.&.ſ.ſyrupi roſarum viridium aut ſiccarum. ʒ.ſ.porriges etiam phylonij.ʒ.ſ.aut.ϑ.ij. & tandem omni diligentia curabis dolorem lenire & ſomnum conciliare: ſed maiori diligentia curandum eſt, vires reficere proba victus inſtitutione iuſculis & edulijs optimi & facilis nutrimenti conſtituta. Sic pullorum,perdicum, turturum, vituli & aliarũ carnes aſſas aut elixas porriges,& iura expreſſa ex earum carne macerata: prodeſt & ſuccus carnis

Accidentiũ mitigatio.

carnis assæ,præsertim caponum aut gallinarum cum modico iure auium & pauco succo arãciorum: Item porriges amylum,panatellam,gallinarum hepata, oua sorbilia & reliqua huius census. Quo casu non displicebit modicum vini nigri vetustioris porrigere,aut albi,sed diluti aqua ferrata aut deaureata.

De Tenesmo. Cap. XIII.

EST huiusmodi passio finitima dysenterico affectui, quæ nihil aliud est quàm frequens & inanis excernendi cupiditas: symptoma quidem quod tantùm pertinet ad rectum intestinum, in quo non minus quàm in dysenteria morbus in vnitate soluta consistit: cæterum illi succrescit frequentissima ad excernendum cupiditas citra manifestam excretionem, præter sanguinolentum quendam mucorem. Itaque ex materiæ vitio prodit, sicuti in dysenteria, exulceratio, morsus & irritamentum naturæ,ex particulæ verò natura,frequentissima egerendi cupiditas: insitũ namque est illi membro excretionem moliri, quemadmodum & ori ventriculi appetentiam:& ob id cùm humor salsus, acris & mordax vtrasque partes obsidet, in ventriculo ingentem attrahendi cupiditatem infert, in recto intestino tenesmum,hoc est excernendi implacabilem cupiditatem. Prærequirit aliud peculiarius causa quæ hoc symptoma excitat,nimirum fixionem & permanentiam in eâdem parte:nam si facilè labatur, consuetam egerendi cupiditatem tantùm infert,non morbosam:quo fit vt licèt flaua bilis & omnes eius naturales aut præter naturam species,ex propria natura aluum excitare habeant, nihilominus tamen tenesmum rarò efficiunt, quia præ tenuitate & fluibilitate non immorantur in parte,nisi osculis vasorum ad eam partem conscendentium inhæreant: quod cõtingit,cùm ex nimio conatu sanguinis rimas excerni conspicimus,reseratis osculis vasorum præ humoris acrimonia: & ob id necessum est, humorem hoc malum effecturum,crassitiem,lentorem,aut visciditatem aliquam sortiri. Quapropter constat salsam pituitam, bilem atram,aut flauam dum pituitæ commiscẽtur,vel crudos succos,putridos & vitiatos,qui lentore inhęreãt & operentur,id efficere.Cum hoc tamen ex vehementissimis dysenterijs sæpissime supersit, aut eisdem comes it: nam recto intestino exulcerato à dysenteriæ causa, quiuis humor superlabatur,insolito more irritat facultatem,propter præexistentem exulcerationem,quòd humor sua spõte nequiuisset efficere. Quẽ affectum etiam sæpissime lumbricos ascarides nuncupatos efficere comperimus, morsu vel pruritu frequentissimo. Difficilior proculdubio alter tenesmus succrescit,nimirum dum vesicæ calculus,aut parastatum inflammatio inest: Dimittimus etiam tanquam externas seu euidentes causas,vlcus musculi claudentis vesicam, hæmorrhoides, & frigiditatem extrinsecus occursantem. Præstant & causam medicamẽta acria, flatus,& stercus durum:neque credendum est,hũc affectum semper exulceratione prouenire,neque in quauis intestini recti parte, sed solùm à podice interiùs: nam rimæ, aut fissuræ seu rhagades ani, quantumuis plures aut grandes sint, non inferunt tenesmum, nisi in ea parte existant vbi desidendi cupiditas sita est, paulò quidem superiùs à podice: quo fit vt ani rhagades hunc affectum non excitent.

Signa. Affectum prædictum dignoscere adeò facile est,vt signis opus non habeamus, licèt necessum sit, eius symptomata diligenter intueri, nàm iuxta eorum grauitatem & deterrimam naturam licebit certius boni vel mali aliquid in eo vereri,aut sperare:nam præter dolorem non leuem quem ea parte natura patitur,adest & vigilia,animi exolutio & virium non leuis lapsus:item vrinæ stillicidum & ani procidentia,quæ grauius malum ostendunt,prẽterquam quòd grauidis omnibus offensissimum esse experimento didicimus.Causarum verò distinctionem docent ipsa excrementa quæ excernuntur: pituitosum succum inuiscatum prædicto loco nosces ex maiori conatu & paruissimis excretionibus: biliosum,ex maiori mordicatione, cum qua excernitur quid acre cum pruritu: fæcum duritiem monstrabit, ipsas diu fuisse retentas: vlcus, pus cum excrementis prodiens: lumbricos ascarides,ex visu: flatum,ex rugitu & tensione: tumorem præter naturam, ex febre & dolore partis grauatiuo aut pulsatili: per consensum fieri ab alijs partibus, monstrabit earum proprius affectus, sicut frigiditatem,causa externa quæ præcessit.

Curandi ratio. Curandi igitur ratio varia proculdubio existit, quemadmodum variæ sunt causæ quæ huiusmodi affectum excitant: nam præter inflammationem, quæ peculiarem desiderat curandi rationem, sanguine misso & laxantibus medicamentis, siue vlcus sit, siue quæuis alia ex memoratis, si affectus adhuc sit, causa præsente operante, necessum est eandem auferre & illidere, iuxta leges in dysenteria adductas. Verùm si causa frigida quæ nuda distemperies sit, vel cum materia causam præstiterit, post corporis prouidentiam si ea opus sit, calorifica omnia auxilia adhibenda sunt, veluti fotus, insessiones ex vino maximè rubro, aut aqua, & suffumigia herbarum calidarum aut aromatum, velut est anethum, camemalum, fœnugræcum, semen lini,& huius naturæ alia.

Cæterum dum humores huic affectui causam præstant, triplex est curandi ratio: prima quæ humores peccantes respiciat: altera quæ partem leniat & præparet, quo minus recipiat, aut ex humore recepto lædatur: tertia vérò & vltima quæ sensum partis stupefaciat. Circa primam nosse oportet, humores peccantes esse in duplici differentia, quosdam in toto corporis ambitu, qui per partem illam affectam paulatim expurgantur, quosdam verò particulæ inhærentes. Primos, si plenitudini iungantur, sanguine misso extrahere oportet: sin aliter, haud secus quàm in dysenteria expurganti medicamẽto educes:quo casu etiam vomere, aut balneis aquæ dulcis vti, vel sulphureis in pituitosis corporibus perquam vtile experimur. Qui verò in parte affecta immorantur, temperandi sunt & mitescendi, ac pari lege extergendi: mitescunt clysmatis ex lacte, oleo, amylo & vitellis ouorum, vbi tamen pruritus adest, mucilaginibus vteris, & mellicrato ex hordeo & saccharo: in frigida verò causa fouebis vino calido & euaporationem eius porriges, maximè si incoxeris flores camameli, anthos, stœchados, pulegium & similes quæ vires habent calfacere. Item partem inunges & vicinas omnes oleis calidis & actu calentibus, maximè si in eis ferbuerit semen angelicæ,dauci,anethi,cimini, & cinnamomum. Quòd si hæc non profuerint, ad suffumigia te conferes, quæ fiant ex pice cum semine rutæ, anisi, fœniculi & cumini. Prosunt & sacculi cum vino calido parti appositi, ex milio, furfure,& ruta: tandem partem exterges, atque à pituita mundabis clysmatis ex melle rosaceo & aqua hordei: exterguntur & expurgantur clysteribus ex decocto hordei, melle, saccharo, alumine, sale & huiusmodi. Calore autem vigente cum afluxu aut

aut ſecus, ex oleo roſaceo, violaceo, ſero & ſaccharo aut ſyrupo roſaceo : ex lacte item & butyro cum ſaccharo ; aut melle roſaceo & vitellis ouorum . Quòd ſi dolor ſimul vrgeat, inſeſſus in iure extremitatũ arietis in quo ferbuerint maluæ, althæa, cum roſis & violis proficuus exiſtet: ſi tamen ardor creuerit, addere oportet quæ citra adſtrictionem refrigerent, vt cucurbitam, ſolanum, cucumeris aut melonis ramenta. Quibus præmiſſis, maximè ſi pars deterſa conſpiciatur, conſtringentibus roboranda erit, vt decocto roſarum ſiccarum, hordei, corticum granatorum & myrtillorum: vel ex eis facito ſacculum, & madidum aqua calida parti appone. Quòd ſi his factis adhuc affectus perſtiterit, medicamentis vtendum eſt, quæ partem leniant, qualia ſunt quæ in frigorifica cauſa diximus, nam hæc actuali calore & humiditate partem dilatant, & humores adhærentes facilitèr ſeparant: quem vſum miro modo præſtant præter dicta, ſacculi ex herbis nuper adductis, modò vino calido, modò aqua madefacti, iuxta cauſę ipſius naturam & conditionem: præſtat & vitellum oui vſque ad duritiem cocti, ano appoſitum: conferunt inunctiones ex vnguento roſaceo, ex oleo amygdalarum dulcium, ſeſamino aut de ſemine lini.

Quòd ſi hæc omnia prodeſſe non videantur, ad vlcerum curationem te conferes, & præter ea quæ diximus capite de dyſenteria, vteris vnguento quod recipit, olei roſati, & mellis roſati, ac ceræ. an. ℥ j. pulueris lithargyrij. ʒ. iij. mirrhę & zingiberis. ana. ʒ. j. & ℈. fiat vnguentum, quod mirum in modum huius loci vlceribus prodeſſe competimus : ex vſu quoque eſt vnguentum pompholigos hydromellite liquatum : item id quod recipit ceruſæ. ʒ. j. mucaginis gummi Arabici extractæ in aqua roſarum. ℥. ℈. corticis thuris. ʒ. j. olei roſarum quod ſufficiat vt fiat linimentum : præſtat & aliud quod recipit mucaginis gummi tragacanthi & pſyllij. ana. ℥. ℈. aloës lotæ. ʒ. j. & ℈. olei roſarum quod ſufficiat vt cum modica cera fiat vnguentum.

Quòd ſi hæc non profuerint, ad narcotica peruenire oportet, quæ parantur ex modico philonio Romano, aut. g j. opij excepto vitello oui, & ano appoſito, vel aliquo ex prædictis oleis diſſoluto, & cum modico croco, dictæ parti etiam adhibito: quem quoque vſum præſtant ſomnifera omnia, quæ præcedenti capite diximus. Quòd ſi ad vehementem conatũ ani procidentia ſubſequatur, vino calido ablues & leuiter manibus in ſuum locum repones, & ſuffumigijs ex pice firmabis, necnon & ſacculis ex rebus adſtringentibus, & vino etiam adſtringenti madidis. Atq; hæc eſt methodus curandi huiuſmodi affectum, ad cuius exequutionem, varia apud authores practicos reperies auxilia, quæ ſi prædicta methodo præſtiteris, laboranti ex vſu facies.

De

De hepatica dyſenteria, & reliquis cruentis excretionibus. Caput. XIIII.

LIcèt omnem cruentam excretionem quæ per aluum fiat, Medici dyſenteriam appellant, re vera ea ſolùm quæ ab vlceribus & abraſione inteſtinorum ſanguinolenta prodit, talis nuncupanda eſt, reliquas verò pſeudodyſenterias potiùs dixeris, vna excepta, quæ peculiari nomine donata, hepatica dyſenteria dicitur. Quas omnes vt exactè noſſe & diſtinguere poſsis, ſcito, præter legitimam & veram dyſenteriam, cruentarum excretionum per aluum, quinque apparere differentias: prima quidem, licèt à toto corpore vel ab aliqua particula prodeat, minimè (vt reliquę) inteſtinis cõmunicatur, etiam ſi per podicẽ excernatur ſanguis, ſed ab hæmorrhoidibus proſiliens, citra ventris læſionem aut tranſitum per ipſum viſitur, à cruentis inteſtinorum excretionibus iure optimo ableganda: tum propter adductam rationem, tum quòd ſanguinis etiam natura ab alijs diſſideat, quòd in hac ſplendens ſit, & facilè concreſcat, in alijs verò ſecus, ac ſi aliquando concreuerit, non tamen in eius concretione apparet ſeroſa illa humiditas, quæ in ſanguine hæmorrhoidali & fæculentо rariùs ſuccreſcit: & ne nos ſub ſpecie hepaticæ dyſenteriæ decipiat, ſciẽdum eſt, ab hæmorrhoidibus ſine ventris rugitu exire, in alijs verò non citra eum. Secunda autem & verior eſt, ea alui ſanguinolenta fluxio, in qua quæ per aluũ excernuntur, purum ſanguinem repræſentant, qualis ex mactata victima (vt Galen. ſcribit) citra vllum vitium prodire aſſolet. In tertia verò ſanguis excernitur fæculentus, niger craſſuſque, qualis fæx ſanguinis aut amurca eſt: quam ſanè excretionem inter hepaticas dyſenterias, licèt impropriè. 3. aphor. Gale. & alij annumerarunt. Quarta autem ea eſt, quæ ſanguinolenta quoque exiſtit, ſecum tamen defert bilioſorum aut prauorum ſuccorum non paruam copiam, quam dixit Hippocra. lienoſis aut maniacis prodeſſe, & nos ex iecoris colliquatione ſæpe vidimus, nec non ex ſanguinis vſtione & feruore, quæ ſæpe adeò eſt copioſa (non ſolum per ventrem, verùm & vomitu per ventriculum excernitur) quòd incredibili celeritate hominem perimit, aut in languorem & tabem immedicabilem defert: quam vt ſextam conſtituimus. cap. de dyſenteria. In quinta autem & vltima, & quæ verè hepaticam conſtituit dyſenteriam, ſanguis etiam excernitur, cæterum adeò aquoſus, dilutus & fluidus, vt nihil aliud repræſentet, quàm aquam cui parum ſanguinis addideris: quam equidem excretionem, ſimillimam eſſe refert Galen loturę carnis recenter mactatæ. Quas ſanè differentias ſi quis attentè & diligenter expendat, reperiet procul dubio non modò inter ſe differre, ſed & cauſa & mille alijs rebus, quæ non ſolùm cognitionem veram, ſed curationem multis numeris differre efficiunt: quæ omnia clariùs diſces, ſi cuiuſque ſeorſim tractationem ſcripſero, prætermiſſa quæ ab hæmorrhoidibus prodit.

Ea enim in qua ſanguis naturalis excernitur, ab alijs omnibus euidenter diſtinguitur colore, conſiſtentia, ſubſtantia, quantitate, & occaſione fluendi. Eſt igitur in huiuſmodi dyſenteria ſanguis flauus colore, conſiſtentia mediocris, quantitate tamen immodicus. Fluendi quidem triplicem habet occaſionem: prima ſanè eſt iecoris natiua intemperies admodum calida, quæ cùm natiua ſit, & corpus non diſsipet, commiſsum ſibi alimentum ad portionem caloris & ſubſtantię iecoris totiũ

ferè in ſanguinem vertit:atque cùm corpus adeò copioſam quantitatem conterere nõ poſsit,quod ſupereſt,melioris gratia per inteſtina fundit natura. Secunda occaſio eſt,defectus alicuius mẽbri: quippe ea quãtitas quæ præſtatura erat alimentũ mẽbro deficienti,citra vllã vtilitatem ſuperabundat:quo fit vt natura id per inteſtina vtiliter tranſmittat. Tertia verò & vltima eſt,alicuius ſanguinolẽtæ excretionis ſuppreſsio, vel exercitij aut laboris cõſueti intermiſsio:nã quibus intẽpeſtiuè menſtrua aut hæmorrhoides ſupprimuntur,vel quiuis alius conſuetus vel vtilis ſanguinis fluxus, mox ſuccreſcit huiuſmodi vacuatio,qua à redundãte illo ſanguine natura ſeſe exonerat. Sic dum conſuetum exercitium quod vberrimam ſanguinis copiam conterere aſſueſcit,intermittitur,accedente vita ſedẽtaria, ocioſa,& crapulis dedita,mirum nõ eſt,ſi vt maius damnũ inhibeat natura, per inteſtina pellat quod redundat. Profluit etiã læſo hepate, rupta aut aperta vena:quo tẽpore non ſolũ per ſeceſsũ, verũ & per vomitũ vberrimus profunditur ſanguis, ita vt pauci ſint qui ab hoc damno ſuperſtites euadant,partim ob vberrimũ fluxum, partim verò quia ex concreto in ventriculo ſanguine, animo delinquunt laborantes & commoriuntur,partim etiam quia in hydropem & difficilem reſpirationem ſæpe degenerant.

Signa. Noſces autem qualis prædictarum cauſarum hunc affectum excitet,interrogatione facta,an euacuatio aliqua fuerit ſuppreſſa:item ex intuitu venaberis defectũ mutilati membri:prẽtereà ex interrogatione diſces,ceciderit ne laborans,aut percuſſus fuerit, an aliquod graue onus ſuſtulerit,quo vas aliquod fuiſſe diruptum, vel ſauciatã aliquã venã in iecore,comperies. Quòd ſi hæc omnia defuerint,facile erit cognoſcere,vitium omne regerendum fore in iecur ipſum, maximè ſi acceſſerit hominem eſſe mediæ ætatis, boni coloris, quadrati habitus & in reliquis ſanũ.

Curandi ratio. Medebimur huic affectioni, dũ ex ſuppreſſo ſanguine prodit nimia vbertas,facta ad extima mẽbrorum diſtractione vinculis,cucurbitis,frictionibus & aliquando crurum & brachiorum lauacris. Si verò quãtitas ea quæ per aluum excernitur, reſpõdeat ſuppreſſæ & conſuetę vacuationi,permittenda eſt,quandiu fluendi conſuetudo ſuppreſſa permiſerit:ſi tamẽ vel diu durauerit,aut prædicta auxilia nõ ſint ſatis,antiquam & conſuetam vacuationem reuocare oportet, aut iuxta partẽ qua fluere aſſueuerat,fontanellã aperire,qua ſe tueatur natura à redundantia. Itaque ſi æqualis cõmoditatis fuerit,tunc quidẽ permittendus eſt hic fluxus,ſin aliter reuocata antiqua fluxione,aut per fontanellam aliò excitatã, tutiſsima fiet ſupprimẽdi ratio. Quod ſi vel fieri facilè nequeat, vel factum non profit,nulla lege oportet fluxum cohibere his quæ adſtringũt & denſent,ne ſanguis ſuppreſſus, & fluere aſſuetus,ſœuiùs in grauiorem prorumpat affectum: ſed inſtituto parciſsimo victu & largiori exercitio, oportet ſanguinis copiam ita conterere, vt natura auarior facta, auidiùs deinceps ſanguinem cõtineat. Qua etiam lege curare oportet eum fluxũ, qui alicuius membri defectu excitatur:nam dũ ſanguis ille redundat, nullo modo cohibendus eſt,ſed imminuendus victus parſimonia,aut ſanguine miſſo ſtatis temporibus,bis nimirum,terue in anno,prout ſanguinem redundare conſtiterit. Verũ ſi ex vberrimo & nimis ſanguifico iecore affectio prodeat, permittere aliquando huiuſmodi fluxum oportet, nam ſæpe pro valetudine eſt, & ipſe fluxus ſua ſponte ætatis mutatione ſupprimitur & quieſcit. Quamobrem oportet interim paulatim iecur attemperare(non quidem refrigerare, ne deterior lapſus ſubſequatur) & victum & ſanguinem ad tempus minuere,quo natura indigentior facta minus abundet,& magis quod ſupereſt conterat.

Quòd ſi ſanguis exuſtus, fœtidus,biliosus aut erodenti & vitioſo aliquo ſucco, admixtus

admixtus excernatur,non parui momenti dyſenteriam concitat,quinimo cunctis grauiorem & breuiorẽ,quòd in ea copioſiores ſunt ſanguinis profuſiones aliquando,& nonnunquam minutæ,ſed cum animi deliquio & languore,quòd ex iecoris colliquamento fiat:qualiter verò huic ſubueniendum ſit mox leges. Hoc vnum tamen expendiſſe oportebit, quòd ſi poſt ingentes ſanguinis prodeat profuſiones licet cacochymiæ appareant ſigna, plurimum purgandum non eſt, quia cacochymia illa potiùs eſt ex defectu ſanguinis reliquos humores compeſcentis,& corrigentis,quàm ex alicuius vbertate & malitia. Quo tempore alimentis & debita victus inſtitutione rem agere potiùs oportebit,quàm vacuationibus.

Veræ hepaticæ diſceptatio. Dum verò ſanguis qui per aluum excernitur,à naturali & probo mutatus conſpicitur,rectiùs & propriùs hepaticam appellatam dyſenteriam cõſtituit: legitimã tamen & veram ſolùm dum ſemiconfectus apparet, illegitimam verò & ſpuriam (etiam ſi nomine hepaticæ inſigniatur) dum fæculentus, craſſus & fæci olei perſimilis excernitur:vtraque tamen à præcedentibus excretionibus diſsidet,quia illę ex robuſto & valido ac probo iecore prodeunt, hæc verò ab imbecillo, malè affecto & intemperato. Sed vt hæc clariùs conſtent, ſciendum eſt iecur pati poſſe intemperiem nudam,licèt pauciſsimo tempore duret,vel cum materiæ adhæſu,quæ vel morbum gignat in via,vel tumorem præter naturam excitet:inter quos ſanè affectus eum ſolum hepaticum ſeu iocinoroſum appellamus, qui ex ſola ipſius viſceris intemperie originem trahit,citra dolorem aut tumorem, dum ſolus hic affectus vrget. Atque licèt hoc verum ſit, non quemuis affectum ex iecoris intemperamento ortum, hepaticum licet nuncupare,ſed eum tantũ qui imbecillitatem in eo progignit: nec rurſus quæuis imbecillitas hepaticum generat affectum, ſed certa quædam, peculiaris & huic viſceri propria. Quapropter ſciendum eſt,iecur vt quamuis aliam particulam, quadruplicem ſortiri potentiam: allicientem per venas alimentum vnam,aliam retinentem,coquentem aliam,& demũ ſuperfluum expellentem reliquam. Præterea licèt ob intemperamenta quæ iecur pati poteſt, quæuis harum etiam oblædatur, non tamen ad cuiuſque læſionem ſequitur hepatica appellata affectio, ſed eius tantùm potẽtiæ vitio,qua ab omnibus alijs corporis particulis diſsidet,nimirum ſanguificæ:ſic enim cũ in huius potentiæ munere iecur aberrat,eo tempore conſtat iocinoroſam ſeu hepaticam ſuccreſcere dyſenteriam,haud ſecus quàm cœliacos,& ſtomachicos eos nuncupare cõſueuimus, nõ qui inflammationem,aut aliquem alium præter naturã tumorem in ventriculo habent,ſed tantũ eos,qui ventriculi imbecillitate in peculiari munere laborãt: ſic verò eos hepaticos eſſe propriè dicimus, qui hepatis ea imbecillitate laborant, qua iecur in proprio ſanguificationis munere aberrat. Quo fit vt nulli alteri membro niſi iecori tribuẽda ſit. Deniq; hepatica dyſenteria in genere morbi,eſt ea iecoris intẽperies ſiue frigida ſiue calida ſit,qua eius ſanguificavis imbecillior facta,licèt chylum trahat,minimè ad ſanguinis perfectionẽ ducit, ſed ſimile quid loturæ carnium efficit:nam rudiorem ſanguinẽ quem à venis meſeræi(vbi inchoatur hematoſis,vt 4. de vſu part. aduertit Gale.) accepit,non conficit, ex quo morbo ſequitur prædictum ſymptoma,nempe exiens mutatum per aluum & per interualla excretum,loturæ carnis perſimile.

Verũ licèt hæc ſola crudioris ſanguinis excretio iure optimo cenſenda eſt hepatica dyſenteria, cum hoc tamen, vitioſi vel vtcumque aliter alterati ſanguinis profuſio, veteribus (vt retulit Galen. 5. de locis. & 3. de ſympto. cauſ. capit. 2. & 4. de artic.) habita fuit dyſenteria hepatica: nos verò pſeudohepaticam

aut non veram neque legitimam arbitramur: siquidem non ex imbecillo iecore, sed ex intemperato eo intemperamento, quod non imbecillitet sanguificandi potentiam, sed vitiet aut interturbet & praua labe afficiat sanguificandi actum. Quapropter scire oportet, iecur duobus modis intemperari: vno cũ intemperamẽtum adeò ad iecoris substantiam peruenit, vt vires eius & proprium caloris humidum & pabulum dissoluat, qua lege imbecillitate contracta, necessum est in proprio sanguificandi munere deficere: altero verò citra imbecillitatem, intensa videlicet aut remissa qualitate aliqua, vt calore & frigore, quæ tamẽ nondum naturalem constitutionem ita labefactet vt vires imminuantur, sed potiùs eorum actus vitiet, & sic fertur apud viros nõ mediocris eruditionis, hepaticam fieri ab intemperie quæ vires sanguificæ potentiæ imbecillitat, & pseudohepaticam ab intemperamento sanguificationem vitiante: quippe aliud est facultatem sanguificam imbecillem fieri, quo sanguis crudior euadit, & aliud sanguinem ipsum aliena qualitate fœdari, non ob potentiæ defectum, sed ob qualitatis alicuius accessum, quam iecur malè affectum accersit.

Sed vt quis verum ne, an falsum sit prædictum dogma, apertiùs calleat, & hepaticæ dysenteriæ veræ, & non veræ, differentias perdiscat, præmittendum illi est ex Galen. lib. 8. pharmac. loc. cap. 6. in iecore haud secus quàm in ventriculo, tres reperiri sanguinis cruditates: vna quidem est, dum chylosa substantia in peregrinã mutatur qualitatem, quæ omnibus alijs cruditatis speciebus ab eodem deterior censetur, similis dispepsiæ: secunda verò quæ fit cùm alimentum suam quã diutissime adseruat naturam, nulla alteratione ex particula quæ ad eius confectionem erat dicata, susceptа, apepsiæ quàm simillima: tertia autem & vltima præter has, est imperfectæ coctionis, cùm semicoctus efficitur sanguis, diminutæ coctioni persimilis: quam profecto mediam constituit Galen. inter primam quæ deterior est, & secundam quæ omnimoda cruditas existit, quam moderatiorem existimat. Quod sanè ab eo ita dictum esse erit arbitrandum, (licèt in reliquis vitijs, deterior sit ablatio omnimoda, diminutione) quia potiùs vitio contẽtricis aut expultricis facta est ablatio illa coctionis, quàm vitio concoctricis, & ob id censet mitiorem esse, quia fit collatio siue conferentia vitij vnius, hoc est cruditatis (vt si quis quærat vtra est deterior cruditas, diminuta ex vitio concoquentis, an ablata ex vitio retinẽtis vel expellentis) inter duas facultates, non autem ex ablata actione vnius ad diminutã eiusdem, quia eo tempore nulli est dubium deteriorem esse ablatam diminuta. Itaque ex diminuta seu imperfecta illa sanguificæ potentiæ actione sanguinolentus humor excernitur, talis consistentiæ, veluti si quis aquam cum sanguine confudisset. A qua sanè excretionis sorte plurimæ ex hepaticis affectionibus, quæ legitimæ sunt, initium capiunt, nondum magnam debilitatem hepate habente, sed adhuc concoquere & alimentum alterare ferè in formam sanguinis potente, idq; iuxta maioris aut minoris coctionis rationem: aucta tamen affectione iam dilutus is sanguis non excernitur, sed multiformes aliæ qualitates & compages in ipso sanguine apparent: haud secus quàm in ventre cruditate laborante conspicimus ob varios humores, quos simul cum ipso, natura prauè etiam vitiatos gignit, sanguine semper cum ipsis crudiori apparente: nam corrupta vitiataque coctio non dilutũ sanguinem, sed multiformiter vitiatum, semper tamẽ crassum gignit: ex quo pseudohepaticam fieri certũ est. In qua vel sanguis excernitur crassus, adustus, pellucidus, fœtidus, vel crassus, fœculentior & sine splendore. Itaque constat legitimam dysenteriam hepaticam fieri ab intemperamento virtutem iecoris sanguificam immi-

imminuente: spuriam verò ab intemperamento non vitiante facultatem, sed corrumpente eius opus, vt mox latiùs in enodatione causarum sum expositurus.

Verùm licèt hæc vera quodammodo videantur, & doctis viris grata, cum hoc tamẽ arbitror, si quis ea diligentiùs pensitet, pulchra & difficilia multa adhuc latita re, quæ sine maiori expeditione, falsa aut obscura viderentur. Quorum gratia, diligenti animo expendendum est, causam harum affectionum vnanimi omnium scriptorum consensu esse, eius quæ legitima est & aquosum sanguinem fundit, frigidum intemperamentum, iecoris innatum calorem extinguere aptum, quale ex immodico frigidæ potu, aut vsu frigidorum eduliorum contrahitur, aut caliditatẽ eundem calorem innatum dissipare natam, vt febris ardens & immoderatæ vacuationes efficere habent: nam ab vtraque causa imminutior redditur innata caliditas, & sanguis dilutus efficitur. Eius autem hepaticæ quæ crassiorem fæculentum que sanguinem fundit, & illegitima existit, eadem etiam calida aut frigida intemperamenta, non tamen quæ imbecillitatem pariant, sed quæ solùm vitient & perdant iecoris actionem, ita vt loco optimi sanguinis, spurcum, crassum & mille modis vitiatum progignat: cui accedit vitiosorum humorum copia, qui vel id damnum pariunt, vel media obstructione, qua proba distributio impeditur, ob diutinam & præternaturalem moram, optimus adhuc sanguis in prædicta vitia commigret. Pari etiam ratione hæc spuria concitatur, vt Paulus lib. 3. cap. 47. optimè aduertit, & Galen. 3. de symptom. caus. ex sanguinis vitio, quod duobus modis fieri expendunt. Primo acrimonia & mordacitate acquisita, bile flaua vel atra permixta, à quibus stimulata venarum orificia aperiuntur. Secundo ex diutina mora in iecore & vicinis partibus, quòd membra non attrahant, aut ex obstructione: quo fit vt putrescat & crassus fæculentusque fiat & fœtidissimus, haud secus quàm ex rupto iecoris tumore, vel eius putrido aut corrosiuo vlcere, in quibus vel iecoris portiones cum crasso sanguine videntur excerni: quod etiam visum est contigisse his qui funesto & exurenti causonide corripiuntur, cùm iam iam videbãtur febre carere. Quæ sanè vitia principium aliquando susceptant à causa frigida (quod difficilius videbatur) quando nimirum crassa & viscida materia interceptis angustijs hepatis, putredinem quandam contrahit, vnde aucto feruore cruentæ & sanioſæ deiectiones prodeunt. Secundo spuria etiam prodit, si hepar multum limosi sanguinis colligat, quem lien non expurget neque attrahat, aut licèt attrahat, præ copia tamen aut debilitate non conficiat, aut excrementa propria non expurget: vtroque enim viscere copia oppresso & debili facto, deiectiones fiunt nigræ, aut cùm antea solita essent expurgari per hæmorrhoides & fluxione cessante, prædicta mala succrescant: nam si huiusmodi succi retineantur diutiùs, in atram bilem exquisitam transeunt, & extra vasa nigrescunt & corrumpuntur. Nam cùm coctioni resistat prædictus humor, crassescit & angustias hepatis intercipit: cùm enim non perspirat, suboritur febricula, quæ prædictæ pseudodysenteriæ plerumque succrescit. *Causa.*

Sed vt primum dogma de exquisita hepatica accuratiùs expẽdamus, necessum est in dubium vertere, an solũ intemperantia sit causa impotentiæ sanguificæ facultatis (siue calida, siue frigida sit) vel quid aliud, quod maioris sit momenti. Nam videtur captu difficile, cur nunc ex eodem intemperamento prodeat in vno eodẽ que membro, puta in iecore, excretio similis loturæ carnis, nunc verò fæculentus crassusq; sanguis, cũ constet has sanguinis species lõgè inter se differre, & neq; causa, neque membro affecto vlla ratione differant. In quo dubio, quod magni fore *Dubium.*

momenti arbitror, plura se se offerunt prę̃mittẽda: Primum sane est dubium non parui momenti, quippe conspicimus ex frigida iecoris intemperantia pituitam gigni, & ex eâdem dilutum sanguinem, differentiæ tamen rationem ignoramus. Item ex calida ac feruida, aliquando bilem, nonnunquam ipsam & reliquos humores assari, & non rarò dilutum & crudum sanguinem gigni, vt in dysenteria hepatica & hydrope ex ardente febre comperimus, cuius diuersitatis causam nescimus exactè. Cuius rei occasione præmittimus secundò generalem quandam partium iecoris diuisionem, iuxta Galen. placitum. 8. phar. loc. capit. 6. adductam. Qua profectò parte inquit. Fit autem intemperatura iuxta propriam hepatis substantiam (quam Erasistratus putat præterfusionem, Græci parenchima appellãt, quam non putãt principalissimam visceris partem esse, nos tamen primam & potissimam arbitramur) fit etiam intemperatura circa contentas in ipso venas & arterias, & iuxta materias in spacijs ipsarum cõtentas. Præterea cùm dictum sit à Galeno & veteribus omnibus, in quouis instrumento vnam peculiaremque esse particulam, cui primo & per se illius actio tribuitur, constabit facilè parenchimati & carni iecoris id munus esse tribuendum. Est etiam (vt Galeni argumentatione in hoc placito stabiliendo vtar, loco nuper citato & 3. de caus. sympt. nec non & 4. de vsu part. cap. 12. & 6. de placitis cap. 14.) admodum consentaneum, eam existimare opificem organi partem, quæ propria organo est, vt sicut cuiusque per se organi vna est in corpore functio, ita ab vna illa organum perficiatur: Verùm cùm sola iecoris caro nusquam alibi in corpore reperiatur, vasa verò toti corpori sint communia, erit igitur hæc caro sanguificationis princeps opifex: quod etiam verum inuenies in lacte, chylo & semine: & licèt vasa aliquid sanguinolentum efficere aliquando referat Galen. id tamen minus principaliter & vi à iecore mutuata. Quo fit vt Galen. contra antiquos (qui vt inanitates vasorum implerentur, hanc carni iecoris esse tributam arbitrabantur, & ob id præterfusionem ipsam appellabant) in materierum confectione minus vasis inanitatibusque continentibus tribueret, carni verò circundanti plurimum. Quibus sic iactis fundamentis, arbitrandum est, sanguinem magis minusue coctum prodire, solius parenchimatis vitio, ex hoc vel illo intemperamento prodeunte. Tertium fundamentum sit, longè diuersum esse in iecore sanguinem fieri, aut reliquos humores: vel sanguinem non fieri aut vitiari & corrumpi. Quippe formam sanguinis introducere, soliùs est parenchimatis, idque mediante innati calidi substantia. Verùm reliquos humores fieri, potiùs ad iecoris hanc vel illam temperiem seu qualitatem (iuuante tamen innato calido) quàm ad ipsius substantiæ modum pertinere creditur. Quippe plus bilis fieri, sicci caloris est munus, plus pituitæ, remissi iecoris. Item maior melancholiæ prouentus ex intensiore siccitate prouenit. Sic enim vtcunque crescat iecoris calor, biliosiorem fieri hominem comperimus, non tamen sanguinis ob id generatione orbatur, sed biliosior gignitur: & sic de frigida intemperie pituitam generante, statuendum est, cùm non interdicat ob id sanguinis generationem, vt in pituitosis hominibus comperimus. Ex quo fundamento elicitur quartum non minoris momenti, nimirum sanguinem vitiari & conspurcari vno è duobus modis: primo dum cuiusuis prædictorum humorum plus generatur, quàm par sit: quippe crescente bile vel pituita aut melancholia, vitiosior & inutilior efficitur sanguis: quæ sanè vitia referenda sunt intemperamento carnis ipsius iecoris, non sanguificæ potentiæ: aut ea referes ad alimentorum naturam huiusmodi prouentum suppeditãtem: vel vltimò ad diminutam cuiusuis prædictorũ succorum expurga-

purgationem, vt Galen. visum fuit. 6. de morb. & sympt. Quippe licèt bilis aut melancholiæ, vel serosæ substãtiæ, plus iusto non generetur, quia tamẽ nõ vt par est expurgatur, redundat & sanguinem adeo vitiat, & naturã laceſſat ad eius per intestina pulsum. Cõtingit autẽ id, vel quia renes nõ trahũt, aut vię manẽt obstructæ, & sic de vesica fellis, & de splene, vt quisq; sciat quã causam immediatã sortiatur, quiuis humorũ prouentus, siquidẽ iuxa ipsam & non solũ iuxta humoris copiam, ratio curandi instituẽda est. Secũdo verò sanguis vitiatur, dũ ipse, aut quiuis prædictorum humorum qui iam geniti sunt, vi iecoris, siue in magna, siue in parua quãtitate sit, corrumpitur, vritur, putrescit, refrigeratur aut quouis alio modo vitiatur: quod sanè potissimè ab intemperamento vasorum aut humorum, qui ibidẽ continentur, contingere potiùs, quàm innati caloris & humidi parenchymatis vitio, est arbitrandum: haud secus quàm in lebete, si quid ad ignẽ coquatur, ignis quidem est coquere, quod verò coquitur hoc vel illo sapore, odore, aut quauis alia spurcitia affici, vasis quidem solius, aut eius quod præter naturam in eo continetur vitium erit. Sic profectò putredines, vstiones, crasities & quæuis alia humorum vitia, ab intemperamentis vasorum, ab obstructione & improba distributione, nec non ab spurcitia prauorum succorum, qui ibidem præsunt & infarti in tenuibus vasculis sunt, proculdubio prodire credendum est, potius quàm ex innata parẽchymatis sanguificandi potentia. Itaque essentiale sanguinis vitium quale hepaticam dysenteriam generat, ab innati caloris ipsius parenchymatis defectu prodit: reliqua verò sanguinis vitia ex quauis intemperie vel ipsius, vel vasorum. Quibus suppositis, sit huius dubij enodatio & conclusio: hanc nimirum esse differentiam inter hæc tria vitia, videlicèt sanguinem esse crudum seu dilutum, & vitiosis aut copiosis humoribus plenum, & corruptum ac deterrimum post sui generationem redditum, quòd hæc duo vitia proxima, citra facultatis sanguificæ euidentem iacturam fieri possunt, sola mutatione & intensione aut remissione qualitatis temperamenti iecoris, eo ordine quem nuper adduximus: at sanguinem prout est quarta substantia, aut non fieri, aut diminutè fieri ab his qualitatibus est impossibile, nisi ipsamet sanguifica facultas languida fiat (etiam si sanguis vitiatus prout est quarta substantia fiat, quòd sanguificam facultatem prædicta intemperamenta quodãmodo interturbẽt & impediant) quod esse nequit nisi intemperies (vt inquit Gale.) immoderata fiat: dixerat enim omnis immoderata discrasia deijcit actum propriæ virtutis, non quæuis (licèt alijs humoribus gignendis sit idonea) sed immoderata, quæ non solùm qualitates tẽperamenti vitiet & euertat, sed ipsammet substantiam innati calidi, & eius humidi imminuat: ad cuius defectum, calorem fieri frigidiorem cum deperditione substantiæ necessum est. Et hæc est ratio præcipua, qua causonis caliditas, depopulata calidi substantia, hydropem generat, & immodicæ vacuationes aut causæ dissoluentes, vel impensè refrigerantes, idem, & hanc hepaticam dysenteriam. Ratio potissima est, quia sanguifica potentia, quæ in hoc sita est, imbecillitatur calidi substantia dissipata, non solùm alterata, vt in reliquis sanguinis vitijs & pseudohepaticis dysenterijs dictum est fieri. Quibus constare arbitror nõ solùm huius affectus naturam, conditionem & differentiam à reliquis sui generis, sed etiam longè dissidere, modo causæ & impressione eius, necnon & difficultate curationis, cùm videatur quodammodo hecticæ affectioni persimilis, non solùm quoad habitum, sed quia in deperditione humidi & calidi substantifici sita est, vt illa.

Causarum signa.

Verùm quia optimi & optati finis, ac felicioris euentus ratio maximè sita est in

in cauſarum cognitione,ob id eas ad vnguem diſtinxiſſe opus erit. Noſces huiuſmodi affectionem futuram & imminentem,& iam iã incipientem: tum ex vrinis ſandaracis modo rubentibus,& deiectionibus loturæ carnis ſimilibus: poſt etiam ijs quæ picem liquidam referant: atque interdum putreſcente materia,quæ infirmitate viſceris tardiùs excernatur, & inde eroſa vena ſanguis meracus per inteſtina deijcitur. Adeſt & intemperies calidior,vnde viſceris imbecillitas,bilioſa deijcit, ac multis ſtatis temporibus profluuia commouentur:nonnunquam infarta bile anguſtijs vaſorum,quibus gibbæ cauæ committuntur,craſsior bilis & grauiùs olens deijcitur,nonnullis euomitur. Noſces hanc dyſenteriam iam præſentem & vigentem plurimùm,quòd eius excrementa ſimillima ſint loturæ carnis recenter mactatæ, in reliquis verò ſecus. Item noſces ex parenchymatis ipſius iecoris vitio & ſanguificæ potentiæ imbecillitate fieri, quia crudior excernitur ſanguis,tãtum inchoationem ſanguificationis præ ſe ferens: ab alijs verò partibus,vaſis nimirum & vitioſis eorũ ſuccis, non quidem crudus aut dilutus, ſed fœtidus, craſſus,prauo colore affectus,vel mille alijs vitijs conſpurcatus. Noſces tamen crudum ſanguinem ex imbecillitate à calore diſsipante innatum calidum,proficiſci,quòd præceſſerit calidorum vſus,ardens aliquis affectus in iecore,vel in corde,vel in toto corpore. Item ex corporis macie,febricula leui, celeriori pulſu, excrementorum graui odore, ex ſiti,ex vigilia,ex oculorum cauitate & totius corporis calore, & quia excrementa frequentiùs & minutiùs excernuntur. Prætẽrea noſces ex innati caloris imminutione fieri,quòd præceſſerit inſignis vacuatio ſanguinis, vel alterius humoris,ſiue copioſa fuerit,ſiue diutina: hæc enim imminuit calorem ipſum & ſpiritum, ac propriam ſæpe iecoris ſubſtantiam diſsipando conterit. A frigido ipſius viſceris intemperamento,quòd innatum calorem extinguat, prodire diſces: ex prægreſsis etiã cauſis, nimirum ex frigidorum vſu,vel immodico potu niue refrigerato,præceſsit frigidus affectus vel diutinus,adeſt pulſus tardus,item vrina cruda,& frequentiùs craſſa ob admixtum craſſum ſuccum & flatum: laborans omnino caret febre,parum à naturali ſtatu mutatus conſpicitur, aut in album colorem mutatur,excrementa tardiùs ſed copioſiùs excernuntur. Verùm ſi humores qui in vaſis præſunt,praui ſint & vitiati, & vaſa ipſa ac iecur in calore diſtemperata, id noſces,quòd color faciei & vniuerſi corporis flauior ſit, pulſus ſunt celeriores & vrina flauior,deiecta adeſt appetentia,ſitis vehemens quæ nullo potu ſedatur ex affluxu bilis in ventriculum & inteſtina,faſtidium graue, & excrementum aliquando ſubnigrum, ſplendens,opimum,pingue & æruginoſum, corpus inquietum ex motu & putredine humorum:adeſt & febris manifeſtior, ac excrementa aliquãdo bilioſa admodum,crocea,mordentia & ſanguini pauco admixta. Adſunt præterea(vt ex Galen.conſtat.8. pharmac.loc.cap.7.& 5. de locis affect.)vomitus viruleti & æruginoſi ex iecore colliqueſcente,veluti in febribus peſtilentibus contingit,nam videtur iecur in cruentas ſanies abire,à quo veluti particulæ quædam excernuntur fœtidiſsimæ. Adeſt & linguæ ſcabricies,& corporis ingens macies, ac veluti colliquari hominem cernes: ſunt enim deiectiones frequentiores cum anxietate,animi deliquio & maxima virium exolutione.Refrigerata eſſe omnia hæc vaſa,humores ac iecur,& ob id quod generatur vitiari eo intemperamento, diſces ex colore albicante aut cinericio,ex tardo pulſu, ex nulla febre, ex vrina alba ſed aliquando tenui,in quibus deiectio copioſior eſt,ſed tardior, citra odorem prauũ, aut ſaltem longè diuerſum ab eo quem calor concitat, durat tamen affectio diutiùs,licèt per interualla repetat,& eo tempore copioſiores fiunt excretiones, & aliquan-

aliquando nigro ſanguini perſimiles,qui neque ſanguis re vera eſt neque grumus, ſed veluti limus quidam ſanguinis craſsi, qui prope ad melancholiam accedat: item praui & varij colores plerunque in hac excretione apparent. Sic autem affecti faciem habent integrã, & intenſam ciborum appetentiam: quòd ſi obſtructio adſit (quod frequenter accidit) febris quoque, ſed lenta ſuccreſcit: ſitit laborans, ſed potu ſedatur,& ab eo frequentiùs excernit,& deteriùs ſe habet:humores item fiunt craſsi,cõtumaces,crudi aut ſemiconfecti. Verùm ſi his acceſſerit ſicca intemperies,rectrementa ſicciora aderunt, corpus ſiccius & tenuius, deiectiones paucæ & craſsiores: quemadmodum ſi humiditas ſuccreſcat, copioſiores, liquidiores,& aquoſiores, citra vllam ſitim aut linguæ ſiccitatem.

Hepatica dyſenteria incipiens difficulter curatur:inueterata & in ſenibus ferè nunquam. Incipit aliquando ab alui bilioſo & erodenti fluxu, quem iecur in febribus ardentibus & malignis ad inteſtina tranſmittit, poſtea verò in ſanguinolentum & fæci ſimilem degenerat,& aliquando ſine febre inuadit, poſteà verò putreſcente ſanguine, & ob id craſſeſcente, febricula incipit cum prædicto fluxu, & protinus nullis cædens præſidijs in mortem commigrat, Medicis febriculam cõtemnentibus. Commigrat periculoſiſsima hæc affectio ſæpiſsime in tabitudinem, & hecticam febrem,ac plerunque in malum corporis habitum & hydropẽ. Quæ ſanè mala non vtcunque & à quauis prædictarum fluxionum indiſtinctè prouenire eſt credendum, ſed hydropem & malum corporis habitum ex legitima & exquiſita hepatica,quæ ex crudiori fit, ob ipſius imbecillitatem,ſanguine, quem venæ vel renuant attrahere,vel à ſe pellant,& ob id per meſeraicas ſeſe natura exonerat,prædictum fluxum cõcitatura: quòd ſi quæ eius portio per venas eat,membris minimè valentibus in propriam ſubſtãtiam commutare,in malum habitum, & ab eo in hydropem facillimè commigrat. Verùm cùm vala & cõtenti ſucci,ſanguinem & naturales humores,quos iecur generat, vitiant & conſpurcant, ſi calidum ſit intemperamentum huius vitij cauſa,facile eſt in habitualem febrem decidere hominem,tum ob id, tum etiam ob colliquationem quæ huic cauſæ ſemper adiuncta eſt: humores enim acres & mordaces,niſi iudicatoriè excernantur,haud ſecus quàm nigra bilis,periculum ſæpiſsime minari ſolent. Si tamen frigidum ſit craſſumue & fæculẽtum quod gignitur,corpore id renuente, facile eſt hominem atrophia contabeſcere:quæ omnia neceſſe eſt noſſe diligenter, & prudenter præcauere. Præter quæ mala,docet inſuper mortem inſtantem iam noſſe Hippoc.lib. 6. de Coacis.tex.21 dicens. Quibus hepaticis ſputum cruẽtum, ſiue ſubputridum ſiue bilioſum meracum,ſtatim lethale: Nec mirum videri debet ſi ex ſputo de hepatico præſagiat, ſiquidem grauiſsimum cenſeri debet malum hoc ex viſcere in viſcus migrare. Tribus enim de cauſis ſanguis in hepaticis vi adaucti morbi expuitur, venarum videlicet infirmitate, quòd iecore malè affecto pariter infirmentur & condoleſcant: ſanguinis etiam praua qualitate, qui per venas delatus in omne corpus defertur: nam cùm in hoc affectu ſanguis ſemper ſit vitioſus,ſi ſeroſior eſt, facilè trãſcolatur,ſi calidior,putreſcit aut vritur,quo venas & partes omnes ad pulſum irritat,maximè cùm ad pulmones feratur:quo tempore tertium ſuccreſcit,nimirum quòd vaſa imbecillia aperit aut rumpit:præcipuè quia ſanguinem eum cõtingit eſſe ſeroſum & rubrum,vt cùm iecur frigida afficitur intemperie, aut putridum propter moram, vel bilioſum meracum propter intemperiẽ calidam: quo fit vt neceſſariò lethalis fiat affectio, quia magnum eſſe affectum oportet, in quo neque hepar per loca conuenientia expurgari poteſt, & partes ſupra ſeptum omnes in con-

Præſagiũ.

in conſortium mali adductæ ſunt.

Curandi ratio. Curandi ratio neceſſariò varia futura eſt, vt variæ ſunt hepaticæ dyſenteriæ ſortes: nam ſpuriæ, quæ primo loco ſe ſe nobis offerunt curandæ, nonnunquam ex intemperamento ipſius iecoris fiunt, quo ſpurciſsimi gignuntur humores: aliquando ex vaſorum intemperie & humorum ibidem exiſtentium vitio, quo variè etiam affici poſſunt, qui denuo à iecore generantur: dimitto abſceſſum diruptum aut vulnus, è quibus ſanguinolentum pus non rarò in ventrem fœtidum inſtillat. Quapropter cuiuſque oportet meminiſſe & curationem ſcribere, antequã verã aggrediar hepaticã, cui pauca his curatis ſuperſunt dicenda, nampleraq; ex his illi erunt proficua, vt mox audies & in diſtinctione vnicuiq; præſtita leges.

Sic profectò dum ex calida diſtemperie iecoris parenchyma in ſanguificatione aberrat, haud facilè cognitu eſt quid agendum ſit: hoc vnũ tamen in quauis cauſa obſeruabis, quòd ſi fluxio ob immoderantiam plurimum vrgeat, illi omnino prouidendum eſt his quæ ipſum compeſcant, ſomnum concilent & vires robo rent. Immoderantia fluxus duobus modis venit intelligẽda: vno quatenus pluries & copioſum ſanguinem fundit laborans: altero verò quatenus animo delinquit, aut ſyncope periclitatur quauis excretione, etiamſi neque copia, neque frequẽtia immoderatus ſit fluxus, ſed quauis excretione adeò reſoluuntur ſpiritus, & labuntur vires animales aut vitales, quòd verendum ſit aliquod ex prædictis periculis. Quo tempore alimentis quæ citò reficiant, res agenda eſt: cuius naturæ vinum eſt, & ſtillatitij liquores ex carnibus, & iuruleta omnia, & ea que cor & cerebrũ roborẽt alexipharmaca: cauere enim omni eo tẽpore oportet ab omni medicamẽtorũ vſu, ſat enim eſt vires reficere. Quòd ſi fluxio immodorata fuerit, vteris protinus bolis qui recipiant ſacchari roſarum rubrarum ʒ.ij. trochiſcorum de karabe, & de ſpodio. ana. ℈.j. miſce, & bis die porrige: eoſdem trochiſcos diſſoluere poteris in ℥ j. ʃ. ſyrupi de roſis ſiccis. cũ ℥.j. aquæ plantaginis. Eadẽ medicamẽta paratis cũ trochiſcis de bolo Armeno, de terra ſigillata, de corallo & ſimilibus. Nec diſplicet in præcipite caſu ℈.j. philonij cũ ſaccharo roſaceo præbere. Præſtat etiã, dũ vires aliquo modo recreari reficiq; incipiũt, rhabarbari modicè expreſsi ʒ.ʃ. aut ℈.ij. cũ ʒ.ij. ſacchari roſarũ prorrigere manè ante prandiũ: item poſtea ſequenti die idem præſtabis, ſed integrum rhabarbarum, irroratum tamen aqua plantaginis. Quòd ſi febris adfuerit, vireſque conſtiterint, ſaluatellam tundes, extraheſque pauca ſanguinis, & per vices, quo maior fiat reuulſio, cauens ne id aggrediaris præmiſſa copioſa ipſius per ventrem profuſione, quippe tũc maximè cauebis, ſicut dũ humores admodum ſunt vitioſi & aduſti, ſatius enim eſſe eo tempore arbitror, frigidis tum cibis, tum medicamentis vti, aut minutis purgationibus ex rhabarbaro. Quibus factis amylo cum aqua hordei aut farre veteris, vel panatellis ex pane loto, ac iuſculis refrigerantibus & nutrientibus, poſtea tamen quid cum iecore agendum ſit, conſiderabis. Nam quamuis ex calida cauſa oriatur, non licet vtcumque ipſum refrigerare, quòd imbecillitas ipſa maior ſubinde ſperanda ſit: quia cũ à defectu & reſolutione innati caloris fiat, potiùs temperatis quàm frigidis ad priſtinum ſtatũ reducenda eſt: à frigidis enim qualia caliditas præternaturã expoſcit, extinguetur potiùs ex toto innatus & puſillus ille calor, & potentia concidet ampliùs quã refici poſsit: quare præſtat tũ alimenta tũ medicamenta, quæ mediocriter frigida ſunt, aut ex vtriſq; cõmixta porrigere, hoc vno priùs conſiderato, nimirũ longè aliud eſſe hunc affectũ curare dũ prouenit ex calido intẽperamento humorum ibidẽ exiſtentiũ, & hepatica eſt illigitima: aliud verò dũ iecoris corpus orbatum

batum eſt innato calore ab impenſa & extranea caliditate. Quippe in hac vltima cauſa, ſat eſt temperatis vti, quæ & calorem adauctum remittendo compeſcant, & innatum intendendo fouendoq; adaugeant: in illa verò humorum & vaſorum caliditate audaciùs licebit vacuare & refrigerare, nondũ enim calor ad intenſionem imbecillitati efficiẽdæ aptam deuenit. Primò itaq; partem fouebis è regione ſitus iecoris ex roſaceo & omphancino oleo, in quibus abſynthij coma vel dactilũ incoxeris: fiat etiam ex oleo cydoniorum & ex oliuæ folijs cum ſanthalis, corallo & puluere roſarum. Parti etiam adhibeatur linimẽtum ex cerato ſanthalino in oleo cytoniorum diſſoluto, cum pulueribus ſquinanti, roſarum, coralli aut diarrhodonis, vel ex ſolo ſanthalino cum pulueribus roſarum & guttulis aceti. Præſtat etiam & idem ceratum ſanthalinum toti hypochondrio dextro appoſitũ, ſicut vnguentum roſarum & ſanthalinum cum oleo abſynthij, maſtichis & cytoniorum, additis pulueribus coralli, roſarum & margaritarum aut triaſanthalorum. Proſunt & fotus ex aqua ferrata aut deaurata cum roſis, abſynthio & mentha, & ſuccis cichorij aut ſcariolæ cum guttulis vini aut aceti, gratia penetrationis. Interiùs verò ſumat decoctum radicis cichorij in quo in fine decoctionis maduerit coma abſynthij Pontici, & parum antè tabellã electuarij ſanthalini. Confert & ſuccus intybi cum hordei decocto & ſaccharo, aut aqua lactis cum modico melle & abſynthio. Iecur etiam roborabit & eius intemperiem compeſcet electuarium quod recipit puluerís diarrhodonis ſine muſco, triaſanthalorum & diamargaritonis frigidi. ana ℈.j. raſuræ eboris. ʒ.ʃ. cinnamomi electi & cornu cerui. ana. ℈.ʃ. ſacchari roſacei quantũ ſit ſatis, fiat electuarium, cuius. ℥.ʃ. ſummo manè ſumat cum aliquo ex prędictis potibus. Exteriùs quoq; apponies iecori id qđ recipit puluerís roſarũ rubearũ & ſanthalorũ rubeorũ, cyperi, iuncí odorati. an. ℥.j. cũ ſucco agreſtę & puluere diarrhodonis põdere. ʒ.ʃ. cõponito. Itẽ eidem parti apponitur diaphœnicũ emplaſtrũ hac lege confectum: R. carnis dactilorũ nondum ad maturitatẽ peruenientium. ℥. iiij. puluerís roſarum, ſanthalorum rubeorum & citrinorum, acaciæ, iunci quadrati ana. ʒ.iij. farinæ hordei. ℥.iij. ſpodij. ʒ.j.ʃ. cum aqua roſacea & plantaginis confice. Confert & in febribus ardentibus epithema eidem parti appoſitũ confectum ex ſucco portulacæ, plantaginis, polygoni & pampinorum vitis; quibus puluerẽ ſanthalorũ, roſarũ & iunci prędicti inſpergito. Ex vſu quoq; eſt potus cũ vino dulci exhibitus, qui recipit puluerís intybi & cichorij. an. ℈.ij. ſeminis ſecuridicæ. ℈.j. cinnamomi. ℈.ʃ. det. ʒ.ʃ. Curandũ etiã eſt, vt Gal. 8. pharmac. local. c. 7. ſcribit, nullo modo impẽſè, neq; vltra mediocritatẽ, aut ſine calidorũ miſcela in hac affectione refrigerare: vtendũ tamen eſt ſcariola, cichorio, intybo, ſeride & ſimilibus, tũ in cibis, tũ eorũ ſucco cum ſaccharo aut melle, tum etiã extra ſupra inunctiones appoſitis, aut vnguento aliquo admixtis, quia facultatẽ habẽt modicè frigidam, ſubamaram & adſtringẽtem, quibus robur viſceri additur, & calor miteſcit, ac vaſorũ oſcula cõprimuntur. Quapropter à pleriſq; veterũ laudatur id medicamentũ quod recipit radicis chamæpyteos. ℥.ʃ. radicis cichorij. ℥.j. contundant & melle cocto excipiãtur, & laborãti porrige magnitudinẽ fabæ cũ modico aquæ calidæ: præſtat ſenecionis decoctũ, aut trifolij acidi ad tertias cũ ſaccharo: laudãt etiã aquã ſaccharatã filicis radicib⁹ decoctã, itẽ medicamẽtũ qđ recipit radicis chamępyteos. ℥.j. radicis cichorij. ℥.ij. ſquinãti. ʒ.ij. coquãtur in li.iiij. aquę ad medietatẽ, & facta colatura p manicã Hipp. cũ ſacchari albiſsimi. ℥.j. cinnamomi. ℈.ʃ. porrige. ℥.iiij. Maximi etiã momẽti fertur eſſe ſyrupus qui recipit ſenecionis, agrimoniæ, cichorij & intybi. an. m. ʃ. glycyrrhizę. ʒ.j. ſeminis aniſi, petroſelini & fœniculi. an. ℈.iiij. cinnamomi, ſpicæ

celticæ.ana.ʒ.ß.fiat decoctio ad quartas.iij.in colatura dissolue sacchari.ʒ.iiij.mel lis.ʒ.j.fiat syrupus.Tanquam peculiare secretum multi existimant.ϑ.j.aut.ʒ.ß.phi lonij semel in septimana exhibitam, magni fore momenti. Sed mirabitur forsan quispiã,cur ordine verso,huius affectus curationẽ aggressus fuerim,à topicis&ex ternis auxilijs initiũ sumens:quod sanè fecimus quia affectio plerunque ex calido aliquo morbo,qui nuper præcesserit, aut ex ingenti euacuatione originem traxerit: vbi coniectandum est,præcessisse vel vniuersales vacuationes, vel saltẽ eis non esse tunc opus,si sola est intemperantia.Verùm si cum hoc constiterit aliquid præ ter naturam succrescere ipsis vasis iecoris, rhabarbari masticati vsus,aut diluti in aqua lactis vel succo seridis vtilissimus censetur:præstat & confectio Hamech. sim plex cum modico rhabarbaro,super bibito sero lactis: præstat & vsus sacchari rosa ti quarto quoque die cum modico rhabarbaro vel puluere corticum mirabolano rum citrinorum & chebulorum. Sed preciosius arbitror subsequuturum auxiliũ, ex vsu stillatitiæ aquæ arte chimica ex rhabarbaro extractæ, cui ob subtilem sub stantiam vis inest permeandi ad penitiora iecoris,& præter purgationem roborare atque firmare ipsum:ex vsu quoq; est tertio quoque die tabellas diarrhodonis du plicato rhabarbaro cum aqua absynthij seridis vel senecionis præbere.

At si frigidus deprauatusq; succus malo causam præstent, paulò liberaliùs calfa cere oportebit,cum hoc tamen cùm iecur membrum princeps sit,non adeò oportet calfacere,ne pusillus ille calor dissipetur. Sic profectò prædicta medicamẽta ex vsu quoq; huic affectioni erunt,si loco sacchari mel aut vinum addideris: quapropter mulsa ex medicamentis & aromatis confecta licebit vti; maioribus etiam ac frequentioribus purgationibus adhibitis,quàm in præcedenti causa, quòd in hac maior crudorum copia congeratur,quæ vel in obstructionem, vel in maiorem flu xum abitura est,si permittatur: qualia autem futura sint pharmaca huic vsui pro ficua mox leges:namque cùm frigiditas adeò crescit,quòd ipsum calidũ remittat, præter id quòd crudorum pituitosorumue succorum maximus fit prouentus, in hepaticam spuriam commigrat,quòd plerunque obstructio accedat, quæ vitiatis corruptisue his succis in prædictã hepaticam degeneret. Quapropter veræ hepa ticæ curatio,vt spuriæ ex frigiditate instituẽda est,in quo tamẽ differat,mox leges.

In altera verò dysenteriæ hypaticæ specie,quam spuriam appellamus,quòd hú mores gignat acres, bilioſos & mordaces ob calidum aut nõnunquam frigidũ in temperamentum in vasis totius corporis aut ipsius visceris, malo causam præstare credendum est. Quippe hęc affectio ea prorsus natura & conditione existit,quam diximus esse dysenteriã,quæ solet splenecticos aut maniacos liberare, & ea nimirũ sanguinis excretio,quæ cũ humoribus vitiosis & corruptis efficitur. Vnum tamen habet hoc calidum humorum & vasorum intemperamentũ peculiare,quòd facta primitus succorum euacuatione,liberaliùs refrigerari desiderent(dũmodò ea quę ab infartu liberant & tenuium sint partium,eis admisceamus) quòd humores qui supersunt à purgatione,plus obsistant refrigerãtibus, quàm quòd ab eis possit lædi parẽchyma: & ob id si constiterit bilioſos,vstos aut putrefactos ibidẽ esse infartos, protinus ex infuso rhabarbari purgabis bis ac sæpius, donec cõstet iecoris & vena rũ eius spurcitiam depositam esse. Quòd si his factis adhuc constet,vasorum ora ab humorum acrimonia nimiũ morderi & excitari,tunc profectò dormituro laboranti ϑ.j. philonij cum conserua rosarum porriges bis in hebdomada, aut syrupum de papauere cum succo granatorum acrium & aqua lactis, vel syrupum portulacæ & violarum cum aqua capitum rosarum deaurata aut ferrata. In quo etenim casu liberaliùs

liberaliùs etiam syrupis & apozematis refrigerabis, vt postmodũ porrigere possis, conseruæ rosarum, borraginis aut violarum.ʒ.ß.cum ϑ.j. pulueris boli Armeniæ, vel terræ sigillatæ,coralli præparati,rosarũ siccarum,crystalli, eboris, ossis de corde cerui,seminis oxalidis,agrestæ aut similium. Verùm si maximam sentieris humorũ vstionem,nõ erit ab re vsus aquę lactis cũ folijs sennæ & pulueribus crystalli: præstat & ipsum crystallum cum aqua pluuiali & ferrata, vel ea in qua extincta sint frusta alabastri. In quibus proculdubio humoribꝰ summopere ex vsu fore arbitror, aquæ dulcis tepidæ balneum bis terue in hebdomada præstitum. Iuuant& clysteria ex lacte,ex ptissana,ex decocto hordei,rosarum & papaueris cum oleo nenupharis,ro sarum,de cucurbita aut violarum,additis mucaginibus psyllij & cytoniorum.Pro derit & paulatinam ex infuso sennæ repetere purgationem, aut ex casia fistula cum g.viij. philonij,vel ex confectione Hamech simplici cum modico rhabarbaro,vel ex infuso eius in aqua lactis cum syrupo ex infusionibus violarum.Exteriùs tamen dorsum & iecur refrigerabis vnguento resumptiuo,rosarum,refrigeranti,aut è cucurbita,& iecori etiam quæ superiùs diximus, adhibebis.

Frigidæ hepaticæ curatio.

Quòd si causa & id quod cruentum per aluum excernitur,frigiditatem & inna ti caloris defectum atteſtentur (ex primo enim hepatica frigida, sed illegitima,ex secundo verò legitima prodit)consimilem ferè curationẽ desiderat: quippe in po sitiua frigiditate vacuandum magis est,& roborandum minus: in caloris verò in nati defectu roborandum summopere, & calfaciendũ moderatè ac euacuandum nihil.Quapropter præmissa crudorum humorum præparatione,modicè calidis & his quæ sanguinẽ coquant, rhodomelle, hydromellite ex aqua cinnamomi & ab synthij vel origani cũ modico oximellite, purgationẽ institues ex agarico & rha barbaro cũ passularũ Corinthiarũ carne, vel ex syrupo infusionũ cum folijs sennæ & decocto agarici,turpeti vel cartami,vel cũ pilulis mastichinis,vel eis quæ ex rha barbaro,mastiche,agarico,aloë & hiera cõficiuntur. Prætereà id porriges quod re cipit nardi celticę.ʒ.vj.absynthi.ʒ.ij.cinnamomi.ʒ.ß.in puluerẽ subtiliter redacta, melle excipe & electuariũ confice, aut hæc eadẽ aqua decoque & mellicratum fa cito. Præstat etiã electuarium diarrhodon ex triplicato rhabarbaro: prodest & vinũ in quo ferbuerint absynthiũ,eupatorium,cinnamomum,spica celtica & id genus. Magni etiã est momenti electuariũ ex vino,quod recipit passularum mũdatarum ʒ.iij croci.ʒ.ß.calami aromatici.ʒ.j.&.ß.bdelij.ʒ.j.casiæ.ʒ.ij.&.ß.cinnamomi.ʒ.iij. spicæ celticæ.ʒ.ij.mirrhæ electæ.ʒ.iij.terebinthi.ʒ.iiij.squinãti.ʒ.ij.&.ß. mellis ʒ.ij. vini quod sufficiat vt fiat electuariũ. Valet & fisticorũ cortex si in puluerem rediga tur & cum vino nigro singulis diebus porrigatur pondere.ʒ.j.ß. Præstat & syrupus ex absynthio,ex mentha,ex corticibus citri,de fumaria,de bysanzijs cũ additione, & de eupatorio. Item aromaticum rosaceum,diaciminon,dianisson, diarrhodon, diacalamintha,theriaca, mithridatũ & maximè vinũ ex his omnibꝰ aut aliquibus cum succo eupatorij feruefactum,&additis aromatis instillatum. Huius conditio nis etiam est iecur lupi præparatum, & carnes coclearum quas multi summopere commendarunt: quem quoq; vsum præstat compositũ Galeni medicamẽtum ex malorũ cotoneorum succo,in fine.6.lib.de sanit.tuẽda summopere cõmendatum. Efficacissimũ etiam est aliud quod recipit seminis anisi,fœniculi,apij, plantaginis ana.g.iiij.costi,glyzirrhizæ.ana.ϑ.j.casiæ ligneæ,cinnamomi.ana.ϑ.ß.vuarũ passa rum.ʒ.iij. acori, spicæ, calami aromatici & squinanti. ana.g.iij.cornu cerui vsti & amygdalarum amararum.ana.ʒ.j. seminum melonum.ʒ.iiij. sacchari dissoluti in aqua rosacea, quod sufficiat vt formentur pastilli, quorum vnum sumat laborans

ventre ieiuno. Quòd si nimis crassum viscidumque & pressiùs iecoris vasa obstruentem noueris humorem, syrupis aut apozematis, quæ superiùs tutò posse porrigi diximus, admiscere oportebit mellis,aut oximellitis squillitici modicum: tandem his pharmacis vteris,quæ ab infartu & obstructione liberãt: item eis quæ leniunt & inscindunt,quibus humorum inclementia & durities mitescat: etiam ijs quæ abstergant & adstringendo roborent, vt non solùm causam illidant, verùm & fluxioni prouideant: præterea his quæ siccant,& putredinem inhibeant. Penetrationem enim præstant cyperus,squinantum, crocus, iris, & aromata ferè omnia:leniunt ficus,passulæ,vinum granatorum dulcium,& vinum omne dulce: abstergit mel, aqua mellis,terebinthina & aqua hordei: inscindunt quæ acetosa sunt:roborant absynthium,eupatorium,rosa, spica & etiam squinantum: præseruãt à putredine cinnamomum,casia lignea,nardus & iunctus odoratus. Verùm si hæc omnia adhuc prodesse non videantur,ad balnea sulphurea ægrum asportare oportebit:hæc etenim calore prosunt intemperatis ex frigore membris,& resolutione quod genitum est euacuant,tandem siccant & roborant. Id quidem facies tentatis priùs frictionibus, inunctionibus,ac fomentis ex vino aut ex aqua,& aromatis cum absynthio,mentha & radicibus ebuli aut ireos, factis etiam inunctionibus ex oleo in quo ferbuerint prædictæ radices,item sambucino, nardino, de angelica,de absynthio,lentiscino,de abiete & balsamo. Parabis etiam aliud quod recipit succi eupatorij, marrubij & fumariæ. ana. ʒ.iiij. asari, spicæ nardi & celticæ ana.℈.j.cinnamomi,iunci odorati & ligni aloes.ana.℈.ß. olei rosacei & de absynthio vbi priùs ferbuerint radices ebuli & ireos confractæ. ana. ℥.j.&.ß. ceræ quod sufficiat,& aceti parum fiat vnguentum.Quòd si minimè malũ cedere videatur, & constet præhumidum esse iecur,supra eius regionem magni fore momẽti arbitror setonem affigere,qua parte expiret quod in ipso humidius est & actionem viciat:& pari pensu id facies supra splenem ipsum,si vel obstructum esse,vel in attrahendo vel in digerendo fæculentos humores,pigrum persenseris.

Vera hepatica curatio.

Quòd si dilutus sanguis excernatur, constetq; nullo alio vitio conspurcari, sed iecoris calorem modò ab impenso calore dissipari,absumiq; eius substantiã,modò diutinis & vehementioribus vacuationibus euanescere & imminui(quibus legitima hepatica propriùs efficitur) tunc quidem à vacuãtium auxiliorũ vsu abstinere oportet (ni quid simul vitiosum redundauerit, cuius occasione leuiter & leuibus medicamentis vti cogaris) sed omni arte iecur reficere roborareque opus erit, & adaucta calidi innati substantia, ad antiquum temperamentum reducere. Quibus sanè vsibus exequendis adhibere necessariò oportet, non quæ calfaciant, licèt affectio ex frigidarum sit forte,nec rursus quæ refrigerent, etiamsi abæstuanti calore principium sortiantur,sed quæ vel reficiendo calfaciant, vel modicè calfaciendo reficiant. Namque in hac affectione, haud secus quàm in atrophia & corporis tabitudine substantiam innati calidi potiùs augere oportet, quàm qualitatum deficientium augmentum exequi. Sic profectò,alimenta medicamentis,aut medicamenta alimentis, ea arte & industria parare condireque oportet, qua citiùs in iecoris substantiam vertantur: ex quorum conuersione maior ipsi succrescit caloris copia, & sic lentè facto eius augmento, reliqua cibaria commutare faciliùs erit. In quo opere aliqua mihi sese offerunt exequenda, quæ ratione & experimento probata habeo: primum sanè est, inter cibaria semper vnum porrigere, quod iecoris substantiæ & naturæ sit simillimum, idque condire eis medicamentis quæ intemperamento in iecore contracto sint contraria: cõfert & vinum Hippocras

Hippocras si causa quæ præcesserit, frigida est, verùm si calida,vinum ex agrimonia aut buglossa, vel è floribus rosarum maturis & maceratis aqua intybi. Huius profectò naturæ sunt hepata primò testudinum & sanguis earum, anseris item aut anatis,nec non & gallinarum,atque etiam pullorum testes,cristæ atque barbæ:ex his enim & sanguine eorundem animalium,varia effingere parareq; obsonia poteris,modò in forma sorbili,modò in solidiori,aut quomodolibet aromatis, cinnamomo,caryophyllis & alijs huius naturæ cõdire,vt gustui gratissima fiãt,& prima mensa sumantur. Sed vtcunque sit, eis admiscere oportet parum pulueris iecoris lupi præparati, & saporis gratia addes,& vt etiam penetrationem, distributionẽ & coctionem sortiantur celeriorem,parum aquæ huius stillatitiæ(quã semper & omnibus cibarijs admiscere oportet)quæ hac lege cõficitur: excipe iecoris lupi recenter extracti & minutim inscisi,sæpiusque aqua vitæ & sale abluti. ℥.iiij. sanguinis testudinis.℥.ij. pulueris santhalorum omnium.℥.j.pulueris squinanti.ʒ.ij. eupatorij viridis semiconquassati. m.ij. rosarum siccarum quæ primò maduerint in aqua cichorij p.ij.pulueris cinnamomi,casiæ lignea,nardi, iunci odorati,calami aromatici,croci & mirrhæ.ana.ʒ.ij.rasuræ eboris, cornu cerui & vnicornij.ana.ʒ.iij.passularum Corinthiarum.℥.vj.theriacæ magnæ, mithridati & confectionis alkermes, liquatorum in aqua vitæ. ana.℥.ß. terebinthinæ abietis. ℥.j. mellis & sacchari.ana. ℥.v.vini albi & rubri odoriferi,& aquæ eupatorij. ana.lib.iij. madescant omnia per tres dies in prædicto vino,& postea,arte chimica per balneum Mariæ instillentur. Huius autem aquę miscelam reliquis cibarijs,magni fore momẽti arbitror,vt quæ penetrationem omnibus sibi admixtis præstare possit,& robur,caloré & attemperamentum visceri conciliare. Itaq; curabis in prima mensa semper aliquid prædictorum ciborum porrigere,& postea quod laborans ex vtilibus cibarijs auidiùs appetierit: appetita enim longè faciliùs & meliùs concoquuntur, dummodo neque crassæ,nec deterrimæ sint substãtiæ.Poteris ante prãdium aut summo manè huius aquæ modicum pane imbutum laboranti porrigere,aut passulas Corinthias prædicto liquore madidas. Idem quoq; beneficium præstat stillotica aqua ex carne testudinum,gallinæ,aut pulli cũ rhabarbaro,corallo,& santhalis. Præstat & vsus pulueris iecoris lupi præparati, cum saccharo rosaceo & cinnamomo factis bolis.Neq; est minoris momenti opiata quæ recipit passularum Corinthiarum mundatarum lib.ß.coquantur ad pultis consistentiam in vino veteri & generoso,transfundãtur setaceo, & colaturæ admisce corticis citri conditi pistati.℥.ß.aromatici rosati.ʒ.j. diamargaritonis frigidi.℈.ij.pulueris coralli & rosarum.ana.℈.iiij. pulueris iecoris lupi.ʒ.iij.electuarij de gemmis.℈.j.santhalorum omnium.℈.ij.misce & fiat opiata, cuius cum vino sumat laborans.ʒ.iij.Quòd si iecur his omnibus factis adhuc humiditate inundare videatur, non erit abre rhabarbari masticati vsus, siue in tabellis cũ saccharo exhibitus aut rosaceo saccharo admixtus.Ex quibus auxilijs facile erit viro docto & mente exercitato,varia effingere medicamenta & præsidia,maximè si diligenter euoluerit caput de hepatis imbecillitate, vbi hæc & externa præsidia fusiùs tractantur. Exteriùs verò iecur curãdum est roborare,tum his quæ superiùs diximus,tum mirabili quodam vnguẽto quod recipit olei hepatis galli. ℥.iij.spicæ nardi,squinãti,asari.ana.℈.j.mastichis,bdelij,myrrhę,styracis.ana.ʒ.ij.ac si durities scirrhosa adfuerit,addes terebinthinæ abietis.ʒ.v.vini maluatici modicũ,ceræ citrinæ quantũ sit satis vt fiat vnguẽtum. Aliud itẽ conficies nõ minoris momẽti quod recipit hepatis lupi numero.j.coquatur in oleo amygdalarum dulciũ, cui adde radicis iridis.℥.j.colentur & in colatura adde propoleos.℥.iij. styracis,bdelij,myrrhę,

ammoniaci. ana. ʒ.iij. ſpicæ celticæ & ſquinanti. ana.ʒ.j. fiat vnguentum quo illiniatur induratum hepar.

De colico dolore. Caput. XV.

COLVM inteſtina in tenuia & craſſa diſſecuiſſet natura (hæc vt recrementa ſuſciperent, craſsiori duplo tunica conſtantia, præter id quòd cauitate maiori perforantur: illa verò vtroque modo tenuia, continendis alimentis mille modis idonea) craſſorum, quod penultimum eſt prope rectum exiſtens, inter alias affectiones quas pati poteſt, acerbiſsimo quodam dolore premitur: qui dolor à nomine ipſius inteſtini denominationem ſumit. Eſt igitur colicus dolor vulgaris & notiſsima affectio, quæ conſiſtit in immaniſsimo dolore partis dextræ inferioris ventris, qua parte habitat colon ſeu laxum inteſtinum, à quo morbus colicus ſeu colica affectio appellatur. In huius enim inteſtini ſitu, differre quodammodo videntur Paulus lib.3.cap.4.& Galen.lib.5.de locis affect. nam Galen. refert inteſtinum hoc prouenire à parte dextra, ireque ad ſiniſtram, Paulus contra à parte ſiniſtra ad dextram. Quorum ſententiæ iudicio noſtro, licèt primo acceſſu contrariæ videãtur, nullam habent repugnantiam: nam Galen. incipit numerare inteſtinum à parte eius inferiori, nimirum à recto inteſtino, & huius partis ſitus eſt dextra ventris regio, degenerat tamen & tendit in partem ſuperiorem & ſiniſtram, nimirum in gracilia inteſtina: at Paulus principium inteſtini ſumit à partibus ſuperioribus eiuſdem inteſtini, quæ ſunt in parte ſiniſtra, & cincturæ modo ducit inteſtinum ad partem dextram, donec in rectum inteſtinum degeneret. Ex hac enim loquendi varietate prodit, variè ſcriptores ſenſiſſe de ſitu huius inteſtini: ſed re vera cũ colon ſit ſecundum ex craſsi inteſtinis, quod incipit à ſede dextri renis & cõſcendit ad iecoris gibbum, hincq; ſecundum vẽtriculi fundum ad lienis ſedem & ſiniſtrum renem cõplicatur, quaſi zona cingens vſq; ad ſiniſtra, atq; ibi deorſum flectitur vſq; in rectũ inteſtinum, fit profectò vt etiamſi vna ſit particula affecta in hoc malo, varium habere ſitum dolorem non rarò conſpiciamus, maximè ſi flatuoſa ſit cauſa quæ variè per ipſum inteſtinum moueatur. Ex quo conſtat, quòd licèt aliquando iuxta ſplenem & ſiniſtrum renem dolor compareat, aut in ea parte prope rectum inteſtinum (vt Galen. arbitranti ſe calculum pati accidit) aliquando verò & frequẽtiùs in dextera, non ob id credendum eſt, non eſſe eundem affectum: nam aliquando cauſa occupat finem inteſtini huius, qua parte recto adhæret, aliquando verò exortum iuxta renem dextrum & in cæcum inſeritur, aut ab eo vt rectiùs loquar exoritur. In quo ſanè dolore, ſymptoma efficitur acerbiſsimum inſtar infixi pali: atque licèt gracilia inteſtina exactioris ſint ſenſus, ob cauſæ tamen vehementiã & fixionem hic dolor omnium ſequiſsimus exiſtit: ſuperat enim cauſæ efficacia, defectum exactioris ſenſus.

Cauſæ. Cauſas habet hæc affectio varias & difficiles, quæ efficaciſsimæ ſunt grauiſsimos inferre dolores: primò enim vt Galen. refert. 6. de loc. ab humore fit frigido, craſſo, & viſcido, qualis vitrea pituita intra coli membranas collecta, vt ſcripſerat Galen. 12. meth. cap. 7. non quidem, vt nonnulli cenſent, in cauitate, quæ eo quòd glutinoſa ſit, fixum infert dolorem, ita vt perforari videatur inteſtinum: quippe credibile

credibile non eſt, adeò fixos dolores fieri ſolùm pituita adhæreſcente intrinſecus tunicis inteſtini, vt mox latiùs ſum probaturus. Congeritur enim huiuſmodi pituita in vita intemperatis, ocioſis, & vini aut aquæ potoribus, in quibus bilis, quæ expultricis eſt calcar, parum ad eam partem deſcendit, quo neceſſum eſt huius humoris plurimum redundare, imbibique in ipſius inteſtini ſubſtantia: quo fit vt accedente aliqua externa occaſione, quæ vel calfaciat, vel refrigeret, vel dimoueat exagitetue prædictum humorem, proculdubio ſequiſsimi concitentur dolores, idq; ſubitò, quia ſubitò mouetur cauſa dolorem excitatura, quæ diu quieta manſerat & ob id dolorem non excitabat.

Dubitabit forſan quiſpiam, qua nam ratione viuente animali, adeò frigidus in corpore exiſtat humor, quòd poſsit præ frigore (vt nonnulli ſunt arbitrati) adeò acerbos & immanes concitare dolores, cũ alimenta & humores neceſſariò viuente homine, actu calida eſſe oporteat: præterquam quòd intellectus capere non poteſt, quî & vnde tantùm refrigerari hi ſucci poſsint, vt ex continẽtis calore per dies & menſes nõ tepuerint. Quapropter, neceſſum videtur eſſe aliam excogitare cauſam & occaſionem, qua pituita hæc potiùs quàm ex frigiditate hos dolores inferre poſsit. Cui dubitationi dicimus duo. Primum non eſſe præter rationem humorem hunc frigidum in corpore generari poſſe: quia quæ cruda ſunt per diminutam caloris actionem, longè frigidiora euadunt (ita vt acida aliquando ſuperſint) his quæ incocta manent, vt capite de ventriculi imbecillitate & cœliaca, ex Galeno probauimus. Nam vbi humor aliquis propter ſummam cruditatem & ſubſtantiæ ineptam conditionem in alendo, naturæ elaborationem ſuſcipere non poteſt, contemnitur, natura perterrita, neque applicatione calidi agitatur. Quo fit vt exhalante portione aërea, tenuiori calidiorique (ſi quam continet) geletur indies & craſſeſcat magis, donec vitri ſpeciem referat, cum inſigni frigiditate intra calentia inteſtina. Secundò expendere oportet, non eſſe ſolam eius frigiditatem doloris cauſam, ſiquidem diu ibidem perſiſtens, eum non valuit inferre, cùm nõ minus extitiſſet frigidus humor, quàm cùm dolores concitat: quo etiam fit, vt non ſolùm calorificis auxilijs ſedetur dolor: quapropter neceſſum eſt immediatiorem aliam excogitare cauſam & occaſionem dolendi, quam nos arbitramur eſſe prædictorũ humorum motum & agitationem: nam dum quieſcunt inteſtinis affixi, dolorem nullum inferunt, donec moti vim inferant ſubitò & affatim in naturam ipſam, ac per conſequens dolorem. Quod manifeſte conſtat, nam ſubitò ab euacuatione humorum ceſſat dolor, qui ſi ſola fieret alteratione, nec ſubitò inuaderet, nec ſubſideret. Quẽ vſum præſtant ea clyſteria, quę protinus euacuandi pituitam efficaciam habeant ſimul cum caliditate: nam quæ ſolùm calfaciunt, plus ſolent humorem mouere ac fundere, ac per conſequens grauiores dolores inferre. Accedit etiã aliud maioris momenti, nimirum prædictum humorem non per cauitatem, ſed per inteſtinorum venas & poros tranſſumi & in eorum tunicas congregari, idque adeò ſenſim & paulatim, vt nullam ſenſationem nullumque dolorem inferat: verùm cùm ad quantitatem deuenerit notatu dignam, & flatus neceſſariò ex diminuto partis calore eleuentur, neceſſe eſt diuelli tunicas atque diſtendi, & eùm dolorem inferre, tantò quidem maiorem, quantò magis craſſus ille humor à ſe flatus produxerit, quos facilè natura diſſoluere aut pellere nõ poſsit. Detinentur autem ibidem violenter flatus & maiorem cauſant dolorem, quòd prædicti inteſtini tunicæ craſſæ atque denſæ ſint, & frigidi humoris contactu denſiores fiant: inſuper quia ipſe flatus denſus eſt & nubiloſus, donec extenuati & fuſi humores faciliùs

Dubium.

permeent & excernantur vi auxiliorum & naturæ. Ex quibus constare arbitror, hunc humorem non semper hos dolores excitare quantumuis frigidus sit, & intestinis adhæreat, nisi cùm inter tunicas contentus aliqua occasione mouetur, aut à se flatus fundit. Nam si in cauitate intestinorum adfuisset, vtique non ita graue aut forsan nullum concitaret dolorem: atque hæc est potissima differentia inter colicum dolorem & quemuis alium, siue dysentericus sit, & torminosus, vel vtcũque aliter intestina doleant. Nam ob hanc rationem, vt arbitror, colicus dolor innotescit, quia infixi pali, vel terebri perforantis specimen referat (quòd substantiæ illius partis diuulsione fiat) & reliqui intestinorum dolores, vel graues, vel acuti, aut quouis alio modo insigniti appareant, non tamen fixi & veluti perforantes. Qua etiam ratione arbitror, possibile esse ex dolore colico fieri commeatum in paralysim, si pituita causa eiusdem est, & ex flatuoso in siccã hydropem, aliter enim has mutationes fieri esset creditu difficilè.

Secunda verò causa est, retenta (quæ purgari assueuerat naturaliter aut secus) bilis, à qua dolores acutos, sitim, & oris amaritudinẽ prodire est certũ. Verũ sciscitabitur etiam circa hanc causam aliquis, quî fieri possit, quòd cùm hæc longè graviores & acutiores quàm dysenteria proritet dolores, non etiam dysenteriam moueat. Cui dubitationi dicendum est, bilem non prolabi in colicis doloribus per intestinorum inanitatem, sed per tunicas ipsas & earum vasa, haud secus quàm de pituita dictum est. Sic profectò cessat dolor excreta bile, inuiscata verò & inter tunicas paulatim collecta, protinus citra abrasionem dolores concitat acerbissimos: dum verò per cauitatem delabitur, minus graues, sed ob efficaciam & crassitiem sibi adiunctam, atque ob adhærentiam & visciditatem erosionem concitat.

Tertia verò causa est inflammatio, cui proprium est vbicunque sit, dolorem maximum inferre. In qua causa dubitabit meritò quispiam, an ex inflammatione huius intestini possit fieri iliacus affectus: siquidem præter dolorem, adeò magnam efficit viarum angustiam, vt verendum sit ne excrementa sursum remeẽt, haud secus quàm in ileo. Cui dicimus id rarò, cæterum aliquando posse accidere, licèt intestinum illud adeò sit ampli foraminis, vt perdifficile sit credere, ex toto posse inflamatione obturari.

Quarta verò causa est, vt multi censent, fæcum durities & copia adeò grandis, vt præ nimia distensione dolorem nõ leuem inferre visum sit. Hanc enim causam multi ablegare à numero causarum huius morbi studuerunt, credentes in colo intestino non posse adeò grandem copiam excrementorum aceruari, quòd in hunc affectũ prorumpat, vt in ileo, quod mille anfractubus & sinubus scatet: Sed experimentum docuit id quidem fieri posse, vt visum est ab iniecto clystere naturam se à fæcibus liberare, ac protinus dolorem subsidere, vt testatus est Hippo. 3. popul. parte 2 com. 6.

Quinta autem causa flatuosus est spiritus, qui vel in tunicis coercitus, vel in cauitate copiosus, magnam molitur intestinorum distensionem.

Sexta verò est vteri & renum consortium & vicinia, quorum occasione ventrẽ non rarò ea parte dolere acutissimè visum est, vt signis mox ostendam.

Præter has omnes causas, alia non minoris momenti succrescit addenda, nimirum cùm colicus efficitur icteriosus, & color mutatur in pallidum ab effusione bilis acris & mordacis è iecore in eam partem vel illi vicinam: quem quidem censeo non esse verum dolorem colicum dum hac lege efficitur. Cuius præsentaneũ est remedium sanguinis missio ex dextra basilica, non solùm semel sed & bis, vt latiùs

latiùs scriptum reperies capite de ictero. Vltra quas sanè causas, alia non minoris efficaciæ addi potest, licèt rarò succrescat, nimirum lapis in aliquo intestinorum genitus, qui adeò vehementes & immedicabiles concitat dolores, vt nisi confestim excernatur, credibile sit facilè posse hominem interimere. Huius etiam affectionis meminerat Galen. 6. de Locis. cap. 2.

Quatuor in huius morbi cognitione reperiuntur potissima signorum genera: primum continet signa quæ dolorem esse colicum monstrant: secundum ostendit causarum cognitionem: tertium signa præstat quibus affectionem per consensum ab ea quę primariò fit, distinguere facilè possis: quartum verò & vltimum signa adducit, quæ aliquid bonum aut malum in hoc affectu monstrare valent. *Signa.*

Ad primum igitur signorum genus deueniendo, docent huiusmodi affectum distinguere, sit ne in abdominis musculis, aut in peritoneo vel in intestinis, doloris sublimitas, aut profunditas, vt Galen. 7. aphor. expendit, præterquam quòd sublimiores dolores leuiores sunt & minus periculosi. At cùm intra peritoneum viget, & colon dolet, situs ipse in primis demonstrat, plurimum enim circa coli initia ad dextrum renem figitur: fit & cinctura modo, si ob viciniam ventriculi doloris speciem refert, cuius fundo subtenditur & plerunque ad renes tendit. Præterea apparent circa vmbilicum vehementiores dolores, propter anfractus tenuis intestini, in quo flatus etiam inclusus, circa lumbos dolores quoque cõcitat, propter cęcum & colon, quæ ea parte angustantur, deinde quia illic vincula neruacea sunt, quibus colon & renes inter se alligantur, & renes lumbis. Item apparent excrementa duriora excrementis caprarum simillima, aut retenta sunt & cohibita, vtrumque tamen proficiscens ex maximo fluctu meseraicarum, propter diutinam excrementorum retentionem. Docet id etiam nausea, ex halitibus excrementorum concitata, nec non & vomitus ex cruda pituita, & inconfectis alimentis: quæ vt conficeret natura, oblita est consuetæ excretionis per infernam aluum, vnde excrementis præter naturam retentis prædicta mala euenire necessum est. Monstrat vrinæ color intensior, substantia crassior, quæ sæpissime excernitur, nam dolor lacessit facultatem vesicæ expellentem. Ostendit quoque eundem affectum ventris inferioris tensio & dextræ regionis dolor, cui fastidium, inquietudo, anxietas & vigilia accedunt, quibus facile est in huius affectus notitiam peruenire.

Secundum signorum genus continet indicia causarum huius affectus: quorum primum est excreta pituita vitro fuso persimilis, cuius Galen. meminit. 2. & 6. de Loc. affect. tormina quoque affligunt, ructus, nausea & vomitio cuiuslibet humoris, sed pituitæ maximè, præsertim si vita præcesserit his succis gignendis idonea, ex crapula, ebrietate & frigidorum succorum esu: aluus item grauiter impedita nihil reddit, ac ne flatum quidem transmittit, adeò est dolore cruciata: stercus etiã quandoque excretum, bouino simile redditur, leue & flatibus plenum. Alterarursus causa est biliosus humor, acris & mordax, quem nosces ex siti, vigilia, ex copiosa excretione, bile nimium irritante & lacessente intestina, sine flatu aliquãdo, & nõnunquam excretio exigua est & biliosa, cum initio dysenteriæ, & dolore illius partis: adest vomitus & singultus, & maximè à colicis præsidijs lædit qui sic affectus est, vrinæ ardor & rubor, atque ab alui deiectione grauiùs infestatur, leuatur tamen à frigidis. Inflammationem ipsius intestini disces ex febre, quæ necessariò aderit, ex dolore fixo & qui crescente inflammatione crescit, ac nullis cedit præsidijs, quinimo à colicis exacerbatur magis: sitim etiam & calorem iuxta partem inducit & non leuem feruorem: item vrina & alui excrementa supprimuntur: aderit

aderit dolor pulſatiuus iuxta ventrem,ſimiliter ſitis,ardor, nauſea, bilis vomitiones & quæ nihil malum leuant. Flatuoſam ſubſtantiam quæ ex fæcum duritie, aut craſſa pituita partem doloroſe diſtendit,dignoſces ex ventris tenſione, rugitu & crepitu,maximè ſi præceſſerit cohibitio conſuetæ excretionis flatuum, aut vſus cibariorum quæ flatum gignere poſſunt:dolor etiam non fixus aderit, neque in vno loco hærens,ſed vndique vagans ſentitur,& per interualla vehementes cruciatus infert.

Tertium ſignorum genus docet diſtinguere colicum affectum ab vteri dolore,cui plerunque aſſimilatur:ſolent enim mulieres à partu,aut quo tempore fluxuri ſunt menſes,dolore torqueri colico perſimili, ſed vtero affecto dolor magis in ligamentis ad inguina & coxendices videtur, quibus adde partum antecedentem aut difficultatem fluentium menſium, in quibus dolor magis circum renes quàm in penitioribus partibus vagatur. Eſt inſuper colicus dolor non rarò iliaco perſimilis:nam colicus vagari cùm habeat per diuerſas partes, non rarò vſque ad ſedem ilei protenditur,eiuſque imaginem repræſentat, ac ſæpe in ipſum commigrat: ſeparabis tamen hunc ab illo,nam in ileo ſuperior & iuxta ventris fundum magis,& viget prope vmbilicum,item ratione doloris, quia dolor ilei maior eſt ob partis exactiorem ſenſum, licèt colicus non minus appareat vehemens ratione cauſæ:ſed hæc clariùs ſequenti capite reperies ſcripta. Differt etiam colicus dolor à nephritide,ſunt enim affectus finitimi,& qui maximam habent in accidentibus communionem ex doloris proprietate: nam nephriticus fixus eſt à poſteriori parte,nimirum à dorſo originem trahens,colicus vero extenſus,nullibi quietus: nephriticus aliquando in ſiniſtra parte & poſteriori,colicus ſemper in dextra,& licèt ſiniſtram aliquando attingat,non tamen ſiniſtram poſteriorem. Præterea differunt quia colicus plurimos habet vomitus & variæ ſubſtantiæ, nephriticus verò minus: item colicus per interualla,nephriticus ſemper & maximè à cibo infeſtat: præterea colicorum vrina parum aut nihil mutatur, nephriticorum maximis mutationibus inſignitur,aliquando enim rubra,nõnuquam pruriginoſa,arenoſa,fuliginoſa,fabuloſa,arenis & pituita plena, turbida & in principijs ſæpiſsime tenuis, ab alui excrementis non leuantur,colici verò leuamen ſuſceptant.

Præſagiũ. Quartum verò ſignorum genus monſtrat quæ in hoc morbo futura ſunt:nam ſæpe grauiſsimi affectus ab hoc malo initium ſumunt. Sic eum fore leuem monſtrant excrementorum expulſiones ſponte aut leuibus clyſmatis factæ:excrementa liquida, flatus multi,præſertim per infernam aluum, dolor mutans locum, paruus, & qui facilè remedijs cedit, præſertim dum ſe per totum ventrem extendit. His contraria ſunt peſsima,maximè ſi tertia die puſtula aliqua erumpat,aut vomitus non ceſſat,& dolor fixus eſt, terebro perforanti perſimilis. Quæ ſanè mala nisi citò præueniantur,in longè maiora commigrant,vt ſi flatus cauſam præſtent, in hydropem ſiccam vel ileum,vt placuit Paulo, aut ſi flatus non ſint,in cancrum illius partis vel abceſſum aliquem dolorificum,qui ſi intrò ad inanitatem inteſtinorum non rumpatur,periculoſus valde eſt,cùm nullus ſit puri aditus intra corporis cauum. Item vereri oportet (maximè ſi febricula adſit)marcorem & conſumptionem,præſertim ſi adeò prauo humore corpus abundet, quòd breui tempore hominem de medio tollere timendum ſit. Præterea verendum eſt ne in paralyſim commigret,pituita remeante per eadem vaſa per quæ procidit in inteſtina, ad nerueas ſubſtantias venis vicinas,ſed maximè eis,quæ ſunt prope dorſum. Quam obrem magnam hæc ſigna admonent in artifice diligentiam, ne affectus in alium

alium maiorem commigret.

Curãdi ratio. Curandi ratio tam variè exequenda venit,quantum quæ dolorem excitarunt cauſæ,variæ exiſtunt.Sic profectò dum cauſa affectus viſcida pituita eſt, medendi lex neceſſariò præſcribit tria auxiliorum genera proficua fore: primum docet, ſi aluus non multo temporis ſpatio ſuppreſſa fuit,mox à leniente clyſtere purgare vtrumque ventrem,exhibita manna cum infuſo agarici,vel cõfectione Hamech ſimplici cum puluere,niſi aut diarrhodonis,aut exhibito ſyrupo ex infuſionibus roſarum, vel melle ex roſis Perſicis. Quo facto ſecunda indicatio docet pituitam fundere,liquare,& extergere ab inteſtinorum tunicis: ſi priùs inſtitueris eam victus parſimoniam,quæ ſufficiens ſit excrementa conterere, & corpus ac pituitam extenuare: poſtea verò eum victum inſtitues,qui boni ſit ſucci & coctu facilis,admixtis etiam quæ acria ſunt & inſcindendi ac extenuandi vim habent:quo vſu & coctionis etiam felicioris gratia,vinum porrigere oportebit. Poſtea tamen doloti prouidebis,ſi vt ſolet,maximè vrgeat, non tamen omnino poſthabita humoris conditione & natura.Doloris tamen gratia (cui tertiò prouidendum eſt,niſi plurimum vrgeat) porriges quæ temperiem corrigãt,& partem ac humorem ad æqualitatem ducendo vel cauſam auferunt,vel leniunt atque contemperant, aut ſenſum ſtupefaciunt: quorum omnium id primò & maximè exequeris, quod maius faceſſerit negocium. Primò tamen in memoria tibi exiſtat, mittendus ne ſit ſanguis,an ſecus,quod quidem niſi vel diuertendi, vel vitandi maius malum gratia, exequendum non eſt: tunc enim parcè,maximè ſi ſuppreſſa ſit aliqua vacuatio mittendus erit,idque ſuccreſcente immaniſsimo dolore,qui cauſæ, alioqui frigidiſsimæ,indicationem obumbret,præterquã quòd dum ictericoſus eſt hic affectus, nullum eſt præſtantius præſidium,quàm ſanguinem detrahere: ſic & cùm inflammatorius eſt affectus, & cùm febris adiungitur,vel timetur præ dolore maior ad dolentem particulam humorum confluxus. *Sanguinis detractio.* Quod verò ad purgationem attinet, ſi primo mali acceſſu purgarum fuit,exequenda non venit, niſi dolore remiſſo, & facta ſufficienti humorum extenuatione: tunc quidem hiera,agarico, pilulis maſtichinis,& his quæ ex agarico, aloë & maſtiche fiunt,purgabis: ſed confert ſummopere hac cauſa vigente,vſus terebinthinæ lotæ,vel cũ rhabarbaro aut puluere buſſenæ,vel quod magis probo,cum hiera Galeni: tandem in hoc affectu rarò copioſius & preſsius eſt purgandum, niſi dum hæc non prodeſſe conſtat,quia nimis eſt pituita inhærens & inuiſcata. Quo caſu non erit abre, alicui ex prædictis pharmacis adijcere diagrydij. g.iij. vel. iiij. aut hieræ diacolocynthidos ℈.j. Quòd ſi interim dum hæc fiunt,cognitum tibi ſit dolorem ſummopere vrgere, non erit præter rationem,his etiam pharmacis addere aliquid quod dolorem leniat & partem ſtupefaciat,velut ſunt trochiſci de alkekengi pondere ℈.ij. cũ vino aut aqua bugloſſæ vel ſaccharo roſaceo. item philonij ℈.j. aut. 3.ſ. Cui ſanè vſui duo parabis medicamenta: quorum primum porrigere ante ſex menſes à compoſitione non poteris,& ob id neceſſum eſt id paratum aduſeruare in officinis: Recipit opij. 3.j. caſtorei, euphorbij, ſtyracis, myrrhæ, piperis longi & nigri.ana. ℈.j. ſeminis apij, petroſelini, cumini, cinnamomi.ana ℈.ij. cum melle deſpumato, fiat opiata, cuius ℈.j. porriges. Verùm ſi velis nuperà compoſitione cauſis frigidis exiſtentibus ſubuenire,ſic facito: Accipe galangæ, aromatici roſati, diambræ & diamuſci.ana. 3.j. opij diſſoluti in aqua vitæ, & diu agitati in mortario calido. 3.ſ. croci, caſtorei, & euphorbij.ana. ℈.j. cum ſyrupo de ſtœcade, fiat opiata, cuius ſumat ℈.j. Cæterum ſi lapidis renum ſuſpicio fuerit, emollientium aliquid admiſcebis. Verùm ſi ſimul

accedat

accedat fæcum durities cum dolorum ſæuitia, porriges ℥.j. pulpæ caſiæ cum ℈.j. pulueris liquiriziæ. Interim tamen dum inſcindentia & attenuantia porrigis (vt mel roſaceum, ſyrupum de radicibus, oximel & ſyrupum de mentha, de corticibus citri & alios huius cenſus) clyſteribus, fomentis, balneis & alijs appoſitis vteris, quæ & partem laxent, quo minùs extenſa doleat, & faciliùs quod inuiſcatum eſt pituitæ ad inanitatem inteſtinorum euocent, & eductioni paratius reddant, mitioreſque fiant dolores. Quapropter vt ſimul omnibus his prouideas, clyſteribus primo loco vteris (non vt vulgus Medicorum indiſtinctè efficit calfacientibus) quæ leniendi modicèque diſcutiendi vires habeant: ſecundo verò loco repurgantibus pituitam & abſtergentibus, qualia ſunt quæ ex decocto furfuris, mercurialis & mellis cum plurimo oleo, ſi par fuerit leniendi neceſsitas: ac ſi repurgãdi maior fuerit, imminuta olei quantitate, addes hieræ picræ & benedictæ. ana. ℥.ß. Quo clyſtere bis terue iniecto, ad calorifica auxilia intus iniecta, aut extra adhibita deuenire tutò poſſumus: ſemper tamen à leuioribus initio ſumpto, & anodynis admixtis, vt quantum primis clyſteribus pituitæ liquatur, paulò vehementioribus reſolui citra dolorem poſsit, quibus ſi à principio vteremur, maximi concitarentur cruciatus, liquata ſubitò materia & non reſolutis flatibus: ob id incipiendum eſt à clyſtere quod recipiat decoctum camemali, melliloti & fœnugræci, & addes oleum camemelinum, aut ſeſaminum & mel roſaceum cum pinguedine gallinæ, anſeris aut anatis. Quòd ſi iteratò clyſtere vti oporteat, quia prædictis non cedit affectio cruda, non diſplicet ex vino & prædictis herbis clyſterem conficere, addita pinguedine: aut ſi id non profuerit, prædicto decocto adiũges olei rutacei ℥.ij Quibus iterum atque iterum factis, magni ſolet eſſe momenti per interualla humorem purgare, & mox clyſmatis addere mellicratum, in quo anethum incoxerit, ruta, fœniculus cum radicibus, & petroſelinum: item his addere oportet, vt propriùs doloris cauſa extergatur, mel anthoſatum cum oleo rutæ & anethi, item ſalis modicum & hieræ picræ ℥.ß. diaphœnici ʒ.vj. prodeſt & theriacæ ʒ.j. & ß. vel tantundem mithridati: quibus addes decoctum epithymi & foliorum ſenæ ac ſeminis angelicæ. Interim dum hæc clyſteria adhibentur, vt faciliùs erumpant flatus, & per poros ad inteſtina calor qui etiam ſuppetias præſtat, ſubingrediatur, varijs fomentorum generibus vti oportebit, quibus etiam ordine prædicto vteris, ſumpto nimirum à leuioribus initio, ne vt anteà diximus, maiores concitentur dolores. Quamobrem, vniuerſam inteſtini regionẽ inungere oportet oleo amygdalarum dulciũ, ſeſamino, camemelino, anethino vel rutaceo: fœminis tamen admiſcere oporter oleum liliorum alborum, de baccis lauri & de croco: quibus addes pro ratione vehementiæ doloris, craſsitiei materiæ & naturæ laborantis, olei caſtorei, euphorbij, piperis, cinnamomi & aniſi modicum: item ℥.ß. galbani ſolues in ℥ iij. olei rutacei, & addes moſcum, galliam & cibetum: vel hac lege facito: cibeti. g.vj. diſſolue in oleo rutaceo & vnge: vel fiat illitus ex pipere longo & vitello oui. Mox humidiora fomenta adhibere oportet, ex decocto fœnugræci, ſeminis lini, althææ, melliloti, camemali, anethi, rutæ, biſmaluæ, calamẽti, origani, apij, petroſelini, ſambuci, & aliarum herbarum conſimilem habentium virtutem, quod excipies veſica aliqua pannis inuoluta, & parti apponẽs donec decoctum tepeſcat. Quòd ſi calidius efficere placuerit, hæc omnia vino excipienda ſunt: ſi verò mollius, vt magis mitiget, oleo. Verùm ſi lapidem deturbare velis addito folia apij, petroſelini, radices graminis, aſparragi ac fœnugræcũ, & alia quę proprio capite inferiùs leges. Solet etiam rudis plebecula huic vſui conficere placentulam

centulam èx ouis, cimino, aniſo & aliquo ex ſupradictis oleis, maximè ſi araneorum telas addideris, quæ parti appoſita efficaciter præſtat. Item nuper dictas herbas cum milio, ſale & furfure decoquere oportet, & valenter exprimere, vt nulla ſuperſit humiditas, quæ omnia pannis inuoluta & parti appoſita, non mediocre afferunt leuamen. Quibus præmiſsis, ſi dolor adhuc perſtiterit, ad ſicca fomenta confugiendum eſt, quibus id quod liquatum tenuatumue fuerit ebibatur ſicceturque faciliùs: quæ conſtant ſacculis confectis ex milio, ſale, furfure, arena, terra, pulueribus camemali, rutæ, anethi, lauri, ſeminum earum, ſtercoris capra rum, & aliarum rerum quæ huius ſint naturæ. Quòd ſi hæc prodeſſe non videantur, progrediendum eſt ad efficaciora quæ conficiuntur ex teſtaceo aliquo vaſe, quod priùs ſuſceperit maximum calorem intrà ſui cauitatem, ab igne aut decocto aliquo ex ſuprà dictis, vel vino feruenti, quod pannis inuoluere oportebit & parti apponere: item conficies ex eodem vaſe feruentibus cineribus pleno, ac panno laneo cooperto & parti appoſito. Quibus factis & vacuata materia, maximè ſi affectus flatus particeps fuerit, cucurbita magna cum multo igne iuxta vmblicum aut ſupra partem dolentem affigenda eſt, qua inteſtino reſtituitur calor, diſcutiuntur flatus, & ſedatur protinus dolor: ſed vtilior eſt eius vſus ſi priùs impleatur vino calido, in quo aliquid calidum & diſcutiens incoxerit, & ita calida adhibeatur.

Interim tamen dum hæc adhibemus, præſidia aliquot ſumat laborans per os ſummo manè: primò mellis roſati ℥.ij. quòd ſi parum ante prandium aut cœnam porrexeris, ex vſu facies, donec corpus purgationi paratum perſenſeris. In cuius auxilij adminiſtratione expendere oportet laborantes eſſe mox à principio purgandos, ſi aut dolor non plurimùm vrgeat, vel laborans crapula aut improba victus ratione vſus fuerit, ſin aliter differre purgationem oportet, donec aut dolor miteſcat, aut alia auxilia non profint. Sed quo faciliùs reſiduum materiæ paratius reddatur, & reliquiæ conterantur, his oportet vti quæ præter id quòd humores extenuent ac inſcindant, calfaciant quoque, concoquant, & calorem reuocent ac reliquias conterant. Huius naturæ eſt potio quæ recipit ſummitatum abſynthij Pontici. p.ß. ſeminis cimini ʒ.ij. feruefiant in vino tenui odorifero, & expreſſio bibatur ieiuno. Præſtat & alia quæ recipit aquarũ cardus benedicti, ſcabioſæ, naphæ, aut decoctionis cinnamomi ℥.ij. aquæ nepetæ ℥.j. theriacæ aut mithridati ʒ.ß. Item recipe menthæ viridis. m.j. marrubij. m.ß. tepeſcant leuiter in vino tenui & cum modico melle præbeto ℥.ij. Eiuſdem efficaciæ eſt vinum vbi ferbuerit modicum cimini, calami aromatici, galangæ, aniſi & cinnamomi. Quòd ſi adhuc perſtare dolorem conſtiterit, coniectandum eſt ſenſim illius humoris copiam non leuem ſuccreſcere in ventriculo, quæ fomentum malo præſtat: quapropter vomitibus ſingulis diebus aut tertio quoq; die factis, minuẽda eſt: quod tanquam peculiare præſidium conſulo, non ſolùm dum dolor vrget, verùm præcauendi gratia. Cæterum ſi his factis iterum atque iterum, dolor non ſubſideat, clyſmatis addere oportet paſtillum ex caſtoreo, & modicum philonij, ac omni arte ſomnum conciliare, dummodò eis cautè vtaris, etiamſi vltra mediocrem ſit vrgentia: vtcunque tamen ſit, ſatius erit bis terue in parua copia narcotica adhibere, quàm vt plurimum profint, eam copiam ſemel adhibere, quæ poſtea læſura ſit.

Vomendi vſus.

At ſi dolor proficiſcatur ex bilioſis humoribus, magna diligentia, & ſedula inſpectione affectionem intueri oportet, nã in grauiſsimos affectus plerunq; com-

Si ex bile fiat.

migrare assolet. Sic in primis ab inedia cauendum est, sæpe enim acriorem reddit genitam, & eam quæ adhuc gignitur bilem, causa profectò maiorum symptomatum: succrescunt enim sic affectis vomitus biliosus aut æruginosus, conuulsiones ex punctis membranis, animi deliquia, syncopes & sudores rapto seroso humore in venas, qui aliquando prorumpunt frigidi, & febres succrescunt, maximè suppressa vrina, quæ non tarò in hac causa (vel inflammati intestini occasione) supprimitur, quæ reuersa in nobiles partes, lethaliter remeat. In quibus sanè omnibus eadem curandi lex seruanda est, cæterum diuersa auxiliorum materia: nam præmissa leui purgatione ex casia, rhabarbaro, syrupo ex infusionibus rosarum aut violarum, ex manna dissoluta in aqua lactis aut hordei, ad alia auxilia quæ mox referam te conferes. Hanc tamen purgationem facito potiùs paulatim & per epicrasin, quàm confertim & aceruatim: cui vsui excipe tamarindorum, passularum, prunorum, florum intybi, borraginis, violarum & summitatum lupuli ana. p. ʒʃ. facta decoctione excipe. ʒ. iij. syrupi violarum ex infusionibus. ʒ. iij. &. ʃʃ. Facta igitur purgatione ventrem inungere oportet oleo violarum, amygdalarum dulcium, de semine lini, addito pauco camemelino: ab hoc, clysteribus vti oportebit ex decocto maluarum, hordei, violarum & nenupharis, additis saccharo & aliquo ex prædictis oleis: præstat etiam infundere ius pulli decocti eisdē rebus, addito butyro vaccino: item ex vsu est infundere oleum amygdalarum dulcium aut de semine lini, ius etiam extremitatum & intestinorum arietis: item alium clysterem cōficies ex mucaginibus seminis lini, althææ, fœnugræci, psyllij & cytoniorū, addito interim capite papaueris cū vitello oui, oleo violaceo, butyro recēti, adipe anserino & saccharo. Quòd si suspicio sit exulcerationis, tunc plantago, rosæ & similia decocto clysterium addenda sunt: laudantur insuper clysteria ex liquidiori hordeaco aut lacte amygdalarū dulciū, additis butyro, saccharo & oleo violaceo, quibus etiam addes pulpæ casię. ʒ. ʃʃ. aut catholici tantundem. Ab his, etiā fomētis vti oportebit ex decocto rosarū, violarum, maluarū, seminis lini & althææ, in quo casu non licet ad alia fomenta deuenire. Vrgēte interim dolore, vtile erit cataplasma quod recipit farinæ lini & hordei. ana. p. ij. coquantur in oleo camemelino & violaceo & fiat cataplasma: præstat etiam ceratum quod recipit ceræ. ʒ. v. vitella ouorum. n. ij. farinæ fabarum. ʒ. ʃʃ. olei camemelini & rosarum. ana. ʒ. ʃʃ. vitella ouorum cum mucagine seminis lini coniungantur & cerato admisce. Conferunt etiā balnea (quibus si sudor succrescat nō erit inutile) ex decocto violarum, agrimoniæ, parietariæ & melliloti. Verùm si eo dolor creuerit vt ad narcotica cogamur deuenire (quæ frigiditate & retuso sensu malum corrigant) purgantibus admiscebis, quod vtilissimum in hoc malo fore iudico, licèt in alijs affectionibus quibus dolor adeò vrgens non est, alienum à purgandi munere videatur: sic philonij. ϑ. j. cum ʒ. vj. pulpæ casiæ fistulæ vtilia sæpe fuere. Cæterum expedit per superiora bilem & acres atq; calidos humores compescere potibus aquæ calidæ, ac si corpus purgatū fuerit, potus frigidę non parum prodesse, imo protinus dolorem sedare cōperimus. Frigidis syrupis etiam & apozematis idem efficientibus vteris: in quo casu tertio vel quarto quoque die vti licet casia fistula, præsertim ante cœnam sumpta.

Si verò ab inflammatione colon dolore afficiatur, purgatione vti nunquam licet, cæterum expedit tantum sanguinis extrahere ex basilica brachij dextri, quantum vires tollerauerint, & doloris vehementia poposcerit, bis terue si opus fuerit vena scissa: at si vrina simul ex magnitudine inflammationis supprimatur, id ex malleolo commodiùs facies, & alimentis etiam exhibitis ex pullorum iure & carnibus

carnibus, ptissana, amylo & reliquis quæ frigidæ & tenuis sint substantiæ. In quo casu clysteria etiam adhibere oportet, cæterum in paruissima quantitate, ne ex nimia, intestinum dilatetur & impensiùs doleat. Quamobrem infundere oportebit quatuor aut quinque, & ad summū sex ʒ. olei violarum vel rosarum, totidem lactis caprini vel asinini cum decocto hordei, violarum, maluarum, seminis lini & althææ: exteriùs verò inungere oportebit partem eisdem oleis: sed mihi magis placet laxantibus vti, vt exteriori parte laxiori facta, faciliùs aliquid resoluatur: ob id quidem nō displicebit vti oleo amygdalarum dulcium, seminis lini, sesamino aut camemelino cū gallinæ aut anatis pinguedine. Quòd si inflāmatio ad resolutionē tēdat (quod facile erit ex minori dolore cognoscere) consultissimum est prædictis oleis quæ per aluum infunduntur, parum camemelini admiscere, vt commodiùs resolutio fiat: item adhibere oportet fomenta ex decocto maluarum, fœnugræci, violarum, seminis lini & althęæ. Verùm si ad suppurationem vergat (quod ex maioribus dolore ac febre facile erit nosse) necessum erit ex suppurantibus aliquid clysmatis admiscere, idque leue, nam intestinorum caliditas & situs ad suppurationem ex propria natura sunt apta: & ob id ius aliquod aut decoctum althææ sat erit. Rupto verò abscessu (dummodò ad internorum locum non rumpatur, est enim miserabilis casus, cùm nullibi possit pus exire, nisi rumpat vel intestinum rectum, vel vesicæ collum, quod grauius adhuc est) velut dysenteriam abstergentibus curabis: verùm si ad cauum intestinū fiat ruptio, emplastris resoluentibus, fomentis fortioribus, balneis, cataplasmatis ex pane tosto, furfure, stercore vaccino & baccis lauri rem agere oportebit; periculosum enim est ad paracentesim deuenire: verùm si pus sē se insinuet alicui parti incumbere, non erit ab re, vel ea parte setonem affigere, vel ferro candenti bis terue partem inurere: satius enim est aliquo, in re adeò desperata, vti præsidio, quàm in certa desperatione ægrum deserere.

Si verò ex flatu affectus suboriatur, duo medendi ratio consulit exequenda: alterum quo flatus omni ingenio dissipentur: alterum verò quo tensa pars quodammodo laxior fiat. Quæ sanè opera perficere rectè nemo vsquam poterit, ni occasiones à quibus flatus excitantur priùs substulerit. Est autem occasio duplex, præter crassam nimirum ac lentam pituitam, à qua leui quadam interna aut externa calorifica causa, vt exercitium aut vini potus aut sæpe frigidæ aquæ propter antiperistasim, flatus facillimè eleuantur: vel à calore imbecilli nequeunte flatum quem eleuat dissipare. Quapropter vtrique subueniendum est, sed primò tensioni particulæ, ne ex flatus vbertate maior fiat. Tensam primò partem lenies emollientibus clysmatis, qualia sunt quæ maiori constant parte olei, butyri, pinguedinis aut iurulentæ substantiæ cum mucaginibus psyllij, seminis lini, althææ & radicum althææ ac decoctione extremitatum arietis. Qua emollitione priùs facta excrementorum & intestinorum, discussorijs vtendum est: quale existit quod recipit cuminum, anisum, cinnamomum, daucum, fœniculum, carum, baccas lauri, iuniperi, vrticæ semen, rutam, calamentum, calamum aromaticum & caryophyllos: quorum aliqua decoctis addes, vel eorū oleum admiscebis. Quibus factis, tutiùs ad flatus discussionem per interna deuenies per ea quę sæpius diximus: sed maioris momēti esse scito, id quod recipit olei rūtacei & nardini. an. ʒ. j. galbani cū aqua vitæ dissoluti. ʒ. iij. liquefiant simul, deinde cū cera alba quod sufficiat addatis croci. g. vj. fiat linimētum. Prodest & oleū anethinum cū vitello oui addito pipere trito: itē oleum de spica, de terebintho, de cinnamomo, de aniso & balsamo, atq; aquæ feruentissimæ potus, quo mirum in modum leuantur ex hac causa labo-

rantes. Prodeſt & tæcamaca Indorum, & caraña vmbilico appoſita: à quibus grandis cucurbita vmbilico aut parti ſignatim dolenti affixa incredibili efficacia prodeſt. Sed cauendum eſt in grauidis ab his quæ aborſum faciunt, velut eſt caſtoreum, euphorbium & acria omnia, & quæ nimis poros aperiunt, quia fundunt ſanguinem.

Verùm ſi ſuboriatur affectio ex duro & præter naturam retento excremento, quo intercluſo meatu inteſtinorum, nulla patet flatibus via, quibus hi dolores concitantur, medebimur huic affectioni, primò cauentes purgationem, quæ fit medicamentis exhibitis per ſuperiora, nã hæc potiùs trahent totius corporis excrementa ad partem obſtructam, quo grauius efficitur malum. Quamobrẽ pinguioribus & mollioribus clyſmatis præmollire priùs durum ſtercus oportet, & obſtructionẽ hac lege auferre: quo fit vt ſæpiſsime contingat dolores protinus ceſſare à fæcum excretione. Conficiuntur hæc ex iure pingui, oleoſis & mucilaginoſis omnibus, à quibus ſi dolor non quieuerit, flatum diſcutito eiſdem omnino medicamẽtis quæ nuper diximus: hoc vno peculiariùs inſpecto, nimirum admiſcenda eſſe prædictis emollientia pharmaca ac lenientia, qualia oleum amyg.dul. de ſemine lini, ſeſami num, aut butyrum: ratio potiſsima eſt, quia cùm reſoluentia medicamenta nequeant craſſos flatus diſcutere, quin priùs rarefaciant & attenuent, hinc fit, ni pars priùs emollita ſit, vt diſtendenti flatui difficulter cedat & grauiſsimos efficiat dolores. Quòd ſi prædicta auxilia intus & extra adhibita ordine dicto nõ profuerint, ad alia duo confugiendum eſt, quæ peculiaria ſunt huic cauſę, nimirum ad potum aquæ feruentis, quod commune eſt ferè omnibus cauſis præſidium: nec minoris eſt momenti cucurbita parti affixa, ſi excrementorum aliqua præceſſerit excretio. Quòd ſi ne hæc omnia prodeſſe videantur, ad ea quæ peculiari proprietate iuuãt deueniendum eſt: conſulit Galen. 10. ſimpl. lupi ſtercus (nec non & canis) in puluerem redactum, ac vino albo dilutum potandum dare, maximè ſi ſtercus ſit albidius: confert & cingulum expelle lupi: item galerita auis cremata & in vino exhibita: alia etiam reperies quæ nec multum contemnere, neq; eis plurimum fidere oportet.

Coniectabis inſuper, an ex toto corpore quid in inteſtina prolabatur, corpore ſeſe in ea exonerante: tunc enim ad ſudationes ex guayaco & balnea ſulphurea cõfugiendum erit. Quòd ſi ex capite fluxiõ ſit, fugiendum eſt à balneo, quippe quod maximè eis nocebit, qui ad conuulſionem, reſolutionem aut arthritidẽ procliues ſunt: quapropter in his fontanellam altero brachiorum aperire vtiliſsimum erit. Atque hæc mihi de hac affectione ſufficere videntur.

De voluloſo affectu. Cap. XVI.

EST enim ileos affectio grauiſsima & intollerabilis inteſtini cuiuſdam ex tenuioribus, appellati ileos, & ob id affectio hæc à pleriſque ileos nuncupatur, ab Arabibus autem iliaca paſsio, à Latinis voluulus à ſymptomate quodam ſeu tortura ipſius ilei inteſtini, à Græcis cordapſon, ad ſimilitudinem extentę cordæ, nam tale apparet ad tactum ileos inteſtinum, dum hoc afficitur morbo: in quo ſupra vmbilicum prope imam eius regionem, durities quædam tenſionem repræſentans comperitur, quod ſolet eſſe huius affectus certiſsimum indicium.

Dubita-

Dubitatione tamen dignum eſt, poſsit ne ſymptoma hoc vitio aliorum inteſtinorum fieri, ac ſi fiat, an ſit æquè graue & moleſtum. Cuius dubij gratia ſtatuendum eſt, neque experimento, neque authoribus, neque rationi id eſſe aduerſum. Quippe ex doloris ſitu euidenter conſtat infra vmbilicum non rarò fieri: quod etiam probat ſtercus per os reiectũ: nam in ileo & tenuibus inteſtinis ſuccoſa ſubſtantia coctioni, diſtributioni atq; alimoniæ apta continetur: in craſsis verò materia ſtercoroſa ac fæcalis viget, qua per os excreta, veriſimilius eſt conijcere eadem potius eſſe obſtructa quàm tenuia. Cuius ſententiæ creditur fuiſſe Galenus. lib. 3. de facult. nat. cap. 13. vbi docet in ileo ſtercus à loco infra ileum inteſtinum exiſtens, quod erit craſſum, aſcendere ad partes ſuperiores, & hîc vomitum mouere: quibus conſtat experimentum probare craſſorum vitio ileos ſuccreſcere poſſe. Quòd verò axioma hoc authorum decretis non aduerſetur, patet ex Galen. prædicto loco. & etiam ex Hippoc. 3. de morbis, ac. 3. popular. in hiſtoria mulieris iliacæ, dicente: Præcordia dolebant, ſed circa præcordia potiùs eſt colon inteſtinum: item inquit: Et infra ſecundum ventriculum tormina perpetua: at per ſecundum ventriculum intelligere ſolùm oportet tenuia inteſtina, cùm craſſa, vt colligitur ex Galen 4. de vſu part. inferiorem ventrem nuncupat, quo fit vt primus ventriculus ſit alimentorum officina, ſecundus tenuia inteſtina, diſtributioni & vlteriori coctioni dicata: tertius & inferior erunt craſſa fæcibus excipiendis idonea. Quapropter verbo (infra ſecundum ventrem) tormina & exacerbationes dolorum, fuiſſe in craſsis inteſtinis erit colligendum. Quod etiam Trallianus confirmauerat lib. 10 taxans eos, qui primo colici affectus acceſſu pharmacũ præbent, ſtatuit in his exacerbari adeò inflammationem, quòd in ileon morbum incidant: ſed colicus affectus eſt in craſsis, ergo eis inflammatis pharmaco, fiet vt ipſe refert ileos: præterquam quòd Galen. commen. voluuloſæ mulieris, hoc idem confirmat, quantumuis omnibus dictum ſit fieri ſolùm in gracilibus. Tertiò & vltimò id fieri probatur ratione: nam inflammationes & omne tumorum genus & pituitæ congeſtiones ac ſtercoris durities & copia, craſsis æquè ac tenuibus accidere poſſunt, ergo & voluulus. Quòd ſi dixeris patentiora eſſe hæc inteſtina, & ob id minus hoc malo moleſtari, libenter concedam, cæterum non ob id negari poteſt eâdem lege aliquando hoc malo affici poſſe. Quinimo ex vi primæ rationis arbitrandum eſt, dum hoc affectu premuntur, longe grauiorem fieri quàm in ipſis tenuibus: præterquam quòd colon inteſtinum attingit iecur & ſplenem, quo eius affectiones grauiores erunt. Verùm ſi quis aduerſus hanc ſententiam adduxerit Galenum qui loco citato hæc refert verba: Qui ſtercus ſi vomat, clariſsimum ſit tibi ſignum ſubtilia inteſtina eſſe affecta: quo loco tanquam certum ſignum læſionis gracilium, ſtatuit ſtercoris vomitum. Cui loco dicendum eſt potiùs ea ſententia poſſe probari contrarium: nam docet dum ſtercus euomitur, gracilia laborare per conſenſum à craſsis affectis, ſiquidem dum gracilia laborant per eſſentiam, non opus eſt ſtercus euomi, quapropter dicit, ſcito ea laborare, hoc eſt per conſenſum: nam lib. 3. popularium parte. 2. commen. 7. ſe exponit docens non ſibi placere eorum ſententiam qui tenent ſolis gracilibus ileon accidere, quam veluti probauerat. 6. de locis. & 6. aphor. clarè aſſerens ileum etiam in craſsis fieri inteſtinis.

Vniuerſa autem huius morbi ratio, vt Galen. docet. 6 aphoriſm. 44. & 6. de locis cap. 2. ſita proculdubio eſt, in eo quòd intercludatur via inteſtinorum, per quam alui excrementa deorſum feruntur atque eorum tranſitus intercipiantur. Itaque-

ſymptomatis huius cauſa morbus eſt in via, quem quidem mille aliæ cauſæ efficiunt: ex quibus prodit hunc affectum eſſe maximè acutum, & qui grauiſsimos aliquando,& nonnunquam leues ſolet concitare dolores, ſeu vt Ætius ſcribit inteſtinorum affectionem lethalem dolorem inferentem,anxietatem & inquietudinem. Adeſt etiam & frequentiſsimus vomitus, in quo non ſolùm alimenta excernũtur,& humores vitioſi atq; corrupti, verùm quod grauiùs eſt ſtercus ipſum. Quatenus autem ad dolorem attinet,diſputatione dignum arbitror ſit neis dolor grauior & acerbior eo qui in colo viſitur:cuius enodatio lõgiorem diſputationem expoſtulabat,ſi hoc ſcribendi inſtitutum permiſiſſet,cùm Galen.2.de loc. affect. cap. 5.referat,in colo grauiores fieri,& li.6.cap.2. aſſerat in ileo grauiſsimos etiam. In qua re ſciendum eſt,duobus modis poſſe hos dolores fieri,nunc maiores in ileo, nunc in colo:vno quidem ratione modi agendi cauſæ, nam in colo ſoluit continuum. & ob id maiores efficit dolores: in ileo verò occludit vias & ſolùm tunicas inteſtini diſtendit, quo fit vt neceſſum non ſit ita graues ſucreſcere dolores: verùm ſi in ileo continuum etiam ſoluatur, vt cùm ab inflammatione aut inuiſcatione humorum in tunicis prodit, tunc profectò longè grauiores efficit vt Galen. 6.de loc.cap.2.ſtatuerat,quia certũ eſt ratione exactioris ſenſus partis,longè maiores fieri poſſe in gracilibus inteſtinis. Secundo autem modo id contingit ob cauſæ vehementiam,quæ maior plerunque in craſsioribus viget: nam ob mẽbranarum craſsitiem,& adipis copiam,multa pituita & copioſi flatus congeruntur, quæ horum dolorum cauſæ fiunt, quibus gracilia inteſtina carere certum eſt. Cum hoc tamen ratio grauitatis dolorum & periculi in ileo eſt, quia quæuis cauſa accedat, res eſt multo quàm in colo grauior,quanto anguſti meatus difficiliùs& maiori negocio aperiuntur,& periculoſiùs membra vicina nobilioribus laborant.

Cauſæ. Oritur autem huiuſmodi affectio ex inflammatione inteſtinorum, maximè ilei,ſcirrho, tumoreue quouis præter naturam,ſtercore duro alimentorum tranſitum impediente,ex humoribus craſsis ac lentis,aut ex crudis, corruptis & copioſis eduliis, ex veneno ſumpto, ex frigidæ potu, vel ex læſa virtute expultrice, quæ vel impeditur aliqua ex prædictis cauſis, vel aboletur intemperamento aliquo. Præter quas cauſas, alias maioris momenti adſtruit Galen. 3. de cau. ſympt. & eas varijs comprobat exemplis, quippe ſcribit hunc affectum fieri poſſe vitio trahentis facultatis,eius nimirum quę in ventriculo & inteſtinis alimenta allicit,dum euerſo agendi ordine procedit, videlicet ab infimo inteſtino facto tractionis exordio: haud ſecus quàm in vomitu contingit, in quo villi oblongi æſophagi incipiunt trahere ab infima parte dum vomitum mouent, ſicut à ſuprema dum voratum exequuntur. Sic profectò res prorſus contingit in voluulo: quam rem experimento comprobabit clyſmate iniecto quod vomendo regerit natura, nullo alio medio quàm facultate initiante motum tractionis à recto inteſtino ſurſum,ac rurſus meſeraicis ſugentibus & trahentibus ad ventrem vſque: quod ego verius arbitror quàm quod inteſtina poſsint eo impetu furſum allicere. Arbitrandum tamen eſt hunc tractum eſſe aliquo modo pulſum, ſiquidem tractiones naturales ſolùm propter potiri fiunt,idque non extra corpus,ſed tantùm ad partes alendas,at is tractus cum extrà feratur potiùs de ſorte pulſus haberi debet, cuius modum & cauſam ad vnguem noſſe oportet, vt etiam conſtet qualis futura ſit medendi ratio: nam ſæpe quæ roborant & adſtringunt,copioſioris fluxus exiſtunt cauſa,& quæ laxant & molliunt,cohibent & compeſcunt. Item prodit ex prolapſo in ſcrotum inteſtino. Nec deſunt qui exiſtiment ex flatuoſo quodam ſpiritu cõtorquente & inuoluente

inuoluente inteſtini cauitatem fieri etiam poſſe, nec non ex partium vicinarum inflammationibus,compreſſo ſubinde inteſtino:quibus accedunt cauſæ externæ quas non rarò id malum efficere conſpicimus, quarum meminiſſe non eſt opus vt recenſet Gale.6.aphor.44.nam cùm vniuerſa huius affectus ratio ſit ilei inteſtini vel aliorum adeò preſſa & grãdis obſtructio atq; coarctatio,vt nihil deorſum abire permittat, proculdubio ſat eſt noſſe illi cauſam præſtare quæcunq; vias ſeu meatus intercludere poſſunt, ſiue id per coalitum, anguſtiam, obſtructionem, compreſsionem ac ſubſidentiam fiat. Verùm vt quis rem diligentiùs calleat, vt Galenus loco citato expendit ſatis ingenioſè, reperiet quidem has omnes cauſas poſſe quodammodo arctiorem reddere inteſtini viam, cæterum non ſubinde omnes natæ erunt id efficere. Nam cùm vniuerſa huius mali ratio & periculi modus ab ea obſtructione prodeat, quæ omnino tranſitum excrementorum deorſum interdicat, eas ſolùm eiuſdem cauſas arbitrari oportet, quæ id efficere natæ ſunt, quæ verò leuiter & non omnino, minimè. Cæterum ſi quis velit exactè ea dubia dirimere,& Galenum à contradictione vendicare, expendat ileum (ſicut pleroſque affectus) duplicem eſſe: alterum legitimum & exquiſitum, in quo vt eſt omnimoda inteſtini obſtructio, ita & omnimoda priuatio deſcenſus excrementorum, & ſubinde huic tantùm cauſæ erunt, quæ omnino viam obſtruere poſſunt: tales ſunt tumores præter naturam, & ſtercoris copia atque induratio: ergo credibile eſt optimè loco citato Galenum dixiſſe has ſolùm eſſe huius morbi cauſas: cæterum tumores ſubaudire oportet vt Galenus refert. 3. popularium, parte.2.comment.7.&.6. de locis.capit.2.ac. 3. aphoriſmorum. 22. abceſſum collecta materia in ſubſtantia inteſtinorum, vel durum tumorem, vt ſcirrhoſus eſt,aut cancroſus ea duritie præditus,quæ vias coarctet,& minimè locũ cedat excrementis. Alterum verò ſpurium & illegitimum arbitrari oportet, in quo neque omnino intercluſa eſt via, neque ex toto aliquid deſcendere prohibetur: cuius profectò cenſendum eſt cauſas eſſe pituitoſum ſuccum, & flatum atque alias quæ ab authoribus recenſentur, quas potiùs voluulum per ſimilitudinem,quàm verum efficere poſſe arbitramur. Quapropter Galenum cenſeo dixiſſe.6.aphoriſm.44. poſſe quidem obſtruere, ſi maximæ iungantur frigiditati, non aliter, nam ſub dubio eam aſsignat,quod nouiſſe ad curationem maximi eſt momenti.

Signa verò huius affectus, vt ſimilia quodammodo ſunt colicis doloribus, ſi- *Signa.*
quidem dictum eſt in craſsis etiam inteſtinis ileum fieri poſſe, ita quoque primo acceſſu videtur cauſarum ratione non minùs aſsimilari. Sic etenim dictum eſt in coli dolore inflammationem, ſtercus copioſum & durum, pituitam & flatum vt cauſas reperiri, cùm affectus longiſsimis interuallis diſsideant: ſed re vera ſi quis naturam vtriuſque expendat, reperiet vt differunt, ita quoque ſigna & cauſas aliquo modo differre, ſaltem earum agendi modum. Differunt enim primò ratione affectus, quia in colico dolore præcipua ratio mali eſt dolor, licèt morbus in intemperie cum affluxu materiæ ſit: in ileo verò ſymptoma præcipuum eſt (licèt etiam dolor adſit) abolitio & defectus excretricis facultatis, morbus tamen eſt in via, & grauius ſympthoma, vomitus etiam ſtercoris. Quo loco dubitandum eſt, *Dubium.*
an ſit inſeparabile in ileo nihil inferiùs deſcendere: nam id ſtatuerat Galenus.7. aphoriſmorum. 10. etiam ſi acerrimo vtaris clyſmate, vt addit. 6. aphoriſm. 44. Quam profectò ſententiam videntur omnes authores recepiſſe: cum hoc tamen conſtat Hippocratem contrarium ſcribere.3.popularium.par.2.tex.7.in Hiſtoria

mulieris voluuloſæ, quæ apud Fiſamenum decumbebat, quippe inquit: Deie ctiones tenues, crudæ, paucæ: quam ſententiam Galen. & reliqui prætermiſerunt. Verùm ſi quis rem diligentiùs penſitet, reperiet vtramque opinionem eſſe veram: nam nihil deſcendere in ileo, veriſimum eſt, ſi legitimus ſit & exquiſitus, & qui omnino factus exiſtat, vt aſſeuerat Medicorum vulgus: cæterum in ſpurio & illegitimo, & in quo non omnino vię obcœcatæ exiſtunt, ſiue cauſæ defectu ſit, ſiue inteſtini amplitudine, vel quia nondum morbus factus eſt, mirum non erit ſi aliquid deſcendat, non ſolùm eius quod adhuc præfuerat in inteſtinis, ſed etiam eius quod quotidie deſcendit: qua ratione conſeo Hippo. conſuluiſſe lib. 3. de morbis, ſuppoſitorijs vti ex melle & felle taurino. Præterea differunt cauſæ ratione, nam licèt vterque fiat ab eiſdem, colicus tamen dolor prodit ab eis tãquam ſoluentibus continuum, vt quæ inuiſcatæ ſint in inteſtini ſubſtantia & intra eorum tunicas: nam dum in cauo inſunt, licèt dolorem quoque concitent, leuem tamen efficiunt, & affectum ileo perſimilem, quòd viam excrementis interdicant. At eædemmet cauſæ ileum etiam patiunt, non quidem vt continuum ſoluunt, & ob id non opus eſt adeò intenſos fieri dolores, ſed vt viam intercludũt: ex quo prodit, ex cauſis quæ colicum excitant, plures non poſſe efficere verum & legitimum ileon. Et rurſus ſignis ſummoperè inter ſe diſſident: & relictis his quæ ſcripſimus capite de colico dolore, explicat breuitate quadam mirabili ſigna omnia huius mali Hipp. lib. 3. popu. parte 2. ægroto. 6. Vbi primùm refert adeſſe huic dolorem, ex quo & eius ſitu venatur eius naturam, nam immoratur inhærens iuxta gracilia inteſtina ad ventriculi radicem, qua parte inteſtinum voluitur, licèt ad latera ſub hypochondrijs etiam tormina peruadere ea parte referat, nam illegitimus erat ileos & in craſsis inteſtinis. Adeſt frequens vomitus, vt neque potus contineri poſsit, quòd facile huic inteſtino affecto ventriculus conſentiat: præterquã quòd ab excrementis retentis, vitioſis, putridis, olidis, & corruptis neceſſum ſit adeò offendi, vt vomitum & ſingultum non rarò ſuboriri contingat. Quæ ſanè ſymptomata, vomitus maximè, licèt colico dolori etiam adſint, non tamen ſemper & omnium alimentorum aut excrementorum, vt ileo, in quo vſque ad ſtercus procedit, vt Galen. ait 7. aphoriſm. com. 6. & quod difficilius videtur, adeò ſeſe natura in ventrem rapit, vt & iniectum per anum clyſterem, per os vomendo protinus fundat. Succreſcit etiam ob conſenſum capitis & ventriculi delirium, & cõuulſio interdum: neque ob id deſinit natura quod in ventre moleſtat, perſentire & ad vomitum rapere: nam cùm ex inferiori parte inteſtinũ conſtringere ſe cœperit, quæ in ſuperiori parte continentur (vt 3. de ſymptom. cauſ. & 3. de ratione vict. idem Galen. inſinuat) ſummopere coarctatur, adeò vt ſurſum pellat: nam cũ pellere deorſum non poſsit, peruerſa quadam motione & contra natiuum inſtitutum, ſurſum exprimit ordine verſo, cùm deſcenſum excrementorum ſæpe tentans, non inuenerit neque conſequuta fuerit. Multis etiam vrina ſupprimitur, aut redditur citra vitium, aliquando rubicundior & turbulentior & difficulter redditur: venter inflatur, reſpiratio citatior & difficilior efficitur. Adeſt & tremor cordis, ſyncope, vigilia, extremorum frigiditas cũ inutili ſudore, animi angore, anguſtia, & inquietudine: & adeò vniuerſum corpus turbatur, vt timendum ſit moriturum cito laborantem. Verùm licèt hæc ſint communia omnibus qui ſic affecti ſunt ſigna, adſunt tamen alia iuxta cauſæ diuerſitatem, quæ peculiariter aliquid aliud in eo morbo monſtrare nata ſunt. Primum enim voluulum ab inflammatione proficiſci monſtrant inter initia dura & ſicca alui excretio, vt Galen. 3. prorr. 60. &

60. & 3. de ratione victus: monſtrat etiam vrinæ ſuppreſsio, quòd veſica comprimatur vel conſentiat, febris acutior, & quæ indies creſcit, maximè cùm exarcebatur dolor, qui creſcit inter vomendum magis, quòd pars affecta & inflammata moueatur, grauiùs olent laborantes, & protinus frigidum cum anguſtia & ſyncope ſudant, tormina verſus hypochõdria deſcendunt, dolor ad tactum grauior & ea parte firmior, ex quo affectu citiùs ſtercus euomitur, quòd minùs ob doloris grauitatem conetur natura deorſum pellere. Morbus acutior eſt & vomitibus biliоſis infeſtatur, nec non & pituitoſis, quia ventriculus in conſenſum trahitur. Huic finitima ſigna ſunt quæ reliqui tumores præ ſe ferunt, licèt non ſint pari vehementia prædita: ſic durities ad tactum maior ſentitur, & in parte affecta pondus, ac præceſsit ventris durities diuturna: ita ſi cancri naturam acquiſierit, aderit in duritie inæqualitas, punctio & mordacitas intollerabilis, quæ in quauis fæcum excretione vehementer exacerbatur. Ob durum ſtercus proficiſci cognoſces, quòd præceſſerit alui inſolita adſtrictio, quòd dolor non ſit adeò intenſus, quòd ad tactum durities citra magnum dolorem percipiatur, quòd flatus ſurſum frequenter excernantur: hi enim ſingultiunt, rarò febricitant, vomunt biliоſum & pituitoſum, ac morbo creſcente, ſtercus. Fieri tamen à copioſo flatu diſces ex vehementi ventris murmurio ac tenſione, ex dolore maiori, ſed per interualla & vices, item à copioſo flatu excreto per ructum, quo leuamen ſentit laborans. A veneno aliquo aſſumpto, ex relatione eorum quæ præceſſerunt diſces, ſicut de frigido externo aut potu frigidæ principium ſortiri. Pituitoſum viſcidúmque ſuccum cognoſces ex ante acta vita, ex dolore mitiori, ex leui quadam per aluum excretione, eaque mucoribus plena. Ex impotentia facultatis expultricis fieri perci pies, quia citra tumorem aut dolorem ad tactum apparet venter: nullus aderit flatus neque vomitus, aderunt tamen inappetentiæ ciborum & ſubuerſiones, reſpirationis difficultas, & ex retento ſtercore alia ſuccreſcunt creſcente malo accidentia. Vltimò tamen diſtinguere oportet, ſit ne affectio in gracilibus an in craſsis inteſtinis: quod diſces (præter ſigna quibus ileũ à colico dolore diſcerni diximus) quia gracilibus patientibus, vehementiores & crebriores ſunt vomitus, & potum continere nequeunt ob ventriculi viciniam & conſenſum, & adhuc magis inquit Galen. quò nihil per aluum excernatur. Qua ratione expendendum eſt, quòd affectis inteſtinis ſuperioribus, infra locum affectum ſolent ſubſidere fæces, quæ in principio morbi excernuntur: at affectis craſsioribus parum quid ſubeſt, & inferiora magis cum loco affecto conſentiunt: quo fit, vt craſsioribus inteſtinis affectis, omnibus excrementis citiùs & validùs quàm affectis tenuibus via præcludatur.

Præſagium profectò in hoc malo deterrimum plerunque eſt, ita vt ex his qui ſic afficiuntur, pauci ſuperſtites viſi ſint, cùm ex internis inflammationibus pauci euadant. Eſt enim res in hoc inteſtino longè grauior quàm in colico affectu, quanto anguſti meatus difficiliùs & maiori negotio aperiuntur, licèt ratione fæcum grauior efficiatur in craſsioribus, vt dictum eſt. Præterea eo grauior efficitur, quo frequentiùs ſuccreſcunt vomitus, ſingultus, deſipientia, conuulſio, maximè ſi ſtercus euomatur, à quo pauci euadunt, nam miſerabili tandem morte pereunt ſtercus per os reddentes. Sed inter eos qui ſic affecti ſunt, deteriores habentur qui ex inflammatione laborant, mox qui ex duro ſtercore, poſteà verò qui ex flatu, tãdem minus qui non exquiſito ileo premuntur. Conſtituunt ex Arabibus Auicena & Raſius, 3. continentis quinque gradus deterrimi præſagij in ſic affectis: primus *Præſagiũ.*

mus & ſummè malus eſt eorum qui ſtercus euomunt: ſecundus eſt ſudor à toto emanans fœtidus: tertius cùm ſpiritus emittitur per reſpirationem fœtidus: quartus cùm ructus etiam fœtidus eſt: & quintus dum is qui per aluum excernitur cre pitus fœtidiſsimus exit. His accedit vrinam prauè vitiari, nam licèt optima non ſit fidum ſalutis ſignum, eſt tamen deterrima, firmum prauitatis affectus & mortis indicium.

Curandi ratio. Non minus profectò varia ſeſe offert curandi ratio in hoc affectu, ac varia exiſtit cauſarum ſors: ob id dum ex inflammatione ipſius inteſtini, vel craſſorum aut vicinarum partium ſuboritur, ſi virtus admodum non reluctetur, ab internæ cubiti dextri venæ inciſione principium curationis inſtitues, idque iterum facito ſi vrgeat affectus. Nam licèt ab Auic. dictum ſit: Rarò coniungitur colica cum flobotomia, non de inflammatione intelligendum venit, ſed de reliquis cauſis. Exteriùs verò ea ſunt adhibenda medicamenta, quæ inflammato inteſtino colo proficua eſſe diximus: cauentes tamen ne vſquam expurganti vtamur medicamento, ſed clyſteribus partim anodynis, partim verò emollientibus. Tandem detracto ſanguine eis vteris, quæ vim habeant repellendi, leuem tamen, velut eſt roſaceum digerentibus admixtum, vt decocto camemali, anethi, fœnugræci & ſeminis lini. Cucurbitæ etiam cum ſcarificatione in inguinibus aut prope affigendæ ſunt, & clyſtere vtendum quod detergat & emolliat, vt ex ptiſſana, oleo roſaceo & decocto plantaginis cum vitellis ouorum: quibus in progreſſu addatur oleum camemelinum, aut decoctum ſeminis lini, camemali & fœnugræci. Sed per os porrigendà ſunt quæ citra adſtrictionem refrigerent, vt decoctum maluarum, lactucæ, ſcariolæ, ſolani, & violarum, item & ptiſſana. Tamen ante omnia mox à ſanguinis detractione imperanda eſt ciborum abſtinentia, ſaltim viginti horarum: poſteà verò vel ptiſſanam vel galli veteris iuſculum porriges, idque conficies paſſulis, violis & butyro. Poſt hæc locus affectus vnguendus eſt his quæ modicè repellant, vt roſaceum vel vinum adſtringens, vel idem roſaceum cum modico aceto lanæ imbutũ. Formentur etiam cataplaſmata ex plantagine, ſolatro, endiuia, portulaca, quibus contuſis admiſceantur lutea crudorum ouorum cum roſaceo. Proſunt & mala cydonia decocta in poſca dilutiori & roſaceo, quibus neq; calidis, neq; frigidioribus vteris, ſed modicè tẽperatis. Prodeſt itẽ ſumere olei amygdalarũ dulciũ ℥.iij. olei camemali ℥.ij. farinæ fabarum ℥.j. lutea ouorum. nu.v. mucilaginis ſeminis lini quod ſufficiat ad formandum emplaſtrum, oua & farina læuigentur, atque tunc ceratum refrigeratum injiciatur & ſubigantur omnia. Poſteà fotibus vteris ex decocto herbarum emollientium, vt capite præcedenti diximus. Tandem ſi dolor ſit vrgentiſsimus ad ſyrupum papaueris aut philonij ʒ.ß. deuenien-

dum eſt.

Quòd ſi ex humorum redundantia affectus oriatur, acribus clyſteribus vtendum eſt, & frequenti ac paulatina purgatione, medicamento quod ideam humoris reſpiciat: priùs tamen acrimoniam calidorum & bilioſorum compeſces, ac infcindes & calfacies eos qui frigiditate pollent, ea lege quam adduximus capite præcedenti, dummodò citatiùs & celeriùs huic malo ſubuenias. Cui vſui ſciendum eſt frigidæ potum in bilioſis ſæpe hoc malum auferre, ſicut calidæ aut feruentiſmæ, dum ex frigiditate externa aut flatu malum oritur. Verùm ſi adhuc pituitam præeſſe conſtiterit, vtendum eſt decocto raphani, infuſo vel ſtillatitia eius aqua: cuius cenſus eſt vinum potens in quo aromata vel herbæ inſcindentes vel attenuantes ebullierint, maximè ſi aquæ vitæ modicum addideris, aut melli roſaceo admiſ-

admiſcueris. Quòd ſi prædicta medicamenta prodeſſe non videantur, ad ea quæ pituitam diſſecare poſſunt confugiendum eſt: quem vſum præſtat mel aut oximel ſquillitum, vel olei vitrioli optimi præparati. ℈.j. cum vino albo (quod Chimiſtæ tãquam ſingulare præſidium cõmendant, ſed cautè facito) vel. ʒ.ß. olei aniſi. Prodeſt & theriaca cum aqua vitæ, aut aqua cinnamomi cum melle roſaceo. Clyſteria itẽ calfacientia & vehementer purgantia eſſe oportet, quale eſt quod paratur ex decocto agarici, pulpa colocynthidis, aut centaurea minori, cui adijcies hieræ logodij aut benedictæ, catholici, diaphœniconis aut hieræ picræ quod ſufficiat, initio tamen ſumpto à leuioribus. Vtcunque tamen inſtitueris, modicum adijcies aquæ vitæ, quæ præſtantiſsimi eſt vſus. Quibus vel aperta obſtructione, vel ad id parata materia, validioribus pharmacis quæ inferiùs purgent, vti tutiùs erit quàm paulatinis.

Si verò excrementorum durities cauſam præſtiterit, emollientia medicamenta per vtrumque ventrem immittenda ſunt: cauere tamen oportet trahentia ſeu eligentia pharmaca, ne plus humoris aut excrementi ad obſtructam partem deferatur. Ob id conſultiſsimum eſt in hoc affectu, tertio quoq; die ante cœnam ſex aut ſeptem drachmas pulpæ caſiæ fiſtulæ ingerere, vel ſummo manè, & mox à ſumptione ius pulli ſumere. Sed maximi eſſe momenti comperimus eiſdem horis ſumere ℈.ij. olei ſeſamini, de ſemine lini aut amygdalarium dulcium. Clyſteria etiã putida ex vſu eſſe ſolent, vt quæ emolliendi vim habeant, & conficiantur ex decocto radicum & ſeminis althææ, fœnugræci, ſeminis lini, & violarum cum butyro & oleo dulci: item proſunt clyſteria ex hydreleo, nec non ex iure pulli cum butyro aut oleo ſeſamino. Exteriùs verò inungere oportet ilei regionem prędictis oleis, & partem fouere decocto ſeminis lini, fœnugræci, althææ cum butyro & axungia, item oleo in quo ferbuerit radix althææ & ſemen lini, pſyllij & cytoniorum. Tandem exteriùs perfuſiones, irrigationes, fomenta, cataplaſmata, inſeſſus & balnea ex rebus emollientibus adhibere conuenit: ſed inter probata auxilia præcipuè annumeratur balneum olei aut aquæ tepidæ, ante tamen clyſtere emollienti iniecto ex iure pingui, oleo dulci, amygdalarum dulcium, butyro, mucilaginibus althææ, maluarum, ſeminis lini, fœnugræci aut cytoniorũ. Quo facto mox à balnei egreſſu, tranſacto vnius horæ ſpatio, ex acribus clyſmatis aliquod injicere oportebit, quo irritata natura educat quod præcedentibus auxilijs emollitum eſt.

Cæterum ſi flatuoſa ſubſtantia, quæ contorſit inteſtinum, aut (quod ego magis arbitror) anfractus & ſinus vehementer diſtendens, cauſa ſit, etſi leuis appareat primo acceſſu, iudicio tamen noſtro difficillima & periculoſiſsima exiſtit. In qua re duo ſuperſunt præſidia, præter calorifica & humida, quæ intus & extrà adhibentur: primum quidem eſt (licèt mihi non plurimum arrideat) follibus magnis per imum ventr ẽinteſtina vehemẽter exſufflare, vt aẽris impetu inteſtinum ad priſtinam redeat figuram. Quo præſidio vſus fuit Hippocra. lib. 3. de morbis ad aperienda inteſtina ſtercore obſtructa, vt ſubeſſet deinceps locus clyſmatis emollientibus: ſed neutrum cenſeo poſſe innocuè præſtari. Secundum præſidium eſt alicuius rei grauis deuoratio, qualis eſt limatura chalybis præparati, & opiata quæ eo accepto conficitur, nam difficile eſt credere, flatuoſam ſubſtantiam grauitati chalybis poſſe reſiſtere, atque id iudico præſtantiſsimum fore præſidium, maximè ſi aliquod laborans poſsit efficere exercitium.

Nec minoris eſt momenti ea fæcum retentio quæ ex virtute excernente abolita ſuccreſcit. In qua re arbitrandum eſt facultatem nõ excernere, vel quia veluti

paralyſi

paralyſi afficitur ſentiendi potentia, cui munus eſt excernentem ad motum expuliſionis excitare: vel quia non deſcendit bilis quæ ipſam irritet: vel quia licèt deſcendat, ob pituitæ copiã inteſtina morſu aut irritamento carẽt. Quapropter iuxta cuiuſq; naturã curãdũ eſt cuiq; ſubuenire. Sic dũ pituita obducũtur inteſtina, abſtergẽtibus clyſmatis, & his auxilijs quæ ipſam repurgent, vtendum eſt, velut ſuperiùs diximus. Si verò bilis non deſcendat qualis & quanta prærequiritur, acrioribus pharmacis quæ purgent & per clyſmata irritent, & defectũ bilis ſuppleant, vtẽdũ eſt, quorum ſufficientẽ copiã nuper adduximus. Verũ ſi facultas fuerit ſopita, clyſmatis veteris quæ vim habeant calfaciendi & reſoluendi pituitam quæ in inteſtinorum ſubſtantia (non in cauitate vt in prima cauſa) infarta eſt: talia enim conficiuntur ex vino aut decocto ligni guayaci, camemali, rutæ, aniſi, baccarum lauri, galangæ vel ariſtolochiæ, ſiue in vino ſiue in aqua fiat, cui addes oleum camemelinum, anethinum, rutaceum, aniſi, baccarum lauri, coſtinum, de piperibus & de caſtoreo, addita theriaca & hiera logodij, aut picra: proſunt etiam clyſteria ex aquis balneorum ſulphureorum vel ſalſuginoſorum. A quibus inunctiones ex prædictis oleis adhibebis, aut fomenta parabis ex vino, prædictis decoctis aut aquis balneorum, addita theriaca. Quibus factis corpus purgare tentabis his quæ fæces educant primò, & mox quæ pituitam: poſtea tamen per os vinum generoſum aromatis conditum aut raphanis feruefactum, quod mirum in modum prodeſſe poteſt, porrigito; eiuſdem etiam vſus eſt aqua vitæ per ſe aut alijs præſidijs admixta, aut eius aliqua portio clyſmatis addita.

Supereſt adhuc alia cauſa præter dictas, veneni nimirum ſumptio, cuius curationem præſtant auxilia alexipharmaca, iuxta veneni naturam & indigentiam.

De *Hæmorrhoidibus.* *Cap. XVII.*

QVAMVIS hæmorrhois proprio ſignificato, quemuis ſanguinis fluxum ſignificet, peculiariter tamen deſignat ſanguinis melancholici fluxum qui fit per venas ad podicem deſinentes, quæ ab ea affectione nomen habent: ob id enim hæmorrhoides appellantur, quòd ſanguinem fundant, aut ſaltem ab alijs partibus ibidẽ effuſum contineant, vt vſus tempore expellant. Quapropter cenſendum eſt Galen. lib. 6. popu. parte. 5. tex. 25. has venas ſanguifluas appellaſſe: quo fit, vt propriùs has venas dum fluũt hæmorrhoides appellemus, quàm dum cœcæ ſunt, licèt communiori ſignificato vtraſque hæmorrhoides nũcupemus: cum hoc tamen certum eſt cœcas potiùs eſſe hæmorrhoidum ſymptomata, quàm veras hæmorrhoidas. Verùm cùm ſanguis multis occaſionibus & cauſis per anum fluere aſſueſcat, diſcernendum profectò primò erit, quando fluxio illa hæmorrhoidi peculiariter tribui debeat, quando verò alijs cauſis & affectionibus.

Cuius dubitationis gratia ſciendum eſt ſanguinem ab ea parte poſſe fluere per hæmorrhoides verè appellatas, per ſicoſim ſiue ficum, & thymum ſiue mariſcam, affectiones quidem multis numeris inter ſe diſſidentes. Thymus enim per tuberculum diffinitur carnoſum floris thymi figuram referentem, qui ſanè facilè funditur & cruentatur, ac fundit ex ſe ſanguinem, multis adnaſcens particulis, cùm

cum dolore aut ſecus, varij coloris & malorum accidentium plerunque particeps: ſycoſis verò eiuſdem eſt naturæ, minor tamen aliquando. Confundunt etiam Medici mariſcas cum hæmorrhoidibus, cùm re vera illæ tantùm generentur ex præpoſtera venere, immodica equitatione, vel attritione qualibet in ea parte facta: at hæmorrhois nihil aliud eſt quàm ſanguinis profuſio per venas ani, aut in illis tumor ab affluente & contento ibidem ſanguine.

Vt quis exactè intelligat huius affectionis vim & naturã, expendat primò quam diſſeminationẽ & originẽ prædictæ venæ ſortiantur: & omiſsis de hac re varijs ſententijs, certum eſt ad anum terminari iuxta eius partem externam venarũ quoſdã ramulos à venis qui è vena caua deſcendente diſſeminantur, in gratiã & alimoniã partium quæ ſunt iuxta anum, exortos: item ex ramo ſplenico etiã deſcendit, & ad intima podicis pertingit ramul⁹, qui hæmorrhoidalis quoq; efficitur. Maior tamẽ copia ramorũ à venis meſeraicis in eius partis internam regionem protenditur, & hæmorrhoidas efficit. Ex quo ramorũ ductu certum eſt quaſdam ex hęmorrhoidibus eſſe externas & quæ conſpicuæ fiunt, quæ videlicet à venæ cauæ ramis deſcendunt: quaſdã occultiores, interiores & abditas, eas nimirũ quę à meſeraicis diſſeminantur. Sed vtcunq; ſit, ab vtroq; venarũ ductu multis modis fieri poſſunt hæmorrhoides: nam aut apparent & ſunt magnæ aut paruæ, copioſiores vel paucæ, recentes aut inueteratæ, cœcæ aut fluentes: quouis autẽ modo ex prædictis fiant, ſolent varijs apparere figuris inſignitæ: nam quędã ambuſtorum veſiculis ſimiles exiſtũt, ob id veſicales appellatæ, prædominãte in eis pituitoſo & ſeroſo ſanguine: aliæ rurſus vuam referunt, vuales dictæ, ab vberiori ſanguinis fluxu ortæ: nonnullæ mororum effigiem ęmulantur, quas morales nuncupãt, melãcholici ſanguinis vbertate genitas: aliæ item verrucales aut morales dictæ, tum ob figuram, tum verò ob humoris redundantis copiam. Itaque hæ ſunt peculiares cuiuſq; conditiones & figuræ, & communis omnium natura eſt tumoroſa in prædictis venis eminentia.

Cæterum cauſas hæmorrhoidum qui indiſtinctè quæſierit, facilè adhuc eis inuentis hallucinabitur. Non enim hac in parte nobis in animo eſt vtcunque cauſas quærere, ſed qua ratione aliquãdo, & quid fluxui cauſam præſtet, & quid rurſus eas cœcas, tumentes, doloroſas vel inflammatas effecerit. In primis tamen exquirendum eſt, quanam ratione prodeant hæmorrhoides potiùs in ano quàm in quauis alia corporis parte, cùm certum ſit mille in locis reperiri poſſe venarum extremitates, per quas eodem modo natura ſanguinem fundat. Cuius rei gratia ſciendum eſt quaſdam partes naturam ex inſtituto imbecilles feciſſe, vt recipiendis humoribus qui ſuperuacui ſunt, idoneæ fierẽt: quod ſanè vt cõſequeretur, eaſdẽ molles, laxas, ac ſimplicioribus meatibus præditas frabrefecerat: cuius naturæ ſunt adenoſæ & glanduloſæ partes, quas tanquam emunctoria viſcerum & capitis, creatas fuiſſe nemo ambiget. Verùm cùm ineunte ætate (nam ante pubertatem hæmorrhoides rarò ſuccreſcunt) neceſſum ſit plerunq; humoris melãcholici plurimum generari (tum ex ſolidiori alimento, tum verò ex ſtudijs, laboribus & curis) quod per emũctoria illa communia & adenoſas partes permeare & expurgari, ob propriam craſsitiem erat perdifficile, decreuit ſagaciſsima natura huic humori expurgando locum quendã inſtituere, quo faciliùs venoſum genus à ſanguinis fæce, quam ſplẽ nequit attrahere, ſe ſe exoneraret: huius naturæ ſunt venæ quę ad podicẽ conſcendũt, quib⁹ ob id oſcula tribuit laxiora & ampliora ac molliori ſubſtãtia intertexta, atq; etiã molli quadam tunica cooperta, vt ea ratione imbecillitatẽ contraherent. Cui quoque operi non parum iuuat ſitus, & nimia humiditas, qua pars naturaliter

Cauſæ.

ob excrementorum alluuiem abundat: quibus faciliùs ſuccum ſibi commiſſum ſuſceptarent: quo ſuſcepto, ſi quid per oſcula exudat intra pelliculam cõtentum, cœcas hæmorrhoides & tumentes conſtituit: tum quia quod fluit craſsius, frigidius & tranſcolationi ineptius eſt: tum verò quia tunica oſculum venarum ambiens, denſior aliqua occaſione, vel ob ſiccitatem humoris contenti facta, nõ permittit ſuccum inſtillare: atque hæc eſt potiſsima cœcarum hæmorrhoidũ cauſa. Verùm ſi quod ad extrema venarũ peruenit, tenuius eſt, calidius, aquoſius aut ad feruorem ductum, vel prædicta tunica rarior, laxior & mollior, hæmorrhoides quidem fiunt, quia in tumorẽ eleuantur, ſed fluentes ob dictas occaſiones. Hac enim ratione factum eſt, vt ex neceſsitate naturæ prodeat, in hæmorrhoidum curatione ſemper vnam debere adſeruari, quam ſi quis omnino dempſerit, neceſſum eſt in maius malum laborantem migraturum. Atqui cum hoc conſtat etiam hæmorrhoides vtero poſſe ſuccreſcere, & aliquando naribus.

Verùm cùm fluere aut non fluere, deliteſcere aut apparere, vtrumque morboſum aut ſalubre mille modis exiſtat, ſciſcitandum vlteriùs eſt qua ratione aut cauſa proſint, vel obſint fluentes, & qua etiam lædant, aut iuuent cœcę & cohibitæ, vt à naturæ actibus & conſuetudine, cum laborantis commodo, aut ſecus, nobis cõſtet quando cohibere fluentes oporteat, quando permittere, & rurſus cohibitas euocare, & euocatas ſanguifluas efficere. Qua in re ſciendum eſt, per has venas aliquando ſalubriter naturam pellere quod ſanguinis copia & vbertate læſurum eſt, aut lædit: & etiam quod fæculentum aut alia qualitate idem minatur aut efficit. Et pari penſu etiam in hoc opere peccat natura, quia vel quantitatem copioſiùs quàm par ſit, fundat, vel loco fæculenti aut vitioſi ſanguinis, laudabilem & naturalem abire permittat. Item in retentione cùm cœcę ſunt hæmorrhoides aut deliteſcunt, ſi anteà apparuerant, non minus peccat natura: nam vel cœcas & vitioſo humore diſtentas non permittit fluere, vel nimis tumentes abſcondit, & aliò humorẽ ibidem contentũ transfert, tum aliquando adeò robuſta eſt, vt quicquid in eas partes fluxurum erat conterat & diſsipet, ac non ſinat illuc abire, quo mille hominũ ſortes ab hoc mali genere immunes reddit. Funditur enim per has venas ſalubriter ſanguis vbertate peccans, natura id nitens efficacia & imperio pellere: quo opere ab omnibus liberat affectionibus, quas plenitudo ſolet accerſire, vt Hipp. ſtatuerat. 6. popu. par. 3. com. 33. Conijcies enim hanc eſſe cauſam, quòd ſanguis exeat qualis à victima exciſa proſilit. Verũ ſi intempeſtiuus fiat, & vltra quã par ſit profluat, vires profectò dèijcit, refrigerat hepar, atque hydropis & mali corporis habitus cauſa exiſtit. Pari etiã ratione, ſi parcior quàm pro ratione plenitudinis videatur, profluat, prodeſt quidem, ſed diminutè, ita vt vel idiotis conſtet naturã ipſam auxiliũ expetere & iuuari deſiderare. Cõſiderabis tamen immoderati fluxus cauſas eas eſſe quas in reliquis partibus diximus poſſe id efficere: diminuti verò, naturę impotentiã, aut viarũ anguſtiã, vel quid in ſanguine fęculentũ q; velocẽ exitũ remoretur: dũ verò quantũ ſat ſit fluit, monſtrabit cõferentia & tollerantia laborantis. Proſilit etiã ſanguis vitio peccãs, vt dixerat Hipp. 6. popu. parte. 5. text. 24. ſed id tribus tantũ vſibus, vt per criſim nimirũ morbũ ſoluat, vt morbos præcaueat, & vt alios curet. Sic profectò eos dũ vitioſus fit ſanguis præcauet, & alios ſimiles, quorũ meminit Hipp. loco citato dicẽs: Hęmorrhoidas habẽtes neq; pleuritide, neq; peripneumonia, neq; phagedena, neq; furũculis, neq; terebinthi formã habẽtibus, fortaſſe neq; lepra neq; alijs: qđ quidẽ dixerat Hip. quia vitioſi humores per eas plerũq; purgãtur. Curãt etiã plures & grauiſsimos morbos, iuxta illud Hip. 6. aphor. 11. Melancholicis & renũ vitio laborantibus hæmorrhoides ſuperueniẽtes & fluẽtes, &c. Quod etiã grauioribus verbis dixerat 6. popu. part. 3. text. 37. De cubitus quidem in quibus facta tollit, hæc ante facta prohibet. Et eâdem parte idem videtur ſtatuere dicens: Alterius loci loca recipientia, aut dolore, aut ponderе, aut alio aliquo liberãt, aut alijs cõmuniones. Quibus locis docet, ex mutatione vnius morbi in alium ſalubres fieri mutationes, & hãc quæ fit per hæmorrhoides eſſe cunctis ſalubriorem. Sed in decubitu hoc & mutatione humoris vitioſi morbum minantis aut efficientis ad hæmorrhoides, peccatum non minus quàm in præcedenti defluxu comperimus: quippe ſi plurimũ fluant, ob caloris & ſpirituũ diſpendium (licèt malo præſenti proſint) lædunt tamẽ, & aliud denuo fabrefaciũt. Sic etenim animi deliquia & malum habitum corporis, & id tãdem omne quod accidiſſe Eudemo in Lariſa refert Hipp. 5. popu. 20. nam inquit: Eudemus in Lariſa hæmorrhoidas habens, fortè valde & diuturnas, cùm exanguis extitiſſet (qua ſententia conſtat, ſiquidem diuturnæ erant, per eas vitioſum & copioſum fuiſſe expurgatum ſanguinem, quòd exanguis factus eſſet) bilis cõmota eſt, & aluus inferior turbata, excreuit biliоſa & hæmorrhoides intumeſcebant, tandem alia vitia annumerat, quæ ex copioſi ſanguinis efluxu ſuccreſcere aſſolẽt, licèt vitioſus extitiſſet. Cauſa verò profuſionis immodicæ in his ſuccis eſt, vel craſsior terreſtriorue ſanguis, qui deorſum vergens ad ani venas, vel ſua ſponte prolabitur, vel à natura pellitur nimium ab eius ſpurcitia & grauitate laceſsita: item bilis atra erodens ac vellicans ſicut bilis quoduis genus, quibus natura irritata ſeſe ad illud ſanguinis emunctorium conuertere nititur, & impetu ſemel incępto ſæpius exequitur, ita vt rariùs (maximè conſuetudine accepta) ſe poſsit cõtinere quin fluat, quãuis lædat. Augęt prædictas profuſiones laxitas & pororum apertio & viarũ mollitudo. Verùm ſi horum humorum qui ſanguinem vitiant, parcior fuerit profuſio quàm par ſit, neceſſum erit prædictos affectus ſubſequi, augent enim naturæ impotentiam, & arguunt viarum ſtructuram ac humorum reconditam ſedem & lõgè diſsitam à prædictarum venarum ductibus.

Cauſæ verò quæ cœcas hæmorrhoides gignunt, variæ exiſtunt: nam primò cõſiderare oporter, qua nam ratione fiant tumentes: ſecundò cur ſi tument non fluunt: item cur aliquando indoloroſè tumeant, & cur tumentes doleant: etiã cur nonnunquam deliteſcant, aut deliteſcentes non lædant: præterea quomodo inflammentur, & quid interſit inter inflammationem & inflationem earum. Cauſa autẽ cur hæmorrhoides tumeant eſt craſsi aut copioſi ſanguinis affluxus: tunc enim vaſa quæ in prædicta oſcula finiuntur, ex copioſi ſanguinis affluxu nimis diſtenta tument, atque potiſsimum eorum pars quæ receptioni eſt idonea, qualis extrema eſt & venæ caudex: huic enim muneri laxiorem & ampliorem cæteris fabrefecerat natura, vt vſus tempore, quod illuc tranſmittitur, reciperet. Sic enim duobus modis tument, vel intus in proprio foramine, dilatato tamen ob copiam (quas cenſeo propriùs occultas hæmorrhides eſſe appellandas) vel extra, humore prolapſo in cooperientem oſcula tunicam, ita vt à ſucco illic proiecto, veluti veſicula quædam promineat, & has apparentes hæmorrhoidas ſeu conſpicuas appellamus. Cauſam autem cur humorem obtinentes adeò copioſum, non fluant, (præter humorum craſsitiem) expellentis illius loci impotentiam & retinentis robur, oſculorum cutis qua teguntur coarctationem, duritiem & ſoliditatẽ arbitramur eſſe, adeò preſſam, vt non rarò admittant priùs corrũpi & putrefieri, quàm aliquid à ſe fundere. Cenſeo tamen aliquando tumentes

dolere, quòd aliquid humoris ad carnea ſpatia ſubitò exudet, quo maximos ſuccreſcere certum eſt cruciatus, aut oſcula & vaſa ita tenſè & affatim dilatari vt rũpi videantur, & dolore ingenti crucientur, maximè ſi quod fluit acrimoniæ & mordacitatis particeps fiat. Aliquãdo verò indoloroſè tumẽt, quia vel humor qui colligitur pituitoſus, mulcebris & aquoſus eſt, aut paulatim ibidem colligitur, aut pars affecta aſſueta eſt prædictas collectiones pati, vel certum eſt aliquid ſenſim exudare, quo minus moleſtari & faciliùs diſtendi cõtingit. Cur verò deliteſcant, licèt plurimum tumeant, duplex aſsignatur cauſa: vna humorum recurſus ad aliam partem, quo nõ parum homines læduntur: alia verò earum diuiſio, ſeu per inſenſilem euaporationem reſolutio, quo fit vt deliteſcentes, etiamſi plurimum intumuerint non lædant. Verùm quia natiua ſorte has venas huic muneri aptas ſortiuntur homines, vel quia licèt aliquando tumuerint, nunc verò corrugatæ ſunt & cõſtrictæ, contingit ab humoribus dictis inflari, & adeò ingenti calore turgere, vt inflammationem pati ſimulent, re vera calorifica illa inflatio longè diuerſa eſt ab inflammatione: quippe illa ſemper fit in prædictis vaſorum oſculis aut pelliculis earum, cauitate repleta, hæc verò in carneis ſpatijs & locis quæ diſciſſa & ſeparata abſceſſum conſtituunt: nam quæ inflantur, cauitates tantùm ſunt, quæ verò inflammantur, partes ſunt continuæ non contiguæ. Atque hæc eſt cauſarum integra ratio, & variarum figurarum ac ſymptomatum differentia, & vſui practico commodior diſceptatio. Neque minoris momenti eſt occaſiones nouiſſe, quibus excitati ſolent: nam à demiſſo exercitio, à pleniori victu, à ſuppreſsione ſanguinolentæ fluxionis, ſiue per nares, ſiue per vterum, item ex nimia ſuper rem duram ſeſsione, ex frequentibus aquæ calidæ balneis, ex curis, ex mœroribus, & reliquis quæ ſanguinem vrere, & vias corporis laxiores reddere poſſunt.

Signa. Item hic affectus ſignis firmatur adeò euidentibus, vt rarò accidat dubitare an ſit, licèt ſanguinis fluxionem ob alias cauſas per anum prodire certum exiſtat. Dolentes verò & tumentes hæmorrhoides facilè noſcuntur, at fluẽtes dubię ſunt, quòd cum alui excrementis ſanguinem admiſceant, qui mox corpore erecto non ampliùs fluat. Verùm is qui fluit ſi melancholicus ſit, facilè noſcetur ex nigro colore: atrabilioſus, ex ſplendore: ſi ex copia fluat, rubicundus: ſi à meſeraicis, ſubalbidus, & eiuſdem coloris cùm pituitoſus exiſtit. Præterea cuiuſlibet conditionis ſanguis ſit, ſi aquoſus & paucus fluat, per reſudationem prodire certum eſt, ſi paulò craſsior & in maiori quantitate, per anaſtomoſim, maximè ſi in compreſsionibus ani guttatim excernatur: ſanguis verò craſsior, copioſior & ſine compreſsione, ob eroſionem prodire eſt credendum: maximè ſi vlceris aut ſolutionis continui occaſio præceſſerit. In corruptionem & putrilaginem abire diſces, ſi ex vehementibus doloribus laborans quieuerit, non ſubſidente & euaneſcente tumore, maximè ſi colorem in ſubnigrum mutauerit: vlcerari, ex ſanie fluente: inflammari, ex febre cum pulſatiuo dolore.

Præſagiũ. Bonum ex hæmorrhoidibus tũc expectare oportebit, cùm ſuperfluũ moderatè excreuerint, nam ob id à varijs morbis liberare dictũ eſt, ſicut & præcauere, maximè ſi natura eis aſſueta, hoc ſubſidio orbata ſit: ſi verò immoderatè, modò ſuperfluũ ſit, modò ſecus, ſemper læſuras ſperabis, itẽ ſi nihil excreuerint: ſperandũ enim eſt graue aliquod malũ protinus ſubſequuturũ. Sic profectò, dũ fluunt, ab atra bile, coxendice, mania & melancholicis affectibus liberãt, quẽadmodum ſuppreſſæ accerſunt. Atqui licèt hæc vacuatio in genere præter naturam ſit, & ob id nulla lege aſſuetũdinem admittat, quibuſdam tamen naturis incolumis valetudinis cauſa exiſtit,

exiſtit, vt vexatis renum paſsionibus, quartana, atra bile, angina, pleuritide & epilepſia: quo fit vt periodicè eas natura moueat aliquando, vt fœminis quæ parere deſierunt, viduis, ſenibus, & his quibus menſes ſupprimuntur.

Curandi ratio. Hæmorrhoides qui curare ſtuduerit, eas duobus modis cõſideret oportet: vno quidem vt alijs morbis medella exiſtunt: alio verò vt ipſæ morboſæ ſunt & præſidium expoſtulant: iuxta primam enim conſiderationem noſſe conuenit, quibus proſint affectibus, vt quando excitandę arte ſint exactè diſcas. Huius rei integram tractationem ſcripſimus lib. noſtro de recto præſidiorum artis Medicæ vſu, capite de prouocandis ſuppreſsis fluxionibus: interim tamen ſcito, hæmorrhoidas excitandas eſſe, vbi & in his morbis in quibus ſponte fluentes prodeſſe aſſueuerant, & in his etiam in quibus ſuppreſſæ lædunt: in genere tamen in his omnibus quæ ex craſſo fœculentoue aut adusto ſanguine fiunt, & in vetuſtatem prolapſæ ſunt, & in his inſuper in quibus aliquando apparuerunt & nunc earum eſt veſtigium: fruſtra enim eſt in alijs excitare, neque hirudinibus, neque aliter podicem irritando, neque vbi affectus nimis frigidus eſt, niſi copiam ſanguinis craſsi coniunctam habeant, nam hac ſola ratione reſolutis prodeſſe aliquando ſolent.

Cùm verò hæmorrhoidas vt morbus eſt, cõſideramus, triplex ſuccreſcit curandi methodus: altera quę cœcas aperiat: ſecunda quæ dolẽtes leniat & ab imminentibus ſubinde grauioribus malis pręcaueat, aut curet, ſi iam aliquod adſit: tertia verò quæ apertas & nimiũ fluentes compeſcat, moderetur aut curet vt ampliùs non reuertantur. Cœcas enim apparentes, hoc eſt, quæ nõ fluunt (nã de cœcis propriè, hoc eſt, quæ non tument neq; ſub aſpectum veniunt, poſtea ſcribam) aperiendas eſſe & imminuendas conſulit vel copia ſanguinis ibidem iam fluxi, qui per maiores venas imminui non poteſt, vel cõſuetudo, quæ ſuppreſſa nunc eſt, vel grandioris affectionis per eas partes curatio, vel ipſarum hæmorrhoidum dolor & tumor, qui alioqui ſubſidere nequeunt. Primò tamẽ ante earum apertionem, quæ manu fit, tentandum eſt eaſdem imminuere, quod facies vbi priùs ab vniuerſo corpore redundantem ſanguinem dempſeris: quo facto inſeſsionem & fotum primò parare oportet ex decocto maluarum, parietariæ, florum violarum, camemali, meliloti, hypericonis, tapſi barbati, ſeminis lini & fœnugræci: cuius euaporationem ſuſcipiat laborãs, vel pannum eo decocto madidum ſuper hæmorrhoidas calidum appones, vel facculos ex eiſdem herbis confectos, madidos etiam & calẽtes. Quòd ſi his aperiri nequeant, vel reſolui ac diſsipari, vino irrorabis, aut pannum eo calido madidum appones, diſcutit enim & corrugat mirum in modum, ac dolores ea ratione compeſcit. Præſtat eundem vſum mel ipſis appoſitũ, aut cum cinere ſparmæ parellæ, vel puluere eius, maximè ſi laborans morbi Gallici ſit particeps. Verùm ſi his non ſit ſatis, apperiendique aut diſcutiendi vigeat neceſsitas, medicamentis acrioribus rẽ agere oportebit, vt ſucco cepæ, calaminthæ, origani, nitri, felle porci, ſucco ciclamis, chamœleæ, thymeleæ & ſimiliũ. Quòd ſi ad hęc peruenire verearis (quòd maiorem ſoleant concitare dolorem & inflammationẽ) aſperiori linteo vel ficulneis folijs, borraginis aut vitis ipſas confricabis, quouſq; inſtillare ſanguinem conſpicias: poſteà vel inſeſsione aquæ calidæ, vel fomẽto aliquo ſanguinẽ tenuabis & laxabis cutẽ, donec quod ſat ſit ſanguinis, extraxeris, cauẽs ne fluxio vltra quàm par ſit pergat, ſolet enim nõ rarò magnũ facereſcere negotiũ. Si tamẽ nimiũ neceſsitas vrgeat, & corruptionis timor vel doloris immanitas aut maioris mali imminentia præſit, hirudines eiſdẽ affigere oportet, & tantũ ſanguinis extrahere quantum par ſit: quod etiã facies acutiſsimo ſcalpello & minutiſsimo facto foramine, quod

cautè & prudenter fieri debet, nam ſæpe maior ſuccreſcit ſanguinis fluor, quàm opus ſit, aut compeſci facilè poſsit: cuius loco ad medicaméta aliquo modo acria & erodentia te conferes, qualia ſunt quæ nuper diximus, & eſt illud quod recipit pinguedinis porci. ℥.j. olei irini vel rutacei. ʒ.iij. fiat vnguentum molle, cui adde modicum ſucci cepæ rubeæ. Præſtat & idem ſuccus, vbi cepa priùs in aceto maduerit, cum butyro, roſaceo & vitello oui. Eundem vſum præſtant ſuppoſitoria ex radice ciclaminis, vel ex quauis re, vbi taurino felle illiniatur, vel inſpergatur pulueré ſtercoris columbini. Proſunt etiam fotus ex decocto ciclaminis, centaurij, abrotoni, matricariæ, brioniæ, radicis ireos & abſynthij. Verùm quia dolor ſæpius longè maius negocium faceſſere aſſolet, obid illius diligentiſsimè habenda cura eſt, inſpiciendumque, an pars cum inflammatione vel ſolùm cum calore & exarſione doleat: nam ſi primum, refrigerare ſolùm ac laxare partem opus eſt: quippe ea quæ cum adſtrictione aut repulſu refrigerant, ſummopere lædunt, niſi dolor cum fluxione ſit. Quapropter vbi ardor & tenſio perſentiuntur, primò dolorem ſedabis oleo violarum, vermium terreſtrium, lacte cum vitello oui agitato in mortario plumbeo: ſed præſtat id quod recipit mucaginis fœnugræci & ſeminis lini extractæ cum vino. ʒ.ij. butyri recentis. ℥.iij. ſepi capreoli. ℥.j. ſimul agitentur in eodem mortario, & fiat linimentum. Eiuſdem quoque vſus eſt id quod recipit olei violarum. ℥.iij. mucaginis ſeminis pſyllij. ℥.ij. miſce & vngatur ſedes: præſtat & id quod recipit olei violarum. ℥.iij. ceruſæ lotæ. ʒ.v. ceræ quod ſufficiat: item vitellum oui cum roſaceo, vel albumen oui cum lacte muliebri: violaria in lacte cocta mixto modico roſaceo: valet & roſaceum vnguentum aut refrigerans Galeni: item mica panis albiſsimi cum lacte & oleo roſaceo cocta. Conueniunt tandem mucagines ſeminis cytoniorum, lactucæ, portulacæ & pſyllij: ex quibus ſeminibus cum foliis violarum, maluarum & althææ, ac floribus violarum & roſarum, fiunt facculi & fotus qui maximi ſolent eſſe vſus. Facito etiam vnguentum quod recipit olei violacei. ℥.ij. vnguenti populei. ʒ.ij. cum ouo integro fiat vnguẽtum. Verùm ſi acrimonia, ardor & dolor acerbiùs infeſtent, in ſemicupium deſcendere iubeto, moxque vlceribus, ſi quæ fuerint, quod ſequitur medicamentum impone: excipe olei roſarum. ℥.iiij. ceruſæ. ℥.j. lithargyrij. ℥.ß. ceræ nouæ. ʒ.vj. opij. g.iiij. fiat vnguentum: vel recipit thuris, mirrhæ, croci. ana. ʒ.j. opij. g.ij. fiat vnguentum cum oleo roſaceo & mucagine ſeminis pſyllij addendo vitellum vnius oui. Idem beneficium præſtat, & maximè vbi reſoluere eſt in animo, id quod recipit radicis liliorum. lib.ß. olei amygdalarum dulcium, violarum, axungiæ porcinæ. ana. ℥ j &.ß. decoquantur ſimul & piſtentur, ac fiat colatura vt maneat in forma linimenti. Proſunt & inſeſsiones quæ recipiunt radicis althææ, maluarum & violarum. ana. m.j. florum camemali, meliloti, ſambuci, item ſeminis lini & fœnugræci. ana. ℥.j. decoquantur in iure pingui. Quòd ſi ne hęc quidem omnia prodeſſe videantur, iterùm narcoticis vti oportebit, dummodo à ſedatione doloris partem vino calido aut aqua etiam calida abluas.

Verùm ſi citra morſum, dolorem aut caloris augmentum, repellere quod influit, & ſiccare quod impactum eſt, libuerit, tunc profectò ad ea vnguenta quæ mineralia recipiunt te conferes, quale eſt quod recipit. ℥.iij. alicuius prædictorum oleorum & ex ſuccis memoratis. ℥.j. pulueris lithargyrij quod ſufficiat vt fiat vnguentum: vel item ſi receperit eadem olea & in mortario plumbeo agitentur cum mucilaginibus aut ſucco aliquo ex prædictis: erit & vtilius ſi ceruſſam & lithargyriu m receperit. Fit etiã ex bolo Armeno aut terra ſigillata aut fabrili, maximè ſi

mè ſi herbarum adſtringentium ſuccum acceperit, vt plantaginis, burſæ paſtoris, linguæ paſſerinæ & ſimilium.

Fluentes verò ſiſtere, iudicio noſtro neque ita tutum aut facile eſt, neque omnino permittendas eſſe arbitror: quippe illud in malùm corporis habitum, ſyncopem & mortem commigrat, ſed frequentiùs in maniam aut melancholiam: hoc verò in hydropem, tabitudinem & fœdum corporis colorem, tandem vtrumque triſtem & calamitoſam accerſit vitam. Sic enim primo morbi acceſſu non licet omnino meatum occludere & fluxum compeſcere: ſed primò expendendum eſt an ſanguis ille fæculentus nimiũ abundet (qua occaſione & fluxum aliquo tẽpore admittere, & cùm ſat eſt & nõ ſubſiſtit, cohibere opus eſt, ſanguine leuiter miſſo ex brachio, vel frictionibus aut ligaturis, tum partium extremarum, tum totius corporis, vel cucurbitis ſub alis & inguinibus affixis, vel è regione iecoris aut ſplenis lumbis & dorſo) an vitioſæ vel feroſæ ſubſtãtiæ plurimum habeat permixtum (illud quidem ex rubore & turgore totius corporis & venarum, ac ex ſignis plenitudinis diſces: hoc verò inſpecto ſanguine venaberis, feroſior enim & bilioſior conſpicuè apparet) quo tempore purgationibus ex rhabarbaro aut cartamo cum ſaccharo roſaceo frequenter factis, ſanguinem ab ſpurcicia vendicabis, & ſubinde fluxum compeſces. Verùm ſi tenuis ſanguis ſit, vel ora venarum nimium laxa patulaque (ſiue ob fluendi aſſuetudinem, ſiue ob aliquam occaſionem) intus & extrà diligenter curandum eſt ſanguinem incraſſare, & vias comprimere. Sic profectò huc trãsferre oportet quæ capite de hæmoptoica paſsione adduximus pharmaca: ſed proſunt (ſi priùs ruptionem non eſſe conſpexeris diligenter, nam tunc temporis per agglutinantia, ac ſi vlcus vetuſtius ſit, per mineralia pharmaca rem ages) plantago & polygonum tam in cibis quàm exteriùs adhibita: prodeſt etiam cum ſaccharo roſaceo bolus Armenus, aut terra lemnia, lapis hæmatitis, puluis coralli, roſarum & id genus reliqua: item cytini puluis, malicorij, myrti & mali punici corticis, quibus ſi addideris farinam volatilem vel araneorum telam cum albo oui, ex vſu facies: ſic etiam confert exteriùs adhibitum idem oui album cum pulueribus roſarum, gypſi, ſanguinis draconis, amyli, myrtillorum, coralli, terræ lemniæ vel fabrilis cum aliquo ex ſuccis prædictarum herbarum.

Quòd ſi ne hæc quidem omnia prodeſſe videantur, ad chirurgicam curationem deueniendum eſſe conſulit vrgentiæ ratio: nam aliquando profluuium hoc adeò pertinax eſt, vt ne valentioribus quidem cædere velit, vel ſi cædat paulo poſt violentiùs redeat. Cui incommodo manualis operatio obſiſtit ſiccantibus, cauſticis, bolſela & vinculo interceptis venis. Non placet omnino antiquorum mos, qui apprehẽſas quibuſdam ferreis inſtrumentis deligabant, vt cauſticis putrefacientibuſque medicamentis aut igne vſtas dirimerent, & tandem pharmaca vlceribus ſedis proficua adhibebant. In qua ſanè curatione, præterquã quòd omnes abſcindere nulla ratione datur, cùm ſemper vnam quæ modicè fluat relinquere, conſilium ſit Hippocrat. ne reuerſo interiùs vitioſo ſanguine maius ſuccreſcat malum: fluendi enim conſuetudo aut vitioſa copia non omnino neque vtcunque compeſcenda eſt. Sed leuiter ligatas hæmorrhoidas ſiccari permittes, aut ſi placet vres: verùm tutius videtur ſiccantibus pharmacis rem agere, qualia ſunt puluis radicis caulis torrefactæ, ſtercus caninum crematũ, fæx vini arida & vſta, adiecta paruula portione vitrioli cum albumine oui & oleo roſaceo facto vnguento, vbi priùs partem madefeceris vino calido: ſcindũtur enim & exſiccantur, ſi ligaueris filo facto ex interiori cortice nucis arboris, cui vſui alia nõ pauca reperies apud Chirurgos.

Nec minoris momenti eſt ſcire quid agere oporteat cum fluentes hæmorrhoi des ſubſiſtunt, & conſuetudine amiſſa ampliùs non purgant & morbus cui medella erant iterum redit: quo tempore niſi præ ſenio ſupprimantur, neceſſum eſt vel eaſdem reuocare, vel alia vacuatione ſupplere, vel fonticulam altero crurum aperire, ſi neutrum dictorum poſsibile fuerit. Qua lege eas liceat prouocare reperies lib. de recto præſidiorum artis Medicæ vſu. tom. 2.

LAVS DEO.

DE INTERNORVM MORBORVM curatione.

LIBER QVARTVS.

Iuxta humani corporis fabricam, internarumque partium ſitum colligantiam & ordinem, ſequitur neceſſariò hac in parte eos affectus expendere & curare, quos ad iecur, ſplenem, renes & veſicam pertinere conſpicimus. Qui profectò vt frequentiores ſunt, & non minoris momenti ad vitam, ita maiorem diligentiam in artifice requirunt, qua vitam calamitoſam ærumnoſamque quam præſtant, præcauere, aut ad meliorem mutare poſsimus. Quis enim eſt qui ignoret iecoris vitia facillimè toti corpori fieri communia? quis fœdum colorẽ, triſtem vitam & grauiſsimas obſtructiones ſplenem præſtare non videt? Quis inſuper renum & veſicæ affectiones tum lethales, tum grauiſsimas & intollerabiles nõ veretur? Profectò adeò creuit harum partium impotẽtia & languor, quòd non ſolùm ætate grandioribus, verùm & pueris frequentiſsimè accidere conſpiciamus, quod antiqui rarò aut nunquam viderunt, neque id ſolum, ſed adeò his partibus nouos affectus ſuccreſcere, quorum neq; authores meminere, neque eos priſca illa ætas vnquam guſtauit. Quapropter ſtudui omni diligentia & viribus integris horum membrorum affectiones expendere.

De iecore in propria ſubſtantia ac in reliquis eius partibus obſtructo. Caput. I.

SE ſe iam offert aliud ex præcipuis membris, iecur nimirum: in quo cùm potiſsima noſtri alimenti ratio ſita ſit, dum afficitur, vniuerſum ferè corpus varijs affectionibus & potentiæ omnes prolabi periclitantur, eiuſdem alimenti cõſpurcata & aliena facta natura. Verùm cùm huius membri vitia varia ſint, & varię etiam obſtructionum ſortes, fit profectò vt difficulter diſtingui & curari poſsint, non ſolùm quidem ex ignoratione naturæ cuiuſque, ſed etiam ex affectus grauitate. Quamobrem breuiter id priùs abſoluere ſtudui, præhabita tamen ſtructuræ iecoris natura. Iecur igitur cuius ſedes ſubtus mendoſas coſtas dextri lateris ſita eſt, parte ſui gibba ad ſeptum alligata conſcendit, venæ cauæ principium & originem præſtans, plurimis & minutiſsimis venis intertexta, quæ poſtea in maiores coaleſcentes, in vnam tandem deſinunt, quę veluti caudex & ſtypes exiſtit, caua nuncupata, à qua venæ omnes deducuntur, præſtaturæ omnibus partibus alimentum. Parte item altera iecur ventriculo incumbit ipſiq; adhæret caua eius parte, intertexta etiam venulis, quæ eodem modo inter ſe cohærentes, in quinque maiores coaleſcunt, & hæ rurſus in maiorem quandam venam portæ appellatam degenerant, à qua velut radices per meſeræon, inteſtina & ventrem venulę diſſeminantur, chyloſam ſubſtantiam

ſubſtantiam in iecur per portam appellatam venam delaturæ. Suſceptat tamen ſanguinem vena caua à iecore generatum per radices & extremitates, quas conſtituere venam portæ anteà diximus, quarum oſcula oſculis eiuſdem venæ cauæ adhærentia referunt contentum ſanguinem in iecur ipſum, ea parte & eo artificio quo ſuſceptare & fugere facilè prædicta venæ cauæ oſcula poſsint, quo faciliùs venam cauam irruens, per vniuerſum corpus diſtribuatur. Præter quæ vaſa, alia quidem non pauca hoc viſcus continet, quæ etiam ad cauam ipſius partem contingentia, in vas quoddam ſeu foramen vniuntur ac degenerant: è quo pendet veſica fellea, quæ bilis ſuperuacuum è ſanguine, antequàm venam cauam ingrediatur, & ipſum conſpurcet, trahit, expurgatura bilis aliquid per inteſtina. Obtinuit etiam iecur in parte eius carnea, licèt ex concreto ſanguine conſtet, foramina non pauca, atque etiam arterias caloris & roboris gratia illi præſtitas. Tegitur deſuper tenui membrana neruulis quibuſdã intertexta, quæ licèt ſenſu participet, nullum tamen aut quàm tenuiſsimum viſceri cõmunicat. Verùm cùm huius membri miniſterium ſit ſanguinem ex chylo conficere, oportuit trahente etiam virtute donari, quæ per venas portæ (vt dictum eſt) medijs meſeraicis, à ventriculo & inteſtinis chyloſam ſubſtantiam ſugat, & virtute quoque diſtribuente, quæ facta in ſanguinem mutatione, ad exiles portæ venas refundat, & per ora venarum venę cauę regerat, an adoſym complens: nec non & ſecernente, quæ bilem redundantem & ſuccum melancholicum antea ſeparet, & ad propria emunctoria tranſmittat, ſiuante etiam in expurganda melancholia ſplenis tractione.

Quam ſanè iecoris ſtructuram & mirum naturæ artificium qui exactè expenderit, facilè diſcet nullam eſſe in corpore particulam, tot morborum ſortibus adeò obnoxiam. Quippe ex intemperamenti vitio in ſanguificationis munere deficiens, hepaticis affectionibus nimis obnoxium exiſtit: inſuper ſeparationis defectu, ictero & innumeris carnium & cutis affectionibus corpus opprimitur: obſtructuram etiam vitiatam (ſiue compreſsione, ſiue oppreſsione ſiue obſtructione lædatur) innumeri ſuccreſcunt morbi, quos vel humorum abundantia vel vitium, aut tumorum præter naturam aliqui efficere poſſunt, adeò vt ſedula diligentia curandum ſit, ne huius membri affectiones inueterari contingat, cùm maioris mali præludium ſint, & efficaciſsimæ cauſæ.

Obſtructionum varietas.

Curaturo mihi huius viſceris obſtructiones, incumbit difficultatis in eiſdem diſtinguendis & curandis priùs rationem patefacere, explicata obſtructionum eius varietate. Quippe ei ſuccreſcere non rarò aſſolent quatuor obſtructionum ſortes, iuxta quatuor partes, quæ in ipſo obſtrui poſſunt. Quarum primam conſtituere placet in venis meſeraicis & vena portæ, quæ ab ipſis conflata, veſtibulum eſt & via, qua it in iecur ipſum alimentoſa potulentaque ſubſtantia. Quo fit non rarò vt ſi quid craſsius vel ibidem generetur, vel cum alimentis deferatur, difficulter permeet, prohibeatque deinceps liberum alimentorum ſubingreſſum, vt euidenter monſtrare aſſolent chyloſæ per ventrem deiectiones. Nam cùm in iecoris focum & ſanguinis officinam alimenta non conſcendant, vltrò per eaſdem meſeraicas ad inteſtina prolabuntur, ſignum profectò euidentiſsimum obſtructionis prædictorum vaſorum. Secunda obſtructionis ſors eis venarũ propaginibus ſuccreſcit, quę in cauam venam degenerant delationi ſanguinis iam cõfecti idoneam. Quibus ſanè & venæ etiã cauæ obſtructionẽ accidere frequentiùs ſcimus, ratione ſuccorum qui in ipſis ſunt, vel ex iecoris vitio prodeunt, vel alimentorum ſpurcitia, craſsitie, lentore, tenacitate aut immodica copia. Quibus contingit prædicta vaſa aut

aut aliquot ex eis adeò obturari, vt vel minimum vel nihil alimenti ſeu ſanguinis ad vniuerſum corpus deferatur, aut lentiùs quàm par ſit, eat: quo fit vt atrophia vel alia conſumptionis ſorte marceſcat & collabatur. Tertia inſuper obſtructionis natura & conditio eſt cùm ab eiſdem cauſis, vel à copioſiori & craſsiori bile, vaſa quæ felleum foramen conſtituunt, vel id per quod ad inteſtina conſcendit bilis, obſtruuntur: tunc enim in pallorem ſeu icterũ mutatur vniuerſum corpus. Quarta verò & vltima obſtructionis ſpecies (& quæ vt mea mens tenet, propriùs nomen obſtructi iecoris præſtat, diuerſa ab omnibus dictis, & eas etiam omnes ſecum habet comites & accerſit, à diuerſa tamẽ cauſa, ab his quas memorauimus conflata) eſt, cùm meatus ſeu pori corporis, vel parenchymatis ipſius iecoris aut vaſorũ illuc pertingẽtium extrema, adeò humoribus infarciuntur, magnitudine maiori adeò acquiſita, vt tres illas interiorum & maiorum cauitatum ſortes & propagines anguſtiores reddat, refundatque in eas conceptum tumorem.

Cuius obſtructionis naturam & peculiarem conditionem antequàm exponere aggrediar, neceſſum eſt docere eam proculdubio eſſe, quæ propriùs & abſolutè nomen obſtructi iecoris præſtare habet, reliquas verò non niſi cum addito & ſingulariter: quod multis rationibus probare incumbit. Prima quia in quauis earum vna dumtaxat pars ſeu vna vaſorum ſors obſtruitur, & peculiariùs illius actio lædi-tur: in hac verò omnes ſimul oblædi plerumque contingit. Quòd ſi omnes tres cauitates ſimul à craſsis vel copioſis ſuccis obſtruantur, obſtructum etiam iecur conſtituent, ſicut hæc quarta, non tamen prærequirent peculiarem curationem vtilla, ſed omnibus tribus & cuique earum communem: hæc verò & ab omnibus & à ſingulis diuerſam. Præterea reliquarum partium iecoris obſtructiones, ei capiti reduci tenentur, cui primò & per ſe conuenit ſymptoma ſeu morbus qui ex ea obſtructione oritur. Sic reducenda venit venæ cauæ obſtructio ad atrophiam ea occaſione ſubortam; & ea quæ fit in vena portæ ad chyloſum fluxum, ſicut quæ fellis vaſculis accidit, ad ictericas affectiones. Hæc verò obſtructio ſola nulli alteri aut peculiari affectioni reducenda venit (ſed omnibus, ita vt nulli affectionum capiti adſtricta videatur) ſed ſola apparet obſtructi iecoris nomen mereri, & caput ſibi peculiarius expoſcere, nec non circumſcribere propriam curandi rationem, nullo habito reſpectu ad alterum affectum, præterquam ad obſtructionem ipſam, quæ à reliquis natura & cauſa longiſsimè diſtat. Item hæc ſola eſt quæ tactu diſtinguitur & cognoſcitur, nam reliquæ tactui deliteſcunt, niſi etiam adeò creuerint, quòd corpus iecoris in maiorem magnitudinem attollant: quo tempore ad huius naturam accedunt, eo quòd omnes cauitates iecoris coarctentur. Quo fit vt mirũ non ſit, ſi non rarò accidat vel peritiſsimis Medicis falli in reliquis obſtructionibus inueſtigandis: nam credunt nullam eſſe obſtructionem quæ tactu non percipiatur: ex quo fit vt communi hominum conceptu conſtet eam ſolã verè eſſe iecoris obſtructionem quæ tactu diſcernitur. Inſuper, reliquæ omnes obſtructionum ſortes præludium & cauſa exiſtunt ſignatorum & plurium morborum, at hæc ſola plerumque ſuccreſcit & oritur in fine & declinatione diuturnorum morborum, aut acutorum, in quibus laborans imprudẽter ſe geſsit, aut natura ſe ſe in id viſcus exonerauit. Quo fit vt eorum morborum ſemper cauſa & principium exiſtat qui complicatam & variam ac difficilem habeant naturam: quòd in ea plures iecoris partes oblædantur, & ſolidior eius ſubſtantia in magnitudinem augeatur tactu perceptibilem, adeò vt difficiliùs curari ſæpiùs contingat. Quapropter iuxta optimam rationem me feciſſe arbitror, ſi peculiare huic conſignauero caput.

Soci

Huius obſtructionis eſſentia.

Scio profectò non defuturos qui me quoque ſicut & Auicenam & eius ſequaces, hanc etiam obſtructionis ſortem inſinuantes, carpant, quòd id vitiũ quod ad magnitudinem vitiatam Galenus reduxit, obſtructionũ generi ego reduxerim, cùm ex Galeno nõ conſtet porositates illas obturatas, obſtructionis nomen mereri poſſe. Sed expendat qui hæc legerit, mihi non eſſe in animo ſolùm magnitudinis illam cauſam quæ iecoris corpus dilatat ad veram obſtructionem reducere, ſed vt cauſam longè diuerſam à craſsitie, lentore & copia humorum quæ communem obſtructionem conſtituunt, recenſere. Nam id iecur obſtructũ appellamus, (licèt ab alijs quoq; obſtruatur) in quo quoad omne viarum genus oblæditur: ſi quidem dum ſolùm quoad vnam vaſorum eius ſortem obſtruitur, non læditur totaliter vt in hac. Cuius rei occaſione expendendum eſt iecoris poros adeò certis quibuſdam humoribus impleri, vt neceſſariò ipſum viſcus in maiorem molem augeatur iuxta omnes ſui dimenſiones, ita vt non ſolùm ad ſuperficiem & extimas eius partes eò creſcat, quòd facilè tactus diiudicet, ſed ad interna item non minus, vt ſi quid cauũ ſit (vt re vera eſt) cõpreſsione coarctet, anguſtet, & veluti obſtruat. Cuius vitij modũ & cõditionẽ optimè expreſsiſſe & depinxiſſe viſus eſt Gal. lib. de diff. morb. cap. 7. hæc verba ſcribens. Iam verò cauitatũ omnium quæ partibus dentur, tum magnitudo, tum multitudo, niſi ſeruetur, neceſſariò earũ occaſione lædetur actio. Multæ verò huiuſmodi ægritudines nonnullæ coalitu quodã, nõnullæ verò lentorum ac craſſorum obſtructu conſiſtunt. Aliæ verò ipſis corporibus nimium exſiccatis, aut ab aliquo ex circumſtantibus ingruenti ac comprimẽti anguſtioribus effectis adueniunt. Ipſorum quoq; corporũ, quæ tales meatus ſortita ſunt, ſubſtantia aliquando indurata & inflammata, vel tabeſcens, vel ſuppurata aut inflata, aut quocumque modo aliam adiunctam atq; aduentitiam adepta magnitudinem, ac deinceps ad interiores cauernas tumorem refundẽs, cauſa eſt vt obſtruantur meatus. Quibus verbis apertiſsimè monſtratur huius obſtructionis natura & differentia à reliquis omnibus, quæ ex obturatione meatuum maiorũ & cõmunium à craſsis fiunt ſuccis: item & qualis ſit in ea morbus, nã ſi quis rẽ hanc diligentiùs examinet, reperiet profectò in reliquis omnibus iecoris obſtructionibus, humorẽ ſolùm craſſum aut viſcidum vel copioſum eſſe earum cauſam, citra alicuius alterius affectionis interuentum, & obſtructionem ipſam eſſe cauitatum vaſorum morbum eſſentialem: at in hac obſtructione affectus ex præternaturali magnitudine contractus, cauſa eſt vaſorum obſtructionis, ſeu vt rectiùs loquar coarctationis aut compreſsionis, quæ non eſſentialis eorum eſt affectio, ſed per conſenſum à corpore iecoris in tumorẽ eleuato ab humoribus poros obſtruẽtibus & replentibus, & ipſum in maiorem magnitudinem attollentibus. Et ob id licèt præcipua morbi huius obſtructionis ratio in vaſorum oppreſsione ſeu obturatione per conſenſum ſita videatur, cùm hoc tamen adiunctam habet pororũ obſtructionem, qua membrum creſcens cauitates ſimul coarctat, ita vt ſit omniũ obſtructionum aceruata moles: nam corporis iecoris tumor potiùs habet rationem cauſæ coniunctæ, quàm morbi, licèt affectus ſit præter naturam, quia nullam lædit immediatè actionem, ſed interuentu compreſsionis vaſorum, & obſtructio pororum velut reliquarum obſtructionum cauſa exiſtit, mediante magnitudine viſceris. Cùm hoc tamen, humores qui in tumorem eleuant iecur, præter hunc obſtructionis modum quem gignunt, intemperant quoque iecur ipſum, & temporis tractu proprium ſuæ alimoniæ officium & etiam ſanguificationis munus oblædunt. Ex quo ſequitur qualis naturæ ſit huius obſtructionis morbus.

Cuius

Cuius doctrinæ veritatem loco nuper citato probauit Gale. his verbis. In omnibus in quibus corpora in tumorem attolluntur, atq; ex eo meatus intercludi aut anguſtiores effici contingit, nonnunquã vna tantũ prouenit ægritudo (obſtructio ſcilicet meatuũ) quæ lædit operationẽ, nonnunquã præter hãc altera, corporis ſcilicet diſpoſitio, quę obſtructionis eſt cauſa. Quòd ſi id cui tumor accidit corpus, nullum propriũ habeat opus (cui Galeni contextui addere oportet, quo clarior euadat ſenſus, læſum) vna tantũ erit ęgritudo meatuũ obſtructio, corporis verò quod in tumorem attollitur affectus, non morbus, ſed morbi ipſius cauſa cenſetur. Ex quibus cõſtat, in prædicta obſtructione vnum tãtùm eſſe morbum, puta viarũ obturationẽ, corpus verò iecoris in tumorem eleuatum non pati niſi affectum, qui potius cauſę obſtructionis nomen meretur. Ratio eſt, quia iecoris corpus nullũ habet in ſanguinis generatione officium primò ac perſe, ſed ſolùm vſum & commoditatem præſtare, quam etiam læſam non obtinebit, donec iecoris temperamẽtum ſenſibiliter vitietur. Itaq, ſi obtinuiſſet prædictũ officiũ, duplex neceſſariò ſubſequeretur morbi genus, cùm re vera vnũ tantùm ſit, putà obſtructio: nã aucta magnitudo in iecore morbi rationẽ non ſubit, ſed cauſæ. Vniuerſum enim ſanguificationis officium vaſculis tribuit natura, vt Gale. probat loco citato, ſcribẽs in prædicta obſtructione tantùm eſſe vnicũ morbi genus. Si enim (inquit) ita contigerit, vt patiente tunica venæ, quę exempli gratia, eſt in gibbis hepatis partibus, is meatus per quẽ ad ea, quę in concauis receptacula mittitur ſanguis, reddatur anguſtior, duę hac ratione erũt ægritudines, altera ipſius venæ affectus, altera meatus obſtructio. Impedit autem venæ quidẽ affectus ſanguinis optimi generationẽ, obſtructio verò diductionem, vtraq; tamẽ operatio animali eſt neceſſaria. Nã pro cõfeſſo habetur, quòd queçũq; diſpoſitiones primò operationes lædũt, ægritudines nũcupantur. Si verò nihil ipſa patiẽte vena, lẽti tantũmodo ac craſsi humores impacti meatibus diductionẽ impedierint, vna tantũ erit viſceris ægritudo, quæ obſtructio appellatur. Quibus verbis vtrumq; propoſitum probatur: nã licèt parenchyma iecoris videatur rubrũ colorẽ ſangnini præſtare, id quidem poterit, nõ tamen formã introducere, id enim ſolius vaſis munus eſt. Quòd ſi velis ei in hoc munere exequẽdo aliquid tribuere, vt Gal. aliquãdo videtur aſſerere, tũc profectò duplex in obſtructione hac erit morbus, cũ etiã temperamentũ ſenſibiliter oblędatur, idque non protinus vt obſtructio fit, ſed temporis tractu, vt inferiùs referam. Conſtat igitur magnitudinem illam, nullam propriam iecoris actionem primò vitiare, ſed lęſionis & obſtructionis eſſe cauſam, ac ex conſequenti vnum tantũ eſſe morbum puta obſtructionẽ: quæ vt rectiùs loquar duplex eſt, altera pororũ obſtructio qua iecur ampliatur, & reliqua cõpreſsio quæ vias coarctando obſtruit: nam dum iecur ſecundum naturã maius eſt aut minus quã corpori conueniat, ſi temperiẽ natiuam retinuerit, non quidem vitiat ſanguinis ſubſtantiã (quippe id munus ſolius eſt tẽperamenti vaſorum, aut ſi velis etiã parenchymatis) ſed copiam maiorẽ aut minorem gignit. Verùm ſi morboſe creuerit vt in hac obſtructione, tunc conſiderabis an ſimul lædatur tẽperies, & eo tẽpore ſanguificationis munus vitiabitur: ſi verò citra vitiũ reperamenti aliquo tempore duret, tunc profectò nec quantitatem, nec qualitatem ſanguinis vitiabit. Quam ſanè obſtructionis ſortẽ ſequuntur ea accidẽtia ſimul, cũ vltra pergit affectio, quæ ex omnibus alijs iecoris obſtructionibus prodire conſpicimus. Incipiente tamen malo, nondũ neceſsũ eſt apparere ſenſibile aliquod vitiũ in aliqua ex iecoris actionibus, verũ creſcẽte, vel in omnib⁹ vel in ea præcipuè cui magis incũbit tumor, lõgè ſenſibilior apparet læſio quàm in alijs, licèt omnes ſimul oblædantur. Quo fit, vt

iecore diutiùs obſtructo, aliquando atrophia, nonnunquam febris, non rarò chylo ſus fluxus, ac ſæpius vitioſus totius corporis & faciei color eluceant. At ſi malum & intemperies quæ ex humorum ſpurcitia contrahitur, vaſa etiam & iecoris ſubſtantiam infirmet, iam alius affectus ſubſequetur, putà vitium in ſanguificationis munere: nam id etiam in diutinis iecoris obſtructionibus accidere non rarò aſſolet, præludium quidem & cauſa mali corporis habitus & hydropis.

Dubium. Verùm dubitabit aliquis & meritò profectò, ſi iecoris obſtructio ſic accepta cauſæ rationẽ habet ad obſtructionẽ, & affectus eſt in magnitudine quemadmodum aliæ ſunt iecoris affectiones, quanã ratione differt ab inflãmatione aut ſcirrho, ſiquidẽ in his omnibus iecur in maiorẽ molẽ attollatur ob humores exiſtentes in poroſitatibus & carne eius. Cui dicimus differre longè interſe, quia licèt obſtructio hæc aut humorũ infartus in iecoris ſubſtãtia, partẽ cui inſidet in tumorem eleuet, vt ſcirrhus & inflãmatio, tamen cũ hoc non habet morbum in intẽperie ſibi comitem, quod neceſſum eſt in omni tumore præter naturã adeſſe: nã dum adeſt, iam in tumorẽ prẽter naturã cõmigrat, licèt verum ſit, ſcirrhoſam duritiẽ aut phlegmonoſam non minus poſſe prædictã obſtructionẽ efficere: verùm cum hoc cõſtat eã non eſſe ſimpliciter obſtructionem, neq; ad hoc caput eſſe reducẽdam, ſed ad ſcirrhi aut inflãmationis caput, tum ob id, tum verò quòd nõ diſcutientibus, vt ea curari deſideret & attenuatorijs, ſed & repellẽtibus & emolliẽtibus præſidijs. Prætereà quòd inflammatio calore nimio etiam ſanguificationem vitiat, ſicut ſcirrhoſa duricies frigiditate: hæc verò iecoris magnitudo ex prædicta pororũ obturatione cõtracta, citra alterius morbi cõplexum, omne obſtructiones genus in iecore excitat. Cum hoc tamen ſciendum eſt aliquando cum intemperamẽto cõiungi poſſe, non tamen febrili, citra id quòd in aliquem tumorẽ præter naturam immutetur.

Cauſa. Qui cauſas huius obſtructionis inueſtigaturus eſt, non quidem vt reliquarũ obſtructionum id tenetur efficere, ſolùm conſiderata humorum craſſorum, viſcidorum, aut multorum natura & adhærentia in vijs ductuum ad iecur & à iecore. Nec mihi eſt in animo conſiderare eas quæ attenuantem obſtructionem moliuntur, qualia ſunt quæ conſtipant ac denſant, vt conſtipantia alimenta, medicamẽta, vel aêr frigidus ac ſiccus eſt, neque ex his cauſis quæ comprimentem obſtructionem procreãt omnes, vt inflãmatio aut ſcirrhus, ſed eas tantũ quæ ſolùm tumore partis excitato, vaſorum cauitates opprimũt. Nam licèt hæc non ſit cõmunis obſtructionis natura, vt dictũ eſt, eſt tamen quæ pleniùs & totaliter iecur ipſum obſtructum reddit, non ſolũ obſtructis poris, ſed & cõpreſsis cauitatibus, quod eſt huius capitis intentũ: & ob id diligens lector expendat in hac obſtructione, frequentiſsimè vnã tantùm eſſe inueſtigandã conditionẽ & cauſam, nimirũ iecoris ex pororũ obſtructione adauctam magnitudinẽ, quæ vias coactare nata ſit. Verũ quia prædictã magnitudinem ex alicuius ſucci tranſſumptione ad prędictos iecoris poros credimus fieri, coniectabile eſt ex vaſis iecoris in carneam partem irruere, aut tranſcolari tenuium ſuccorum aliquid, quo, licèt neque propria craſsitie, neq; ex vberiori copia cauitates vaſorum maiorum obſtrui poſsint, poſſunt tamen in tumorem eleuare iecoris corpus, & ob id maiorem efficere obturationem in maioribus ac ſingulis vaſis, coarctatione præexiſtente. Quibus omnibus ſic cõſtitutis, fit facilè vt ſanguis & reliqui ſucci velut immobiles fiãt, aut ægrè ac difficulter moueãtur: quo fit vt in prædictis vaſis diu immorãtes aut difficulter prætereũtes, eorũ nõ parua portio migret in prædictos poros, quo maior indies fiat prædicta obſtructio. Sumit tamẽ obſtructio hęc principiũ & originẽ à iecore vel ſcalfacto calore febrili, vel quouis alio, à nimia

à nimia eius raritate, vel à facultate trahente nimis auida. Quibus occaſionibus euidentiſsimum eſt id quod in ſanguine flatulentum eſt, facilè prædictas partes permeare ac tenſionem excitare, & poſtea in aquam verſum vel quouis alio modo denſatum ibidem impactum manere. Quippe flatulentum ſæpe adiunctum ſecum aliquid defert, ac ſi non deferat neque obſtructionem pariat, efficit tamen in partibus obſtructis ſimul tenſionem & dolorem. Id etiam quod in ſanguine tenuius exiſtit & potulentum eſt, & quod tenue, aquoſum & crudum hac ratione ſupereſt, iecur ad ſe ad poroſque ipſos allicit, quod cùm diſcutere nequeat, aut tenuius digerat, craſsiore remanente parte, poris anguſtiſsimis exiſtentibus, fit facilè vt impactum ibidem maneat, in tumoremque ipſius viſceris corpus attollat. Qua ratione arbitror prædictam obſtructionem in finibus ac declinationibus, diuturnorum morborum plerumque ſuccreſcere, aut acutorum & calidorum, in quibus victu ac potu indexterè vſus fuit laborans: nam iecore vi morbi calidiore auidioreque reddito, præcedentibus etiam potus indulgentia ac cruditatibus, diligentiùs trahet quod his occaſionibus in ſanguine abundat, quo durius factum maiores ſemper parit obſtructiones. Poteſt etiam fieri ex craſſo & fæculento ſanguine quo iecur alitur: nam reſiduum facilè prædictas poroſitates replet, paritque obſtructiones, præludium quidem & principium ſcirrhoſi hepatis tumoris. Nam ſæpe ea affectio quæ ſcirrhum minatur, ortum ducit vel à prædicto craſſo ſucco, vel à tenuibus humiditatibus, ſi Medicus vtatur nimis reſoluentibus & ſiccis. Ex quo dogmate facilè colliges plerunque id obſtructionum genus his corporibus accidere, quæ iecore fruuntur calido aut ſicco, vel iuuenilis ſunt ætatis, aut diutiùs morbis, præſertim febrilibus, corripiuntur, aut qui comites habẽt ingentes vacuationes, iecore ob id ad ſe auidiùs trahente ſuccos, ebibenteque ipſos: at reliqua obſtructionum genera longè magis ijs accidere qui frigidum habent iecur, & ob id frigidis & craſsis abundant ſuccis, quibus prædictas cauitates obſtrui dictum eſt: nec non ijs qui vitam agunt ſedentariam crapulis & craſsis edulijs deditam: item reliquæ obſtructiones principium exiſtunt morborum, hæc verò finis. Quæ ſanè ratio non eſt mediocris momenti ad conſignandam diſtinctionem inter hanc & reliquas obſtructiones, nec non ad conſignandam curandi rationem, quæ longè aliter exequenda eſt in hac, ac in reliquis omnibus, vt ſuo loco latiùs leges.

Signa. In recenſendis huius obſtructionis ſignis, mihi non eſt in animo omnium obſtructionum meminiſſe, licèt clarioris doctrinæ gratia, earum non nihil recenſere inſtituerim. Dignoſcitur autem ea obſtructionis ſors quæ in iecoris ſubſtantia ſit, aut in extremis eius vaſorum finibus, inter reliquas, ex quatuor potiſsimũ ſignorum differẽtijs. Primùm quidem ex tactu, nulla enim reliquarum obſtructionum tactu diſtingui poteſt, niſi gibbæ partis venulæ adeò creuerint & in turgorem eleuentur, quòd corpus etiam ipſum in maiorem molem adaugeant. Quod ſanè diſtingues ex lenta febricula & maiore dolore, nec non ex viuido faciei & totius corporis colore. Itaque obſtructio hæc facilè & neceſſariò tactui ſeſe offert duritiemq; ſub dextro hypochondrio ſemper præ ſe fert, & aliquando tẽſionem, quòd flatus etiam adiungantur: quam ab alijs, ſi quando duritiem aut tenſionem molliuntur, ſeiunges ex faciei colore: quippe qui gibba aut caua parte iecoris obſtructi ſunt, vel natiuo colore priuantur, vel alio deteriore fœdantur qui naturam redoleat redundantis ſucci: at prædicta obſtructione affecti, in primo eius acceſſu plerunque pulchriores & coloratiores fiunt: nam cùm mutatio chyli in ſanguinem

non interdicatur neque diſtributio ad ſingulas partes, vt in alijs, fit facile vt perudeāte prædicto ſanguine ad membra & faciem coloratiores fiant & viuidiores. Accedit etiam vrina nihil à naturali mutata, quæ in alijs obſtructionibus vel tenuis eſt, vel aquoſa & decolor neceſſariò apparet. Nam cùm obſtructio hæc non ſit in vijs humorum, non exuitur vrina ab his quæ ipſam bonæ & laudabilis ſubſtantiæ & coloris reddere aſſolent: cum hoc tamen & vrina & color faciei (ſi duret affectio, maximè cùm reliquas obſtructionis ſortes ſecum acciſcit) mutari aſſolent. Habet inſuper hæc obſtructio ſenſum quendam ponderis & quaſi ab ea parte propendentis: quod ſignum licèt alijs etiam iecoris affectionibus commune ſit, cum hoc tamen prædictis ſignis adiunctum, clariùs etiam obſtructionem ſeiungit & monſtrat. Creſcente tamē affectione hac, & morbo diutius prorogato, clariora indies magis ſeſe oſtendunt ſigna: nam ex iecoris contracta intemperie apparet improba ſanguificatio, quæ vel in ſcabiem, ſi bilioſa ſit, vel in pſoram aut aliam cutis defœdationem commigrat, vel in malum corporis habitum, ſi frigidum ſit intē peramentum. Vt ſignum etiam non mediocre accedit prægreſſa affectio, cui hæc obſtructio plerunque comes it, nec non & vitæ modus ac potus & victus præhabita ratio, tam in morbo, quàm ipſo finito: ſæpe enim ab his cauſis originem ſortiri aſſolet, præſertim ſi iecur propria forte calidum ſit, & laborans nimio vſus potu. Quòd ſi dolor per interualla accidat, ſignum profectò eſt flatuoſæ ſubſtantiæ adiunctæ: ſi tamē perpetuò affligat, inſtantem vereri oportebit, quinimo ſemper eſt eius præludium.

Verùm quia diminuta videretur noſtra oratio, ſi aliarum obſtructionum naturam, cauſas & ſigna aliquo modo non explicemus, inſtitui hac in parte docere, venas, ſiue portę ſiue gibbæ hepatis partis ſint, obſtrui ſemper vel à craſsis vel à multis ſuccis, cæterum diſtingui poſſe ſit ne obſtructio in gibba, an in caua ipſius viſceris parte, ex ſymptomatis potiùs & morbis, quæ hanc aut illam ſequuntur, quàm ex peculiaribus ſignis. Nam gibbæ obſtructio & colorem mutat, & alimentum partibus demit, ac vrinam decolorem reddit, cauæ autem partis obſtructionem alui fluor inſequitur, & vrina parcior, ſed in omnibus reperies grauitatem dextri hypochondrij adeſſe, dolorem grauem ſæpe, aliquando punctorium ſi affectio migratura eſt in inflammationem: tuſsim etiam ſiccam & paruam cum ſpirandi difficultate: quibuſdam adeſt febris, non quidem neceſſariò, ſed cùm aliquis humor putredinem contrahere incipit, qui ſi in vaſis ſit, maioris eſt momenti, ſi verò is ſit qui obſtruit, diu durat, ſed minoris eſt periculi: adeſt & tenſionis ſenſus ſeu dolor tenſiuus, præcipuè vbi obſtructio fit à vaporoſo ſpiritu ibi etiam incluſo & exire prohibito, quæ affectio inflatio ſeu flatuoſa diſtenſio quoque dicitur.

Præſagiū. Verùm ne quis exiſtimet parui eſſe momenti iecoris quamuis obſtructionem, expendat (præter febres quas frequentiſsimè ſuccendere aſſolet, aut grauiores & diuturniores reddere) illam quem in parenchymate iecoris fit obſtructionem, plerumque in phlegmonem commigrare, maximè ſi vel febris adiungatur, vel quid calorificum accedat. Quo fit vt cautè & prudenter oporteat cum ea agere: nam alioqui cùm minùs quàm par ſit, difflari iecur poſsit, ocyſsime in calorem & putredinem agitur. Præterea hæc eadem in ſcirrhum non rarò abit, præſertim ſi adiungatur prauus faciei color, qui oſtendat prauum aliquem ſuccum redundare, cuius exceſſu ſubſtantia iecoris indurari poſsit, aut in loco vno paulatim congeſtus duritiem contrahat immedicabilem. Item in malum corporis habitum ſeu hydropem, maximè ijs qui intempeſtiuo potui ac prauis edulijs nimium indulgent.

dulgent. At quæ in gibba hepatis eſt obſtructio, ſi diu duret, vel in maciem, vel in melancholiam non rarò commigrat, ſicut quæ in caua fit, in chyloſum alui fluxum, ac non rarò ob id in hydropem, & ob flatuum copiā, tympanitem. Quapropter, quauis earum inſpecta, diligenter extirpanda eſt, ne in maius malum & immedicabilius commigrare contingat. Verùm inter omnes huius viſceris obſtructiones, eas deteriores iudicabis quæ aliud ex vicinis membris oblædūt, cuius ſignum eſt ſingultus aut alui fluxus: item eam quæ ex indurato ſplene in iecur commigrat, maximè ſi ex melancholia ortum duxerit, licèt ex bile acutior & grauior fiat: difficilior tamen & periculoſior exiſtit quæ in carne hepatis fit, ex reliquis verò quæ in caua reperitur.

Curandi ratio. Curationem earum obſtructionum quæ in cauis partibus iecoris accidere aſſolent, abunde abſoluimus lib. noſtro 2. de recto præſidiorum vſu, & lib. etiam 2. de fœminarum morbis. Quapropter ſolùm hac in parte mihi eſt in animo eius obſtructionis meminiſſe, quæ vel in parenchymate iecoris fit, vel in finibus vaſorū eius, vt quæ & grauior & curatu difficilior exiſtat. In primis itaque ſciendum eſt longè diuerſum expoſcere curationis principium prædictam obſtructionem cū ſecum febrem habet adiunctam, ab eo quod per ſe ſolùm expoſtulare comperimus. Nam febre accedente, quæ maioris ſit momenti quàm febriculæ quas prædictæ obſtructiones generare aſſolent, protinus à ſanguinis detractione, & mox à purgatione, victu tenui ac extenuante principium curationis auſpicari oportet, prævalente febris indicatione, non tamen omnino poſthabita ipſius obſtructionis natura. Verùm ſi vel febris leuior fuerit, vel nulla, longè aliam expoſtulat curādi rationem & methodum, quàm reliquæ obſtructionum ſortes: quippe illæ, vt quæ cauſam habeant lentam, craſſam, viſcidam & copioſam, vel vacuari protinus deſiderant, vel inciſionem, attenuationemque, mox à principio leuiter exonerato corpore, exoptant, vtcumque tamen ſit, ſemper abſterſorijs medicamentis gaudent, ſiue in gibba, ſiue in caua iecoris ſita obſtructio ſit. Quapropter conſtat Galen. optimè dixiſſe qui 11. metho. & 5. ac 6. ſimp. pharmaca ea his muneribus idonea ſcribens, hæc refert verba: Medicamenta quæ ſunt aperiendis obſtructionibus idonea, vt ex abſtergentium genere ſint, ita oportet vt non ſolùm facultatibus, ſed & ſubſtantiæ modo conſiſtentiaque illis opponātur, quę à Græcis emplaſtrica dicuntur: nam hæc viſcida ſunt, quatenus ad rationem ſubſtantiæ pertinet, omninoque mordacitatis expertia, cùm illa quibus ſunt reſerandæ obſtructiones, oporteat omni carere lentore, & non eſſe mordacitatis expertia, cùm ea aut nitroſa ſint, aut amara, aut acria, & tandem quæ tenuis ſunt ſubſtantiæ, vel tenuiū partium: quòd ſi aliquid præterea adſtringentis facultatis habuerint, longè tutiora & præſtantiora exiſtunt. Inter quæ ſanè multa recenſet frigido iecori idonea, & alia non pauca calido proficua. At obſtructio hæc de qua in hoc cap. ſermo habetur, cum longè diuerſas ſortiatur cauſas, proculdubio diuerſo modo curationem exoptat fieri. Nam cùm dictum ſit plerunque fieri à tenuibus ſuccis, conſiderandum eſt, aliquid eorum adhuc habere rationem cauſæ antecedentis & quod in morbum commigrare nitatur, vel iam ipſum actu parit: iuxta quam diuiſionē curationem inſtituere oportebit. Primò etenim, quod in iecoris vaſis redundat tenue & aquoſum, vel purgatione demendum, vel parca & exſiccanti victus ac potus inſtitutione conterendum, quod verò impactū imbibitumq; in viſcere iā eſt, diſcuſſorijs, extenuantibus, abſtergentibus cibis ac medicamentis, tum intus, tum extra adhibitis, digerendum reſoluendumque prorſus.

Victus.

Sic etenim affectis ea victus & potus ratio instituenda est, quæ præter id quod crassum succum generare nõ possit (hoc enim omni obstructioni incommodum existit) tenuem verò inundantem conterere nata sit. Quapropter porriges ex carnibus gallinarum, pullorum, caponum, perdicum & cuniculi assis aut elixis, quantum sat sit, vt quod redundat succi tenuioris imminuatur viribus seruatis integris. Neque ea aromatis aut condimentis salsuginosis admiscebis, ne sitim adaugeant: iusculis minus vteris, non tamen omnino interdices, cena parcior ex ouis sorbilibus, hepate gallinæ vel anseris aut pullorum, cum pyris assis. Potus verò sit parcissimus ex cinnamomo, aniso, radice Chinæ, sassafrasa Indica, aut mirica, vel agrimonia decocta, aut vino albo vetustiori probè deluto vteris. Quòd si aliquãdo aliquid extenuãs & tenuium partium, vel cibis vel potibus vsu admiscere venerit, id proculdubio gratia vrinam concitandi potiùs, quàm extenuandi humorem, qui suapte natura tenuis est, facies.

Instituta huiusmodi victus ratione, quam exequeris vniuerso curationis tempore, corporis statum considerabis, & antecedentem succum diligenter inspicies, sit ne cum sanguinis exuberantia, an secus. Quippe in huius obstructionis primordijs, frequentiùs sanguinem redundare contingit, tum ob iecoris calidius intemperamentum, tum verò ob suppressam aliquam, vel mẽstrui vel hæmorrhoidum aut narium sanguinis vacuationem. Quòd si in declinatione aut fine alicuius febriculosæ aut diuturnæ affectionis malum oriatur, contemplari tunc oportet, an æger potulentior iusto antea fuerit, aut iecur feruidũ, aut sanguis nimio æstu attenuatus, vel affectio prægressa ex frigidioribus: tunc enim coniectandum est non ex iecoris nimio calore, sed ex vberiori potiùs humiditate ex potu nimio contracta, obstructionem hanc ortum duxisse quo tempore abstinendum esse à sanguinis detractione consulit affectus & causæ ac occasionis ratio. Verùm si præcedens affectio calida fuerit, & æger potui non admodum deditus, coniectabile est morbosæ causæ humiditatem iecur præcalidum traxisse: quo tempore oportunissima est ex saluatela manus dextræ sanguinis detractio (siquidem ex maioribus venis in præcedentis morbi curatione detractus iam sit) vt attemperetur iecoris feruor, sicut dũ ex itinere vel quouis alio labore præcalidũ factum iecur, quidquid in sanguine tenue est, ad se traxerit, ex brachio. At si sano homini nulloque præcedente morbo prædicta obstructio accidat, ex suppressa aliqua sanguinis profusione, vt plerisque fœminis ex menstrua purgatione cohibita, contingere scimus, aut viris ex hæmorrhoidibus suppressis, protinus quidem sanguis extrahendus, si plenitudo magna sit, ex brachio, & mox ex talo, aut si leuior sit abũdantia, ex talo semel aut bis. Postea verò suppressam vacuationem reuocare curabis, ne sanguine exuberante, iecur quod tenuius est ad se trahat, & moliatur hoc & grauiora mala quæ protinus sequi solent.

Quo facto si (vt dictum est) opus fuerit, vel si nulla mittendi sanguinem fuerit occasio aut causa, curandum profectò tunc est sanguinem ipsum ab spurcitia serosi aquosique humoris exuere, instituta priùs potus parsimonia, imperatoque ante cibum (& post leuem aliquam purgationem) conuenienti exercitio, quibus aquosioris sanguinis partes facilè per halitum digerantur. Deinceps tamen ea purgantia medimenta porriges, quæ serosam humiditatem expurgandi vim habeant: cui vsui & seminis cartami succum, & agarici ac rhabarbari dilutum profuisse experimento diutino didicimus. Prodest & decoctum galli veteris cum cartamo, & decoctum radicis rubiæ & acetosæ ac passularũ: succus etiã eupatorij & cartami, aut eorum

eorum decoctum cum modico agarico: quæ sanè exequeris per breue interuallũ, tertio nimirum aut quarto quoque die, nam hac lege purgare oportet iecoris obstructiones, eas maximè quæ in gibba vel caua iecoris parte sunt: nam copiosiùs purgare, vel irritum vel periculosum est, cùm per obstructas cauitates maiorem copiam permeare sit impossibile, at in hac obstructione quæ non fit in vijs ductuum licentiosiùs aliquando vacuare licebit. Quod quidem vbi sexies feceris, ad ea medicamenta quæ vim habeant euacuandi iecoris humiditatem, & corrigendi ipsius vitium, te conferes: & sic sex aut octo dierum spatio porriges summo manè confectionem de iecore lupi in forma tabellarum redactã, puluerem etiam vel tabellas radicis rubiæ & rumicis cum duplo sacchari, vel diarrhodonis cum puluere squinanti, trochiscos rhabarbari cum modico dialachæ cum saccharo: & sic per interualla purgabis quod aquosum est, & iecur ipsum roborabis, ac deobstruere prædictis pharmacis studebis. Fugiendum præterea est in hac obstructione ab apozematis & potulentis medicamentis, vt quæ plus causam augere, quàm malum minuere nata sint.

Quam sanè curandi rationem vbi per aliquot dies instituueris, mutabis postmodum in eam quæ docet vrinas mouere, quæ iudicio nostro, cæteris huic affectioni commodior existit, vt quæ medicamentis constet, quæ præter id quòd vim habeant aquosam substantiam per vrinas ducere, potentiam quoque sortiuntur se se insinuandi in abditas & minimas quasque corporis partes, ac in eisdem aquas conterendi. Expendendum tamen est quod sæpe lib. nostro de recto præsidiorum vsu, cap. de prouocandis vrinis diximus, nimirum non omnibus quæ vrinam mouent vtendum esse in hac curatione: quippe quæ multam aquosam humiditatem gignunt, potiùs causæ augmentum præstant, & obstructiones augent. Quo fit, vt perperam multi in obstructionibus quæ supersunt ab acutis morbis, lacte seminũ frig. vtantur: quapropter eis tantùm vtendum esse arbitror, quæ vel à proprietate aquas educunt, vt rhabarbarum & semen cartami, vel abstergunt, vt terebinthina, & chalybeata omnia medicamenta: nam quæ propriè vretica sunt, vt quæ humores fundunt, quodammodo suspecta videntur, licèt vtilia aliquando esse possint, quòd ad ducenda alia pharmaca non parum profutura sint. Quapropter in decocto cichorij, radicis eius, petroselini, fœniculi & rubiæ tinctorum, cinnamomi & squinanti chalybem multoties extingues, ipsum quarta aut quinta quaque extinctione mutando, aliũque denuo succendendo: sic etenim maiorem repurgandi & resoluendi vim aquæ præstat ob sulphureas partes in aqua relictas, cuius modicum summo manè, idq; calidum laboranti porriges cum modico saccharo aut melle, si affectio frigiditatis sit particeps. Prosunt his obstructionibus mirum in modum pilulæ quæ recipiunt succi absynthij depurati & exsiccati. ʒ.j. spicæ nardi & squinanti. ʒ.ß. seminum apij & petroselini ana. ℈.j. puluerizẽtur subtiliter & cum succo intybi fiant pilulæ, quibus aliquando adde rhabarbari. ℈.ij. aut iecoris lupi præparati. ʒ.j. vel vtrumque. Prosunt & aliæ quæ fiunt ex trochiscis de capparis & de absynthio cum succo apij & modico rhabarbaro. Item post sex dies modicũ terebinthinæ abietis, sæpius aqua cichorij lotę porriges, factis cum puluere rhabarbari bolis ex. ʒ.j. terebinthinæ &. ʒ.ß. rhabarbari: ac si rem ex voto succesisse compereris, iterum post sex aut octo dies porriges. Sed magni esse censeo momenti in sic affectis vsum aquæ sulphureæ in balneis aut fontibus vbi naturaliter fluit, licèt maioris momenti sit calchãtosa aqua, cuius naturæ est quæ fluit in fonte de Liege. Quòd si velis omnem in hac curatione scopum implere, ad antidota, quæ ex cha-

lybe huic viſceri proficua & peculiaria conficiuntur, te conferes: hæc enim & quod impactum in iecore eſt, abſtergendo diſcutiendoq; repurgant, vias reſerãt, aluum mouent,& vi medicamentorum quibus admiſcentur vrinas etiam ciunt. Primò etenim excipe ſyrupi eupatorij compoſiti. ℥.vj. iecoris lupi præparati. ʒ.ij. ß. pulueris ſquinanti. ʒ.j. oximellitis. ℥. ß. ſpumæ chalybis. ℥.iij. miſce & fiat ad modum opiatæ, cuius portige. ℥. ß. aut. ʒ.iij. viris & his qui vires habent robuſtiores, chalybis optimè præparati aut ſolùm ſubtiliter limati & ſæpius aqua graminis loti, quod magis probo, loco ſpumæ adijcies. ℥.ij. ß. Vel ſic conficito: Excipe ſyrupi acetoſi diarrhodon. ℥.iiij. ſyrupi capillorum veneris & cichorij, ana. ℥.j. trochiſcorum de rhabarbaro. ʒ.ij. ß. trochiſcorum dialaccæ. ʒ.j. ß. chalybis optimè præparati vel vt dictum eſt. ℥.ij. & fiat ad modum opiatæ. Tertiò ea cõpoſitione vti poteris quæ excipit ſyrupi cihorij compoſiti. ℥.iiij. aquæ eupatorij. ℥.ij. ſyrupi acetoſi de quinq, rad. ℥.j. ß. trochiſcorum diarrhodonis. ʒ.ij. pulueris ſquinanti. ʒ.j. diacurcumæ. ʒ.j. ß. pulueris radicis rubiæ & rumicis. ana. ℈.iiij. chalybis optimè præparati & citra præparationem. ana. ℥.j. ß. miſce & fiat opiata, quam liquidiorem reddes aqua aut ſyrupo capillorum veneris. Hunc ſanè vſum præſtat ſyrupus ex ſcoria ferri, quem ego potiùs ex eodem chalybe, quàm ex prædicta ſcoria conficere aſſueſco, ſublato croco & addito ſquinanto & eupatorio cum modico aceto, aut citra ipſum in fœmellis. Eſt etiam non minoris momenti medicamentum quod ex dialacca & chalybe cum modico puluere rhabarbari conficitur, aut citra ipſum, addito tamen ſyrupo eupatorij, quantum ſit ſatis vt bibi poſsit. Quibus profectò mirum non eſt ſi & induratum iecur molleſcat, reſoluaturque quod in eo duritiem contraxit. Quouis autem horum pharmacorum exhibito, imperabis exercitia, ſiquidem ea lege corpus ab alimento & exercitio dixit conſeruari Hippo. 1. de dieta, nam illud quod perit reficere habet, hoc verò quod ab alimentis ſupereſt præter naturæ modum, demit, præterquam quòd medicamenta in penitiores & abditas corporis partes deducit, vias aperit, & corpus vniuerſum calido naturali calfacit.

In huius etiam affectionis curatione diligenter ſciſcitaberis, tam ad prædictorum pharmacorum adhibitionem, quàm ad topicorum applicationem, an ſola præſit obſtructio, an etiam intemperamentum aliquod adeò intenſum & morboſum, quod etiam peculiares actiones ſenſibiliter oblædat, contraxerit vel iecoris corpus, vel eius vaſa, ſiue id calidum ſit, ſiue frigidum: tunc profectò non minus huic intemperamento prouidendum eſt, quàm obſtructioni: nam ex calido, niſi præueniatur in iecoris inflammationem facilis eſt commeatus, maximè ſi calidis & ſiccis imprudenter vtaris, ſicut ex frigido, in malum corporis habitũ. Quorum illud facilè diſces ex maiori partis faciei dextræ rubore, ex ſiti, difficili reſpiratione & cibi faſtidio, hoc verò ex palpebrarum oculorum intumeſcentia ſummo manè apparente, ac ex pedum tumore aduentante nocte, nec non decolorata facie cùm antea melioris eſſet coloris. Quibus inſpectis, his & alijs medicamentis quæ diximus, nec non & topicis quæ mox ſcribam, addere aut demere oportet quæ neceſſaria iuxta rationem intemperamenti viſa fuerint: ſic calido atque obſtructo iecori prodeſt, id. q. r. conſeruæ florum cichorij & capillorum veneris. ana. ℥. ß. conſeruæ violarum. ʒ.iij. pulueris diadragacanthi frig. & triaſanthalorũ. ana. ʒ.ij. quatuor ſeminum frigid. minutim inciſorum. ana. ʒ.j. cum ſyrupo intybi fiat opiata. Quippe ſola exiſtẽte obſtructione, neque in chalybeatis compoſitionibus, neque in reliquis, aromatis aut calidis pharmacis nimium vtendum eſt, ſed quantum penetrationis gratia ſat ſit: quapropter ea demenda ſunt ab his compoſitionibus.

Verum

Verùm ſi ex prædictis ſignis conſtiterit, vel iecur vel eius vaſa frigidum iam contraxiſſe intemperamentum, vt ſcripta ſunt adhibebis, ſicut dum calidum intemperamentum præualuerit, vel temperatioribus admiſcebis, vel tertio quoque die porriges aquam hordei, oxalidis, aut cichorij, vel eupatorij chalybeatam, aut ſi mauis, ſerum lactis.

Ad partis verò curationem deuenientes, ijs vtendum erit auxilijs quæ vim habeant & aperiendi meatus, & diſcutiendi digerendique quod ibidem impactum eſt. Topica igitur quæ huic miniſterio ſunt neceſſaria, duplici forma adhibenda ſeſe offerunt. Primùm itaque fomenta parabis ex calido decocto abſynthij., camemali, ſquinanti, calamenti & roſarum cum modico aceto: aut ſi frigida præualuerit intemperies, vini albi. Quod ſi velis efficacius efficere, radicem lilij minutim inciſſam inter coquendum addes, vel ſambuci folia contuſa aut radicem vel folia ebuli cum eupatorio & chamæpyteo. Quo facto partem ſic ex fotu calidam inunges vnguento deeopilatiuo ſuccorum. Item conficies aliud quod recipit ſuccorum apij, petroſelini, fœniculi, ſenecionum & cichorij. ana. ℥. ß. aceti. ℥.j. olei abſynthij. ℥ ij. ß, bulliant omnia ad conſumptionem ſuccorum, poſtea adde ſpicæ nardi puluerizatæ. ʒ. ß. pulueris ſquinanti. ʒ.j. & cum cera fiat vnguentum. Proſunt & emplaſtra pulueris camemali, meliloti, abrotoni & foliorum ſambuci ac ebuli. q. s. vt cum prædictis decoctis fiat emplaſtrum. Verùm ſi flatuum copiã ſimul adeſſe compereris, diſcutientia ſenſim & modicè addes, ac cucurbitis vteris, ac ſi conſtiterit iecur plenum eſſe, aut aliquid mali etiam mẽbranam ſortiri, eas ſcarificabis, incredibili profectò efficacia prædictis doloribus ſubueniunt præcauentéque inflammationem imminentem.

De totius ventris & iecoris dolore, inflammatione & ſcirrho. Cap. II.

Ortaſis mirum omnibus videbitur, qua nam ratione mihi in animo fuerit, hoc vno capite doloris, inflammationis & ſcirrhi tractationem & curationem complecti, cùm re vera affectus ſint non ſolùm natura diuerſi, ſed & ſignis, cauſis & curatione, & partes omnino inter ſe diſsidẽtes, ſitu & natura ac partibus quibus cõſtituuntur. Qui ſanè expẽdant, iuxta optimam rationẽ factum mihi videri, quando inflammationum non tantùm omnium, ſed peculiariùs iecoris, præludium ineuitabile ſit dolorem exiſtere ac diu præire: cui qui ex arte prouiderit, certum eſt inflammationem inhibere, quod longè vtilius eſt quàm ipſam curare. Et cùm inter ea quæ à dolore aut inflammatione iecoris ſuperſunt, frequentiùs ſcirrhoſa durities ſubſequatur, idque maximè ex curantis incuria, ita profectò vt vtriuſque mali prouidentiam habere poſsimus, cùmque in ventre ſint partes è regione iecoris quæ ipſius naturam, ſitum & curationem æmulantur, ob id eorum omnium ſimul tractationem hac in parte adiungere ſtudui, licèt cuiuſque ſeorſum ſcripturus ſim.

Antè tamen quàm quid peculiarius explicem, expendiſſe priùs oportet in ventre triplicem ab Hippoc. in Coacis notari regionem: hipochondria ſupra vmbilicũ in latera diducta: inferiorem partem quæ vmbilico ſubijcitur, pubem, ſummem

aut

autimum ventrem, cui sunt à latere lagones, ilia, hipogastriũ in vniuersum vocãt & aqualiculum: postremò eam quæ medium ventrem occupat circa vmblicum. In quibus omnibus partibus tumorum omnium genera oboriri possunt, qui si per tactus differentias diuidantur, triplices sunt: durus dolẽs: durus indolens: mollis indolens: mollis enim dolens nullus est. Verùm iuxta humorum qui ipsos cõcitant differentias, quatuor reperies, his tribus comprehẽsos, quos omnes & eorũ situs ad vnguem distinguere opus erit, si curationis exoptas facilicem oboriri finem. Nam & suppurari aut secus, vel periculum aut salutem exhis facilè nosces. Sed prætermissis qui indolentes sunt, inter dolentes de inflammatione primò agendum est.

De iecoris dolore. Inflammatio igitur licèt vnicum tantùm sortiatur generationis modũ in iecore, haud secus quàm in quouis alio membro, cum hoc tamen varias sortitur suæ generationis occasiones, quarum neutra id malum nititur, aut potest efficere citra dolorem qui præludium sit & veluti coadiuuans causa ad eiusdem generationem. Sic enim iecoris inflammationem minatur dolor, siue perseuerans sit, siue per interualla, vbi vel vehemens fuerit vel diu durauerit, quãtumuis mitis primo accessu videatur. Solet quidẽ iecur dolere & ob varias causas, & in diuersis eiusdem partibus: quippe si doloris causa in profundo carnis vigeat, proculdubio sui ratione nullus excitabitur dolor, quòd omnino sensu careat, dolorem tamen efficiet grauatiuum membranæ ipsum ambientis ratione: nam quasi pondus quoddam deorsum trahens viscus & diaphragma apparebit, dolor tamen leuis erit. Verùm si in vasis ipsius visceris doloris præsit causa, tunc quidem dolor pungens & tensiuus aderit, sicut dum tunica ipsum ambiens primò afficitur, acutus, vt Galenus scripsit 6. aphor. licèt alijs in locis venis & arterijs sensum denegauerit. Sed veritatem huius loci probant lasitudinum sortes, quas, nisi vasa à causis præter naturam affici dolore potuissent, fieri esset impossibile. Quòd verò libr. 2. de locis affect. c. 2. & 6. de vsu part. cõtrariũ dixerit, aliter quã sonat licet intellige re: quippe sensu priuari si prædicta vasa feces aut vras, non quòd sensu careant, vt constat si feces aut vras.

Causæ. Quibus partibus dolores excitari assolent varij & à varijs etiam causis: quippe nonnunquam fiunt à flatu distendente incluſoque & crasso, qui difficulter dissolnatur, & nonnunquam resoluentibus fit intensior ob maiorem rarefactionem, aliquãdo copioso, qui plus iusto distẽdat vel vasa ipsius iecoris, vel eiusdẽ inuolucrum: nam in carne rarò contingit adesse, licèt aliquando reperiatur, & maximè in obstructionibus parenchymatis. Fit insuper ab omni intemperamento calido aut frigido, quod & intensius sit, & subitò ingruat, aliter enim dolorem non concitat. Item prodit ab humorum vel copia, quæ distendat, vel acrimonia & vitio, quæ nimium exedat ac mordeat. Præterea ipsum concitat vel grauior cuiusuis partis ipsius visceris obstructio, vel inflammatio aut solutio continui. Sed his duabus causis prætermissis, nam de obstructione satis superque actum est, de inflammatione nunc latiùs erit agendum: tantò enim grauiorem aut mitiorem reliquæ causæ natæ sunt concitare prædictum dolorem, quantò vel humor fuerit acrior, vel copiosior, aut vehementiùs moueatur, aut flatus extensus, motus aut immotus. Hæc enim dixerim, vt tantò maiori diligentia Medicus præcaueat futurũ damnum, quantò dolores sæuiores sint: id enim est quod ocyus in inflammationem commigrare affectum cogit. Itaque ex intensione doloris, magnitudinem causæ, ex doloris specie, loci affecti naturam facilè venaberis: sit ne humor, intemperamentum aut flatus non ex his, sed ex alijs: quibus causis accedit iecur dolere etiam ob vesiculas aqua plenas quibus aliquando scatet, aut eius inuolucrum.

Causarum signa. Quippe flatum ostendit partis tensio, & vt rectiùs loquar, tensiuus dolor, & qui per interualla repetit & exacerbatur, aut subitò cessat, vel delitescit, ac subitò etiam ingruit, maximè si crepitus accedant excreti, aut murmurantes, cum tensione ad tactum, si in tunica ipsum ambiente causa sit. Humorem esse doloris causam, docet acrimonia aut mordacitas simul cum dolore percepta, præsertim si vel per aluum aut vomitum minutæ bilioſorum salsuginoſorumque excretiones prodierint, aut suppressæ fuerint, cùm vtiles antea fuissent. Sic plenitudinem monstrãt partes exacerbatæ & dolentes magis ex tactu vel manus attrectatione. Ita prorsus si nil horum ad sit, intemperiem causam dolori præstare conijcies.

Præsagiũ. Quibus sic cognitis, à quacunque prædictarum causarum dolor oriatur, si vel modum excesserit, vel diu perstiterit, vereri quidem oportebit ne euocatis ad viscus superuacuis humoribus, vel qui ibidẽ sunt deterioribus factis putredine aut alia corruptione, in inflãmationem affectio migret. Quapropter cuiusque causarum (excepto intemperamento, cuius longior sequenti capite erit tractatio) seorsum meminisse oportebit, quo expeditior fiat tractatio.

Curandi ratio. Flatuosa igitur substantia, qua frequentiùs fœminarum pleræque iuxta iecoris regionem premuntur, & virorum hi qui potui nimio indulgent, crudis abundãt recrementis, aut vitam agũt sedentariam, crasioriqúe bile sunt referti, mitigationem, si affectio vrgeat, expostulare videntur protinus, sin aliter, à purgatione principium curationis auspicari oportebit. Itaque si vrgentia permiserit, casia cum pulueribus diarrhodonis aut hieræ Galen. veteris, vel syrupo ex infusionibus, aut agarico expresso in liquore rosarum Persicarum, vel manna: aut si affectio diutina sit, & per interualla repetierit, pilulis veteris hieræ simplicis vel mastichinis, aut ex pari mensura rhabarbari, agarici & hieræ simplicis. Quo facto, vel antea, si doloris pressura postulauerit, ad anodyna veniendum est, ea nimirum quæ resoluendi ac discutiendi vires habeant: quale est fomentum ex decocto camemali, absynthij, squinanti & rosarum: ac si corpus pituitosius fuerit, additis vini albi guttulis, quantùm penetrationi & discussioni satis sit. Item partem inunges oleo absynthij cum modico spicæ, in quibus ferbuerit in duplici vase squinãti & camemali parũ cum modico aceto. Ex quibus vel alijs eiusdem naturæ cum cera vnguentũ, aut linimentum facilè conficies: aut ex oleo dulci cum camemalo & sambuco ac floribus eius, fomentum in vesica aut spongia parabis: vel ex vino & oleo absynthite & rosarum. Quòd si nè hæc quidem prodesse videantur, cucurbitam iecoris regioni affigere oportebit, aliquãdo etiam cum scarificatione, & postea calidis cataplasmatis veteris, vt consulit Galenus. 11. metho.

Quòd si grauatiuus fuerit dolor, arbitrandum est ei plenitudinem causam præstare, maximè si tensionis sensus accedat: nam licèt tensio soboles sit flatuosæ substantiæ, cum hoc tamen si grauitati adiungatur, longè certiùs plenitudinem arguit. Quapropter sanguinis detractione protinus vtendum est (nam ex hac causa concitati dolores ocyus inflammationem accersunt) si plenitudinis totius corporis signa subsint ex communi vena, sin aliter ex basilica: aut si vires non id tulerint, ex saluatella dextrę manus: vbicunque tamen fiat, quantum plenitudo expostulauerit detrahes semel bis aut ter, donec aliquo modo dolorem cessasse cõperias: subsistes tamen parum infra, quòd membrum affectum ex præcipuis sit, copiosamque vacuationem non admittat. Postea verò anodynis quæ modicè discutiant,

cutiant, vteris; ac in oleo rosaceo incoques absynthium & squinatum ac folia sambuci, & facta expressione partem inūges. Quòd si dolor creuerit, non erit abre tūc cucurbitam cum scarificatione adhibere, vt si quid his partibus proximum est, illac expiret

Verùm si humores bilioſi, acres, mordaces, commoti aut in cauis iecoris partibus intercluſi dolorem concitauerint, tunc quidem cautiùs & prudentiùs agendum est, nam facilè auxilio importunè adhibito, affectio visa est commigrare in inflammationem. Quippe tunc licèt sanguis non abundet, mittendus tamen ex basilica lateris dextri est, tum vt visceris calor mitescat, tū verò vt nihil sanguinis, dolore concitante, ad eam partem euocetur, quo citiùs fiat inflammatio, tum etiam vt expeditior subsit ad expurgandos humores via. Quod sanè opus non confertim & subitò, sed paulatim lentèque, & per vices fieri debet, exhibito rhabarbari diluto, aqua cichorij, sero lactis & aqua eupatorij. Prodest & liquor nouē infusionum rosarum Persicarum cum corticibus mirabolanorū aut rhabarbaro, item & manna liquata eodem liquore: prosunt & folia senæ infusa in aqua lupulorum & cichorij. Postea verò vteris aqua lactis cum saccharo, & syrupo violaceo aut portulacæ vel cichocij: item aqua hordei cum syrupo cichorij compositō, vel si bilis crassior fuerit, cum syrupo acetoso diarrhodon, aut eupatorij. Vteris etiam extrinsecus fotibus decocti rosarum & violarum cum modico absynthio: item inunctionibus olei vel vnguenti rosarum, aut santhalini: tandem omni arte curabis dolorem sedare præcauereq; quo minus inflāmationem cōcitet, si n aliter ad vsum philonij Romani te cōferes, dosi ℈.j. ad 3.ß. Præterea eo tempore cucurbitam cū scarificatione parti apponere, antequam in inflāmationem commigret affectio mirum in modum prodesse solet.

Inflammationis principium.

Quòd si ne his quidem adhibitis dolor quieuerit, sed magis indies videatur exacerbari, maximè febre accedente, tunc profectò suspicari oportebit dolorem migrare in phlegmonosam iecoris affectionem, desistendumque esse ab alijs auxilijs, studendumque inflammationem cohibere. De inflammationis igitur natura nil in vniuersali institui agere, cùm vulgatum sit apud Galen. 13. & 14. metho. qua lege & quibus modis fieri semper soleat: hoc tamē solùm necessum est referre, oportere partē quāpiā, si inflammationem perpessura est, humore in propria carne repleri, abscedereque partes, si suppuratio futura est: causæ verò eædem sunt cum his quæ dolorem concitant, vt dictum est.

Signa.

In quare sciendum primò est, dum dolor perseuerans sub dextro hypochondrio viget, num iecur vel alia vicina pars subtus aut super inflammatione afficiatur: & rursus si constiterit iecur inflammari, qua eius parte malum existat, in caua videlicet an in gibba, cùm id necessariò præsciri debeat, si curatio ex arte futura est. Ad primum igitur accedendo considerandum est, affines simillimasque esse has tres affectiones, iecoris nimirum inflammationem, musculorum abdominis sub parte dextra, & pleuritidem, necnon & aliorum membrorum sub hypochondrio dextro. Nam hi qui iecoris phlgemone laborant, præterquam quòd eādem parte dextra, nimirum ad notas costas dolore afficiuntur, & ex magna respiratione intensiùs dolent, sentiunt quoque in eādem parte cum dolore pondus, quo dolor sæpe ad iugulum se se extendit, forsan ob venam cauam ascendentem, vt 2. de locis pat. innuit Galen. & ijs maximè quibus iecur costis alligatur, quibus etiā pleuram dolore coaffici contingit. Ac si in iecoris inflammatione sinistram partem aliquando dolere accidat, ob extremam iecoris partem quæ ibidem attingit, cum

An dolor & inflāmatio sint in ventre, vel in iecore.

cum hoc tamen id distingues ab splenis inflammatione, quia dolet dextrum iugulum ob rationem adductam. Adest quoque tussis ob eandem rationem, exigua tamen & sicca, quæ citra excretionem non parum molestare assolet, cum respiratione parua & crebra, vt expresserat Gale. 2. de locis. cap. 8. & 9. & lib. 5. cap. 7. Nec mirum si aliquando sic affecti spumosum sanguinem expuant: nam id quoque dixerat Hippoc. lib. 5. de Coacis præ. text. 62. dicens. Quicunque spumosum sanguinem expuunt, & à dextro hypochondrio laborant, ab hepate expuunt, & ferè moriuntur. Quippe id contingere posse scimus vno è duobus modis: primo vtiliter & criticè, vt in plethora & suppressis mensibus aut hæmorrhoidibus, vel in mutilatis, ac nonnunquam in cruenta dysenteria: alio verò cùm persputum, non copiosè & sæpius per vomitum, vt in primo modo, sed lentè, cum tussi aut sine ipsa: quo tempore semper mortis existit præludium, maximè si spumosus exeat sanguis: nam sine tussi excretus, hepate phlegmone obsesso, coniunctam imbecillitatem eamque vehementem denunciat, non secus quàm rubens proluuies: tunc enim sanguis profluit à venis apertis, idque interdum per nares, interdum per vterum, aut hæmorrhoides, aut intestina: nonnunquam etiam per sputa (quod deceptionis causa sæpe fuit) quoniam venæ iecori affecto, vtpote suæ origini, condolescunt. Quoties ergo hoc symptoma superuenit dolori hepatis & inflammationi, reiolutio visceris ipsius significatur: nam per ramos venæ cauæ effunditur in thoracem, atque inde cum tussi sursum ascendit. In qua insuper Hippocrat. sententia optimè dictum est, ferè omnes aut plures mori, quia non omnibus id malum contingit quantumuis sanguinem expuant: & ob id censeo ab Auicena dictum esse, sputum sanguinis frequenter conferre ad sanationem phlegmonis, hepatis vel splenis, quoniam sanguis auertitur, si modò leuamen inde sequatur, in quibus potiùs arbitror sanguinem fluere per vomitum, ventrem aut nares, quàm per tussim: quibus vera manet vtraque sententia. Accedunt etiam ad probandam inflammationem, linguæ color ruber primo mali accessu, deinde niger: cibi vehemens fastidium, sitis incompescibilis, aut vomitus bilis sinceræ aut vitellinæ, & nonnunquam vt Areteus refert. lib. acut. pas. cap. 7. inanis & molesta nausea cum ructu & alui adstrictione, nisi iecoris quoque adsit imbecillitas. Procedente insuper malo, color totius corporis ex atro & viridi permixtus apparet, vt idem Areteus citato loco scribit apertè, vel vt refert lib. de signis & caus. cap. 13. colori herbaceo similis, qui crescente malo arcuatis simillimus redditur, & sic crescit singultus, signum quidem & præludium instantis delirij. Quibus accedit vrina rubra, turbata & quæ acris ac mordax sentitur, cum febre cōtinua, quæ licèt acuta & vigens non sit, nisi inflammatio erisipelatis particeps fuerit, continua tamen erit, & non adeò parui momenti ac multi sunt arbitrati: credendum tamen est, ad pēsum & magnitudinem inflammationis, febrem quoque crescere: qua sententia tollitur authorum non leuis pugnantia, vt adstruit Galen. 2. pror. com. 21. Pulsus vltimò aliquantulum durus & serranti similis: quæ differentia in hoc affectu non admodum fit conspicua, maximè si iam morbus vltra procedat: nam vel mente turbantur, vigilant, magna corporis segnities, & mens, vt refert Areteus, attonita, suspēsa & torpida est. Quæ signa si quis diligenter consideret, reperiet proculdubio non leuem constituere differentiam inter iecoris inflammationem & nuper memoratas. Nam pleuritis semper habet sibi comitem febrem acutam, tussim validiorem, cùm

ſicca eſt, & plerunque in qua aliquid mutati coloris excernitur, difficilior reſpiratio, dolor ſublimior, pulſus durior & conſpicuè ſerrans, neque opus eſt vomere aut aluum habere turbatam. At iecoris inflammatio tumoris rotundam manifeſtat figuram, conſpicuam magis corpore ſupra latus ſiniſtrum decumbente: muſculorum verò inflammatio, iuxta ductum muſculorum tranſuerſorum, aut aliorum figuram & ſitum ſortitur, febris mitior quàm iecore inflammato. Huius ſanè inflammationis durities interminata eſt, vt refert Areteus libro de ſign. & cauſ. capit. 13. & extremitatis proceſſus nequaquam cernitur. Item cutis iecore inflammato, incolumis ſanaque apparet: muſculis verò læſis, tenſa, colore forſan mutato, & dolens leui tactu compreſſa: iecore verò inflammato non ita promptè aut dolet aut diſtinguitur tactu, niſi in gibba fuerit, quæ vniuerſa manibus comprehenditur & circumſcribitur: muſculorum verò ſecus, quia protenditur ad muſculi ductum, & aliquando in minimum deſinit. Sed muſculorum interiorum inflammatio longè difficiliùs noſcitur, ni adiunxeris in eis non eſſe vomitum, tuſsim, ſitim & pleraque ex accidentibus, quæ iecori inflammato propria eſſe diximus, præterquam quòd iecore inflammato aliquando hepaticæ fluunt egeſtiones, in pleuritide verò & reliquis, ſecus. Eſſe autem inflammationem in ſima aut gibba iecoris parte, (nam præcipua curandi ratio, & à parte, quæ in iecore inflammatur, & à natura humoris, quæ inflammationem concitat, petenda eſt) diligenter diſquires. Sic enim cùm ſimam occupat partem, faciliùs manu premente percipitur, maior eſt dolor, qui ad iugulum dextrum magis prorrectus ſentitur, eò magis, quò preſsiùs ſtuduerit laborans reſpirare: ſic enim frequentiùs tuſsit, vrina apparet intenſioris coloris, aluus adſtrictior, vomitus magis ſuccreſcunt, alui fluxus & ingens cibi faſtidium, & nullus tactu percipitur tumor item profundior videtur, illud quidem ob ventriculi viciniam, hoc verò ob ſitum partis cauæ iecoris. Verùm ſi inflammatio extiterit in iecoris inuolucro, longè grauiora exiſtunt accidentia: nam & conuulſiones & ſingultus & deliria, quia febris intenſior dolor acutior & inflammatio feruidior, (quòd ex tenuioribus neceſſariò fiat humoribus) etiamſi febris quæ oritur parenchymate inflammato, copioſioris ſit caloris. Diſtinguit huius partis inflammationem pulſus durior, quàm reliquis partibus inflammatis.

Aliarum partium tumores hac lege diſtingues, tumor autem ventris qui nutat & mouetur, vel omentum obſidet vel vterum, in meſenterio & pancreis quæ ſunt tanquam totius corporis ſentina, è iecore & liene ſuperflua bilis & pituita per ramos venæ portæ qui illuc deſinunt deponuntur in glandulas, in quibus humores tempore exagitati, primùm laxum mollemque tumorem ingenerant, deinde ſicceſcentes renitentem, durum ac verè ſcirrhoſum, vt in penitioribus ſub vmbilico partibus, vel os vel calculus concreuiſſe videatur. Cùm ergo venter intumeſcit citra fluctuationem, citra alui ſuppreſsionem diutinam, citra hydropis ſuſpicionem id ſi ab adipis copia ſit, manu totus ſeparatur à muſculis abdominis, & reliquus corporis habitus obeſior eſt. At mæſenterei tumor altè ſepultus eſt, nec niſi preſſu animaduertitur, nullo dolore affligit, quia pars ipſa doloris expers eſt, & ſua mole inteſtina coarctans aluum pigriorem facit.

Nec

Nec minoris momenti eſt noſſe humorem qui in iecore aceruatus, inflammationem gignit (dimitto externas occaſiones, ictum nimirum, caſum, cucurbitam indexterè adhibitam, aut refrigerans vel calfaciens aliquod medicamentum, & alia huius naturæ) nam licèt ſemper ſibi comitem ſanguinem habeat, vel ipſe ſolus per ſe id efficiat, cum hoc tamen aliquando, vel bilis copioſiùs abundat, vel melancholia: nam pituita nequit in iecore adeò perſiſtere, cùm coquatur, quòd in ſanguinem protinus non abeat, vt Galenus aduertit. 4. de præſag. ex pul. capite. 3.

Horum tamen humorum differentiam & cuiuſque loci iecoris inflammationis periculum aut ſecuritatem, non eſt minoris vſus noſſe, vt certiùs Medicus curare diſcat. Ex dictis locorum & tumorum differentijs, ad ſuppurationem vergere aſſolent durus dolens & mollis indolens, ſed id citiùs aut ſeriùs, frequentiùs aut rariùs ſperandum eſt, quo magis iuxta hypochondria fuerint, longè magis quàm dum iuxta vmbilicum, & in his magis, quàm dum præſunt in imo ventre: cauſa eſt profectò loci calor intenſior & maior, à quo quicunque tumores longiùs ad inferas partes recedunt, ſeriùs minùſque ſuppurantur: quo fit, vt qui ſub vmbilico ſunt, rarò ſuppurentur. Ob quam cauſam cenſeo Hippocratem dixiſſe. 6. popul. parte 2. vmbilicum terminum eſſe ſuppurationum. His ſuppoſitis, aduertendum eſt quod Areteus refert libro de ſig. & cauſ. diutur. capite. 13. nimirum, tanto iecoris affectiones eſſe reliquis grauiores, quanto ad ſanitatem maiorem vſum præſtat) quippe ob ſanguinis & reliquorum ſuccorum vbertatem celeriùs & vehementiùs inflammatur. Inter cuius inflammationes, eam arbitramur grauiorem quæ fit in inuolucro, ob accidentium grauitatem, vt antea dictum eſt. At licèt iecur vtcunque tumore afficiatur dolorem concitet, tamen ex doloris ſorte plerunque non ſolùm differentiam tumoris & cauſæ eius venamur, verùm & ſuppurationis principium. Intumeſcit enim hepar, & tumore tunicam diſtendit trahitque vincula, quibus cum alijs vicinis partibus alligatur, ac denſum cùm ſit & graue, nec facilè cædat materiæ dolorem mouenti, acerbior dolor fit, vt inde aſperiori dolore hominem celeriter mori contingat, quantumuis ipſum ſenſu carere comperiamus: nam dolor omnis circa hepar à connexis fit partibus. Fit autem ab obſtructione, ſed leuior & cum pondere: à tumore præter naturam, ſed præcipuè inflammatione, & cum febre: à flatibus etiam, ſed ſine febre: vehemens à ſuppuratione quoque, ex quo cardialgia ſuccreſcit, quia aliquid ex inflammatione reſudat, præſertim caua parte inflammata, quia ex hepate in ventriculum aliquid regurgitat, nec non & caput petit, quo ſomnus etiam ſuccreſcit: ad differentiam doloris principij qui potiùs vigiliam concitat: quippe toto ventre malè affecto, ſæpe is ſomnus ſuccreſcit qui laborem facit: nec non & imbecillitas naſcitur, & bilis multa, quæ in ventrem defluens aluum perturbat, cum febre lenta & cardialgia. Præterea cùm inflammatio fieri poſsit in gibba, caua, membraniſque & venis ipſius hepatis, non eſt facile noſſe cuiuſque partis ſuppurationem, niſi ſigna diligenter intuearis. Sic in gibba deterior eſt phlegmone, quòd nobilior ſit pars & ſanguini perfecto domicilium, cæterũ minor conſenſus cum ventriculo, cuius ſymptomata terrent magis, vt nauſea, ſingultus, bilis vitellinæ vomitus, poſtmodum ærugino ſæ, ſitis inexplebilis, linguæ ariditas, ſcabricies & rubor. In gibba etiam maior conſenſus cum corde & thorace, vnde coſtarum notharũ dolor ſimilis pleuritidi, qui

Præſagiũ.

ad iugulum quoq; interdum peruenit, tussis inanis, spiratio difficilis, tumor durus ac dolens, & hypochondrij inæqualitas. Quibus sic in memoriam reuocatis arbitrandum est, pari ratione in curatione & præsagio magnam subesse differentiam, quantumuis vtriusque partis eadem sit ratio morbi: siquidem caua hepatis curari desiderat per deiectionem, gibba verò per vrinas. Sic profectò exitus multiplex est pro natura inflammationis, pro copia humoris & varietate loci in quo præcipuè sanguis feruet, membranæ videlicet, carnis & venarum portæ & cauæ. Nam ex phlegmone erisipelatode, febris vehementissima in marcorem desinit, & nonnunquam per hæmorrhagiam crisim habet, aut sudoribus vel deiectionibus & vrinis soluitur: & post vigesimum diem si febris maneat, nec resideat tumor, in suppurationem conuertitur, è qua pus, si inter tunicas contineatur nihil patiente substantia hepatis, vtiliter & superstite ægro vacuari potest, sin ad carnem vsque hepatis corruptio peruenerit, & incocta putredine pus simile fæci olei exit, planè lethale est, tum ob id, tum verò quia os ventriculi in consortium alliciat, ob rationes adductas, accedente nimirum singultu & alijs grauissimis signis, vt cardialgia & animi deliquio ac blando sopore qui delirium sedat, qui non minus ob id periculosus existit, si vires aliquo modo deiectæ superstint: nam sæpe hac falsa tranquillitate Medici vana spe decepti salutem pollicentur cùm citò laborans morte præueniatur: nam potiùs ex impotentia vigilandi dormiunt laborantes, quàm ex natura. De reliquis verò iuxta accidentium sœuitiam iudicandum. Item ea inflammatio citiùs suppuratur quæ est in gibbo, ea verò quæ in cauo, tardiùs, sed periculosa adfert accidentia: quod tamen grauius videtur in omni huius visceris inflammatione est, quod Areteus depingit lib. de caus. acut. capit. 7. dicens: Quin morbus regius ante septimum si apparuerit, plurimos sustulit: quibus ante, vel sanguinis profusio, vel per aluum multorum bilioforum exturbatio, vel vrina sincera plurima effluens mortem depulit, post tres septimanas iecur ijs suppurat. Quòd si multum temporis citra abscessum præeat, in hydropem ineuitabilem terminatur. Refert insuper libr. de sign. & caus. tardarum capit. 7. plerunque in scirrhosum tumorem commigrare, & malorum omnium colophonem esse aquam intercutem, nisi multa vrina & crassa diu mingatur, tunc enim ab vtroque malo liberari contingit: nihil autem melius reperiri potest in hac affectione, quàm vires plurimùm constare. Præterea rarò suppurant hepatis inflammationes cum profluuio alui coniunctæ, quoniam aut vacuatur humor, aut hepar imbecillum est. Sudor etiam in his inflammationibus nullius est beneficij, nam aut oritur ab oppressione, aut à resolutione, sed hoc maximè cùm rupto abscessu puris illuuies prorumpit, quo obruitur cor & succrescit grauis animi defectio, quæ ægrum de medio tollit. At cùm exiguus est abscessus & inter tunicam, si vires satis constent, pus per aluum profunditur, aut per vomitionem, vel per vrinas: licèt enim frequentiùs & faciliùs quæ cauam iecoris obsident inflammationes per secessum expurgentur, propter connexionem cum intestinis, vt per vrinas quæ gibbam occupant, propter communionem cum caua vena, interdum tamen contrarium accidit. Præterea, quæuis inflammatio sit, si hepatis substantia ab eruptione puris fissa aut exesa superstit, vel alio modo corrupta, cùm reparari non possit, vitiari sanguinis confectionem necesse est, omnesque visceris facultates labefactari, & hepaticam imbecillitatem accedere. Tunc igitur corpus non alitur, sed

tur, sed verè contabescit æger, ac tandem ex corrupto in hepate sanguine & resoluta vi, ipsa substantia visceris putrida, saniosa, cruenta & nigra deijcitur, aut excrementa prodeunt qualia hepaticis diximus exire. Quibus accedunt vrinæ sanie perfusæ, aut rubræ, impuræ & crassę, & tãdem omnia veluti è mortuo corpore prodeunt.

Curandi ratio.

Qui hunc affectum curaturus est, diligenter studeat quo minùs lædat ex auxiliorum adhibitione: siquidem nõ rarò accidit auxilia, quæ multis fuere præsidiũ, ob imprudentẽ administrationẽ, plus in hac affectione læsisse quã in quauis alia. Nec mirũ si id peculiari? in ea accidat, cũ certissimũ sit in aliarũ nulla, tã variè, aut vt rectiùs loquar cõtrariè loquutos fuisse authores fere omnes, vt oppositũ teneãt Græci scriptores, ab eo quod Arabes profitẽtur in huius mali curatione. Quippe eo differũt, q; Græci principiũ curationis, præter vacuationẽ, ausp icãtur à laxantibus præsidijs, admixtis quæ adstringendo roborent & aromatica sint: Arabes verò refrigerantibus vtuntur. Quorum sanè mentem si quis diligenter examinet, reperiet, vtrisque scopum esse iecur refrigerare: Græcis facta pororum apertione, & discussione humorũ, addito visceri robore: Arabibus verò per se, qualitate propria refrigerante. Vtrùm tamen horum tutius sit, mox referam, si priùs dixero quale futurum sit curantis in hac affectione studium: nam cùm certum sit, eam minimè posse fieri citra corporis copiosum in sanguine (vel solo, vel alterius succi consortio) apparatum, eum primò, & ante peculiare aliquod auxilium minuere incumbit, si priùs consideraueris qualis præcesserit illius apparatus occasio. Quippe sanguis non rarò redundare assolet, defectu nimirum menstruæ purgationis, vel hæmorrhoidarum, aut sanguinis fluxus per nares, aut ex indebito vitæ instituto quod copiosiùs sanguinem generet, aut nihil ex genito conterat. Sic enim deficientibus mensibus, aut hæmorrhoidum fluxu, si vrgentia mali aliud non exposcat (aut fluentibus, sed diminutiùs quàm par sit) primò sanguis mittendus est ex talo, quantum sat sit ad consueti fluxus defectum: postmodum verò ex brachio dextro, iuxta indigentiam doloris & virium roboris tenorem: item dum corpus ex obstructione copioso abundat sanguine, à quo prodit inflammatio. Verũ si ex vbertate sanguinis malum oriatur, prædicta obstructione aut vitæ luxu, ea copia ex dextro brachio sanguinem detrahes, quæ abundantiæ sufficiens sit, aut vires permiserint. At si nulla præsit aut præcesserit prædictarum causarum seu occasionum, sed ex ictu aut casu, vel refrigerantium imprudenti vsu, corpore non admodum debili, primò à dextro brachio sanguinem detrahes, postmodum verò à saluatela eiusdem manus. Quibus præhabitis considerationibus, censeo facile esse authorum varietatẽ in hac re concordem reddere: nam cõmunis ferè omniũ sententia est, venam basilicam tundendam esse, quæ si non appareat, media aut etiam cephalica. Sic ex antiquis nonnulli venas extremas manus aperiendas esse consuluerunt, quarum Galen. eam elegit quæ ad pollicem protenditur: Paulus, quæ ad minimũ: Rasius, quæ ad medium. Quæ sanè omnia intelligi debent, vbi aut grauior inflammatio non sit, aut sanguis ex vena maiori missus fuerit, vel corpore non pleno, aut debili, vel affecto ex causa procatartica. Nam 13. metho. Galen. copiosioribus vtitur vacuationibus, & cùm eis vires non subsunt, eas partitur, maximè si iecur caliditate & siccitate præter naturam polleat: & vtcunque sit, satius duxit Areteus lib 2. de curan. acu. morb. cap. 6. vacuationem partiri, licèt plus sanguinis expediat extrahere, quàm membro principe affecto, copiosam semel moliri sanguinis profusionem.

Verùm ſemel ſanguine miſſo, nil priùs debet inſtitui quàm ea victus ratio, quæ præter id quòd ſanguinem minuat, ipſius quoque feruorem attemperet & compeſcat, ſitque eius nutrimenti & naturæ, quòd vires tueatur & adſeruet, optima & tenui præſtita ſubſtantia, abſtergente, ac citra morſum. Quapropter primo acceſſu ius pulli porrigere oportebit, decoctum tamen cucurbita, agreſta, lactuca, oxalide aut cichorio: huius naturæ etiam eſt ptiſana aut eius cremor, maximè ſi eam extraxeris in iure pulli. Præſtant & pullorum carnes, perdicum & auium paruarum: nec omnino contemni debent ranarum carnes, aut piſcium ſaxatilium, cauentes ſemper ne nimis adſtringentibus vtamur: preſsiùs enim adhæret iecori humor, & tumores ad diſcuſsionem reduntur ineptiores. Potus præterea ſit aqua hordei & cinnamomi, vel in qua decoctæ ſint radices cichorij cum modico glycyrrhizæ: tandem tenuioribus ac percolatis aquis vtendum eſſe conſulit affectæ ſedis conditio, ſicut affectio fugiendum eſſe omnino à vino.

De expurgantium pharmacorum vſu non minus conſiderandum eſt, ſiquidem aut rarò aut nunquam tutò adhiberi poſſunt: & ob id rationem adhibẽdi aut prohibendi diligenter expendiſſe erit opus: quod etiam de his quæ vrinam mouent ſubaudiendum erit. Cauet quippe Galen. 13. metho. ne medicamenta purgantia iecore inflammato adhibeamus: citiùs enim & grauiùs inflammatur & grauioribus corripitur doloribus, euocata materia per eam partem, aut quæ ibidem inhærens aderat vehementiùs commota. Quod etiam Paulus, & ex reliquis plures conſuluerunt, verentes prædicta damna, ac ſcientes nil poſſe ab inflãmata parte purgantibus detrahi, neque à reliquis, quin ea magis lædatur. Verùm ſi quando purgationem conceſsiſſe viſum eſt, vt. 7. metho. in fine, gibba inflammata & copioſa materia exiſtente, id quidem ſubintelligere oportet phlegmone in coctionem tendente, hoc eſt in reſolutionem, nõ quidem in ſuppurationem: ſic enim intelligenda eſt Galen. ſententia 8. pharm. loca. cap. de his quę Aſclepiades ad iecoris inflammationem ſcripſit. Quo tempore adhuc porrigere oportet leuiſsima medicamenta, velut eſt manna, caſia, aut ſyrupus ex infuſionibus roſarum Hiſpanarum cum aqua hordei aut glycyrrhizæ, vel ſero lactis: item admixtis quæ vim leuiter purgandi habeant cum alimentis, vt decoctum foliorum ſenæ, epithymi, radicis apij, ſeminis cartami & ſimilium. Præterea vbi aut ſanguis mitti quantùm par erat, non licuit, vel laborans crapulis deditus, excrementis abundabat, & vltimò vbi conſtiterit cauam iecoris partem inflammatam eſſe, cõficere oportet ius pulli cum radice apij, folijs ſenæ aut ſemine cartami, polipodio, epithymo, mercuriali ac vrtica. Quòd ſi id medicamenti genus adhibere non liceat, aut non libeat, aut adhibitum non profit, clyſmatis iubent authores omnes ſuperuacuos humores ad ventrem euocare, & nouos per eandem regionem deriuare. Cui vſui, ſanguine ſemel miſſo, id adhibebis quod recipit decocti communis. li. j. olei violati. ℥. ij. caſię, mellis roſati, & ſacchari. ana. ℥. ß. Efficacius tamen conficies ſi acceperis foliorum maluarum, althææ & betæ. ana. p. j. mercurialis & centaurij minoris. ana. p. ß. ſalis communis parum, fiat decoctum, cuius recipe. ℥. viij. olei camemali & amygdalarum dulcium. ana. ℥. ij. mellis roſati. ℥. j. caſiæ fiſtulæ & catholici. ana. ℥. ß. quibus iuxta purgandi indigentiam addes aliquid eorum quæ efficaciùs purgant, idque tertio quoque die facies. At inflammatione in gibba hepatis exiſtente, vbi non purgare (niſi copioſa admodum fuerit materia) ſed vrinam mouere conſulit Gale. ad finem. 7. metho. non minùs cautè conſiderabis quid adminiſtrare, quando & quomodo oporteat: ſi quidem ex imprudẽti diureticorum adminiſtratione, pro-

culdubio

culdubio maius ſequitur damnum, quàm vbi rectè adhibeas, beneficium. Quapropter ſi cogaris mox à principio, (vacuato tamen corpore) his vti, tantùm ea adhibebis quæ ſimul calorem attemperent, & vrinas moueant: qualia ſunt melonum ſemina, cucurbitæ & eius generis alia. Poſtea verò affectione eunte vel ad ſuppurationem, vel ad reſolutionem, ex valentioribus ſenſim & paulatim aliquid admiſcebis, velut eſt apij aut radicis eius decoctum. Verùm ſi magis naturam cognoueris ſuppurationem moliri, eis parciùs vteris, donec iam aliquid ſuppuratum comperies: quo tempore tutius erit pus aut purulentam materiam paulatim per vrinam expurgare, quàm permittere eò collectionem peruenire, quò ferro candenti opus habeat: tunc enim (aut ſi euidentiùs conſtiterit, per reſolutionem materiæ maiorem partem abire) ex diureticis ea adde quæ maiorem habeant efficaciam, vt petroſelinum, aſarum, nardum celticam, meu, & reliqua huius ordinis: quippe æquum non eſt ea excedere. Inclinante tamen affectu, ſiue per reſolutionem, ſiue per repulſum inclinet, ad ea quæ vias vrinæ abſtergunt veniendum eſſe conſulit rei conditio: tunc enim decocto hordei & fœniculi cum ſaccharo & melle vtendum erit. In omnium tamen adminiſtratione rimari diligenter oportebit, maiorem ne efficiant hæc pharmaca aut purgantia commotionem aut dolorem, vel maius incendium, quàm quid vitioſum excernant aut per aluum, vel per vrinam: quippe tunc abſtinendum eſſe arbitror ab eorum vſu, & mitioribus vtendum, donec ſenſim efficacioribus additis, citra turbationem & damnum eis vti poſsimus: nam indiſcriminatim adhibere, aut in adhibitis citra conferentiam aut tollerantiam perſiſtere, nec prudentis eſt Medici, nec citra damnum facies.

Ad penſum igitur redeuntes, non vtcunque, aut leui diligentia vel ſtudio, topicis vtendum eſſe auxilijs arbitror, neque cenſendum eſt Arabes aut Græcos authores leui conſideratione adeò varias protuliſſe ſententias in topicorum adhibitione. Quapropter (ne quis aut frigida omnino prætermittat, vel calidis imprudenter vtatur) expendendum eſt neque ſemper aut in omnibus inflammationibus incipiendum eſſe à repellentibus, vt Arabes videntur profiteri: neque rurſus vt Græci, ſemper à diſcutientibus laxantibuſque. Quippe vbi inflammatio à menſtruis vel hæmorrhoidibus ſuppreſsis principium ſortitur, neque adhuc plurimum in parte receptum eſt, tunc profectò rationi cõſonum videtur à repellentiũ vſu principium curationis auſpicari, non tamen ab his repellentibus, quæ ipſi præcipiunt: ſunt enim ſuccus ſolatri tepidus aut aquæ roſaceæ. ℥. iiij. aceti. ℥. ß. ſanthalorum rubrorum & citrinorum. ana. ʒ. j. caphuræ. ℈. j. vel aquarum endibiæ, agrimoniæ, cichorij, roſarum. ana. ℥ iij. aceti. ʒ. vj. cum ſanthalis citrinis & rubeis pondere. ʒ. j. & caphuræ. ʒ. ß. His enim ſi vtaris quæ ipſi præcipiunt, mirum non eſt ſi preſſeris fixiùs humorem ibidem contentum, difficilioremque ad diſcuſsionem feceris. Quapropter ſi repellendi occaſio vigeat, oleo roſaceo cum modico abſynthio & ſucco intybi & apij veteris, & ſi ingens fuerit viſceris caliditas, non erit ab re modicum aquę roſarum cum guttis quibuſdam aceti admiſcere. Hoc tamen vnũ rationabilius mihi, in inflammationibus huius viſceris curãdis, videtur, nimirum nunquam ſine leui aliqua diſcutientium & roborantium admixtione eſſe repellendum, quorum tanto maiorẽ partem paulatim adaugebis, quanto morbus magis ad ſtatum peruenerit, repellentibus tamen imminutis, donec ex toto ea auferas: quem etiam vſum præſtat ceratum ſanthalinum cum aceto, refrigerans Galeni, aut vnguentum roſaceum cum ſucco portulacæ aut plantaginis, vel roſarum. At ſi iecoris inflammatio à toto corpore humorem ſuſciperet, vel in ipſo iecore

præsit vel obstructio, vel humorum immodica copia, nequaquam incipiendum est à repellentibus,sed prorsus à laxantibus discutientibusq; initium sumere oportet, dummodo ex adstringentibus roborantibusque (quantùm visceri & eius officio satis sit) aliquid admisceamus,quorum tanto maiorem copiã adaugebis,quanto discutientia laxantiaque validiora, efficacioraque fuerint. Verùm quia adeò crassis succis infarta est materia peccans, quòd omne auxiliorum beneficium renuat,ni priùs extenuentur,ob id ante topicorum adhibitionem veteris summo mane apozemate ex gramine,radicibus rubiæ & rumicis ac fœniculi,& syrupo de bisanzijs vel acetoso diarrhodon. Aut fiat hac lege. Excipe corticis radicis apij & fœniculi ac petroselini,ana.℥.ij.seminis apij,anisi,squinãti,agrimoniæ, chamædreos, rubiæ.an.ʒ.iij.aceti albi quartam vnam, coquantur secundum artem,& facta colatura adde sacchari lib.ß.& bulliant iterum. Præstant mirum in modum trochisci hoc modo confecti,excipe ros.rub.ʒ.v.anisi,seminis apij,squinanti,casiæ ligneæ,calami aromatici.ana.ʒ.iij.mastichis,spicæ,cinnamomi,asari,rhabarbari,rubiæ,laccę ana.ʒ.j. pulueriz entur omnia,& cum succo fœniculi fiant trochisci ponderis.ʒ.j. quorum vnum cum aliquo ex prædictis apozematis manè sumat laborans. Deinceps verò inceptis vacuationibus,tam per sanguinis missionem quàm per vrinam mouentia,aut aluum purgantia, primitus adhibere oportet olei rosacei inunctionem, in quo maior pars absynthij ferbuerit, quàm cùm in animo est repellere. Itaque à prædicta inunctione, parti adhibebis quod recipit, summitatum absynthij,carnis cytoniorum conscissorum,ana.℥.iij.decoquantur in aqua & oleo ad cõsumptionem aquæ,& cum spongia aut pannis cãnabinis partem fouebis. Præstantiorem etiam vim habet id quod recipit olei absynthij & cydoniorum.an.℥.j.ceræ ℥.ß.liquefiant in duplici vase,& refrigerata malaxentur cum succo intybi aut cichorij. Hoc tamen dignum consideratione sum arbitratus esse, nimirum intus & extra frigidiora esse adhibenda auxilja,quo magis ad erisipelatis naturam inflammatio accesserit,quousque æger sentiat flammam internam extingui, ad locumque affectum frigiditatem peruenisse,tantùmque à prædicta refrigerationis sorte deuiabis,quantùm inflammatio ab erisipelate. Sed rimari diligenter quouis præsidio exhibito opus erit,quonam se vertat natura in debellando humore: quippe si ipsum resoluere nitatur, auxilijs profectò iuuanda est quæ vim habeant id munus exequendi: si verò suppurare, rarò & cautè Medicus huic muneri incumbet, ac semper in resolutione perstandum, ijs tamen auxilijs quæ non omnino naturæ actibus aduersentur. Quapropter cataplasmatis quæ mixtas resoluendi & suppurandi vires habeant, vtendum est,quale est illud quod recipit mala cydonia purgata & contusa, numero. ij. in aqua pluuiali & cum farina hordei & fœnugræci fiat cataplasma: idem facito incoquens ea in absynthij decocto. Præstat & tritici farina in absynthij & anethi decocto,in sacculo immissa: vel prędicto cataplasmate addatur pulueris squinanti,spicæ celticæ.ana.ʒ.j.ß.absynthij.ʒ.ij. olei rosati. ℥.j. aceti.ʒ.ij. Inflammatione autem ad statum properante,addere oportet,maximè si constiterit naturã resolutioni intentã esse, camemalũ,melilotũ,farinã fœnugræci & seminis leni,cum modico puluere radicis ireos,si inflammatio frigido humore participet,aut euidentior fiat resolutio: quo tempore pręstantissimum est Auicennæ emplastrum, quod recipit stiracis liquidæ,ceræ.an.ʒ.vj croci,ammoniaci.ana. ʒ.ij.olei mastichis & rosarum.ana.℥.j.vini lib.ß. misce. Mirum tamen in modum dolorem sedat, & modicè digerit emplastrum vulgariter ex casia & apio confectum. Fotus itẽ prosunt ex decocto.q.recipit camemali,anethi, meliloti & althææ ana.

ana.p.j.absynthij.m.ß.spicæ,squinanti & mastichis.ana.ʒ.j.ß. Verùm si hepar non sit infirmum,dum foras euocare materias nitimur,maximè fluxione cessante, tũc quidem cucurbitam supra partem affectam cũ scarificatione adhibebimus, si vereamur medicamenta tantum humoris resoluere non posse, & iterum sequenti die reiterata cucurbita magni esse momenti assolet: non quidem vt multi consulunt in principio, ob doloris vehementiam, quippe tunc maiorem concitant fluxionem.

Quòd si constiterit naturam properare ad suppurationem, quod nosces ex intensioribus febribus maiorique dolore, etiamsi ex arte vacuaueris,aut topicis vsus fueris auxilijs, tunc quidem croco & vino, ficuum, passularum, maluarum & seminis lini facto decocto (non extoto ablatis resoluentibus) cum farina tritici & hordei ac fœnugræci emplastrum conficies. Item præstat sublato inflammationis timore, emplastrum de meliloto & althæa, item hyssopum cerotum descriptione Philagrij,& diachilon Galen.cum oleo liliorum,aut in quo radices althææ incoxerint.

His factis maiori diligentia vrinam ciere oportebit,quo natura etiam quod suppuratum fuerit,aut secus, per eam partem pellat. Verùm si nihil expurgari contigerit, antequàm iecur vniuersum in pus vertatur, adeò vt postea sanitati restitui non possit,apertio diligenter procuranda est,vocibus,tussi,sternutamento aut aliquo vehementi corporis motu. Quòd si nec hæc prodesse ad apertionem videantur,neque possibile sit pus per vrinam euocare,tunc quidem tanquam in re desperata,accersito viro aliquo perito & cordato,& chirurgo etiam diserto, de apertione per ferrum candens consulendum est. Inquit enim Aret.li.1.de sig.& caus.diutur. cap.13. At si extra feratur abscessus,ipsum non secare vtique malum est,nam si prætermittatur inscisio,à pure iecur eroditur, nullaque mortis dilatio est: si secare autem malis, profluuij sanguinis periculum instat, statimq; hominẽ perdi contingit. Igitur si quando necessariò ad sectionem venire cogaris, vstorium ferramẽtum candens perspicuumque ab igne accipito,& vsque ad puris locum intromittito: idem enim tibi & secat & comburit. Quo facto considerabis quale pus exeat, vt tale de euẽtu proferre possis iudicium. Si enim pus exit album & purum, maior subit spes: si verò fæculẽtum aut amurcæ simile,quia incocta est putredo & potiùs carnis colliquamentum,omnino res videtur desperata. Cum hoc tamen (licèt id Hippoc.asserat.7.aphor.42.) non omnino à bona spe desistere oportet,cùm potiùs ex suppurati iecoris natiua conditione, quàm ex solo caloris vitio id proficisci videatur, cùm iecoris substantia inflammata, nullus sit calor neque tantus qui substantiam ipsius in album pus vertere queat: sed re vera id est quod magis periculum auget, siquidem citra perfectam caloris actionem membrum vllum, nedum iecur quod principale est,sanitati restitui potest. Auget etiam mali prælagiũ, quòd vi ignis necessariò ad imam iecoris substantiam permeante, venæ contrahuntur, ac ipsius inuolucrum non minùs. Atque licèt vstione etiam Hippoc.lib.de internis affect.in magno iecore vsus fuerit (inquit enim: Quum maximum iecur euaserit sic vt promineat,malum,nec medicamenta profuerint, exurere ipsum oportet buxeis fusis oleo feruenti intinctis oleo terebinthi. At cùm educatur pus candenti ferro vrere oportet) cum hoc tamen non temere & vtcunque id opus aggredi oportebit: formidarunt id quidem Græci ferè omnes, solus autem Celsus inter antiquos, huius præsidij mentionem fecit lib.4. cap.8. cùm iecur vomica laboraret. Quem locum multi duobus modis interpretantur: vno, quod ferro candenti

locus

locus perforetur: altero, vt idem Celsus lib. 9. cap. 75. scribit, quòd locus ferro aperiatur non cãdenti, & inde vomica educatur. Sed inter Arabes Aliabas non omnino admittit: Rasius aperta intus vomica extrinsecus apertionem videtur consulere. Itaque maiorum habito consilio, satius erit anceps experiri auxilium, maximè viribus constãtibus in corporibus ætate florentibus, quàm in certa desperatione versari. Foramen, si id tentaueris, exteriùs amplius facito, interiùs verò angustius: tandem facto & extracto modico pure, obturabis lineis pãnicillis, succo plantaginis & rosarum intinctis, ne fluxio sanguinis maius accersat periculum: & postea aqua hordei & saccharo cum succo rosarum aut syrupo earundem, vlcus ablues, & abstergere repurgareque curabis. Ac dum pus exire iam destiterit, protinus, ne calor per foramen expiret, vlcus ad cicatricem quàm breuissimè reducere curabis.

Quòd si constiterit nec resolui nec suppurari, sed inflãmationem in scirrhosam duritiem cõmigrare (quod facile tibi erit nosse ex mitiori febre, remissiore dolore, existente tamen tumore in eâdem magnitudine, & corpore non subinde meliùs se habente) tunc profectò necessum erit simul resoluentibus emollientia admiscere. Quod sanè opus vt perfectiùs exequaris, expendendum tibi erit, inflammationem vno è tribus modis duritiem posse contrahere. Primo quidem confluente simul cum sanguine, crasso, fæculento & melancholico succo (quem abundare nosces, ex ante acta vitæ institutione, & corporis colore ac alijs accidentibus) qui suapte natura facilè in duritiem migrat immedicabilem, quantumuis rectè & prudenter inflammationem tractes. Secundo verò adhibitis quæ repellunt, refrigerant aut adstringunt auxilijs, importunè aut diutiùs vel inconsideratiùs quàm par sit: tunc sanè mirum non est si durior, compactior ac frigidior reddatur inflãmatio, in scirrhosamque commigret naturam. Tertio verò eiusdem conditionis & duritiei efficitur tumor ab imprudente aut intensiore laxantium & resoluentium administratione. Sic etenim euanescente parte humorum tenui, resiccata & indurata crassiori, facilè tumor in prædictam duritiem commigrat. Quapropter à principio nosse oportebit, qua harum causarum tumor in duritiem migret, vt iuxta cuiusque conditionem & indigentiam, præcauentia curantiaque auxilia adhibeas. Sic profectò humore fæculento crassoque existente, plurimum erit innitendum in proba laudabilique victus & vitæ institutione: & item repellẽtibus nullis veteris, sed his quæ laxent & resoluendi vim habeant, in principio admixtis quæ modicè inscindunt & attenuant, vt est syrupus de radicibus cũ aceto, & syrupus fumariæ cum modico oximellite: & decoctũ etiam absynthij cum eodem oximellite. Postea verò eisdem resoluentibus, sublatis quæ inscindunt, addesque vim habeant emolliendi mulcebremque reddendi duritiem & inclementiam humoris, & modicè etiam humectent: qualia sunt syrupus violaceus, borraginis & buglossæ. Quo facto non displicet in aqua lactis infundere folia sennæ, & tertio vel quarto quoque die, tres quatuorue vncias porrigere, quibus adde quatuor florum cordialium modicum. Verùm si constiterit humoris & tumoris duritiem, ex impẽsa refrigeratione & constrictione principium sortiri, ijs medicamentis vlteriorem duritiem inhibebis, & contractam emollies, quæ vim habeant laxandi & resoluendi, cum actuali calore, & vaporosa humectatione. Huius naturæ sunt fomenta modicè calida, adhibita spongia, filtro aut vesica, quę fiant ex fœnugræco, camemalo, meliloto & semine lini, aut ex sola tepida, ex maluarũ foliis addito oleo dulci. Prosunt & inunctiones ex oleo dulci cum absynthio, addito modico spicæ, vel diarrhodonis

rhodonis cũ vino albo odorifero, siquidem inflammationis feruor id renuere minimè iam poterit.

Quòd si ex impensè resoluentibus laxantibusque durities contrahatur, tunc quidem cautiùs quàm in reliquis causis emollitione veteris, imminet iam iã scirrhosæ dispositionis periculum. Quapropter cibis humectioribus & iusculis intus duritiem compesces, ac exteriùs, ijs quæ plus humectent & emolliant, quã laxare & resoluere nata sint: ob idque vbi id cognoueris, partem exteriùs fouebis oleo amygdalarum dulcium & butyro, vel alijs discutientibus addes decoctum malueę, althææ, seminis lini, aut mucaginem fœnugræci & cytoniorum vel pyllij: aut eandem mucaginem ex radicibus buglossæ & borraginis: Præstat & inunctio ex eisdem oleis cũ axungia gallinæ, anatis & medulla crurum vituli, cum oleo nardino & succo absynthij, ac pulueribus squinanti: quæ omnia in duplici vase bulliant ad consumptionem succi, & facta colatura, cum modica cera fiat vnguẽtum, aut citra ipsam fiat linimentum. Eiusdem vsus est emplastrium de mucilaginibus, aut fomentũ ex prædictarum herbarum ac seminum decocto, quæ non parum fræna re possint incipientem duritiem.

Si tamen his diu & prudenter adhibitis, durities indies magis ac magis creuerit, scito iam scirrhosam naturam contraxisse. Quapropter cautiùs deinceps rem ages, nam præter id quòd parum prodesse auxilia solent, frequentiùs & citiùs in immedicabilem hydropem affectionem migrare conspicimus, necnon & in cancrosam duritiem. Cuius naturam facilè cognosces, si priùs expenderis huius visceris scirrhosam duritiem duplicem esse: exquisitam vnam & quæ verum ac exquisitum gignit scirrhum, alteram verò non exquisitam. Illam distingues, quòd omnino dolore careat, & sensu prorsus priuetur: hanc verò, quia quamuis dolore careat, non tamen sensus omnino expers est: qua ratione, à cancro & inflammatione euidenter dissident. Modus autem generationis vtriusque vt Galen. placet lib. de tum. præt. nat. cap. 9. duplex est: nam vel fit ex lapsu inflammationis, erefypelatis aut œdematis, vt dictum est, vel à prauo vitæ & victus instituto: vtcunque tamen sit, iecur, sicut & splen, membra sunt huic affectioni maximè obnoxia, tum quòd iecur crassiore sanguine abundat, tum verò quòd splen plurimum melancholici succi ad se alliciat. Qui tamen diligentiorem de scirrhi natura, ortu & causis desiderat tractationem, legat lib. nostrum, de fœmi. morb. primum cap. vlti. Interim tamen sciat, eum qui exquisitus iam est, & exquisitè induruit, sensuque omnino expers factus est, nullam curationem admittere, qui verò non exquisitè induruit, curari quidem poterit, non tamen facilè. Quòd verò inueteratus nullam admittat curationem, testatus est Galen. 2. ad Glauc. cap. 5. In qua re sciendum est, quòd & si deterior & nocentior sit scirrhus in superiori & gibba iecoris parte excitatus, quòd pars ea dignior sit, rariùs tamen & difficiliùs curationem admittit qui in concaua suboritur: & sic in hac parte plerunque fit incipiendo, in gibba verò frequentiùs ab alijs tumoribus suboritur, quia in illa abundant magis crassiores succi, quàm in gibba.

De scirrho hepatis.

Dignosces autem iam in scirrhosam duritiem commigrasse, quòd cùm febris remissior facta fuerit, aut ex toto abolita, durities longe maior in pulsu apparet, vt ex Galen. 4. de præsag. ex pul. apertè constat. Item quia vel cohibita respiratione, vel quouis motu violenter facto, grauitas & ponderosus quidam sensus percipitur in dextro hypochondrio, præterquàm quòd durities non leuis tactu percipitur, si in gibba sit iecoris parte, nisi & hydropem iam accerserit. Præterea corpora sic affecta,

fecta, minimè ſupralatus affectum dormire poſſunt, & nimium extenuantur, maximè dorſi partes. At ſi in caua fuerit, præter hæc omnia, etiam alui fluxus importuniſsimus accedit, ſicut & corpori nigrior cum pallore color, & tepor algidus vniuerſum occupat. Vrinæ etiam mox à principio multæ, adueniente tamen aqua inter cutem, omnino paucæ. Sed cauſarum diuerſitatem dignoſcere etiam curabis ex his quæ præceſſerunt, vt latiùs anteà dictum eſt, necnon ex colore totius, qui ſi niger ſit, ex melancholia, ſi ſubpallidus, admixtam pituitam quoque addeſſe monſtrat. Sperabis tamen ex iecoris inueterato ſcirrho, ex quacunque cauſa ortum ducat, vel hydropem, vel immedicabilem tabitudinem, aut diutinum & irreparabilem fluxum. Item ſperabis inueteratum non poſſe vlla arte ſanari, incipientem verò difficulter, vt Galen. 2. ad Glau. fatetur. Inquit enim Paulus, Si verò iecur induratum fuerit, parum in medicina ſpei eſt, affectu aquam ſubter cutem decidente. At loco citato Gal. inquit à principio ſæpe eum affectu in ſanaſſe, vbi verò ad plures dies, inquit, fortè fuerit extenſus, neque ipſe potui ſanare, neque alium vidi qui poſſet.

Curandi ratio.

Auxiliares verò manus ei ſcirrho adhibendæ ſunt, qui nondum ex toto induruit, aut exquiſitus factus non eſt, quippe is nulla ratione admittere poteſt curationẽ: primò, quia eo cõfecto adeò extinctus ſupereſt calor, quòd nulli medicamẽtorum ſorti natura adminiculetur: ſecundò, quòd lapidoſum ampliùs diſſolui in halitum non poteſt, ſicut neque articulorum tophi. Item quia emollientium & calidorum medicamentorum vſu frequenti diſſoluitur diſsipaturque etiam vis & calor vitalis ipſius viſceris. Quapropter curandum eſt, id opus cautè & prudenter aggredi, conſiderata nimirum priùs occaſsione, ſit ne ventriculus nimium cruditatibus abundans, an ſplen melancholica recrementa non ſatis à iecore vel vniuerſo corpore expurgans, an verò iecur ſua natura eiuſdẽ ſucci plurimum generans. Hæc enim omnia exactè conſideraſſe erit opus, vt conſtet qua curandi methodo à principio vtendum ſit.

Hoc vnum tamen ſcito eſſe in omni occaſsione vtile, nimirum vt ea victus ratio inſtituatur, quæ & quod genitum eſt & impactum extenuet, & probum laudabilioremque deinceps ſuccum gignat. Talis enim conditionis eſt victus attenuans appellatus, vt Gal. placuit lib. de attenu. vict. velut cappares cum oximelite: nam vt Galen. ait 13. metho. cap. 17. ſcirrhis iocinoris & lienis pari ferè beneficio proſunt. Proſunt & paſſulę per noctem infuſę in decocto thymi, pulegij, origani, aut calamenti: victus in vniuerſum ſit pullorum caro, caponum, gallinarum & aliarum auium quæ humido polleant nutrimentali. Nec omnino abſtinendum eſt à iurulentis, ſemper tamen cauendum ab immodico potu: & in vniuerſum his quæ vrinam modicè moueant & iecur abſtergant, vtendum. Potus vel vini, vel aquæ cinnamomi, ſaſafraſæ Indicæ, pimpinellæ, agrimonię & myricæ, parcus tamẽ inſtituatur: nec diſsimilis erit commodi aqua chalybeata aut deaurata, maximè ſi antea decocta aliquo ex prædictis medicamentis fuerit.

Conſiderabis deinceps, an aliquo modo in ſcirrho iecoris ex vſu futura ſit ſanguinis detractio: qua in re arbitrandum eſt eis tantùm profuturam, quibus vel hæmorrhoides ſuppreſſæ fuerunt, vel mẽſes: ijs tamen, ne affectus ampliùs creſcat, potiùs quàm gratia curandi. Verùm ſi poſsibile fuerit, ipſum ſanguinem fæculentum, per eaſdem hæmorrhoides hyrudinibus affixis reuellere, aut menſes euocare, ſatius profectò erit, quàm vena ſciſſa ſanguinem detrahere: ſin aliter ex ſiniſtro crure non erit ab re modicum ſanguinis fundere, aut ſi copioſior apparuerit plenitudo, ex ſiniſtro brachio vena baſilica ſciſſa, quod adhuc in venis parti affectæ vicinis continetur, & paulò poſt tumori acceſſurum eſt, educere. Quo facto, reliquum melancholici ſucci per ventrem aut vrinam eâdem lege imminuere curabis, quam in præcautione opus eſſe ſcripſimus: quippe vlteriùs ſanguinem fundere, periculo nõ vacat in ea affectione quæ in hydropem plerunque degenerat, ob iecoris frigiditatem.

Verùm quia præcipua curandi ratio eius quod factum induratumque eſt, in emollitione diſcuſsioneq; conſiſtit, ob id totis viribus, id, quo prudentiùs fieri poſsit, exequendum erit: tum per externa, tum verò per intus ſumpta medicamenta, viciſsim enim ſe adinuicem iuuant. Quapropter, primò extrinſecus ea adhibebis auxilia, quæ non calida & ſicca, ſed mollientia ſint: nam ſi alijs diutiùs vtaris, durius reddes quod induratum fuerit. Neque obſtet Gale. variè loquutum fuiſſe de mollientium natura, quippe ea refert. 5. ſimpl. cap. 8. calida eſſe, ſed moderata, hoc eſt, quòd moderatè à medio, verſus caliditatem & ſiccitatem recedunt, licèt non plurimum. Item 2. ad Glauc. ſcribit mollientia eſſe calida & humida, vt oleũ, adeps & medulla: ac licèt ſibi contrarius videatur, intelligi debet, vtriſq; ad ſcirrhi emollitionem opus eſſe: nam qui ſiccitate induruit, humidis emollientibus opus habet: qui verò frigiditate concretam habet humiditatem, calidis quæ fundant, & ſiccis quæ quod liquatũ eſt ebibant & reſiccent, & ob id vtriſq; viciſsim vtitur. Quibus cognitis, ea adhibebis (præter alia, quæ ſuperiùs diximus) vbi ex ſiccitate indurata affectio eſt, quæ recipiũt abſynthij oleum & nardinum cum thymiamate, bdelio, & radice althęæ aut mucagine eius, addita ceruina ſeu vitulina medulla, cum anſeris aut gallinæ adipe: ex quibus vel linimentũ parabis huic vſui maximè proficuũ, præcipuè ſi addideris aceti aut acetoſi modicum. Parabis item aliud quod recipit abſynthij. p. ʒ. foliorum & radicum althææ. an. m. j. bulliant in oleo communi, & modicè feruefactis, adde ſpicæ vtriuſq; & ſquinanti. ana. ʒ. j. aceti. ʒ. iij. & facta expreſsione ſpongia excipiatur oleum, & ſupra iecoris regionem fiant fotus manè ante cibum, facto priùs leui exercitio, aut blanda frictione. Poſtmodum verò partem inunge linimento, quod recipit olei abſynthij & maſtichini. ana. ʒ. j. nardini & cytoniorum. ana. ʒ. ʃ. adipis anſerinæ, gallinæ, & medullæ ceruinæ. ana. ʒ. j. ceræ q. s. aceti parum, fiat vnguentum. Procedente affectu, licebit prædicto vnguento addere ammoniaci aut bdelij vel ſtiracis modicum. Parabis item aliud mirabilis efficaciæ. q. r. lithargyrij auri tenuiſsimè triti. ʒ. iiij. nutriantur oleo camemali in mortario, deinde coquantur facta agitatione donec ſpiſſentur, & adde ammoniaci, bdelij in vino liquefactorum & colatorum. ʒ. ʃ. ceræ. ʒ. v. terebinthinæ. ʒ. iiij. iridis. ʒ. j. malaxentur oleo liliorum manibus vnctis. Sed expediet tertio aut quarto quoque die fotibus partem & affectum manſuetiores reddere, quod facies ſi receperis radices & folia maluarum & althææ, fœnugræcum & ſemen lini cum ſquinanto & vtramque ſpicam cum abſynthio, additis aceti albi guttis. Item prædictas herbas & ſemina poſt coctionem contundes & ſumes lib. j. ei addes adipis anſeris. ʒ. ij. cremoris fœnugræci, ſeminis lini & althææ. ana. ʒ. ʃ. olei de abſynthio. ʒ. j. maſtichini. ʒ. ʃ. ammoniaci aceto diſſoluti. ʒ. ij. fiat cataplaſma. Verùm in adminiſtratione horũ auxiliorũ, obſeruandũ ſumopere eſt ne diu ac imprudenter vni innitamur auxilio, ſatius enim arbitrãtur peritiores ea immutare, quo magis pſint, minùs aſſueta alicui eorũ natura. Vltimò tamen adhibebis emplaſtri diachylonis magni ireati. ʒ. iiij. malaxẽtur in oleo irino & de abſynthio, & applicẽtur hepatis regioni.

Sed interim dum ea exteriùs adhibentur, per interna porriges quæ vim habeant

inſcindendi, attenuandi & repurgandi quod emollitum tenuatumque extiterit. Huius naturæ ſunt medicamenta quæ ſuperiùs in præcautione adduximus, quibus addi poteſt id decoctum quod recipit graminis, petroſelini & aſparragi. ana. ℥.j. radicis ireos. ℥.ß. radicis maluæ cum folijs. p.ij. cichorij, agrimoniæ. ana. p.ß. florum violarum & borraginis. ana. p.j. paſſularum ſine acinis. ℥.j.ß. cinnamomi, ſpicæ vtriuſque & ſquinanti. ana. ℈.j. cuius decocti ſumes. ℥.iiij. & addes ſyrupi acetoſi diarrhodon, aut de quinque radicibus. ℥.j.ß. Verùm quod efficacius & precioſius ego arbitror & experimento didici fore, eſt ſyrupus noſter ex chalybe, qui recipit aquæ lupulorum, graminis & agrimoniæ. ana. lib.j. corticum capparorum. ℥.ß. paſſularum ſine granis. ℥.j. ſpicæ vtriuſque. ana. ʒ.j. ſquinanti. ʒ.j.ß. capillorum veneris. p.j. radicum fœniculi. ℥.j. radicum lilij minutim inſciſi. ʒ.iij. chalybis limati lib.ß. bulliant omnia in duplici vaſe ad conſumptionem tertiæ partis, & facta colatura cum leui expreſsione, adde aquæ pluuialis lib.j. in qua maduerint per noctẽ rhabarbari. ʒ.iij. foliorum ſenæ. ℥.iij. & facta colatura & leui expreſsione, cum modico aceto & ſaccharo fiat ſyrupus, cuius. ℥.ij. aut. iij. porrige manè, & poſtea leui facto exercitio ante prandium iterum quieſcat laborans. Vti etiam poteris tãquam peculiari auxilio opiata mihi vſu probata, quæ recipit iecoris lupi præparati. ℥.ß. carnis paſſularũ. ʒ.vj. ſpicæ vtriuſque & ſquinanti. an. ℈.j. pulueris radicis rubiæ, & rumicis. ana. ʒ.j. chalybis præparati aut nò præparati, & ſæpius loti aqua agrimoniæ ℥.j.ß. pulueris electuarij de gemmis. ℈.ij. lapidis bezoar. ℈.j. cũ ſyrupo acetoſo diarrhodon & cichorij fiat ad modũ opiatæ, carne paſſularum extracta per ſetã priùs, & in aqua graminis liquata: cuius ſummo manè porriges. ʒ.ij.ß. aut. iij. & leuẽ quandam deambulationem laboranti inſtitues (maiorem enim ſic affecti nõ tollerant citra damnum) quæ calorem in iecore concitare non poſsit iuſto maiorem.

De iecoris intemperantia, & de omni eius & venarum imbecillitate. Cap. III.

NON eſt minoris momenti hepatis quodlibet intemperamentum (quod dum eò pertingit, quòd ſanguificationem vitiet, hepaticos ſeu iecoratios reddit homines) quã quæuis alia eiuſdem viſceris affectio, quãtumuis primo acceſſu grauis non videatur: nam licèt ſanguificationis officio non obſit mox à principio, eos tamen ſuccos cogit iecur generare, qui ſanguinem cõſpurcent ac vitiẽt. Duobus enim modis lædi intemperatum iecur ſcimus: vno, dum imbecillũ omni muneri exequendo efficitur: reliquo verò, dum prauè ipſum exequitur: atq; id etiam duobus modis: vno, dum plus generat vnius humoris quàm reliquorum, iuxta intemperamenti conditionem: altero verò, dum genitum ſanguinẽ conſpurcat ea labe qua iecur ipſum eſſe affectum conſtat, vt euentu quotidiano in his qui morbo Gallico afficiuntur conſpicimus: quippe iecur ſanguinem generat & reliquos ſuccos, cæterum eos Gallica lue infectos ac ſigillatos. Sic ab intemperãtia imbecillitatẽ protinus ſuccreſcere conſpicuum exiſtit, idq; non vno modo, ſed iuxta varietatem potẽtiarum, quibus iecur vtitur ad peculiaria munia exequenda. Quippe aliquãdo attractricẽ oblædi & imbecillitari conſpicimus, nonnunquam retentricem, alteratricem ſæpius, & expultricem non rarò. Sic attractricem infirmam ob frigiditatẽ monſtrant liquida excrementa per aluum exeuntia chyli formam referentia, nam aliter affecta ventriculum imbecillum oſtendunt. Dum verò hepar trahit ac retinet (namq; non retinente hepate liquida etiam redduntur excreta) chylum tamẽ ipſum alterare ob eandem intemperiem nequit, excrementa fiunt ſimillima loturæ carnis recenter mactatæ, quã excretionem capite de dyſenteria nominari diximus hepaticam: & licèt ſimile damnum efficiat languida retentrix, cum hoc tamen diſtingues hanc ab illa, imbecillitate cõcoctricis, quòd in illa primũ cruenta ſanies, mox craſſa excernitur: quod ſanè vitiũ potius ad immodicã humiditatẽ referri debet, ſicut diminuta coctio iecoris ad frigiditatẽ ſeu caloris imminutionẽ, vt. 3. de cauſis ſymp. aduertit Gale. Item id etiã diſtingues, quòd in hac per interualla fit hæc rubra proluuies, vbi tantùm inchoata ſit hematoſis, vt Gale. placuit. 1. pror. ſec. 2. & 4. de vſu part. & 5. de locis affect. c. 7. & 8. pharmac. local. at retentrice imbecillitata, frequentior fit excretio, licèt aliquo modo ad ſanguinis colorem mutata exeant excrementa. Expultrix etiam facultas irritari non rarò aſſolet, ſanguinis pondere aut vitio, potiùs quàm intemperamẽto, & ſanguinolentã quoq; excretionem mouere: cuius vitiũ diſtingues, quia in hac ſanguis tum per vomitum, tum etiam per aluum, colore & cõſiſtentia naturali ſimilis apparet, in reliquis verò vitijs præternaturalis viſitur, vt dictum eſt. At ſi hæc eadẽ facultas expultrix languida efficiatur, nõ quidem excretiones, ſed obſtructiones fieri eſt arbitrandũ, & ſi quando aliquid excretum fuerit, craſſum fæculentumq; erit. Itaq; hæc ſunt vitia quæ iecore ad imbecillitatẽ deducto ob intemperamentũ, maximè frigidũ & humidũ, ſuccreſcere aſſolent: qualiter verò iecur debeat affici, vt in ſanguificationis munere aberret, dictũ eſt exquiſitiùs capite de dyſenteria hepatica, & nunc etiã aliquid huic doctrinæ aptũ & neceſſariũ leges, ſi priùs dixero eſſe alia iecoris intẽperamẽta, quæ ipſum lædere ſunt nata.

Scalida enim iecoris intemperies bilioſum ſuccum, ſicca melancholicum, & frigida crudum progignere ſuapte conditione poſſunt: quibus vniuerſo corpori præſtatur idem intemperamentũ, tum ratione geniti ſucci, ex quo mille morborũ ſortes prodire aſſolent; tum etiã quia iecur membrũ eſt princeps, cuius temperie participat aliquo modo corpus vniuerſum, atq; etiam aliæ eius particulæ: quorum omnium ediſcere prouidentiã opus eſt, vt & imminẽtibus malis prouideamus, & preſentium cauſas & occaſiones abſcindere prudẽter & rectè poſsimus. Quippe ſi vlteriùs pergat iecoris calor & colliquatio, putridum, exuſtũ & ſummè fœtidũ procedit excrementum, atq; diſſoluto innato calore eius viſceris, ſimile fæcij ſapæ, quæ vna eſt hepaticæ dyſenteriæ ſpecies. Si tamẽ frigida ſit intẽperantia vltraq; pergat donec calorẽ imminuat & hepaticæ aliã ſpeciem conſtituat, minus quidẽ fœtida prodeunt excrementa, ſed amurcæ ſimillima & diuturna, citra febrem tamẽ: antè verò prædictæ intemperantiæ deferent trahentẽ, expellentem aut retinentem facultatem (vt anteà dictum eſt) ad debilem & imbecillimum ſtatum. Itaque primò ex intemperie vitiantur aut copioſiùs generãtur humores alij à ſanguine: mox creſcente intemperie, alię facultates à coctrice imbecillitantur: poſtea verò creſcente intemperie, & diſſipata ſubſtantia innati calidi, aut ipſo extincto, ſanguificationis munus oblæditur, affectio quidẽ ab intemperie longè diuerſa, licèt ab eâdem prodeat, vt mox diximus. Quo fit, vt vigente huius viſceris intemperie, reliqui ſucci à ſanguine deteriores quàm par ſit generentur, imbecillo tamen facto calore innato: vtcunque ſit, ſanguis diminutè confectus prodit, quaſi dixeris illam eſſe corruptam iecoris actionem, hanc verò diminutam aut penè ablatam.

Verùm vt res hæc tantopere ſcitu neceſſaria, à primis principijs innoteſcat, exquirere nũc eſt opus, quæ ſit ratio, quare intemperatum iecur prauos generet reliquos à ſanguine ſuccos, & ea ratione ipſum cõſpurcet, imbecillum verò, ſanguinẽ diminutè confectũ, cùm vtrumq; vitium ab ipſius intemperie proficiſci, ab omnibus proclamatũ ſit. In qua re ego ſentio, in eo differre imbecillitatẽ huius viſceris ab eius intẽperie, quòd imbecillitas quæ in ſanguificationis munere aberrat, dicit defectum innati calidi, & ipſum habet tanquam immediatam cauſam, ſiue ex calore aut vacuatione diſſipantibus prodeat, ſiue ab extinguẽte frigiditate proficiſcatur: quippe hæ cauſæ non gignunt immediatè ſanguinem imminutè coctum, ſed calorem eius muneris authorem infirmant. At intemperies eiuſdem viſceris dicit qualitatum exceſſum, quibus adauctis & intenſis, non deſinit natura ſanguinẽ generare, & optimum generare, ſed cum eo plus generat quàm ſecundum naturam oportebat, eius humoris qui intemperamento ſeu qualitati adauctæ correſpõdet, vt ſi caliditas ſit, præſertim ſicca, bilioſi ſucci, ſi frigiditas pituitoſi, ac ſi ſiccitas melãcholici, vt dictum eſt. Verùm dum calidi ſubſtantia imminuitur, proculdubio ſanguificationis munere deſtituitur iecur, nunc diminutè agens, nunc verò ferè ablatè, iuxta diſſipatæ aut extinctæ ſubſtantiæ copiam. Quorum ſanè affectuum ratione, licèt qui laborant iecorarij aut hepatici nominentur, illi proculdubio ſolùm id nomen meretur, qui ſanguificationis munere ferè priuãtur, reliqui verò per cõuenientiã aliquam potiùs, quã re vera, vt Gal. aduertit 8. pharloc. c. 6. Quæ ſanè omnia ni exactè expenderis, etiãſi ab intẽperantia exuperãte prodire cognoſcas, ſcito te aliquid horum minimè curaturum: quapropter cuiuſq; cauſas & ſigna ſpecialiùs hac in parte placuit referre, vt apertiùs cõſtet vera & genuina medendi ratio.

Calida iecoris intẽperantia.

Cognita, breui hoc ſermone, natura & eſſentia intemperamenti & imbecillitatis iecoris, ad cuiuſq; differentiæ cognitionem & cauſas differẽdas nunc tranſeundum eſſe arbitror, ſi priùs dixero intemperantias huius viſceris, ſicut & reliquarum partium, in duplici eſſe differẽtia: quippe ex his quædam ſunt nudæ & ſolùm qualitatis exceſſus: quædam verò cum exuperantia etiam alicuius humoris. Hæc autem vltima iecori accidere ſemper aſſolet vna è tribus occaſionibus: vel quia iecur plus iuſto illius humoris qui redundat generat: vel quia membrũ cui munus eſt ipſum expurgare, id improſperè exequitur: aut vltimò alicuius alterius mẽbri vicini vitio. Sic profectò ventriculus prauè conficiens alimenta, iecur reddit ſuo muneri ineptius: idem præſtat obſtructio venarum meſeraicarum: item veſica fellea imbecilla facta aut obſtructa: nec non & ſplen pariter obſtructum & imbecillũ: ſic renes dum improſperè ſeroſum humorem ſugunt: ſic etiam & vterus qui plus ſanguinis trahit & expurgat, iecur reddit lãguidum. Quapropter hæc omnia expendiſſe oportebit, alioqui mirum non eſt ſi cognito affectu, auxilia nihil proſint, quia nulla membri præſtantis habetur prouidentia.

Signa.

Sic enim calidum intemperamentum (quo bilis copioſior fit prouẽtus) cognoſcitur ex colore totius corporis valde citrino, albis oculorũ partibus palleſcẽtibus: ex pallida etiam vrina, vel flaua & mordaci: at ſi intemperamentũ naturę modum exceſſerit, ictericorum vrinis perſimilis excernitur: duobus enim modis ſeroſam ſubſtantiam copioſè generat iecur: vno, ob cruditatem ſanguine ſimili loturæ carnis facto, quo fit vt aquoſior exiſtat: altero verò, ex calore liquante humores ac fundente ipſos, haud ſecus quàm diuretica vim habent fundẽdi, & ob id copioſam vrinam gignendi: caloris enim eſt fundere & liquare. Noſces autem à cruditate vel calore ſerum prodire, quòd ille concreſcit & turbatur protinus à mictu, ſignum quidem

quidem impenſæ cruditatis: hic verò nequaquam, quia calor non permittit turbari, præterquàm quòd illud ſerum mulcebre eſt & mordacitatis expers, hoc verò acre, mordax, erodens & calidiſsimum. Noſces autem eandem intemperantiam ex habitu etiam gracili, oris amarore & ſiccitate ac ſiti, ex ſcabie ſquamoſa & bilioſa item ex oris ventriculi morſibus, torminibus & vomitibus bilioſis: præterea ſic affectis manus volæ & pedum plantæ ſæpe ſcalore premuntur, vigiles ſunt, dolent capite, iracundi, audaces & temerarij. Quòd ſi intemperamentum plurimũ creuerit, colliquationes ſequuntur bilioſæ, craſſæ, fœtidæ, vſtæ & ſanguinolentæ, donec caro hepatis colliquatione per cruentam deiectionem contabeſcat & excernatur: tandem excrementa apparebunt graueolentia, ſplendida & nimis calida, cum animi deliquio & angore, febricula & totius corporis contabeſcentia. Quòd ſi cruditas quoque adſit in ventre & in meſeraicis, hypochondriacæ affectiones ſuccreſcunt, quæ excalfactis vſtiſue cruditatibus difficiliùs curantur, ob contrariarum cauſarum concurſus.

Cauſæ.

Præter natiuam iecoris conditionem ad bilioſum & calidum vergẽtem, extrinſecus aut ab intrinſeco, mille ſuccreſcunt cauſæ, quæ huiuſmodi calidam temperiem, ſi præſit, augent, aut denuo euocant, & indies magis intendunt. Scalidum igitur primò efficitur iecur ex immodico exercitio, maximè æſtiuo tempore: ex vſu rerum calidarum, ſiue alimentum ſiue medicamentum ſit, extra aut intus præſtitum: item ex nimia pituitoſorum euacuatione, aut improſpera bilioſorum purgatione: ex febre etiam ardentiſsima, aut æſtuante quouis alio affectu, vel ex erodenti aut mordaci aliquo ſucco ibidem genito & non expurgato, vel aliunde in idem viſcus tranſmiſſo, quo profectò non ſolùm intemperatur, verùm & liquatur abraditurque.

Curandi ratio.

Cùm mihi in animo ſit, non imbecillitatem (quippe eius latiùs meminimus capite de hepatica dyſenteria & de hydrope) ſed ſolùm hac in parte eius intẽperantias curare, operepretium duxi ab ſcalido iecore initium ſumere. In cuius medella conſiderare primò incumbit, an calida hæc iecoris intemperãtia morbum aliquẽ minari videatur, aut iam actu efficiat: item an nuda exiſtat, quod rariſsimè contingit, vel bilioſo aut acri humori admixta. Caliditas enim iecoris nuda & quæ nuper incœpit, ac nondum valuit quid bilioſum generare, præcauenda diligenter eſt, ne in maius malum commigret. Quod ſane haud difficulter facies, primò intrinſecus potulentis exhibitis, velut eſt ſuccus aut decoctum cichorij, ſonchi, hordei, portulacæ, cucurbitæ, lactucæ, ſcariolæ & ſimilium cum ſaccharo ad clarificationem reducto. Eiuſdem vſus eſt aqua ſtillatitia eorundem, nec non & hordei cremor, aut decoctum cum ſaccharo roſaceo. Item decoctum radicis cichorij cũ abſynthio & modico ſaccharo, vel decoctum hordei cum ſyrupo cichorij & modico cinnamomi, aut cum tabellis ex electuario ſanthalino, diamargaritonis frigidi, aut electuarij de gemmis: confert & ſyrupus agrimoniæ, cichorij ac ſenecionis, cum decocto ſquinanti. Exteriùs verò fotu veteris ex oleo cydoniorum & roſaceo, ac linimẽtum parabis ex cerato ſanthalino in oleo roſarum omphancino diſſoluto: item vniuerſæ iecoris regioni, ad figuram Lunæ creſcentis, adhibebis ceratum ipſum ſanthalinum cum puluere coralli rubei vel roſarum. Quòd ſi hęc prodeſſe non videantur, partem inunges vnguento roſarum, ſanthalorũ, refrigerãti & cucurbitæ, maximè iuxta dorſum, ſi ibidem eluceat caliditas. Item deſuper pones linteum madidum aqua lactis, cichorij, roſarum, aut ſucco portulacæ cum modico aceto. Verùm ſi refrigerare citra adſtrictionem oportuerit, ſic facito. Recipe vnguẽti roſacei ℥.j. ʃʃ.

olei violacei ℥.j. ſanthali albi.ʒ.ß. ceruſæ.ʒ.j. aceti parum, fiat vnguentum. Quòd ſi velis refrigerationem compeſcere & penetrationem moliri, addes aceti & celticæ ſpicæ modicum. Præſtant & eandem refrigerationem citra adſtrictionem, olea ex ſeminibus frigidis maioribus. At ſi cum adſtrictione refrigerare volueris, quia vereri oportet ne in inflammationem migret, ſic facito. Recipe olei myrtillorum, cydoniorum & omphancini. ana. ℥ j. ſeminis portulacæ, intybi, ſcariolæ. ana. ℈.j. coralli, boli Armeni. ana. ʒ.ij myrtillorum, balauſtiorum, ſpicæ nardi, ſanthalorum rub. ana. ʒ.j. antiſpodij. ℈.j. ceræ albæ quod ſatis, fiat vnguentum. Cautè tamen adſtringentibus vteris, ne in obſtructionem deferas iecur. Cæterùm ſi id mitius & cum maiori corroboratione velis efficere, excipe olei de abſynthio. ℥.ij. ſanthalorum omnium, coralli rub. vſti & loti aqua abſynthij ana. ℈.ij. ſeminis intybi, ſcariolæ. ana. ʒ.ß. apij, petroſelini, aniſi. ana. ℈.j. ceræ quod ſatis, & adde vini modicum tempore inũctionis. Prodeſt & oleum ex hepate ranarum galeorumq; omnium, ſicut hepar caniculæ & centrinæ, habẽt enim hepar hi piſces adipoſum, in oleum dum liquatur in ſartagine facilè mutabile. Præterea cibis & potibus id etiam tentabis refrigerantibus, velut eſt ius & caro pulli cum lactucis, borragine, ſcariolis & cucurbita: nec diſplicebit ex horarijs fructibus aliquid ſumere, cœna verò ſit ex eiſdem herbis decoctis, aut pomis vel pyris aſsis cum ouis ſorbilibus. Cæterum in potu hoc obſeruandum erit, quod tanquam vtiliſsimum haberi debet, ſemper ante cibum parum aquæ frigidæ ingerere, temperat enim vẽtriculum, quo minus exurat alimenta, & iecur refrigerat atque eius feruorem compeſcit. Prodeſt quidem ſummopere potus ex decocto agrimoniæ, hordei aut ſacchari.

Verùm ſi cum atfluxu ſeroſi & acris humoris, vel ex generatione eiuſdem, aut bilioſi ibidem facta, ſuboriatur, curãdum eſt ante quoduis aliud auxiliũ, ſanguinẽ mittere: primò ſi vires conſtiterint, ex baſilica lateris dextri, & poſt dies aliquot, ex ſaluatela eiuſdem manus. Quo facto, præſtitis ſerapijs cichorij, borraginis, bugloſſæ, acetoſæ aut acetoſo ſimplici, purgare corpus vniuerſum oportebit: primò caſia fiſtula cum ſyrupo ex infuſionibus, vel manna liquata in ſero lactis, tãdem per epicraſim (nam ſeligentibus non licebit confertim purgare, deterius enim fiet intemperamentum) ex infuſo rhabarbari cum ſero lactis, vel cum aqua portulacæ, cichorij, hordei aut ſonchi. Præſtat & infuſum foliorum ſenæ cum aqua pluuiali, & mirum etiam in modum prodeſt decoctum radicis rumicis cum aqua acetoſæ vel portulacæ: quo facto, eiſdem intus & extra vteris refrigerantibus & attemperantibus quæ mox diximus. Poſtmodum verò ad conterendas bilioſorũ excrementorum reliquias, delendaſq́ obſtructiones, vteris eo præſidio quod recipit radicis cichorij, petroſelini, apij, & foliorum ſonchi & cichorij. ana. p.j. coquantur ſecundum artem, & facta colatura, adde radicis rumicis, rubiæ, & graminis. ana. ʒ.j. bulliant iterum, & facta colatura accipe ʒ.iij. ſyrupi cichorij cõpoſiti. ʒ.j. & ß. poſt aliquot autem dies manè porriges ſacchari roſarum aut violarum. ʒ.j. aquę hordei vel cichorij, ʒ.iij. Cæterum quò magis conſtiterit ſiccitatem adiunctam eſſe, eo humidioribus & mucilaginoſis vteris. Hoc tamen vnũ adſeruabis in hac curatione, nimirum ex vſu eſſe potum frigidum aut cibum refrigerãtem, vt hordei decoctum, lactis ſerum, aquã portulacę & borraginis cum ſaccharo: præſtat & lac ipſum cum quarta aquæ parte, & lac etiã ſeminum frigidorum maiorũ. Extrinſecus verò ea quæ refrigerare diximus præſtabis, ac ſi æſtiuum tempus permiſerit ad balneum aquæ dulcis cõfugiendum erit, ſin aliter, veſicam aqua tẽperata ſemiplenã adhibere oportet: prodeſt etiã dum ſcalidũ eſt vniuerſum corpus, manè dormire, aut per aliquod

aliquod ſpatium iacere ſupra vtres aqua plenos. Quibus factis, ad vſum cochlearum & aquæ ab eis extractæ te conferes, miro enim modo his opitulari ſcripſerat Galen. Quòd ſi iecori refrigerando plura auxilia ſelecta & pulchra adhibere volueris, lege tom. 2. meorum operum caput de præſidijs ad iecoris intemperies, quippe ibidem copioſa reperies. Verùm ſi dolor & ardor præualuerint, ad vſum philonij perueniendum eſt, facto initio à granis decem vſque ad. ʒ.j.

Frigidi intemperamẽti ſigna.

Si tamen intemperies frigida ſit, ſubſtantia innati calidi manente integra, nam ſi imminuatur ad hepaticam dyſenteriam attinet, id ante quoduis auxilij genus ſtudebis venari, nam lædunt calida aut frigida hoc viſcus, ſi indebitè adhibeantur, peculiariùs & magis quàm quoduis aliud. Id profectò dignoſces, quòd in corpore & excrementis diminuta iecoris & nonnunquam deprauata eluceat actio, ita vt albo colore vniuerſum corpus perfundatur, tactus corporis frigidus, œdemata & febres pituitoſæ vrgent, facies tumida apparet, præſertim iuxta oculos, idque ſummo manè, item crura, ſed maximè propè noctem. Vrinæ præterea ſunt tenues & albæ, & quæ per aluum excernuntur, ſunt cruda, ſed non graueolentia, ſæpe liquidiora, & ſæpiſsime aquoſa, poſtea verò vt Galen. placet. 8. pharmac. loca. dum calidi innati ſubſtantia deuincitur, deijciunt cruenta, craſſa & nigra, inſtar ſanguinis putrefacti, ſed ſimilia colori atræ bilis: à qua diſtingui facilè poſſunt, quia quę atrabilioſa ſunt ſplendentia exiſtunt, hæc verò quæ iecore frigidiore facto prodeunt, nequaquam: nam hac ratione docuit Galen. 3. de ſymptom. cauſ. cap. 2. diſtinguere craſſum ſanguinem congelatione factum, ab eo qui vſtione craſeſcit. Sic enim conſiderare oportet hæc excrementa, plures habere & ęgrè iudicabiles colores, ad atrum non ſplendentem vergentes: quæ ſanè excretiones neque aſsiduæ, neque multæ fiunt, licèt affectio diuturnior facta, per interualla copioſiùs excernat.

Curandi ratio.

Grauis & non minùs curatu difficilis, & adhuc diuturnior eſt frigida intemperantia, & in varios affectus plerunq; commigrare habet, aut eos accerſire, & ob id blandè & prudenter ipſam tractare oportebit. Primò itaque conſiderabis ſit ne ſimplex intemperantia, quæ plerunque ex procatartica aſſolet ſuccreſcere cauſa, & ſi diligenter præueniatur, facilè cædit ex ea ortum malum. Ob id victu & potu in primis ſtudebis frænare: quippe ſi ex frigidæ potu aut eſu rei frigidæ prodierit, manè potum feruentis decocti ex cinnamomo, ligno aloë aut abſynthio amaro porriges: prodeſt etiam meri potio parua ante prandium, maximè ſi vinum ſit caryophyllis, zingibere atque cinnamomo conditum: item alimenta oportet & iura parare aromatis & rebus calidis, ea menſura quæ frigiditatem remittere valeat, nõ quidem calorem denuo inducere. Quòd ſi certum ſit frigidos etiam ſuccos abundare, his purgabis quæ cap. de dyſenteria hepatica diximus: non enim placet ſæpius eadem repetere, cùm facili negotio vel verſa pagina reperiri poſsint, aut lege tom. 2. cap. de præſidijs iecoris intemperati. Exterius tamen dum nuda viget intemperies, fomentis vteris, primò ex oleo nardino & abſynthite, poſtea ex decocto nardi celticæ, abſynthij & cinnamomi: quæ omnia conſciſſa & oleo camemelino ac vino incocta, mitum in modum profunt. Verùm ſi frigidæ materiæ vel obſtructionis ſuſpicio ſit, præmiſſa purgatione leui ex infuſo agarici & foliis ſenæ, aut agarici & rhabarbari cum ſyrupo ex infuſionibus roſarum Perſicarum, vel ex cartami expreſsione in liquore roſarũ, diebus interpoſitis manè porriges. ʒ.iiij. huius mellicrati, quod recipit nardi celticæ. ʒ.vj. abſynthij. ʒ.ij. cinnamomi. ʒ.ß. facta decoctione, cum melle fiat hydromel. Præterea vbi nulla ſit febris ſuſpicio, vinum porrigi poteſt, quod recipit roſmarini. m.j. ſpicæ celticæ. ʒ.j. radicis angelicæ. ʒ.ß. in

vino macerentur & leuiter ferueant,cuius ℥.j.porriges.Præstat & opiata quæ re cipit lupinum iecur & cocleas cum vino in puluerem redacta: item pulpæ passularum ℥.j.mirabolanorum chebulorum ʒ.ij. hepatis lupi præparati ʒ. j. & ℈. aromatici rosati ʒ.j.cum syrupo absynthij fiat opiata:vel fiat sic.Passularum mundatarum lib ℈.coquantur ad pultis consistentiam in vino veteri & generoso, transfundantur setaceo,& in colatura dissolue conseruæ anthos, corticis citri conditi cum cinnamomo.ana. ℥.j. aromatici rosati,diamargaritonis calidi.ana.ʒ.℈.iecoris lupi præparati ʒ.ij.fiat opiata. Quòd si malum his non cesserit auxilijs, electuario veteris quod recipit passularum mundatarum ℥.iij. croci.ʒ.j. calami aromatici ʒ.ij. & ℈.bdelij ʒ.ij.casiæ ʒ.j.& ℈.cinnamomi & spicæ.ana.ʒ.℈.mirrhæ electæ ʒ.iij.squinanti ʒ.ij.puluerisiecoris lupi præparati ʒ.ij. & ℈. cum melle & vino fiat electuarium.Confert non minus theriaca,& reliqua quæ diximus capite de dysenteria hepatica,maximè si eis addideris quæ iecur roborant, vt squinantum, absynthiũ, rosam,eupatorium & spicam:& ex his etiam quæ siccant atque à putredine præcauent,velut est cinnamomum,iuncus odoratus, casia lignea, nardus, calamus aromaticus,crocus,mirrha,passulæ,vinum,mel & terebinthina, sed maximè stillatitia aqua ex melle,terebinthina & prædictis aromatis. Exteriùs verò ex vsu sunt quæ calfaciant & modicè siccent,vt oleum ex ferueſacto cipero, croco,squinanto aut iride,& aliquibus prædictorum aromatum cum absynthij puluere, cera aut ladano,vel vtroque.Quòd si velis roborationis & calfactionis gratia aliud cõficere,sic facito, excipe olei nardini & de absynthio.ana. ℥.℈.spicæ nardi,squinanti,asari.ana.ʒ.℈. antispodij facti ex myrto vel corallo rubeo.ʒ.j. florum anthos ℈.j.seminis apij & petroselini.ana.ʒ.j.vini quantum hæc ebibere possint,& adde ceræ.q.ʒ.vt fiat vnguentum.

Atque hæc de iecoris intẽperantijs dixisse sit satis,cũ de eius imbecillitate abunde dictum est capite de dysenteria hepatica, & adhuc specialiùs acturi sumus capite de hydrope.

Præter vitia quæ iecore prædictis modis affecto corpori succrescunt, alia non minoris damni quotidie accidere venis imbecillimis, aut intemperatioribus factis,conspicimus:quorum etiam hac in parte instituere prouidentiam consilio deliberaui:nam licèt similes aliquando affectus prædictis procreent,qui eisdem præsidijs mitiores fieri possunt,generant præter id alios mille modis dissimiles. Namq; nullum profectò malum ferè in nostris succrescit corporibus,quod ab his venarũ cruditatibus ac vitijs principium & fomentum non susceptet: & si, vt verum est, nulla fiet recta curandi institutio,nisi Medicus in cognitione & curatione ad causam & causæ principium deuenire studuerit, ob id hoc,causarum ferè omnium principium,diligẽter expendisse institui.Cuius rei gratia primò scire oportet,omnibus particulis nostri corporis,tam communibus quàm priuatis, datum esse duo exequi circa alimentũ munia:alterũ,quo simile sibi efficiunt,proprijsque accidentibus insigniunt:reliquum verò,quo ipsum in propriam substantiam commutant: hoc quidem appellatum nutritionẽ,illud verò coctionẽ. Sic proculdubio in vtroque munere deficere ipsis non rarò contingit. Est tamen inter partes principes & priuatas discrimen:quòd illarum pleræque coquendo non solùm sibi conficiunt & assimilant humores,verùm & toti corpori, qua actione vel deficiente vel corrupta,oblædi simul vniuersum corpus necessum est:at singulares particulæ sibi solis parant & concoquiunt alimentum,quod si non probè effecerint,mirum nõ est, si vel ipsa,vel alia,vel vniuersum corpus oblædatur,ex humore superabundante ac vitioso,

vitioso ibidem genito & minimè à particula in sui naturam mutato & consumpto. Præter quæ munia partibus omnibus præstita,concesit insuper venoso genere natura alia tria, nimirum sanguinẽ & reliquos succos cõtinere & deferre ad singula membra:insuper tueri,quo minus labem ac vitium cõtrahant: tertiò si quid imperfectum simiconfectumue in ipsis adfuerit, iecoris beneficio & calore sibi præstito perficere,& in sanguinis naturam vertere.Sic profectò mille modis venosum genus languidum, intemperatum aut deiectum, humorum conditionem & naturam infirmat ac vitiat. Dimitto obstructiones,quarum medella similis est ei quam iecori obstructo præstitimus: patiuntur quidem humores in venoso genere cruditatis tres sortes: nam aliquando crudos susceptant aliunde (sed præcipuè à iecore) succos:nonnunquam ipsæ tales reddunt & varijs modis conspurcant:vltimò verò ipsis sanis existentibus non contemnendas cruditates, quinimo vrgentioris cõditionis, patiuntur.Primæ autem sortis cruditates gignit plerunque iecur infirmum,vt in huius capitis initio dictum est, quarum læsiones & præsidia abunde exposuimus: secũdæ quidem varijs fiunt modis,nam dum genus venosum calore sibi ab arterijs & partibus circumuicinis præstito orbatur, quauis occasione vel causa fiat,frigidiores redduntur humores, pituitosiores & copiosioribus seris scatentes:si verò venæ plus iusto incalescant,in feruorem & vstionem ipsos exagitant:si tamen humectentur, vel laxiores factæ prauè cõtinent,vel putredini promptiores reddunt siccos.Porrò ex his vitiosis succis(inquit Gale.6.de morb.& sym.) eresypelata,cancri, gangrenæq; nascuntur: præterea phagedenæ, carbunculi,vlcera serpentia aliaque huiusmodi. Tertio verò & vltimo modo cruditates congeruntur in venis,non quidem ipsarum vitio, sed vel culpa cõtentorum succorum, vel eorum copia, vel ob externam occasionem,quæ prohibito succorum,qui in ipsis sunt,naturali effluxu, per putredinem & vstionem incrudantur. Hæc profectò dicta sunt, vt quis facilè colligere possit, quanta intersit differentia in curatione prædictorum malorum, dum à iecore prodeunt crudi aut quouis modo vitiati humores,& dum à venis tales fiunt. Nam sæpe sola iecoris prouidentia malũ radicitus curatur,nonnunquam verò citra ipsam, vacuationibus tum per pharmacum,si venarum vitio cruditas succrescat,tum verò per sanguinis detractionem,si sine earum læsione cruditas suboriatur,ac nõnunquam beneficio vtriusque auxilij.Sed longè vtilius est in his omnibus,& sudare ligni guayaci decocto,& eo vti in potu semper, & eius aqua arte chimica extracta,maximè si addideris carryophyllos, cinnamomum,& lignum aloẽ ac reliqua roborantia. Discant obsecro tyrones hæc omnia nosse & distinguere:siquidem quoduis eorum admodum dissidentes medendi vias exoptat & poscit,quas si aut ignorauerint, aut euerso ordine exequantur, mirum non est si finem optatum consequi non possint.

De

De ſplenis inflammatione, duritie & obſtruſtione. Cap. IIII.

VT varietas affectuum qui ſpleni accidere ſolent, & ex eius vitijs corpori vniuerſo aut alicui eius parti ſuccreſcunt, faciliùs innoteſcat, præmittendum eſt, hoc viſcus corpori præſtitiſſe naturam, vt iecur & venoſum genus ab ſpurcitia fæculenti, limoſi ac melancholici ſucci repurgaret. Quod ſanè munus exequitur per venam quã dam ex meſeraicarum ſorte, à vena portę diſſeminatam, in ipſumque ſplenem inſertam. Cui muneri exequendo præſtitit natura ſpleni facultatem ſibi ſimile alimentum eliciendi: è quo puriori parte ſelecta, vi proprij caloris & arteriarum adminiculo alitur, & reliquum quod craſsius fæculentiuſque eſt in ventriculum pellit, quo faciliùs per inteſtina ſimul cum reliquis excrementis prolabatur. Quod ſanè membrum dum pro naturæ lege ſe habet, hæc beneficia corpori præſtat: verùm ſi à naturali procidat ſtatu, melancholico ſucco non probè repurgato, aut reſiduo ab alimento ipſius ſplenis non exactè purgato, varia grauiſsimaque incommoda corporibus afferre poteſt. Quippe ſi eius ſuperuacuum non excernatur, lien in tumorem eleuatur, & corporis natura ac vniuerſus color malè afficitur, & emaciatur corpus, gingiuæ vitiantur, os fœtidum reddit odorem, & interdum ſanguis è naribus profluit, atque varices aliquãdo cum vlceribus curatu difficillimis producuntur. Denique ex ſplenis tumore ob prædictam cauſam, adeo grauia accidentia & mala ſuccreſcunt, vt coegerit Galen. dicere lib. 2. de facult. natur: Quibus corpus floreſcit, his lien decreſcit, ac vice verſa, quibus lien creſcit, illis corpus tabeſcit & vitioſis repletur humoribus. Præterea non ſolùm hæc mala ſuccreſcunt, dum melancholicum recrementum non purgatur, verùm dum à ſanguinis conſortio non ſeparatur, quartanæ febres, melancholicæ imaginationes, & cutis fœditates, quæ aut elephantiaſim, aut illi quid ſimile minantur: crurum etiam imbecillitates, tumores ſcirrhoſi, & ipſius ſplenis immedicabiles durities. Quæ ſanè affectiones, licèt corporis aut partis colore atro, ſimiles videantur ictero nigro, ab eo tamen longiſsimis interuallis diſsidere eſt compertum, vt ſuo loco latiùs ſum probaturus: nam hæ omnes à redundante ſucco in genere venoſo ibidemque exiſtente prodeunt, icterus verò non niſi à melancholia delata ad cutem, ob imbecillicitatem tractricis aut obſtructionem meatuum.

Appellarunt antiqui morbum ſplenis, à quo, hæc omnia vitia, vel ſimul vel maiori ex maiori parte coniuncta, ſuccreſcunt, ſtomacace, quia ventri efficitur communis affectio, ſeu ſtomacachexia, & ſceletirbe, quem alij ſcorbutũ nuncuparũt. Noſtri verò temporis Medici, vitijs ſplenis non ab hac accidentium ſindrome ſumpta ratione nomen impoſuerunt, ſed cuique ſplenis affectui, ſiue hæc, ſiue illa accidentia ſequantur, peculiare nomen præſtiterunt, vt ſplenis tumorem, ſcirrhum, inflammationem aut obſtructionem. Scripſerunt autem de ſtomacace & ſceletirbe Plinius 25. cap. 3. & Strabo lib. 16. ſuæ geographyæ: Græcorum tamen & Arabum regioni ignotus hic morbus fuiſſe videtur, ſaltem non apparet hoc nomine ab eis fuiſſe inſignitum. Nam ſceletirbe, quod depingitur ab authore definitionũ medicarum, diuerſum omnino eſt malum ab affectibus crurum, qui in ſcorbuto viſuntur, licèt re vera aliquo modo ſimilentur: nominum enim non magna habenda

benda eſt cura. Apud Auic. etiam aliqua huius mali apparet mentio, canone. 3. fen. 15. tract. 2. cap. 5. vbi congeriem horum ſignorum adducit, ſtatuens etiam ſigna inflammati ſplenis: idem Paulus ſub nomine ſcirrhi ſplenis, & Alexander ſub nomine phlegmonis ex atra bile. Qui omnes, horum omnium accidentium meminerunt, quòd frequenter ſplene male affecto accidunt, aut eorum plura, tamẽ his ſic iunctis non tribuerunt peculiare nomen, ſed tanquam ſigna alicuius morborum qui ſpleni ſuccreſcunt, adduxerũt. Cum hoc tamen, omnes liene affectos lienoſos nuncupauit Hipp. & in Coacis, vbi lienoſis prodeſſe dyſenterias dixit, & 6 aphor. 34. quocunque affectu lien laboret, dummodo inueteratus ſit.

Vtcunque tamen nominare volueris huius viſceris mala; vitia ſunt prodeũtia ab aliquo eius proprio affectu. Poteſt igitur ſplen vt prædicta accidentia ſuccreſcant, vno è tribus morborum generibus affici, ſiquidem morbus eſt propriè affectio illa, à qua primùm læditur operatio particulæ: quippe aut intemperie laborat, aut viarum anguſtia & obſtructione, aut vltimò tumore quouis præter naturam, ſed maximè ſchirroſo, ob peculiarem alimenti ipſius conditionem & naturam. Sic profectò intemperies cauſa eſt imbecillitatis alicuius facultatum ipſius viſceris, ſed maximè attrahentis, cuius vitio ictericus affectus prodit. Verùm affectiones, quarum hac in parte meminiſſe oportebit, tantùm ſunt viarum coarctatio, & ipſius ſplenis durities, nec non & inflammatio. *Differẽtia morborum ſplenis.*

Primò inflammationis huius viſceris cauſa mouens, ea quidem exiſtimanda eſt, quæ reliquarum partium inflammationes accerſire aſſolet: proxima nempe, melancholici ſanguinis efferueſcentia, licèt euidentiſsimũ ſit à bilioſo etiam ſanguine vel copioſo fieri, vt teſtatus eſt Actius, & ex Galeno conſtare videtur. 6. popu. par. 3. qui febres ex ſplenis inflammationibus ortas, de genere eſſe inflammationum aſſeruit. Duritiei verò cauſa, vel inflammatio exiſtit ob impenſam refrigerationem in congelatam duritiem ducta: vel ipſa inflammatio prauè reſoluta, in qua tenue ſolùm euanuit, manente craſsiori parte: vel humorum craſſorum copia, qui ibidem impacti vel præ congelatione indurueruũt, vel præ ſubtilioris partis euaneſcentia adeò exſiccati ſunt, vt in lapideam duritiem commigrauerint. Coarctationis verò ſeu anguſtię meatus eorum vaſorum, per quæ ſolet dum attrahitur vel expellitur is humor, tranſire, cauſæ in triplici ſunt differentia: nam aut fit ab inflammatione ſcirrhoue, aut quouis alio tumore vias coarctante, vel à membris vicinis extrinſecus comprimentibus: vel ab humore ſeu excremento meatus ipſos obturante, obſtruenteque præ nimia copia aut craſsitie. Cuius etiam occaſione coniectandum eſt, tumores fieri ex inundante humore, maximè in venis minoribus, à quibus ad ſpacia vbi tumores præter naturam fiunt, facilis eſt commeatus. Quapropter, cùm omnium horum morborum humores craſsi, aut flatus caliginoſi cauſa ſint, docendum eſt, quanam ratione in ſplene generationem ſortiantur. Præſtat huius humoris melancholici prouentum primò, praua victus craſsi & fæculenti ratio: item aër ambiens calidus, ſanguinis partes ſubtiliores reſoluens: præterea vigiliæ, labores & curæ, quæ ſpirituoſam humorum partem conterere ſunt nata: vltimò verò febres quæ præceſſerunt: nam vt inquit Gale. 3. de loc. cap. 3. ſunt nonnulli, qui per febriles morbos melancholicum humorem contraxerunt: ſed hæc vitia in ſplene cauſam non habent radicali principio ortam. Verũ ipſius ſplenis vitio & peculiari morbo, plerũque ſolent ſucci melãcholici in ipſo viſcere adeò grandi copia abundare, vt facilè in prædicta mala commigrent. Sunt autem hę cauſæ, impotentia concoquentis facultatis, quę humorem euincere nequit, *Cauſa.*

quit,vel ob ſui impotentiam,aut ipſius humoris craſsitiem:quo fit, vt ibidem permanente humore,tanquam excrementum obſtruat obturetque, aut in tumorē vel duritiem commigret. Item maiori ex parte fit vitio facultatis expellentis,quæ quod ſupereſt à coctione & alimonia,pellere nequit: quo tempore mirum nō eſt ſi in grauiora mala vniuerſum corpus dilabatur. Sed generaliores cauſæ ad magnos obſtructoſque lienes generandos,exiſtunt,vel largiores aquæ (præſertim limoſæ,ſtagnantes vel corruptæ) potus, maximè in febribus, & vbi ſitis admodum vrget:quippe aut veſicis aqua plenis impletur ſplen, aut in tumorem vaſis repletis aqua attollitur,vel ex craſſo & nebuloſo flatu turget, quod non rarò accidere ſcimus. Item generalior cauſa eſt regionis ipſius natiua conſtitutio, cùm vliginoſis locis excreſcere ſoleant lienes,vt author eſt Aetius,qui ab Hipp. acceperat lib. de locis,aqua & aëre,qui hepatitides ſplenitidesq; paluſtrib⁹ locis affectas refert: & Aetius etiã inquit. Humida affectione ſplē detinetur,atq; ea vbi ampliùs inualuerit, in tantum eius incrementū facit,vt etiam ventrē pertingat & hepar. Nec deſunt qui anni tempeſtates calidas & humidas eoſdem lienes efficere poſſe ſtatuāt: nam cùm toto anni diſcurſu pluuiæ imbreſque ſint, ſpirentque Auſter & Fabonius,plerunque non paucos ſceletirbe correptos vidimus.

Signa. Multa ſanè ſunt,quæ ſignis noſſe & diſtinguere in his ſplenis affectionibus oportet:primò quidem dum corpus vniuerſum malè ſe habet, colore ad ſubnigrum mutato,coniectabile eſt occaſionem & cauſam,ſplenem hoc vel illo modo affectum maximè præſtare. Quippe ab eo affectis, primò corporis totius grauitas ſequitur,ſpontanea laſsitudo, præcordiorum anguſtia & ſpiritus difficultas,crurum debilitas,& in eis apparent maculæ purpureæ & violaceæ, vel lentigines in toto corpore:item crura aliquando intumeſcunt,vel gracilia fiunt vltra modum:adeſt quoque gingiuarum pruriginoſa rubedo, faciei color ex pallido in fuſcū vergēs, oris graueolentia,gingiuarum etiam laxus & ſanguifluus tumor, dentes vacillant & pleraque alia ſuccreſcunt,quæ ſplenem affectum commonſtrant, ſed maximè venæ quæ ſub lingua ſunt,quæ varicoſæ plerunque efficiuntur: obſeruatio profectò magni momenti. Quòd ſi diuturna & exigua febris inde naſcatur, vrinæ crudæ tenueſque diutiùs meiuntur: aliquando vrinæ ferè nigræ, ſed è rubro ſaturato nigricant,maximè ſi febris adfuerit acuta,hypochondrium durum,tenſum,nunc grauitans ſiniſtrum,nunc cum punctionis ſenſu.

Cognito iam ſplenis vitio, qualis facultatis earum quæ in ipſo vigent, affectio ſit,noſcendum etiam eſt. Primò enim attractricem languidam exiſtere diſces,quòd fœdo atroque colore laborans perfundatur:nam cùm natura quantum poteſt,curet ſanguinem ab omni ſpurcicia vendicare,deficiente hoc ſplenis munere,ſtudet ipſa ad cutim melancholicum ſuccum pellere. Verùm ſi id ſuccreſcat vitio viarum,per quas ad ſplenem defertur melancholia, diſtingues tactu:quippe ſi ſiniſtrum hypochondrium, vel per medium ductum à iecore in ſplenem tenſio,durities,tumorue ſit aliquis,tūc quidem icteri cauſam obſtructionem eſſe eſt arbitrandum,ſin aliter,vitium in facultatem trahētem imbecillam regerere oportebit. At contentricem languidam eſſe noſces ex frequenti bilis vomitione, maximè ſi neque febris,neque aliud fuerit ſymptoma alterius morbi ſignum. Excernentem facultatem labefactari oſtendit defectus appetentiæ ciborum, cùm ob id nequeat melancholia eo adire, vbi famem excitare aſſolet: cui accedit lienem in tumorem attolli, quòd ibidem maneat præter naturæ modum ſuccus melancholicus.

Aqua

Aqua autem intemperaturæ ſorte prodeat quæuis harum imbecillitatum, ex his quæ præceſſerunt facilè diſces,ſi conſideraueris vitam ante actam,victus & potus vbertatem & naturam,ad ſiccum, humidum,frigidumue aut calidum vergentem: maximè ſi in conſiderationem adhibueris,à quibus laborantis natura lædatur, quippe calida lapſa, à calidioribus, frigida à frigidioribus promptiùs læditur: præterquam quòd lien cum humido intemperamento ocyſimè creſcit, cum ſicco verò dureſcit.

Noſſe autem ſplenis inflammationem, non admodum eſt difficile: quippe in ſiniſtra præcordiorum parte percipitur tenſio,tumor, & renitentia comprimenti manui:adeſt & febris interdum acuta:dolet etiam ea pars, & grauitas quædam ſentitur in profundo: pulſus efficitur vt Galeno placuit.4. de cauſ.pulſ. pleuriticorum pulſibus perſimilis,durus,inæqualis,magnus,ſed non plurimum, ac ſubinde celer & frequentior. Adeſt & reſpiratio frequens,ſi caput ſplenis inflammetur,aut ſi magna inflammatio ſit: reliqua verò ſigna quæ calorem internum monſtrant, facillima ſunt.

Scirrhoſa verò durities manu facilè tractatur & percipitur: diſtinguitur etiam haud difficulter à tenſione,quòd illa citra dolorem,cum grauitate tamen exiſtat: hæc verò plerunque cum dolore infeſtat: vtraque tamen ſine febre eſt, licèt aliquando febricula quædam lenta diu adhæreat.

Flatuoſus tumor eiſdem ſignis innoteſcit, præterquam quòd aliquādo grauitate ſibi adiuncta etiam decipit,ob craſſæ materiæ quę flatus præſtat,abundantiam: quo tempore interſtinguere oportet quòd febres quæ inflammationibus adiunguntur, neceſſariò intenſiores exiſtunt, flatuoſis verò tumoribus, vel nullæ vel leues,vel ab aliqua occaſione excitatæ,plerunque flatu diſcuſſo beneficium præſtant. Scito tamen adeò ſeptum tranſuerſum, cor & alias principes partes,aut illis ſeruientes flatu ex ſplene elato lædi,quòd ferè laborantes vel delirare, vel ſuffocari,vel animo linqui videantur:quapropter non leui diligentia huic affectioni ſubuenire opus erit.

Obſtructionem verò tactu etiam diſtingues leui duritie repræſentata, & ſolùm parte aliquo modo maiori facta:præterquā quòd color faciei, impotētia ad motū, & laſsitudo plerunque id potiùs quàm quodlibet aliud ſignum monſtrare habent.

Præſagitio Solent profectò ex lienis vitijs poſthabitis,vel prauè curatis,grauiſsimæ affectiones ſuccreſcere:nam melancholiæ,epilepſiæ,ſcirrhi,lepra & hydropes plerunque neglectis prædictis malis,viſuntur:maximè ſi quis praua victus & vitæ inſtitutione vtatur,quod frequentiſsimè ferè omnibus accidit,quia ſplenis mala cùm non plurimum actiones vitient, paruiſiunt,& ob id in grauiſsima mala ſenſim & paulatim prorumpunt. Terminantur ſæpe huiuſmodi membri mala,tum per dyſenterias vt in Coacis dixerat Hippoc.interdum per abſceſſum in crure ſiniſtro,ſæpiſsimè per hæmorrhoidas,& ventriculum nonnunquam, atque etiam vtiliter per vrinas, vt docuerat Hippocrat.de internis affectionibus & 6.popul.& 1.parte.3. fiunt autem huiuſmodi euacuationes à liene facta per cœliacam arteriam via, aut refluente humore à liene ad hepar:ſed per quem locum futura ſit euacuatio,ex figura tumoris docuit Hippoc.2.6.epi.2.

Curandi ratio. Cùm diuerſi ſint affectus,quibus ſplenem malè affici diximus,curationē quoq; diuerſam fore eſt arbitrandum:quapropter initio ſumpto ab inflammatione, eos omnes percurrere eſt in animo: ſi priùs ſimplici intemperantiæ ſplenis aliqua adduxero proficua, reliqua quæ peculiaria ſunt, vt ſæpius dicta prætermittens.

Intemperatura igitur ſplenis calida aut frigida, licèt purgationem non requirat ſui ratione, admittit tamen eam, gratia diuertendi excrementa quæ in ſplenem, intemperamenti occaſione confluere, aut ibidem gigni poterunt. Quo facto, peculiaribus pharmacis (quæ inferiùs ſcripta reperies) calidam temperabis refrigerantibus, quibus ad arcendam inflammationem vſurus ſum, & frigidam calfacientibus: cuius naturæ ſunt quæ in curatione ſcirrhi reperies. Verùm omnibus huius viſceris præſidijs admiſcebis oxicratum, quia eius dura & craſſa compago nullum recipiet leuamen, neque humoris peccantis (ſi quis fuerit) conditio gratiam aut beneficium, niſi adminiculo huius medicamenti. Quamobrem ſiue quæ calfaciunt, ſiue quæ refrigerant adhibueris, oxicrati modicum admiſceto, vt & aliquid agas & citiùs rem perficias. Non placuit hac in parte copioſiora adſcribere præſidia, cùm ea abundanter ſcriptis mandaui tomo ſecundo meorum operum capite de refrigeratione, emollitione & calfactione ſplenis, ad quem locum hunc legentes relego, ne videar eadem ſæpius repetere.

Doloris medella. Verùm ſi dolor ſplenem affligat citra febrem & duritiem, quæ tactui renitatur, ex flatu proficiſci eſt arbitrandum, & clyſmatis quæ vim habeant diſcutiendi priùs iniectis, & leuiter corpore purgato pharmaco, quod flatum non moueat, fomentis veteris, quæ vim habeant diſcutiendi: vt ex decocto camemali, meliloti, fœnugræci, ſeminis lini, anethi, capparorum, myricæ, epithymi ac polipodij, quibus adijcies aceti modicum. Item oleo liliorum partem inunges, capparorum, camemali, & abſynthij cum modico ſpicæ & aceto. Quòd ſi id prodeſſe non videatur, cucurbita vtendum eſt, ſupra ſiniſtrum hypochondrium affixa, ſi inflammationis aut fluxionis ſuſpicio non ſit.

Inflammationis præſidium. Quòd ſi conſtiterit ex ante habitis ſignis, ſplenem inflammatione tentari, coniectandum eſt aliquid in corpore humoris fluxurum ſupereſſe, & aliquid fluere, & iam etiam aliquid fluxum receptumque in particula exiſtere. Quapropter, vniuerſa huius affectionis curatio conſtituta eſt ex euacuatione, reuulſione & repulſu: & quia materia quæ iam recepta eſt in hoc viſcere, & ibidem infarta, non poteſt facilè aliquo ex prædictis modis vacuari, per ea quidem quæ vim habent rarefacien di atque diſcutiendi euacuari deſiderat. Vacuatio autem quæ primò exequenda venit, licèt toti corpori debeatur, plerunque etiam retrahit quod in parte & iuxta ipſam in vaſis receptum eſt: quo fit, vt mox ſanguinem mittere opus ſit, idque ex ſiniſtro brachio & baſilica vena, dummodo non ſint notæ grandioris plenitudinis in ipſo ſplene, aut iuxta ipſum: quippe tunc conſulit Raſius ex ſiniſtræ manus ſaluatela primitus ſanguinem eſſe mittendum, quòd efficaciùs reuellat euacuetque ſimul. Verùm ſi maior ſit in corpore, ob ſuppreſſam aliquam vacuationem, plenitudo, aut iuxta ipſum ſplenem, ex brachio pro virium ratione ſanguinem detrahes primò, deinceps verò ad deponendum quod in ipſo viſcere remanet, ex ſaluatela: denique iuxta fluxionis impetum res agenda eſt, nam dum fluit impetuoſè humor, à venis brachij ſanguis mittendus eſt, ſi tamen impactus in viſcere fuerit, aut miſſus iã ex brachio ſanguis, ex ſaluatela. Curabis inſuper ſi vitioſior craſsiorq; ſanguis appareat, corpus purgare, nulla vel leui expectata coctione, præparatione verò ſufficiẽti præmiſſa, vt eius quod in corpore ſpurcũ abũdat, euacuetur quominus ad inflammatã partẽ cõfluat: in his enim nõ purgamus vt ab inflãmata parte quidquã demere poſsim⁹ aut liceat, ſed vt minus fluat. Quo facto, aliquid reprimẽtiũ viſceri apponere oportebit, quo & dolor miteſcat, & minùs mẽbrũ recipiat, dũ modo

modo aliquid ipſis admiſceatur, quo impactus humor diſcuſsioni futuræ faciliùs cedat: ob idque non licèt frigidis & adſtringentibus vti adeò liberè ac in reliquis inflammationibus. Quamobrem, reſtita fluxione (quod noſces ex mitiori dolore) primitus partẽ fouebis his quæ humoris craſsitiẽ inſcindant & extenuent, cuius naturæ eſt vinum auſterum (ſi fluxionis aliquid ſuperſit) oleo dulci admixtum, vel roſaceo cum eodem vino vel aceto: neque erit ab re oxicrato & roſaceo modicè calidis regionẽ ſplenis fouere. Præterea ceſſante aliquo modo dolore & feruore reſtincto, medicamenta quæ vires habeant reſoluendi admiſcebis, lentè tamen & ſenſim: ſic in prædicto oxicrato incoques abſynthij comã, vel capparorum cortices, aut camemali aliquid: item oleo liliorum, abſynthij & capparorum fouebis, & alijs etiam quæ capite de inflammatione iecoris huic vſui latiùs ſcripta reperies. Interim tamen omni diligentia curabis, frictionibus, ligaturis & alijs auxilijs quæ diuertendi vim habeant, longè ab ſplene humorem diſtrahere, atque per cutim aliquid diſcutere, & eãdem victus ratione vti, quę viribus ſeruatis, etiam ſuo modo copiam humoris minuat, vt prædicto capite dictum eſt. Quòd ſi ad ſuppurationem vergere perſenſeris, haud ſecus quàm in iecore inflammato rẽ ages, tardiùs tamen ad apertionem te conferes.

De ſcirrho Interim tamen dum hæc inſtituis, diligenter rimari curabis, commigret ne inflammatio in ſcirrhoſam duritiem, quòd non rarò ſolet accidere. Id quidem noſces, quòd ceſſantibus dolore, calore & febre, tumor aut creſcit, aut ſaltem non decreſcit auxilijs adhibitis, quinimo lapidea duritie inſignitur. Contrahitur autem prædicta duries in ſplenis tumoribus vno è duobus modis: reſoluta nimirum tenuiori humoris parte, aut ipſo humore craſsiori facto, ac veluti congelato ob frigiditatem, vtcunque humori & parti præſtita ſit. Ex quibus conſiderationibus prodit duplex etiam curandi ratio: altera dum per tenuioris partis reſolutionem induruit tumor: altera verò dum ex propria humoris craſsitie, vel ex impenſa frigiditate ex frequentibus aquæ frigidæ potibus, vel aliunde contracta. Itaque ſi ex impenſo calore induretur, ſiue à medicamentis reſoluentibus intempeſtiuè adhibitis, ſiue ex calore ingenti ipſius inflammationis, via & ratio curandi, initium à proba & ſelecta victus inſtitutione ſumere oportet: ob id quidem ſumma diligentia curandum eſt ne ſucci melancholici gignantur: quinimo cibis humectioribus & temperatis ſtudebis augere eos qui melancholico ſucco ſint contrarij. Huius naturæ ſunt carnes pullorum, caponum, gallinarum, & capreoli: item oua ſorbilia & borrago. Potus ſit aqua lupulis, ſcorzonera & bugloſſa decocta, vel ferrata aut deaurata, cum modico vino, ſi febris iam deterbuerit. Hoc viuendi genere inſtituto, videndum eſt, an aliquo modo liceat iterum ſanguinem detrahere. In quare conſiderandũ eſt, an ſufficienter miſſus fuerit inflammationis gratia, quo tempore continere manus oportet, ac ſtudere reſolutionem & emollitionem moliri. Verùm ſi ex menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſsione affectionem ortam fuiſſe conſtiterit, tunc quidem à venis tali non erit ab re ante eorum auxiliorum adminiſtrationẽ, ſanguinem mittere, aut hirudines hæmorrhoidibus (ſi tumentes ſint) affigere. Quo facto, & præmiſſa leui purgatione per aluum eius humoris quem in corpore abundare compereris, ne cõfluat ad affectum locum vi auxiliorum quæ intus aut extra parti profutura ſunt, ad ea quæ plurimum humectent & emolliant, ac modicè calfaciant, te conferes. Cuius naturæ eſt oleum amygdalarum dulcium, aut oleum dulce cũ decocto maluarum & modico aceto, quibus partẽ frequenter

quenter fouere oportet: vtendum est etiam oleo liliorum, capparorum & dulci, in quibus ferbuerint maluæ, radices althææ & semen lini. Præstat & emplastrum ex mucilaginibus althææ & prædictis oleis cum modica farina fœnugræci, bdelio & modica cera. Præsentaneum etiam auxilium est, succus foliorum sambuci cum oxicrato ex decocto maluarum, althææ & aloës: succus etiam scolopendrij cum oleo dulci, decoctum corticis capparorum cum mucilagine althææ. Quòd si affectio nimis inueterata sit, optimo viuendi genere potiùs quàm medicamentorum turba tractari desiderat. At si indurata affectio ex frigido humore, ex frigidaque causa in splene contracta sit (aut ab alijs causis quarum latissimè meminimus libro nostro secundo de recto præsidiorum artis Medicæ vsu, capite de emollientibus) non semper vereri oportet sanguinis detractionem, siquidem eam Galenus in lienosis non renuit, vt constat libro de sanguin. miss. verùm id intelligendum est, vbi vel sanguis crassus plurimum abundat, vel suppressio sanguinolentæ fluxionis malo causam præstitit, vel affectio nuper facta sit: vtcunque tamen accidat, parcè mittendus est, & longè parciùs aut nunquam, vbi ex intempestiuo potu, siue in morbis siue extra morbum, principium traxit affectio. Quo facto, corpus ad purgationem, & tumorem ad emollitionem præparabis per ea quæ interiùs sumuntur, quale est oximel simplex cum scolopendrij decocto, item hydromel ex decocto betonicæ. Præstat & oximel, vel syrupus acetosus radicum cum decocto myricæ, corticum capparorum, scolopendrij, scordij, polipodij aut epithymi. Ab his, leuiter corpus purgabis decocto foliorum senę cum syrupo ex infusionibus violarum aut rosarum: item confectione Hamech simplici cum aliquo ex prædictis syrupis & decocto foliorum senæ. Posteà verò ad vlteriorem purgationem pressiùs humorem & tumorem præparabis, adhibitis eisdem decoctis cum oximellite squillitico, aut syrupo acetoso diarrhodon, idque per aliquot dies facies, ac postea iterum purgabis validiori pharmaco, si nulla sit febris suspicio: cuius naturæ sunt pilulæ de lapide lazuli, aut stybium præparatum, si corpus robustum fuerit, sin aliter, tutius esse arbitror per interualla frequentiùs & mitiùs purgare.

Sunt etiam huic affectioni proficua quædam medicamenta, quæ præter id quod purgant, ab ipso etiam viscere efficaciùs repurgant & abstergunt: huius naturæ sunt quæ ex chalybe conficiuntur: quæ sanè vt huic malo prosint, non ex chalybe præparato vt in reliquis affectionibus, sed ex sola eius limatura cum aliquo ex pharmacis quæ vim habent vel melancholiam, vel crassos succos purgare, & præter id duritiem emollitam alijs auxilij, paulatim imminuere & cõterere. Sic enim huic vsui conficies pharmacũ ex syrupo confecto ex decocto foliorum senę, epithymi & polipodij ac radicibus capparorum, melle & chalybe ipso, vbi decem ℥. decocti huius, & tribus mellis vnã & semissem addideris limaturæ chalybis. Vel conficies ex melle & puluere diatragacanthi & limatura eiusdem chalybis, eâdem dosi. Quòd si mitius delicatioribus fœminis efficere velis, sic facito: Excipe miuę radicũ scorzionerę conditæ saccharo. ℥. vj. syrupi capillorum veneris & violarũ. ana. ℥. j. pulueris electuarij de gẽmis. ʒ. j. pulueris lapidis bezoar. ℈. ℨ. pulueris rubiæ tinctorũ. ʒ. ij chalybis præparati & citra prępationẽ. an. ʒ. vj. lẽto igne fiat electuariũ fluidũ. Alijs verò quibus ieoris calor calida renuit medicamẽta, fat est bolũ cõficere ex sacchari rosacei. ℥. ℨ. & limaturę chalybis. ℈. ij. Quod sanè pharmacũ magni solet esse momenti, in quibus vitio ventriculi splen intumescit, & meseræõ obstruitur, maximè si ante eius sumptionẽ aquæ calidę modicũ sumpserit laborans. Quòd si chalybe

si chalybe vti non placuerit, aut idoneum tempus non sit, hoc veteris præstantissimo auxilio quod recipit succi althææ depurati ʒ. ij. & ℨ. decoctionis calamenti ℥. ij. pulueris foliorum senæ ʒ. ij. misce & cum melle despumato quod sufficiat, fiat electuarium, cuius sumat laborans per tres horas ante cibum cochleare vnũ. Hũc vsum etiam præstat syrupus ex scoria ferri hac lege confectus: excipe scoriæ ferri præparatæ aqua rosarum ℥. vj. passularum sine nucleis ℥. iiij. macerentur per tres dies in lib. iiij. aquæ lupulorum, & in fine trium dierum bulliant ad consumptionẽ tertiæ partis, & facta colatura adde radicis rumicis & rubiæ. ana. ℥. ij. corticis capparorum ℥. j. radicis fœniculi ℥. j. & ℨ. asplenij ℥. ℨ. capillorum veneris. m. ij. iterum bulliant & facta mediocri expressione adde syrupi acetosi diarrhodõ & de quinque radicibus sine aceto. ana. ℥. ij. sacchari lib. ij. fiat syrupus, & in fine decoctionis addantur prædicti syrupi, huius enim sumat laborans summo manè ℥. iij.

Interim tamen dum hæc fiunt, exteriùs fomentis emollire duritiem curandũ est: quem vsum præstat quod recipit radicum althææ & maluę. ana. ℥. ij. seminis fœnugræci & lini. ana. p. j. florum camemali, meliloti, & myricæ. ana. m. j. calamenti, melissæ, cuscutæ, pulegij, & fœniculi ana. m. ℨ. corticum capparorum ℥. j. bulliant omnia insufficienti quantitate aquæ & aceti, & postea fiat fomentum cum spongia aut filtro, cui addes olei capparorum & camemali. ana. ℥j. & ℨ. Idem præstat fomentum ex aceto extinctionis marcasitarum cum prædictis oleis: item euaporationes eiusdem aceti calidi, vel aceti squillitici, quod maioris est momenti: item germina tamarisci aut eius cortex ex aceto vel oximellite decocta cũ oleo amygdalarum amararum. Eundem vsum præstat inunctio quæ recipit olei rutæ, capparorum & camemali. ana. lib. ℨ. vini albi odoriferi ℥. iiij. radicum althææ, maluarum & filicis. ana. ℥. j. triturentur optimè radices, & simul bulliant vsque ad consumptionem vini, & facta colatura & vehementi expressione adde aceti ℥. iij. cyclaminis optimi triturati & mundi ʒ. iij. iterum bulliant ad consumptionem aceti, & facta iterum colatura adde opopanacis, bdelij, galbani, ammoniaci. ana. ʒ. j. dissoluantur gummi in aceto & admisceantur cum alijs, facta iterum leui ebullitione, & cum cera fiat vnguentum molle. Præstat & vnguentum quod conficitur ex diathæa, succo summitatum sambuci & oleo capparorum cum modica cera: item emplastrum ex pinguedinibus caponis, anatis & gallinæ cũ puluere marcasitarum, aut plumbi vsti cum diachylone. Confert & œsypi ceratum, & emplastrum ex meliloto, & ex mucilaginibus fœnugræci, althææ & ficuum, adiectis medullis & adipibus: item cyclamẽ cum suillo adipe, aut squilla aceto & oleo feruefacta ad consumptionem aceti, & facta colatura fiat vnguentum cum cera. Prosunt & omnia quæ hepati indurato proficua esse diximus, dummodo squillitici aceti aliquid admisceas, cuius efficacię est id quod recipit ammoniaci, bdelij, opopanacis dissoluti in aceto squillitico. ana. ℥. j. radicis liliorum, bismaluæ decoctorum in axungia porci, vel oleo amygdalarum dul. aut amararum ℥. ℨ. styracis, myrrhæ, iridis. ana. ʒ. ij. ℨ. mucilaginis seminis fœnugræci extractæ in vino albo ℥. ij. terebinthinæ & propoleos. ana. ℥. ij. ℨ. fiat vnguentũ m: addes tamen seminis viticis, apij, & petroselini. ana. ʒ. j. flatus discutiendi gratia, est quidem magni momenti. Quòd si plurimùm splen induruerit, sic facito. Excipe radicis mandragoræ diuisæ in partes ℔ j. decoquantur in oleo sesamino aut de semine lini, cum pauco aceto, cõtundãtur & extrahe per cribrum: addeq; opopanacis dissoluti in aceto squillitico ℥. ij. styracis, myrrhæ, bdelij, seminis alkekengi. ana. ℥. ℨ. propoleos, ceræ nouę & terebinthinæ. q. s. croci ʒ. ij. spicæ celticę & squinanti, asari uel viticis. ana. ʒj.

miſce & vtere:mirum in modum profectò indurata emollit. Verùm ſi flatus tumorem eius viſceris concitauerit, id inunges hoc q.r. olei nardini & abſynthij. ana. ℥. ß. ſeminis agni caſti, capparorum & de fraxino. ana. ʒ.ij. apij & petroſelini in aceto maceratorum. ana. ʒ.j. coralli rubri vſti & ſcoriæ ferri. ana. ʒ.j. ß. cerę quod ſatis, fiat vnguentum, cui adde tempore illitionis aceti modicum. Interim tamen dum hæc vnguenta adhibes, non erit ab re inunctionibus vti quæ ventrẽ leniãt: quę præter id quòd ſpleni proſunt, purgant omnino lienis ſerоſa recremẽta, ſi vſq; ad vmbilicũ inunctio fiat. Primum recipit ſucci cyclaminis. ℥.vj. ſucci cucumeris agreſtis aut ſambuci vel ebuli. ℥.iij. farinæ lupinorum & vini quod ſatis, fiat vnguẽtum. Aliud recipit ſucci ſambuci & mercurialis. ana. ℥.iij. mellis cõmunis & farinæ lupinorum ana. ℥.ij. miſce & fiat vnguentum: nec erit ab re his addere ſuccum aliquem tenuantẽ, vt iridis, ariſtolochiæ & apij, & odoratorum aliquod, vt myrrham, ſtyracẽ & ſimilia. Quem quoque vſum mirabiliter præſtat emplaſtrum ex lithargyrio cap. de iecoris duritie ſcriptum, ſi aceti ſquillitici modicum addideris. Proſunt & cucurbitæ cum ſcarificatione, ſed id cautè agendum, & dum ad extimã partem vergit etiam tumor. item ferro candenti vlcuſcula efficere ſupra partem oportebit, verùm cauendum eſt ne ſcirrhoſus tumor in cancrum degeneret: nam hæc ſolùm ex vſu exiſtunt, vbi in tumore & partibus circunſtantibus copioſa abundat pituita, quippe aliter, tutiora ſemper mihi viſa fuere alia auxilia, ſicut ſetonem eidem parti affigere.

Quòd ſi ex flatu, à craſsis ſuccis ibidem impactis eleuato, aut aliunde tranſmiſſo, ſplen dolore & cruciatibus afficiatur, fomentis prædictis ſine aceto veteris, oleis & inunctionibus, addito oleo liliorum, capparorum, camemali, abſynthij & ſpicæ, vel in quo bullierint aliqua ex his quæ nuper retulimus: quem quoque vſum præſtat cucurbita ſupra partem dolentem, aut parum infra appoſita, maximè corpore ab excrementis & copioſo ſanguine immuni: quòd ſi ipſam aliquando ſcarificaueris, non paruum beneficium præſtabis. Quòd ſi ſpleni emolliendo plura placuerit legere præſidia, tomo 2. meorum operum cap. de præſidijs ſpleni indurato proficuis copioſa reperies.

Obſtructio Huius viſceris obſtructionibus opitulaberis his quæ inſcindendi & attenuandi vires valenter obtinent, ac poſtmodum his quæ vehementiùs abſtergant & repurgent: & præter ea quæ ſuperiùs retulimus, peculiariter huic viſceri obſtructo opitulantur multa. Quapropter, ſi conſtiterit obſtructionis occaſionẽ eſſe improſperam menſium purgationem, aut ſuppreſsionẽ alicuius ſanguinolentæ vacuationis, aut vltimò, ſi conſtiterit corpus & ætatem atque humorum abundantiam non plurimùm diſsidere à ſanguinis natura, ſanguis mittendus eſt, quantum ſat ſit vt vitioſus imminuatur, ac rurſus, vt ſubſit purgationi & reliquis auxilijs locus. Quippe ſuſpectum eſt inſcindentibus & aperientibus vti pharmacis, ni priùs aliqua vſus fueris vacuatione: & ob id leui facta purgatione, protinus porriges oximel ſimplex aut compoſitum, cùm inueteraſcit affectio: item ſyrupum bizantinum, aut oximel ſquilliticum cum ſyrupo borraginis vel lupulorum: aut præſtabis ſyrupũ de hyſſopo, ſi prævaluerit frigidus humor, de calamento, aut de praſsio, maximè adiecto decocto de radicibus capparorum, ſcolopendrij, tamariſci, cicerum rubrorum, lupulorum, marrubij & ſcordij. Proſunt & pilulæ, quæ mirum in modum deobſtruunt, & hac lege conficiuntur. Excipe myrrhæ, aſari, ariſtolochiæ vtriuſque, ſeminis capparorum. ana. ʒ.j. ſpicæ nardi, ſquinanti. ana. ʒ.ß. apij, petroſelini, agni caſti. ana. ʒ.j. cum ſyrupo acetoſæ aut oximellite fiant pilulę paruę: quibus ſi lima-

ſi limaturæ chalybis modicum addideris, magnum præſtabis auxilium. Quo facto tertio vel quarto quoque die his addes quod vim habeat purgandi, velut ſunt ʒ.ij. vel. iij. foliorum ſenæ, ſi per noctem maduerint in aliquo ex prędictis decoctis, & facta expreſsione, idque diu curabis fieri, aut modicum agarici aliquando adijcies, vel ſuccum ſeminis cartami cum ſyrupo acetoſo diarrhodon. Quòd ſi hæc prodeſſe non videantur, ſplenis regionẽ vnges vnguento quod recipit olei amygdalarum amararum. ℥.iij. pinguedinis gallinæ & anatis. ℥.j. aceti. ℥.ij. vini albi. ℥.j. trochiſcorum de capparibus. ʒ.ij. coquantur priùs oleum & pinguedo ad conſumptionem aceti & vini, mox addantur trochiſci, & omnia miſceantur donec fiat medicamentum molle: quòd ſi ceratum efformare volueris, adde ceræ & emplaſtri meliloti quod ſit ſatis. Inunges etiam partem oleo capparorum cum ſucco ſambuci, vel tamariſci decocto eandem fouebis, quibus peruiæ fiant partes, & faciliùs medicamento abſtergenti & inſcindenti atque attenuanti cedant. Quibus factis, ad vſum chalybis cõfugiendum eſt, ea lege quã nuper diximus: quippe hoc ſolum præſidium potens eſt ſplenis obſtructiones radicitus euellere.

De omnibus icteri ſpeciebus. Cap. V.

COnſtat euidenter affectionem hanc, quam communi appellatione icterum appellant, à ſymptomate nomen ſumpſiſſe, quia ex qualitate ad quam corpus mutatur, & ex coloris modo, id proculdubio venatur. Sic profectò, cùm varijs coloribus ſoleat cutis vniuerſa citra eius proprium morbũ inſigniri & fœdari, ob id variæ quoq; reperiuntur icteri ſortes & ſpecies. Prima quidem & communiſsima eſt, in qua vniuerſi corporis cutis, faciei maximè, & adnatæ oculorum tunicæ, in flauũ colorem mutantur: dicta quidem icterus, ſumpta ſimilitudine ab auicula Galbula nuncupata: vel vt alij volunt, à colore alterius auis quæ Regulus nuncupatur: vel paruæ biberræ, cuietiam conſimilis adeſt color. Alij quidem ab auri ſimilitudine, aurigino ſum appellarunt affectum, & Celſus arcuatum, ab arcus cæleſtis colore ducta ratione: vtcunque tamen ſit, bilis colorem refert vniuerſum corpus, qui flauus eſt ſeu luteus, talis factus ab eãdem bile flaua diſtributa ad extimas partes, coloremque ſui ſimilẽ inferente. Secunda huius affectionis ſpecies (quam aſsignauerat Hippo. lib. 2. de morbis dicens: Color fit niger circa faciem, & maximè circa partes velut in vmbra occultatas, & oculi cum virore pallidi, itemque lingua infernè, & venæ ſub lingua craſſæ ac nigræ, & eſt homo ſine febre, ac mingit vrinam craſſam biliosam) proculdubio nomine caret: ſolus enim Paulus lib. 3. cap. 49. icterum nigrum appellauit, quòd pari ratione ac in prima icteri ſpecie, cutis vniuerſa nigro colore afficiatur, quia ſanguis ad prædictas partes delatus impurus eſt, & prauè expurgatus à melancholico recremento, vitio ſplenis non valentis ſuum munus explere. Quippe ſtatutum eſt à pleriſque Medicorum, præcipuum huius viſceris inſtitutum eſſe, ſanguinem à melancholico recremento purgare: quod cùm exequi non valet, certiſsimum eſt corpus atro colore fœdari. Tertia verò icteri ſpecies in cute apparet, quando color in ea mixtus ex flauo & nigro effloreſcit, vt Galen. docuit 5. de loc. affect. cap. vltimo. Quod ſanè vitium accidere ſolet cùm ſimul iecur & lien male afficiuntur, aut ex retorrida bile malum oritur. Quartam autem & vlti-

mam icteri ſpeciem,primus omnium adduxit Hippocrat.lib.de internis affect. dicens. Alius morbus regius fit quidem à pituita,hyeme autem maximè corripit,& color ipſius ægri eſt albus,& pectora ipſius pituita plena fiunt, & ſpuit ſaliuam, & cùm excreat ſingultus ipſi oboritur,& album lotium ac craſſum mingit,& in vrina ſubſidet velut farina.Denique ſicut nigra bilis aut flaua per cutim delata,icterum ſui coloris gignit,ſic proculdubio pituita id nata eſt efficere : huius tamen tractationis,cùm ad hydropem pertineat,non meminero hac in parte.

Eſt igitur ictericus affectus ſymptoma in genere qualitatis totius corporis mutatæ, nimirum coloris, prodiens quidem à vitio bilioſi excrementi perperam in eam tranſmiſsi,ob facultatis etiam læſionem,quæ aut prauè ſeparat prædictam bi-
Dubium. lem,aut non ſeparat,vel conficit eius plus quàm par ſit. Sed antequam explicem quales ſint morbi quos prædicta ſymptomata ſequuntur,dubitatione dignum iudicaui,quare in ictero bilis quæ effunditur ad cutim,neque febrem cõcitat,neque putredinem concipit,aut tremorem præter naturam,neque exeſionem vel puſtulas efficit,vt ea quæ in herpete & eriſipelate ac alijs cutis fœditatibus,ſiquidem videtur vtriuſque eadem ratio,cùm idem ſit humor,& eãdem partem occupet. Nec valet reſpondere hanc eſſe differentiam,quòd in his cutaneis vitijs humor profunditur ad cutim vitioſus, in ictero verò naturalis : nam in febre ardente dum iudicatorie efficitur icterus,vitioſus,putridus,acris & mordax longè magis quam in re
Solutio. liquis prodit humor,& cum hoc ſolùm vitiatur color. Cui dubitationi dicendum eſt primò,quòd licèt verum ſit eundem eſſe humorem,& eandem occupare partem, nõ tamen eiuſdem partis in vtroque affectu eundem locum occupat, neque eodem modo : bilis quidem in ictero poroſas cutis partes occupat & carnis ſubiectæ,eas nimirum,quas ſanguis dum naturalis & naturaliter ad extimas ſedes prodit,calore & colore viuido ac rubicundo afficit: quo fit, vt cùm in loco naturali & modo naturali bilis contineatur, affectum naturali ſimilem natura & modo efficiat,diuerſum tamen in colore,iuxta cõditionem & naturam humoris qui eutem inundat: & ob id non putreſcit. In herpete verò & reliquis non tranſmittitur bilis à vaſis ad poroſas partes modo & more naturali,ſed ad eas & ad ſpatia etiam intermedia facta diruptione,vt in alijs tumoribus præter naturam contingit,quæ cùm loca non ſint vbi naturaliter alimentum ſoleat contineri, & bilis alimentum præſtare non poſsit, à naturali calore deſtituitur (quantumuis naturalis ad eam partẽ mittatur,nedum cùm acris & præter naturam eſt) & putreſcit ac exulcerat & vitiat.Eſt etiam alia maioris momenti differentia,à prædicta diſſeminata,quòd bilis in omnibus cutaneis affectibus morbum creat,in ictero autem non morbum,ſed ſolùm qualitatem mutat,citra vllum actionum vitium: & ob id in illis vicem cauſæ morbi bilis gerit,in hoc verò ſolùm qualitatem mutat, & loco rubicũdi & viuidi coloris, quem ſanguis ſecundum naturam ſolet efficere, auriginoſum concitat ſeu flauum : nam talis neceſſario effloreſcit in cute color, qualis in eâdem abundauerit humor. Qua etiam ratione prodit,quòd bilis morbum efficiens non mutet cutem ad flauum colorem,ſed ad modum & naturam morbi quem concitat,atque hæc mihi videntur vera in huius dubij enodatione. Ad penſum igitur redeas,ſtatuendum eſt, vniuerſam huius mali naturã (vnde nomen ſortitur) ortam eſſe, nimirum à ſymptomate in qualitate totius corporis ad auriginoſum ſeu arcuatum colorem mutata: prodiens quidem à varijs diuerſarum etiam partium affectibus,& ob diuerſas quoque cauſas ipſos concitantes.

Hoc

Hoc habent ſymptomata omnia proprium & peculiare,vt inter præcipuas cau *Cauſa.*
ſas,morbos ipſos(à quibus immediatiùs oriuntur)ſortiantur.Quas quidem & morbos etiam omnes, vt quiſque exactè venari poſsit, expendat, ictericum affectum (vtcunque is ſit)ſemper proficiſci vno è duobus modis: nimirum vel natura agente,vel patiente eâdem : vtroque autem modo fit vel in toto corpore vel in aliqua eius particula. Quas profectò icteri cauſas & modos complexus eſt pulchrè Hippocrat.lib.4.aphoriſm.44.dicens : Quibus in febribus. 7.vel.9. vel.11. vel.14. morbus regius ſuperuenerit,bonum,niſi dextrum hypochondrium induruerit,ſi verò non,non bonum.Hinc enim diſces icteri duo eſſe prima genera, quippe in altero continetur ſymptomaticus omnis,& in reliquo criticus. Symptomaticum dicimus eũ,qui partis affectæ ſymptoma eſt, vt qui efficitur iecoris plegmone aut ſcirrho aut obſtructione pori fellei, vel illius quo in inteſtina deijcitur, in quo bile in venas regurgitãte excrementa cãdida,totuſq; color ſanguinis luteus apparet.Criticũ verò ſalutarẽ, naturæ vi & efficacia atq; victoria factum, primum quidem nõ ſalutarẽ,quantumuis criticus ſit, vt mox audies. Sed vt exactè quis intelligat omnes icteri ſpecies ſimul,& cuiuſque ſpeciei cauſas,expendat icterum in vniuerſum triplicem eſſe:felleum nimirum,hepaticum,& criticum:qui ſanè omnes in multo plures ſpecies ſubſecantur iuxta diuerſitatem cauſæ. Felleus quidem fit vel ab immodica plenitudine veſiculæ fellis, vel paruitate eius,aut ab imbecillitate facultatis attracticis eiuſdem, aut à meatuum obſtructione,ſiue eorum ſit per quos allicitur bilis,ſiue eorum per quos pellitur ad inteſtina,quo regurgitat ad venas bilis & prædictum gignit affectum. Hepaticus autem efficitur icterus ab hepatis obſtructione,ſcirrho,inflammatione aut ſcalida diſtemperie:ad quod etiam membrum reducitur venarum caliditas exurens & totius etiam corporis. Quippe euidentiſſimum eſt prædictis rationibus,& ob infirmitatem iecoris icterum fieri,nam multitudo bilis craſſæ ob ſcirrhoſum tumorem & infirmitatem iecoris expultricis tendens per venas, in eum affectum ferè ſemper commigrat: ſic ab eiuſdem partis inflammatione, & quia plus bilis generatur: & pari ratione obſtructo hepate,quo minus itura bilis in veſicam conſcendat : ſed euidenti etiam euentu cùm iecur ſcalidum efficitur,quo tempore plus iuſto flauæ bilis generatur quàm veſicula fellis expurgare poteſt : quo fit vt venas irruens prædictus color ſuboriatur. Quem quoque affectum fieri conſpicimus venoſo genere malè affecto, nimirum corrupto aut exuſto in venis & in vniuerſo corpore ſanguine,ob earum intemperamẽtum citra hepatis affectum,aut à veneno aſſumpto, vel eiaculato à fera,vel aſſumptis catarcticis non purgantibus,quæ,vt quibuſdam placet, vel humorem purgandum alunt,vel deleteria inficiunt qualitate. Vltima autem icteri fors eſt cùm criticus efficitur,qui duplex exiſtit:ſalutaris vnus,qui rurſus fit dum copia bilis ſano exiſtente homine moleſtatur natura,aut in morborum iudicationibus,quę 7. die aut poſt 7. diebus criticis incidit,antegreſsis coctionis ſignis, in quo excrementa tum alui, tum vrinæ pura ſunt & mediocriter bile tincta, ex quibus partes interiores ſanas iudicamus,præſertim ſi nulla duricies in hipochondrio appareat. Alter verò eſt criticus non iudicans,à motu maligni morbi,quem etiam ſymptomaticum dicere poſſumus, qui ſemper ante 7. incidit,quia bilis craſsior eo tempore perfectè cocta eſſe nequit,& ob id cõiuncta habet, tum cruditatis,tum malignitatis ſigna. Qui ſanè criticus eſt & non iudicans,inter abſceſſus muneratur à Galen.1.de diebus decret.& in hiſtoria Hermocratis: verùm tunc vt abſceſſus haberi debet,cùm tenſa apparent hypochõdria ob iecoris abſceſſum,qui ſexto die ſuccreſcere ſolet,

vt in

vt in hiſtoria prædicta & 4.acutorum,expreſſerat Hipp. Huic etiam generi reduci poteſt alia huius affectus cauſa,quam adducit Hipp.lib. de locis aqua & aëtemi mirum potus malarum aquarum,cibaria corrupta, & ſatietas cum vigilia & curis. In quibus plerunque corrumpitur habitus vno è duobus modis:aut ad calidũ videlicet,& ſiccum,& fit ictericus affectus:aut ad frigidum & humidũ,& fit malus corporis habitus:& nonnunquam vtrũque ſimul contingit,& efficitur habitus mortui perſimilis.

Signa. Ex criſi vel naturæ robore morbum regium fieri,facilè ex vehementia præcedentis febris tibi erit noſſe,præſertim ſi mox à prauo colore febris ipſa ceſſauerit, & præceſſerint in vrina coctionis ſigna,& grauis etiam nox ante prædicti coloris efflorescentiam : in quo,excrementa tum alui,tum vrinæ pura ſunt, & mediocriter bile tincta,& nulla adeſt in hypochondrio durities. Verùm ſi ex epoto prodeat veneno,color nõ erit in vniuerſo corpore ſimilis : quippe diuerſis maculis inficitur,luteis præſertim,ſed nigris etiã & cęruleis ac fuſcis,maximè in dorſo,haud ſecus quàm in peſtilentibus & malignis febribus.Itẽ ſi à cibo prodeat, morſus in ventre ſentitur,& aluus concitabitur,& ad vomendum nauſeabit, & color intra ſex horas fiet auriginoſus,maculis quibuſdã inſignitus:aderit quoq; extremorum frigiditas,à qua,ſi iterum incaleſcat & color intenſior fiat, euaſurum laborantem prædices,ſin aliter moriturum. Præterea ex eduliorum corruptione icterum fieri cognoſces,quia corpus cum tumore palleſcit,maximè iuxta ventrem & crura, ac facies ſubtumida & flaua apparet.Fieri tamen ex totius corporis calore & bilioſo intemperamento diſces, quia lentè & paulatim color mutabitur, alui & vrinæ excrementa minimè à naturalibus diſident, corpus item vniuerſum pruriginoſum erit. Verùm ſi iecur ſcalidum aut inflammatum cauſam huic malo præſtiterit,alui excrementa rufo intenſoque colore inſignita excernentur, ſitis aderit intenſa,laborans adeò ſcalidus aparebit,vt febricula laborare videatur, cibos faſtidit,& bilioſa nonnunquam euomit,maximè ſi inflammatio adſit, quam venaberis ex alijs ſignis quæ capite de eius inflammatione adduximus: feruorẽ enim parte dextra,aut tenſionem,& nonnunquam grauitatem perſentiet laborans,cum totius corporis extenuatione,& varia coloris in plumbeum, pallidum & cęruleum mutatione. Quòd ſi vitio ſeparationis bilioſi excrementi ictcrus prodeat,idque ſit quia non probè coquuntur iecori commiſa alimẽta,id noſces, quia color medius erit inter pallidum & cineritium, item facies ſubtumida apparebit, & plerunque ex aliquo præcedente morbo,vbi laborans improbè ſe geſſerit, ſubſequitur,tandem crura intumeſcunt, & laborantes palleſcunt cum virore. Verũ ſi expellentis vitio fiat,eo quòd errans natura in ventriculum aut inteſtina pellat, tunc quidem cum torminibus ſuccreſcit, & vrina ac alui excrementa non mutãtur,aut forſan ſupprimuntur, & dolores ex flatu colicis perſimiles accedunt : licèt Hipp. 5. aphor. vltimo,eos qui ictero tenentur,non valde flatuoſos fieri ſtatuat,nã illud ratione bilis veriſimum eſt: verùm cum hoc mouet ipſa crudos ſuccos , aut forſan obſtructio fit ab eiſdem, & ob id maximè concitantur flatus. Cæterum ſi pellere ad conſueta loca nequiuerit iecur præ impotentia , citra granitatem aut ſenſum aliquem,in ea parte morbus orietur : at ſi ob aliquam obſtructionem ipſius iecoris,(ea parte & eis vaſculis aut poris per quos defertur bilis ad canales ipſam recipientes,ex eâdem veſica fellis ortos,ac per iecoris ſubſtantiam extentos, quod accidere ſcimus,aut humoribus craſsis ibidem impactis,aut præ duritie,ſcirrho vel inflammatione compreſſo) ſcirrhum & inflammationem noſces, ex proprijs

prijs ſignis nuper adductis:obſtructionem verò,quòd grauitas quædam in eâdem parte ſentiatur, maximè dum vehementer reſpiratæger . Item nulla plerunque adeſt febris,vt placuit Galen.lib.9.local.pharmac.cap.1.quòd ſi abſque febre deijciantur alicui excrementa ſubalbida,ſignum erit veſicam fellis laborare, maximè ſi vrina citrini coloris appareat: verùm cùm id vna è duabus cauſis prodire poſsit, vtra harum ſit,coniectandum eſt. Namque aliquando ab imbecillitate trahentis eiuſdem veſicæ certiſsimum eſt prodire,nonnunquam verò ab obſtructione.Trahentis imbecillitas dignoſcetur,quòd citra dextri hyponchondrij grauitatem, & excrementa alui alba excernantur, & vrina qualem diximus excerni, maximè cũ defectus tractionis ab intemperamento proficiſcitur: nam dum prodit à plenitudine nimia ipſius veſicæ,quæ ampliùs capere nequit,vel id erit naturale(quod veſica minor ſit quàm par ſit)& ſemper flauo colore inſignietur laborans: vel eſt ab exuperantia bilis,& tunc ſubitò mutatur color cum grauitate ipſius dextri hypochondrij,cæterum præceſſerunt quæ bilioſi humoris prouentum adaugere potuerunt,quod in obſtructionibus eiuſdem partis opus non eſt.

Qui exactè futurum euentum in ictericis affectibus prædicere voluerit, primò *Præſagiũ.* differentias cauſarum à quibus prodeunt rimari debet, & mox modum ac rationem agendi vniuſcuiuſque cauſæ. Colligitur enim ex his quæ hucuſq; dicta ſunt, triplicem eſſe icterum : vnum quidem hepaticum , vel ex vitio venarum aut totius corporis ortum,omnino ſymptomaticum,iecore grauiter affecto à ſcirrho,inflammatione aut obſtructione, vel epoto aut eiaculato veneno, non ſolùm iecur infirmante,ſed & vniuerſi corporis humores: ſecundum felleum , ab eius viſceris obſtructionibus ortum:alterum verò criticum,ſed imperfectum aut prauum ante ſeptimum factum: quos omnes ad genus ſymptomatis anteà reduximus.Secundi verò generis eſt criticus & perfectus, qui ante ſeptimum fieri ratò poteſt . His ſuppoſitis videndum eſt, quid ex vnoquoque præſagire liceat. Sic profectò icterus ab inflammatione lethalis,niſi intra primum circuitum hæmorrhagia,aut poſt vigeſimum ſuppuratione liberetur æger,ante ſeptimum interficit, niſi hæmorrhagia,aut alui fluxus aut vrinæ ſuccedens,naturam victam exoneret quod Heraclidi 1.popul.contigiſſe refert Hippoc: à ſcirrho & impenſa duritie prodiens grauis eſt, quòd plerunque in hydropem commigret:ab intemperie non item : ab obſtruſtructione ſecurior. At ſi ab epoto vel eiaculato veneno prodeat , tantò periculoſior eſt,quantò deterioris & intenſioris coloris fuerit: quippe arguit magnam ſanguinis in genere venoſo corruptionem.Sic enim Hippocrat.lib.de Coacis primo ſcripſerat : Regio morbo admodum fœdati moriuntur, ſi his alba deiectio plurimùm procedit.Succreſcit quidem prædictis alba deiectio,quæ alijs periculoſa non eſt : vel quia bilis igneo calore feruens in cerebrum rapitur : vel quia conuexa hepatis pars ardens (veneni , purgantis medicamenti , aut grandis intemperiei acceſſu) & inflammata ſanguinem vnâ cum bile ad ſe trahit,inſtar cucurbitæ:vel quia ſimul cum prædictis cauſis meatus etiam per quos bilis defertur ad inteſtina, obſtructi ſunt à multo,copioſo vel feruido humore.Qui ergo ita affecti ſunt,moriuntur propter cauſæ magnitudinem, & corruptionem humorum , & temperamenti totius corporis atque etiam nobilium viſcerum affectum & ſympathiam: Si tamen ex praua eduliorum natura malum oriatur, non eſt ita lethale , degenerat tamen in malum corporis habitum, aut in cutis fœditatem, vel elephantiaſim.Imbecillitas quidem vel ſecernentis aut trahentis facultatis,potiùs in alios ſanguinis affectus,quàm in lethalem morbum decidere aſſueſcit, niſi diu duret:

nam

nam tunc & malum habitum, & cutis & carnis non leues affectus gignit. Verùm dum crisi & iudicio atque actione naturæ fit, non leue est dubium quid liceat prædicere: ambigunt enim neotherici, & dubitarunt etiam antiqui quid sentiendum sit. Nam Hipp. 4. aphor. 42. solùm eam bonam arbitratus est iudicationem morbo regio factam, quæ ante septimum non fit: & eodem lib. 44. explicans quibus diebus futura sit vtilis, inquit: Quibus in febribus. 7. vel. 9. vel 11. vel. 14. morbus regius supernenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit: si verò in duruerit, non bonum: itaque videtur damnare omne iudicium per morbum regium factum ante septimum, probareque eum quod post ipsum fit, dummodo non accedat hepatis durities. Sunt etiam qui mille experimentis nitantur probare, ante. 7. visas esse ictericas excretiones laudabiles, quemadmodum aliæ sunt bilioſorum morborum iudicationes salubres ante ipsum septimum. Verùm qui rẽ diligentiùs scrutatus fuerit, reperiet Hipp. non omnino negare, posse aliquando bonam aliquam crisim fieri ante 7. ratio profectò in promptu est, quia bilis quæ adeò crassa est, quòd nec per sudorem aut vrinam possit purgari, & adeò in abditis corporis sedibus sita, quòd per aluũ minimè, si natura cogatur eã expellere per cutim, nequit hæc sua sponte adeò breuiter concoqui, quòd ante. 7. coquatur, vt iudicium sit salubre & fidum: quippe non omnem bilem mittit natura per morbum regium, sed eam quam conterere ac in sudorem vel vrinam mutare præ crasitie non valuit: & ob id ea bilis quæ huius naturæ est, ante septimum salubriter non expurgatur: licèt quæ tenuior sit 3. 4. & 5. per sudorem & vrinam aut alui fluxum feliciter excernatur, ac fidum & salubre constituat iudicium: & hac ratione censeo Hipp. constituisse septimum huius iudicij terminum. Cui rationi accedit alia maioris momenti, nimirum non solùm esse huius euentus causam crasitiem humoris (siquidem 14. die iudicantur plures morbi bilioſi, qui antea non potuerunt iudicari, quòd bilis crasior esset, tamen iudicium ea die non fit per morbum regium) sed certum quendam incoctibilitatis modum, quem cùm natura non valuisset ante septimum superare (licèt aliquo modo disposuerit, quantum sat sit vt crisis per morbum regium fiat tuta) & vi atque efficacia & malitia humoris irritetur plurimum, septimo pellit. Qualis verò sit ille modus incoctibilitatis disces, si expenderis in hoc iudicio per morbum regium facto, quantumuis certum sit humorem esse vitiatum, esse tamen à natura correctum, si iudicium futurum est tutum: cum hoc tamen humorem bilioſum excerni sub propria forma, quod nulli alteri vacuationi contingit, licèt bilioſa prodeant excrementa, non tamen referunt puræ bilis naturam, vt in morbo regio: euidens profectò argumentum prædictæ incoctibilitatis, quam ad crasitiem cum praua conditione coniunctam, pertinere arbitramur: haud secus quàm contingit in morbis qui terminantur per abscessum, qui licèt diu durent, non tamen humores integrè coquuntur, etiamsi recipiant coctionem quæ euacuationi illi sat est: coquuntur enim humores pro ratione futuræ euacuationis. Et sic in morbo regio per crisim facto, certo quodãmodo coquitur bilis, cæterum non superatur, manet enim sub propria forma, & ob id proprium in cute repræsentat colorem: haud secus quàm in alijs ictericis peciebus, vbi bilis nullam recipit alterationem nec mutationem. Argumento huius veritatis est, ictericum criticum inter abscessus numerari à Galen. lib. 1. de crisib. & in Historia Hermocratis, quòd à crasso fiat humore, sicut abscessus: quem sanè humorem ante 7. coqui ea coctionis sorte quæ euacuationi sufficiat, & naturã non mutet, est impossibile. Indicium etiam est huius veritatis, quod Hipp. scripserat lib. 3. popu. parte 3. dicens Fuerunt quibus morbi regij 6. die, sed hos aut per vrinã purgatio, aut aluus turbata iuuabat, aut magnũ profluuium sanguinis, vt Heraclides qui iuxta Aristoclidem decumbebat: atque huic & ex naribus fluxit sanguis, & venter turbatus est, & per vesicam est purgatus, iudicatus autem est 6. die, non vt Phanagoreus seruus, cui nihil horum euenit, & mortuus est. Qua quidem sententia euidenter probat rationem à nobis adductam, etiamsi lib. de iudicationibus contrarium adduxerit dicens: In febribus ardentibus si accedat morbus regius & singultus 5. die lethalis est: nam intelligere oportet vt in præcedenti textu, nisi superueniat alia vacuatio insignis. Itaque septimus est terminus genuinus, naturalis & proprius huius iudicij, non accedente alia vacuatione, si verò accedat 5, & 6. vltra ipsum verò 9. 11. & 14. nisi accedat durities, quæ non semper habenda est pernicioſa, sed non bona: quia aliud est duritiem cum morbo regio succrescere, quod est ita periculoſum & malum, ac intellixit sententia 44. & aliud profectò post ipsum, quod grauius & periculoſius est, vt dixerat idem Hippoc. 6. aphorism. 40. Præterea singultus in omni ictero pernicioſus, si ab hepatis vitio prodierit, non tamen ita si à ventriculo bilem susceptante. Item si fatuitas accesserit, aut aphonia, signum profectò summæ impotentiæ, aut crassorum & frigidorum succorum intus manentium sine bile quæ quodammodo corrigat. Præterea vrinæ tinctæ suppresio, aut excretio morbo impar, hydropem minatur, bile eunte in hepar, quæ pelli non potest, nam præstat vrinas in aurigine fellea valde tinctas esse & crassas, quàm puras, & pari ratione in ictero à scirrho & inflammatione iecoris. Quæcunque igitur signa in ictericis facultatem iecoris expultricem infirmam, aut multitudinem bilis crassæ suppressam, aut confirmatam iam intemperiem hecticam mõ strauerit hydropem denunciant nisi æger morte præueniatur.

Cùm morbus regius verè symptoma sit, & eorum maximè quæ in qualitate mutata sita existunt, fit profectò vt vno è duobus modis succrescat: aut dependens à suo morbo, vt mos est omnibus symptomatis: aut absente morbo, cùm in cute vniuersa huiusmodi color appareat, quod peculiare solet esse vitium mutatæ qualitatis, vt in morbo regio per crisim genito conspicimus: qui iam non à morbo sed à morbi causa ex genere venoso pulsa à natura in cutim vniuersi corporis, ipsum auriginoso colore vitians, morbo seu febre iã euanescante prodit. Quapropter duplex erit curãdi institutio: vna quæ ictero, absente iã morbo debetur: altera verò quæ illi propria & peculiaris existit, qui morbum à quo prodit, adhuc vigentem habet. Tamen id primò expẽdes, quòd licèt variæ sint numeratæ causæ, quæ hunc affectum excitare natæ sunt, hîc tamen solùm est in animo eas recensere, quæ nullibi tractantur. Ob id profectò dum ab inflammatione iecoris aut scirrho prodit, ad propria capita recurrendum est: nam solùm hîc in animo est recensere ictericum ex imperfecta crisi: ex veneno, ex intemperamento calido, vel ex obstructione iecoris, aut viarum pori fellei. *Curandi ratio.*

Dum verò in acuto feruidoque & febrili morbo (quippe in his solùm iudicatoriè solet apparere, vt statuit Hipp. lib. 3. de Coacis dicens. Spumosa deiectio & valde bilioſa, praua, atque inde in auriginem incidunt, quasi in his febribus vbi talis reperitur solùm adsit) morbus regius succrescit, duplex erit curandi ratio: altera dum ictero apparente ex toto cessat febris: altera verò dum symptomaticè prorumpit: & eo tempore instituenda est curatio vniuersa, iuxta eum morbum

bum à quo prodit: verùm dum ex toto morbus ſolutus eſt, manẽte adhuc prauo colore, quinimo mutato morbo in auriginoſum affectum, nullo alio auxilio vtendum, quàm eo quod leuiter diſcutiat quæ ſub cute adſunt excrementa, vt latiùs inferiùs monſtraturus ſum.

Si ex imperfecta criſi fiat.

At ſi ex imperfecta criſi deprauatus hic color ſuperſit, coniectandum eſt tunc, an ex vitio obſtructi vel inflammati iecoris prodeat (quod proprijs ſignis venaberis) quo tempore conſimilis erit curandi ratio ei, quam adduximus capite de iecore inflammato aut indurato, & ei etiam quam paulo inferiùs ſcribam de obſtructione iecoris, quæ migrat in ictherum. Verùm ſi id non accidat, niſi quia cruda materia & veluti incoctibilis facta, non valuit naturæ beneficium ſuſcipere quantum ſat erat, tunc profectò, quod aſſueſcit facere natura ſi res optimè ceſſura eſt, inſequeris. Quippe vel per vrinam, vel per aluum, reſiduum humoris pellit, vt de mente Hippocrat. paulò ante retulimus: quo fit vt mox ab apparente flauo colore, præmiſsis quæ modicè vias reſerent, & craſsitiem attenuent, expurganti etiam veteris medicamento. Sic enim ſerapio ex duabus radicibus cum aceto, vel acetoſo ſimplici aut cichorij exhibito cum aqua lupulorum, cichorij & graminis, humorem purgabis infuſo rhabarbari in aqua lactis cum ſyrupo ex infuſionibus roſarum: nam in eo ictero cuius immediata cauſa eſt flauæ bilis redundantia, ſpecialiùs bilem expurgare oportet, non ſic vbi obſtructio cauſam præſtat, tunc enim parum aut nihil iuuat bilem purgare, ſed eum tantùm humorem qui obſtructionem molitur, niſi ex craſſa & ſincera bile obſtructio etiam ſuboriatur. Præterea facta hac purgatione, iterum ad ſerapij exhibitionem te conferes, & in aquis quibus diluitur, tertio quoque die. ʒ. ß. aut. ϑ. ij. rha barbari infundes idque porriges. Curabis etiam antequam vrinam mouere incipias, ſanguinem parum minuere, ſaltem ex dextra ſaluatela, ſi nec plenitudo quid amplius poſtulauerit, nec vires videantur permittere. Quòd ſi in vrina aliquod apparuerit ipſius bilis redundantis veſtigium, tranſactis aliquot diebus, quibus vſus fueris minutis illis purgationibus, ad ea quæ vrinas mouent te conferes: id tamen blandè facies, ne iterum intenſior fiat febris, initium tamen ſumes ab emulſione quatuor ſeminum frigidorum maiorum, cum aqua cardus, graminis & radicum diureticarum: item aliquando veteris oximellite compoſito, vel ſyrupo acetoſo diarrhodon, vel de eupatorio cum prædictis aquis: prodeſt & aqua lapati acuti, vel decoctum radicis eius, quod vtilius fore arbitror.

Si ex veneno vel purganti pharmaco prodeat.

Conſiderabis primò an ex virulentia eiaculata à venenoſa fera morbus regius oriatur, quippe eo tempore omni diligentia curandum eſt ad extima venenum reuocare, frictionibus, cucurbitis & inunctionibus ex oleo Mathioli, vel aqua ex inſtillatione theriacæ: quo facto, theriacam ipſam porriges & mithridatum ſingulis diebus pondere. ϑ. ij. cum aqua ſcordij & ſyrupo ex ſucco limonum: item lapidem bezoar, aut cornu monocerotis, & alia quæ aduerſus vnumquodque venenum ſignatim ſcripta apud authores reperies. Verùm ſi ab aſſumpto veneno malum oriatur, tunc quidem videndum eſt quo ſe vertat natura: quippe ſi in ventriculum irruat, vomitibus venenum purgare oportet, ſin aliter, per ventrem medicamento purgabis, blandè tamen: ſat enim eſt caſiam, mannam, aut ſyrupum ex infuſionibus violarum cum aqua ſcordij vel ſcorzoneræ porrigere: proſunt enim hæc medicamenta non ſolùm purgando, ſed & veneni vim retundendo. Quo facto ſyrupum porriges de ſucco limonum & portulacæ, de aceto-

de acetoſitate citri & bugloſſæ, acetoſum ſimplicem & oxiſaccharum cum aquis calendulæ, dictamni, acetoſæ, pentaphili, meliſſæ, cardus benedicti & ſimilium: tandem eo alexipharmaci genere, quod è directo veneno reſpondeat ſingulis diebus vteris. Quòd ſi ab exurente validiorique pharmaco, quod non probè ſuum munus expleuerit, ſed vniuerſum ſanguinem ſcalfecerit, aut præ commotione maioris copiæ obſtructionem effecerit, iuxta illatum damnum ſubuenire oportebit: ſic profectò dum præ calore ſanguinis, aut iecoris, vi medicamenti præſtito ictherus oritur, adhibito omnium temperantium genere malum corrigere oportebit: ſi verò ab obſtructione, ijs quæ obſtructionibus opitulantur: hoc tamẽ habet hæc peculiaris cauſa, quòd ante quoduis auxilium prærequirit abluens & attemperans aliud, quo vis medicamenti retundatur, frẽneturque & ablutione abſtergatur ſeparetur que à viſceribus: ob id ſequenti die ab expurgatione exhibere oportet potum aquæ calidæ, aut eâdem die ante prandium, vel lac ſeminum frigidorum maiorum, hordei decoctum cum ſaccharo, decoctum radicis fœniculi, cichorij, & agrimoniæ ac lupulorum cum ſyrupo duarum radicum cum aceto, & alijs quæ conſimilem vim ſortiantur.

Si ex intẽperie totius corporis calida fiat.

Dum morbus hic regius ex totius corporis intemperie calida, & quæ biliosum reddit ſibi commiſſum alimentum prodit, præter victus inſtitutionem, quæ frigidorum ſit & humidorum, velut eſt pullorum caro elixa cucurbitis, lactucis, ſcariolis & borragine, far, aut ptiſana, vel panis lotus ex lacte amygdalarum dulcium decoctus, cœna ſit ex oleribus decoctis cum eodem lacte & ouis ſorbilibus. Præterea potus ſit ex aqua hordei cum ſaccharo, aut ſi vires poſtulauerint ex dilutiſsimo vino albo & tenui, vel rubro ſi corpus robuſtum fuerit, & vino aſſuetum. Inſtitues curandi rationem à leui ſanguinis detractione, & exhibitis apozematis quæ refrigerent ex ſyrupo cichorij, bugloſſæ, portulacæ, papaueris & borraginis, cum aquis hordei, cucurbitæ, cichorij, acetoſæ & bugloſſæ, aut ſero lactis, corpus vniuerſum leuiter purgabis manna, caſsia, confectione Hamec ſimplici, dilutis in infuſo rhabarbari iuxta cuiuſque indiuidui naturam & ætatem. Quo facto magni eſt momenti tertio quoque die porrigere dilutum ʒ. ß. rhabarbari in aqua portulacæ aut in ſero lactis: ac tranſactis aliquibus diebus, balneis aquę dulcis laborantem cõmittere oportebit, quibus non ſolùm quod in carne eſt biliosum, diſcutitur & euaneſcit, verùm & caro ipſa temperatior redditur, quo minus bilem ampliùs generet. Cui vſui habitationem eliges temperatam, & domicilium ac aërem irrorabis frigidis & humidis aſperginibus, quietemque laboranti & animi tranquilitatem imperabis.

Si ab ſcalido & intẽperato iecore fiat.

Quòd ſi morbus hic ex iecore ad ſcalorem intemperato prodeat, quod noſces ex ſiti ingenti & linguę aſperitate, ex vrina impenſè ruſa, aut intenſioris coloris, ex alui excrementis croceo colore perfuſis cum ventris ſiccitate, ex calore manuum ac pedum, ex corporis tenuitate cum febricula leui, nullo ſenſu in dextro hypochondrio, nec tumore: tunc quidem coniectandum eſt, non quemuis calorem ſemper bilem vberiorem generare, ſed eum qui copioſior ſit cum modico ſiccitatis exceſſu: nam ſi vltra pergat ſiccitas, bilem atram potiùs quàm flauam generabit. Quapropter modicè humectare opus erit & aliquantulum intenſiùs refrigerare: vtrumque tamen opus exequi oportebit his quæ vim habeant reſerandi & modicè aperiendi: nam coniectabile eſt, in arctis & minutiſsimis iecoris vijs manere generatæ bilis aliquid, quod deinceps obſtructionis aut inflammationis ſit principium, & ob id conſuluit pulchrè Auicen. fugiendum

esse ab his quæ adstringendo refrigerant, sed innitendum esse ijs quæ reserando & repurgando id munus exequantur, vt non solùm intemperamentum retundatur frænetuŕque, verùm si quid collectum est, repurgetur, & ea etiam ratione attemperetur iecur ampliùs. In primis vt citius refrigeretur, sanguinem mittes ex dextra basilica, si suspicio sit plenitudinis, sin aliter ex saluatela eiusdem lateris: quo facto veteris diluto rhabarbari in aqua lactis extracto tertio quoque die, & altero intermedio emulsionem seminum frigidorum maiorum cum saccharo porriges, idque facies perseueranter vno mense. Ac si constiterit non omnino prodesse, & colorem ad fuscum quodammodo mutari, conijcies bilem non solùm fieri copiosiorem, sed adustam etiam: quapropter dilutum rhabarbari & foliorum sennæ in decocto cichorij & portulacæ ac hordei cum modico syrupo acetoso porriges: idem quoque facies in liquore nouem infusionum è rosis Hispanis & sero lactis cum modico syrupo papaueris. Interim tamen dum hæc exequeris, ad externa auxilia te conferes, instituens balnea aquæ dulcis vsque ad medietatem corporis tertio quoque die: ac partem etiam & iecoris regionem inunges vnguento rosarum, santhalino, vel refrigerante cum modico rosaceo, aut vnguento ex cucurbita, vel oleo rosaceo sæpius loto aqua portulacæ vel hordei, facto cum cera alba linimento. Inunges quoque dorsum resumptiuo vnguẽto cum modico rosaceo, maximè æstiuis temporibus: & facto interuallo quasi vnius mensis, iterum ad purgationem per epicrasim redeundum erit, qua biliosa recrementa, quibus iecur intensiùs incalescit, repurgentur. In quo casu mirum in modum prodest ius pulli pleni radicibus, herbis, floribus & seminibus frigidis: prosunt & balnea aquæ dulcis. Si velis plura ex topicis adhibere auxilia lege tomo. 2. cap. de iecur refrigerantibus.

Si ab obstructione iecoris aut pororũ fel lis fiat.

Mirum non videri debet, vtramque obstructionem (eam nimirum quæ in iecore viget impediens transitum bilis ad fellis vesicam, & eam quæ vijs obstructis à vesica in intestina fit) simul vna curatione voluisse auferre, cùm certissimum sit eis dem ferè auxilijs iuuari, nec non & eam quæ ex copiosa bile in iecore coaceruata ob defectum distributionis, aut ob impensum calorem eam euocantem atq; ebullientẽ & incrassantem. Quapropter primò videndum est si alui excrementa alba appareant, si vrina nimis crassa & intensa, an sanguinem mittere aliqua ratione opus sit: nam videtur ex vsu nõ fore, siquidem biliosi solum succi præest abundantia, eaq; à sanguinis consortio separata, & ad carneas corporis partes transmissa: itẽ nec ratione morbi sanguinem licebit fundere, nam obstructio est, à crudorum succorum copia forsan facta: quibus rationibus adstipulatur Gale. lib. de purgantium vi, dicens: Si morbo regio laborantibus sanguinem miseris, extremam in perniciem ages. Quibus nõ obstantibus, multis rationibus & modis sanguis in hac affectione vtiliter mitti poteſt: primo quidem malo incipiẽte, retractionis humorum qui obstructionem moliuntur, gratia: ob id Paulus statuit consilium esse, venam in dextro cubito secare, vbi meatus vesicæ bilis vtrique sunt obstipati, vel alter dum taxat: item si simul sanguis abundet, aut sit præcipua obstructionis occasio: quapropter dixit Ætius duo maxima esse in hoc affectu remedia, nimirum venæ sectionem & purgationem, sed venæ sectio tunc ex vsu est cùm sanguis abundat, aut bilis copia ibidem est coaceruata. At dum mensium fit suppressione, licèt inueteratus sit morbus, ex vtroque talo sanguis mitti debet: nam Conciliator etiam in viris, tanquam peculiare præsidium iubet vtriusque pedis venam scindere, existimans hoc solum præsidium sufficere. Item, licèt inueterato iam morbo nõ liceat sanguinem

sanguinem mittere, maximè iecore indurato, ne in hydropem commigret affectio, iubet Auic. sanguinem per scarificatam cucurbitam extrahere, vel sub scapula dextra, aut in dextro hypochondrio, paulo inferiùs à iecoris regione, præsertim in inueterata obstructione, & vbi bilis copia ibidem infarta est. Præterea ex saluatela vtraque iubet idem author sanguinem mittere, dum icterus mixtus est ex nigro & flauo: ex quo infertur, in flauo licere ex dextra saluatela sanguinem mittere. Nec desunt qui ex venis subtus linguam sanguinem fundãt: quod solùm prodest inueteratis, ob iecoris cum venis illis consortium. Sed rem hac lege colliges, vt certum sit quid agere oporteat: si ex morbo acuto ante 7. prodeat, sanguinem mittes, si post accidat & diu duret, ex saluatela: si per se icterus incipiat, mox à principio ex dextra basilica idem facies, vel si suppressione alicuius sanguinolentæ vacuationis prodeat, vel ipsam reuocabis, vel iuxta membrum per quod sanguis fluebat, sanguinem mittes: ex talo nimirum, si menses supprimantur, aut improbè fluant, & ex eâdem etiam parte, si varices aut hæmorrhoides delitescant, ac si possibile fuerit, ipsas hæmorrhoidas excitabis, & hirudinibus sanguinem ab ipsis fundes. At si inueterata sit affectio, & nihil horum fuerit (licet authorum aliquis contrarium teneat) tunc quidem fugiendum est omnino à sanguinis detractione: quippe non rarò sanguine misso, & iecore facto imbecilliore, in hydropem commigrat affectio. Verùm si icteriosus hic affectus dolorem colicum sibi comitem afferat, nulli esse dubium arbitror, quin protinus sanguis mittendus sit: nam cùm talis icteriosus dolor non sit verè colicus, sed solùm ex efferuescente bile in iecore, reiectaque in ventriculum & partes sibi vicinas, ob id citra cunctationem sanguis mittendus est, differendaque alui purgatio (nisi vrgeant primæ regionis excrementa) donec dolor mitior fiat. Est namque prædictus icteriosus dolor inflammationis iecoris ipsius præludium: quo fit vt fugiendum omnino sit à pharmacis vim in iecur inferentibus, & protinus confugiendum ad sanguinis detractionem, quo magis dolor videatur vrgere: nam citra hoc præsidium etiamsi ventrẽ inungas, aut mille alijs præsidijs vtaris, nihil profectò facies ampliùs, quàm in deterius laborantem ducere.

Purgandi ratio.

Quo factò (aut si id fieri non est opus, eo infecto) institues protinus eam victus formam, quam adduximus capite de iecoris obstructione, extenuantem nimirum & insciſſoriam, ac ex bonis & coctu facillimis edulijs. Interim tamen dum hæc fiunt, videndum est (siquidem purgare peccantes humores incumbit, idque magis quàm vel sanguinem mittere, vel quoduis aliud auxilium porrigere) quales eorum præpare aut purgare opus sit: quippe id non satis apud authores compertum est, aut vt rectiùs loquar, parum controuersum. Nam omnes ferè vnanimi consensu humorem biliosum disponere & educere student, vt qui symptomatis sit immediata causa: nec desunt qui pituitosos & crassos obstructionẽ efficientes, præparant & purgando educunt: verùm id minus distinctè quàm par sit. Primo enim in hac controuersia expendendum est, veram & genuinam curandi rationem à causæ ablatione principium sumere, & cùm in ictero vicem causæ potissimæ gerat obstructio iecoris & pori fellei, citra cuius ablationem, etiamsi bilem purges & repurges, nusquam qualitatem illam in meliorem mutabis. Item inscindentia & attenuantia, quæ authores ad præparationem consulunt, non opus sunt humori biliosо, qui suapte conditione tenuis est, & ijs tenuior fiet. Præterea si Hippo. fides tribuenda est lib. de internis affectionibus, ictero affectis non licet medicamentum bilem purgans exhibere: inquit enim. Cæterum

medicamenta bilem ducentia ne propinato, ne corpus magis conturbes. Quibus rationibus commotus arbitror, in ictericis affectionibus duobus modis esse purgandum: vno quidem & primo, his qui crassos & obstruentes humores ducant, abstergant ac repurgent, quo aperta obstructione biliosus humor qui gignitur, ad sibi naturalia loca liberè permeet: quo solo auxilio, si exactè attenuantia & inscindentia adhibueris, morbum curabis: alio verò his quæ bilem, quam naturalia vasa capere non possunt, imminuant & paulatim euacuent, idque postquam obstructio adaperta sit, & viæ patentiores factæ, nisi ex copiosa bile aut nō distributa ob debilem facultatem icterus fiat. Verùm neutrum horum licèt validis & copiosè purgantibus pharmacis (vt consuluerant Ætius & alij) exequi: obstructum enim corpus id ferre nulla lege potest: satius enim est paulatim à longinquo bilem allicere, & crassum humorem ab obstructo vase educere, quàm subitò euocato excremento maiorem & pressiorem efficere obstructionem, vt non ratò incautis & imperitis contingere assolet. Quapropter primo mali accessu ea institues medicamenta, quæ vim habeāt attenuandi & inscindendi, si priùs pharmacum vias communes purgans dederis, ne attenuantibus excrementa ad obstructas partes deferas. Sunt autem hæc syrupus cichorij, capillorum veneris, borraginis & acetosus simplex, à quibus, facta leui purgatione cum infuso agarici in liquore nouem infusionum rosarum Persicarum, addito syrupo solutiuo ex eisdem rosis, pressiùs & diligentiùs inscindes & attenuabis, exhibito syrupo de bysanzijs, de duabus radicibus cum aceto, de quinque radicibus, aut oximellite simplici vel composito cum aquis oxalidis, cichorij, apij, adianti, calaminthæ, fœniculi, gentianæ, marrubij, petroselini, radicis rumicis vel rubiæ cum modico vino albo odorifero, dummodo febris nō adsit. In quibus sanè quarto quoq; die infundes rhabarbari & agarici. an. ℈.j. & facta expressione admisce prædicto decocto quantitate. ℥.ij. & ʒ. Quibus factis iterum innitendum est extenuare prædictos crassos & crudos succos, exhibito pharmaco paulò efficaciùs purgante cum reseratione: cuius census sunt seri lactis ℥.iiij. in quibus maduerit per noctem. ℥.j. &. ʒ. cartami conquassati, cinnamomi. ℈. ʒ. prodest & hieræ simplicis Galeni. ʒ.j. &. ʒ. cum melle rosaceo. Quòd si hæc videantur non prodesse, acuere oportet prædicta medicamenta, addito hieræ diacolocynthidos. ℈.j. alij verò addunt diagridij. g.v. Possumus etiam purgare hoc medicamento, quod recipit hieræ picræ. ʒ.j. rhabarbari & agarici trochiscati. ana. ʒ. ʒ. rasuræ eboris & cornu cerui. an. ℈. ʒ. cinnamomi g. viij. croci. g. iiij. misceantur cū ʒ.ij. catholici. Verùm vbi iam bilem cum crassis humoribus simul purgare studemus, dubium non est, quin oporteat simul infuso rhabarbari & agarici in aqua graminis, radicis rubiæ, ancusæ, rumicis vel acetosæ, vti. Item prædictarum herbarum & radicum decoctum cum cartamo aut rhabarbaro, tertio quoque die porrigere probatissimum est: sed magnæ efficaciæ creditur esse decoctum radicis filicis & seminis securidicæ, aut puluerem earum cum oximellite. Præstat & illud quod recipit succi mali granati acidi & dulcis extracti aqua graminis. ana. ℥.j. &. ʒ. facta residentia & separata, adde oximellitis simplicis. ℥. ʒ. & potui præbe. Quòd si putredinis alicuius in viscere suspicio sit, porriges id quod recipit succi cichorij depurati & cocti. ℥.j. oxisacchari simplicis. ℥.ij. Quòd si his factis adhuc constiterit affectio, curandum est bilem flauam minuere seligenti pharmaco, & postmodum ad ea quæ huic malo inueteratis iam obstructionibus (licèt aliquo modo minoribus factis) prodesse scimus, confugiendum est: quapropter hunc puluerem porrigere oportebit, cuius mirabilis est efficacia, & recipit vermium terrestrium in vmbra exsicato-

exsicatorum priùs cum vino præparatorum. ℥.ij. rhabarbari electi. ʒ.j. stercoris canis exsiccati. ℥. ʒ. redigātur in puluerem, & cum hydromellite exhibe. ʒ.j. &. ʒ. singulis diebus quindecim dierum spacio. Mirabilis etiam est efficaciæ vsus pilularum quæ recipiūt, trochiscorum de spodio. ʒ.iij. rhabarbari. ʒ.ij. pulueris vermium terrestrium. ʒ.j. &. ʒ. puluerizentur & cum syrupo de prasio fiant pilulæ. n. xxxvj. quarum singulis diebus spatio vnius horæ ante prandium tres sumat laborans. Prodest & singulis diebus vinum sic cōfectum porrigere: Excipe marrubij. ℥.iij. lupulorum ℥.j. radicum bugloss æ, radicum eupatorij. ana. ℥. ʒ. rhabarbari conquassati. ℈.iiij ligni aloës. ʒ.j. bulliant omnia in li.iij. vini albi odoriferi vsque ad consumptionem tertiæ partis, & facta colatura excipe huius vini. ℥.ij. sacchari. ʒ.j. &. ʒ. misce & laboranti porrige. Ferunt etiam vrinam pueri cum sacchar o mirum in modum prodesse: deobstruit tamen per bellè id quod recipit conserua capillorum veneris, radicis apij. ana. ℥.j. pulueris triasanthalorum. ʒ.ij. diarrhodonis. ʒ.j. quatuor seminum frig. mai. incisorum. ana. ʒ.ij. cum syrupo intybi fiat opiata, cuius sumat. ℥.j. cum aqua graminis.

Quòd si hæc vulgaria & leuia parui momenti videantur, ad ea quæ efficacioris sunt potentiæ confugiendum est: cuius naturæ est id quod recipit diacurcumæ & dialaccæ. ana. ℥.j. trochiscorum de rhabarbaro & de absynthio. ana. ℥. ʒ. pulueris diarrhodonis. ʒ.ij. hepatis lupi præparati. ʒ.iij. quatuor seminum frigidorum maiorum. ana. ʒ.j. syrupi acetosi diarrhodon aut de eupatorio quod satis, vt fiat confectio, cuius cochleare vnum cum. ℥.ij. aquæ capillorum veneris vel graminis singulis diebus, aut tertio quoque die laboranti porriges: præstant & triferæ Persicæ. ʒ.ij. cum aqua lactis. Pari etiam efficacia prodest theriaca magna, dialacca, aut diacurcuma quatitate duarum drachmarum: item trochisci de rhabarbaro, de eupatorio, de absynthio, ad. ʒ.j. cum decocto aliquo ex supradictis. Prodest etiam decoctum foliorum raphani, eupatorij, aut prasij, quantitate quatuor vnciarum cum saccharo aut modico oximellite. Mirum etiam in modum prodest syrupus qui recipit lapati, lentisci, & capillorum veneris. ana. m. ʒ. quinq; radicum diureticarum radicis acori, gladioli & rumicis. ana. ℥.j. seminum frigidorum maiorum. ℥.ij. seminis apij, fœniculi & petroselini Macedonici. ana. ʒ.ij. chamæpyteos, chamedreos & valerianæ. ana. m. ʒ. hordei mundi. p.j. infundantur radices & semina per noctem in aceto, & postea fiat decoctio in vino albo & aqua sufficienti, cui percolato adde mellis quod sufficiat vt fiat syrupus, cuius. ℥.ij. cum sero lactis aut aqua graminis summo manè porriges: item coagulum leporis cum meraco dilutū ad dies quinque. Quòd si hæc non profint, & ventrem plura generare cruda excrementa, ibidemque immorari constiterit, ac mox remeare in venas effectura maiorem obstructionem, tunc quidem vomitibus rem agere oportet, cōsulens tertio quoque die vomere, & die intermedio porriges oximellitis compositi aut simplicis. ℥.j. cū aqua attriplicis. Conficies syrupum purgationi & præparationi aptissimum. q.r. capillorum veneris, agrimoniæ, pimpinellæ. an. m.j. ʒ. radicum rubiæ, rumicis, cichorij, petroselini & fœniculi. ana. ℥.j. ʒ. passularum sine granis. ℥.ij, epithymi & polipodij. ana. ʒ.iij. absynthij Pontici. p. ʒ. coquantur in lib.iiij. aquæ ad medietatem, & colaturæ addæ foliorum sen æ. ℥.ij. ʒ. seminis cartami conquassati. ℥.iij. iterū bulliant & facta expressione & colatura, adde sacchari quod satis vt fiat serapium, & interim dum fit, adde agarici trochiscati & rhabarbari puluerizati ligatis simul. ana. ʒ.iij. & post confectionem serapij exprimantur leuiter. His factis, si adhuc affectio perstet & indurata maneat, ad vsum chalybis vel syrupi ex scoria ferri, tanquam ad

vltimum præſidium,ea lege quam adduximus capite præcedenti, confugiendum tibi erit.

Extrinſecus verò iecoris regionem, interim dum hæc fiunt, fouebis decocto abſynthij,ſquinanti,ſpicæ & apij,addito modico aceti ſquillitici: quo facto eandem partem inunges vnguento,quod recipit ſuccorum apij,petroſelini, fœniculi,ſenecionis, intybi & cichorij.ana.ʒ.j.aceti.ʒ.ſ.olei.ʒ.iij.bulliant omnia ad conſumptionem ſuccorum & aceti,ac mox adde ſanthalorum & ſpicæ. ana.ʒ.j.ceræ quod ſufficiat,fiat vnguentum molle.Prodeſt & aliud quod recipit ceroti ſanthalini.ʒ.j.olei de ſpica.ʒ.ſ.pulueris abſynthij,roſarum & ſquinanti.ana.ʒ.j.miſce.

De icțero nigro.

Nigri icteri conſideratio eiſdem ferè completur rebus ac flaui: nam eadem eſt affectio, nimirum mutata totius corporis qualitas ad nigrum colorem,ab eâdem cauſarum congerie,licèt in diuerſis locis: nam ille qui flauus eſt, vitio iecoris aut felleæ veſicæ fit: niger verò ob ſplenis morbos,aliquãdo tamẽ à iecore affecto.Sic etenim dum iecur plus melancholiæ generat,quàm vel ſplen poſsit trahere ſecundum naturam, vel opus eſt, corpus nigricare, vt in melancholia affectis euidentiſsimè apparet : quo tempore citra ſplenis vitium prædictus color in toto corpore effloreſcit , & cum hoc vel hæmorrhoides intumeſcunt , vel vlcera peſsima,& alia mala,quæ ex vberiori melancholia oriri aſſolent in toto corpore, forſan cum melancholicis imaginibus,triſtitia & mœrore. Verùm dum ſplenis vitio ſuboritur,vna è duabus prodit cauſis : vel ſplene nimirum facto imbecilliori, quo nequit ſuum munus explere, eſt enim illi tãquam peculiare officium,ſanguinem à melancholico recremento defęcare, quo fit vt melancholia ſimul cum ſanguine vniuerſum corpus adeat,& prædictum gignat colorem: vel rurſus fit,quia ſplen obſtructum nequit capere dictum ſuccum,neque viæ huic muneri patulæ & apertæ exiſtunt, & ob id in iecur & venas iterum remeat, atro colore vniuerſum corpus perfundens.Vtcunque tamen is affectus oriatur,ſiue à ciborum vitioſorum ac melancholicum ſuccum generantium eſu,ſiue à prauo iecoris intemperamento, ex bonis alimentis hos ſuccos efficiente , ſiue ab obſtructione aut imbecillitate ſplenis, ſemper maiorum malorum atque diuturnorum ſoboles & cauſa eſt, quàm flauus icterus : commigrat enim non rarò in hydropem & alios incurabiles affectus.

Quo fit vt curandi ratio,licèt eiſdem ſcopis ac præcedens affectus perficiatur, difficiliùs & tardiùs ſuum beneficium præſtet: quapropter primo mali acceſſu, ſi eduliorum vitio ſuboriatur, ea in laudabiliora oportet mutare, & à genitis ſuccis corpus expurgare. Si verò iecoris vitio, ipſum temperabis, vt dictum eſt capite de iecoris intemperantijs,& etiam quod vitioſum genitum iam eſt, purgabis maiori diligentia: & pari lege facies,ſi ſplen intemperatum,ex humore ſibi commiſſo plurimum fæculenti ac melancholici excrementi generauerit. Verùm ſi rem fieri ex calida intemperie hunc ſuccum gignẽte in quouis prædictorum viſcerum conſtiterit,primò curabis ſanguinem mittere ex dextro brachio,aut ſaluatela ſi iecur pati contingat,ſin ſplen,è ſiniſtro, maximè ſi cum ſanguine eam melãcholiam commixtam eſſe cognoueris. Quo facto (aut ſi opus non fuerit) & conſtiterit ob imbecillitatem ſplen non trahere , vniuerſum corpus à melancholica redundantia purgabis,haud ſecus quàm dictum eſt capite de melancholia , cui miniſterio humorem præparabis & paulatim educes, quia eius imbecillitas nequit copioſam ferre vacuationem.Cæterum ſi ab obſtructione ſplenis prodeat, pari methodo veteris ei quam diximus capite de ſplene indurato. Duo tamen ſunt huic affectioni proficua

ficua & quæ maximi ſolent eſſe momenti: primum quidem eſt ſerapium de ſcoria ferri hac lege confectum.R.ſcoriæ chalybis præparati aqua lupulorum.ʒ.vj.paſſularum ſine nucleis.ʒ.iiij.macerentur per tres dies in lib.iiij.aquæ lupulorum, graminis & rubiæ, & in fine trium dierum bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & facta colatura adde radicis rubiæ & rumicis. ana.ʒ.ij.radicis fœniculi & capparorum.ana.ʒ.j.aſplenij.ʒ.ſ.capillorum veneris. m.ij.iterum bulliant, & in vltima efferueſcentia adde foliorum ſenæ.ʒ.iij.& poſt refrigerationem adde ſyrupi aceto ſi diarrhodon & de eupatorio.ana.ʒ.ij. oximellitis ſimplicis. ʒ.j. ſacchari lib.ij. fiat ſerapium . Huius medicamenti porriges. ʒ.ij . aut tres,prout aluus plus minuſue egeſſerit. Sed maioris momenti arbitror eſſe vſum pilularum quæ recipiunt chalybis præparati.ʒ.j.trochiſcorum de mirrha Raſis.ʒ.iij.dialaccæ,diacurcumæ,antidoti hemagogi, mithridati optimi. ana. ʒ.ij. miſceantur omnia & fiat maſſa,ex qua formentur pilulæ magnitudinis granorũ piperis,vel paulo plus , ſumatq; laborans ſummo manè ſingulis diebus ſex aut ſeptem pilulas ex prædictis, donec ſic per aliquot dies conſumatur prædicti medicamenti ſufficiens quantitas: ſed mox à ſumptione prædictarum pilularum exercitio vtatur laborans duarum horarum ſpatio.

De formitatis cutis curatio.

Cutis verò fœditatem delere,non plurimum debet nobis faceſcere negotium, curato enim morbo & ablata cauſa, facilè ſua ſponte euaneſcit : verùm quia aliquando adeò eſt cutis denſa,& humor ibidem impactus craſsior, quòd opus ſit artificis beneficio,ob id placuit ex vſu probatis aliquid ſcribere.Præmiſſa enim morbi ablatione , ſi adhuc ſuperſint in venis humorum reliquiæ , his quæ vrinas ciant mouebis: ſic folia raphani decocta cum modico aceto proſunt,& marrubij decoctum cum oximellite, aut rumicis & radicum diureticarum cum eodem oximellite, aut ſquillitico: item ſuccus hepaticæ bibitus,aut roſtri porcini, vel ſyrupus ex ſucco linariæ depuratus cum ſaccharo:præterea decoctum lentium cum aqua fœniculi & vrina pueri: ferunt ſuccum citri cum ſaccharo manè ſumptũ idem præſtare. His factis, corpus balneis aquæ dulcis committes, vel decoctioni ex camemalo, linaria & abſynthio . Fricabis inſuper vniuerſum corpus & linteis cannabinis inuolues:præterea euaporationibus ex prædicto decocto emollies, & ſudorem concitabis. Præſtat & euaporatio ex decocto corticum fabarum & palearum hordei cum modico aceto : lotio item cum prædictis decoctis & modico aceto mirum in modum prodeſt: nec non inunctio ex butyro & ſale,aut oleo amygdalarum dulcium vel ſeſamino calidis cum nitro: item præſtat ſternutamenta mouere cum aceto.

De malo corporis habitu,& de omni hydropis ſpecie. Caput. VI.

NON immeritò profectò, conferre adinuicem, & vno hoc capite hos omnes affectus complecti, mihi viſum fuit,ſiquidem conſimile videntur habere principium,& eorum quidam veluti alterius cauſæ & præludium exiſtunt: quibus etiam reduci facilè poteſt hepatica dyſenteria, quam eiuſdem eſſe cenſus pro comperto habeo: nam licèt nomine diſsidere videatur ab hydrope,natura quidem & cauſis quàm maxime cohærent. Antè tamen quàm veram hydropis naturam aggrediar, nõnullas ab authoribus

authoribus hydropes appellatos,reijciendos esse à veræ hydropis consortio monstrabo.Venatur quidem Trallianus certam quandam hydropis speciem,quam hydropem ex colliquatione appellat, ex quodam Galeni loco lib. 3. de symptomat. caus.cap.2.quo statuit colliquari quandoque succos in venis contentos,qui si non per renes ad vesicam transferantur,sed ad ventrem vel ad totum corpus diffundãtur,subitaneos hydropum status inducunt:quo fit vt aliquando dici possit hydropem à calore fieri.Præter hanc etiam hydropis speciem, aliam recensetHippo.7. aphor.53.dicens. Quibus hepar aqua plenum in omentum erumpit, ijs venter aqua repletur & moriuntur.Item præter dictas,aliam addiderunt Arabes ex illo Galen.loco,arbitrantes ex vitio renum non trahentium,hydropem posse fieri.Verùm si quis rem hanc diligentiùs pensitet, facilè conijciet nullam harum esse veram hydropem:nam cùm potissima hydropis ratio sita sit in vitio sanguificationis,vt omnes communi consensu fatentur, & in nulla harum consimile reperiatur vitium,fiet profectò vt iure optimo,à consortio hydropum debeant ablegari: nam prima illa quæ ex colliquatione oritur,vt quæ à colore liquante fiat, frigidis curari desiderat,quod nullus sanę mentis vero hydropi administrabit:præterquã quòd hydrops ex colliquatione, præter id quòd in ardentissimis & colliquantibus febribus plerunque fiat,subitò efficitur & veluti repente apparet,succis illis in ventrem irruentibus simul.At hydrops ex imbecillo iecore,sensim,lentè ac paulatim excrescit.Pręterea reliqua hydropis species,cuius meminerat Hipp.etiam ableganda est à veris,quia vt inquit Galen.com.præcitatæ sententiæ,licèt ventrem in tumorem attollat(præterquam quòd subitò quoque fiat) ab aqua fit,quam imbecillum iecur cum sanguine non generauit, sed quæ ex vesiculis aqua plenis in iecore existentibus ac ruptis profluxit:quo fit vt multis interuallis dissideat ab hydrope vitio sanguificationis facto. Pari quoque ratione cùm vitio renum aqua inter omentum & peritoneum colligitur,non meretur nomen hydropis,quia non à vitiato iecore,quod hydropis formam præstat,sed à renibus non trahentibus, ni forte vtrumque subsit vitium,vt inferiùs referam, nam inter veras causas hydropis,renum defectum sum annumeraturus: cum hoc tamen hos hydropes,vel per consensum factos,vel spurios & pseudohydropes nuncupare poteris. Quippe Erasistrati sectatores nulla alia ratione hydropẽ oriri posse putarunt, quàm viarũ angustia sanguinis per iecur egressum prohibente,nec ipsum vnquam excitari vitio lienis,aut alterius membri,sed semper ex scirrho qui iecur obsideat: verius tamen est mille modis posse fieri:nosse tamen oportet non omnem esse legitimum hydropem,sed eum qui iecore primo læso oriatur, reliquos vero vel per consensum, vel illegitimos.

Hydropum tamen veram rationem,vnanimi ferè omnium Medicorum consensu,à iecoris vitio proficisci statutum comperimus,& quod proprius est ab vna & eâdem ipsius læsione,videlicet frigida intemperantia: quippe fatentur omnes malum corporis habitum frigidiori facto iecore proficisci,sic & hepaticam dysenteriam,nec non & omnem hydropis speciem. Cæterum licèt id verum sit,non tamen distinguere adhuc studuerunt,qualis interfit differentia, siquidem sortiuntur (quantumuis ab vna causa prodeant) naturam diuersam,diuersum nomen, & longissimis interuallis dissidentem curandi rationem. Itaque sub malo corporis habitu,crurum,faciei aut oculorum album colorem & tumorẽ intelligimus, qui citra munus nutritionis aut collectionis apostemosæ fit: quod probat euanescentia illius tumoris, à quouis calore, siquidem noctu (quantumuis interdiu intumescant

mescant prædictæ partes) caloris beneficio delitescit & subsidet. Hepaticam verò dysenteriam eum fluxum appellamus,per quem sanguis excernitur similis loturæ carnis recenter mactatæ,prodiens quidem à iecoris frigido intemperamento, sanguificationis etiam munus oblædente.Hydropis tamen nomen symptoma etiam importat,quod à nimia humorum in quibusdam partibus collectorum abundantia naturam sortitur, varias constituens species (quatuor videlicet quas diximus) malum corporis habitum,ascitem,tympaniam & anasarcam: aqua ascitem generante,pituita anasarcam,& tympaniam flatu. Itaque in his omnibus refrigeratur hepar & sanguificationis munere priuatur,siue proprio iecoris vitio, vt in flammatione,scirrho,intemperie,obstructione,diutina solutione cõtinui, tumore frigido, calido,molli,duro,febre antiqua aut acuta: siue per consensum, vt folliculi fellis, ventriculi,mesenterij,intestinorum gracilium,pulmonis,renum & septi transuersi. Quæ sanè partes aut frigiditate ipsum iecur refrigerãt,per venas vsq; ad cauam, communicata frigiditate iecoris carni:aut ipsius calorem suffocant non expurgantes iecur,vel ob immodicum fluxum dissipant. Item contactu chyli frigidioris, vt contingit in potu aquæ frigidæ,calore eius refrigerato: quibus consideratis facilè reperies innatum calorem nõ minus refrigerare quæ calida sunt, si illius substantiam dissipent,quàm quę frigida existunt eius calorem extinguendo.Sic enim calida,frigida,humida,sicca & ex his composita, cum materia aut fine ipsa, dum caloris substantiam vitiant,id nata sunt efficere.

Hæc enim sunt quæ naturam & causam præstant omni hydropi,vt communis est omnium sententia: sed differunt quidem prædicti affectus(quantumuis prædictis rationibus communicent) etiam si (omnes ab vno iecore vitiato ob frigidum temperamentum, & à causis refrigerantibus læsa sanguificandi potentia, prodeant)materia,loco,causa & concausa. Materia quidem, quia ascites aquam, tympania flatum,anasarca pituitam cõtinet. Item ascites in ventre & distantibus partibus,facie nimirum & cruribus,vt Hippoc.4.de morbis docuerat, viget: tympania in eodem & vicinis partibus,hoc est ventriculo & intestinis,vt idem author statuit.4.aphoris.11.anasarca verò in partibus carnosis,vt latius in cuiusque disputatione sum probaturus.Sed differunt adhuc magis concausa: quia licèt sine vitio iecoris nulla harum fieri possit per se,iecur solùm materiam suppeditat, hãc verò aut illam hydropis speciem constituere nequit nisi accedat alia concausa, vt in ascite renum vitium,quo sanguis non probè expurgatur: in tympania ventris & intestinorum, & in anasarca carnosi generis: quæ omnia licèt ab vno iecore materiam contrahant,non tamen prædictarum differentiarum aliquam constituere nata sunt,citra prædictas concausas.Itẽ differunt,quia malus corporis habitus consimile sortitur vitium in eodem iecore ac hepatica dysenteria, nimirum diminutam sanguinis generationem,qui prolabens per meseraicas ad intestina, prædictũ concitat fluxum: verùm in malo habitu,sanguis ille it per venosum genus ad singula membra,tamen non mutatur in eorum substantiam,sed veluti inutile excrementum manens immutatum, membra in tumorem morbosum nulla facta nutritione eleuat, prædictum malum habitum generans. Quo fit vt ambo affectus præludium existant hydropis,mox enim à malo corporis habitu succrescit,& pari ratione à prædicta dysenteria, quòd consimilis sit vtriusque causa & idem principium.Item dissident,quia in omni hydropis specie,quod vitiosum aut crudum generat iecur,separatur à sanguinis consortio,& sic colligitur in aliquo loco peculiari vt hydropẽ efficiat: at in his duabus affectionibus simul cũ sanguine it aquosus humor,

humor,ſeu crudus ſuccus qui pariter gignitur:præterquam quòd non vitiatur, licèt diminutè coctus euadat,vt in hydropis ſpecie quauis, quæ profectò cauſa eſt, vt ſeparetur à probo ſanguine,vt in aſcite latiùs dicturus ſum. Præterea ambo affectus diſsident à quauis hydropis ſpecie,tanquam principium & via à termino, terminãtur enim malus corporis habitus & dyſenteria hepatica in hydropem, quòd in illis iecoris actio vitiari incipiat,in his verò iam vitiata exiſtat,aliena & omnino ab alitione extranea,qualis eſt vel flatus,vel aqua,nõ iam ſimilis loturæ carnis,ſed verè ſeroſa ſubſtãtia,aut vltimò pituitoſa& cruda ab omni beneficio naturę aliena.

Quas ſanè differentias,vt quis rectè & vt par eſt,callere poſsit, expendat iecur à proprio munere aberrare poſſe multis modis:nimirum quòd omnino ferè deſtitutum ſit ſanguificationis munere(nam ex toto priuari, demortui iecoris potiùs eſt,quàm læſi) manente ſolùm calore apto ad liquationem chyli efficiendam:vel ſanguificet quidem,cæterum diminutè,aut ex eo quòd commiſſam ſibi ſubſtantiam in alienam & omnino præter naturam commutet:quę ſanè vitia nobis in his morborum generibus,& in pleriſque alijs ſeſe oſtendunt. Sic profecto diminuta eſt actio ſanguificandi in dyſenteria hepatica & malo corporis habitu: aufertur tamen ita vt videatur extincta ferè,dum ex alimentis fit commeatus in hydropem, eum præcipuè qui aſcites dicitur: quippe eo tempore nihil aut quàm parciſsimũ exchylo mutatur in ſanguinis effigiem,& ob id laborantes atrophia periclitantur, quia ſolùm vi caloris liquatur chylus,nullam tamen recipit actionem à ſanguifica potentia,ſed veluti ablata videtur ex toto. Vitiatur quidem iecoris actio , dum in bilioſum,pituitoſum aut melancholicum ſuccum mutatur ferè omnis chyloſa ſubſtantia,vel plurimũ eius in flatũ vertitur,vt in tympania,vel in anaſarca in pituitã.

Præterea eluceſcet ampliùs harum affectionum natura,ſi conſtiterit vtra harũ deterior ſit,nam id non niſi ex propria conditione ediſcere poteris. In qua re nihil certum ab authoribus elicere eſt poſsibile, cùm tanta ſit eorum in hac re varietas,quanta numeroſitas. Multi quidem difficultate curationis tympaniæ, ſeducti ſunt vt credant,deteriorem eſſe eius conditionem:alij rei naturam penitiùs intuẽtes,deterius vitium eſſe aſcitem ſcripſerunt:nonnulli graui anaſarcæ aſpectu deterriti eam grauiorem reliquis omnibus ſunt arbitrati,& ſic quiſque ſuum tuetur dogma,reliquorum rationes contemnens. In qua quidem hæſitatione, primùm tanquam firmum haberi debet,rem aliquam nulli alteri eſſe conferendam, niſi omnibus cauſis,natura,& effectu pariter metienda ſit: nam ſi vnius cauſa grauior ſit, & difficilior,quamuis ſuapte natura à grauiori excedatur,quæ cauſam habeat difficiliorem,difficilior proculdubio habenda erit. Sic profectò ſi aſcetis à prauo eduliorum eſu prodeat,& anaſarca aut tympania à iecoris ſcirrho, aſcetis reliquis erit ſalubrior,quamuis ſua natura grauior habeatur,& pari ratione tympania à ventris flatu ſalubrior & facilior erit aſcite,quæ iecoris vitio prodit: itaque collatio cæteris exiſtentibus paribus fieri debet,vt eluceſcat cuiuſque vis & natura. Secundò ſtatuendum arbitror,ſi ab æquali vitio iecoris vtraq; prodeat,& id ſolùm velis cõſiderare, deteriorem eſſe quæ plures partes grauiori vitio afficit:cuius naturæ eſt anaſarca,quæ præter iecoris vitium,praua conſtat nutritione in partibus carnoſis, & ſi affectus naturã intuearis longè deteriorem licèt conijcere aſcitem, quæ atrophia eaſdem afficit:nam quod vulgo fertur tympaniam,quòd curatu ſit difficilior grauiorem eſſe,inualidum eſt & parui momenti: nam vacuationibus commodis non orbatur,cùm euidentiſsimum ſit purgatione indigere,& leuari purgata ſubſtantia quæ flatui materiam præſtat:item per reſolutionem curari poteſt, ſiquidẽ calor

calor(à quo multi arbitrati ſunt prodire)nõ intenditur reſoluẽtium vſu:quia aliud eſt fieri ab excedenti calore,aliud quòd omnino iecur nõ priuetur calore,ſed à puſillo & diminuto eleuari,quinimo calorificis quæ innatum calorem augeant, frigidum intemperamẽtum ſeu remiſsè calidum iuuatur,& geniti flatus diſcutiũtur, atque ob id affectio mitior efficitur. Hæ profectò ſunt huius dubij rationes:ſed his non obſtantibus arbitror,ſaluo meliori iudicio,tympaniam non ſolùm curationis difficultate grauiorem eſſe, vt vulgus cenſuit, ſed etiam affectus natura & conditione:nam ob id Hippo. arbitratus eſt,tormina inteſtinorum & dolores iuxta vmbilicum,cùm remedijs nõ cedunt,in tympaniam verti, quòd in habitu ſit affectio à qua prodeunt, nedum cùm iam tympania facta eſt. Nam cùm inteſtinorum & iecoris intemperantiam ſortiatur factam & habitualem, haud ſecus quam aſcites, habet tympania illud grauius,quòd in ea duæ reperiuntur intemperantiæ, eæque contrariæ,in aſcite verò vna:quo fit vt licèt natura affectus cõueniant,ſuperat tympania reliquas,quia pluribus intẽperãtijs ſita,contraria expoſtulat auxilia,quę citra alterius damnũ adhiberi nõ poſſunt,vt paulò inferiùs mõſtrabo. Et ob id iure optimo arbitror eã eſſe periculoſiorẽ ratione ſuæ naturæ, & difficiliùs curari ob cauſarũ contrarietatẽ,non quidẽ vt multi cẽſuerunt, quia euacuationibus nõ cedit vt aſcites,cũ re vera eiſdẽ debeat curari, ac facilius ſit flatus diſcutere quã aquas educere,ſi aliud nõ extitiſſet in eius curatione difficili⁹. His ita cõſtitutis ſumma huius rei ſit,hepaticã dyſenteriã, malũ corporis habitũ, & tres ſpecies hydropis hoc vnũ habere cõmune,nimirũ iecur in ſanguificationis munere vitiatum,diſsidere tamẽ hepaticã & malum habitum à reliquis,quòd in illis ſolũ iecur patitur caloris innati imminutionẽ,in hydropis verò ſpeciebus præter impotentiã hanc, etiam alijs afficitur vitijs iecur,aut corpus, vel aliqua corporis pars. Præterea malus habitus diſsidet ab hepatica & ab anaſarca , quòd in hepatica ſanguis it ad vaſa, non tamen eo vtitur natura,& ob id trãſmittit ad emunctoria,in malo habitu & anaſarca it quidem,& tranſmittitur ad partes alendas,cæterum in malo habitu nõ apponitur,ſed colligitur,& ob id mox reſoluitur,vel ſomno vni⁹ noctis, at in anaſarca apponitur, cæterum non vnitur,& ob ib non alitur homo,non tamen ita facilè reſoluitur, ſed ſemper durat noctu diuq; craſsitudo illa pituitoſa. Præterea aſcites à tympania diſsidet,quòd in aſcite adeſt in iecore intemperantia frigida habitualis,in tympania verò intemperantia calida,quo à malo habitu & hepatica diſsidere diximus. Quæ omnia expendiſſe magni fore momenti ad curationem ſum arbitratus , ſicut ad præſagiũ noſſe omnes ferè verſari in periculo æquali,diuerſa tamẽ ratione. Quippe aſcites grauiſsima eſt , quia ferè extinctum videtur habere calidum innatum, cum acceſſu frigidi habitus:tympania item grauiſsima ob adductam rationem,& quia habet ferè conſumptum iecoris humidum radicale , ad cuius penſum etiam calor imminuitur ex adhæſu calidioris habitus:in anaſarca verò grauiſsimum etiã eſt periculũ ob ſpirituoſæ ſubſtantiæ partiũ noſtri corporis extinctionẽ , quo nutritione orbantur:cõſtat enim partes ſortiri in ſui cõpoſitione partẽ ſpirituoſam, qua exequuntur nutritionis miniſteriũ,qua extincta, quauis occaſione nutritione partes deſtituũtur,quod grauiſsimi eſt periculi pręludiũ,licèt diutius ſubſequatur quã in reliquis duabus. Sed ad cuiuſq; naturã & curationẽ deuenire tẽpeſtiuum iã eſt.

De malo corporis habitu.

Malus igitur corporis habitus,quem Græci cachexiam appellarunt,laxitas, tumor & humida totius corporis intemperies cenſetur,idque maximè partium muſculoſarum,& earum omnium quæ ſub cute ſunt , nec non & cutis ipſius, quam non rarò cum virore albicare comperimus , ſimul cum crurum vacillatione &

laxis tumoribus, nonnunquam cum faciei & oculorum tumore: sic enim dixerat Hippoc. 4. de morbis. Cũ materia penetrare potest ad inferiora implentur crura, cũ ad superiora, facies & pectus, aliter in vẽtre tota colligitur. Quã quidẽ affectionem si quoad prædictas qualitates in corpore mutatas consideres, proculdubio ad symptoma in genere mutatæ qualitatis reduces, vt Gal. lib. 1. metho. c. 9. aduertit, quantũuis permanentiã habeat & stabilitatẽ, quæ morbi rationẽ aliquo modo videntur præstare. Verũ nomẽ symptomatis eousq; retinebit, quousq; actiones ab eo affectu lædi conspiciamus. Quòd si morbũ in intẽperie totius corporis frigida velis appellare, nõ erit ab re, maximè dũ ex prædicto intẽperamẽto, vel nutritionẽ lædi, vel quãuis aliã facultatẽ contigerit: nam hac lege anasarca etiã à malo corporis habitu disidet, q; in illa nutritio oblędatur, in malo habitu nondũ: & ob id illa morbi, & hic symptomatis rationẽ induit, dum non vltra pergit. Est igitur malus habitus symptoma sequens frigidũ iecoris intemperamẽtum, quo dilutiorẽ sanguinẽ generat, non ęquè alienũ à natura, quòd ad mẽbra nequeat peruenire, vt in ascite, sed paulò frigidiorẽ naturali, quantũ par est, vt veluti madefaciat extimas corporis regiones: quẽ sanè mirum non est, cùm non adeò vitiatus sit, quin natura vel discutere, vel in bonũ alimentum mutare possit: itaq; dissidet ab ascite, quòd non colligatur in vno loco, & quòd in malo habitu sanguis sit, nõ aqua: ab anasarca, quòd licèt in vniuersum corpus eat, non refert naturam pituitæ, nec comitẽ habet vitiatam nutritionẽ, vitiabitur tamen procedente morbo, idq; vel ratione ineptitudinis alimenti, vel quia ob intẽperamentum frigidũ diu perseuerans, naturalis ipsa potentia oblæditur, in anasarca verò à principio mali ambo vitia reperiuntur, intemperamentum videlicet iecoris pituitosum generans succũ, & vitiata etiam totius corporis nutritio. Prodit præterea hęc affectio à frigido iecore dilutum sanguinem gignente, quia tale factum est à diuturnis affectionibus, & his in quibus sanguis copiosiùs fluxit, vel extractus est, aut vbi ob ingentẽ sitim, largiori potu laborãtes vsi fuerunt: tandem ab eis affectionibus & eo viuendi genere, vbi non solùm iecur imbecilliùs factum supersit, verũ corpus vniuersum adeo vires naturales & natiuum calorẽ habet imbecillum, quòd sanguinẽ illum modicè aquosum, nequeat omnino mutare, vel omnino discutere, sicut secũdum naturam assueuerat. Itaq; ambo hæc vitia necessaria sunt, & ob id præludium est certissimũ hydropis, à quauis eius specie solũ differens, quòd in hydrope, intemperamẽtum illud frigidum in habitu est, haud secus quàm in hectica febre calidum: at in malo habitu solùm in fieri, nullam adhuc habens fixionem & permanentiam, & ob id diligenter studendum est huic malo subuenire, antequam firmatum omnia præsidia contemnat.

Curandi ratio.

In huius mali curatione, causa primò vnde principium traxit, inuestiganda est: nam licèt potissima sit facultatis sanguificæ impotentia, ea quippe ex varijs oriri assolet causis, siquidem aut ex frigido potu, vel frigidorum esu, aut ex decubitu in loco frigido & incommoda habitatione, vel ex itinere per loca niuosa facto: aliquando verò prodit facultate diutino aut acutissimo & grauissimo morbo confecta: plerunque ex largiori vacuatione quauis: vltimò verò è retento sanguine præter naturæ modum, vt in hæmorrhoidibus aut menstruis omnino cohibitis, maximè in his quibus secundum naturam largiùs fluere assueuerant. Quapropter in huius mali curatione hæc omnia aduertisse erit opus: & primò, si ex frigiditate contracta sit affectio (nisi adhuc causa refrigerans perstiterit, nam eo tempore ipsam primò infirmare oportebit & omnino abscindere) curatio blanda & leuis adhibenda est, & vires omnino seruandæ quales accepimus: nam satius est corpus

est corpus extenuare, vt vitiosi humoris portio quædam exhauriatur paulatim, quàm viribus non seruatis, maiorem copiam euellere. Cùm hoc tamen vtile erit interdum famen & inediam tollerare, & cœnam prætermittere: prosunt & matutinæ frictiones ac exercitia moderata corpore ieiuno, sicut somnus moderatus longè à cibo. Victũ insuper boni succi, aromatis conditũ oportebit parare, & aquę loco vino vti, vel cinnamomo & zingibere cocto, uel parũ diluto aqua cinnamomi, vel Indicæ sasafrasæ, aut caryophyllis feruefacta. Præstat & summo manè vel aquæ stillatitiæ, cinnamomi, anisi aut caryophyllorũ ℥. ß. porrigere, vel vini meracioris vnciam. Valet & aromaticũ rosaceum cum vino, theriacæ ʒ. j. aut mithridati vel conseruæ zingiberis ʒ. j. & ß. Fouebis insuper iecoris regionem oleo absynthij, spicæ aut liliorum, item vino vbi ferbuerit absynthiũ camemalum & spica. Vẽ triculo etiam prouidebis eisdem fomẽtis, aut cataplasmate ex pane tosto vino & pulueribus diarrhodonis & aromatici rosati, aut oleo spicæ & cytoniorũ super spargis prædictis pulueribus: quippe hęc & causam illidunt, & quod genitum est crudũ resoluunt. Quòd si frigiditas habitualis factaque fuerit, quod rarò accidere solet, veluti in hepatica dysenteria eius curationem institues.

Verùm si ob contractam ex diutino affectu imbecillitatem iecur diminutè sanguinem generet, primitus aduersus communẽ medendi artẽ, roborare innatũ calorem reficereq; spiritum oportebit, & postmodum si quid genitum est, euacuare, dummodo affectio diutina non sit: nã incipiente malo à viriũ robore, inueterato verò à crudi succi euacuatione incipiendum est. Quapropter cũ mox in conualescentia alicuius affectus pedes intumescũt, cibi offerendi sunt tenues & optimi nutrimenti, qui valde vires roborare possint, ac vinum cum pane in prima mensa porrigendum, & aquæ quã paucissimum. Item venter fouendus est oleo naphæ, & absynthij, imponendumque desuper cataplasma est, ex mica panis tosti & vino cum pulueribus cinnamomi, coralli & rosarum: manè verò sumat laborans vinũ absynthites cum aromatico rosaceo. Prodest & miua cytoniorum aromatizata, si febris nullum adsit vestigiũ, & iecoris gratia rhabarbari scrupulũ tertioquoq; die porrigere, aut eiusdem tabellas conficere cum quadruplo sacchari, vel ex diarrhodone duplicato rhabarbaro & aqua naphæ, quibus iecoris lupi prępparati addes parum, quod mirum in modum iecur roborare habet: tandẽ modico exercitio corpus modicè etiã calfacere, & iecur oleo absyntij cum pulueribus squinanti & radicis angelicæ inungere, si febris ex toto abierit, sin aliter detracta angelicæ radice. Qua etiã curationis methodo innitendum est, dum ex ingentibus vacuationibus malus hic habitus cõtrahatur, dummodo vel vacuationes iam suppressæ fuerint, vel primò supprimere studueris, roboratis membris à quibus fluxiones prolapsere, & omni arte ad antiquũ statũ reductis, ne forsan quod ab eis decidere assueuerat, in iecur irruat cessante fluxione, quod non rarò succrescit, forsan maioris damni occasionem præstans. Cæterum si ex retento sanguine, quẽ salutis gratia natura assueuerat pellere, adeò iecoris calor & sanguifica vis infirmatur, vt sanguinẽ probum efficere nequeat, vel ex quauis alia vacuatione naturæ consueta & necessaria, primò quidem ipsam reuocare oportebit, si possibile fuerit, sin aliter vel sanguine missio (si suppresio ex sanguine fuerit) ex talo in suppresis mẽsibus & hæmorrhoidibus, vel ex brachio, parciùs tamẽ quã si malus habitus nondũ incœpisset, vel per repetita interualla, quoadusq; vires sufficiant, vt natura leuetur, accalor venti lari faciliùs possit, citra spirituum & caloris sensibile dispendium: vel expurganti medicamento exhibito, si suppresio ex vitioso aliquo succo profluit. In quare

paulatim & per vices ſatius erit purgare, quã ſubitò vacuatione facta, vires per diſſipationem perdere: quo facto ad roborantia te conferes, ea lege quã ſuperiùs diximus, & paulò inferiùs fuſiùs leges. Verùm quia impoſsibile eſt malo procedẽte in quauis prædictarum cauſarum, nõ generari aquoſæ aut craſſæ ſubſtantiæ plurimũ, ob id curandum eſt, eam digerere cautè & prudẽter, ne potibus & digeſtiuis plus aquæ cruribus & iecori præſtetur, quod facies his quæ ſimul eam aquam educant, & iecur ac viſcera roborent. Huius naturæ eſt rhodomel cum ſyrupo eupatorij & abſynthij, aut ſyrupus cichorij cum oximellite compoſito, & aquis ſtillatitijs, ex lupulis, abſynthio & gramine, vel aqua deaurata. Poſtmodum verò ſyrupo hoc purgatiuo vteris, qui recipit radicum diureticarum, polipodij quercini & ſeminis cartami. ana. ʒ.j. hyſſopi, praſij albi, origani, agrimoniæ, cuſcute & adianti. ana. m.j. ſeminis aniſi, fœniculi, & melonum. ana. ʒ j. coquãtur in lib. iiij. aquæ ad tertias, hoc eſt ad. ʒ. xv. & in colatura infunde per noctem foliorum ſenæ. ʒ. iiij. agarici. ʒ.j. & ℈. epithymi. ʒ. ℈. zingiberis. ʒ. ij. bulliant parum & fiat expreſsio, in qua diſſolue ſacchari albi lib. j. & paretur ſyrupus mediocriter coctus, cuius capiat quinto quoque die. ʒ.j. & ℈. aut ſi velis, plus purget laborans, adde huic doſi in infuſione rhabarbari ʒ.j cum. ʒ. ij. aquæ hordei aut. ʒ.j. vini & altera eiuſdem aquæ: vel fiat ſyrupus etiam ſolutiuus qui recipiat ſyrupi eupatorij, vel acetoſi diarrhodõ, cichorij aut roſarum Perſicarum ſimplicis. ʒ. iij. rhabarbari infuſi in aqua praſij. ʒ. vj. cuius ſumat tertio quoque die. ʒ.j. Quòd ſi vel his aluus probè nõ egeſſerit, aut medicamẽtum mutare libuerit, his pilulis vteris quæ recipiũt aloës optimæ, pulueris hieræ ſimplicis, rhabarbari electi & agarici trochiſcati. ana. ʒ.j. cũ ſyrupo abſynthij aut oximellite ſquillitico fiat maſſa, cuius pilulas duas aut tres capiat hora vna ante cibum. Verùm in huius mali curatione, & in omni etiam hydropis ſpecie, inſtituendum eſt potiùs humorem præparare, educere, ac viſcera roborare ijs quę ſicca ſunt medicamentis & puluiſculis, quàm potionibus, & ob id Gale. imitatione ac hyberno tempore (nam æſtate non inconuehit aliquid potulentum præbere) præſtabit inter vnam & alteram purgationem porrigere tabellas, quæ recipiunt pulueris aromatici roſati, diamargaritonis frigidi. ana. ʒ. ij. raſuræ eboris & cornu cerui. ana. ʒ.j. ſacchari albi diſſoluti in aqua roſarum. ʒ. iij. fiat electuarium, & manè cum vino albo porrige eius tabellam. Vel aliud paretur quod recipit raſuræ eboris pulueriza-ti, aromatici roſati. ana. ℈. ij. pulueris electuarij triaſanthalorum & electuarij lętitię Galeni, aut loco eius diacimini. ana. ʒ. ℈. ſacchari albi diſſoluti in aqua roſarum. ʒ. iiij. cuius capiat. ʒ. ij. ante prãdium aut cœnam, ac ſuperbibat oximellitis ſimplicis, vel ex decoctione radicis petroſelini, fœniculi aut hyſſopi. ʒ. ℈. Quibus vt poſtulauerit affectio repetitis, ventriculo prouidebis oleo de ſpica, de caryophyllis, ac de abiete, & de mentha: item ipſum fouebis decocto radicis althęæ, cichorij, enulæ cãpanæ. ana. ʒ. ℈. roſarum rubearũ, balauſtiorum, agrimoniæ, mẽthæ, abſynthij, florũ camemali & anethi. ana. m.j. & ℈. ſeminis aniſi. ʒ.j. ſquinanti, cyperi, calami aromatici. ana. ʒ. iij. fiat decoctio in lib. ij. vini & vna aquæ, & cum ſpongia foueatur vẽtriculus: item ex prædictis herbis & ſeminibus fiat ſacculus, qui vẽtri adhibitus idem præſtet beneficiũ, & alijs præſidijs vteris quæ reperies tom. 2. c. de iecoris præſidijs.

De aſcite. Prima, & quæ magni eſt periculi, hydropis ſpecies (aſcites eo nuncupata, quòd ventrem aqueo humore & ſero plenũ repręſentat, haud ſecus, quã ſemiplena veſicula, quæ cõmota fluctuat) hoc habet proprium, quòd conſiderata ſui ratione, morbus ſit in magnitudine adaucta vẽtris, reductus quidẽ ad genus tumorũ præter naturam, vt Galeno viſum eſt. 14. method. & lib. de tumoribus præter naturam prope finem.

pe finem. Verùm conſiderata vt à refrigerato iecore prodit, ventris tumor velut ſymptoma morbi iecoris haberi debet, vt viſum eſt etiam Galen. lib. de different. ſymptom. Itaque tria in aſcite ſe ſe conſideranda expendendaque diligenter offerunt: primum, iecoris morbus in intemperie frigida ſitus, qua ſanguinis loco, frigidam inutilemque aquam gignit: alterum, tumor præter naturam in ventre obortus à prædicto ſeroſo humore genitus: tertiũ verò, prædicti humoris ductus & collectio in ventre. Sic profectò primò conſiderabis, qualis cõditionis & naturæ ſit frigida illa intemperies, quæ aſcitem generat. Quam (ſi rectè conſideraſti quę à principio huius capitis diximus) comperies eſſe duplicis conditionis, & mixtæ naturæ: quippe in omni hydrope neceſſum eſt, calorem innatum, quo iecur ſanguinem gignit, imminui, & cum hoc vitiari: nam dum ſolùm imminuitur, aut dyſenteria hepatica, aut malus corporis habitus oritur, vt enim hydrops fiat, neceſſum eſt vitiari, & rurſus inſuper iecur vniuerſum habituali frigiditate eſſe intemperatũ: quibus hepatica dyſenteria & malo corporis habitu aſcites diſsidet. Nam in illis immi nuitur innati calidi copia & vis, non tamen ſuccreſcit habitualis frigiditas, aut caloris vitium, ſed ſolùm ea frigiditas quæ caloris defectum ſequitur, at in aſcite vtrunque ſuccreſcit, haud ſecus quàm in hectica febre: quippe in marcore ſolùm adeſt ſiccitas cum virium imbecillitate, in hectica verò febre ſiccitas etiã & caliditas præter naturam, quo imbecillitas maior multis numeris efficitur. Sic etenim in aſcite ſi calor ſolùm imminutus extitiſſet, prodijſſet tantũ ſanguis diminutè coctus, quia verò vitium etiam accedit & habitualis frigiditas, ſanguificandi munere ferè orbatũ reddit iecur, quo efficitur aqua ferè loco ſanguinis, & ſi quid eius gignitur aquoſiſsimum & inutile ob caloris vitium: atq; ob id plerunque initium ſumit aſcites à defectu innati calidi, à cauſa contracto, quæ non ſolũ ipſum imminuit, ſed & immi nutum vitiauit, vt de febribus ardẽtibus fertur: quo fit vt loco ſanguinis aquæ vberior prouentus ſuccreſcat, non quòd aliquid ſanguinis non generetur, ſed quòd ſit parciſsimum, quo differt à malo habitu & dyſenteria hepatica: nã in aſcite aqua ſolũ colligitur in ventre, quia ſeparatur à ſanguine, quod in malo habitu & prædicta dyſenteria non contingit, quia ſimul it cum ſanguine aqua ad inteſtina, vel ad vniuerſum corpus: præterquam quòd in aſcite etiã colligitur in ventre, quia nõ excernitur per vrinã, vt de more erat. Cui etiam dãno accedit (vt ibidẽ colligatur) aquã vitioſam reddi adhuc in ipſo iecore, quod forſan pauci cõcedent, ſed ego arbitror potiſsimam eſſe aſcitis rationem. Quippe fit hæc affectio quoties iecur non ſolùm ſeroſum auget humorẽ, ſed genitum corrumpit & quaſi putrefacit: quo fit vt neq; emulgentes ſeligant, neq; renes alliciant, ac ex cõſequenti cogatur natura alicubi recondere. Nã ſi prædicta aqua talis à principio nõ extitiſſet, proculdubio allicerẽt renes: indicio eſt quòd multi qui parum mingunt, hydropici protinus euadunt, & alij copioſa vrina emiſſa, aut hoc malo non corripiuntur, aut ab eo euadũt. Augẽt noſtram rationem hunc ſuccum adeo corruptum eſſe, vt protinus antequam ſanguinem vitiet, natura ſeparet, quo fit vt nunquam ſudore excernatur. Idem quoq; probat, plures eſſe qui amphoras aqua plenas ingerunt, hydropici tamen minimè euadũt, quia in iecore aqua illa nullũ ſuſceptat vitiũ, alij verò vel ſex vncijs ebibitis, in hydropẽ incidũt, quòd eas iecur protinus vitiet. Quibus rationib⁹ perſuaſus arbitror, prædictam aquam in iecore eam ſortiri labem, quæ ſufficiat vt protinus à natura ſeparetur, & in loco aliquo incluſa ampliùs vitiata in ſalſuginoſam & nitro am naturam commigret, quo ſiti perpetua laborantes premuntur. Quam equidem aquam (quod ſecunda conſideratio pollicetur) cùm partes renuant tanquam

alitioni inutilem, & renes non trahant ac expurgent, quòd imbecilles ſint & ipſa vitiata, decreuit natura alicubi (melioris gratia, ne citiùs laborans periret) colligere ac recondere, iuxta illud Hippocrat. 4. de morbis paulò ſuperiùs adductum. Sic etenim dicta aqua cùm genus venoſum non irruat, neque à renibus expurgetur, exudat in ventrem per anguſtos cæcoſque poros, aperto ruptoue vaſe aliquo, ſine ſanguine, ſola, vti ſolet per renes, excidit, & in abdominis capacitatem illabitur: nam vaſa illa meſeraica, per quæ aqua prolabitur in dicta loca, raræ ſunt contextu ræ, peritoneo tantùm veſtita, ob id ſeroſum hunc ſuccum cõtinere nequeunt, qui ſua tenuitate reſudans in omentum & intra peritoneum, & in prædictum ſpatiũ, maximè cum à liene, colo, tenui inteſtino, vel alijs partibus vnde epiploon naſcitur, malum principium ſortitur. Interdum etiam ex hepate ſerum reſudans ob aliquam cõtinui ſolutionem aut ſuppurationem, vel ardentẽ febrem, intra ambientem membranam, quæ integra eſt, colligitur, & veſiculas aqua plenas cõcitat, quales ſæpe in pecudum boumque iugulatorum iecore cernuntur, quæ in omentum vt ſcribit Hippocrat. 7. aphor. 55. erumpunt, venterque aqua repletur atque moriuntur. Habet enim omentum peræ & impertuſi infundibuli ſpeciem, quo intra ſe portæ caudicem excipit, per cuius ramos excidit aqua, quæ ibidem collecta aſci tem concitat.

Cauſæ. Præmittendum eſt Eraſiſtrati ſectatores nulla alia ratione hydropes fieri affirmaſſe, quàm viarum anguſtia ſanguinis diſtributionem per iecur prohibente: alios etiã anaſarcam & omnes hydropes ab intemperantia calida fieri contendentes, & aliquando ab Hippocrat. & veteribus ſtatutum eſſe ab ilibus & lumbis vt in prog. ſcripſit: multi etiam à morbo acuto, ſed mediante iecoris læſione. Hæ ergo partes, & vicinitate & venarum connexione facilè hepar in conſenſum trahunt, præſertim cùm quædam annexæ ſint, aliæ continuæ: vbi venæ plurimæ, aliæ diſperſæ, aliæ veluti ſcalæ directæ per quas fit anadoſis, & chylus è ventriculo in cauas hepatis conuehitur: in quibus partibus focum habente cauſonide & putredine concepta, alimẽtum corrumpitur, & ſanguificatio impeditur, vbi hydropis prima fundamenta iaciuntur. Sic Celſus profectò ſcripſit, vbi dolor in imo ventre & coxis eſt, hydropem ab ilibus firmandum eſſe: quippe ab ilibus oriri idẽ eſt quod ab inflammatione earum partiũ. Renes quoq; idem efficiunt, vel quia imbecilles, vel quia in meatu tuberculum aliquod innaſcitur, vel quia venæ hectica intẽperie concepta, hepatis connexam partem, indeque totam ſubſtantiam refrigerant, ſic ſplene grauiter affecto ſanguis in iecur recurrit, & præ copia aut craſitie ipſius calorem extinguit, & ſic ſentire de reliquis partibus oportet, cùm vel nimio calore æſtuant & innatum iecoris diſſipant, & ob exuſtionem humidi ſubſtantifici iecoris, ipſum ad frigidã temperiem ducunt, vel frigiditate extinguunt, vt affectis vtero, ſepto tranſuerſo, ventriculo, meſereo, ieiuno inteſtino & tenui, pulmone, thorace, aſtmate aut peſsimo vlcere correptis, à quibus modis omnibus dictis compatitur, ac forſan dum thorax laborat defectu commodæ ventilationis, calore cordis per ſuffocationem extincto, quo & iecoris calor ſenſim imminuitur & mille modis vitiatur. Quibus ſuppoſitis cauſas ſpecialiores huius affectus (quibus etiam natura peculiarius innoteſcet) triplicis eſſe ſortis ſtatuendum etiam iudico, cùm certum etiam ſit tribus conſtare eius naturam. Nam iecoris morbus, nimirum diſſẽperies, aquarum ductus in dicta loca, & ventris tumor præter naturam integrant aſcitis eſſentiam & conditionem. Sic profectò iecoris duo eſſe vitia dictum eſt: primum innati caloris defectum: ſecundum ipſius viſceris habituale intemperamentum

tum. Sed calore innato priuatur iecur vno è duobus modis, vel ex proprio & peculiari eius affectu, aut per cõſenſum ab aliquo vicino aut non longiùs diſsito membro. Vtcunque tamen ſit, ſemper refrigerato iecore prodit: quæ ſanè frigiditas aut qualitas ipſa præſens, eſt calori contraria, quæ vim agendi habet, aut caloris natiui & formæ priuatio ſiue reſolutio, aut caloris abſentia. Itaq; fit ſemper altero è duobus modis: nam aut ſuccreſcit ob ſubſtantiam innati calidi diſsipatam (vt in febribus ardentibus, & diuturnis affectionibus, & vacuationibus prolixis: nam caliditas quæ ſubſtantiam non diſsipat, hydropem non efficiet, bene tamen ad præternaturalem calorem iecur intemperabit: illa verò caliditas ipſum refrigerat, conſumpta ipſius humida & natiua ſubſtantia) aut eodem calore frigiditate extincto, quod frequentiùs ab extrinſeco affectu, vel membro alio proficiſci aſſolet. Sic hydropem generat ſanguinis largior profuſio, præſertim hæmorrhoidum aut nariũ, menſium tamen non item: præterea ventris profuſio diutina, maximè ſi accedat largior aquæ potus: ſic puris aut cuiuſuis alterius humoris ex vlcere emanatio diutina, nec non & doloroſi ac tabeſcentes affectus. Quibus omnibus vim innati caloris infirmari, ac ex conſequenti eius munia, neceſſum erit, maximè ſi acceſſerit inordinatus opiatorum aut frigidorum medicamentorum & apozematum vſus. At frigidum affectum primò & per ſe in iecur inferunt etiam ipſius ſcirrhus, diutina obſtructio, & ciborum ac potuum frigidorum copioſior ingeſtio, aut vlcus, vlnus aut abſceſſus, modò hæ affectiones in iecore præſint, modò in membris vicinis, vt mox ex veterum ſententia diximus, à quibus per venas & arterias, aut quẽuis alium colligantiæ modum, ipſi communicatur frigiditas. Quare verò aqua colligatur prædictis in locis, cauſæ ſunt renes, quibus munus eſt ſanguinis aquoſitatem trahere: quo fit, vt aliquando ipſis factis imbecillimis, per genus venoſum vagetur adeo copioſa aquæ vbertas, vt vel calor ſuffocatione periclitetur, vel ſi natura potens ſit, per dicta loca ad ventrem protrudat: aliquando verò licèt renes nõ adeo ſint imbecilles, aqua eſt adeo copioſa & prauo vitio affecta, vt idem ſymptoma ſuccreſcat: nam vitium hoc vtcunque ſit, renum iacturæ tribuitur, & ob id deficiente debita eorum actione (etiam ſi ſit ob aquæ vbertatem, quæ naturæ modũ excedit) in illos eſt regerendum. Quapropter generationis huius aquæ cauſa eſt iecur, redundantiæ verò eius per vniuerſum corpus & ventrem, renes, quia ipſam non expurgant: nam ob id cenſeo Auicen. dixiſſe cauſam aſcitis eſſe aut in virtute ſeparatiua, aut in materia ſeparata, aut in vijs. Sic etenim eiuſdem collectionis in ventre natura ſagaciſsima cauſa eſt, quę cauens vrgentius periculum, loco dicto recondit, & tumorem efficit præter naturam, eo modo quo dictum eſt: ſic enim conſtat tumoris cauſam eſſe collectionem, abundantiæ renes, generationis quidem aquæ, iecur.

Diligenter enim obſeruare oportet vnde primum oriatur malum, non ſolùm *Signa.* præſagij ratione, ſed etiam curationis, quæ ante omnia parti primario affectæ proſpicit. Fruſtra enim hepati adhibentur remedia, cùm à renibus, ventriculo, liene, ieiuno inteſtino, mæſenterio cauſam principiumque ducit hydrops. Quapropter primo docere oportet quibus ſignis quæuis hydropis ſpecies dignoſci faciliùs poſſit, deinde qualiter quæuis cauſarum dignoſcatur, vt iuxta cuiuſque naturam & cauſam curationem inſtituamus. Monſtrat ſignatim hydropem aſcitem futuram, quod Hippocrat. ſcripſit. 6. de Coacis dicens. In biliоſis turbata aluus reddens parua genituræ ſimilia, mucoſa, quæ ad aqualiculum dolorem faciunt, vrinæ quoque non facilè prodeuntes, vt ne in hydropicum malum deſinant metuendum.

Quo loco impendentis hydropis ſignificationem oſtendere, ea omnia in vniuerſum ſcribit, quæ hepar immodicè refrigerant, aut valde obſtruunt, aut febrili ardore torrent, aut multitudine & craſsitie obruunt, particulatim verò graues & inueteratos ipſius affectus, renum imbecillam ſecretricem, morbos item acutos ieiuni & meſenterij, qui nec ſuppuratione nec criſi finem habent: item & malum corporis habitum. At præſentem monſtrant ventris tumor ſupino ęgro latus & per vniuerſam regionem extenſus, erecto quidem prolabens ad os pubis, quod tympaniti non accidit: quippe aqua fluitans horum accidentium cauſa exiſtit. Adeſt inſuper fluctuatio aquæ, & tumor vbi laborans cubat prolabitur, & veluti vndæ ſonitum mouet. Præterea ſuccreſcit huic hydropi duplici ratione ſitis, longè incompeſcibilior cæteris, & quæ potu creſcit & intenditur magis: nam cùm humor ille in vẽtre collectus ſalſuginoſus nitroſuſque efficiatur, ab vberiori aqua in ſalſuginem verſa, conſortio præexiſtentis in ventre, ſiticuloſiorem euaſurum laborantem certiſsimum erit: item quia non ſolùm ſitis ea ratione ſuccreſcit, ſed quia natiua humiditas abſumitur, quæ potiſsima eſt huius ſymptomatis cauſa. Atque licèt hæc ſint ſigna quæ hunc affectum commoſtrant, reperiuntur tamen alia, quæ ſignatim monſtrant particulam, cuius occaſione iecur patitur, & etiam affectus ipſius magnitudinem. Sic enim inquit Hippoc. 2. prognoſt. Hydropes autem omnes qui ex acutis morbis fiunt, mali ſunt, non enim à febre liberant, & valde doloroſi ſunt ac lethales: incipiunt autem plurimi ex partibus inanibus & lumbis, quidam autem à iecore. Præterea vt diſtinguat Hippoc. quando à iecore primariò affecto, quando verò à prædictis partibus, refert paulò inferiùs, & præcipuè lib. de Coacis. Quibus igitur ex partibus inanibus & lumbis hydropum initia fiunt, pedes intumeſcunt, & alui fluor diutinus fit, nec ſoluens dolorem, qui ex inani parte efficitur ac lumbis, nec molliens ventrem. Quibus verbis conſtat, aſcitem cui tumor pedum adiungitur, à principio ex inanibus corporis partibus prodire, tanquam ſignum aſsidens, non proprium adſtruere: nam cùm primario affectu cor laborat, præfertur multis ante diebus pedum tumor, & ſubſequitur deinde hydrops. Itaque incipiente morbo, vapore ſanguinis, hora veſpertina prope noctem pedes inflãtur, ac manè detumeſcunt completa coctione, calore aucto, & coadiuuante calore lecti. Hac etiam de cauſa fit, quòd reſurgentibus à ſomno oculorum palpebræ tumidæ appareant, quia ob humorum cruditatem puſillus calor in ſomno valuit vaporem eleuare, non tamen diſcutere, donec die ſuperueniente diſsipari contingat. Sed circa pedum tumores multa profectò & notatu digna, ſe ſe offerunt expendenda: quippe œdematoſus pedum tumor commune ſignum eſt, non ſolùm iecoris affecti primariò, verùm & per conſenſum, à quauis parte ſit, niſi quòd interdum non à principio pedes intumeſcunt, ſed creſcente malo, nonnunquam verò mox à principio in tumorem eleuantur, nondum iecore affecto, præludium & ſignum futuri hydropis. In qua re primò ſciendum eſt, quare crudus humor ad pedes potius dilabatur, deinde quomodo ſequatur hydropem, & quando ipſum antecedat. Primi cauſa triplex eſt: vna pituitoſi & crudi ſanguinis natura, qui ſuapte conditione deorſum magis fertur: deinde pedes in decliui loco poſiti, frigidi, oſſe pleni, neruis & cartilagine, quibus ſanguis facilè in flatus vertitur: tertia quòd lõgiſsimè diſtẽt à fonte caloris. His ſuppoſitis pedes in hoc malo tripliciter intumeſcere contingit. Primò propter ilia & inteſtina gracilia in tumorem & in inflammationem ducta: quippe in his primò ſanguis calorq̃ue natiuus elangueſcit, quo in flatus cùm crudior ſit facilè commutatur, aut quia nequit partibus his aſsimilari, ad pedes qui proximi

proximi ſunt prolabitur, in tumorem q́ue eleuat. Prodit ſecundò prædictus tumor in conualeſcentibus, tum ex longo, tum ex acuto morbo: quo tempore non eſt adeò formidabile ſignum, ſi initio occurratur. Cauſa enim eſt nõ malignitas morbi, ſed ciborum potuum q́ue copia, aut cauſa aliqua externa: natiuus enim calor tum in ventriculo, tum in hepate languens, & ex prægreſſo morbo ferè reſolutus, tantum conficere non poteſt, quantum ægri appetunt, aut etiam quantum alendo corpori opus eſt: ideoq́ue quod ex alimento vaporis craſsi, cruda craſſaq́ue excrementa congeruntur, viſcera opprimendo facilè hydropem gignere queunt. Tertiò pedes quoque intumeſcunt ex iecoris proprio vitio, vt mox referam, quia diminutè ſanguinem conficit. Sed primum noſces ex ilium ac inteſtinorum graci liũ dolore & torminibus cũ moleſto & graui pondere: ſecundũ ex prægreſſo morbo & vitæ modo: tertiũ, quòd nil horum adſit aut præceſſerit. Solet etiam ſuccreſcere fluxus ventris, maximè ventriculo & ilibus affectis, & iecur refrigerantibus: monſtrant id chyloſæ deiectiones ab obſtructione aut tumore præter naturam ortæ. Signum hoc tribus modis in hydrope apparet, vno incipiente malo: ſecundo, ex indebito vitæ modo in quouis morbi tempore: tertio, iam in deterius labente hydrope. Primum quidem dum mox à mali exordio prodit, ſignificat hydropẽ proficiſci ab ilibus & gracilibus inteſtinis affectis, vt mens eſt Hippoc. lib. de Coacis, dicẽtis: Quibus igitur ex ilibus ortum habet hydrops, ijs pedes intumeſcunt, & diuturna alui profluuia comitantur: quod ſanè ſignum iudicatorium eſt non iudicans, perpetuò ſuccreſcente noua cacochimia, ideoq́ue ilium neque lumborum dolores ſoluit, quia manet cauſa nimirum intemperies, aut earundem partium inflammatio, nec ventrem imminuit, quòd cauſa morbifica nõ excernatur, ſed tantum corrupta alimenta: cuius euentus cauſa triplex reperitur: imbecillitas videlicet venarum, quibus tanquam manibus iecur ad ſe trahit alimentum adeò, vt nec viſceri ad digeſtionem ſubſeruiant, nec alimentum in ieiuno & tenuibus inteſtinis morari poſsit, quæ ſi infirma quoque fuerint, grauata alimento, id omne confeſtim deorſum propellunt. Huius autem imbecillitatis cauſa eſt intemperies hectica & frigida, & quæ iecur nondum in conſenſum mali trahit, ſed quod in mæſenterio non inchoetur ampliùs hematoſis: ob idq́; ad lienteriam huiuſmodi profluuium referre oportet. Altera cauſa eſt in quibuſdam obſtructio à putredine & phlegmone, quæ intercipit diſtributionem, in qua præter vim tractricem hepatis requiritur vaſorum amplitudo. Tertia alimenti corruptio, & peremnis bilioſi excrementi coaceruatio, tum à putredine, tum ab inflammatione & vehementi calore ieiuni, vel mæſenteræi, ex quibus vehementer morderi inteſtina & irritari ad excretionem eorum quæ infeſtant, oportet, ex quo prodire diarrhœam neceſſe eſt, quibus nec dolores ſedari poſſunt, cùm internus ardor & intemperies hectica, quæ ſemper eadem generet excrementa, maneat: quo fit vt à purgationibus medicamento factis adhuc deteriùs ſe habeant qui ſic affecti ſunt. Præterea hydropem à morbo acuto prodire probat Hippocrat. loco prædicto, quia febris non ſoluitur ipſa adueniente, neque dolor qui præfuerat in ilibus, ſed doloroſior efficitur homo. Item à iecore primariò affecto fieri, mõſtrat idem author ex tuſsiendi cupiditate, citra excretionem aliquam, quæ tuſsis ſi ſuperueniat hydropi, grauis eſt & periculo plena, vt Hippocrat. placuit. 6. aphor. 35. & lib. de Coacis, dicenti: At quibus ab hepate tuſsis vel facilè fit, pedes tument, aluus dura reddit, & ea vi tumores circa vẽtrem fiunt: ſecus res ſe habet ſi ſimul incipiat, vt iecore affecto. Cuius dicti occaſione in memoriam reuocare oportet tribus de cauſis hydropicis tuſsim ſuperuenire

peruenire posse: vno, dum defluxio à capite simul cum hydrope cõplicatur: cuius nulla aut leuis habenda est consideratio, alio verò cùm ex proprio iecoris vitio succrescit, quo tempore designat hydropem à iecore prodire, non ab alijs membris. Quapropter Hipp. lib. de Coacis censeo dixisse prædictam sententiam. In quare expendendum est tussim hanc, nõ esse veram & completam tussim, sed solùm tussiendi cupiditatem, quę confestim cessat, prodiens quidem ab oppresso diaphragmate propter tumorem, vel ab eodẽ diaphragmate attracto à grauitate iecoris ex vberculo vel scirrho, alligatur enim hepar septo quibusdam fibris, quibus deorsum reuulsis, vnâ septiũ trahitur, & ab hoc membranæ quæ thoracem interiorem comprehendunt, ex quo angustia spirituum instrumentis accidit, quæ hanc inanem tussim mouet. Quocirca siue hepar primario affectu laboret, siue etiam secundario, sed iam obfirmato, vt marasmo retorrido, duritie, scirrho, tumore, tussis & eius cupiditas infestant. Tertia tussis species seu causa est desperati hydropis, vndecumque ortus sit, quo tempore non iam est tussicula, sed vera & vehemens ac difficilis tussis, à materia contenta in pulmone, quæ vi morbi & præcopia, à capacitate ventris, cœcis ductibus eò regurgitat, & præsidia vitæ, ac spiritales partes expugnat. Quam tussim Hipp. intellexit, cùm scripsit in salutaribus signis hydropicorum sitim non adesse. 6. tamen apho. 35. hydropicis tussim superuenire statuit malum: item si tussis habeat 7. apho. 47. desperatus est: qua voce, habendi, notat vehementiam affectus qui iam naturæ dominatur, pertinax est & ægre curabilis. Item quòd pedes antea intumescant, & quia venter dura eijcit & difficulter, quòd nihil biliosum conscendat ad intestina, quo irritentur: quòd si aliquid aquosum descendere contingat, magni profectò periculi est signum, quia aluus soluitur præter modum. Pedes etiam iecore primariò affecto intumescere, ipsum, addita peculiari conditione, læsum esse & ab eo malum prodire commostratur, vt antea diximus. Monstrat etiam iecur affectum paucitas excrementorum, & duricies vt in prog. scripserat Hipp. dicens, nihil deijcit nisi dura quædam & necessitate coactus, quoniam absunt causæ lienteriæ & diarrhœæ, quas diximus in prædictis causis ob intestina & meseraeõ, item quia iecur retortidum & aquam aliunde transmittit: & excrementa exurit, maximè quia diu morãtur in aluo: quòd potissimũ contingit per initia, nam postea plus iusto solent excernere, quod longè grauius est, quia corruptionem non leuem arguit. Quòd si ex diutina euacuatione prodeat ascites, id ex interrogatione facilè nosces, & quia vniuersum corpus emaciatur, pedes tamen & venter intumescunt: si verò ex suppressione fiat, vniuersum corpus simul cum ventre intumescit.

Præsagitio. Quid verò ex ascite prædicere liceat, appositissimè docuit Hippoc. lib. 2. prognost. 1. dicens omnem hydropem ex morbo acuto ortum, lethalem esse, quòd viribus mille modis resolutis accidat, & virium essentialem imbecillitatẽ arguat, necnon & difficillimam curationem, quia vires præsidiorum efficaciam perferre non valeant, & à leuioribus exacerbetur magis: sic etiam is qui ab acuto morbo febrili prodit, grauissimus est, quòd humidi radicalis & innati caloris dispendium arguat: minus qui ex fluxu sanguinis prodit: item qui ex albis vteri purgamentis, ac manantibus vlceribus & fistulis, & longè minor qui ex alui fluore principium traxit. Est tamen omnium grauior & difficilior qui ex iecoris scirrho prodit, minus qui ex vteri & intestinorum, & longè minus, qui ab splene: cum hoc tamen longè faciliùs soluitur hydrops qui ex sanguinis vbertate & mensium suppressione oritur. Præterea sunt præter hæc alia signa, quæ vel malum vel bonum in

in ascite ostendere habent, idque pro ratione temporis aut causæ: sic tussis superueniens malum, quia arguit aquositatis aliquid in instrumenta respirationis adire: præcedens verò non ita, sed scirrhosum iecoris tumorẽ præponderare plurimùm. Item pessimum est laborantem difficulter respirare, pulmonem enim aliquid aquositatis proprio motu attraxisse monstrat. Præterea à ventris tumore crura intumescere, testes ac pudẽdum & lumbos, firmatum esse & irreparabile damnum, maximè si accedat tussis sicca. Sic vrinam paucam & turbatam lethalem fore scribit Hippocra. 6. de Coacis, quippe aliò transferri humorem arguit: desperatus etiam videtur is qui leuatus remedijs, renascitur: item cũ vlcera per corpus erumpunt, quòd insanabilia fiant, cum hoc tamen si manantia sint, prodesse solent, maximè si ipsis manantibus aliquo modo detumescant: signum quidem est, sanguinem defęcari per vlcera & non per collectionem in ventre. Pari etiam ratione bonum portendit à principio alui fluxus aquosus sine cruditate, nam aliter periculosus in ascite, in anasarca verò salubris, vt eâdem parte refert idem author: item remedijs cedere & non reuerti, copiosè mingere, sitim tollerare, & alimentum membra extenuata capessere, faciliter respirare, probè aluum excrementa reddere, & leuiter ægrum moueri.

Cùm dictum sit vniuersam huius mali naturam tribus tantùm dispositionibus integrari, intemperie nimirum frigida & plerunque habituali: aquosæ & serosæ substantiæ deductione (ob defectum tracticis renum & aquæ vbertatem) in ventrem: & vltimò collectione in ipso facta, quæ tumorem gignit, ob id profectò triplex necessariò succrescit in eo medendi ratio, vnicuique vna proficua & peculiaris. Quippe iecoris intemperies reductionem ad antiquum temperamentum & virium firmitudinem expostulat: genita item ab eo aqua deductionem ad vrinæ meatus & eductionem prærequirit, quo minus subsit ad ventris tumorem efficiendum: at verò ventris tumor resolutionem, ac si id fieri non possit, aquarum quæ ibidem continentur eductionem, siue id per expurgantia pharmaca fiat, siue per parazeuticem seu apertionem: quæ sanè opera longè inter se diuersa sunt, & diuersissimis postulant fieri auxilijs & occasionibus. In quo opere exequendo, licèt primo accessu videatur initium curationis auspicandum fore ab eo affectu qui reliquorum est causa, vt ab omnibus proclamatum est, res tamen & mali conditio contrarium exequi docet. Nam intemperamentum iecoris, quod generationis aquarum prima causa existit, malo iam facto aliam adhuc habet fouentem causam, quæ primò prouidentiam expostulat, nimirum ipsarum aquarum abundantiam, quæ ipsum iecur impensiùs refrigerat, ita vt nullis auxilijs intemperiem corrigere possis, ni priùs aquas eduxeris: secus tamen res se habet in curatione mali habitus aut incipientis hydropis: quippe tunc ab intemperamenti reductione incipiendum est. Sed antequam aliquam ex prædictis methodis aggrediar, qualis victus instituendus sit monstrare instituí. *Curandi ratio.*

Primùm itaque, sic affectis domus eligatur sicco aëri & loco exposita, ac si maritima haberi potest reliquis præferenda est. Dormiat item ac vigilet pari mensura, quippe illud coctioni propriùs efficiendæ iuuat, hoc verò distributioni: cui muneri magni est momenti exercitium, siue pedester, siue equester, siue in lectica, aut in naui feratur laborans. Cibus offeratur sic affectis siccioris & solidioris naturæ, & quantùm fuerit possibile facilis coctionis: sic panis supra mediocritatem coctus, anito, vel fœniculo, cinnamomo aut ligno aloë fermentato: ex auibus, quæ montanæ sunt præstantiores habentur, vt perdices, phasiani, turdi, turtures, columborum syl- *Victus ratio.*

rum ſylueſtrium pulli,& reliquę quæ pingues non ſint:quòd ſi haberi ſemper non poſsint,ſat eſt gallinarum carnes aſſas præbere, pullorum & caponum. Item ex quadrupedibus,cuniculorum, leporum, ceruorum, arietum & aliorum quæ in montibus degunt carnes vtiliſsimæ ſunt,maximè ſi ex eis paretur ius extenuans, cum petroſelino,dauco,fœniculo,apio,pulegio,eruca & cinnamomo: nec deſunt qui maiorem horum copiam in cœna præbeant,quàm in prandio, quòd feliciùs ſomno coquantur,& vigilia commodiùs diſtribuantur. Vtantur etiam paſſulis, amygdalis,caricis & alijs quæ vim habeant exſiccandi & ebibendi humiditatem inundantem,velut eſt aniſi,dauci,ligni aloës, caryophyllorum & cinnamomi puluis cum ſaccharo ante cœnam & poſt prandium: bibant autem quàm pauciſsimũ, quantum nimirum ſolatij gratia ſufficiat,idque ſit vinum tenue & vetuſtum,medicata aqua dilutum,qualis eſt quæ ex cinnamomo,caryophyllis,ligno aloë,myrica,abſynthio,aniſo aut ſafraſa paratur, denique quàm parciſsimum bibant, & quàm plurimum laborent:nam potus longè magis ſitim auget quàm extinguat, præterquam quòd malum auget aqua ipſa nitroſa ſalſaque reddita.

Medicamẽtorũ vſus.

Quatenus verò ad id quod primò fieri debet,expendendum eſt, incipiendum eſſe in hac curatione ab euacuatione aquæ in prædictis locis congeſtæ. Itaque ſi conſtiterit (poſthabita ſanguinis detractione, quæ in aſcite nulla lege exercenda venit,niſi iecore euidenter inflammato,idque parcè & cautè) frigidam cauſam adhuc præeſſe & iecur ea ratione languidum exiſtere,primo mali acceſſu coniectandum eſt,opus non eſſe,vt Barbari conſulunt, humorem educendum præparare,ſiue à cauſa frigida affectio prodeat,ſiue à calida: nam cùm ſeroſa ſit ſubſtantia, quæ neque coqui poteſt,neque attenuatione ad expulſionem indiget, fruſtra eſt laborantium guſtum turbare,& ventrem potionibus replere, quæ forſan tumorẽ augent potiùs quàm cauſam illidere poſsint. Quapropter tribus præſidiorum ſortibus aquas educere neceſſum eſt: primò quo è ventre extrahas quod collectum ibidem immoratur,per ventrem ipſum:ſecundò quo fluxuram ad ventrem aquã per vrinam deducas:tertiò quo diſcutere poſsis intro extraque quod in ventre reliquum eſt. Cæterum dum hæc Medicus exequitur,aliud auxilij genus præſtare per interualla tenetur, quo & viſcus ipſum roboretur redeatque ad natiuum tẽperamentum,aut ſi quid obſtructum eſt peruium fiat, ſimulque viſcus ipſum expurget abſtergatque,ſi quid ibidem impactum permanſerit. Quapropter primo Medici acceſſu,implorato diuino auxilio,porrigere oportet id quod recipit,agarici trochiſcati & rhabarbari.ana.ʒ.j.infundantur in decocto cichorij,petroſelini & abſynthij,& facta expreſsione adde ſyrupi roſati ſolutiui ℥.iiij.& fiat potio. Quo ſemel facto,vt ſi quid in venis vitioſum eſt,aut in vijs crudum expurgetur, ad ea te conferes,quæ ſpecialiùs aquas educant:quæ non erit ab re mutare ac variare mille modis,ne natura eis aſſueſcat & contemnat,vel horreat frequenti vſu. Quapropter in his qui leuiter in hoc malum inciderunt,nec plurimum venter intumuit, pilulas ex agarico trochiſcato,rhabarbaro & hiera ſimpl.Galeni,cum ſucco abſynthij amari,vel decocto laureolæ vel turpeti & oximellite confectas porrigere poteris,aut ſi vetuſtior ſit affectio,cũ ſucco radicis ireos aut mezereonis. Valent etiã pilulæ Raſis quæ recipiunt rhabarbari,ſucci agrimoniæ,ſeminis endiuię.ana.ʒ.iij. agarici ʒ.v.foliorum laureolæ infuſorum in aceto & ſiccorum ʒ.vj. fiant pilulæ, quarum ℈.ij.ſatis ſunt:ſed fiunt leuiores demptis foliis laureolæ, & vtiliores ſi formaueris ſucco ireos,aut oximellite in quo maduerit mezereon, laureola aut euphorbium.Item ſi hydrops ex obſtructione vel ſcirrho hepatis aut ſplenis prodierit,

rit,magni vſus exiſtunt pilulæ quæ recipiunt limaturæ chalybis.ʒ.℈.pulueris folio rum laureolæ temperatorum aceto(aut loco eorum pulueris radicis ireos aut ſambuci)ana.ʒ.x ſed præſtantius eſt & ſecurius ſi id vehemẽter aluum turbauerit,pulueris diarrhodonis.ʒ.j.aut hieræ Gale.ʒ.℈.ſucci abſynthij quod ſufficiat vt fiant pilulæ,quarũ ſumat laborans.ʒ.j. Præſtat tamẽ eundem vſum,ſed efficaciùs id quod recipit decocti radicis ſambuci,ſeu ebuli, vel vtriuſq;.ʒ.ij. vel decoctũ earũ in vino aut hydromellite,quo ſolo beneficio,ſecuriùs quàm quouis alio,nõnulli nõ leuiter conualuerunt.Iuuat etiã non parum ſuccus braſsicæ marinæ cũ ſero lactis: verùm adeo eſt ventri aduerſum medicamentũ,vt minus damnum mihi videatur,carere ſuo præſidio,quã frui eius malefico effectu:nam & ventrẽ ſubuertit,ac dyſenterias nonnunquam mouet:ſuccus item praſij depuratus cum vino & melle doſi. ℥.j.in hydrope cum ictero mirum in modum prodeſſe creditur. Confert & vſu probatiſsimus habetur ſuccus radicis ireos depuratus à reſidẽtia,& admixtus hydromelliti,ſero lactis, aut aquæ ſtillatitiæ ex terebinthina, addito puluere rhabarbari vel triaſanthalorum: præſtatur etiã cum hydromellite pondere duarum drachmarũ, vel decocti eius.℥.℈.aut eiuſdem pulueris.ʒ.j.cum oximellite factis pilulis,quarum ſingulis diebus ſumat vnam laborans. Sed pretioſius exiſtit ex eâdem radice conſeruam efficere hac lege:excipe radicis iridis excorticatæ.lib.j.mellis.℥.xiiij.fiat cõſerua ea ratione qua efficitur caro cytoniorum,addito aniſo,ligno aloë & fœniculo.Nec minoris momenti eſt tertio quoq; die laboranti porrigere.℥.ij.huius decocti quod recipit,aquę hordei decoctionis radicũ ireos.℥.iiij.mellis roſati.ʒ.j.& ℈.radicis ebuli.ʒ.ij.miſceantur,& facta colatura porrige prædictã quantitatem.Purgat pari penſu prædictã aquã potus qui recipit ſeminis cartami cõquaſſati.ʒ.iij.radicis ireos.ʒ.j.cinnamomi.℈.℈.infundãtur per noctẽ in.℥.iiij.ſeri caprini. Nec minoris momẽti eſt quod recipit polipodij.℥.j.& ℈.viſci quercini.ʒ.j.ſeminis cartami.℥.℈. aniſi & fœniculi.ana.ʒ.j. conquaſſata omnia & in ligatura vnà cũ gallo decrepito coquantur,& laborãti detur manè ius galli:itẽ ſine moleſtia aquam ducit corticis radicis cucumeris agreſtis pulueriza ti.℈.j.mulſæ.℥.j. vel fiat bolus cũ ſucco abſynthij aut melle roſaceo. Itẽ laudat Gordonius maximis encomijs, cõſeruam quæ recipit ſucci cucumeris aſinini & radicis eius,ſucci laureolæ,ſucci ireos,ſucci abſynthij & eupatorij.ana.℥.iij.reſideãt & quæ ſupernatat aqua abijciatur,craſsiori verò parti adde rhabarbari & agarici.ana.℥.℈.ſpicæ nardi,ſeminis endiuiæ,ſcariolæ,portulacæ,lappę,maſtiches,tragacanthi,ſalis gẽmæ.ana.ʒ.j.mellis colati.℥.j.agitentur ſub ſole vaſe vitreo & fiat veluti conſerua,cuius ſumat laborãs ab.℈.j.ad.ʒ.j. Educit etiam hydropicorum aquã mirum in modũ ſtillotica aqua ex purpureis floribus ireos,doſi trium drachmarũ cum.℈.j. electuarij triaſanthalorũ & granis viij.cinnamomi.Præſtat & manè ſumere.℥.iiij.ſeri lactis aſinæ cũ trochiſcorum de eupatorio & de capparibus.ana.℈.j.pulueris caryophyllorum & cinnamomi.ana.g.viij.

Hæc ſunt inter pleraq; quæ ſcripta apud varios authores paſsim reperiũtur, quę mihi faciliora & ꝓbatiora videtur ad aquas educẽdas,cũ minori viriũ diſpẽdio. Supereſt modò docere horũ quodlibet,quo vti magis elegeris iuxta laborãtis & affectus indigentiã,per interualla eſſe adhibendũ,rariùs aut frequẽtiùs,put laborãs tulerit & aluus egeſſerit. Verũ inter vnã & alterã cuiuſlibet adhibitionẽ, cõiectandũ eſt clyſmatis quoq; aquã eſſe educẽdã,niſi ipſa ſua ſpõte fluxerit, facilè enim eiſdẽ ob inteſtinorũ viciniã aqua exudat, ſi die vno aut altero ex intermedijs inter vnã & alterã prædictorũ pharmacorũ exhibitionẽ,inieceris clyſma.q.r.mercurialis,betæ,parietariæ.ana.m.j.braſsicæ marinæ,vel ſi haberi non poſsit, foliorũ aut radicis

ebuli.m.ʒ.foliorum ſenæ.℥.j.ſeminis aniſi,apij,rutæ,petroſelini & cartami.ana.℥.ʒ.fiat decoctũ ſecundũ artem,& adde benedictæ & hierę picræ.ana.℥.ʒ.efficacius trahet ſi addideris cucumeris agreſtis aliquid, vel radicis ireos aut aſari, vel ſucci ireos.℥.ʒ.cũ oleo rutaceo.Præſtat & id quod cõficitur aliquo ex prædictis decoctis cũ fermento, ſucco ebuli & oleo liliorũ: id etiã quod conficitur ex hydromellite, ex ſquilla cum oleo rutæ & ſucco mercurialis ac ficlæ cum lacte ſeminis cartami.

Præterea interim dũ hæc fiunt, quæ vehementer purgare diximus per longiora interualla præbere oportet,vt ſubſit locus ijs quę leuiùs purgare poſſunt,cũ iecoris & viſcerum omniũ robore & firmitudine,ac ſi quid ibidẽ impactum manet abſterſione,quia quæ talia ſunt etiam infartu liberant: qualis naturæ exiſtunt quæ diximus prodeſſe in malo habitu,& id etiam quod recipit eupatorij, cuſcutæ, paſſularum,liquiriziæ & mirabolanorum citrinorum.an.℥.ʒ.radicũ apij,fœniculi,capparis.ana.℥.j.agarici.ʒ.vj. contundãtur omnia & coquãtur vſq; ad cõſumptionẽ medietatis aquę,& colaturę adde mellis lib.ʒ.ſacchari.℥.iiij. oximellitis ſquillitici.℥.j. & iterũ bulliant vſq; ad dẽſitatem mellis,& adde rhabarbari electi.ʒ.ij.ſpicæ,zingiberis,caryophyllorũ & rubiæ.ana.ϑ.j.& fiat ad modũ electuarij,cuius porrige.ʒ.iij. cũ aqua graminis aut decocto abſynthij.Prodeſt & ſyrupus de eupatorio cũ infuſo rhabarbari,aut reducto ad modũ electuarij cũ puluere eiuſdẽ rhabarbari:itẽ & ſyrupus acetoſus diarrhodon cũ electuario triaſanthalorũ & rhabarbaro, vel de byſanzijs aut de cichorio cũ pulueribus,aut decocto mirabolanorũ citrinorũ,quibus admiſcere oportet aliquid trochiſcorum de abſynthio aut de rhabarbaro.Mirabilem quoq; efficaciã habet opiata quę recipit conſeruæ radicis apij.℥.j.capillorũ veneris & florũ cichorij.an.℥.ʒ.pulueris diarrhodonis.ʒ.ij.triaſanthali.ʒ.j.cineris lũbricorum & inteſtinorũ lupi.ana.ʒ.ij.cum ſyrupo de cichorio cõpoſito fiat opiata. Præſtant & tabellæ ex iecore lupi præparato cum ſaccharo & rhabarbaro, ita vt fiãt ex vna parte iecoris lupi,duabus rhabarbari & tribus ſacchari: quas etiã cõficere poteris cũ pulueribus inteſtinorũ lupi aut gallinę,vel eius ventriculi:itẽ cõficies opiatã ex eis & carne paſſularũ cum ſyrupo de eupatorio & pulueribus ligni aloës,aniſi & ſpicæ,vel citra ipſos.Proſunt & tabellæ ex ſolo rhabarbaro & ſaccharo cõfectæ, aut cũ pulueribꝰ mirabolanorũ. Itẽ præſtat diacurcuma aut dialacca,ſi iecur obſtructũ ſit:cui vſui deſeruit dilutum rhabarbari cũ ſyrupo cichorij. Roborat inſuper iecur lupi cum carne paſſularum & pulueribus ſquinãti,aut rhabarbarum maſticatum, ſi ventriculus cauſam malo præſtitit: ex quibus facilè tibi erit varias roborantiũ & modicè purgantium formas effingere,iuxta laborantis indigẽtiam & tollerãtiam. Inter alia quæ cẽſeo magni fore momẽti eſt aqua arte chimica extracta quã ſcribit Vbecherius lib.2.antidotarij.cap.2.quæ inſcribitur aqua noſtra ad hydropem.

Verùm quia non ſat eſt hæc omnia præſtitiſſe, niſi vt de more habet natura,per vrinã euoces quicquid aquoſũ in corpore fluxurũ in vẽtris inanitatẽ abundat, ob id quæ potiora & vſui vtiliora militi videtur,hîc recenſere ſtudui:nã hæc eſt potiſſima in hoc affectu vacuandi ratio,ſiquidẽ defectu aut impotentia huius operis augmentũ aut principiũ ſumit:quapropter cẽſeo Auic.dixiſſe, In aſcite purga renes. Auxilia autẽ huius naturæ ſunt,velut id qđ recipit ſquinãti,cinnamomi, aſari, maſtichis,abſynthij,aniſi & fœniculi.ana.ʒ.iij.ſpicæ,ariſtolochiæ longæ & petroſelini an.ʒ.ij.rhabarbari.ʒ j & ʒ caryophyllorũ,croci,calami aromatici,cardamomi.an.ʒ.j.mellis quod ſufficiat vt fiat electuariũ,cuiꝰ porrige.ʒ.ij.cũ aqua graminis tepida. Præſtat & decoctũ horũ omniũ medicamẽtorũ cũ ſyrupo ex quinq; radicibus,aut ſerũ lactis aſinæ,in quo per tres horas maduerit ſeminis petroſelini,cardamomi & calami

calami aromatici.an.ϑ.j.præſtat &.ʒ.j.ſeminis viticis ex vino,aut anagallidis cæruleĩ ſuccus per ſe,aut cicerũ decoctum cum croco, vel ſeminis hyperici.ʒ.j. cũ vino aut decocto graminis vel rubiæ: itẽ polium aut ſampſucum ex vino bibitum vel decoctum,non minus prodeſſe ferunt. Supra omnem tamẽ expectationem idem præſtare ſcribitur vermes terreſtes coctos, aut in puluerem redactos cũ vino epotos pondere.ʒ.j.aut tantundem carnis erinacei,excoticati & ſiccati ſole: item.ʒ.j. ſtercoris bubuli vſti & vino epoti. Verùm quod huic vſui in hoc affectu probatiſſimum reperio,eſt proculdubio vſus terebinthinæ vel per ſe,vel cum pulueribus rhabarbari aut mirabolanorum,vel diarrhodonis in forma pilularum, vel cum modico ſucco ireos & ſaccharo.

Quibus factis non erit abre aliquando vomitum mouere, ſi à ventriculi vitio affectum proficiſci cõperiamus. Item ſudorifica auxilia à nõnullis probantur,quæ potiùs gratia euaporandæ aquoſæ humiditatis, ſi in partibus carnoſis viget, quàm quòd ex vẽtre citra maximũ laborẽ aliquid extrahere poſsint. Cui vſui ſatius fore arbitror ad balnea vel ad ſiccas ſudationes confugere,maximè ad ſulphurea, & ad ea omnia quæ vim habeãt vehemẽter diſcutiendi.Verũ vtcunq; vaporatio ſit,ſiue naturalis,ſiue aquea aut ex vino,vel balneum naturale,vel arte factũ ex arena,ſale, milio vel tritico,cũ opus ſit ibidẽ laborantẽ diu immorari,verendũ eſt ne longe antea vis eius exoluatur, quã aquæ ſubſtãtiæ aliquid reſolui poſsit, & ob id huic præſidio cõmittendi nõ ſunt niſi qui robuſtiores extiterint,iuuenes & integro animo.

Cæterùm vt prodeſſe quę dicta ſunt promptiùs & tutiùs poſsint,extrinſecus & intrinſecus aquam inſenſibiliter diſcutere opus erit, ac reliquias omni arte conterere.Intus quidẽ per trochiſcorum adhibitionẽ,quem vſum præſtant diacurcuma & dialacca,vbi guſtus gratia aliquo ſerapio admiſceatur: itẽ cõſerua zingiberis,anthos,citri,aut eringiorũ,dianiſon,diagalãga,diaciminon cũ vino:præterea trochiſci de eupatorio,de abſynthio, de rhabarbaro,de lacca diſſoluti in oximellite ſquillitico,& factæ ex his pilulæ.ʒ.j.Prodeſt & vſus theriacæ & mithridati:ſed peculiariꝰ & incredibili efficacia(maximè ſi iecur ſcirrho careat)cõfectio quę dicitur typhoides ab Andromacho ſcripta,cuius vſus eſt ſummo manè põdere.ʒ.j.in decocto paſſularũ aut aqua fœniculi cum oximellite ſquillitico: debilibus vero ſat eſt electuariũ diarrhodõ, aromaticum roſaceũ, vel triaſanthalorũ addito rhabarbari puluere.

Extrinſecus verò multa ſunt quæ prodeſſe poterunt,cuius naturæ & cõditionis eſt quod recipit vnguẽti ſanthalini.℥.j.olei ſpicæ & camemali.an.℥.j.pulueris ſquinanti.ʒ.ij.In vſu etiam ſunt nõ ſine magno beneficio,vnguentũ marciatõ, vnguẽtum agrippę & vnguentum aragon apud Seplaſiarios appellatum.Præſtat & aliud quod recipit dialthææ.℥.j.& ʒ.olei nardini & abſynthij.ana.℥.ij.olei laurini.℥.j.vnguenti aragon & marciaton.℥.iij.miſce & vniuerſum ventrem vnge. Mirabilis etiam efficaciæ eſt oleum quod recipit,olei.℥.x.ceruſæ & ceræ.ana.℥.vij.vitrioli, nitri,aloës.ana.℥.iij.aceti acerrimi quod ſufficiat,terantur terenda, & in mortario agitentur, aceto deinceps affuſo, ad mellis ſpiſsitudinem ſeorſum ceruſa cum oleo coquantur,quibus mixtis addatur cera.Probatum etiam reperio oleum hac lege extractum:Recipe terebinthinæ lib.j.thuris,maſtichis,myrrhæ.ana.ʒ.v.ladani, nucis muſcatæ, caryophyllorum, galangæ,zedoariæ, cubebarum. ana.℥.ʒ.foliorum laureolæ.p.j.ſucci ebuli & cucumeris aſinini.ana.℥.iij.rediganturin puluerem quæ redigi poſſunt & miſceantur, ac fiat inſtillatio in alambico, qua venter tumens inungatur.Præſtat etiam inungere linimento quod recipit,aquæ vitæ lib. j.olei rutæ & amygdalarum dulcium. an.℥.v.butyri recentis,℥.iij.olei de caſtoreo

& de euphorbio. ana. ʒ.j. & ℈. bulliant omnia in duplici vaſe ad conſumptionem aquæ,mox verò adde ſucci ireos. ʒ.ij. ſucci lapati acuti. ʒ.j. & iterum bulliant leuiter. Prodeſt & aliud quod recipit florum & foliorum atque corticum radicis ebuli & ſabinæ.ana.m.j.radicis ireos.ʒ.j.ſquillæ.ʒ.ij.coquantur omnia in lib.iij.olei laurini,aquæ vitæ.lib.j.& facta expreſsione in colatura diſſolue ſaponis. ʒ.iij.fiat linimẽtum.Laudatur etiam oleum ſquillæ vel laurinum,in quo ferbuerit decima pars euphorbij vel laureolæ:vel id vnguentum quod recipit ſucci ireos,ſucci ebuli & radicum ſambuci.ana.ʒ j.ſucci cyclaminis.ʒ.℈.cardamomi, calami aromatici, hyſſopi ana.ʒ.ij.puluerizentur & cum modica cera fiat vnguẽtum molle. Quòd ſi hæc nõ prodeſſe videantur,antequã ad emplaſtra aut cataplaſmata cogaris deuenire, ſacculis veteris quæ recipiant furfures,milium,panicum, ſal, & ſulphur : item fiant ex arena,ſabulo vel cineribus calfactis cum aniſo,dauco,caryophyllis,hyperico,cardamomo,calamo aromatico & alijs quæ diſcutiendi vim habeant. Item veteris euaporationibus quæ recipiãt foliorum mezereonis, corticis radicis & foliorum ſambuci.ana.m.j radicis & foliorum althææ.p.j.ſeminis lini.p.j.&.℈.aniſi,fœniculi,ſeminis ocymi,hyperici & petroſelini.ana.ʒ.℈. bulliant in pari portione vini, aquæ & aceti ſquillitici,& per infundibulum euaporetur vniuerſus venter, vel fomentis aut veſicula . Præſtat & aliud quod recipit ſaſafraſæ, cælidoniæ ana.m.ij. centaureæ vtriuſque, hyſſopi, hypericonis,foliorum mezereonis.ana.m.℈.florum camemali & meliloti,aniſorum,fœnugræci,ac ſeminis lini. ana. p.j. bulliant in ſufficienti quantitate vini albi vſque ad conſumptionem quartæ partis, deinde igniatur lapis marcaſitæ aut ſpuma ferri, & in decoctum proijciatur,cuius halitus laborans capiat in ventre , ac poſtea eodem decocto foueatur eadem pars ſpongia: eiuſdem efficaciæ eſt fotus ex lixiuio cineris quercus cum decocto prædictarum herbarum.Quo facto emplaſtra adhibebis,quæ & vrinam ciant, & aquam in halitum digerant,cuius conditionis eſt quod fit ex farina lupinorum, fœnugræci, lolij cum abſynthio , hyſſopo , origano & aceto mulſo: item aliud ex ſtercore bouis & quarta parte ſulphuris viui.Prodeſt & vnguentum artanite vel laureolæ,vel cataplaſma quod recipit foliorum althææ.m.ij. radicum cucumeris ſilueſtris & ireos ana.ʒ.j.ficus ſiccas.n.xx.omnia coquantur in vino albo & fiat cataplaſma. Quarto loco fiat quod recipit coclearum tritarum quod ſufficiat vt fiat cataplaſma, cui adde ſpicę nardi,ſquinanti,aſari.ana.ʒ.iij.Iuuamenti non mediocris eſt.q.r.ſtercoris bouis.lib.j.ſtercoris caprę.quar.j.aniſi,fœniculi,carui.ana.ʒ.℈.mellis parum,fiat cataplaſma: ſed maioris efficaciæ conficies.q.r.ſulphuris viui. ʒ.ij.cimini.ʒ.j. ſeminis apij & petroſelini.ana.ʒ.℈.cum carne coclearum fiat cataplaſma. Maioris efficaciæ eſt quod recipit thuris,maſtichis,myrrhæ,an.ʒ.j. granorum lauri.ʒ.ij.radicis angelicæ.ʒ.℈.ciperi.ʒ.j.& ℈.ſtercoris caprini puluerizati.ʒ.iiij. mellis colati quod ſufficiat vt fiat emplaſtrũ bonæ conſiſtentiæ.Eiuſdẽ vtilitatis eſt quod recipit ſucci thymelææ,cucumeris agreſtis & braſsicæ marinæ.an.ʒ.ij. ſucci aſari.ʒ.j.ſpicæ nardi,ſquinanti. ana.ʒ.iij. excipiantur farina orobi & lupinorum & formetur emplaſtrum . Præſtantioris etiam efficaciæ eſt id quod recipit ſtercoris bubuli & capræ ana.p.j.cineris quercus & vitis.ana.p.℈.ſalis & ſulphuris.ana.ʒ.℈.baccarũ lauri,ſtaphiſagrię.an.ʒ.j.ex quibus decoctis cũ vino fiat cataplaſma,cui adde vnguẽti marciatõ.ʒ.j.& ℈. Reperies aliud magnæ efficaciæ quod recipit pulpæ colocynthidis, ſeminis althęę,diagridij,aloës,myrrhæ,radicis maluę,bdelij.an.ʒ.j.& ℈.radicis ebuli & ireos.ana.ʒ.iij. ſeminis maluæ & cucumeris agreſtis, cardamomi, euphorbij. ana.ʒ.℈.ſalis gẽmæ.ʒ.iij.axungiæ gallinę & anatis quod ſufficiat vt fiat emplaſtrũ.

Conſtitui

Conſtitui etiam poſſunt alia ex pulueribus amomi,ſpicæ,cinnamomi.ana ʒ.j.bdelij,gũmi Arabici,croci.an.ʒ.v.aloës,myrrhæ,thuris,carpobalſami. an.ʒ.j. meliloti, radicis ireos.ana.ʒ.vij caryophyllorum,maſtichis. ana.ʒ.vj.roſarum rubearum, fimi columbini. ana.ʒ.ij. cucumeris agreſtis, pulpæ colocynthidis.ana.ʒ.℈. temperentur cum vino veteri & adde ceræ quod ſufficiat.

Quòd ſi neque hæc , neque alia quæ ex eiſdem mira varietate confici poſſunt, prodeſſe videantur,ad veſicatoria cõfugere oportebit,quæ cautè adminiſtrabis,ne vltra veſiculas aliud grauius damnum efficias: itaque tranſacta hora dimidia ea auferes,& alijs veteris,quæ vim habeãt aquas per veſiculas extrahere. Primò veſiculas eleuat quod recipit fellis taurini & nitri ana partem vnam, piperis puluerizati partem.℈.cum melle fiat ad modum cataplaſmatis:idem facies cum cantharidibus & fermento:prætea ex radice cucumeris aſinini, brioniæ, ireos, coctis ſub cineribus, deinde mixtis cum ſtercore caprino,baccis lauri & melle.Proſunt phenigmi ex radice ſcrofulariæ & ranunculorum emplaſtri modo appoſiti.Quibus factis oportet vlcera aptè conſeruare, ſuperpoſito folio braſsicæ, vncto butyro vel oleo, aut globulis hederæ vel ceræ,& permittere aquam fluere ſexaginta dierum ſpatio.

Verùm ſi adeò malum induruerit quòd ad chirurgi manus cogamur deuenire,tunc quidem tentare primò oportet varijs vſtionibus ferro cãdenti factis,iuxta vmbilicum manantia vlcera excitare:quem quoq; vſum præſtant cutis ventris ſcarificationes,quas ſeparatim & paucas efficere oportet. Quòd ſi ad paracenteſim veniendum ſit,cùm paucis profuiſſe conſtet,cautè & cũ præſagio id exequeris, quòd validum & ſupra vires plerunque ac veluti temerarium exiſtat præſidium:& ob id curandum eſt ante fiat quàm corpus vniuerſum refrigeretur,firmis exiſtẽtibus viribus,corpore iuuenili,ventriculo robuſto,ac laborante citra febrem exiſtẽte, nec melancholia redundãte.Nam his legibus ſeruatis Aurelianus refert.3.chronicorũ c.de hydrope.quibuſdam proſperè ſucceſsiſſe, maximè ſeruatis Pauli,Albucaſis,& Meſues præceptis,qui iubent apertionem fieri ad latera vmbilici,qua parte ilia vacua & inania ſunt, & muſculi ferè ex carnes. Alij verò ſunt qui apertionẽ moliũtur dextra parte,dum lien cauſa mali eſt,& ſiniſtra dũ iecur : alij verò ex eãdem parte qua viſcus affectum eſt,& ſi inteſtina in cauſa ſint,quatuor digitis ab vmbilico,ſed verſo flobotomo in latus.Hoc præſidio Aurelianus in hypoſarca frequenter vtebatur. Aſclepiades quidem in eãdem quatuor digitis ſupra talum tibiam compungit interiori parte,ea profunditate qua vena inſcinditur, vt ex cruribus, pudendo & ſcroto aqua prolabatur.Hippoc. verò lib.de internis affectionibus, venas in ſcroto craſsiſsimas ſecat in hydropicis,paulò poſt in eodem ſcroto, femoribus ac tibijs frequentia vlcuſcula ſcalpello incutit,ſed neutrum periculo caret:cum hoc tamen ſi probè duas fontanellas in cruribus aperueris, non erit abre, ſed id cautè facito , vt monuimus libro noſtro de præſi.art.med.indicat.1.cap.vltimo. Verùm quod mihi ſecurius videtur eſt, ventris cutem ſcarificare , quo faciliùs & ſecuriùs medicamentis aqua ſpiret: aut ſcroto ſetonem affiges , adſeruabiſque apertum quantum ſat ſit,vt maior aquæ pars euanuerit.Quòd ſi horum aliquid proſperè ſucceſsiſſe cõperias,ad ea quæ iecur roborant reuerti oportet, & maiori diligentia exhibere, ne iterum aqua denuo generetur.

Cæterum ſi conſtiterit aſcitem contraxiſſe ortum ex calida iecoris cauſa aut inflammatione,vel febris adiuncta ſit,aut vrina nimis rubra appareat , coniectandum eſt non licere aliquo ex prædictis auxilijs ita liberè vti,ac ſi hęc omnia deſint. Quapropter tunc temporis ſtatuendum eſt,ſyrupis frequentiùs eſſe vtendum, vt

ſyrupo cichorij,intybi & roſarum cum ſero lactis capræ vel aſinæ. Item purgationem inſtitues ex diluto rhabarbari & corticum mirabolanorum citrinorum, aut ſucco cartami : quod per vices & interualla repetes, & interualli tempore hoc puluere veteris qui recipit radicis cichorij ſiccæ, cuſcutæ, ſeminis intybi, ſcariolæ, rhabarbari.ana.ʒ.ij.hepatis lupi exſiccati.ʒ.j.ſpicæ,ciperi,ſanthalorum rubeorum, abſynthij,agrimoniæ.ana.ϑ j.fiat puluis,cuius cum aqua lactis aut cichorij porrige.ʒ.j. Exterius verò iecoris regionem inunges vnguento ſanthalino ac puluere ſquinanti & radicis lilij.

Tumores pedum œdematoſos diſcuties lixiuio in quo incoxerint radices ebuli,& enulæ campanæ,roſmarinus,maiorana,thymus,laurus,& reliqua quę ad fotus efficiendos proficua eſſe diximus.

De tympania. Tympanites,quæ alteram hydropis ſpeciem complet (in qua venter etiam in tumorem eleuatur,ac percuſſus tympani modo ſonum profert)licèt cognitu facilis ob id primo acceſſu videatur,non tamen ita facilè diſtinguitur ab aſcite,neque prõptè curationem admittit. Primũ quidem, quia rarò abſoluitur ab aquæ adhęſu & conſortio,quo ſigna adeo adinuicem confunduntur,vt vtra hydropis ſit ſpecies ditficulter iudicare poſsis.Secundùm verò quia tormina & circa lumbos & vmbilicum dolores,non ſolùm tympaniam monſtrare habent,ſed & aſcitem quæ ab ili bus & lumbis ac meſeræo fit. Præterea ſi huiuſmodi dolores adeò ſunt rebellis naturæ & conditionis, vt neque medicamentis, neque alijs auxilijs vſquam cedere poſsint,ſed in hunc affectum protinus,tanquam in maius malũ profiliant, vt Hippocrat.docuit.4 aphoriſ.5.quanto difficilius poſſe curari, cùm in hunc ſiccum hydropem iam deciderunt,nemo eſt qui ambigat. Appellatione enim ſicci hydropis propriè tympaniam licèt ſubintelligere, etiamſi Hippocrat. ſiccos morbos nuncupauerit,nõn ſolùm eos quos ex intemperiei ſiccæ exceſſu fieri cõperimus, ſed eos in quibus nihil de materia morbifica per idoneos meatus excernitur,& eos etiam qui in arterijs & venis conſiſtunt,& ex linguæ ſiccitate & totius corporis calore cognoſcuntur.Itaque hac in parte nomine ſicci hydropis tympaniã intelligimus,ad differentiam aſcitis,in qua non flatus vt in tympania, ſed aquoſus humor in ventre colligitur. Sed horum omnium rationes is rectè intelliget, qui huius affectus naturam exactè caluerit: cui operi cogor à cauſarum cognitione & numero initium ſumere,quia ea lege innoteſcet clariùs huius mali conditio.Prodit igitur à flatu intercluſo inter omentum & peritoneum,cùm non poſsit penetrare abireque, aut à calore diſcuti: quo fit vt ibidem intercluſus,tumorem tympanitem appellatum ac dolorem efficiat.Qui ſanè ſolus tympanitis naturam ſortitur, cùm ibidem incluſus vagari non permittatur,vt ſubſit differentia inter hunc tumorem ac dolorem & reliquos tumores ac dolores qui circa vmbilicum,inteſtina ac lũbos fiunt: quos profectò,præter id quòd tympaniæ eſſe præludium ſcimus,loco & mobilitate ab ea differre arbitramur. Quippe in illis dolores & tumores fiunt,quòd in inteſtinis,vẽtriculo,meſeraicis & partibus iuxta renes turgeat flatus, locum hinc inde mutans,iecore nondum compatiente. Verùm in tympania,licèt is quoque flatus præſtet cauſam, ſine iecoris vitio fieri nequit, ſicut ſine eo quòd flatus intercluſus nullibi exitum ſortiatur. Quapropter huius affectionis duplicem arbitramur eſſe cauſam:alteram petitam à ventriculo,inteſtinis,meſeræo & reliquis vicinis partibus,non vtcunque affectis,ſed habitualiter & permanenter,vt mox referam:alteram verò cauſam exquirendam fore arbitror à iecore præter naturam calido, oppoſito quidem frigidis ventriculo & prædictis partibus,infimo quidem & remiſſo, reſpectu

reſpectu frigiditatis & tenacitatis chyli & prædictarum partium: nam hac lege intelligere oportet flatus in tympania fieri à diminuto calore:quippe ſi de imminutione innati citra alterius additionem intelligatur, vtique nulla erit reſpectu aſcitis in curatione difficultas:nam præſidia calida omnia eſſent omnibus partibus frigiditate affectis proficua:ſed ob id profectò difficilis cenſenda eſt, quia cauſarum contrarietate conſtat, non quidem ſolùm, quòd vacuantibus & chyrurgiæ non obtemperet vt aſcites. Præterquam quòd intemperies hæc frigida prædictarum partium,à quibus iecori cruda perpetuò præſtantur alimenta,habitualis eſt & fixa ac permanens,& quæ non in motu ſed in termino iam exiſtit, ita vt ab auxilijs nihil pati poſsit.Quo fit vt dolores inteſtinorum à flatu, cùm intemperies inæqualis eſt & frigus accidentarium, licèt materiam gignant, curationem recipiant: qui verò ab intemperie hectica inteſtinorum originem ducunt,nullis cedunt medicamentis,tum ob id,tum etiam quia perenni generatione propagantur. Quo fit vt optimè dictum ſit,hos dolores in ſiccum hydropem protinus commutari. Ex quibus ſic conſtitutis prodit huius affectionis natura: nam licèt venter frigidus ſit & prædictæ etiam partes,dum iecur optima fruitur temperie, diminutè quidem coquet,quod crudum illi remittunt prædictæ partes, ac flatum etiam generabit, ſed cùm calor vigeat naturalis,vel pauciſsimus erit,vel ipſum diſcutiet,& ob id tympania non ſuborſetur: ventriculo verò temperato exiſtente,quanuis iecur excalfactum ſit,exuret quidem ſibi commiſſum chylum,flatum autem ex apta illa materia non generabit ampliorem quàm diſcutere poſsit. At cùm via & lege dicta,mẽbra hæc adeo diſsidente temperie contrariantur,proculdubio nihil aliud fieri poteſt,quàm eam flatus copiam concitari,quam calor natiuus iecoris,qui ob intemperiem calidam imbecillus factus eſt, & vterque minor frigiditate prædictarum vicinarum partium & excrementorum, & chyloſæ ſubſtantiæ : quo fit vt flatus eleuentur plures,quàm in quouis alio iecoris intemperamento:quapropter eos diſcutere nequit:tum quia ob materiæ cruditatem copioſiores fiunt: tum etiam ob caloris impotentiam,quia eleuare quidem potuit,quòd præter naturam ſit, diſcutere verò minimè,quia innatus languidus exiſtit: nam ob id dicimus omnem hydropem à frigido iecore oriri, quãuis in tympania iecur ſtatuamus calido intemperamento laborare,hoc eſt innatum calorem ab extraneo adhuc præſente immi nui & veluti refrigerari. Itaque ratio & natura huius affectus in hac flatus generatione ſita eſt : nam & calidum iecoris intemperamentum innatum eius calorem deijcit,adeo vt cruditatem ſolùm generare poſsit:partes verò ipſæ quæ iuxta ventriculum degunt, iam frigiditate habituali affectæ (nam aliter non tympania, ſed ventris inflatio fieret) præter crudos quos gignunt ſuccos, calorem quoque iecoris innatum & extraneum remittunt,vt ſolum poſsit hos flatus eleuare, quia acutiem caloris compeſcit prædicta frigiditas,non quidem ipſum temperat & reducit ad medium, ſed frænat prædictam actionem, manente eodem caloris principio. Conſiſtit igitur hæc affectio in habituali prædictarum partium frigiditate,cum iecoris impotentia,à calore præter naturam ſuborta,dum proprium ipſius viſceris calorem infirmat & remittit: quo flatus geniti per meſeraicas inter omentum & peritoneum penetrantes,ob ſui tenuitatem & venarum raritatem(ſiquidem per eaſdem in dictas partes permeat aqua, quæ craſsior eſt aëre vel flatu) tumorem quem tympanitem hydropem appellamus generant.

Ad cauſas igitur ſpecialiùs deuenientes arbitramur, ventrem & inteſtina, tum ab internis,tum ab externis cauſis & occaſionibus habitualiter poſſe refrigerari, *Cauſæ.*

maximè cùm ob indebitum vitæ inſtitutum adeo copioſius ſit pituitæ acidæ, aut alterius præternaturalis, prouentus, dum craſſa ſit & viſcida, vt ibidem diu manẽs ventrem, meſeræum, inteſtina & vicinas partes lentè & ſenſim ſuperent, & habitualiter refrigerent. In acutis verò febribus, etiam ſcimus refrigerari, necnon in iecoris incendio, quo circumpoſitarum partium calorem reſoluit: & in vtraq; cauſa (ſicut iecur ob calorem febrilem incaleſcere) dum ventriculum frigidis potionibus & medicamẽtis purgantibus, aut ex defluxione infirmamus: ob id enim Auic. dixit, plurimum cauſarum tympanitis eſt, corruptio digeſtionis primæ. Sic perennis fluxio partes nutritionis labefactans, idem non rarò concitat malum: quod etiam à ſcirrho ibidem adhęrente & refrigerante, à nõ purgata pituita, & reliquis cauſis quæ vim habent frigus radicaliter inducere, cùm medicamenta calida, quę earum gratia adhibemus, plus iecur calfaciant, quàm frigiditatem compeſcant. Prodeſt & à cibis flatum gignentibus, quandoque, vt Zoarus ſtatuit, ſit ſplenis vitio, quia materia ibidem contenta & craſſa eleuat flatus magnam copiam, quam iecur forſan fabrefacit, & in prædictum locum tranſmittit. Verùm arbitrandum eſt, flatus ſolùm in ſplene genitos, non efficere tympaniam, niſi iecur maiorem eorum partem fecerit. Quippe flatulẽtus hic ſpiritus qui effecturus eſt tympaniam, ab humore craſſo neceſſariò generatur: interdũ verò ab intẽperie inteſtinorũ, nõ frigida vt in aſcite, ſed cum calore languido materiam craſſam in flatum reſoluente ita te, ſunt enim flatuũ cauſæ calor imbecillus & materia humida: & cum hoc nequit tympaniam generare quiuis flatus, ſed qui ex craſſa materia ortus difficulter reſoluitur: & ob id in hac affectione, quamuis iecur ſcalidũ ſit, nequit flatum reſoluere quem eleuat, & ſic efficitur eius diutina collectio in ventre.

Signa. Facili negotio dignoſcitur tympaniam eſſe, non tamen ita facilè ab alia hydropis ſpecie abſolui: quippe præter ſonum tympani quem edit percuſſus venter, nulla ipſius fluctuatio, homine in latus prolabente, vt in aſcite cõpetitur: vmbilici etiã prominentia id oſtendit: ventris lęuitas, qui quantumuis tumidus exiſtat, nullum aut quàm paruiſsimum ponderis ſenſum præbet. Adeſt & ventris tenſio & ariditas, maior in principio quàm proceſſu temporis, ob humiditatẽ denuo genitam: laborans ab eructatione leuamen non ſentit: item dolent ventriculus circa vmbilicum, & inteſtina, quorum potiſsimè affliguntur cœcum & colon, quod iuxta vmbilicum anguſtius eſt, & etiam propter vincula neruacea quibus colon & renes alligantur, & flatus etiam per vtrãque partem excernuntur. Pulſus etiam maior & longior adeſt in hoc affectu quàm in quauis alia hydropis ſpecie, quia caret humore grauante, obruente & impediente arteriam: vrina item rufa & intenſa ob iecoris incendium.

Præſagiũ. Præſagire docet Hipp. lib. de Coacis pren. dicens, in hydrope ſicco ſui ſignificationem præmittente, tormina circa tenue inteſtinum incidentia mala ſunt, & rurſus inquit. In hydropicis ſiccis vrinæ ſtillicidia mala. Sed his miſsis, tympaniam cunctis hydropis ſpeciebus arbitrandum eſt eſſe periculoſiorem, vt antea expoſuimus: tum ratione ſuæ naturæ, quia plures partes habet facto intemperamento affectas, in quo reliquas ſuperat: tum verò ratione contrariarum intemperaturarum, quibus incurabilior efficitur, idque longè magis, quo magis inueteratus fuerit affectus.

Curandi ratio. Licèt tympania & aſcites inter ſe aliquo modo cohærere videantur cauſa & curandi ratione, cum hoc tamen diſsidet curatio aſcitis ab ea quæ tympaniti debetur, quòd in illa vacuandum eſt plus in principio, & vltimò roborandum magis, ac diſcu-

diſcutiendum omni tẽpore minùs, alioqui infirmabitur innatus calor, & deteriùs habebit laborans: in tympania verò longè minus vacuandum eſt in principio, alterandum verò & roborandum magis, diſcutiendum quidem omni tempore vehementiùs, quia quod magis vrget, copia eſt flatuoſæ ſubſtantiæ, ab hac verò ventris robur maius faceſcit negotium, cui calfacientibus ſubueniendum eſt, purgandum tamen minus, quia materia magis craſsitie & impenſa frigiditate quàm vberrima copia læditur. Præmiſſa tamen temperati & tenuioris cibi debita inſtitutione, ita vt omnino ſit flatus expers, cum potus non adeo exquiſita parſimonia, ſed mediocri, & ex vino diluto aqua decocta ligno aloë, vel ſaſafraſa aut cinnamomo, caryophyllis & corticibus citri: inſtituto etiam exercitio & reliquis vt ſuperiùs dictum eſt. Tunc verò mox à principio, non erit ab re leuioribus vti purgationibus, corroboratione & modica calfactione admixtis: huius naturæ eſt quod recipit aloës, epithymi, pulueris hieræ ſimplicis, rhabarbari & agarici trochiſcati. ana. ʒ.j. pulueris aromatici roſati. ℈.ij. diamargaritonis frigidi, raſuræ eboris & diarrhodonis. an. ℈.j. cũ ſyrupo roſaceo fiat maſſa, cuius laborãs per interualla. ʒ.j. ſumat. Pręſtat item purgare infuſo hoc qđ recipit rhabarbari. ℈.iiij. ſpicæ nardi. ℈.j. agarici trochiſcati. ℈.ij. infundantur in aqua abſynthij & cichorij, & facta expreſsione colaturę adde exprẽſsionem. iij. ʒ. ſeminis cartami, & cum melle roſaceo quod ſufficiat ad guſtus ſuauitatem fiat potio. Prodeſt agarici & rhabarbari dilutum in vino factum, cum ſyrupo de mentha, de corticibus citri, de abſynthio & reliquis huius naturæ. Quòd ſi ſimul flatus diſcutere, materiam tenuare & præparare ac purgare libuerit, quod morbo iam procedente magis probo, hanc præbẽ potionem ſingulis diebus, quæ recipit corticis citri ſiccæ. ʒ. ʃ. radicis eringij. ʒ.j. mẽthæ ſiccæ, hyſſopi, betonicæ, abſynthij, cichorij & intybi. ana. m. ʃ. aniſi. ʒ.ij. ſeminis apij & petroſelini. ana. ʒ. ʃ. fiat decoctio in aqua & vino, & in libris. ij. colaturæ diſſolue ſyrupi de corticibus citri. ʒ.ij. poſtea in ligatura infunde cartami conquaſſati & foliorum ſenæ. ana. ʒ.j. & facta expreſsione adde ſacchari quod ſufficiat vt fiat ſerapium, cuius cum aqua cichorij ſumat laborans. ʒ.ij.

Purgato leuiter cõrpore, quia parciùs & per longiora interualla in hoc affectu purgandum eſſe arbitror, ventriculo prouidendum eſt intus & extra, his quæ roborando calfaciãt, & coctionem iuuent, qualis eſt inunctio quæ recipit olei nucis muſcatæ, olei menthæ & abſynthij ac abietis. ana. ʒ. ʃ. pulueris ligni aloës, caryophyllorum, galangæ & ſeminis angelicæ. ana. ℈.j. cum cera fiat linimentum. Prodeſt ante illitionem fouere partem decocto camemali, anethi, rutæ, ligni aloës, caryophyllorum, abſynthij, ſeminis angelicæ, menthæ, ſpicæ & ſimilium, maximè ſi hæc incoxeris pari vini & aquæ portione.

Interiùs verò ea deuoranda præſtabis, quæ cum hoc quòd flatus diſcutiant, ventrem roborent & calfaciant: huius naturæ eſt conſerua zingiberis viridis, vel corticis citri, anthos, eringiorum, aromaticum roſaceum, diagalanga, dianiſon & diaciminon, vel ex aliquibus ex his facta opiata cum ſyrupo ex corticibus citri, cuius ʒ.ij. capiat ante prandium aut cœnam, ſuperbibito vino abſynthite aut caryophyllorum. Prodeſt & vinum Hippocras appellatum cũ tabellis aromatici roſati: nec minoris eſt momenti theriaca, aut mirabilis illa compoſitio Ziphoydes à Galeno & Andromacho appellata. 8. pharmac. local. cap. 7. quam huic vſui magni fore momenti arbitror. Præſtat & puluis ſeminis angelicæ cum quadruplo ſacchari ante prandium ſumptus: drageta item ex aliquo prædictorum puluerum, ſuperbibito vino, maximè aromatis condito.

Ventrem

Ventrem autem primò inungere oportet prædictis oleis, item vnguẽto quod recipit olei rutacei & anethi.ana.ʒ.iij.ſucci rutæ & abſynthij.ana.ʒ.j.vini ʒ.ij. coquantur ad conſumptionem ſuccorum,quibus adde pulueribus diagalangæ, ſeminis apij, cumini, ligni aloës & caryophyllorum. ana. ʒ. ij. ceræ quod ſufficiat vt fiat linimentum,quo vteris vbi priùs partem calfeceris vino,caryophyllis & cinnamomo decocto. Prodeſt & emplaſtrum quod recipit ſtercoris vaccę lib.j.pulueris cumini & rutæ.ana.ʒ.j.ſalis vel nitri & ſulphuris ʒ.ß.incorporẽtur cũ vino & applicentur:mirum quoque in modum præſtat emplaſtrum de baccis lauri, ſicut aliud quod recipit ſtercoris caprini & bubuli.ana. p.j. cineris quercus & vitis. ana. p.ß.ſalis & ſulphuris.ana. ʒ.iij.baccarum lauri & ſtaphiſagriæ.ana.ʒ.j.quibus decoctis cum vino fiat cataplaſma,aut cum axungia veteri fiat emplaſtrum,vel cum vino & oximellite ſquillitico aut aqua vitæ.Præſtat & aliud quod miris laudibus à Galeno extollitur,quod recipit fœnugræci ʒ.j. fimi columbini ʒ. iiij. reſinæ, picis ana.lib.j. axungiæ,veteris ʒ.ij.ceræ lib.j.quæ poſſunt liquefieri liqueſcãt, & cætera ex aceto ſquillitico addantur,& fiat cataplaſma vel ceratũ. Item parari poſſunt ſacculi qui recipiunt milij ʒ.iij.ſalis ʒ.j.ſeminis aniſi & fœniculi. ana.ʒ.ij. pulueris baccarum lauri ʒ.ß.milium & ſal torreantur,deinde cum cæteris mixta inſuantur pannis lineis raris,& ventri adhibeantur. Nec minoris momenti ſolet eſſe fotus cum filtro vel ſpongia ex vino vel lixiuio, aut aliquo ex prædictis decoctis: proſunt & frequentes ac ſiccæ cucurbitulæ ventri admotæ.

Interim tamen dum hæc adhibentur(nam lẽtiùs oportet in hac curatione procedere,& locum naturæ vt in ſeſe redeat concedere)& purgantia quoque adminiſtramus,clyſmatis flatus diſcutientibus vtendum eſt: huius naturæ ſunt quæ cõficiuntur ex decocto florum & ſeminum ac foliorum calidorum cum vino,vt ſunt folia rutæ,maioranæ,anethi,flores camemali,anthos,ſtœchados,ſemen aniſi, petroſelini,angelicæ & radicis eius.Quibus prudenter repetitis & per longiora interualla,mirum non eſt ſi leuamen laborantes recipiant,maximè ſi ex præſidijs aſcitis huc aliqua transferas. Quòd ſi hæc omnia prodeſſe non videantur, vtendũ eſt Hippocratis conſilio & prudentia,qui cùm multis diebus vſus fuiſſet in his doloribus præſidijs calorificis,& nihil iuuaretur æger,tranſijt ad frigida, cum magna vtilitate & doloris leuamine:ſæpe enim cauſa calida quæ iecur infirmat maioris eſt momenti, quàm frigida reliquorum membrorum.

De *anaſarca.* Licèt Areteus anaſarcam à leucophlegmatia diſtinxerit,& ob id quatuor conſtituere videatur hydropis ſpecies,vt nonnulli cenſuerunt, modum tamen leucophlegmatiæ ab ipſo aſsignatum, vel nulla lege hydropi reduces, vel ſi communi modo intelligatur,eandem eſſe cum anaſarca comperies, licèt cauſa differre videantur.Nam corporis colliquamentum eſſe leucophlegmatiam,à natura hydropis ſeparat:præterquam quòd non illi fuiſſent ex vſu alui fluxus,vt Hipp.7.aphor. eſt arbitratus,quinimo in colliquationibus pernicioſi exiſtunt:quapropter,neque arbitrandum eſt ita fieri,neque ſeparari ab anaſarca: quinimo vtramque veram aquã intercutẽ deſignare,ac idem eſſe(vt mox referã,cõſtituta cauſæ differentia) propriùs quàm aſcitem & tympaniam ſuſpicandum erit: quippe in illis duabus, aqua aut flatus inter omentũ & peritoneũ recõduntur,in hac verò inter carnem & cutem,quo fit vt iure optimo anaſarca mereatur aqua inter cutem appellari.Ita que anaſarca ob id talis dicitur,quòd ab humore pituitoſo, per carnem, ſub cute, & iuxta carnem ſparſo & collecto fiat, & eâdem ratione varijs nominibus inſigniatur,nimirum anaſarca,ſeu hypoſarca,aut hypoſarcidiũ. Quas omnes ſpecies

Hipp.7.

Hipp.7.aphor.29.nomine leucophlegmatiæ complexus eſt,dicens.Si leucophlegmatia detento fortis diarrhœa ſuperuenerit, morbum ſoluit:id quod ſtatuit, quia hoc genus hydropis à pituitoſo humore & in vaſis & in ambitu corporis collecto, illucq; à iecore quouis modo refrigerato, genito & tranſmiſſo,prodit: vel in eiſdẽ partibus corporis,ex totius carnis frigida intẽperie,quę alimẽtum in eam ſubſtantiam commutat.Quo factum fuit,vt hunc affectum etiam albam pituitam nominauerit Hipp.vt lib.de Coacis prænotionibus: & etiam multi præadductam ſententiam, loco leucophlegmatiæ vertunt albam pituitam. Cum hoc tamen per leucophlegmatiam,aliquando malum corporis habitum ſeu præludiũ ad hydropem intellexit,dum ille habitus à pituita fiat alba, vel modicè liuida,alijs quibuſdam admixtis humoribus, vt perbellè explicat eâdem ſectione, dum inquit. A pituita alba aqua intercus ſuperuenit: quo loco per albam pituitam anaſarcam non intellexit, ſed malum corporis habitum, qui ni citò præueniatur, in aſcitem (quam generali vocis ſignificato appellat aquam intercutem, nam ſpeciali ſignificatione,ſolùm indicat anaſarcam)delapſa alba pituita in aquã colliquata commigrat. Denique apud Hipp.alba pituita anaſarcam morbum,nõ humorem ſignificat:nam deſcribens lib.de affectionibus quæ ſit hæc alba pituita, verè anaſarcam depingit,dicens.Pituita alba totum corpus intumeſcit albo tumore,& in eâdem die alia parte ſibi meliùs videtur habere,alia deteriùs,& tumor aliàs in alia corporis parte maior & minor fit:& paulò inferiùs inquit. Morbus autem hic fit à pituita,cùm quis ex febribus diuturnis,qui pituitoſus natura, impurgatus manſerit,& pituita ad carnes conuerſa fuerit:& non eſt hæc pituita albidior alia, verùm corporis color albidior apparet.Sanguis enim pituitæ copia albidior euadit,& non ineſt ipſi bonus color,quapropter albidiores apparent,vocaturque hic morbus pituita alba. Quibus conſtat ex cauſa morbum ſumpſiſſe nomen, vt ipſe author ampliùs explicuerat libr.2.de morbis,dicens. Intumeſcit totũ corpus albo tumore,& venter ad contactum craſſus eſt,& pedes ac femora tument, tibiæ item ac ſcrotum:atque hæc de nomine huius affectionis dixiſſe ſat ſit.

Eius tamen natura & conditio non ſatis innoteſcit,quam vt exactè perpendas ſcito,duas huius pituitæ albæ ſeu anaſarcæ ſpecies Hipp.numeraſſe lib.de internis affectionibus:primam incurabilem,quæ morituris ſolùm ſuccreſcit, cuius hæc refert verba.Tertia tabes ab hac,hæc patitur:medulla ipſius ſpinalis ſanguine plena fit,tabeſcit autem ſimiliter,& à cauis venis,hæc verò pituita hydropiformi & bile replentur:& ſubdit.Homo ſtatim niger fit & ſubtumidus,& pariter ſub oculis palpebræ fiunt. Alteram verò curabiliorem,ex redundante pituita per vniuerſum corporis ambitum,quam verè anaſarcam appellat,diſsidentem multis numeris ab ea pituita alba quæ in hydropem migrat,& verè cachexia exiſtit,quòd hæc ſolùm ſit veluti totius corporis madefactio & mollitudo,ac merum ſymptoma,à pituita redundante ortum:illa verò quæ verè anaſarca eſt,verè etiam morbus in quantitatẽ adaucta,aut ſi magis velis,reductus ad genus tumorum præternaturam. Quippe Galen.lib.1.de naturali.lib.facult.ſtatuens differentiam inter adiectionem & agglutinationem inquit. Cùm nutrimentum adijcitur, ſed non agglutinatur, fit ſpecies illa hydropis, quam anaſarcam dicimus: quibus verbis euidens efficitur differentia inter hanc & reliquas ſibi ſimiles affectiones: nam in illis forſan vitio humoris vel eius vbertate,quibus nutritoria vis ſuperatur, tumor efficitur,in hac verò vitio facultatis,licèt ſimul adſit humorum ineptitudo. Nec deſunt qui potiùs vitium functionis & officij ob extrinſecam cauſam,puta humorem,

rem,quàm ipſiuſmet facultatis arbitrentur: verùm mihi verius videtur facultatẽ læſam conſtituere,quantumuis difficile videatur totius corporis nutritoriam eſſe læſam:ratio tamen qua id cogor aſſerere talis eſt. Nutritoriam facultatem, nullũ ſuorum munerum poſſe exequi in alimentum, citra perceptionem ſimilitudinis cum alito euidentiſsimum habetur:reliquum ergo eſt,peccaſſe in appoſitione alimenti adeo diſsimilis,quòd poſt appoſitionem non valuerit aſsimilare, ſiquidem de lege habet ſimile ſolùm allicere & apponere: itaq;, licèt functio aſsimilan di læſa videatur,id quidem facultatis vitio,non ſolùm humori debet tribui, ſiquidem appoſuit diſsimile: in quo ſanè videtur errasse,ac ex conſequenti coniectandum eſt,eam eſſe læſam. Nam ſi ipſa ſui eſſet iuris iuxta omnes ſui actiones, non hunc morbum, quem fictitiam nutritionem arbitramur eſſe, pateretur, ſed vel tumorẽ præter naturam œdematoſum,aut ſcabiem,vel quemuis alium affectum, quouis naturæ propellentis inutile & alienum alimentum, monſtraretur, cùm verò id non effecerit,conſtat ipſam læſam exiſtere.

His habitis ſtatuendum etiam eſt, duobus modis anaſarcam poſſe corpori ſuccreſcere: vno quidem ex vbertate pituitæ in vniuerſa corporis carne genitę,ab intemperie frigida ſolidarum partium, quæ ſibi commiſſum alimentum in eam vertit: & quamuis difficile videri poſsit,citra membri alicuius principis inſignem refrigerationem,corporis vniuerſum habitum refrigerari, mihi tamen non videtur impoſsibile: tum quia externæ cauſæ adeo ſolent externas partes intemperare, vt non ſatis ſit ad conſueta munia probè exequenda conſuetus caloris influxus, ita vt non rarò emori præ frigiditate integrum membrum conſpiciamus:tum verò quia fieri poteſt,quòd ſoli pedes, tanquam à caloris fonte remotiſsimi,imbecillitẽtur,atque ob id pituita alba,dicta ratione impleantur, ſicque ſenſim materia aucta aſcendat,& cum hoc refrigeret etiam crura, inde coxas, tandẽ ventrem repleat,& vltimò vniuerſum corpus,ita vt ſolo vnius partis vitio vniuerſum etiam refrigeretur, ac eandem ſibi generet pituitam leuiſsimo iecoris aut cordis facto vitio. Cui conſimilem ſtatuerunt nonnulli Medicorum alium, ab Areteo ſumpto principio, nimirum dum corporis vniuerſi humiditas liquatur & non reſoluitur, ſed craſſeſcit in poris carnium, ac ibidem impacta in tumorem eleuat corpus,quod cenſeo dictũ eſſe ab ipſo,dum ſtatuit fieri à corporis colliquamento:quippe à calore vniuerſa humiditas corporis liquatur, tamen non reſoluitur,vt dictum eſt,ſed concretione attollit corpus. Quam ſanè tumoris ſpeciem omnino ablegandam ab hydropis ſpecie antea diximus, quia hæc ſubitò fit, reliquæ verò ſenſim. Item hæc à calore liquante,omnes aliæ à frigore: præterea hæc alui fluxu deterior efficitur,illæ iuuantur:hæc etiam morti proximis ſuccreſcit,ex reliquis nonnulli euadunt: præterea in hac color ad nigrum vergens, & fœtore horribilis efficitur,anaſarca verò albicat citra tam inſignem virium iacturam. At fit anaſarca ſecundo modo & præcipuo ex vitio iecoris, vt reliquæ hydropis ſpecies,in quo veluti in officina humorum,ob eius frigidum intemperamentum pituitæ generandæ aptum, copioſiores fiant prouentus, cuius vbertatem cùm nutritoria facultas errans trahat,ſuperare nequit, & praua ob id efficitur in vniuerſo corporis ambitu nutritio. In quo ſanè hydropis modo,duo neceſſario reperiuntur in vno affectu complicati morbi: alter in iecore, ab intemperamentò frigido ortus,quo vberior pituita ſuccreſcit: alter verò in vniuerſo corpore,ſine magno hepatis vitio,ab eodem etiam frigido intemperamẽto, quo nutritoria infirmatur facultas, & deprauatam efficit actionem. Quam equidem veluti concauſam eſſe anaſarcæ antea diximus, & nunc denuo ſtatuimus, ita vt à prima anaſarcæ ſpecie hæc diſsideat, quia illa ſimplex affectio eſt, hæc verò ex duobus complicata, duas etiam cauſas ſortita.

Cauſas autem harum affectionum,qui exactè ſtuduerit venari, expendat externas & antecedentes eaſdem eſſe cum his,quæ reliquas hydropis ſpecies excitare natæ ſunt,diſsident tamen in modo læſionis quem imprimunt in iecur,aut corpus vniuerſum. Quippe in aſcite iecur ex toto ferè impotens efficitur ac impenſè refrigeratur, ſimul cum aliquo renum vitio: in tympania venter & inteſtina intenſa & habituali intemperantur frigiditate, ac iecur languidum efficitur natiuo calore, cæterum extraneo incaleſcit. At in anaſarca iecur quidem perfrigeratur,non tamen adeo ac in aſcite,ſed quantum ſat ſit, vt ſanguis plurima abundet pituita,& cum hoc eodem intemperamento adeo oblæduntur venæ, vt ne minimum quidem pituitam mutare valeant. Quo fit vt vniuerſi corporis nutritoria facultas ſimiliter eâdem intemperie vitietur,quo deprauata efficitur nutritio. Denique,licèt externæ & antecedentes cauſæ eædem ſint, modus tamen quem corpori imponunt,diuerſiſsimus exiſtit,generalior quippe eſt affectio, cæterum mitior & leuior. *Cauſæ.*

Licèt ſignis in hoc affectu opus eſſe non videatur (quia æger primo acceſſu ſe ſe oſtendit, carnes habens emortuo corpori ſimiles, & totum corpus intumeſcat,albidius fiat,& veluti madidum humido tumore appareat) cum hoc tamen, vt à malo corporis habitu (cui non rarò ſimilis efficitur) diſtinguatur,aliqua recen ſere vtiliſsimum arbitror. Diſsident quidem (etiam ſi partes in vtraque affectione in tumorem eleuentur) quòd ſi in anaſarca digitum partibus tumentibus compreſsione adhibueris,impreſſa manet figura,diutiùs tamen in malo corporis habitu,humor quippe tardiùs reuertitur ad figuram quàm caro: verùm ſi idem in vtraque contigerit, vt non rarò ſolet, diſtingues profectò,quia partes in anaſarca nõ detumeſcunt noctu, vt in malo habitu, quinimo plerunque tumorem contrahunt maiorem,præſertim partes ſupernæ. Præterea diſsident,quia in malo habitu crura plerunque intumeſcunt, niſi iam migret in anaſarcam, in qua omnes partes tumorem contrahunt. Item in anaſarca licèt aliquando contingat ventrẽ tumere, non tamen eſt opus, vt in reliquis hydropis ſpeciebus: primò quidem facies in ea,ſicut poſteriùs in reliquis, intumeſcit. Præterea alui excrementa plerunque cruda excernuntur, ſed aliquando ſanguini ſubalbido admixta: tandem corpus omni actioni redditur impotens & ineptum,in ſomnum propenſum, minus ſitibundum, & forſan famelicum,ſi cruditas acorem contraxerit. *Signa.*

Cùm vniuerſa huius affectionis natura ſita ſit in ſanguinis pituitoſi vberrima copia,conſtat quadruplicem eſſe neceſſariò vacuandi rationem: primam quę copiam deponat: ſecundam quæ cruditatem coctione frenet: tertiam quæ quod correctionem admittere nequiuit, purgantibus ac digerentibus auxilijs conterat & expurget: quartam verò & vltimam quæ iecur & vniuerſum corpus ad antiquũ temperamentũ reducat. Circa primam huius curationis partem, coniectandum eſt copiam in his corporibus duobus modis poſſe ſuccreſcere: vno ſanguinis vbertate, quo grauata iecoris & totius corporis facultas, nequit probè ſanguinem conficere,ſed pituitoſum & crudum: altero verò pituitæ & crudorum ſuccorum redundantia,cùm nimirum ex refrigeratis corpore & iecore à refrigerantibus intus & extra cauſis,citra ſanguinis commercium & vbertatem, vt in primo modo, adde vt corpus vniuerſum his ſcateat cruditatibus. Hæc autem dicta ſunt, *Curandi ratio.*

vt si quis legerit omnes ferè authores in reliquis hydropis speciebus sanguinis missionem renuentes, & in hac sola anasarca libenter concedentes, non citra distinctionem eo auxilio alioqui grauissimo & periculo pleno, vbi opus non est, vti discat. Quapropter dum ex sanguinis vbertate, siue ex suppressis hæmorrhoidibus aut menstruis, vel quauis alia, siue ex demisso consueto exercitio abundantia prodeat, & ob id, vt Galenus aduertit. 6. aphorism. 12. copiosus sanguis prauus & frigidior efficiatur, tunc quidem sanguinem mittere necessum erit. Quod etiam consuluerat idem Galen. libro contra Erasistratum, cùm hydropes sanguine misso sanatos esse ait, nec non & quarto acutorum: nam cùm sanguinis copia calorem partium extinguit id proculdubio remedium expostulat, minori tamen copia ob frigiditatem contractam in toto corporis habitu: satius enim est per partitas vices & interualla fundere, quàm vacuationibus & præexistente frigiditate, vires adeo infirmare, quòd morbo non sufficiant. Verùm si id non permiserit deiecta facultas, crura scarificabis vt consuluerat Galen. ex Archigene libro 9. pharmacorum local: nec non & Celsus libro 3. capite 21. Sanguinem tamen mittes ex brachio dextro & basilica vena, ac si ex mensium suppressione aut hæmorrhoidum oriatur affectio, facta semel prædicta vacuatione, curandum tibi erit suppressum fluxum concitare, aut supplere per tali venarum incisionem, aut per hirudines hæmorrhoidibus affixas. Quod sanè auxilium vel mox à principio, antequam vniuersus habitus ex toto refrigeretur, exequeris, vel si id præterieris, non nisi valentibus viribus. Verùm si constiterit anasarcam ortam fuisse ex his quæ extrinsecus refrigerandi positiua frigiditate, vniuersum corpus & iecur vires habent, tunc quidem in memoriã reuocare oportebit, quanta diligentia & cura cauerit Galen. lib. de venæ sect. & 4. de sanitate tuen. sanguinis detractionem, vbi crudorum multitudo præfuerit, aut sanguis ipse crudus à seipso, cùm secundùm naturam adderat, plurimum distat. Nam arbitratus est, idque iure optimo, non posse eo statu vires robustas esse: quapropter verendum est sanguinẽ detrahere, etiam si pleriq; neothericorum id statuerint, nam certissimum est pauco sanguine misso non liberari à suffocatione, & extinctione ocyssime ab impensa frigiditate periclitari: quamobrem satius est copiam alijs auxilijs tutò deponere, & si lentiùs, quàm breui tempore ægrum in deteriorem statum ducere.

Victus. ratio.

Verùm si sanguis missus fuerit, aut si eo auxilio opus nõ sit, tunc quidem humorem pituitosum omni arte, præmissa præparatione, educere ac minuere studebis, considerans priùs per quam regionem cõmodiùs id fieri possit. Quippe per victus cõmodam institutionem, per aluum, per vomitum, per insensilem euaporationẽ, & vltimò per chirurgiam huiusmodi corpora euacuari facilè possunt: nam cùm superabundans humor omnibus insit corporis partibus, omnibus etiã modis expurgari desiderat. Sic enim eum victum institues, qui siccæ sit naturæ & coctu facilis, ne facultatem grauet, neq; quidquã habeat crassum & glutinosum, ne corpus ampliùs obstruat, non frigidum, non flatuosum, ne malum & causam simul augeãt: ea tamen quantitate exhibeatur, quæ nec vires deijciat paucitate, quia morbus futurus est diuturnus, nec copiosè prẽstetur, ne mali causam adaugeat: panis in vniuersum sit bis coctus, & aniso aut cinnamomo fermentatus. Et quanuis prædictarum conditionum victus eligatur, cõditura aromatum vtilior parari potest, vt superiùs abundè dictum est. Sic & potus prædictis persimilis eligatur, aromatis etiam confectus, sed quàm parcissimus: sæpe enim sola potus parsimonia cum prędicta victus institutione, nonnulli in pristinam sanitatem restituti fuerunt.

Quatenus

Quatenus verò ad medicamenta attinet, cẽseo plerunque in hoc malo affectis, crudos succos in ventre & primis venis abũdare: quapropter cõsultius mihi visum fuit, principium curationis à vomitu auspicari, præstitis rhodomellitis ℥.j. & ʒ. oximellitis. ℥.ʒ. aquæ fœniculi. ℥.j. & ʒ. singulis diebus summo manè: tertio verò die vomere instituat laborans raphani decocto cum oximellite, maximè à pastu, cum acetarijs & varijs obsonijs sumpto. Quo auxilio bis terue in hebdomada vsus, si cõstiterit primam regionem aliquo modo ab his cruditatibus immunem esse, medicamentis purgantibus studeat diligens Medicus, eam quæ in venis maioribus viget, pituitam educere. Cui muneri, vt simul reliquias ventriculi conteras, primò porrige hieram Gal. cum agarico trochiscato, vel infusum agarici & rhabarbari in liquore nouem infusionum rosarum Persicarum, addito turpeti modico aut cartami: quo semel aut bis exhibito, te cõferes diebus intermedijs ad vsum clysmatum, ex decocto polypodij cum ruta & calamento in vino & vrina pueri. His quidem factis, quæ sufficere quidẽ solent, dum vitium ex abundãtiori sanguine ortum duxit, si vel non satis esse constiterit, vel ex frigidiori causa oriatur affectio, ad efficaciora auxilia deueniendum esse consulit mali magnitudo & vrgentia: quapropter per epicrasim pituitam disponere vacuationi, & ipsam eo modo educere opus erit. Sic per aliquot dies porriges syrupum de absynthio, de eupatorio, de bisanzijs, de hyssopo, de prasio cũ modico oximellite simplici aut squillitico, & aquis aut decoctis quæ extenuandi & aperiendi vires habeant, vt decoctum quod recipit hyssopi, calaminthæ, pulegij, origani ana. m.j. spicæ, asari & cinnamomi ana. ʒ.j. anisi, cumini & carpesiarum ana. ʒ.j & ʒ. bulliant in lib. vj. aquæ ad consumptionẽ tertiæ partis, & prædicto syrupo adde eius. ℥.ij. Itẽ ex prędicto decocto serapium cofícito, adde foliorum senæ. ℥.ij. cartami cõquassati. ℥.j. facta iterum ebullitione adde agarici. ʒ. iij. & post colaturam adde mellis & sacchari quod sufficiat vt fiat serapium. Postea verò purgare corpus vniuersum poteris pilulis de agarico, aureis, aut aliquo ex prędictis pharmacis in ascite scriptis: hoc vno animaduerso in hac curatione, solo purgãtium per infernam aluum vsu, plures sanitati restitutos fuisse, si à principio mali id fiat: nam hac lege arbitratus est Hippo. ab eo affectu liberari vt antea retulimus ex eius mente. Quod sanè non temere & vtcunq; est intelligendum, sed quatuor conditionibus præmissis: nimirum quòd laborans firmis existat viribus, alioqui tumore subsidente, larga per aluum effusa aqua, siue arte siue spõte, paulò post moretur: secundùm quòd affectio sit incipiẽs, antequam viscera imbecillitate & intemperie habituali laborẽt: item quòd prædicto tempore, vacuatio sit vehemens & copiosa, nõ impar morbo: vltimùm verò quòd id quod excernitur sit aquosum, sine alimenti cruditate, alioqui ob retentricis impotentiam fieri potiùs esset arbitrandum, quàm ex vi naturæ aut medicamenti.

Medicamẽtorũ ratio.

Quòd si ne hæc omnia sufficere videantur, coniectandum est, id quod in venis carni proximis viget, non posse trahi, & adhuc aliquid densum & crudum eisdem & reliquis impactũ manere, quod ea medicamenta expostulet, quæ præter id quòd attenuẽt, per vrinas quoq; educere possint, velut est asari decoctum, cinnamomi, cardamomi, sabinæ, iuniperi, baccarum, & rubiæ radicis, item vsus stillationis theriacæ, cum quo etiam externas partes inunges. Prodest decoctum ex vino factum cum dauco, seseli, radicibus asparragi & trifolij: itẽ ℥.j. radicis trifolij aut eringij, vel seminis viticis cum vino. Eundem quoque vsum præstant, & etiam internas humorum reliquias conterunt, dialacca, diacurcuma, trochisci de eupatorio, de rhabarbaro, de rosis & de absynthio: prodest & diarrhodon, aromaticum rosaceum,

mithridatum aut theriaca: quæ omnia præter id quòd vrinam mouent, iecur quoque mirum in modum attemperant & roborant, quod maioris solet esse momenti in huius mali curatione.

Verùm quia peccantis humoris maior pars in ambitu corporis viget & in carnosis partibus, ob id extrinsecus pituitam euaporare ac discutere, sæpe magni fuit momenti: quamobrem sudores & omnem humoris discussionẽ tentare opus erit, non solùm exercitijs sub sole & aprico loco factis, sed & balneis, inunctionibus, frictionibus & reliquis omnibus quæ hoc munus præstare solẽt. Sic balnea aquarum sulphurearum, vel ex alumine & aqua marina, magni sæpe fuerunt momenti, si sole adhuc feruente corpori adhibeantur, dummodo à solis iniurijs caput sit præmunitum. Prodest & arena, maximè in littore maris, corpus feruido existente sole sepelire, aut milio, sale, tritico vel panico: sed propriùs id efficiunt calidi fufures & puluere lapidum qui pumices appellantur, cameli, anethi, seminis rutæ & similium. Quòd si laborans maluerit vestitum his puluerib⁹ inter duo lintea recondi tis & probè dispositis indui, non desunt qui vtilius arbitrentur, mirè enim discutiunt & calore partes roborant. Eiusdem est vsus inunctio olei irini cum modico aquæ vitæ, aut eodem oleo & sale aut sulphure: vel emplastrum conficies ex oleo prædicto cum puluer ibus stercoris bouini vel coclearum, quæ vstionem non sunt expertæ, sed exsiccatæ & redactæ in puluerẽ, quo plures & tumidiores partes corporis illinies, ibidemque resiccare sines, donec sponte decidant puluer es.

Quæ omnia si adhuc prodesse non videantur, velut in re desperata, ad chirurgiam veniendum est: in quem vsum consulunt Celsus lib. 3. cap. 21. & Ætius lib. 10. cap. 30. suras quatuor digitis supra talum sacrificare profundioribus scissuris, vt diu durare possit per easdem aquarum profusio: ac si copiosior tibi videatur euacuatio, fascijs ligabis crura, quo scissuræ comprimantur, & sequenti die ligaturis semotis, aut laxioribus factis, aquam fluere, quantum visum fuerit permittes. Idem etiam in brachijs efficere poteris: ac si placuerit in altero aut vtroque crure fontanellam aperire, optimè facies, vel si supra iecur setonem affixeris, aut in ea ventris parte quæ magis intumuerit, vel vstiones paruas & frequentes per securiores corporis partes facies. Quod tamen cautè facito, ne omnino laborante ad impotentiam ducto, vel humoribus euocatis ad eas partes, maiori copia, quàm vel possit per scissuram fluere, aut natura regulare, in corruptionem degeneret pars. In reliquis verò auxilijs quæ & iecori & viscer ibus necessaria existunt, eodem modo res se habet ac in alijs hydropis speciebus dictum est.

De renum dolore, inflammatione & vlcere. Cap. VII.

LIcèt renes varias (vt quoduis aliud membrum) possint pati affectiones, cum hoc tamen quasdam habent cum vesica communes (eas nimirum, quæ ad vrinam pertinent) & alias sibi tantùm peculiares, in quibus necessum nõ est vesicam coaffici. Inter quas (quæ numerosæ sunt) potissimum habent locum, quæ dolorosæ existunt: nam reliquæ etiam cum vesicę munere coincidere videntur, vt obstructio & aliæ huius census.

His suppositis, scito, tres potissimum affectiones renes pati, consequutionem quandam & veluti cohęrentiã inter se sortitas: dolorem nimirum,

mirum, velut inflammationis præludium: inflammationem ipsam, & vltimo vlcus. Quapropter, horum omnium hoc vno capite meminisse institui, tanquam eorum quæ consequutione quadam causaliter se correspondẽt: quippe inflammationes non semper ex sola sanguinis vbertate fieri est credendum, sed plerunque euocato sanguine ipso (licèt non plurimum abundet) à causa quauis, quæ dolore magno excitato, fluxionem quoque excitare sit nata. Quo fit, vt iuxta optimam medendi rationem mihi visum fuerit, doloris renum priùs meminisse, vt quantũ fieri possit, ægri molestiam leniendo temperemus, & imminẽtem inflammationem inhibeamus.

Prodit itaque dolor renum multis de causis, nimirum ab intemperie tan simplici quàm composita, cum materia aut citra ipsam: ab inflammatione & reliquis tumoribus prẽter naturã: ab obstructionibus, quę vel à crasis fit humoribus impactis in meatibus, vel in eorum ventre, & à calculo in eis concreto: ab vlcere vel quauis alia soluta vnitate, à causa manifesta vel occulta, vt à fluxu humoris acris & mordacis, aut flatuoso spiritu. Quas sanè causas complexus est Hippo. libr. de internis affect. statuens quatuor solùm esse: lapillum videlicet, ruptionem venæ, erosionem ab atra bile, & dolorem ex pituita & bile. Quibus constat sub dolore ex pituita & bile, omnes dolorum causas (præter solutam vnitatem & lapillum) complexũ fuisse: nã ex eis docet inflammationes fieri & omne tumorũ genus, ac omnem insuper intemperãtiam, ac ex consequenti ex pituita & bile flatuosum spiritum. Quapropter censeo dixisse Hipp. 6. aphoris 11. melancholicis & renum vitio laborantibus, hæmorrhoides superuenientes bonũ, cùm omnem cacochymiã soleant purgare hæmorrhoides. Præterea, frequenti experimento comperimus, ex capitis fluxionibus renes & dolere, & mille alijs modis laborare, vt idem author statuerat, lib. de glandulis dicens. Fluxiones ex capite fluunt & cætera: qua parte ad renes prolabi è capite humores euidenter monstrat, quos vel in exulcerationem, vel inflammationem, aut quoduis aliud tumorum genus commigrare scimus. Nec minus dolere exvteri consortio est arbitrandum, tum quòd illi incumbat vterus, tum quòd plenitudine premat, tum vltimò quòd à flatu distentus renes attingens conterat, nec non quòd fluxionibus ex altis corporis partibus euocatis reumaticam affectionem in ipsis renibus concitet. Visum est etiam renes dolere, cordis consortio, in his quibus pus à thorace per vrinam expurgatur: quippe in iti nere pus illud præ calore magnæ arteriæ, in arenulas concrescit, quæ postea doloris perpetui, & contabescentiæ causa existunt, renibus sanis existentibus. Dimitto causas externas, & ex internis plenitudinem & alia quæ paulo inferiùs sum monstraturus, ne vno in capite eadem bis scribantur. *Causæ.*

Sed dolere renes hac aut illa causa nosse, dignius esse sum arbitratus, si priùs dixero lumborũ dolores plerunque renũ dolorem æmulari: quapropter, necessum est id priùs quàm auxiliares manus adhibeas nosse & distinguere. Succrescunt igitur lumborum dolores & circa renes, intestinorũ vitio: item iecoris aut splenis, tũ etiam in febribus tum citra ipsas multis rationibus & causis: primò quia incalescũt propter decubitum, partibus pinguioribus à calore succensis. Interdum verò à lassitudine phlegmonode, sanguine calido in magna vena & arteria redũdante: nonnunquam & à musculis & spinali medulla dolor originem trahit. Præterea dolere assolent prædictæ partes fluxione ad ipsas, aut per easdem delabente: item ex lassitudine, ob laboriosum exercitium, tum extensis plus iusto musculis, tum succis ad ipsos euocatis. Quod vel ex febre præsente, *Signa causarum.*

vel ex prægresso exercitio aut ex cognita fluxione distingues: at renes dolere aut lumbos, quia renibus affectis plerunque vrina aliquo modo mutatur, lumbis verò rarò aut nunquam. Sed causas sic nosces. Dum enim ex vulnere casu vel percussione facto renes dolent, ipsa laborantis enarratione patefiet: ex alijs verò causis non ita facilè, cùm intestinorum dolores sæpe nos fallant: nam renum & viarum vrinæ dolores tam similes sunt doloribus intestinorum, vt primis diebus omnino discerni non possint, quòd in vtroque & vrinam & deiectionem, aut lædi aut cohiberi contingat. Cæterum discernes facilè vrina, aut alui deiectionibus apparentibus: quippe ex renum dolore mutata mille modis apparet, sicut alui deiectio ex lęsis intestinis: quod docuit Hippocrat. cognoscere lib. 4. popul. text. 78. in Historia Apemanti: nam vrina eorum quibus verè renes dolent, semper secum aliquid causæ dolorem inferentis adfert, vt mox referam. Itaque si ex flatibus crassis & caligi nosis spiritibus dolor concitatur, tensionem in parte subitò magnam persentiunt laborantes, ita vt neque moueri neque erecto corpore incedere possint, nulla tamen persentita grauitate: item mitescit à flatu excreto vel fomento adhibito, & iterum vehementer ac subitò ingruit, nullis alterius causæ apparentibus signis, ac dolore sese extendente ad vicinas, ac non rarò ad distantes & connexas cum renibus partes. Verùm si ex obstructione prodeat, ex vrinę suppressione aut paucitate, vesica nequaquam patiente, comperies: si tamen crassities humorum id effecerit, periodicus efficitur dolor ex aggregatione paulatim facta, maximè si iecoris aut ventriculi imbecillitas aut vitium huic malo causam præstiterit, quòd reddita vrina, crassum quid aut arenosum in ea subsidet. Renum insuper intemperiem calidam ostendit post dolorem & suppressionem, fuliginosum sedimentum vstionem sanguinis mõstrans, sicut pituitosum eorum frigiditatem: granulosum verò & album sedimentum iam ex colore ac siccitate lapides futuros demonstrat. Humorum quidem acrium, mordacium & salsuginosorum decubitũ ad renes, ostendit dolor acutus & exulcerans, sicut inflammationis principium dolor cum grauitate & pulsus tensiuus, nec non & vrinæ color, ac excreta cum ea substantia: calculum verò doloris esse causam suo loco disces. Apparet præterea dolor in renibus diuersis temporibus, modò vehemens cùm generantur & permeãt calculi: modò grauis & instar ponderis cùm per sensibiles partes nõ mouentur. Sed cùm renum dolor fiat à calculo, arenulis, pituita, grumo, flatu, pure, vel calore ingente aut phlegmone, hunc cognosces ex febre continua & graui dolore in inflammato rene, item dolore pulsatorio: reliquas causas, vt dictum est, & de calculo latiùs scriptum reperies cap. de renum calculo.

Cùm ex quauis prædictarum causarum dolor in renibus concitetur, faciliter ab vniuerso corpore ob commoditatem & promptitudinem viarum, allicientur superuacui & vtiles etiam humores: ob id quidem verendum est, ne in inflammationem commigret affectio. Quapropter grandi diligentia studebis, eos quàm citissimè sedare, & causam illidere, ac corpus à recrementis protinus expurgare. Verùm cùm eadem sit via curationis quæ debetur nudis intẽperantijs, & his quæ cum affluxu fiunt materiæ, post ipsius humoris euacuationem (iuxta illud Galeni vnamquamque causam abscindere priùs, deinde ad eam quæ facta est discrasiam peruenire) ob id placuit intemperierum cum materia hîc meminisse solùm, nam in earum curatione vtroq; auxiliorum genere est opus. Sic profectò dum calidus, acris, mordaxue humor ad renes confluxerit, coniectandum erit, initium curationis auspicandum fore à corporis totius euacuatione, sanguine misso, primo ex brachio

brachio (nisi hæmorrhoidum aut mensium præcesserit suppressio, nam eo tempore à talo sanguis mittendus est) dextro ex basilica (maximè si iecur prauos succos gignens, malo causam præstiterit) ac mox ex sinistro, si & vires non admodum labantur, & dolor vrgentior sit. Quòd si iecur sese in renes exonerare comperiamus ex siti, vomitu bilioso, calore iecoris & alijs signis, ex dextro brachio bis sanguinem detrahes, aut alteram detractionem ex saluatela eiusdem manus institues. Si tamẽ his adhuc factis, dolor non quieuerit (& interim dum fiunt) studendum est parti apponere quæ dolorem sedare possint: cuius naturæ est quod recipit seminis papaueris albi & capitum eorum, santhalorum, rosarum, coriandri præparati. ana. ʒ. j. farinæ hordei. ʒ. ij. decoquantur cum mucilagine psyllij, seminis lini & fœnugræci, oleo rosaceo & modico aceto, & fiat emplastrum. Cui simile ex mucilaginibus & pulueribus dictis parare poteris, aut ex lacte muliebri & seminibus cum oleo rosaceo & papaueris. Quo facto curabis fomentis causam doloris illidere, qualis naturæ est quod recipit decoctum meliloti, violarum, florum nenupharis, rosarum, seminis lini, capitum papauerum, & foliorum maluarum ac violarum. Quibus factis, ab ipsa parte quod confluxum est deriuare sanguine misso per venam tali satius est, quàm per cucurbitã renibus affixam & scarificatã, vt multi consulunt, nisi tanta fuerit doloris vrgentia & virium imbecillitas, quòd id cogaris efficere: quo tempore parti scarificatæ appones albumẽ oui, superspargis pulueribus santhalorũ, seminis lactucæ, portulacæ, sericî crudi & fœnugræci, superposito pano cannabino, aut stupa ex cannabi minutim inscissa, quæ diu ibidem permittatur manere. Verùm si doloris immanitas & sæuitia his non cesserit, ad narcotica te conferes, exhibito priùs syrupo papaueris, & sequẽti die si id non suffecerit. ʒ. ß. philonij Romani, aut si corpus robustum fuerit. ʒ. j. itẽ potibus veteris frigidioribus ex hordeo, portulaca, bugloisso & aqua lactis cum syrupo rosarum, vel portulacæ aut papaueris. Extrinsecus verò quæ anodynam habent virtutem appones, velut vesicã aqua tepida & oleo violarum plenã: aut emplastrum ex butyro, violis & fenticula palustri, ex folijs maluarum adiectis paucis folijs papaueris, aut decoctis capitibus ipsius cum succo portulacæ & farina hordei: lac item mulieris cum albumine oui & modico opio, si aliter fieri non possit. Cæterum si hęc omnia prodesse non videantur, ad purgans medicamentum confugiendum esse cõsulit vrgentiæ ratio. Et si quis dixerit, id potius in principio esse exequendum, cùm potissimum acris & erodens materia ex purgatione quàm sanguinis detractione infirmetur & extrahatur, expendat, in his doloribus qui ex confertim & subitò facta fluxione fiunt, non esse mox à principio expurgandum, donec cessante fluxione, si quid prope partem affectam fluxurum adest, dolores adaugens, & fouens, expurganti pharmaco citra nouæ fluxionis periculum educatur. Quapropter mox à principio, serapijs & potionibus frigidis exhibitis, corpus purgare oportebit manna, cassia, syrupo violarũ ex infusionibus, si dolor mansuetior apparuerit, postea verò vt dictum est, sanguinem mittes, & tandem seligente pharmaco deinceps purgabis, si iecur huic malo principium præstiterit, vel scalidum sit venosum genus, rhabarbari infuso, aut foliorum sennæ in aqua portulacæ vel sero lactis. Et his factis, si dolor non quieuerit conijcito (maximè cessante febre) intemperiem calidam relictam fuisse in parte, & eam solis frigidis studebis mitigare: aut malum iam in inflammationem mutari, cuius signa paulò inferiùs leges.

Verùm si ex frigida causa malum originem traxerit, expende ac diligenter primò cõsidera, impacta ne in renum cauitatibus & vasis exístat, obstruens & disten-

dens ac intemperans ipsos renes, vel aliunde fluat denuo, siue per interualla affectus repetierit, siue denuo factus inopinatò affligat. Nam si aliunde fluat, fluxionem primò inhibere oportet, ne calidis auxilijs & ijs quæ discutiendi vires habẽt, maior fiat ad partem dolentem humorum prouentus: quod sanè facies cognita fluxionis origine. Quippe si caput fuerit & dolor plurimum nõ vrgeat, verendum non est vomitibus, aut pilulis quę caput respiciant purgare, & postea omni caput-purgiorum genere materiam fluxuram minuere: aut si dolor id nõ permiserit, aliò fluxionem auertere frictionibus, ligaturis, & brachiorum lauacris. Verùm quia vbi dolor vrget, leuiora hæc sunt, quàm oporteat, cunctandum non est sanguinem primò & ante omne aliud præsidium mittere, ex ea vena quæ membrum à quo fluxio prolabitur respiciat, & si eo adhuc sufficiẽter extracto dolores perstiterint, ex talo renis non dolentis sanguinem detrahes, parciùs tamen quàm in calida causa, & mox partem fouebis decocto camemali, meliloti, anethi, stœchados, ireos, fœnugræci, seminis lini, parietariæ & similium. Et si constiterit adhuc dolorem non quiescere, cucurbitam citra scarificationem parti appones, & desuper emplastrum quod recipit myrrhæ, thuris. ana. ʒ.iij. seseleos, squinanti. ana. ʒ.iiij. farinæ fœnugræci & seminis lini. ana. ʒ.j. & ℈. florum camemali, meliloti, anethi & ireos. ana. ʒ. ij. olei camemelini & cinnamomi quod sufficiat vt fiat emplastrum. Item inunges renum regionem oleis calidis, maximè oleo ex radice cucurbitæ siluestris, destirace, de theriaca, balsamo, hyperici, de Mathiolo & similibus: præsertim per clysteria iniectis, cum vino & decocto fructus alkekengi & herbarum calidarum. Verùm si ne his quidẽ cessauerit fluxio, ac diuturna fiat & per interualla reuertatur, fontanellam brachijs aperies, si ex capite fluxio prolabatur, aut cruribus, si prope renes membrum trãsmittens degat. Cessante fluxione, ei humori qui impactus renibus manet, prouidere oportet his quæ renes purgare nata sunt, & his etiam quæ diuretica cùm sint, renes ipsos ab spurcitia impacti humoris abstergere vires habent. Quo casu etiam hæmorrhoidarum prouocatio & apertio summopere ab Hippocrat. 6. aphoris. laudata est: quippe hæ à crassis humoribus ac melãcholicis recrementis renes purgare natæ existunt. Præterea therebinthinæ vsum mirum in modum prodesse scimus, ac rhabarbari & agarici dilutum in aqua graminis: item lac seminis cartami, cum oximellite decoctionis petroselini & asparragi. Prosunt & expressiones seminum diureticorum calidorum: tandem in vniuersum ea medicamenta quæ copiosa reperies capite de calculo renum. Extrinsecus verò emplastris veteris, quæ vim habẽt cõcoquendi & discutiendi, vt loco dicto latiùs reperies, & capite etiam de hydrope: nec minoris momenti est in hoc affectu vsus theriacæ & mithridati. Quibus factis, si adhuc dolor perstet noctuque magis, & cum febre ac partis pulsatione, coniectandum est in inflammationem verti. Verùm si perstiterit, & per interualla repetat, ex fluxu vel flatu aliunde ibidem transmisso arbitrandum erit proficisci.

Quòd si flatus crassi & densi occasione renes doleant, considerabis priùs, sint ne flatus intra renes & venas eorũ, aut in inuolucris, quod nosces ex fixo dolore & permanẽte, si intra renes sit flatus, vel quòd per interualla succrescat, si in inuolucris, præsertim si flatu excreto laborans sentiat leuamen: tunc vltra considerabis, prę sit ne in corpore, maximè in venis, crassorum crudorumue excremẽtorum copia, ex quibus flatus subingrediantur venas renum aut eorum inanitates: quod si constiterit adesse, purgabis primò corpus hiera & casiæ fistulæ pulpa, vel hiera sola, aut decocto seminis cartami in liquore. 9. infus. rosarum facto, vel pilulis ex agarico

agarico & aloë factis, aut vltimò melle ex rosis Persicis, vel terebinthina. Quo facto, aut antè si dolor vrgeat, potum aquæ feruidæ ex cinnamomo aut anisi vel camemalo porriges, vel decoctum agnicasti cum melle, aut saccharo, si homo biliosus sit vel febris adsit. Item prodest decoctum seminis angelicæ, cinnamomi aut anisi: theriaca etiam, diaciminon, dianisum, electuarium aromaticum rosaceum: sicut ex vsu est mellis rosacei calidi. ʒ.ij. bibere ante prãdium: tandem his quæ vrinam moueant veteris. Verùm si intestinorum aut ventriculi vitio cõstiterit renum inuolucris præstitum esse flatum, tunc quidem principium curationis auspicari oportet à clysmatis, quæ vim habeant aluum purgandi: quo facto vomere coges laborantem, & si dolor adhuc perstiterit, clysmatis discutientibus veteris ex decocto cimini, calamenti, anethi, rutæ & camemali, cum vino albo & oleo amygdalarum dulcium, anethi vel camemali cum melle rosaceo. Quibus factis vẽtriculum purgabis aliquo ex prædictis pharmacis: à quibus prosunt emplastra & fomenta supra renes adhibita, quę ex eodem decocto, vino & oleo parari possunt, vt capite de colico dolore latiùs scriptum reperies. Ac si nihil horum profuerit, cucurbitas siccas parti & prope ipsam appones, & si cum hoc dolor creuerit, scito aliquid humoris iam in renes confluxisse, quod vel inflammationem, vel dolorosam obstructionem moliri incipiat, ita vt nouam prouidentiam prærequirat.

Inflammationis renũ natura & curatio.

Cùm communis omnium inflammationum natura vna sit, eademque in omnibus, & sæpius in hoc opere eius meminerim, sat est hac in parte statuere, renum inflammationem esse tumorem calidum præter naturam, excitatum ab humoribus calidioribus in substantia vel angustis eorum meatibus, aut in his quibus tegũtur membranis ab ortis. Cuius sanè causam arbitramur esse fluxionem humorum, prę sertim sanguinis calidi & crassi, aut tenuis & biliosi: item paulatina crassorum congestio, quæ prohibito naturali effluxu, in putredinem agitur, ac certum quendam inflammationis modum gignit, à quo pus etiam mingi solet, & dolores ac labores inflammationi persimiles succrescunt, diutiusque perstant, & cùm nullis cedat auxilijs, tandem in puris mictum degenerat, cùm nulla vera inflammatio præfuerit, sed solùm humorum collectio, haud secus quàm pituita à capite defluẽs in pulmonem, verti in pus affirmat Hippocra. Assolent etiam prædicti crassi succi immodico renum calore resoluta parte tenui, in durũ verti tumorem: haud secus quàm ex inflammatione, vel vltra modum resoluentibus adhibitis, vel intempestiuè & diutiùs præstitis, quæ frigida sunt, indurari contingit.

Differentiæ verò harum inflammationum quibus tentari possunt renes, interdum à diuersis partibus quæ in renibus afficiuntur, accipiendæ sunt, vt Gal. 6. apho ris. 5. aperte docuit: nam aut inflammatio exteriorem eorũ tunicam & partem ad illam attinentem apprehendit, aut venas & arterias quæ ad renes conscendunt, aut substantiam carneam, aut membraneum illud corpus quod in interiori renũ ventre prętensum est. Item à diuersitate humorum ex quibus constat fluxio, differentiæ non parui momenti capi possunt, quia aut à crassiori sanguine, aut à biliosо & tenui pendent, si vera est inflammatio, aut si spuria, ex crassa pituita in cauitatibus putrefacta.

Causæ.

Fluxionis enim multæ possunt esse causæ, nimirum copia vitiosorum humorum in toto, aut in iecore, vel in partibus vicinis, maximè si hæmorrhoides aut menses supprimantur, renibus existentibus languidis, aut quauis alia occasione, qualis est ictus, casus, aut percussio. Item medicamenta diuretica, & quæ ad renes euocare aut allicere possunt prædictos succos. Insuper labores, exercitia aut dolo-

res earun-

res earundem partium,ſicut vehementes & continuæ equitationes, aut illarum partium cingulis vel faſcijs arcta ſtrictura,vel emplaſtrorum calidorum intempeſtiua adhibitio,corpore exiſtente pleno.Item defluxus à capite,aut cruditas ventriculi,vel iecoris improba ſanguificatio,quo ſanguine cum ſero attracto nihil mirum eſt,ſi aliquid in renibus permaneat,concitans grauiſsimos & diuturnos dolores,ac poſtea puris formam accipiat. Cui etiam damno cauſam præſtat conſueta & vtilis ſuppreſſa vacuatio,ſiue ſanguinis ſiue cuiuſuis alterius ſit ſucci. Præterea induratorum tumorum duplex cauſa exiſtit:vna caliditas quæ reſolutione nimia induret:altera verò frigiditas quæ condenſatione & concretione idem efficiat.

Signa. Signorum verò,quibus in renum inflammationibus opus habemus, quædam ipſam monſtrant inflammationem: nonnulla locum in ipſis renibus inflammatum:alia humorem confluentem aut ibidem aggregatum:item nõ pauca ſuppurationem,aut terminum ipſius tumoris. Sic profectò doloroſum renum affectum inflammationem ſequi monſtrat continens febris,quæ maior minorue eſt,pro ratione maioris vel minoris inflammationis,aut calidioris,vel minus calidi humoris. Tamen vt refert ex Rufo Aetius,frequentiſsimè frigent partes extremę,vt manus ſuræque & pedes : adeſt quoque frequens orripilatio, & circa noctem febris exacerbatur:dolor etiam aut grauitas in regione renum adeſt,qui ſanè aut acutus cum tenſione quadam eſt,& interdum adeo vrget, vt nequeant recti ſtare laborantes,vel vt Aetius refert,incedere:maximè vt Auicen. docet cùm membranæ quibus inuoluuntur aut connexi ſunt,inflammantur:quippe dum homo erectus eſt,tenduntur magis,& ob id intenſiùs dolent,& pari ratione laborans neque ſternutamentum fert neque tuſsim,ob concuſsionem partium inflammatarũ, quia maior concitatur dolor.Pari prorſus ratione,ſupinus æger minus moleſtatur quã pronus,quòd hac figura penduli exiſtant renes, & ob id ponderis ſenſu afficiantur:ſic dum in latus renis affecti cubant,leuiùs ſe habent, dum verò in contrariũ, ea lege deteriùs. Doloris autem modus in omnibus grauior eſt, licèt Aetius pulſatilem ſtatuerit,quod cenſeo dixiſſe, dum ipſum renis corpus inflammatum non eſt:nam eo tempore pariter Hipp.& Galen.fatentur graui dolore premi:verùm ſi membranoſæ aut arterioſæ partes inflammentur, aut ipſa inflammatio magna ſit,mirum non eſt ſi pulſatio quoque accedat. Præterea ob conſenſum quem renes habent cum laxiori inteſtino,vt Galeno viſum eſt.6. popu. vel vt refert Auic. ob colligantiam cum iecore,& ob id cum ventriculo meſeraicarum ratione, vomitus pituitæ protinus ſubſequuntur,ac mox bilis,& nonnunquam eruginoſæ,ob calorem iecori communicatum:quo fit vt deliria & cibi faſtidium, minutæ excretiones,anguſtia,animi deliquium & exſudatio ſuccreſcant. Vrina verò in principio tenuis & aquoſa,in qua nil ſubſidet,& inflammatione procedente, rubicunda,craſſa & mucoſa. Humorem verò inflammationem efficientem eſſe bilioſum monſtrant acuti dolores & intenſiores febres, & omnia ſymptomata valentiora, cum faciei & oculorum rubore ac mentis perturbatione : vrina pauca, tenuis & acris:cùm verò ſanguis copioſior eſt,grauitas adiungitur, & vrina rubicundior & craſsior exiſtit. Frigidum humorem atteſtantur tenſio maior, & maior longè grauitas,vrina decolor & craſſa,nonnunquam ſanie perfuſa,corpus & facies maximè tument & frigent,ac dolor obtuſior & moleſtus. Melancholicus humor rarò confluit ad renes,neque ſcirrhoſum tumorem gignit, niſi per alterius indurationem, vt mox referam,ſi priùs dixero quibus ſignis pars affecta in renibus dignoſcatur. Quippe cùm partem ſolam renis occupat inflammatio,dolor non eſt acutus, ſed potiùs

potiùs quaſi pondus percipitur,& quaſi tenſio : nam intumeſcente ſubſtantia carnoſa,diſtenditur eius membrana,& grauans diſtendit membranas quibus dorſo alligantur. Quòd ſi membranam inflammatio apprehendat,dolor eſt acutus, ſicut dum vaſa & internas eorum membranas obſidet. Quo fit vt rationi conſonũ videatur,dolorem acutum,qui membranas inflammari deſignat, pariter quoque bilioſam monſtrare inflammationem,aut tenuium humorum: ſicut obtuſum renum carnẽ, vel ex craſsis humoribus: nam tenues ſucci faciliùs membranas permeant quàm craſsi. Dextrum verò aut ſiniſtrum inflammari,cognitu eſt facile,ſicut difficile quo ſe vertat inflammatio:quod nunc monſtrare aggredior. Quippe ſi per reſolutionem abitura eſt, vrina ex cruda,cocta & coloratior apparet, quia ſignificat aliquid ab inflammatione reſudare,maximè ſi dolor mitior fiat,& febris quodammodo remittatur. Verùm ſi vrina crudior perſeueret citra doloris aut febris remiſsionem, conijcies nihil ab inflammatione diſcedere ,& ob id in abſceſſum vel ſcirrhum abituram:in ſcirrhum quidem,ſi alba & aquoſa perſtiterit vrina, & dolor plurimum remittatur,ac pulſationes quæ præfuerant deliteſcant : in abſceſſum verò, ſi tenuis ſit,ſed rubicundior,cum dolorum ac febrium maiori exacerbatione,quæ nullis cedat auxilijs:cum verò iam pus fieri incipit,rigores cum febribus admiſcentur non pauci,& inæqualiter apparentes, idque magis iuxta ſolis occaſum. Aderit quoque prope ilia tumoris veſtigium,cum ingenti dolore & calore ac magno ponderis ſenſu,ſi æger in ſanam partem accubuerit. Quæ ſanè accidentia perfecta ſuppuratione mitiora apparent, à quibus plerunque liberantur homines,vel copioſa vrina micta cum copioſo ſedimento & probo, aut hæmorrhoidum fluore,& vltimò puris copioſioris mictu.

Curandi ratio. Cùm phlegmonum omnium vna communis exiſtat medendi ratio, non oportet iterum quæ ſæpius diximus repetere:cæterum in particulari,eum victum ſic affectis inſtitues,qui parcus cùm ſit,primis ſolùm diebus humectioris exiſtat naturæ & lenis,quo non ſolùm citra maximum laborem natura beneficium capeſſat, ſed etiam lenes & mulcebres reddant vrinæ meatus conſcendentes ſucci. Sic ptyſana,panis lotus,ius pulli vel eius caro ex vſu eſſe ſolent, ſicut noctu ius ſolùm vel ptyſana,aut pyrum ſaccharo conditum:denique ad humidum & modicè frigidũ primo acceſſu inclinet:& potus ſit aqua ſaccharata,loco aquæ mulſæ,quæ poſtea maioris eſt momenti quàm in principio,aut aqua hordei ad crepaturam decocti, maximè ſi ei miſcueris puriſsimæ aquæ medietatem, quo minus ingrata fiat. Verùm licèt in quantitate exhibenda authores euarient, ea tamen inſtituenda venit, quæ acres compeſcat ſuccos , citra id quòd plurimum vrinam adaugeat: item valde frigida non ſit,ſed bibita paulatim,ſi aliter bibi non poteſt , appetunt enim ficcientes ægri frigidum potum:cuius loco, vt ſiti & renibus prouideamus, aquæ puriſsimæ ſerapium violaceum aut de portulaca addere oportebit. Victu igitur,quiete atque animi tranquillitate inſtitutis , velut in reliquis inflammationibus,curandi ratio qua lege inſtituenda ſit, perdiſcendum eſt. Cuius occaſione in memoriam reuocare oportebit,tripliciter renes inflammari poſſe : nimirum per paulatinã(vt ferunt)congeſtionem : vel per defluxũ:ac vltimò pituita intra renũ cauitatem collecta. Præterea præmittendum eſt , inflammationem quamuis vno è tribus modis poſſe terminari:videlicet per abſceſſum,per reſolutionem , & vltimò per indurationem,ita vt Medico incumbat, naturæ motum & efficaciam rimari,vt illum ſequatur,aut impediat,ſi opus fuerit:alioqui non leue in curationibus ſequetur incommodum , ſi contraria adhibeat præſidia eis quæ natura expoſtulat.

ſtulat. Quapropter placuit vniuerſam tumorum præter naturam in renibus curationem in duo membra diſſecare: quorum alterum omni inflammationi, vtcumque fiat, proficuum & commune exiſtit: alterum verò naturæ modum ſequi docet, & prout ipſa poſtulauerit, inſtituit vel reſoluere, vel ſuppurare, vel quoduis aliud munus exequi. Quatenus verò ad primum attinet, tria ſunt præſidiorum genera, quæ omnibus inflammatis particulis proficua ſunt & communia, vtcunque inflammatio principium ſortiatur: primum ſanguinis miſsio & expurgatio: ſecundum repellens auxilium: tertium verò ſi prædictis impediri non poteſt: reſoluens aut ſuppurans. Verùm hac lege diſpenſanda veniunt, quòd ſanguinis miſsio plerunque eis inflammationibus, quæ per decubitum fiunt ex vſu eſt, reliquis verò nequaquam aut rarò, & non niſi ob ſuppreſsionem alicuius ſanguinolentæ vacuationis: quo tempore ſatius foret ipſam reuocare. At expurgans medicamentum his quæ per paulatinam congeſtionem fiunt, reliquis verò rarò, nam frequenter ab expurganti medicamento fluxiones citatiores fiunt. Præterea inflammationibus illis ſpurijs, quæ pure facto aut fiente in cauitate renum concitantur, longè diuerſo modo opus eſt pharmaco purgare: nam ſi aliquid eſt fluxurum, illud pharmaco (quod ſecretum ſit à ſanguinis natura) auertere & educere oportebit. Verũ ſi impactum quid in vijs fuerit, per id quod per renes purget, vel per diuretica educi debet. Sic profectò, cognita hac inflammationis natura, primò purgabis caſſia & terebinthina, quantum ſat ſit, vt quod abundat iuxta prædictas vias, euoces ad communes ventris canales: poſtea verò tertio vel quarto quoque die, pilulam terebinthinæ porriges cum ſaccharo aut puluere liquiriziæ, qua quod in via vrinæ continetur purgari poſsit: poſt verò caſsiam cum puluere liquiriziæ, aut aquã hordei & graminis cum ſaccharo porriges. At repellentia ſola primò & neceſſariò inflammationibus quæ per defluxum fiunt, adhibenda ſunt: non ſolùm per externa, ſed per interna etiam, ne calidi renes quod à tergo repulſum eſt trahant: quæ ſanè auxilia ſpuriæ inflammationi adhibenda non ſunt, ne maior fiat ad cauitates renum retroceſſus: eis tamen inflammationibus quę paulatim fiunt, adhibenda quidem ſunt, verum admixtis reppellentibus, haud ſecus quàm quæ per defluxum fiunt, dum ſunt in augmento. Quibus conſtitutis dum per defluxum fit inflãmatio, initiũ curationis auſpicari debet à ſanguinis detractione, in qua exequẽda, nulla ſubeſt dubitatio, licèt de loco vbi fieri oporteat non parum digladiatum ſit: cum hoc tamen dimiſsis authorum rationibus, artis vniuerſalia præcepta conſulunt, corporis & morbi ſtatum ac tempus eſſe inſpicienda, vt controuerſiæ diluatur omnis occaſsio. Quippe corpore nimis pleno, à brachijs, iuxta optimam medendi rationem incipiendum eſt, ac licèt plenitudo non ſit adeo inſignis, ſi fluxio adhuc in principio eſt, pari ratione ab eius origine, ſi haberi poteſt, aut ad quã diſtantiſsimam partem reuellendum fore, eſt coniectandum. Deorſum enim vergunt humores facta collatione à iecore fluentis ſanguinis origine, & ob id ad ſuperna euocare rationabilius videtur. Verùm ſi vel plenitudinis maior pars depoſsita ſit, vel vrget magis quod in parte inflammata impactum exiſtit, vel prope ipſam iam iam in inflammationem commigraturum, proculdubio per venas tali deriuari commodius eſt: id enim ſonant omnes Galeni & Hipp. ſententiæ, quamuis ambigere renes dictum ſit. Itaque tantum ſanguinis detrahes ex brachio, quãtum plenitudinis maiorem partem depoſuiſſe viſum ſit, & parum infra ſi vires id non permiſerint: ex talo verò eam copiam detrahes, ſi vires id patiantur, quæ doloris inclementiam ſedare poſit, ſin aliter alijs auxilijs, antequàm vires labantur, quod

Sanguinis detractio.

quod reliquũ eſt, diſcutere tentare oportet, aut quàm citiſsimè in pus mutare, ante quàm maior pars renis exeſa, ſanitati poſtea omnino reluctetur.

Verùm liceat ne ita liberè medicamentis vti, quæ vel vrinas moueant, aut ventrem ſoluere poſsint, non eſt ita facile dirimere. In quare ſtatuẽdum eſt, inter initia humoribus concitatis & crudis, ac inflammatione ipſa efferueſcente, nequaquam purgans medicamentum exhibendum fore. Cum hoc tamen non interdicimus mox à principio, ſi præſint cruditates in primis venis, ne calore ad partem dolẽtem irruant, caſia aut manna cum ſero lactis purgare: nec non tranſacto inflammationis impetu, aut ante ipſum, ſi humor præparatus ſit, ac eductioni facilis: cui muneri ſerapium ex infuſionibus violarum, aut decoctũ mercurialis cum ſaccharo, vel catholici modicum porriges. Verùm quatenus ad ciendas vrinas attinet, non ita liberè facies, ſed ſolùm vbi perfectè coctæ fuerint inflammationes, alioqui exacerbabis longè magis, & maiorem euocabis affluxum, vt doctiorum ferè omnium eſt decretum. Quapropter differendum eſt, donec quieuerint dolores, & ceſſaſſe fluxionem compereris. Quo tẽpore ex vſu eſt decoctum (ex aqua, vino & melle) graminis, petroſelini, acori, chamępitys, caſię & polij & aliorum quæ citra magnam caliditatem id munus præſtant, velut ſunt emulſiones ſeminum frigidorum maiorum, & cichorij ac pimpinellæ decoctum, cum ſaccharo & aqua lupulorum.

Sanguine his omnibus modis miſſo, & cucurbitis ſuris & femoribꝰ à tergo affixis, & ſcarificatis, ſi neceſſariam ſanguinis detractionem nõ ferat laborãs, ſtudendum eſt omni arte fluxum humorum, aut ſaltem eum qui in proximis eſt partis affectæ venis repellere: primò quidem per clyſteria, quæ ſedandi dolorem, attemperandi ac modicè repellendi vires habeant, quale eſt quod recipit maluæ decoctum, ptyſanæ ſuccũ cum oleo roſaceo: item decoctum ſolatri cum oleo roſaceo & mucagine ſeminis pſyllij: valet & hordei decoctum cum eodẽ roſaceo. Quẽ quoq; vſum præſtat id decoctum quod recipit ſolatri & capitum papauerũ, olei roſarũ & violarum ana. ℥.ij. ſeri lactis caprini. ℥.iij. Quòd ſi alui excremẽta ęgre prodierint, ac dura admodũ ſint, tunc quidem ex vſu eſt decoctũ maluarum, betæ, violarũ & hordei lib. j. cui adde olei violacei. ℥.iij. butyri recẽtis & adipis anſeris. ana. ℥.ß. ac ſi opus fuerit, adde catholici. ℥.ß. excretis fęcibus, iterũ ad clyſteria quæ modicè refrigerent cõfugiẽdũ erit, dũmodo neutra in magna ſint copia, ne renes ab inteſtinis cõprimãtur.

In eundem etiam vſum extrinſecus, incipiente & increſcente inflammatione, adhibebis oleum roſaceum cum modico aceto & ſucco polygoni & portulacę vel lenticulæ paluſtris: quẽ quoq; vſum præſtat id quod recipit olei roſarum & violarũ ana. ℥.ij. calefiant cum cera alba, & adde ſucci coriandri, cichorij, & portulacæ. ana. ℥.ß. aquæ roſarũ. ℥.j. aceti modicũ, & fiat ad modum linimenti. Pręſtat & polygoni ſuccus cũ oleo roſaceo & albumine oui, aut ex aliquibus ex his ceratum conficere, quod maximi eſſe momenti authores arbitrantur: præſertim quod conficitur ex oleo roſaceo, ſucco portulacæ & modico aceto cũ cera: præſtat & refrigerãs Gale. cum oleo omphancino: item vnguentum roſaceum cũ vnguẽto populeone. ana. ℥.j. quibus adde olei roſacei quod ſufficiat vt fiat linimentum. Magni etiã vſus eſt vnguẽtum de cucurbita cũ oleo omphancino ac pulueribus ſanthalorũ & roſarũ. Itẽ emplaſtrum quod recipit foliorũ violarũ, farinæ fabarum. ana. ℥.j. farinę hordei ℥.ij. ſanthalorũ rubeorum & roſarum. ana. ℥.ß. olei roſarum. ℥.ij. ſucci ſolatri quod ſufficiat vt fiat emplaſtrum: quòd ſi prodeſſe nõ videatur, addere oportet ſeminis pſyllij & papaueris. ana. ʒ.iij. mãdragoræ. ʒ.j. opij. ℈.ß. vel ſi placet cõficies vnguẽtũ ex roſaceo & granis. vj. opij cũ croco & vitello oui, & alia multa quæ reperies. to. 2.

cap.de his quæ renes refrigerant. Quòd ſi efficaciùs dolere cum hoc cõperiamus, aut ſaltem parum prodeſſe, coniectandum eſt iam aliquid in parte adeo eſſe impactum,quod diſcuſsionem deſideret,& eo tempore addere oportet quæ vim habeant reſoluendi ac digerendi,cuius naturæ eſt fomentum ex decocto camemali, anethi, meliloti, fœnugræci, ſeminis lini,althææ & maluarum:vel proderit prædictis vnguentis addere adipem gallinaceum aut anſerinum cũ oleo camemali.Ac ſi conſtiterit affectionem iam euidentiùs inclinare,quæ validiùs diſcutiunt miſcenda ſunt,velut eſt oleum in quo ferbuerit polium,abrotonum,chamæpitys,aſarũ & flos iunci odorati cum modico aceto: item ex pulueribus earundem rerum cataplaſma efformare oportebit,cum decocto camemali,aqua mulſa & vino,addita farina fœnugræci & ſeminis lini cum radicibus & folijs althææ. Quem quoq; vſum præſtant aquæ dulcis balnea,quibus principio tranſacto,tutò datur vti,non ſolùm reſolutionis,verũ & doloris ſedandi gratia.In exequendis tamen his omnibus operibus,expendendũ diligẽter eſt, ne plus iuſto refrigerantibus vtamur,ne indurari materiã contingat,vel calfacientibus,ne in pus ſi accedat humiditas, vel in immedicabilẽ duritiẽ cõmigret inflãmatio:quapropter non eſt ab re parum aceti prędictis fomẽtis addere,ſiue reſoluere,ſiue quid aliud efficere velis, ſecus res ſe habet, ſi ſuppurare ſtudueris.Interim tamen dum hæc adhibentur,ſerapijs & apozematis vti oportet,quæ præter id quòd in principio refrigerent, impetum quoque fluentium humorum cohibeant,velut eſt ſyrupus roſarum & portulacæ cũ aqua cucurbitæ,hordei vel in qua aurum ſæpius extinctum ſit.Quem quoq; vſum præſtat decoctum polygoni cum ſyrupo violarum, aut aqua prædicta vel hordei cũ modico ſyrupo papaueris,dũmodo neq; cõfertim, neq; copioſè bibant: ſat enim eſt manè ſerapium ex prædictis paratum porrigere,& veſperi iulepum ſedãdæ ſitis occcaſione,qui ex aqua hordei vel deaurata,& ſyrupo violarum & roſarum conficiatur.

Verùm ſi ex febris ac dolorum & laborum exacerbationibus inordinatis,& horroribus etiam vagis,ſed noctu magis(item ex grauitate maiori percepta in rene,dũ laborans ſuper ſanum decumbit latus)conſtiterit,humorem ſuppurationis principium contrahere,quàm celerrimè curabis id fiat,vt protinus aperiatur. Quapropter, adhibebis primo acceſſu fotum cum ſpõgia ex hydrelæo ſolo,aut facto ex decocto fœnugræci,ſeminis lini,radicum & foliorum althææ. Quo facto emplaſtrũ ſupra renum regionem adhibebis,quod recipiat ficuum ſiccarum,n.vj. pinguedinis & carnis dactilorum.ℨ.j.radicis ireos.ℨ.iiij.coquantur in lib.tribus hydromellitis ad conſumptionẽ duarum partium,tunc malaxentur,& adde farinæ fœnugræci & ſeminis lini.ana.ℨ.j.olei ſeſamini & camemali.ana.ℨ.j.& fiat emplaſtrum:quẽ quoque vſum præſtabit,aliud confectum ex folijs maluarum cum mucagine pſyllij & butyro vaccino ac farina fœnugræci : vel aliud ex radicibus althææ coctis & extractis per ſetam,cum butyro & farina ſeminis lini,fabarum, fœnugræci, vitellis ouorum & croco:item cataplaſma ex farina hordeacea, cum ficuum , maluarum & althææ ex aqua mulſa decocto.Quòd ſi malignam aut ſordidiorem verearis putredinem(eo quòd acrior fuerit calor,mordacior & mali moris)tunc quidem prędictis addes aliquid roſarum,myrtillorum , erui ac lentium farinæ , quæ putredini obſiſtãt.Quo etiam tempore clyſteribus addes caſiæ parum,& olei amygdalarum dulcium,ac decoctum radicis althęæ,quo facilius ſuppuratio fiat.Quòd ſi his adhibitis,ac ceſſantibus aliquo modo febre & accidentibus,nihil purulentum in vrinis apparuerit,coniectandum eſt nondum ruptum fuiſſe abſceſſum, eſſeque difficilis apertionis:quo caſu addere prædictis oportet quæ id efficaciùs exequãtur,vt ſimũ columbinum

columbinum farinę pollinem vel liliorum alborum cæpam,ſquillam,praſium aut ſquinantum:quòd ſi adhuc non profuiſſe conſtet,tunc profectò ad diureticorum vſum confugiendum erit, vt antea retulimus : interim tamen cogendus eſt æger balneum adire , & aliquo modo moueri, clyſmataque acriora recipere,quibus abſceſſus rumpi non rarò contingit.

Quòd ſi tumorẽ præter naturam ex frigidis ſuccis oriri comperiamus,prædictis emplaſtris, fomẽtis & inunctionibus addere oportebit radices liliorũ,paſſulas ſine granis, ficus in maiori copia,folia ſenecionis, oleum baccarum lauri, farinã orobi, & non nihil eorum quæ inſcindendi & attenuandi vires habent: nam cùm craſſa hæc materia difficilioris ſit motus,non vrget idem periculum maioris fluxionis ad partem:quinimo quod impactum eſt,facilius ſecedit. Quo etiam caſu licebit audaciùs purgare,& alijs medicamentis quæ vim habeant valentiorem, vti, vt agarico & pilulis eius aut aggregatiuis cum modico agarico , vel ex terebinthina cum liquiritzia & alijs huius naturæ.

Verùm ſi pus craſsius ſit factum,& minimè mordax,aut caro vel pars inflãmata in renibus durior,prædictis auxilijs tentãda eſt apertio,& balneis ac fotibus & alijs quæ paſsim ex prædictis confici poſſunt . Cæterum ſi ad partem extimam renum inflammatio vergat, ita vt verendum ſit apertionem non futuram ad meatus vrinarios, ſed ad vicinas inteſtinorum ſedes, à quibus ad inteſtinorum inanitatẽ per tranſcolationem fit commeatus,vel pure per emulgentes iterum ad iecur & ventrem ac inteſtina cõmeante,& aliquando inter omẽtum & peritoneum, id quod non minoris momenti ſolet eſſe,diligenter cõſiderabis quid tunc agere oporteat. Quippe dum ad extima rumpi deſignat,lethalius eſt, quòd nullum illi præſtet natura exitum:cum hoc tamen omnino deſperandum non eſt, vel ipſum pus emplaſtris de ſtercore bouis reſolui poſſe,vel ex bdelio,opopanace& ſagapeno diſcutere, vel ſetone inguini è regione renis affecti affixo,quo pus expirare poſsit,nã aliquando viſum eſt,ſponte eas partes dirupiſſe.Curabis etiam id efficere vlcuſculis ferro candenti apertis,antequam inteſtina exteriùs abradantur. Quo facto,lacte veteris, balneis,ſero lactis & farre,ne febris vltra pergat,& iterum appones emplaſtrum ex lythargyrio & mucilaginibus ac oleo papaueris. Quòd ſi cõſtiterit tumorẽ ad extima vſq; lumborum vergere , & etiam tactu ſupra renes facto dolor & pulſatio ſentiatur,ita vt euidenter conſtet ambientem membranã potiùs quàm renis ſubſtantiam inflammatam eſſe(nam in hoc ſolo caſu,cẽſeo renum in lumbis apertionem ſalubrem eſſe: quippe arbitror renes ferro candenti apertos nuſquam aut rarò ſaneſcere, licèt vita ſuperſtes maneat, calamitoſa tamen & ærumnoſa) ſatius eſt ferro candenti ſupra renem affectum partem perforare,quo expiret virulenta ſubſtãtia:id autem fiet appoſitis priùs emplaſtris,quæ pus ad extima renis euocent & partem attenuent, quo facilius apertio fieri poſsit. Poſtea verò vlcus abluere tentabis ſiringa,immiſsis quæ extergendi vires obtineant. Quòd ſi in duritiẽ ac ſcirrhoſam naturam tumorem commigraſſe comperiamus, ex tenui vrina, difficultate incedendi & motus crurum, ab extenuatione item inferiorum partium, ex omnimoda doloris priuatione, cum earum partium calore & veluti impotentia quadam: tunc temporis minimè eſt medicamentis innitendũ prædictis,ſed arbitrari oportet, difficilis & penè impoſsibilis curationis eſſe : & ob id lenientibus modicè remages,& ijs etiam quæ modicè diſcutiant.Cuius conditionis eſt emplaſtrum quod recipit ſeminis lini,& fœnugręci.ana.ʒ.v.ſeminis maluæ & althææ,anethi & camemali.ana.ʒ.iiij.gummi Arabici,bdelij & terebinthinæ.ana.ʒ.iij. gummi liquefiant

in aqua calida & fiat emplastrum. Prodest & aliud ex axungijs gallinę, anatis & ine dulla crurum viruli, cum gummi Arabico & bdelio, aut modico plumbo vsto & cera: sed in re quæ parum beneficij ex præsidijs susceptatura est, hæc sint satis.

De renum vlceribus. Placuit separatim de vlcere renum tractationem contexere, cùm non solùm ex rupto abscessu, sed mille etiam causis fieri soleat. Quas tamen omnes ad tres (calculo excepto) placet hac in parte, clarioris doctrinæ gratia reducere: prima quidem ex rupto abscessu prodit: secunda ab humorum acrium, erodentium & salitorum affluxu: tertia verò à re soluente continuum, vi & impetu, siue casus sit, siue percussio aut vulnus. Omnia tamen vlcera vtcunq; fiant, vnam communem sibi vendicant curationẽ, quatenus vlcera sunt, vt paulò inferiùs sum mõstraturus, si priùs dixero, quòd licèt renum vlcus difficile non sit nosse ex dolore cum positu, ex mictu sanguinolenti puris, ex lenta febricula, ex siti & alijs huius naturæ, non tamen est ita facile ditimere, an pus illud à renibus vel à vesica profluat: neque rursus leue inuentu est, à quanam ex prædictis causis renes exulcerati fuerint, cùm id non parum ad prouidentiam vtile sit. Quapropter expendisse oportet renes exulceratos esse, non solùm signis prædictis, sed si cum vrina caruunculæ paruæ apparuerint, vt ex Hippo. constat. 4. aphor. 76. nam prædictum ramẽtum essentiæ partis affectæ proprium indicium est, vt Galen. etiam dixerat 6. de locis cap. 3. ac id maximè verum esse est arbitrandum, quo prædicta excremẽta crassiora & rubicundiora extiterint. Idem etiam distiguit fœtor eorum quæ cum vrina excernuntur: nam si fœtida sint, à vesica prodire est arbitrandum, vt Hippo. placuisse constat. 4. aphor. 80. quòd si fœtore adeo graui careat, à renibus. Præterea sanguinis aut puris quantitas idem valet scitu gere: nam copiosa sanguinis aut puris effusio, renes, parca verò, vesicam exulcerati ostendit: sicut mixta cum vrina admodum esse prædicta excrementa, à renibus prodire, impermixta verò ac veluti separata, & primò aut postremò excreta, à vesica. At vlcus ex rupto abscessu relictum fuisse, ostendunt præcedentis inflammationis signa: ex re soluente continuum, laborantis casus, & ea quę illi contigerint: ex defluxione verò, nihil horum præcessisse, sed vel suppressam fuisse consuetam aliquam vacuationem, aut hominem catarrhis frequenter tentatum fuisse, modò secus: vel corpus esse cacochymum, aut adesse membri mandantis peculiaria symptomata.

Morbi iudicium. Licèt Galen. & omnibus cõpertum sit, renum & vesicæ vlcera difficillima esse, difficiliora arbitrari debent quæ in vesica existunt, & eorum quæ in renibus sunt, grauiora esse quæ ex erosione prodeunt, sicut quæ in sinubus: quapropter ad cicatricem quã citissimè vlcus ducere opus erit, & vulnus agglutinare, alioqui in vlcus transiens graue efficitur, & grauius si inueterascit: omnia tamen in tabitudinem degenerant, & aliquando in hydropem.

Curandi ratio. Cùm mihi hac in parte solùm in animo sit, vlcus vt tale est ad cicatricem perducere, non placet causarum quæ complicationem præstant, meminisse: quippe fluxionem alibi curare iam docuimus, & ob id solùm quę vlceri prosunt scribam, prę cauens ne laborans ex vlcere in febrem aut tabitudinem migret. Vlcera quidem in conspicuo posita, nonnullam vel leuissimam sortiuntur in curatione difficultatem, ni ipsis accedat aliquid aliud, quod rectam medendi rationem aut euertat, aut remoretur: quæ sanè omnia longè grauiora fiunt, si in occulto sita sint: & adhuc longè difficiliora fient, si vel in emunctorijs aut corporis canalibus existant, vel medicamenta difficulter illuc permeare possint. Quæ sanè difficultates in renum vlceribus simul succrescere solent: quippe ob loci naturam & conditionem

conditionem vel fluxum, plerunq; sordescunt, vel præ dolore à corpore humores alliciunt, & præ caloris incremento & intemperie, non solùm caro non generatur & partes non coalescunt, sed & corpus vniuersum contabescit. Quapropter curaturo huiusmodi vlcera, hęc omnia respicere incumbit (nec non si à re soluente cõtinuum prodeat: nam eo tẽpore glutinari solùm desiderat, aut si à rupto abscessu, nam abstergi, exsiccari, carne impleri & cicatrice obduci, expostulat: vel si ab humorum defluxione, tunc enim humores aliò auertere & euacuare, ac postmodum ad prædicta opera peruenire proculdubio desiderat & consulit) & singulis prout magis minuue vrgentia perstiterit, prouidere. Sic profectò incipiens ab incumbente fluxu, siue acrium, & qui maiorem erosionem efficere possunt, siue secus: incuius prouidentia, primò eam vitæ & victus institues formam, quæ inter omnes excessus media sit, alimenta eligens boni succi & copiosi nutrimenti, ex carnibus gallinarum, pullorum & reliquarum auium, quæ optimi sint succi: nec displicet tranarum, piscium paruorum & tructarum caro. Prosunt & passulæ, amygdalæ aqua rosacea remiscentes, & nucis pineæ nuclei recentes duabus aquis macerati, panis lotus lacte, postea decoctus, far & amylum aut ptysana, & iura carnium prędictarũ. Potus parcus & non admodum frigidus, vino item albo, aut nõ impensè rubro vtatur: sin aliter aqua hordei & saccharo, vel pluuiali vti poterit. In reliquis verò mediocritatẽ dictam tueatur, cauens omnino à venere, & laboribus, & animi perturbationibus: inhabitet tamẽ locum siccioręm & in actiuis temperatum. Quòd si sanguinem nimium abundare constet, nõ ob id protinus & copiosè datur ipsum fundere, sed quantum sat sit ne dolore maior ad partem fiat affluxus: nam verendum est, si plus detrahas, ne corpus in immedicabilem siccitatem deferas. Quo quidem semel misso, ac etiam si iecur scalidum fuerit, ex saluatela, protinus à biliosis vel saliginosis recrementis corpus purgare studebis, præparans priùs humores ipsos, ac mitescens his serapijs & potionibus, quæ simul renes attemperent & modicè abstergant, quales sunt quæ conficiuntur ex decocto maluæ, scariolæ, cichorij, papaueris, violarum & portulacæ. Quem quoque vsum præstat hordei & rosarum decoctum cum saccharo, aut ipsum decoctum cum syrupo rosarum vel semini althææ, & maluarum cum syrupo violarum & papaueris, si dolor vehementius vrgeat. Quibus factis, corpus leuissimis purgabis medicamentis, ne humoribus plus quàm par sit turbatis, in affectam partem irruãt, aut vrina acrior reddatur: quapropter sat erit manna, casia, syrupus ex 9. infus. rosarum aut violarum, vel catholici modicum. Verùm quod in hoc affectu communi fere omnium Medicorum sententia, vtilius habetur, est vomendi vsus: quippe si semel aut bis in hebdomada assuescat laborans vomere, non solùm vbi salsuginosæ pituitæ, aut cuiusli bet alterius humoris crudi vbertas ad vrinã confluens malum auget, verùm etiam peccãtibus succis acrioribus, biliosis & mordacibus, quos quidẽ peculiari efficacia ad supernas euocabis partes, & eorũ non paruam portionem vomendo purgabis.

Præmissa etenim humoris prouidentia, vlceris quoque habenda est, nam si dolor adeo vrgens fuerit, quòd corpore adhuc excrementis exorte, semper ad renes aliquid confluere accidat, ipsum mitescere peculiari diligentia oportebit. Per interna quidem (præter potiones ex decoctis maluarum, violarum, hordei, & syrupum de mucillaginibus, de papauere & de portulaca, aut philonij. ℈.j iuxta laborantis & virium indigentiam) mirum in modum huic muneri inseruit vsus lactis: quod sanè non solùm sedandi dolorem, leniendi & attemperandi vires sortitur, verùm & vlcus ipsum abstergit, & quod magis ex vsu est, corpus reficit, & tabitudinẽ arcet,

arcet, vt mox referam, ſi priùs dixero, qua via ſedare extrinſecus dolorem liceat. Quod ſanè miniſterium præſtat, inunctio quæ recipit olei roſarum & violarum & axungiæ anatis. ana. ℥.ß. fundantur & colentur, & adde ſeminis maluæ, lini & orobi. ana. ℥.ß. vitella ouorum. n. iij. ceræ albæ. ℥.ij. miſceantur omnia & parti adhibe quod ſatis ſit. Prodeſt vnguentum populeon, roſarum & reſumptiuum : item oleum roſaceum & violaceum cum modico opij, aut oleum cucurbitæ vel papaueris aut violarum cum vnguento cucurbitæ. Quibus non ſolùm dolorem ſedabis, ſed & calidum intemperamentum ſępiſsime his vlceribus adiunctum attemperabis, quo faciliùs vlcus deinceps curari poſsit: quem quoque vſum præſtare aſſolent aquæ dulcis vel aluminoſæ & tepidæ balnea.

Sedato dolore curandum eſt omni diligẽtia, ne quid in renes præter naturã influat, ac ipſos etiam robo rare his quę vim habeant vlcus ipſum, ſi crudum ſit, quomodo coquere: præſtat id cerotum lithargyrij, additis maſtiche & thure, item emplaſtrum quod recipit farinæ hordei thuris & maſtichis. ana. ℥.j. myrtillorum, roſarum rubearum & camemali. ana. ʒ.vj. mellis, vini rubei, ana quod ſufficiat vt fiat emplaſtrum. Quem quoque vſum prẹſtat vnguentum aut ceratum vel emplaſtrũ confectũ ex oleo myrtino, cydoniorum & omphancino, cum ſuco polygoni, ſeu plantaginis, maſtiche, thure, bolo Armeno, ſanthalis, hordeacea vel fabacea farina, ouorum albuminibus & aceto. Poteris quoque laboranti tabellas porrigere, quæ recipiant paſſularum, fiſticorum, pini fructus & amygdalarum dulcium torre factorum cuiuſlibet. ʒ.j. ſeminis althææ & halicacabi. ana. ʒ.ß. ſeminis lactucæ & hyoſcyami. ana. ℈.ß. amyli, tragacanthi. ana. ʒ.ß. liquiriziæ. ʒ.j. ſeminis melonum & cucumeris. ana. ʒ.iij. boli Armeni. ℈.ij. ſacchari diſſoluti in aqua roſarum & capillorum veneris quod ſufficiat vt fiant tabellæ, quibus vis ineſt exſiccãdi, adſtringendi, conglutinãdi ſedãdique dolorem. Huius etiam vtilitatis eſt apozema quod recipit hordei lib. j. radicis apij & fœniculi, capillorum veneris viridium. ana. m. j. mellis & ſacchari. ana. lib. ß. coquantur ſecundum artem, & manè porriges. ℥.v. eiuſdem etiam vtilitatis eſt decoctum hordei, liquiriziæ & tragacanthi. Quem quoque vſum præſtant trochiſci, qui recipiunt ſeminum frigidorum maiorum mundatorum. ana. ℥.ij. boli Armeni, gummi Arabici, ſanguinis draconis, ſeminis plantaginis. ana. ℥.j. opij. ʒ.ß. ſeminis apij. ʒ ij. conficiantur cum ſyrupo portulacæ & fiant trochiſci. ʒ.ß.

Interim tamen dum hæc fiunt, curandum eſt omni diligentia vlcera repurgare, quod mirum in modum efficiunt decoctum hordei cum ſaccharo vel ſyrupo roſarum: decoctum etiam lentium & lupinorum cum ſaccharo: lac ſeminum frigidorum maiorum extractum aqua hordei addito ſaccharo: item ſerũ lactis cum ſyrupo violarum aut ſaccharo roſaceo. Sed efficaciùs inter omnia auxilia id beneficium præſtat lactis vſus, non tamen vtcunque & indiſcriminatim: ſed inter vlceris initia vbi maiori abſterſione opus eſt, lac aſinæ vel equæ cum melle porrigendum erit: cuius loco cum ſaccharo exhibitum mirum in modum prodeſt caprillũ. At verò vbi vlcus deterſum eſt, ipſum efficaciùs agglutinat cum corporis refectione bubulum cum ſaccharo aut melle. Eſt enim hoc præſidium vt alimentum & vt medicamentum efficaciſsimum: quippe ſeroſa parte abſtergit, caſeoſa conſolidat, butyroſa verò & pinguoſa dolores ac morſus lenit & vires reficit, maximè dũ ab vbere ſugitur. Præſtat quoque idem beneficium amylum, ptyſana, aut puls ex farina hordei, & denique alia pleraque, quæ capite de vlcere veſicæ reperies: inter quæ non minoris eſt momenti ſaccharum roſaceum rubrum cum boli Armeni modico

modico, ſuperbibita aqua pluuiali aut portulacę, vel decocto roſarum & myrtillorum: præſtat etiam huius ſacchari roſacei rubei mediocris ætatis decoctum, cum aqua lactis cucurbitæ factum: detergit etiam vlcus ac lenit dolorem, decoctum radicum althææ & cicerum rubeorum cum melle vel butyro.

Quibus factis, ſi perſenſeris vrinam puriorem excerni, puſque eſſe minus & albius ac non admodum fœtidum, ita vt poſsis conijcere vlcus ab omni ſorde eſſe immune, fluxionemque nullam eſſe ac dolorem mitigari: tunc quidem, ad ea quæ efficaciùs conſolidant, & vlcus carne implent deuenies. Cui muneri efficaciſsimus eſt puluis qui recipit terræ ſigillatæ. ʒ.iij. boli Armenici, karabe, dragacanthi, ſpodij, ſeminis melonis & citruli. ana. ʒ.ij. ſeminis petroſelini. ʒ.j. ſacchari albiſsimi ad pondus omnium, & fiant tabellæ, vel fiat opiata cum melle roſaceo aut ſyrupo roſarum, vel fiant trochiſci. Tandem ea omnia porriges, quæ ſanguinem cogere & inſpiſſare ſunt nata, vt coriãdri ſemen, iuiubas, ſebeſtem, orizam, fructus myrti, trochiſcos de corallo, & corallum arte chymica præparatum, item margaritas eãdem arte præparatas & reliqua huius naturæ, dummodo aliquid eorum quæ vrinam mouent admiſceamus, ſolùm penetrationis gratia. Item eiuſdem indicationis gratia ſupra renes adhibere oportet emplaſtrum ex lentibus excorticatis, malis & pyris ac cydonijs, granis myrti, roſis & papauere cum aqua myrti: vel fiat linimentum quod recipit ſummitatum rhu. n. iij. radicis rhamni. ʒ.j. & ß. pruna ſilueſtria. n. xij. coquantur vſque ad conſumptionem duarum partium aquæ, & colaturæ adde gummi, pulueris balauſtiorum, roſarum & amyli quod ſufficiat, vt fiat ad ſpiſsitudinem mellis, & dorſum illine.

De mictu ſanguinis, ac de renum imbecillitate. Caput. VIII.

VM ſanguinem mingere non vnica occaſione & cauſa, ſed varijs ac ex diuerſis tum locis tum cauſis contingat, & ſubinde difficillimum ſit ei ſymptomati occurrere, ob id profectò, ea omnia hoc vno capite complecti placuit, vt facta adinuicem omnium conferentia, faciliùs vniuſcuiuſque natura & ratio innoteſcat. Cui vſui primò diligenter expendiſſe oportet, renes id munus corpori præſtare, nimirum ſanguinem ipſum à ſeroſa humiditate purgare & excipere, vt in veſicam delabi & percolari faciliùs & commodiùs poſsit. Quod ſanè opus renes exequuntur, munere duorum vaſorum quæ magna ſunt & ampla: quorum alterum incumbit, ab arteria quæ ſpinæ adhæret: alterum verò à vena caua: per quæ arbitrandum non eſt trahi illam ſeream humiditatem, ſed bilioſi excrementi non parum, ac etiã tenuis ſanguinis non paruam copiam: illud quidem, ſi admodum craſſum non ſit, cum ipſa vrina permeat: ſanguis verò per vniuerſum renem aſpergitur, qui paulatim vaporis modo in totam ipſius ſubſtantiam extenditur, adhæreſcit & alimentum efficitur. Ex quibus conſtat, quòd ſi quando acciderit eundem tenuem ſanguinem ſimul cum vrina excerni, renes laborare, eſſe exiſtimandum, vt Galen. placuit. 6. de locis, & 3. de cauſ. ſympto. Vtcunque tamen fluat ſanguis ea parte (vt mox referam) ſymptoma eſt in genere excretorum immodicè, toto genere præter naturam, ſequens quidem diuerſas renum affectiones.

Quas ſanè diſpoſitiones vt quis exactè intelligere poſsit, diſtinguat primò ſanguinem mictu excretum à veſica, ab eo qui à renibus profluit. Quod optimè cẽſeo Hippoc. diſtinxiſſe. 4. aphor. 80. dicentẽ. Si ſanguinem & grumos mingant, & ſtilli cidium vrinæ habeant, & dolor in imum ventrem & pectinem, & fœmen incidat, circa veſicam labor eſt. Quod etiam clariùs expreſſerat ſequenti ſententia dicens: Si ſanguinem & pus minxerit, & ſquãmulas & grauis odor adſit, veſicæ exulcerationem ſignificat. In quarum ſententiarum prima, ne quis crederet ſemper in mictu ſanguinis renes laborare, rationem efficaciſsimam ſubiecit, qua veſicam laborare oſtenderet: ſcilicet quoties ſanguinem vel grumos mingendo, ſtillicidiũ fuerit adiunctum cum dolore in imo ventre, pectine & fœmineo. Quo loco, non eſt intelligendum, vnumquodque dictorum ſolùm ſufficere, vt conſtet ex veſica ſanguinem prodire, ſed ſemper omnia ſimul neceſſaria fore, licèt non ſemper eâdem die omnia ſimul: ſat enim eſt vt ſemper ſe conſequantur. Nam dum ſanguis è veſica fluit, neceſſum eſt & in grumos conuerti, ob id quòd paucus ſit, ob venarum exiguitatem, neque adeo proritat ad meiẽdum, cùm ſit illi familiaris, nec rurſus adeo perfectè vrinæ miſcetur, vt qui ex renibus prodit, quo fit vt in grumos facilè conuertatur. Item probatur ſententiæ veritas, quia ſi morbus eſt in veſica, neceſſum eſt dolorem ſuccreſcere pectini, imo ventri & fœmineo. Quòd ſi ab vreteribus ſit, ex poſitu doloris iuxta ilia obliquè deſcendentis, & ex ſanguinis paucitate dignoſces facilè, nam exiles ſunt vreterum venæ. Si tamen à veſicæ collo, maior erit in perineo dolor ad caput pudendi porrectus, & ſanguis purus, copioſus & cõfertim profluet. Verùm ſi à vaſis exeat ſpermaticis, vel nimius præceſſit coitus, vel acris & fœtida gonorrhœa, cuius occaſione partes illas exulcerari comperiamus. Quibus omnibus facilè colligitur veſicã laborare quidẽ, ſed per conſenſum à venulis proprijs, aut à vaſis ſpermaticis, aut ab eius collo, vel vltimò ab vreteribus. Sunt tamen alia ſigna, quæ ſanguinis mictũ ab ipſamet veſica per eſſentiã laborante profluere, oſtendere ſunt nata: qualia depinxit ſententia ſecundo loco adducta, nimirum cùm ſquãmulæ prodeunt cum ipſo ſanguine aut pure: nã credibile eſt, vas aliquod à re mordente & abradente in veſica eſſe diruptum, à quo ſanguis profluit, ſi quidem ſquãmulas non aliunde prouenire cum ſanguine quàm ab ipſa veſica certiſſimum exiſtit, maximè veſicæ dolore non attingente aliquam ex ante dictis particulis. Contingit etiam ſanguinem cum vrina excerni per colliquationem, vt in febribus non rarò conſpicimus, aduſtum tamen, tenuem & praui coloris, cuius cauſam diſtingues ex febris ardore & conditione. Prodire quidem è renibus mõſtrat tenuis ſanguinis mictus, quia eo ſolent nutriri: item ſi per circuitus exeat, ac ex ſenſu ægris iuxta renes percepto, & ex impenſa ſanguinis cum vrina permixtione, vel ſi repente maxima copia fluat, iuxta illud Hippocrat. 4. aphor. 78. Quicunque ſanguinem ſponte mingunt, ijs à renibus venula rupta ſignificatur: item ex dolore cum poſitu, ſicut ex priuatione prædictorum ſignorum quæ diximus veſicam affectam atteſtari. Solet etiam tenuis ſanguis cum vrina mingi, iecore imbecillo exiſtente, velut in hepatica dyſenteria, quod non eſt parui momenti cognouiſſe, ex tenui ſanguine qui mox à principio cum vrina mingitur, poſtea tamen craſſeſcente.

Licèt è renibus ſanguis profiliat, coniectandum eſt, non quibuſuis eorum vaſculis læſis, ſed certis ac determinatis. Quapropter ſtatutũ reperio apud peritos anatomicos, renes tribus vaſorum ſortibus frui: quippe à vena caua vtrinque in renes duo vaſa inſeruntur (nam alia duo quæ vel à vena ipſa caua, vel ab ipſis emulgentibus in

bus in duas tunicas renes inuoluentes inſeruntur, nequeunt ſanguinis mictum vlla ratione mouere, quia eorum ductus nõ attingunt cauam renum inanitatem) quæ venæ emulgentes appellãtur, inſertæ quidem in eorum partem anteriorem, quam portam renum appellant, nimirum ſimam illam partem per quam ingrediuntur hæc vaſa, & egrediuntur meatus vrinarij. Deſeruiũt quidem hæc duo vaſa delationi ſeroſi ſanguinis ad ipſos: quæ ſanè ſiue abradi, ſiue rumpi, ſiue aliter infirmari contingat, apertis vel laxioribus factis meatibus, nuſquam cauſa exiſtunt mictus ſanguinolenti, ſed cùm improbè ob aliquod ex prædictis vitijs, ſuctionis munere vtuntur, protinus homo in aſcitem tranſit, ſero inter fomentum & peritoneum collecto, vel vrina cum ſanguine vniuerſum corpus irruẽte, quo periculum ſuffocationis & extinctionis calidi ſuccreſcit. Cæterùm cùm prædictorum vaſorũ dextrum iam ſui lateris renem ingreditur, in quinque ramos diſtribuitur, & in totidem ſiniſtrum, circundãtia renis molem vſque ad ipſorum gibbam, & extremis oris mutuò coeuntia. Per quæ ſanè vaſa confluens cum pauciſsimo ſanguine ſerũ inſtillat in rerum carnem, non quidem per ora quæ mutuò cohærent, ſed per laterum poros, ſuſcipitque ren quicquid ſanguinis permixtum labitur, permittens purum ſerum abire in ipſorum renum ſinum, ex neruea ſubſtantia in ipſis excauatum, poſidenſque plures ductus & fiſtulas, in quarum extremis adſunt opercula carnea, veluti verrucæ (ſingulis vna) quæ acutæ ſunt, & parum vnaquæq; in ſuam fiſtulam ingreditur, & modicè obturat, vt vrina à venis prædictis exudãs, ſtillatim veluti per colatorium in prædictam inanitatem excoletur.

His ſic habitis ſtatuendum eſt, à prædictis venis quæ vniuerſum renem circundant (nam licèt ab vreteribus etiam profiliat ſanguis, non tamen eſt huius conſiderationis) vno è quatuor modis ſanguinis mictum prodire poſſe. Primo quidem dum ſecernens renum facultas adeo languida impotenſque eſt, aut concoctoria infirma, quòd neque ſecernere, neque ſecretum ſanguinem conficere, & ſibi in alimentum commutare poſsit, ac ex conſequenti liberè permittat ſanguinem cum vrina ad inanitatem renum defluere, & ibidem ad veſicam prolabi. Quem quidem affectum (quòd ſimilis ſit hepaticæ dyſenteriæ) renum imbecillitatem Medici omnes appellarunt, eo quòd in eo ſanguis excernatur aquoſus atque ſeroſus, & ſimilis loturæ carnis nuper mactatæ. Cuius ſymptomatis morbum, in renum frigida & humida intemperie ſitum eſſe nemo eſt qui ambigat: quo fit vt qui ſic affecti ſunt, neque ſiti premantur, neque dolore, & vrina (vt dictum eſt) ſanguinolento ſero ſimilis perſiſtat, verùm mox à cibo ferè purum exit ſerum, poſt coctionem verò cum ſpongioſo ſedimento excernitur, quod flatulenti ſpiritus eſt ſoboles, ex quo effœtam vim renum licet colligere. *Primus vriæ ſanguinolentæ modus.*

Fluit etiam è renibus ſanguis, non ſemper cum hominis damno, ſed aliquando ex vi & robore naturæ, actu nimirum excernentis facultatis, ſeſe à ſuperfluo ſanguine exonerantis: quippe ſanguis nonnunquam per circuitus ab ipſis renibus excernitur, in principio citra dolorem & laborem aliquem, haud ſecus quàm quibuſdam naturis accidit, quibus ſalutis gratia, per hæmorrhoides, per vterum, per vomitum aut fluxum ſanguinis narium, ſanguis ipſe erumpit: & cum hoc non minus ſymptoma eſt in genere excretorum immodicè (quòd hæc ſit ſanguinis excretionis conditio) & ad eorundem vaſorum reſerationem conſequitur. Quo fit vt per interualla prædicta excretio ſuccreſcat, & leuamen haud mediocre laborantibus afferat: nam confertim naturæ impetu influente ſanguine fit, qualis incriſibus contingit per anaſtomoſim, hoc eſt tunica vaſorum rarefacta, non velut in imbecillitate *Secundus modus.*

imbecillitate renum ob impotentiam: quippe ſanguine hoc excreto, leuiores fiũt homines & vegetiores, verùm vbi diuturnior efficitur affectio, læſionem retentrici etiam communicat facultati. Quam affectionẽ dignoſces & ab alijs diſtingues, quòd ſanguinis tranſitum iuxta renes ægri percipiant, & quoniam nimis permixtus excernatur cum vrina, idque per interualla & copioſè. Item quia præceſſit, vel conſuetæ vacuationis ex ſanguine ſuppreſsio, vel exercitij intermiſsio, aut vberior victus ratio, vel membri alicuius defectus, & cum hoc non ſolùm nihil mali laborantes perſentiunt, quinimo leuamen, niſi diu duret. Quòd ſi ſanguis veluti fuligo, fuſcus & ſubobſcurus prodeat, & vrina fuligine plena, cum fuliginoſo etiã ſedimento excernatur, corpus expurgari per renes, ac nonnunquam iecur ſcalfactum & exuſtum commonſtrat, aliquando tamen præludium eroſionis, aut expulſionis calculi exiſtit.

Tertius modus. Tertius fluendi modus non rarò efficitur, prædictis venulis quæ renes ambiunt & nutriunt, ruptis, ſciſsis, aut exeſis: nam licèt hæc tria diuerſa videantur, vnicum tamen morbi genus efficere habent, nimirum ſolutam vnitatem, & ipſa velut diuerſæ cauſæ haberi debent. Denique à rebus quæ ſcindendi vires habent, vel quæ rumpendi, aut ſenſim & paulatim erodendi, venæ illæ continuitatem amittunt, & ob id ſanguinem aquoſum ſibi commiſſum citra delectum & per collationem in cauam renum liberè emittunt, quo mictus ſanguinolentus efficitur. Cæterum licèt vnus ſit in his omnibus cauſarum modis morbus, diuerſas tamen vnuſquiſq; habet cauſas, & diuerſis etiam ſignis innoteſcit: quippe eroſionem efficiunt ſolùm humores acres & mordaces, aliunde in renes per vaſa dicta defluentes, quibus ſenſim & paulatim tunicæ exeduntur & ſanguis dilabitur. Quod ſanè noſces, quia ſanguis ſenſim & paulatim excernitur, cum dolore pruriginoſo renum in principio, mox cum vlceroſo ſenſu & nimis moleſto ac fixo & perſtante. At inſciſsionem efficient, quæ, velut acuta, vim habent ſoluendi continuum, ſiue ictu, ſiue caſu aut percuſsione fiat: quod facilè diſces, ſi fluxus ſanguinolenti occaſionem quæſieris: item quia ſanguis exit affatim, purus, copioſus ac repente, ſeruans naturalis ſanguinis colorem & conſiſtentiam. Præterea ruptionem efficere ſunt nata ea omnia, quæ tenſionem pariunt aut violentam extenſionem, velut eſt immodica ſanguinis copia, vel graue onus vltra vires leuatũ, aut violenta luctãdo pugna, vel quoduis aliud quod ſimilem violentiam inferat. Quod etiam noſces ex plenitudine eſſe, ſi nihil horum præceſſerit, & ſanguis abſque cauſa manifeſta proſilierit, vrinæ loco multus: quo fit vt diſsideat à ſanguine, quem iecur ad eam partem tranſmittit, qui per interualla repetit, mixtus vrinæ, & ſine alicuius partis dolore, præterquam dextri hypochondrij: id etiam diſtingues ſi prædictarum cauſarum adſit aliqua cui regerenda culpa ſit.

Quartus modus. Quarto & vltimo modo, ſanguinem per vrinam è renibus fluere contingit, præ dictis venis renes circundantibus, apertis laxioribuſque factis & oſculis patentioribus effectis, ſiue per anaſtomoſim, vt antea dictum eſt, ſiue per diapedeſim (vt multi falſò arbtrantur) id fiat, hoc eſt per apertionem oſculorum & meatuum ipſarum venarum. Quo tẽpore venas morbum in via pati eſt arbitrandum (non quidem in intemperie, vt in renum imbecillitate dictum eſt) eaque dilatata & ampliori facta, licèt id aliquando à calore prodeat, cæterum calor non eſt primò lædens actionem, vt calor, ſed via dilatata, cuius occaſione ſanguis prolabitur. Quã affectionem noſces, quoniam ſolùm tenuis ſanies ſanguinis excernitur: item laborantes nihil mali in excretione aut antè perſentiunt. Verùm licèt huiuſmodi doctrina

ctrina ab omnibus veluti probata habeatur, ego quidem, ſaluo meliori iudicio, arbitror per diapedeſim, hoc eſt per apertionem oſculorum quæ ſunt in extremis venarum, ſanguinem è renibus non poſſe fluere, ſi vera ſunt quæ de anatome horũ vaſorum antea diximus. Quippe ſtatutum eſt omnium ferè doctorum conſenſu, oſcula venarum vnius lateris renis, oſculis venarum alterius lateris eiuſdem renis, in dorſo eius cohærere & cõnecti, quod ſi verum eſt, dum oſcula aperiri contigerit, ſanguis in oſcula ſibi cohærentia commigrabit, non quidem in renis inanitatem. Quapropter cenſeo, diapedeſim hoc in loco, potius nomine (vt diſsideat à raritate vaſorum, per imbecillitatem retentricis factam) quàm re vera eſſe intelligendam, ſolùm dum ſanguis à venis exudat ob eius tenuitatem & raritatem tunicæ, magis quàm ob dictæ facultatis impotẽtiam. Et ob id nõ diſplicuit hos duos modos diſtinguere, & hanc anaſtomoſin (ſiquidem diſsidet ab ea, quæ fit ob imbecillitatem facultatis) diapedeſim more vulgi (licèt cognita penitiùs rei natura) appellare, quia in ea morbus non eſt intemperies vt in vera anaſtomoſi, ſed morbus ſolùm in via, hoc eſt, apertio & dilatatio prædictorum pororum, vel caloris vi (vt dictum eſt) vel quod reſpectu tenuitatis ſanguinis apertiores exiſtant: & ob id, in hac, vt mea mens eſt, fluit ſanguis: in vera autem anaſtomoſi, quæ imbecillitate retentricis fit, tenuis etiam, ſed dum reſidet vrina, aliquid craſsius ſubſidere neceſſum eſt: in hac verò, quam abuſiuè diapedeſim appellamus, nequaquam.

Quid ex his omnibus modis prædicere liceat. Cauere enim oportet eos, qui ex imbecillitate renum ſanguinẽ mingunt, quippe facilè in atrophiam aut malum corporis habitum commigrant: ac licèt qui ex robore excernentis facultatis id efficiunt, aliquo modo leuari videantur, cum hoc tamen temporis tractu, aſſuetudine facta, ſi ſanguis deſit fluere, graue eſt, nam ad aliam partem vergere erit coniectabile: ſi plurimum fluat, non ob id credendum eſt, ſemper fore ſalubre. Verùm ſi vena rupta ſanguis fluat, vereri oportet, ſi copioſè profluat, ne in frigidum habitum corpus mutet, in lypothymiam aut ſyncopẽ, & ſi cohiberi non poſsit ita breuiter, in mortem, vel ſaltem ob ſanguinem concretum in vrinæ immedicabes ſuppreſsiones, aut in ea accidentia quæ ſanguinẽ concretũ ſequi ſolent. Sic eroſionem quàm citiſsimè compeſcere eſt curandũ, ne in vlcus mali moris & diuturnum commigret affectio.

Curandi ratio. Licèt in omnibus prædictis ſanguinis fluoribus, eadem ſit ſymptomatis ratio, nimirum ſanguinis fluxus, & ob id vna quoque erat futura compeſcẽdi via, nihilominus tamen, quia ſymptomata, haud ſecus quàm morbi, per ablationem ſuarum cauſarum mitigari propriùs deſiderant, eo quidem duplex inſurgit in omni ſanguinis fluxu medendi ratio: altera quæ ſymptoma ipſum mitigare poſsit citra cauſæ reſpectum, quæ ſolùm nititur fluorem compeſcere: altera verò, quæ morbũ à quo talis profuſio prodit radicitus euellat. Verùm quia in curatione cuiuſuis ſanguinis fluoris, eiſdem auxilijs vtrumque fieri poteſt, nimirum & morbum auferri & ſymptoma mitigari, ea profectò ratione curationem aggrediar, initio ſumpto à renum ob diſtemperiem, imbecillitate.

Curatioim becillitatis renum. Cùm renes ob humidam frigidamque aliquando, ſed frequentiùs calidam intemperiem, contingat imbecilles fieri, ac ex conſequenti non probè ſanguinem ſecernere, & vrinam ſolam ac puram percolare, primo mali acceſſu corpus exſiccare ac modicè refrigerare (nam frequentiùs à calore renum profluit) & probè nutrire, quo vires reficiantur, opus erit: quòd ſi ſimul ſymptomati prouidere velis, ex ratione facies, & adſtringentium adminiculo exequeris. Verùm quia imbecilles partes ob intemperiem reficere & ad antiquum robur reducere, difficile eſt, & nõ

niſi

niſi diutino tempore fieri poteſt, ac in ſanguinolentæ fluxionis perſtantia maximum vrget periculum, ob id ſimul fluxum compeſcere & intemperiem corrigere, ac viribus robur addere opus erit. Cui muneri victus inſtituendus eſt exſiccãs, & optimi nutrimenti, velut eſt caro columbarum, turturum, perdicum & cuniculorum. Proſunt lentes & oriza cum lacte & panis bis coctus: potus ſit aqua chalybeata, deaurata, vel decocta ex radice chinæ, aut ex rhu. vel myrti fructibus: in quo malo cauendum eſt à vino præterquam à rubro, niſi ex frigiditate fluxio prodeat, vt his qui per loca niuoſa iter egerunt, quibus album & generoſum conuenire eſt certum. Præterea caueant omnino à venere, à decubitu ſupra dorſum, à laborioſo exercitio, & ab vſu rerum diureticarum & calidarum. Hac victus & vitæ ratione inſtituta, protinus curandum eſt præbere quæ refrigerando modicè adſtringant, ac firmitudinem renibus addant, vt quod ipſi ob contentricis impotentiã nequeunt continere, nos compreſsione & efficacia auxiliorum conſequamur. Sic corpus leuiter purgabis ſyrupo ex 9. infuſ. roſarum rubearum cum expreſſione rhabarbari, aut corticum mirabolanorum, idque primo mali acceſſu facies: ac interim dum adſtringentia adhibes, ſtudebis per vomitum corpus exſiccare potiùs, quàm per pharmaca inferiùs purgantia: vel ſaltem nullo alio vteris quàm puluere ʒ.ß. rhabarbari cum ʒ.ij. ſacchari roſarum, quod bis terue in hebdomada porriges. Quo facto præſtabis tragacanthum cum vino nigro, & ſymphitis aut polygoni ſuccum cum puluere coriandri præparati & coralli. Hunc vſum etiã præſtant trochiſci qui recipiunt ſpodij ℥.ß. verberis ʒ.iij. ſeminis lactucæ ʒ.v. cum ſucco cydoniorum fiant trochiſci, quorum ʒ. j. ex vſu eſt: prodeſt etiam injicere in ouum, extracto albumine, pulueris ſeminis lactucæ ℈. j. & decoctum ſumach, quantum teſta capiat. Conferunt & radix conſolidæ maioris, gummi Arabicum & tragacãtha macerata priùs, deinde feruefacta in vino auſtero, & ex colatura præbe ℥ j. & ß. Proſunt paſtilli de ſpodio cum aqua plãtaginis: vel boli Armeni ℈.ij cũ ſucco polygoni: aut lapidis hematitis ℈.j. cum ſacchari roſarum ʒ.ij. item decoctũ rhu cum pulueribus roſarum, corallorum & terræ lemniæ: vel illud præſidium quod recipit corallorũ rubeorum, acatiæ, balauſtiorum. ana. ℈.j. ſucci ſanguinarię clarificati ℥.iij. aquæ deauratæ ℥.ij. miſce & porrige ℥.j. Proſunt cremor ramentorum loti arboris, aut decoctum radicis ſpinæ albæ cum ſucco plantaginis in forma boli, pondere ʒ.j. item ſaccharum roſaceum cum pulueribus boli Armeni, coralli aut myrtillorum. Eiuſdem vſus exiſtunt ſerapia ex myrto, ex roſis ſiccis plurium infuſionum, addito in decoctione puluere cornu cerui vſti, aut lapide hematite, bolo Armeno cum modico aceto: prodeſt & oxiſaccharũ (dũ renes calore ęſtuãt) cum paſtillis de ſuccino, aut de terra lemnia.

Extrinſecus verò iuxta renes ad inflammationem arcendam & calorem compeſcendum, inunctiones adhibere oportet, primò ex oleo roſarum, myrtillorum ac de cydonijs, in quo incocta fuerint adſtringentia: & dorſum inſperges pulueribus foliorum rubi aut quercus, baccarum myrti, malicorij, balauſtiorum, quos etiã cum poſca aut vino adſtringenti adhibere poteris. Ex quibus etiam cataplaſmata conficies, quæ recipiunt foliorum quercus, myrtillorum, rubi & polygoni in puluerem redactorum. ana. ℥.ß. malicorij, balauſtiorum. ana. ʒ.iij. farinæ hordei. p. j. olei roſacei ℥.ij. cum poſca fiat cataplaſma. Poteſt etiam emplaſtrum parari ex maſtiche, acatia, rhu & ſucco ſanguinariæ, aut ex palmulis elixis cum aceto & malaxatis cum acatia & oleo myrtino. Prodeſt & aliud quod recipit palmularũ coctarum in vino adſtringenti ℥.iij. foliorum plantaginis. m. j. gummi tragacãthi, ſucci ſemper

peruiuiæ & polygoni. ana. ℥.ß. farinæ hordei. p. ß. fiat cataplaſma. Verùm ſi ex igne vel inſolatu prædictam fluxionem contraxiſſe principium comperiamus, nõ erit ab re dorſum vngere vnguentis, ſanthalino, roſaceo, de cucurbita ac refrigerante Galeni, cum puluerib⁹ coralli & myrtillorum, vel ex eiſdem ceratum conficere, & alia quæ tom. 2. cap. de his quæ renes refrigerãt & calfaciunt copioſè reperies ſcripta.

Curatio ſi ex vbertate ſanguinis prodeat mictus.

Dum ſanguinis ea copia in corpore viget (quacunque cauſa ſit) quòd natura cogatur, melioris gratia ſeſe exonerare per renes, non protinus cohibendus naturæ impetus, ſed primò permittere quod redundat fluere, aut parum minus, poſtea verò, ne vel natura aſſueſcat, vel imbecillior fiat, ſiſtere omni arte ſtudendum eſt. Quod ſanè opus duobus modis facies: primo ſanguine miſſo, aliquando in interuallo huius fluxionis (quòd fluxio hæc per circuitus plerunque repetat) vt aua ra facta natura, quod ſupereſt contineat: nonnunquam verò mox ab ipſo mictu, vt facta reuulſione eius quod fit, commodiùs fluxio cohibeatur. Cui vſui parcè & vt ferunt per partitas vices ſanguinem detrahes, ſolùm quidem quantum ſat ſit, vt fluentis impetum aliò euoces & ſubinde compeſcas: ſecundo verò quòd natura veluti impetu ruens nõ ſe poſsit cohibere, aut forſan quia ſucceſsione eius quod vacuatur, in eam partem ſeſe inclinat: quo tempore fluentis ſanguinis impetum compeſcere opus erit, his quæ intrinſecus ſanguinem dẽſent & incraſſent, ac exteriùs vias contrahant. Sic autem locum iuxta renes ſpongia poſca imbuta irrigabis, aut linteis cum roſaceo & aceto & ſucco polygoni, cytoniorum aut ſem peruiuiæ: item ex prędictis emplaſtris aliquod porriges, aut oleum omphacinum, myrtinum, vel cytoniorum cum puluerib⁹ coralli, roſarum & ſanguinarię. Per os verò aliquid eorum quæ mox diximus partes firmare ac ſanguinem dẽſare poſſe, porrigere oportet: velut eſt ſaccharum roſaceum vetuſtius ſolum, cum aqua deaurata, aut cum puluerib⁹ coralli, boli Armenici & lapidis hematitis. Sed inter omnia prodeſt victus parſimonia, & maximè potus, vini abſtinentia, habitatio ad frigidum vergens: tandem ſi conſueta aliqua ſanguinis euacuatio ſuppreſſa fuerit, eam reuocare protinus ſtudebis, ſin aliter, ſuperiorum partium frictionibus, ligaturis & omni diuerſionum genere tentandum eſt fluentem ſanguinem aliò tranſferre.

Curatio fluxus ex ſolita vnitate.

Vt ſoluta vnitas vnius rationis non eſt, ita diuerſam quoque expoſtulat vnionis formam ac viam: quippe aliter vniri deſiderant, quæ eroſione ſoluuntur partes: aliter quæ ſciſsione, & aliter etiã quæ diruptione. Sic profectò vbi corpus adeo eſt vitioſis ſuccis conſpurcatũ, quòd eis ad renes cõfluentibus, cõtingat eorũ vaſa exedi & exulcerari, primò ſtudendum eſt ab omni humorum ſpurcitia corpus immune reddere, inſtituta ea victus forma, quæ præter id quòd præexiſtentes ſuccos attẽperet, vtiliores gignat, & carnis renutritioni idonea ſit. Quẽ vſum inter alia præſtant auiũ carnes, & earum ac animaliũ paruorũ extrema, vt hœdorum, porcellorũ, anatum & anſerũ. Proſunt iura optimè ex carnibus prædictis expreſſa: item vſus amyli, farris, hordei cremoris aut eius farinę, ac inſuper orizę, aut cibus albus appellatus & oua ſorbilia. Potus ſit ex aqua deaurata, maximè ſi priùs ferbuerit cum cinnamomo aut ſcorzionera. Præterea ante omnem medicamẽtorum adhibitionẽ, corpus purgare inſtitues, exhibitis priùs ſerapijs, quæ cacochymiæ conditionẽ reſpiciant: velut ſi biliоſa ſit, quæ bilem frenẽt, vt cichorij, acetoſæ, de ſucco agreſtæ, roſarum, de ſucco limonum & de granatis, cum aquis hordei, intybi, lactucæ vel portulacæ: verùm ſi ſalſa fuerit pituita, ſyrupo veteris violarum, portulacæ, borraginis &

ſimilium cum aquis prædictis. Quo facto, ſemel maiorem cacochymiæ partem purgabis, ac poſtmodum per vices & interualla veteris infuſo rhabarbari & corticum mirabolanorum,in aqua lactis aut decocto papaueris, portulacæ vel hordei: & tandem alijs veteris, quæ ſæpius diximus humores acres & mordaces poſſe purgare: nec non & pituitoſos ac ſalſos:cuius naturæ ſunt agaricus, ſemen cartami & folia ſenæ,vbi infundantur in aliquo ex prædictis decoctis. His quidem factis, eis medicamentis intus & extra veteris,quæ præter id quòd vires habeant retundendi acrimoniam humorum, leniendi & obturandi potentiam ſortiantur, non quidem adſtringendi: quippe hæc preſsiùs adhærere cogunt tunicis venarum acres humores,quo maiores fiunt eroſiones.Huius farinę eſt medicamentum quod recipit lactis ouini. ʒ.iiij. aquæ meliſſophylli. ʒ.j. boli Armeni. ℈.ij. ſpicæ. g.vj. idem præſtat beneficium quod recipit lapidis hematites.℈.ij. aquæ colaturæ amyli, vel violarum aut portulacæ. ʒ.iij. Eundem etiam vſum præſtat, & adhuc humorum acrium influxum ad renes cohibet, id quod recipit mucaginis ſeminis papaueris albi. ʒ.℥. pulueris dragacanthi. ʒ.j. & ℥.trochiſcorum de karabe & raſuræ eboris ana.ʒ.℥.miſceantur cum ſaccharo violarum & fiant boli magnitudinis fabæ.Prodeſt & ſaccharum roſaceum aut terra lemnia vel dragacanthum:item amyli vſus, ptyſanæ & puls ex farina hordei. Quem quoque vſum præſtat,ſi cum dolore fiat eroſio,ſyrupus portulacæ,papaueris,violarum & de mucilaginibus cum aqua hordei torrefacti: item ſi laborans vigil permanſerit,præſtat id medicamentum quod recipit,aquarum portulacæ & violarum.ana.ʒ.ij.phylonij ℈.j. Cæterũ extrinſecus ſupra renes adhibere oportet quæ leniter attẽperent, vt vnguentum ſanthalinum cum roſaceo, additis pulueribus coralli & myrtillorum : aut vnguentum ex oleo violarum,roſarum & papaueris ſæpius lotis,ac cera alba ad cerati formam cum puluere amyli aut farinæ volatilis,vel coralli & roſarum.Proſunt & linteoli madidi ex mucagine pſyllij,ſeminis cytoniorum & lini,cum ſucco portulacę & ſemperuiuię.

Cæterum ſi ſanguis fluat venis diruptis aut ſciſsis, primo acceſſu curabis ſanguinem mittere,& reliquum diuertere,ac poſtmodum firmare potu aquæ frigidæ, & eo auxilio quod recipit, aquarum plantaginis & roſarum. ana. ʒ.ij. pulueris conſolidæ maioris. ʒ.℥.pulueris cornu cerui vſti & coralli ana.℈.j.miſce & fiat potio:prodeſt & potus aquæ plantaginis & ſanguinariæ cum trochiſcis de karabe : tandem his medicamentis veteris , quæ vim habeant agglutinandi & vniendi quæ diſciſſa ſunt: cuius naturæ eſt bolus Armenus,terra ſigillata,ſanguis draconis,tragacantha & albumẽ oui aut puluis contra caſum.Quorum loco adſtringentia quoque adhiberi poſſunt,vt ſuccus plantaginis,ſanguinariæ,acatiæ,balauſtiorum,rhu, & ſimiliũ, vt alumen, gummi & trochiſci Gordonij,huic vſui proficui.Extrinſecus verò, ſupra dorſum primo acceſſu adhibebis albumen oui vehementer agitatum,cum pulueribus roſarum, coralli & myrtillorum, vel idem albumen oui cum ſanguine draconis & farina volatili ac pulueribus balauſtiorum. Idem præſtat emplaſtrum ex bolo,acatia & aloë cumaceto & aqua capitum roſarum. Tandem laborantem alere tenuiter oportet, & potus parſimoniam inſtituere, & corpus quieti mandare,ac ab omni animi perturbatione præmunire,& hæc auxilia mutare, donec ſanguinis fluor quieuerit, tunc quidem quieſcere oportebit, donec conſtet partes vnitas eſſe.

Curatio ſi venarũ foramina aperiantur.

Idem profectò erit curationis modus, cùm ſanguis proſilit ob eius tenuitatem, ac dum prę pororum apertione,hoc vno excepto,quòd in ſanguinis ferositate,ante omne auxilium particulare, opus erit corpus expurgantibus pharmacis ab expurciti

purcitia aquoſi ſucci vendicare frequenti rhabarbari,agarici,ſeminis cartami vſu, maximè ſi iecur aut ventriculum huic malo cauſam præſtare conſtiterit: quo facto,& humorem incraſſabis, & comprimes laxos meatus adſtringentibus medicamentis intus & extra ſumptis,quorum abunde meminimus.Sed peculiariùs corpore purgato veteris,eo quod non ſolùm apertionem comprimat, verùm aduerſus intemperiem pugnet. Sic profectò, ſi calidioris intemperiei occaſione ſimul cum humiditate pori aperiantur, veteris trochiſcis, qui recipiunt nucis cupreſsi, thuris, maſtichis,roſarum & boli.ana. ʒ.j.& ℥.coralli,karabe,margaritarum.ana.ʒ.j.gummi arabici,tragacanthi.ana.ʒ.ij. puluerizentur & cum ſucco arnogloſſæ fiant trochiſci,quorum porriges.ʒ.j. cum aqua capitum roſarum ante prãdium & cœnam. Verùm ſi frigiditatem malo cauſam præſtare cognoueris,non nihil calidorum prę dictis addes,vt pulueres nucis & cupreſsi corticis,atque abſynthium. Deſuper verò cataplaſmata & emplaſtra adhibere conuenit, quæ fiant ex ſucco meſpylorum, ſorbarum & pyrorum cum farina hordei & pulueribus nuper dictis , & alijs quæ capite de ſanguinis fluxu diximus. Præter hæc omnia mirum in modum prodeſſe ferunt non contemnendi authores,cucurbitas natibus prope podicem affixas, ac ſi fluentis ſanguinis impetus fuerit copioſus, cum ſcarificatione, ſin aliter citra ipſam.

Curatio fluxionis ſanguinis ex veſica.

Fluxus autem ſanguinis qui prodit à veſica,eandem omnino prouidentiam expoſtulat,præterquam quòd medicamenta quæ extrinſecus proficua ſunt,adhiberi debent ſupra os pubis,& in parte ventris inferiori,niſi ſanguis à partibus veſica cõſentientibus & cohærentibus profluat: quo tempore tutius eſt vel dorſo vel iuxta ilia ea affigere.Item quæ per os ſumuntur, admiſcenda ſunt ijs, quibus faciliùs ducantur in vrinam.Præ oculis tamen tibi erit,ne aliquid ſanguinis in veſica concreſcat & grumoſum fiat, quippe id breuioris periculi cauſa ſolet eſſe. Quod quidem noſces ex ſymptomatis quæ ſequuntur: nam & deliquium animi, vigilia, mentis turbationes,faciei pallor,extremorum refrigeratio, inquietudo, anxietas & vrinæ ſuppreſsio apparent. Cui medeberis vel ſanguine priùs auerſo alicubi, ſaltem per hæmorrhoidas, aut cucurbitas natibus affixas & ſcarificatas: aut ſi ſanguis abundet & fluxio ſit copioſior, vena tali inſciſſa, vel brachij, ſi maior fuerit plenitudo. Item adhibitis aliquot ex prædictis auxilijs ſupra os pubis:in quare cauere oportet iniectionem adſtringentium in veſicam ipſam,quippe id ſolet eſſe potiſsima cauſa concretionis ſanguiuis. Quapropter ceſſante fluore,ſi prædicta accidentia ſuccreuerint,cõiectandum eſt ſupereſſe grumos in veſica,& protinus porrigere oportet bibendum acetum mulſum,aut aquam mulſam cum decocto radicum apij,ſyrupum de quinque radicibus cum aceto, aut coaguli leporis. ℈.j. cum aceto mulſo,vel aquam ſtillationis foliorum raphani,ſolani, aut cum modico aceto ſquilliticо. Præſtat & id quod recipit radicis peoniæ, ariſtolochiæ, radicis ſabinæ. ana. ʒ.j. belzoini.ʒ.℥.fiant pilulæ tres cum ſucco foliorum raphani, quarum ſumatur vna cum decocto cicerum : præterea porrigere poteris. ʒ.℥. theriacæ cum decocto radicum apij.Sed in veſicam inijcere poteris aquam mulſam,vel modicum lixiuij ex cinere ficus,aqua mulſa dilutum,vel aquã radicum apij,cum puluere ariſtolochię, aut coagulum leporis cum aqua ſtillatitia foliorum raphani, adiectis aceti guttulis.Quòd ſi ne his quidem vrina reddatur,catheterе vel cerea candela extrahenda eſt, vt latiùs ſuo loco dicturi ſumus.

De mictu puris ex abſceſſu, & vlceribus veſicæ ac renum. Cap. IX.

SIcut precedenti capite diſtinximus ſanguinis mictum à renibus prolabentẽ, ab eo qui à veſica excidit, pari prorſus ratione de puris mictu agendũ eſſe cẽſui: quippe aliquãdo mingitur pus veſica nequaquã affecta, nonnunquã verò ex propria eius affectione. Quod quidẽ docuerat Hipp. noſſe & diſtinguere. 4. apho. 81. dicens. Si ſanguinẽ & pus minxerit, & ſquãmulas & grauis odor adſit, veſicæ vlcerationẽ ſignificat: quæ omnia neceſsũ eſt ſimul adeſſe, vt puris & ſanguinis excretio, ab ea quæ fit à renibus ſecernatur: nã antea dixerat: Si ſanguinẽ aut pus minxerit, renũ aut veſicæ exulcerationẽ ſignificat. Verùm vt diſtinguat ex qua parte dictarũ prodeat, expulſioni puris è veſica addit ſquãmulas (quas à furfuraceo ſedimẽto craſsitie ſquãmularũ diſtingues) neceſſariò adeſſe & grauẽ odorẽ. Sed illud ſolũ eſt arbitrãdum prodire ab his veſicæ vlceribus, quæ ex eroſione fiunt: nã pus quod rupto aut ſciſſo vaſe gignitur, vel ex dirupto abſceſſu prodit, nõ prærequirit prædictas ſquãmas: ſat enim eſt pus omne ab ea parte prodiẽs, grauiter olere, nã id illi eſt propriũ tribus de cauſis. Prima quia cũ pars quæ putreſcit in veſica (nimirum interna tunica) non ſit carnea, tardiùs putreſcit, vel à violentiori cauſa, & ob id maiorẽ cõtrahit putorem. Secunda ob admixtionẽ partium aquearum vrinę, quæ corrumpunt & corrũpuntur, haud ſecus quàm aquæ putridæ in ſtagnis & latrinis. Vltima verò ob morã quã contrahit in veſica, ob vrinæ retentionẽ naturalẽ. Præterea conſtabit pus è veſica fluere, quia nõ admodum permixtum & cum vrina cõfuſum excernitur: quinimo dum ex collo aut pudẽdi fiſtula prodit, ante vrinã aut citra ipſam excernitur merũ pus, vt ex Gal. 8. pharm. local. conſtare arbitror, quamuis. 6. de locis aliter videatur ſentire, tamen ſuam mentem paulò inferiùs eodem capite apertiùs exprimit. At dum ex renibus aut altioribus partibus pus emanat, non niſi plurimum vrina admixtum it, ac minus fœtidum. Prodire autem à thoracis abſceſſu illuc purgato, diſces ex dolore & præcedente in ipſo inflammatione, difficultate reſpirãdi ac febre præcedentibus: à iecore, ex dolore dextri hypochõdrij, & ſanies ruborẽ adhuc habet, aut aliquid rubrum admixtum: à renibus, ex ſignis præcedentis capitis diſces: ab vreteribus, ex doloris poſitu & lapide præcedente, quẽ ægrè expulit laborãs: ex veſica verò & pudendis partibus, ex nuper adductis ſignis. Præter quę ſunt etiã alia ex vrina deſumpta, quibus Paulus, Ætius & Galen. ſtudent venarilocum exulceratum in veſica: cæterum adeò variè ipſa ſcribunt, vt ſatius ſit ex loco dolẽte id colligere, quàm ex vrinæ contentis. Cum hoc tamen veſicam exulceratã oſtẽdit dolor in ea parte acutus, maximè mixtionis tẽpore, & excretionis puris: aſsiduè etiã decumbunt, & neq; erecti ſtare poſſunt, quòd dolores acuti ſint, & vlcera iniucunda, ob vrinæ aſsiduum contactum, & ob eius acredinem, & etiam quia ibidem aliquid eius manens (quòd veſica non ſe poſsit optimè cõprimere) fœtidiſsima & viſcida efficitur. Quòd ſi vlcus ſerpendo procedat, ſanioſum & ſanguinolentum ſimul prodibit, cũ vrinæ difficultate & penis erectione & dolore iuxta pubem. Verũ diſtingues prope os veſicæ vlcus eſſe, quia tempore mixtionis ſolũ, hæc accidẽtia ſuccreſcunt, maximè in principio & fine mictus, eo magis quo cauſa fuerit efficacior. Quòd autem vlcus ſerpens & erodens ſit, multa demonſtrant: primùm mucoſa illa & cruenta excrementa, ramentis inteſtinorum in dyſenterijs excretis ſimillima,

millima, cum dolore & ardore: diſtingues autem, ſit ne in collo aut corpore veſicæ, quod (vt dictum eſt) ex corpore ſquãmoſa quædam recrementa plerumque prodeant, vt Hippocratis eſt ſententia, ex collo verò ſeu ceruice excrementa prorumpunt craſsiora atque mucoſa, nam craſsior eſt particulæ ſubſtantia, in qua reſidet & quaſi ſtagnat mucoſus & viſcidus quidam humor. Vlcera eſſe magna & maligna oſtendit dolor, non ſolùm mingendo perceptus, ſed & exacerbatus vomendo aut tuſsiendo, vel ſternutando, quibus ſubiectæ particulæ, muſculis abdominis compreſſæ dolitant. Itaq; vt ſummatim quis colligere poſsit particulam affectam ex pure cum vrina excreto, expendat, cùm ex ſuperioribus partibus profluit, exactè cum vrina permiſceri: è renibus, per partes quaſdam inæqualiter diſpergi: è veſica, adeo parum cum vrina permiſceri, vt etiam ſine ipſa exire poſsit: quanquã ſolùm pus ſine vrina profluens, pudendorũ abſceſſum vel vlcus potiùs cõmoſtret.

Vlcerum quidẽ veſicæ cauſas innumeras eſſe, ac finitimas ijs quas diximus renes quoque poſſe exulcerare, nemo eſt qui ignoret: inter quas potiſsimum habet locum ipſius veſicæ inflammatio in abſceſſum commigrans. Ac noſces quidem relictum vlcus, à quo pus fluit, fuiſſe ex inflammatione, quòd præceſſerit in ea parte dolor vehemens, ſed maximè inter os pubis & anum, febris continua, mentis turbatio, vigilia, bilis vomitus, vrinæ ſuppreſsio, egerẽdi cupiditas, qualis in teneſmo, ac dura etiam efficitur pubis regio, & inteſtina vel nihil, vel durum excernunt: adeſt vel hæmorrhoidum vel menſium ſuppreſsio, aut lapis magnus, ſaltus vel ictus à quibus ſanguis non fluxit. *Cauſæ.*

Præcauebis autem magno ſtudio, ne in abſceſſum commigret inflammatio, ne vlcere facto immedicabilior efficiatur affectio. Quapropter primo mali acceſſu, ſanguinem mittes, ſi plenitudo magna ſit ex brachio, ſin aliter aut eo facto, vel ſi hæmorrhoidum aut menſium præceſſerit ſuppreſsio, ex talo, idque ſemel aut bis & ter, ſi vires conſtiterint, ſin aliter cucurbitas in natibus ſcarificabis, & copioſiùs ſanguinem detrahes, aut ſuris, & minus extrahes, ſed iteratò facies. Quo facto, omni diligentia ſtudendum eſt ventrem emollire clyſtere iniecto ex hydreleo in paruiſsima copia, aut ex oleo ſeminis lini & lacte, vel ex butyro & oleo amygdalarum dulcium. Sed tutius fore arbitror (nam clyſteria forſan compreſſa veſica, maiorẽ concitabunt dolorem) inſeſsionibus id opus exequi, maximè his quæ recipunt decoctum fœnugræci & violarum. Præſtabis itẽ fomenta ex eiſdem cum veſica, aut ſpongia, & partes dolentes irrigabis oleo camemelino, anethino, vel amygdalarũ dulcium in quo ferbuerit althæa. Quòd ſi adhuc his factis dolor non quieuerit, cucurbitam iuxta pectinem affixam ſcarificabis. Præterea balneis aquę dulcis veteris, & tandem ad opiata, ſi caſus vrgentia poſtulauerit, deuenies, facto initio ab inũctione quæ recipit olei papaueris ℥.j. axungiæ gallinæ & anatis. ana. ℥.ß. cui, ſi non profuerit addes opij modicum cum mirrha & croco. Prodeſt præterea & cataplaſma ex hordeacea farina, capitibus papaueris & hyoſcyami folijs. Quòd ſi vrina nõ redatur, iterum fomentis tentandum erit ipſam euocare, nam cathetere in viris vti, non caret periculo maioris doloris & inflammationis, quod fœminis non ita accidit ob viarum breuitatem. Quòd ſi vrina redierit, non erit ab re mulieris lac infundere, aut olei roſarum & ſeri lactis modicũ. Si tamen his factis adhuc perſtiterit dolor, coniectabile eſt in pus verti, & auxilijs præcedentis capitis perficere ſtudebis, & quàm celerrimè aperire: vlcere tamen facto, conſimilem habet curationem cũ reliquis, quæ ab alijs cauſis proficiſcuntur, vt mox referam. *Curatio in flammationis.*

Prodit etiam veſicæ vlcus ex ſoluta vtcumque vnitate eius, aut venarum diru-

ptione & exesione, tantò grauiori, quantò magis ad extimam ipsius tunicam (interna exesa) solutio permeauerit. Prodit itaque vlcus ex humoribus salsuginosis, nitrosis & mordacibus, à capite defluentibus, vel à toto iterum ad venam cauam remeantibus, aut à mixtione crudorum succorum ventriculi cum flaua bile, vel seroso & acri iecoris scalidi recremento, quibus mixtis ac vesicã euntibus, facilè prædictum vitium succrescit. Vltimò tamen (nam solutam continuitatem ex vulnere illato, eandem arbitror expostulare curationem, ac renibus sic affectis scripsimus) ex aspero aut grandiori vesicæ calculo vlcus fieri posse est arbitrandum: plerunq; tamen in vesicæ osculo & musculo ipsam claudente. Verùm siue hac siue illa parte humores defluant in vesicam tenues & fluxiles ac facilè mobiles, cùm diu parti adhærere non possint, euidentissimum est vlcus aut exesionem efficere non posse. Quapropter necessum erit, aut suapte natura viscidos fore, aut si tenues sint, pituita esse admiscendos, qua fixiùs vesica adhæreant: nam cùm erosio & mordicatio non nisi ex diutina mora fieri possint, ob id adhærentiam obtinere oportet & visciditatem: quo fit, vt non leue sit vlceris indicium cruenta aut purulenta pituita cum vrina excreta. Præterea (quod non parui momenti ad curationem esse arbitror) expendendum est, vno è duobus modis prædictos humores in vesicam confluere: vno per venam cauam (quæ vel à toto suscipit, vel à iecore & ventriculo) trahentibus venis, quas emulgentes vocamus, simul cum vrina prauum aliquid, vitiosum aut imperfectè confectum: alio verò fluentibus humoribus per venas quibus vesica capesit alimentum, ac exudantibus in ipsius cauitatem, nam alioqui inflãmatione periclitabitur. Est tamen non leuis differentia inter hos succos: nam qui fluunt per emulgentes, crassi sunt viscidi & tenaces, qui si acres sint, vlcerum sunt factores, si verò mites & citra acrimoniam, ita vt adhærentes non respuat natura, lapidi renum aut vesicæ materiam substernunt: qui verò per prædictas vesicę venas dilabuntur, si nihil crassum in ipsa reperiant, cui adhærẽtes exulcerationem moliri possint, vrinæ ardorem & non leuem acrimoniam præstantes, vrinæ difficultatem efficiunt.

Quibus suppositis, vesicæ vlcus à quauis causa prodeat, vel non omnino sanescit, vel rarò aut cum difficultate: quo fit vt duobus modis periculum sit: vno ob prædictas rationes: alio verò, quia hi qui sic laborant ab insidente dolore, febribus, vigilijs, colliquatione vsque ad mortem premuntur. Quo factum est, vt iure dictũ sit ab Hippocrat. 6. aphor. Renum vitia & vesicæ quicunque dolores in senioribus difficulter sanantur: nec ob id credendum est, in reliquis faciliùs sanari. Quippe multis rationibus vesicæ vitia insanabilia fiunt: primò ob assiduam susceptionem excrementi & eiusdem expulsionem, quæ autem sanari debent quiescant oportet: secundò ob excrementi naturam, quod suapte natura acre est & mordax, nedum cùm ob alicuius deprauati accessum, acrius & mordacius efficitur: item ob angustas vias: ac insuper quia difficulter susceptant vim auxiliorum: nam licèt vesica per pudendũ possit accipere, ipsa sua natura frigida est, & nequit ipsum actuare, & ob id minus beneficij suscipere. Quòd si id verissimum est in omni doloris specie (licèt prurigo & vrigo non ita difficiles sint in vesica vt inferiùs leges) quanto certius erit periculum in vlceribus ipsius, cùm ab Hippoc. etiam dictum sit, vesicam discissam non coalescere: quod quidem non solùm de vulneribus subaudiendum puto, sed de vlceribus quoque. Inquit enim Hippoc. lib. de locis in homine, Morbi antiqui difficiliùs sanantur quàm recentes, oportet autem ex antiquis recentes facere, vt sanentur. Vt enim lethaliora sunt vulnera, sic maiorem sanitatis spem

spem habent, quoniam violenter inciderunt: vlcera autem vt curatu sunt difficiliora, ita lentiùs mortem afferunt: verùm quoniam omnino sanitatis spe carent, absolutè deteriora sunt & longè grauiora, quæ ex erosione prodeunt, & quæ in vesica omnium pessima; quæ verò in collo non ita. Neque ob id non licet auxiliares manus non adhibere, quia multa solent peritis inopinatò accidere, quæ augẽt spem & audaciã aggrediendi, quæ primo accessu videtur incurabilia; præterquam quòd mitigationis dolorum & laborum gratia, multa licet tentare.

Curandi ratio.

Vt sunt curatu difficilia vesicæ vlcera, ita in artifice maiorem prærequirunt dili gentiam, ne præsidijs malum exacerbari contingat, quod perniciosissimum est in omni morbo, sed potissimum in his vlceribus ob dolorum & laborum molestiam. Quapropter ea vitæ & victus ratio instituí debet, quæ præter id quòd laborantem reficiat tenui & optima substantia, dolores quoque leniat, & humorum fluentium vim & acrimoniam infirmet & attemperet: ob id prætermissis quæ capite de inflammatione renum dicta sunt, huic etiam muneri proficua, nullum aliud (nisi febrium incrementa vetuerint) commodius alimentum haberi potest, quàm lac ipsum vtcunque sumptum: nam & ab vbere capræ, asinæ aut ouis suctum, vel postea cum pane loto ferbefactum, vel cum pulte ex farina hordei exhibitũ, mirum in modum omnem scopum complet: curabis enim semper ventre ieiuno aut solùm per se præbere, ne alijs admixtum, vim & præstaturum beneficium amittat. Eundem quoque præstat vsum far, amyllum, oriza cum lacte aut iure pulli, vel ius ipsum cum portulaca & in eo panis lotus, vel idem panis lotus cum saccharo & lacte amygdalarum dulcium. Prosunt & carnes pullorum, non solùm gallinarum, verùm auium omnium montanarum, quæ esui vtiles habentur: sic cuniculi & porcellorum siluestrium carnes: quia cùm sic affecti parum dormiant, potiùs expostulant optimæ substantiæ cibaria, quàm crassa & copiosa.

Quatenus verò ad auxiliorum administrationem attinet, coniectandum primò est, an humores vlcus efficientes, per vreteras ad vesicam dilabantur, an per venas instillent in ipsam vesicam: quippe si illud acciderit, necessum est ab expurganti pharmaco curationem auspicari, quod præter id quòd humores acres & mordaces aliò transferat, leniendi quoque vires habeat, cuius naturæ est syrupus ex infusionibus violarum cum expressione foliorum senæ, vel seminis cartami, aut rhabarbari diluto, si constiterit ex miscela biliosorum iecoris cum ventriculi cruditatibus humores delabi: quem quoque vsum præstat manna cum prædictis infusis, aut casia fistula cum aqua lactis vel hordei cremore. Verùm si compereris corpus vniuersum per venas præstantes vesicæ alimentum, sese exonerare, satius erit sanguinem primò mittere, & postmodum per interualla superuacuum humorem & quí naturam irritat, per epicrasim purgare, ac balneis aquæ dulcis frequenter vti, nec non & cucurbitis, frictionibus & alijs quæ humores à cõsueto fluendi modo distrahũt. Disces autem per has aut illas venas humores prolabi, quòd per vrinam sabulosa ac pituitosa & viscida recrementa copiosè fundantur, si per emulgentes & vreteras fiat humorum descensus. Cæterum si ex alijs venis prodeat, saniosa & cruenta aliquando prodit vrina, in quo parum aut nihil subsidet, & nullius alterius recrementi vestigium adest. Verùm si ex vulnere vel abscessu, aut quauis alia continui solutione, quæ subitò facta fuerit, pus prodeat, non opus est prædicta prouidentia vti, sed primo accessu curationem vlceris aggredieris, ante omnia considerans, vrgeat ne magis dolorum, vigiliarum ac laborum indicatio, quàm vlcus ipsum: quo tempore intus & extra adhibere atque infundere in ipsam vesicam oportet, quæ

vim habeant leniendi & mitigandi. Tunc enim vtendum erit ſerapijs violarum, borraginis, portulacæ, de mucilaginibus & alijs huius cenſus cũ aqua hordei, amyli aut ſero lactis: quem quoque vſum & alios etiam (vt dictũ eſt) non parui momenti, præſtat lac aſinæ aut capræ, vel eius ſerum cum aqua portulacæ & modico bolo Armeno diluto in prædicta aqua. Noctu tamen porrigere oportebit ſyrupum papaueris, aut. ʒ. ß. philonij cum aqua cucurbitæ. Item extrinſecus veſicam inunges oleo de papauere, mucagine pſyllij & ſemine cytoniorum, vel fouebis lacte mulieris aut aſinæ, oleo de ſemine cucurbitæ & melonum, cum aqua portulacæ vel cremore hordei. Infundes tamen in ipſam veſicam ad temperandam miteſcendamque humorum acrimoniam & dolorum ſæuitiam remitendam, aquam mulſam, maximè ſaccharatam, aut lac cum expreſsione ſeminis cucumeris, vel expreſsionem ſeminum frigidorum maiorum, aut oui candidum cum aqua hordei & pompholige. Quòd ſi vlcus inflammationi iungatur, ſanguine miſſo ex talo, vel cucurbitulis iuxta ſuras ſcarificatis, aquam hordei infundes, vel eandẽ cũ collyrio albo Raſis, aut decoctum plantaginis cum amylo vel bolo Armeno. Cui vſui per inteſtina inijcies ptyſanam cum roſaceo, & ſuccum ſeminis lini & cucumeris, vel lac cum eodem roſaceo, aut emulſionem ſeminum frigidorum maiorum. Quòd ſi accidentia quieuerint, tunc quidem iuxta vlceris indigentiam, medicamenta infundenda ſunt: nam abſterſionis & attemperationis gratia ex vſu eſt ſerum lactis cum ſaccharo, aut aqua hordei cũ ſyrupo roſaceo, quibus ſemper admiſcere oportebit aliquid eorum quæ vim habent leniendi & miteſcendi dolores, velut eſt althææ aut maluarum ſemen, vel amyli & pompholigis modicum, decoctum etiam corticis fabarum & cucurbitæ. Quòd ſi ex recrementis vlcus ſordidius apparuerit, quæ magis repurgent addẽda ſunt, velut mel roſaceum cum leui hordei decocto. Verùm ſi vno eodemque pharmaco hæc omnia præſtari poſſunt, id quidem facito: huius naturæ eſt quod recipit raſuræ cucurbitæ. ʒ. j. corticis papaueris. ƨ. ß. ſeminis alkekengi, bombacis & papaueris albi. ana. ʒ. j. & ß. quatuor ſeminum frigidorum maiorum & ſeminis maluæ. ana. ʒ. iij. hordei. p. ij. facto decocto poſt colaturã adde ſacchari quod ſufficiat & injciatur in veſicam. Aliquando verò admiſcere oportebit modicum collyrij huius quod recipit ceruſæ ablutæ. ʒ. j. ſarcocollæ. ʒ. iij. dragacanthi. ʒ. j. opij. g. xv. fiant collyria. Cùm autem fluxio adhuc perſtiterit, collyrium confice quod recipit ceruſæ, ſarcocollæ, olybani, gummi, opij, ſanguinis draconis ana partes æquales, cuius in lacte aſinæ diſſolutum modicum projcies. Prodeſt & ſingulis diebus ſumere cum aqua cucurbitæ aut fabarum viridium, trochiſcum, qui recipit ſeminis citruli ʒ. j. boli Armeni, ſanguinis draconis, gummi Arabici, ſeminis papaueris albi, amygdalarum dulcium, ſucci liquiriziæ, dragacanthi & amyli. ana. ʒ. vj. ſeminis apij & granorum alkekengi. ana. ʒ. ij. opij. ℈. j. fiant trochiſci & eorum detur. ʒ. j. Eiuſdem efficaciæ ſunt alij, qui recipiunt ſeminis melonum, citruli, cucumeris. ana. ʒ. xx. boli Armeni, gummi, thuris, ſanguinis draconis ana. ʒ. x. opij. ʒ. j & ß. ſeminis apij. ʒ. ij. formentur trochiſci & porrige. ʒ. j. Alios etiã mirabilis efficaciæ conficies, qui recipiunt ſeminis citrulorum, ſeminis portulacæ, & amygdalarum dulcium, hyoſcyami albi & papaueris albi ana partes æquales, & cum mucagine pſyllij fiant trochiſci, quorum porrige. ℈. ij. aut præbe philonij. ʒ. ß. cum aqua portulacæ. Nec minoris momenti eſt vlcus abluere aqua ſtillatitia ex ſaccharo & hordeo decocto cum modico decoctionis eius, vel aqua etiam ſtillatitia cucurbitæ & ſacchari, aut ex malicorio cum hordeo & radice maluarum cum melle roſaceo. Verùm dum ad cicatricẽ vlcus perducere eſt opus, prædictis aquis addes

addes plumbi vſti modicum, aut pompholygis: vel ablues vlcera decocto hordei torrefacti cum modico puluere thuris. Item ſupra veſicæ regionem appones ceratum myrtinum aut roſaceum, vel id quod conficitur ex amylo, ſarcocolla, ceruſa, roſaceo & cera.

De calculo renum. Caput. X.

REnum calculus (quem Græci nephritim, à parte affecta, vel liciaſim, ſeu morbum calculi appellant: quãquam nephritim omnem renum affectum, & liciaſim, veſicæ calculum propriùs ſignificare, multi, vt Gorreus cenſuerunt) affectus eſt grauis, moleſtus, diutinus & aliquando periculoſus, adeo vt per ſe, & ex accidenti mortem afferat, aut vitam calamitoſam inferat. Quapropter tria maximè nobis in hac re ſeſe offerunt expendenda, vt à tanto malo (Deo fauente) prudentes & cordatos homines præcauere, & afflictis aliquod præſtare ſubſidium poſsimus. Primum ſanè eſt ad vnguem docere huius affectionis naturam, differentias, cauſas & locum affectum: ſecundum erit à lapidis generatione homini præcauere: tertium verò & vltimum doloribus opitulari, & excretionem commoti lapidis celeriorem ac tutiorem efficere.

Primum in hac diſputatione mihi ſubit in examen, quis affectus ſit renum calculus: quippe certum eſt variam ſortiri naturam: nam cùm aliquam vitiat actionẽ, cauſa eſt morbi lædentis actionem: item vel vrinam ſupprimit, vel partes exulcerat; dum verò nihil horum efficit, ſed ſolùm in renibus manet aut ab eis excernitur, ad genus ſymptomatum, quæ in his quæ toto genere præter naturam ſunt continetur: talis enim conditionis lapis in rene genitus exiſtit. Eſſe quidem morbum intellectus non capit, cùm morbus ſolùm ad conſtitutionem aut temperiem pertinere poſsit: ſupereſt igitur cùm excernitur ſolùm ſymptoma eſſe, & eo quòd contineatur in loco ſibi non naturali, tanquam cauſa morbum in via excitare, vrina ſuppreſſa: & quia partes exulcerat aut lædit præter naturę modum, dolores & cruciatus maximos gignit: itaque cauſa morbi vel ſymptomatis per ſe ſolùm exiſtit, morbum autem cõſtituere aut ſymptoma nequit, niſi dum excernitur, quia tunc ad excreta præter naturam reducitur.

Differentias autem huius affectionis à quatuor potiſsimùm ſumendas fore arbitrandum eſt, nimirum à materia, à figura, à magnitudine, & potiſsimum à loco: nam ab eo maximè prodeunt accidentium differentiæ, cuius hac in parte inſtitui tractationem ſcribere, nam materia & figura in cauſarum enodatione innoteſcet maximè. Locus enim licèt varius recenſeatur à varijs authoribus, & vnuſquiſque ſibi ex his quę accidunt in laborantibus, rationes eliciat, arbitror tamen triplicem eſſe in ipſis renibus generationis lapidis locum. Quippe frequentiùs in renũ albeo arenulas & lapillos fieri eſt exiſtimandũ, quas ex craſſa materia, caloris ignei actione in ſabulum conuerſa, fieri eſt certum: quo loco ſi delabens materia præter craſſitiem, viſciditatis etiam ſit particeps, credẽdum eſt lapillos fieri: immoratur enim ob id magis materia, ac propterea concreſcit in maiorem molem quàm arenula. Quas ſanè arenulas non ſolùm in renibus, verùm & in vijs vrinarijs ac in veſica fieri, omnes fatentur. Generantur inſuper calculi in prædicto loco citra dolorem vllum,

vllum,ac ſi parui ſint,nulla vel leuiſsima moleſtia excernuntur, verùm ſi maiores, angulosi vel aſperiores exiſtant,cum dolore & grauiſsima moleſtia. Fieri etiam poſſunt lapilli in porositatibus illis,per quas vrina in renum inanitatem excolatur:quippe dictum eſt antea,è vaſis quæ fiunt ab emulgentibus, & in omnem renum ſubſtantiam inſeruntur,vrinam veluti inſtillare in eorum ventrem, quem plures obtinere ductus vel fiſtulas,digitorum perforatorum inſtar, per quos quæ à vaſis inſtillat vrina,in dictam cauitatem prolabitur, in quibus foraminibus plerunque lapillos fieri,& certum eſt,& monſtrat acerbiſsimus dolor,quem laborantes perpetiũtur in eorum commotione.Nam viæ illæ quæ anguſtiſsimæ ſunt,facilè infarciuntur craſſa aliqua ſubſtantia,quam in lapidem abire certiſsimum eſt: & cùm natura irritatur ab eodem calculo, vel ab aliqua externa vel interna cauſa, quæ nata ſit ipſum mouere,gliſcit ad expulſionem, in quo opere prædictos dolores patitur,quantumuis in calculorum generatione nullum perſenſerit. Quos etiã non ſemper vnius figuræ aut magnitudinis eſſe arbitrandum eſt. Generantur inſuper calculi, & forſan maioris periculi authores, in renum ipſorum ſubſtantia:in qua re non parum fuiſſe controuerſum comperio. Quippe fuere inter authores, qui exiſtimarunt,ſolidam illam ac denſam renũ ſubſtantiam, nulla ratione poſſe ſuſcipere craſſorum humorum eam portionem,quę lapidi gignendo ſit idonea,& ob id crediderunt,ſolùm quod tenue eſt ex ſanguine illuc permeare,craſſum verò per diapedeſim & prædictos ductus in renum ventrem prolabi. Quorum ſanè ratio non omnino mihi diſplicet: verùm cenſeo calculorum hanc generationem principium ſortiri in ipſorum vaſculorum poris, qui ad carnem renum pertingũt (vt alij in poris qui ad cauitatem tendunt)& per nouæ atque craſſæ materiæ acceſſum ex ipſis vaſculis adeo creſcere,quòd in renum carnem extendatur ipſius calculi augmentum,adeo magnum,quòd viſum ſit vniuerſum renem vſque ad extimam ſuperficiem perforaſſe: quos ſi natura aliquando pellere tentauerit, præter graues & diutinos dolores quos patitur, perforatum reliquiſſe renem conſpeximus in diſſectione. Horum ſanè calculorum generationem cenſeo Galenum dixiſſe eſſe ſemper cum dolore,nam videmus aliorũ, qui in alijs partibus fiunt ſine dolore concreſcere, licèt non excernantur ſine dolore. Itaque diſtingues, quonam prædictorum locorum calculus generationem ſortiatur,ex dolore leuiſsimo in expulſione eorum qui in cauitate renum fiunt:at eorum qui in prædictis vaſorum poris,quæ deſinunt in cauitatem,fiunt, acerbiores ſunt dolores, dum expelluntur,licèt in generatione nullam inferant moleſtiam:cæterum non diu durat affectio,quòd in via ſit calculus,licèt longiùs ſeſe extendat,quàm excretio eorũ quę in cauitate fiunt. Illorum verò qui in renum carne generantur,interim dum fiunt moleſto & perſeueranti dolore premunt, non tamen intenſo & graui,quia parum ſentire renes ſtatutum eſt,verùm dum excernuntur longè grauiorem concitant, & (quod illis proprium eſt)lentiùs mouentur ad expulſionem,ita vt ſexaginta dierum ſpatium conſumpiſſe in eo opere viſum ſit. Quæ ſanè ſigna adduxi vt hęc omnia ad curationem perficiendam ex vſu exiſtant.

Calculorum etiam differentia non minoris momenti, à materia atque calore efficiente prodit:nam materiam huic operi præſtat craſſus humor,terreus & lentus. Craſſus enim humor ſi in parte quietus ſit, calore agente in duritiem lapidoſam proculdubio vertitur:talem enim conſiſtentiam in balneis fieri cernimus ex aquæ calidæ ſubſidentia, quæ in tophaceam & lapideam ſubſtantiam parti adhæreſcentem caloris munere cõmigrat. Cui ſanè euentui ſimile in renibus accidere conſpicimus. Sic ex terrea ſubſtantia,vel tophum vel arenoſum lapidem generari certum eſt,quem facilè in arenas abire poſt exitum, aut forſan in tranſitu,experimento didicimus ex arenularum copia,præmiſsis grauiſsimis doloribus qui lapidem monſtrabant. Quòd ſi craſsitiei viſciditas aliqua adiuncta ſit, vel quod craſſum eſt,licèt viſcidum non ſit,in plicaturis diu immoretur,tunc magis conficiuntur lapides,& duriores fiunt ac minus friabiles:nec enim ſola pituita craſſa & viſcida arenularum & calculi materia eſt,ſed etiam alterutra bilis terrea, quæ cum pituita communem habet craſsitiem,quia craſsities cum calore renum iuncta, lapidi facit obnoxios. Vtcunque tamen fiant prædicti calculi vel arenulæ,eum humorem prædominari oſtendunt,quem color atteſtatur: nam modò fiunt flauiores, modò rufæ,& aliquando rubræ:quòd ſi ſolùm concretio ex pituita oriatur, cineritium colorem præ ſe ferunt,haud ſecus quàm ex purulento humore ſolo aut cum pituita admixto. Itaque dum parum ſanguinis cum pituita craſſa & lenta mixtum ſit,vrinarum ſubſidentiæ colori iuxta maioris exceſſum elucet,nonnunquam veluti pallido & albo permixtus,aut ex rubro & albo,vel ex flauo & albo,aliquando tamen rufus apparet.

Altera verò cauſa quæ efficiens eſt,in renum ingenti calore,& omnino præternaturam ſita exiſtit:quem ſanè adeo habitualem debere eſſe arbitramur,vt non ratò huiuſmodi affectus hereditarius habeatur:talis enim futurus eſt calor, qui lapides corpore viuo ex humoribus gignat. Cùm hoc tamen non ſemper ab intenſiſſimo fiunt calore,ſed aliquando à paulo excedenti, licèt etiam facto, quia veluti forma partis tenetur operari: non enim ſemper exurens futurus eſt calor,mediocriter enim excedens ſufficiens eſt,vt ſtatuerat Galen. 6. popu. p. 3. com. 15. Neque ob id arbitrandum eſt à frigido poſſe fieri:nequit enim animus cõcipere,qua lege viuo animali tanta in viſceribus præſit frigiditas, vt concretione lapidem efficiat,præſertim in renibus,quos mille rationibus calidos actu debere eſſe euidentiſsimum eſt. Itaque talis futura eſt proportio caloris ad materiam, quòd ille tenue reſoluat citra fuſionem & liquationem materiæ,ea verò adeò ſit craſſæ ſubſtãtiæ,vt ſi aliquid euaporatione ab ipſa educatur calore,reliquum quidem neq; fundi,neque concoqui,neque ſuperari ab eo aliquo modo poſsit:ex quo prodit in lapideam duritiem debere mutari,maiorem nimirum aut minorem,prout calor vehementior,aut humor craſsior ac viſcoſior fuerit. Hunc autem generationis modum,docuerat Galen. 6. popul. dicens. Calculi in renibus fiunt,aſſato atque arefacto in renum cauitatibus,tum craſſo,tum vitioſo humore,in poroſa renum ſubſtãtia concreto. & pari prorſus lege compertum eſt reliquos authores ſcripſiſſe: nam Hippo. lib. de internis affectionibus,ſic ſtatuit. Huic morbus fit à pituita, quam ren ſuſcipit in ſeipſum,nec rurſus dimittit,ſed cùm in ipſo in tophum concaluerit, fiunt ex ea tenues lapilli velut arena:idem lib. de natur. hum. ſed clariùs lib. de loc. aëre & aqua dicens. Quod craſsiſsimum ac turbidiſsimum coaceruatur, concreſcit,primum quidem parum,deinde maius fit. De calore tamen refert Galen. libr. pharmac. generalium. Nam quemadmodum in externis rebus permulta corpora quæ ignem contingunt,ab ipſo torrentur,atque rurſus ab aqua emolliuntur,ita in particulis inflammatis ex humore ipſo à calfacientibus & exſiccantibus acerrimè deſiccato,relinquitur quidpiam craſſum & viſcidum,in articularibus tophaceum,& per nephritidas calculi. Nam cùm in renum aliqua ex prædictis partibus impactum aliquid tenaciùs obtinuerit,& aliquid aliud ex eiſdem venis & eâdem materia ibidem ſuccreſcat, præexiſtenti adhereſcens,plus augetur, ſemper enim quod

quod recens fluit priorem circundat,& ita in grandem molem ſuccreſcit. Quibus cauſis accedit alui ſuppreſsio,quæ maximè confert ad generationem nephritidis. Sic dum ventriculus aut iecur ſua excrementa propter auguſta venarũ ora tranſmittunt per peculiaria loca, maximè cùm humores ſuperflui iuxta lumbos colliguntur,& frigidi ſunt,ac hyeme cõcreti,calore accedente liquantur,aut ex putredine contracta acrimonia ſtimulant,aut præ copia contineri ampliùs nõ poſſunt, laxatis vijs ad vias vrinæ,lapillo & arenulis materiam ſuppeditant. In ſenibus circa renes ſupprimi ſolent propter caloris infirmitatẽ,quo craſsities exactè liquari non poteſt,vt ab ea parte ad alias deſcendat: in pueris ad veſicam deſcendunt, ibiq; ſub ſiſtendo calculum procreant. Præter quas cauſas nullam aliam inuenies,niſi motiuas calculi,aut eas quæ natæ ſunt calorem in renibus excitare, vt omnia quæ renum ſeu vrinæ viarum calorem intendere queunt,meatuſque illos coarctare. Sic excedens aëris caliditas& ſiccitas,balneorũ calidorũ vſus,exercitiũ immodicũ,maximè à cibo,item ſupinus in lecto decubitus, vel arcta ſupra renes ligatura,ac omnes aliæ quæ vel calorem concitare poſſunt, vel crudorum aut craſſorum ſuccorũ copiam ſuppeditare,id natæ ſunt efficere.

ſigna. Omnia ferè ſigna dolorem in renibus ortum,à calculo fieri & non ab alia cauſa(nam dum colicus eſt dolor diſtinguitur ſignis proprio capite adductis) complexus eſt Hipp lib. de prænotionibus,dicens. Renum dolor repentinus cum vrinæ ſuppreſsione, aut calculorum, aut vrinarum craſſarum mictionem ſignificat: ſed clariùs & ſpecialiùs docuit lib. de internis affect. ſic ſcribens. Quatuor morbi in renibus fiunt,à calculo autem ſequentia patiuntur ægri, & dolor acutus incidit in renem,& in lumbos & in teſtem ſecundùm rectum ſitum, & frequenter mingit, & adſtringitur paulatim & ſupprimitur vrina,cum vrina procedit arena,& vbi per vrinæ meatum exit arena,dolorem fortem in meatu exhibet. Itaque dum lapillus in renibus mouetur,præter craſſam vrinam quæ præceſsit, licet videre contritos lapides in ipſa,& ſabuloſa fruſtula,quibus aliquo modo leuiores videtur laborantes. Alia tamen ſigna his addidit Hipp. 6. popu. 5. præter ea quæ colicis communia ſunt,nimirum vomitus & nauſea,licèt colicis grauiora ſuccreſcant, vtriſque tamẽ à vomitu leuamen ſequitur,quia laxiora fiũt inteſtina,quæ renes calculo afflictos premunt: & ob id meritò dixit,& magis cùm à cibo implentur: ſuccreſcit inſuper ſanguinis mictus, licèt non ſemper, ſed dum lapis aſper fuerit: torpet etiam crus eiuſdem partis,cùm affecto rene,ob vaſa quæ in rene affecto diſtenta & dolentia, dolorem cruri communicant. Præterea licèt locis citatis dictum ſit ab Hippo. Galen. & reliquis, renum dolorem eſſe acutum. 6. tamen popu. grauem refert fore: quod ita diſtinguendum cenſemus. Cùm enim in ventriculo renum figitur, vel ſine dolore eſt vel cum graui: vbi autem per vreteras incedit,vel etiam intra renes pungit pelliculam in exortu,acerbior eſt dolor,& ſentiunt ægri mutatum doloris ſitum,imo & ad inguina deſcendere,qua parte vreteres committũtur veſicę: quo tempore ſanguinolentum aliquid meiere incipiunt,& dolor nõ eſt vt antea ęquè fixus,verùm cùm laborantes mouentur aut ſpinam flectunt, vehementiùs dolẽt. Itaque in renem dolor grauis eſt, quia nimis corpus inſenſile neruique expers ſentiente membrana obuoluitur,tum etiam grauiſsimus & acerbiſsimus eſt, nimirũ affectis vreteribus,quæ denſæ & craſſæ,maximè ſimul diſtenta continente membrana egregiè dolent: ob idque cùm calculus in ſinu oritur,ſolo deſcenſus tempore vehementem dolorem mouet,reliquo ſola grauitas moleſta eſt, cùm verò in carne localem habet generationem,triſtem quoque ſenſum non admodum moleſtum

leſtum inuehit,genitus grauitatis ſenſum excitat, cæterum dum à carne in ſinum trahitur acerrimus dolor cruciat. Durus enim & anguloſus lapis denſam renis carnem proſcindens dolorem mouet,propter communicatam ab externis neruulis modico carnis interuallo ſentiendi vim, præſertim à tumente rene diſtenta membrana,vt Galen. docuit. 6. de vſu part. cap. 17. Denique in calculo renum non ſemper dolor adeſt,neque eodem modo, vt cùm iam intra carnem concretus, aut ad ſinum peruenit, vel ex ipſo ad veſicam per vreteras. Reliqua verò ſigna non ſunt adeo certa,quòd fidem præſtare poſsint, præterquam ea quæ mox referam monſtrantia & lapidem & materiæ conditionem: quippe bilioſi humores & ſalſi,è locis iecori vicinis delabi ſolent in renes,vbi in calculum concreſcunt,ſi lentor adſit tãquam gluten, aut in arenulas ſi deſit. Quòd verò etiam ob id vrina cohibeatur, obſtructione videlicet vreterum,aut meatus veſicæ à calculo aut arenulis, multarum cauſarum ſindromen conuenire oportet in tenui hoc & acri humore: vt immoderatum calorem renum,qui per euaporationem materiam induret: humoris copiam: magis craſsitiem: maximè lentorem: expultricem facultatem languidiorem: meatus anguſtiores: aluum duram,& ſuppreſſam: hæreditariam quandã aptitudinem ad nephritidem, quæ temperamentum ſequitur & adhuc magis cõpoſitionem. Tũc profectò verum erit vrinam ſupprimi, & interdum ſabuloſam reddi, licèt certum non ſit ſabuloſam vrinam calculum ſignificare,quinimo ea ipſa ratione magis tuti redduntur laborantes ab eius generatione, quòd crebra illa arenularum excretio valere renes expultrice oſtendat,humorem verò neq; multum eſſe, neque lentum. Verùm cùm nephriticus dolor colico dolori perſimilis exiſtat,ſigna etiam ſcribere oportet quibus vnum ab alio facilè diſtinguere poſsis. Quippe duo potiſsimùm ſunt quæ maximè ſeparant dolores inteſtinorum ab his qui in renibus cauſam habent, nimirum loci dolentis ſitus & doloris conditio. Vbi enim vrget ſupra renes dolor,certum eſt ad inteſtina pertinere,non ad renes: præterea nephriticus ferè dextrorſum vergit, nec ab eo loco vſquã ex toto diſcedit: colicus ſæpe locum mutat,& in pectinem inclinat,qui etiam quauis vacuatione & ſurſum & deorſum,lenitur,quandoque integrè ceſſat: nephriticus etiam inanitionis tempore manet fortis,conſtante adhuc lapidis ſtimulo, doloris cauſa. Vrinæ verò, aut tenues ſunt ab obſtructione vaſis vrinarij, aut ſuppreſſæ cum dolore renum repẽte oborto, aut frequentibus arenulis intermixtæ: Accedit vomitus bilioſus, poſt pituitoſus,& è directo crũris (vt dictum eſt) ſtupor. Horum omnium exortum præcurrit grauitas, cum imbecillitate illarum partium, ex qua humorum copia aut calculus oſtenditur.

Primò ex tenui vrina, aut ſuppreſſa in hoc malo, licèt dolor & affectio ſit in altero renum, nihilominus ambo pati erit arbitrandum (veſica ſana exiſtenti) quod fiet,vel quia præ dolore fit attractio praui ad vtrumque renem,quo obſtruatur, vel quia alter ab altero patiente compatitur, licèt conſenſus ille non diu duret. Vtcunque tamen ſit primo mali exortu, ſumma diligentia curandum eſt ne in habitum omnino fixum pertranſeat, aut ex nimio dolore in inflammationem commigret, vel virium lapſum: illud quidem, quia vereri oportet obſtructionem adeo cœcam, quæ periculo non vacet: hoc verò, ne vaſe aliquo diruptо immedicabile fiat vlcus. Hunc ſanè affectum in adultis magis, quàm in pueris expectare oportebit, item in ſenibus non curari, ſicut in fœminis facillimè. *Præſagiũ.*

Duplex in renum lapide ſubeſt tantùm medendi ratio: altera quidem quę eius *Præcauẽdi ratio.*

generationem inhibeat aut genitum lapidem imminuat: & rurſus ſecunda, quæ iam genitum & aliqua occaſione commotum, facilius educat & ſuauius, ac dolores mitiget, quod laborantibus maioris momenti eſt, & ipſi magis exoptant.

Circa primam, quæ generationem calculi inhibere ſtudet, conſiderare prius tria hæc oportet: primum, qua via poſsit materia calculo gignendo apta demitti ſecundum, quo modo renes tutò & citra aliorum membrorum diſcrimen temperari poſsint: tertium verò conſiderat ac ſtudet inceptum lapidem & genitas arenulas, ante quàm in vnum concreſcant, abſtergere & expellere. Circa primum, duo quidem curaturo exequenda incumbunt officia: primum erit materiæ generationem inhibere, ea victus & vitæ inſtitutione præhabita, quæ omnino ſatietatem & cruditatem interdicat, cuiuſuis alimenti ſit. Cibi præterea eligantur, qui duræ ſubſtantiæ non exiſtant, ſed qui facilè coctionem ſuſceptent. Cauendum inſuper à lacte (niſi aſininum fuerit, aut alterius morbi occaſione præſtitum) à caſeo & omnibus quæ ex lacte fiunt: à craſsis, ab acribus, dulcibus, tenaciorib⁹ & pinguibus: tandem vtatur pullorum, perdicum, gallinarum & auium quæ mollis ſunt ſubſtantiæ carnibus: arietis item aut vituli & capreoli vel cuniculi carne, ouis ſorbilibus & alijs quæ huius naturæ ſint: cauens ab amylo, ab hordei cibarijs, & alijs quæ quodammodo vel lentorem habent vel emplaſticam vim: item nihil ſupra modum actu vel potentia calidum ſumat laborans, ne renes plus iuſto incaleſcãt. Vtatur vino ſi aſſuetus fuerit (ſin aliter aqua tenui aut per lapideum mortarium percolata) tenui & albo ſed dilutiſsimo: ſed ſatius erit ipſum omnino interdicere, ſi cognitum fuerit potiſsimam mali cauſam renum caliditatem eſſe, ſicut dum vẽtris imbecillitatem, ſatius eſt modicum concedere: cœna ſit ſemper parca, exercitiũ moderatum, quod neq; cruditates patiatur, neq; renes calefaciat: animi hilaritatẽ conciliet, & in tẽperata domo & regione habitet. Secũdum quod materiã demere poſſe diximus, duo continet preſidiorũ genera: primum eſt vomendi vſus bis terue in mẽſe, quod in præcautione quæ fit per materiæ ablationẽ, maioris arbitror eſſe momenti: diuertit enim craſſos & viſcidos ſuccos ab infernis partibus, & euacuat etiã eorum non paruam portionẽ. Quapropter huic preſidio innitendum eſt diligẽter: quod ſi vel nõ ſufficere videatur, vel laborãs renuat, bis terue in anno licebit corpus purgare caſia, mãna, vel ſyrupo ex infuſionibus cũ agarico, aut rhabarbari infuſo, vel cũ expreſsione cartami, aut ſucco mercurialis cũ ſaccharo ad formã ſerapij redacto, aut pilulis ex maſtiche hiera Galeni & agarico.

Verùm quia licèt parua ſit materiæ huius copia, ſæpe renes affecti vel lapillos vel arenulas gignunt, & periculum ſit ne concreſcant & in dolorem prorumpant, renes ipſos abſtergere diligẽter opus erit, & curare quo minus nec cruda materia ibidem immoretur, nec ſi quid ex ea factum eſt, amplius increſcat. Cui vſui primum locum habet (corpore à ventriculi cruditatibus per vomitũ purgato) terebinthina, quam varijs modis parare poſſumus, vt iuxta laborantiũ guſtũ grata efficiatur. Primo ipſius porriges. ʒ.ij. cũ. ʒ.iiij. caſiæ fiſtulæ & pulueris liquirizię: itẽ eiuſdem terebinthinæ. ʒ. ß. lotę decies in aqua ſaxifragię cũ ſaccharo, ad formã boli redactę: præſtat eadẽ quãtitate aqua violarũ lota cũ catholici. ʒ.iij. Itẽ eã parare poteris hac forma: Excipe terebinthinę lotæ aqua alicacabi. ʒ.ij. pulueris tragacanthi & liquirizię ana. ʒ.j. caſię. ʒ.iij. fiãt boli. Quę ſanè omnia prodeſſe etiã poſsũt in calculo cõmoto educẽdo, ſicut terebinthinæ. ʒ.iiij. licõtripõ ʒ.j. ß. miſce & fiãt boli. Sed in præſeruatione mirũ in modũ ꝓdeſt aqua ſtillatitia è terebinthina per alẽbicũ, vel puluis eius hoc modo cõfectus, terebīthinæ. ʒ.iiij. vratur in lamina ferrea cãdẽti tãdiu, quãdiu friabilis

friabilis fiat, cuius pulueris porriges. ʒ.j. & ß. cum. ʒ.ij. aquæ ſaxifragię vel geniſtę & ʒ. ß. oximellitis. Incredibili etiã efficacia renes expurgat extergitq; arenoſam ſorditiẽ oleum cytoniorum, nã ſi bis terue in anno quis eius. ʒ.j. & ß. cũ ſaccharo manè ſumat, ex ſalute proculdubio faciet. Poſtquàm aliquo ex prædictis vſus fueris, adſtillatitias aquas & pulueres atq; condita quæ renes abſtergũt, ſemel aut bis in hebdomada te conferes. Inter quæ nõ mediocre experimentũ præbuit aqua quæ ex ligno quodã Indico decocta efficitur, quæ poſt coctionẽ aut infuſionẽ varios præ ſe fert colores, nullo mutato ſapore neque odore, cuius. ʒ.v. ſummo manè porrigere oportet: ac licèt aliqui cũ cibis eã admiſceãt, nunquam mihi huiuſmodi vſus arriſit quòd velociter alimenta & ante integrã coctionem à vẽtriculo educat. Prodeſt & aqua ex calcitrapa (cardus quoddã genus) itẽ ex cardo ſancto, ex millefolio, ex gramine. Pręterea ex gramine, petroſelino, glyzirrhiza, aſparragis & adianto cũ ſucco limonũ & ſaccharo inſtillata. Sed ea pretioſior eſt, quæ extrahitur ex corticibus fabarũ, & ex caudicibus ac floribus earũ quãt. li.iij. cardus comeſtibilis li.iiij. (& quia vno tẽpore anni nõ ꝓueniũt, loco eius adde calcitrapę li.j.) piſtẽtur omnia & adde ſalis Indi ſeu ſacchari candi li.j. ſucci limonũ lib.j. & ß. ſucci ſeminũ arantiorũ lib. ß. decoctionis maluarũ & radicũ althęæ facta grandi expreſsione li.ij. mellis li.j. inſtillentur per alembicũ lento igne, & non permittantur cõburi neq; liquores ex toto cõſumi. Pari etiã efficacia exiſtit aqua quæ per alẽbicum quoq; extrahitur ex libris iiij. cardus comeſtibilis, ex li.j. & ß. ſucci limonũ acrium & p.ij. maluarũ, & ex. ʒ.vj. radicum petroſelini & lib.j. ſacchari, quibus piſtatis cũ li.iij. aquæ lupulorũ inſtillatur aqua mirabilis efficaciæ, quæ cũ aqua ex diſtillatione ſabarũ admiſceri etiã poteſt. Prodeſt ſemen vrticæ cũ vino, aut ſemẽ citruli cum aqua maluę vel ſaxifragię: vel puluis ſeminis arantiorũ, petroſelini, liquiriziæ & ſacchari ad põdus omnium. Itẽ cocleare vnum ſeminis melonum cum ſaccharo ante prandiũ, vel emulſio eorum cum aqua ſaſafraſæ: aqua itẽ decoctionis vrticæ & ſeminis maluarum. Pręſtat mirum in modũ puluis ex virga aurea vino exhibitus quãtitate. ʒ.j. & ß. ſed maioris momenti habetur apud cordatos viros id quod recipit, pulueris ſeminis petroſelini & corticum radicum eius ana. ʒ.iiij. florum cardus ſtellati. ʒ.viij. deſiccentur & fiat puluis, cuius ſume. ʒ. ß. cum aqua fabarũ aut graminis. Ex vſu quoque eſt ſyrupus cardus ſancti & aqua calcitrapę. ana. ʒ. j. Magni etiã momenti eſſe experimento fidiſsimo eſt compertum, ius pulli decocti cum fœnugræco loto, aut decoctum eiuſdem fœnugræci loti cum aqua cinnamomi. Alia etiã reperies nõ minoris momenti, quæ habita conſideratione naturæ laborantis proficua quoque comperies.

Prædictis præſidijs expurgatis renibus, eos attemperare & ad antiquum ſtatum reducere ſtudebis, conſiderans priùs an ex iecoris calore renibus præſtitum ſit aliquid, vel ex ſanguine: quo caſu, aut ſi ſuppreſſa fuerit aliqua ſanguinis vacuatio, eorum refrigerationem inſtitues, primò ſanguine miſſo, quod in viris ex brachio, & in fœminis plerunque ex talo facies. Quo facto, aut ſi renes cõſenſu totius corporis calidi incaleſcant, balneis vteris aquæ dulcis, aut renes ipſos eãdem aqua bis in hebdomada fouebis. Quòd ſi caliditas adeo intẽſa ſit, vt etiam extra ſentiatur, aut laborans nimium moleſtetur, ex vſu erit dorſum inungere vnguento roſarum, reſumptiuo, de cucurbita, refrigerãte Galeni, oleo roſarũ loto aqua hordei vel ſucco agreſtę: vnguento ex oleo violarũ, cera & butyro lotis aqua plãtaginis: & quod vtilius eſſe ſolet, proculdubio eſt partes illas fouere lacte mulieris aut aſinæ, ſummo manè aut ante cœnã. Pari etiã vſu oportet laboranti porrigere ſummo manè. ʒ.v. aquæ hordei cum ſaccharo, aut tantundẽ ſeri lactis caprini cum eodẽ ſaccharo, vel

emulsionẽ quatuor seminum frigidorum maiorũ: nec minoris momenti est aqua portulacæ cũ rosaceo saccharo, aut decoctum maluarũ & seminis althęę, quæ verò exteriùs supra renes adhibere oporteat leges to. 2. ca. de his quæ renes refrigerant.

Curandi ratio. Quòd si his omnibus factis (aut infectis) calculus iam diu genitus moueri ad exitum incipiat, curandum est quadruplici medendi via ipsum quàm citissimè pellere, quo citius laborans à doloribus eruatur. Primò quidem per ea auxilia, quæ vias leniendo, apertioni citra dolorem promptiores reddant: secundò, per ea quæ motum citatiorem efficiãt: tertiò quidem, per ea quæ lapidem comminuere possunt: Quarto verò & vltimò, per ea quæ aut omnibus prædictis admixta, aut per se solùm adhibita, vim habeant sedandi & compescendi dolores, ac mitigandi accidentia, quæ in hoc affectu solent maius facescere negotium.

Primum itaque quod exequendum sese offert est, vias patentiores reddere & partes ipsas laxiores, quo citiùs & citra dolorem aut cum leui lapis excernatur. Verùm quia sæpe malum initium sumit à cruditatibus, vel saltem, licèt ab alia occasione principium sortiatur, in huiusmodi corporibus sæpissime abundant in ventriculo & primis venis, ob id eo medicamento protinus ab iecto clysmate, purgare corpus oportet, quod præter id quòd aluum subducat, partes quoq; leniat & laxet. Huius naturæ est mãna, iure pulli aut decocto maluarũ liquata, sed peculiari dote ea opera casiæ fistulæ tribuimus, maximè si oleo amygdalarum dulciũ extrahatur, vel si ipsa assumpta olei ipsius. ʒ.ij. superbibat laborans: idem beneficium præstant catholicon & syrupus violarũ ex infusionibus cum aqua decoctionis seminis maluarum. Cæterum si vrgentior fuerit dolor, quã quòd liceat topica auxilia differre, à vomitu initium curationis facies, & postea iniecto clysmate, ad ea quæ mox referam, te conferes: hoc vno semper obseruato, quòd si doloris ęquitia inducias præstiterit expectandi, satius longè est à prædicta purgatione initium sumere. At si constiterit sanguinem vel redundare, vel inflammatione periclitari, siue à febre, siue à calidorum vsu, mox à sanguinis detractione (quæ etiam in vrgentia doloris præsentaneum existit præsidium) incipiendum erit. Et licèt ambiguum sit apud authores ex quo loco fieri debeat, siquidẽ nunc ex brachio, nunc ex talo fieri debere, scriptũ apud Gale. & plerosq; reperitur, nos iam id dubium absoluimus in consilio capitis de sanguinis missione lib. de recto præsidiorum vsu: nimirum brachij venam esse tundendam, si plenitudo in toto corpore subsit: verùm si iam dolore aut calore ad partes affectas prolapsa sit plenitudo, ex talo sanguis mitti debet: tũ quòd cõmodiùs eo loco deriuetur, tum etiã quia sanguine ex ea parte extracto, parẽtiores & laxiores efficiuntur viæ, per quas iturus est lapis, & ob id sine dolore prolabatur. Cuius forsan indicationis gratia, censeo Hippoc. dixisse corpus esse purgandum & venã tali inscindendam. Cum hoc tamen dolorum qui plurimũ vires infirmant gratia, minus sanguinis extrahere opus erit, quàm affectionem & plenitudinem postulare constiterit. His factis & interim dum fiunt, clysmatis primò vti oportet, quæ recipiant decoctum maluarum, violarum, althææ, caricarum ac furfuris, cui addes olei amygdalarum dulcium, anethi aut camemali. ana. ʒ. j. &. ß. mellis rosati. ʒ. ij. pulpæ casiæ nouiter extractæ. ʒ. v. ac si corpus purgatum non fuerit, catholici aut hieræ. ʒ. ß. A quo si iterum alio opus sit, eodem veteris dempta casia aut catholico, & addito butyro vel adipe anserino, maximè si partes renibus proximas incalescere comperiamus, verùm si secus res se habeat, decocto addes fœnugræcum & althææ radicem, aut oleum in quo hæc incoxerint. Quòd si constiterit vel flatus adesse, vel vias pituita infartas, clysteria conficies (à prædictis

prædictis facto initio) quæ ex calidis ac modicè flatum discutientibus fiant. Cuius naturæ est quod recipit decoctum camemali, anethi, rutæ, meliloti, fœnugræci, seminis lini, mercurialis & similium, cui addes vel vini modicum vel mellis, item oleum camemali, liliorum vel amygdalarũ dulcium & hierę picræ ʒ. vj. Verùm si in animo fuerit dolorẽ magis sedare, ipsum conficies ex solo butyro, oleo amygdalarum dulcium, axungia gallinæ & anatis, vel ex iure pingui cum saccharo & vitellis ouorum: præualente tamen renum incendio, ex hordei decocto cum cremore quatuor seminum frigidorum maiorum. At cùm in animo est lapidem etiã frangere, mouere aut ad motum concitare, decoctis prædictis addes ea, quæ præter id quòd vias actuali calore dilatent, & tunicas emolliendo laxent, vim quoque habeant aperiendi & comminuendi quod impactum in vijs præfuerit. Huius naturæ est melissophyllum, pentaphylon, daucus, ruta, radix acori, petroselinum, ac radices & semen eius & fœniculi, quibus etiam addes licontripon ʒ. iij. cum modico vino.

Hanc insuper viarum apertionem & laxitatem, præter clysmata, exequuntur fomenta, linimenta, emplastra & omne insuper appositorum genus. Primò itaque à purgatione, sanguinis detractione vel saltem à clysmate, partem dolore affectam (siue renes sint siue vreteres) fouebis vesicis oleo dulci plenis, vel quouis alio ex prædictis, vel decocto ex vino aut aqua camemali, meliloti, maluarum, violarum, anethi, radicis althææ, fœnugræci, parietariæ, & reliquarum herbarum, quarum sæpius hoc capite meminimus. Oleum etiam mirabilis efficaciæ efficies, & potes seplasiarijs iubere confectum huic vsui seruare, si acceperis oleum camemelinum & fictili vase conclusis & admixtis floribus genistæ, vas fideliter clausum stercorario fimo recondatur, ac relinquatur aliquot dies feruere, quo renes perineum & vreteres inungantur. Et rursus in omnibus inunctionibus & fomentis eandem adseruabis vtendi rationem ac in clysmatis, addens paulatim quæ magis emolliunt, quæ discutiunt, quæ calfaciendo dilatant, prout laborantis & mali indigentia postulauerint. Sic etiam fomenta spongia parare cum poteris, uel filtro, addito vino, mucagine psyllij, althææ, fœnugræci, vel oleo aut lacte. Præterea renes vel vteres inunges oleo amygdalarum dulcium, sesamino, butyro, axungia, vel vnguento ex eisdem facto, aut addita mucagine althææ, seminis lini & fœnugræci, dum necessitas leniendi & humectandi partes vrget. Verùm si calfaciendo partes dilatare opus fuerit, his addes, aut solis vteris oleo camemali, anethi, baccarum lauri, rutæ, iridis & liliorum alborum: quem quoque vsum præstat oleum superiùs adductum, è floribus genistæ & oleo camemali sub stercore feruefactum. Verùm si fixiùs calfacere (quo partes magis aperiantur) opus fuerit, emplastris vteris ex prædictis oleis cum ouis frixis & telis araneorum cumino & dauco, si flatus quoque discutere fuerit opus: vel ex eisdem oleis & decocto prædictarum herbarum, maximè parietariæ, milij solis, squillę, cœpę, aut sisymbrij, & cum prædictarum herbarũ pulueribus emplastrum conficies. Mirabilis efficaciæ, etiam ad doloris inclementiã mitigandam efficies ex mucagine fœnugræci, seminis lini, & althææ, cum parietaria & malua coctis & pistatis, addita modica seminis lini farina. Præterea si vias ampliùs dilatare, ac tenuare quod in ipsis continetur in animo fuerit, vti oportet oleo croci, scorpionum vel amygdalarum dulcium, in quo crocus ferbuerit aut semen angelicæ, cœpa, sisymbrium, squilla, parietaria, daucus, radix acori, petroselini, fœniculi & similium. Motum autem celeriorem efficies, siue lapis sit, siue pituita crassa, cucurbita supra vreterarum regionem adhibita: quod si bis

die feceris, prę̃terquam quòd flatus diſcutit, ea ratione mirum in modum dolorem compeſcit. Eundem vſum præſtat equitatio, motus, curſus vel partis dolentis fricti̊o cum oleo croci facta. Pari prorſus ratione balnea aquæ dulcis aut olei, & motum accelerant & vias laxant, dolorem leniunt, & omne beneficium præſtant.

Quòd ſi his omnibus factis adhuc perſtiterit dolor, coniectandum eſt aut lapidem maioris eſſe quantitatis, quàm quòd permeare poſsit per anguſtos vreterarũ poros, vel impactum fixumq; alicui parti exiſtere. Quapropter ad ea quæ lapidem comminuunt & per interna vias dilatare nata ſunt, deueniendum eſſe conſulit vr gentiæ ratio. Sic fidiſsimo experimento compertum eſt prodeſſe. ʒ.j. licontripon cum vino vel aqua graminis aut quouis alio decocto. Præſtat & ſanguis hyrcinus autumno extractus ac ſole exſiccatus, cuius. ʒ.j. ex aqua liquiriziæ prodeſt: ex vſu quoque eſt à balneo renes & pubem inũgere, etiam à fomento. Idem beneficium præſtat lapidis iudaici. ʒ.j. ex omnium authorum decreto, licèt Galen. lib. de ren. affect. duplicem eius ſortem conſtituerit, marem nimirum & fœminam, quo cõſtat librum illum ſpurium eſſe: nam 9. ſimplicium ſolùm vnũ genus huius lapidis conſtituit, cuius vſus maioris eſt momenti cum oximellite aut aqua liquirizię. Paratur etiam puluiſculus non mediocris momenti ex radicibus petroſelini, ſaxifragiæ & pellis leporinæ crematæ. Sic & ſolus puluis leporis integri cremati cum croco in vaſe fictili: nec non & renes eiuſdem ſiccati, & in puluerem redacti vino exhibiti. Item cinis vngulæ equi, plumarum columbæ, teſtæ coclearum, cancrorum, vermium terreſtrium, aſelorum, paſſerculi quem caudam tremulam vocant, ſtercus murium in aceto tritum, lapis veſicæ hominis, aut repertus in veſicis, vel felle porci, hirci, vel vaccæ, puluis lapidis ſpongiæ, cinis corticum ouorum, oſium meſpilorum, corticum auellanarum: puluis pullorum hirundinum combuſtorum, veſicæ apri cum vrinæ exſiccatæ, cornu cerui præparati, aut foliorum mori: quorum omnium. ʒ.j. ſatis eſſe ſolet. Stercus item columbinum mixtum cinnamomo &. ʒ.j. theriacæ magnæ cum ſyrupo de duabus radicibus: valet & vinum feruefactũ cum radice graminis, pentaphylli, ſemine maluæ ſilueſtris, cinnamomo, polio, croco, quinque radicibus, corticibus cyperi, bruſco, apio, raphano, cortice capparis, ſaxifragia, vrtica, chamæpiteo, millio ſolis, nucleis ceraſorum, amygdalarum dulcium vel perſicorum. Sed ex his omnibus varia etiam effingere poteris quæ magni ſolẽt eſſe momenti: quale eſt illud quod recipit, decoctum ſabinæ cum aqua graminis, aut pulueris eiuſdem ſabinæ. ℈.ß. cum eâdem aqua: item aliud quod recipit cineris leporis combuſti, lapidis iudaici, ſpongiæ, ſanguinis hirci, acori, pulueris ſeminis petroſelini & ſeminis althææ ana partes æquales, & cum melle fiat electuarium, cuius. ʒ.j. & ß. porrigere poteris. Cõficies item aliam quæ recipit caſiæ ligneæ. ʒ.ij. ſeminis apij. ʒ.iij. mirrhæ. ℥.j. olibani. ʒ.iij. lapidis iudaici. ʒ.j. ſeminis paſtinacæ, piperis & aniſi. ana. ʒ.ij. ſpicæ nardi. ʒ.j. & ß. amygdalarum amararum. ʒ.iij. aſari & pulueris ireos. ana. ʒ.j. ſeminis papaueris albi & ſeminis cyperi. ana. ℈.iiij. mellis quod ſufficiat, fiat opiata. Sed ſatius mihi ſemper viſum fuit trochiſcorum de alkekengi ʒ.j. porrigere, vel cum licontripon aut theriaca magna aliquem ex prædictis pulueribus admiſcere, & vino aut aqua feminis maluarum & liquiriziæ diſſoluere, vel in forma boli præbere. Verùm in his & ſimilibus adminiſtrãdis, cautè tegeras oportet, ne calculoſos calidis lædas magis, ſed per longiora interualla eis vteris, & alijs admiſcebis, licèt fœmineis corporibus licentioſiùs præbere poſsis. Alia etiam huic vſui proficua & magni momenti capite ſequenti reperies.

Sed ſi adhuc perſtet doloris inclementia, ad ea quæ dolorem ſedant, deueniendum eſſe

dum eſſe conſulit doloris vrgentia: quæ ſanè præter ea quæ vias laxare, dilatare ac lenire poſſe dictum eſt, quæ etiam ſuo modo dolorem ſedant, intus & extra adhibenda ſunt. Exteriùs quidem vnguentum quod recipit, olei amygdalarum dulcium ſcorpionum & axungiæ gallinæ, anſeris & anatis. ana. ℥.ß. philonij Romani ʒ.iij. ceræ parum. Aliud etiam parabis quod recipit vnguenti aragon. ℥.j. & ß. mucilaginis althææ & ſeminis pſyllij. ℥.ij. olei camemali, olei croci & axungiæ gallinę ana. ℥.j. opij. g.iij. ceræ quod ſatis. Item partem inunges oleo de papauere, vel vnguento populeon cum croco, vel id conficies quod recipit opij. ℈.ß. ſtyracis, croci, myrrhæ, caſtorei. ana. ʒ.j. agitentur cum vino dulci aut ex decoctione maluarum & prębe. ℈.ß. Quod pari penſu parabis hac lege: excipe liquiriziæ, myrrhæ, ſtyracis, aſari, ſpicæ celticæ, ſquinanti, ſeminis paliuri, alicacabi & biſmaluæ. ana. ʒ.j. apij, petroſelini, rubiæ maioris. ana. ʒ.ß. opij. ʒ.ß. croci. ℈.j. cum ſyrupo capillorum veneris & vino albo aut aqua vitæ fiat opiata, diu agitando in mortario calido, porrige. ℈.j. Item porriges ſyrupum papaueris vel theriacæ recentis. ʒ.j. aut philonij. ʒ.ß. & hęc dormituro exhibebis, vel dum dolor fæuius ingruit. Verùm cùm diu dolores perſtant non eſt minoris efficaciæ (maximè ſi in ſiniſtra parte ventris dolor adſit, & ſplen etiam malo conſentiat) emplaſtrum ex vtroque diachylone cum meliloto & oleo ſcorpionum aut capparorum.

De lapide veſicæ. Caput. XI.

Icèt euidentiſsimum ſit in eodem affectus genere conſiſtere renum & veſicæ calculos, cum hoc tamẽ, in multis diſsidere inter ſe certiſsimum eſſe arbitror. Nam præter locum vbi quiſque generatur, etiam diſsidium conſtituere ſcimus, ætates & corporis ſtatus in quibus generationem ſortiuntur: item materia, nec nõ & modo caloris atque cauſis etiam antegreſsis: quorum omnium, ſaltem ad prę̃cautionem ediſcere prouidentiam conuenit. In primis ſtudendum eſt ſcire, cur Galen. 6. popul. parte. ʒ. tex. 15. dixerit, vrinarum craſsitiem potiſsimam eſſe lapidis veſicæ cauſam. Namque inquit: Craſsitudo multa in veſica collecta & in vnum coaceruata, ſi diu ibidem remanſerit, concreſcendi coagmentandiq́ue initium, alio adueniente, capit. Præterea conſtat ex neotericorum maiori parte, calorem quoque requiri in veſica, cæterum mediocrem ſufficere: & ob id arbitrantur plerunque lapides veſicæ ſuccreſcere magis in pueris & ſenibus, quàm in iuuenibus & ijs qui calore abũdant. In quarum ſanè cauſarum aſsignatione, multa ac magni momenti dubia nobis ſe ſe nunc offerunt. Primum quidem, cur in pleriſque corporibus adhuc ſenilibus vrina excernatur craſſa, in qua ſubſidet craſſæ pituitæ incredibilis copia, & lapides non fiunt. Secundum, qua nam ratione, quando pueris vna ferè eſt viuendi ratio, prædictis cruditatibus gignendis apta, & omnibus etiam viget ſufficiens calor, cur non fiunt illis omnibus aut pluribus lapides. Tertium, cur non fiunt in eorum renibus calculi, ſi quidem per ipſos deſcendit apta materia, & eoſdem calore renum pollere eſt arbitrandum. Quartum, cur ex calculis renum veſicam adeunti bus, non fiat in ipſa lapis, quinimo protinus eijciatur quantumuis magnus ſit, & paruus lapillus in veſica genitus adeo tenaciter ibidem adhæreat, quòd in immedicabilem molem ſuccreſcat.

Primũ dubium. Circa primum experimento quotidiano comperimus,tam in ſenibus quàm in pueris frequenter vrinam mingi craſſam , & in qua poſtea pituitoſum colligitur ſedimentum,idque copioſum,& cum hoc lapides non gigni. Cuius euentus cauſam eſſe arbitramur, humoris craſsitiem ſine lentore , quo fit vt etiam ſi vrina diu immorante in veſica craſſum colligatur,nihilominus tamẽ veſicæ expellẽti,haud ſecus quàm vrina,cedit id craſſum quod in ea continetur,quia cùm lentore & viſciditate careat,nullibi adhæret & protinus excernitur,& ob id non lapideſcit.Secundam quidem cauſam cenſemus eſſe , caloris veſicæ & vrinæ mediocritatem, quòd ſolùm nactus ſit vrinam ipſam agitare ac mouere,non quidem coquere aut adurere & exſiccare. Quo fit,vt in huiuſmodi corporibus,vrina excernatur craſſa & turbulenta,ſignum quidem expulſionis eius quod cum ipſa è toto corpore prolabitur: verùm cùm vrina mingitur tenuis , & cum hoc in ea ſubſident filamenta quædam craſſa ad modum viſcidæ pituitæ, coniectabile quidem tunc eſt tenuem mingi,quòd plurimum craſsi intus impactum maneat, haud ſecus quàm matulæ adhæret illud quod excernitur,quamuis paucum ſit,& in matula corticem generat ſolutu difficilem: ex quo coniectabile eſt aliquid in veſica manere,quod impactum duritiem etiam contrahat,ac forſan longè maiorem.

Secundum dubium. Secunda dubitatio quęrit,cur pleriſque puerorum non fiat lapis in veſica,ſiquidem ferè omnibus eſt eadem intempeſtiua viuendi ratio,& etiam omnibus abundat calidum ſufficiens, ſaltem plus quàm cæteris corporibus . Cuius dubitationis gratia expendere oportet,licèt multi neothericorum arbitrati ſint parum caloris ſufficere ad veſicæ calculum gignendum, euidentiſsimum eſſe & rationi philoſophicæ conſonum,longè maius incendium prærequiri: nam etiam ſi ſtatutum ſit à philoſophis omnibus,pariter duritiem fieri à calido & à frigido,nihilominus tamẽ eo maiori opus eſt calore,vbi ab ipſo & non à frigido debet fieri lapis, quo in frigidiori loco & frigidior præfuerit materia ipſa.Nam ſi reſolutione tenuis ſubſtantiæ durities contrahenda eſt, quo maior fuerit calor, eo longe maior fiet ſoliditas & durities,materia ob viſciditatem renitente omnimodæ reſolutioni, ſed ea potiſsimùm cauſa fieri debet homine exiſtente viuo,& non concretione à frigido, ergo neceſſariò maiorem mediocri prærequirit calorem. Diximus enim lib.2. de recto præſ.vſu.cap.de emolli. induratorum, varias eſſe ſortes & differentias , inter quas potiſsimæ ſunt quæ à calido reſoluente & à frigido indurante ſuccreſcunt : ſed earum quę à frigido fiunt,duplex eſt conditio,vna cùm frigiditas condenſans intrinſeca eſt rei condenſatæ,in qua licèt calor principium mixtione media præſtet, frigidum tamen vltimam in indurando adhibet manum, vt metallis omnibus contingit,quo fit vt à calido liquari poſsint, quia ab eo principium traxerunt, verùm ſemoto calido protinus indurantur ab intrinſeco principio. Quod ſanè lapidibus non accidit,qui ſolùm fiunt à frigido intrinſeco & extrinſeco,& ob id non liquantur,niſi forſan ab humido tenui, quod frigidum externum comprimendo extraxerat. Secundo modo à frigido indurãtur multa, cæterum externo, idque duobus modis: vno coacta & condenſata propria rei quæ cõcreſcit humiditate,vt in gelu & grandine contingit, quo fit vt à calido protinus liqueſcant : alio verò à frigido externo exprimente humidum,vt in lapidibus contingit. Quibus præmiſsis,non erit difficile credere,veſicæ lapidem à nulla prædictarũ frigiditatum poſſe concreſcere,licèt in corpore à frigido fieri poſsint duri ac ſcirrhoſi tumores,dum Medicus inflãmationibus adhibet indiſcretè & proteruè quæ refrigerandi & comprimendi vires habent . Verùm in veſica vbi nulla præceſſerunt auxilia impenſè refrige-

rantia,

rantia,credibile non eſt,poſſe lapides à frigido externo concreſcere, neque ab interno,nam partes viuentis hominis tanto pollent calore, quantumuis natura frigidæ ſint,vt non capiat intellectus id lege vlla poſſe fieri: nam priùs veſica corrugaretur frigiditate, & lapides laminoſi non fierent, ſed veluti in rebus externis integri & vnius compagis, ſed cùm nihil horum accidat , credibilius videtur , laminas illas & lapides omnes in veſica genitos,à calore fieri potiùs quàm à frigore . Præterquam quòd ratio in promptu euidentiſsima eſt,quia nuſquam calore liqueſcũt nec emolliuntur: quo fit vt frigidum ſiccum non fuerit eorum cauſa,ſed calidum ſiccans,nam aqua potiùs emolleſcunt. Item vniformis & fidiſsimus euentus id efficaciùs atteſtatur , namque non ſemper, neque in omnibus pueris aut ſenibus, quantumuis frigidi exiſtant,& frigidis abundent ſuccis,lapides reperiuntur,ſed in quibuſdam:ijs nimirum,quibus in veſica & inteſtinis ac vicinis partibus calor prę ter naturam ſuccreſcit nõ mediocris. Quinimo arbitror,ardorem vrinæ,pruritum & reliquos veſicæ affectus, in quibus calorem pollere comperimus, certiſsimum eſſe præludium & potiſsimam cauſam generationis lapidum veſicæ : ſic enim ex vrinæ ardore in hæc mala plerunque laborantes commigrare,certiſsimum haberi debet,vt in cauſarum tractatione expreſsiſsimis authorum verbis cõſtabit euidentiùs. Præterquam quòd vbi craſſa adeſt pituita in loco frigido,calor natiuus fundere & liquare ſolùm potens exiſtit,ad concretionem verò & reſolutionem , maiori opus eſt: & ob id ſapientiſsimus ille Hippoc. (& id etiam Medici omnes, quanuis mordicus & inuiti adſtruunt) non vt ij obſcuris verbis & puſillum conſtituentes calorem,ſed clara oratione cum ingenti calore id fieri ſtatuit Sic enim Hippocrat. lib.de locis,aëre & aqua ſcriptum reliquit. Quorum quidem aluus ſatis fluida eſt ac ſana,& veſica non ardens,neque ſtomachus veſicæ valde coardeſcit,ij facilè vrinam eijciunt,& in veſica nihil ipſis congregatur:quorum verò aluus ardens ac feruida fuerit,in his neceſſe eſt etiam veſicam idem perpeti, cùm enim magis quam pro natura fuerit calfacta, ſtomachus ipſius inflammatur . Vbi verò hæc perpetitur, vrinam non dimittit, ſed in ſeipſam concoquit & adurit, & quod quidem tenuiſsimum in ipſa eſt,excernitur,& quod puriſsimũ eſt tranſit & emingitur: quod verò craſsiſsimũ ac turbidiſsimum eſt,coaceruatur & concreſcit,primum quidem parum,deinde maius fit.Dum enim voluitur ab vrina, quicquid craſſum compactum fuerit ad ſeipſum adaptat atque ſic augeſcit & in tophum concreſcit:& cùm vrinam emittit ad veſicæ ſtomachum allabitur ab vrina impulſum, & vrinæ emiſſionem impedit,& dolorem vehementem exhibet.Quibus verbis euidenter cuiuis conſtare arbitror, ex calido intenſo & efficaci neceſſariò fieri horum lapidum generationem. Item reddens dictorum cauſas paulò inferiùs interdicit pueris lac biliоſum ac feruidum & vinum:& ſubdens rationem inquit.Vẽtrem enim percalfacit & veſicam,quare vrina dum aduritur, hæc patitur. Conſimilem ſententiam adduxerat idem author li.de natura humana,dicens. Quibuſcunque verò eadem ſeroſi humoris ſpecies in veſicam proruperit,à loci caliditate,calida & alba fit & ſegregatur:& quod quidem rariſsimum eſt,ſuperſtat,craſsiſsimum verò infra mergitur . Fiunt autem & calculi pueris propter huius loci caliditatem , itemque totius corporis: viris autem calculi non generantur propter corporis frigiditatem . Qua item ſententia euidenter conſtat dubij propoſiti veritas, non ſat eſſe calorem puerorum ad gignendos lapides , quantumuis cruditatibus abundent , ſed opus eſſe addito & exurente. Verùm ſi quis dubitauerit,vnde nam pueris lactantibus ſuccreſcat is calor,expendat id Hippoc.docuiſſe lib.4.de morbis dicentem,non ſolùm ex

lacte

lacte dum pituita nutrix abundat,prouenire,ſed etiam ab eodem lacte cauſam efficientem prodire:quippe inquit. Et puer ſi à nutrice lac non purum ſuxerit, ſed bilioſum velut dixi,morboſus fit ac debilis,& in præſens maximè affligitur, quã diu lac prauum ac morboſum ſuxerit. Qua ſententia duo conſtant, primum non neceſſum eſſe,pueros interim dum lac ſugunt,calculo laborare,ſat enim eſt morboſam vitam agere:ſecundum, ab ea ætate & alimento morboſum contraxiſſe calidum quoque apparatum in veſica,quo poſtea vtens craſsiori cibo& intemperatiori vitæ modo,in calculorum generationem commigrare:quippe is calor additus natiuo in hæc mala prorumpit. Senibus autem ſuccreſcit idem affectus, quia vtraque cauſa copioſè abundant, materia nimirum craſſa, & calore acquiſito ex vini vbertate,quo in ſubſidium inclinantis & frigidæ ætatis vtuntur. Quibus exactè conſideratis,conſtat ratio,quare non omnibus pueris neque ſenibus ſemper lapides ſuccreſcũt, ſed his cùm vino & calidis vtuntur cibarijs,quibus prædictas partes incaleſcere eſt æquum,ac ex crudis ſuccis lapides fieri: illis verò, quia licèt calore abundent,non tamen ſemper eſt vltra medium, habito reſpectu ſuæ naturæ & ætatis. Quapropter ſtatuendum eſt,calculum fieri plerũque & maximè(poſſit ne fieri aliter,tertium dubium abſoluet) cùm materia multa craſſa ac terrea cũ lentore cogitur in vnum in veſica: nam primum ad quantitatem ciceris aut fabæ conglobatur,cuius pars intima concreſcit,& quoniam eijci non poteſt, quia quãcumque partem tetigerit ibidem adhæreſcit ac fixa manet, tandem calore intẽſiore naturali parte tenui conſumpta in lapillum concreſcit,& ſic alia lamina ſuſcepta maior indies magis ac magis afficitur:quo fit vt hi lapides margaritarum more corticibus conſtent.

Tertiũ dubium. Quærit tertium dubium,cur in puerorum renibus,nunquam aut rarò calculos fieri contingat,quantumuis maiori polleant calore quàm veſica, & idem met craſſus ſuccus per ipſos ad veſicam dilabatur. Cuius dubij occaſsione ſtatuendum eſt, quòd licèt ex materia craſſa calculos fieri conſpiciamus,illud tamen fit ob loci ſic citatem,aut ob vehementiam caloris humidum reſoluentis. Præterea craſſa materia in pueris diuerſa eſt à ſenum craſſa materia:quippe hæc craſſa eſt pituita viſcida & cruda:illa verò quæ in pueris viſitur,licèt cruda ſit,non tamen eſt adeo craſſæ ſubſtantiæ,ſed craſsitudinem comparat potiùs ob copiam, quàm ob peculiarẽ conditionem. Quo fit,vt cùm hæc in veſicam deſcenderit, dicto modo concreſcat, quia copioſior exiſtit & calor intenſus: at cùm in renibus tanta colligi non poſsit ob loci anguſtiam,& parua à calore fuſa protinus dilabatur exeatque à renibus,ob id quidem in eis rarò aut nunquam lapides generari poſſunt. In ſenibus verò in renibus & veſica facilè lapides gigni conſpicimus: nam cùm latiores ſint meatus in renibus,ita vt plus craſſæ materiæ contineant,& materia viſcida & craſſa ex natura atque calor ſiccior,ob id facilè vtrobique generari poſſunt, quia diutiùs maior copia ibidem immoratur craſſæ ac viſcidæ pituitæ.

Quartũ dubium. Inueſtigat quartum dubium,quî fieri poſsit,quòd calculo renum grandiori in veſicam conſcendente,non ibidem moretur & fiat veſicæ lapis, cùm ex minori in veſica genito frequenter fiat. Cuius dubitationis gratia ſcito, ſcriptũ eſſe apud varios authores,calculũ varijs modis in veſica poſſe gigni:verũ qua lege intelligẽdum ſit,non eſſe ſcriptum. Quippe generari trifariam referunt:vno modo ex arena concreta condenſataque,haud ſecus quàm tophus, nullis laminis intertexta, ſed in vnum congregatis & veluti leui glutino aceruatis arenulis, ex quibus media quædam ſubſtantia fit inter ſal & lapidem:nam ſal nunquam lapideſcit, quoniam

niam humidum potentia eſt vt glacies,& ob id ab aqua liqueſcit: tophus verò tardiùs:lapis autem qualis qui verè & propriè in veſica generatur, nunquam. Secundò verò gignitur ex lapide iam concreto in renibus,idque longè rariùs, vt meo & multorum iudicio ſuperiùs probaui,quoniam veſica illum,(ni alia ſuccreſcat cauſa,quæ eum coerceat & conglutinet) cum vrina,ſtatim expellit,eo quòd naturam moleſtet & ob id immorari non ſinat,ſed protinus pellere ſtudeat. Cui operi accedit,quòd cùm renum calculus nudus ſit,nullo glutine obductus, adeo veſicam cõtactu vexat,vt diu non poſsit retineri,& ob id non augeri. Nam cùm calculi neq; arenæ alicui veſicæ parti adhæreant,ſed cum vrina vagentur,fit facile vt cum illa pariter excernantur,niſi pariter in veſica affectus & apparatus calculis etiam gignendis idoneus exiſtat: nam eo tempore mirum non eſt ſi ibidem adhæreſcẽs viſcidæ pituitæ conſortio veſtiatur,coerceaturque detineri & augmẽtum ſuſcipere, ac vrinam cohibere:& id quàm rariſsimum eſt,quia maior pituitæ craſſæ copia in renibus detinetur effectura calculos,& ob id nõ ſemper in vrina adeo copioſa eſt, q; vtriſq; ſufficiat. Qui verò calculi in veſica oriuntur,& tertiũ modum cõſtituunt, ex fæce vrinæ generantur,cũ membra naturalia imbecilla fuerint,velut in pueris & ſenibus,tunc materia illa craſſa ſimul cogitur & paulatim dureſcit calore vrinæ ipſius,aut veſicæ vel vicinarum partiũ. In quo loco genitus ob id, & quia paruus eſt à principio,moleſtiam non infert,ac ex conſequenti non pellitur(vt renum calculi & arenulæ) donec maiorem magnitudinem nactus à veſica ſeparetur (quippe dũ gignitur plerunq; adeo tenaci vinculo ipſi adhęret, vt donec præponderoſa magnitudine & vrinæ copia ſeparetur,vrinæ exitum non impediat) & poſtea ſubitò vrinã ſupprimat:quo conijciendum eſt, ex vna ſolùm vrinæ ſuppreſsione, lapidẽ eſſe,& non mediocris magnitudinis,quantũuis antea nullũ eius præfuerit veſtigiũ. Nã licèt ſenſim gignatur & corticibus cõſtet imperceptibili generatione factis, cõfertim tamẽ ſubitò & ſenſibiliter, vrina ſuppreſſa ſui notitiã præſtat,quia cõtingit ſuperari & ad os veſicæ protinus adire. Itaq; quia rarò ex renũ lapillo in veſicã cõcreſcere maiorẽ cõperim⁹, ob id tãtũ duos generationis modos cõſtituim⁹.

Lapidis veſicæ cauſæ. Breuiter inſtitui cauſarum lapidis veſicæ tractationem dirimere, cùm non leuis earũ pars,cum his quas renum calculos poſſe efficere diximus, cõmunionem habeat. Dimitto quidem materiã & efficientem cauſam,nã ſatis de eis me dixiſſe arbitror:ſolũ verò ad eas me conferam,quas pro præcautione lapidis veſicæ ſcitu neceſſarias fore ſum arbitratus. Quas ſanè vnanimi omniũ authorum conſenſu, eſſe eas nemo negabit,quę ſuccũ craſsũ gignere ſũt natę,vt ex Gal. cõſtat.14.meth. Sed ſpecialiùs eas exprimit lib.de renũ affect.dicens. Ea verò ex quibus generãtur calculi,ſunt permixtio in cibo,& intromiſsio cibi ſuper reſiduum cibi,& labor poſt cibũ. Adhuc tamen ſpecialiùs eas exprimit lib.de cibis boni & mali ſucci,dicẽs,calculos ſolũ gignere edulia craſſa,craſſoſq,ſuccos,maximè cũ homines calidiores plus iuſto fuerint: ſed ex eodẽ lib. cõſtat,vinũ rubrum & caſei copiã, & lacticinia omnia,tandẽ ea quæ in mari gignũtur,ſiue ſalſa,ſiue ſecus ſint. Sed ne tẽpus in recenſendis his conteramus,ſtatuendũ eſt,quotidiano euẽtu comprobatũ eſſe, eò miſeriæ in vitæ luxu & praua victus inſtitutione eſſe deuentũ,& non ſolũ pueris & ſenibus (vt antiquitus ſcriptũ erat) ſed & iuuenibus & omni hominũ ſorti & ætati:idq; non ſolũ ex lactis & caſei vſu, vel alimentorũ craſſorum, ſed ob intẽperãtiam etiã, & frequentes cruditates,adhuc ex boni ſucci cibarijs prouenire. Quod inſinuauerat Gal. lib. de ren. affect. dicẽs. Satietates & cruditates hũc morbũ nõ ſolũ exacerbant,ſed etiã pariunt vbi nullus erat: quapropter nihil feruens eſt ingerẽdũ,quod

renes

renes & veſicam poſsint calfacere:& paulo inferiùs ſcribit. Maximè autem ad ſucci mali morborumque generationem facit cruditas aſsidua,ſiue ea boni ſiue mali ſucci cibos ſequatur:& iterum eâdem parte refert degenerare in articulares & calculoſos affectus. Cæterum licèt hæ cruditates materiam ſuppeditent, tamen ſpecialiori conditione tenentur inſigniri, ſi futuræ ſunt materia lapidũ: inquit enim Galen.lib.3.de alimentorum facult.cap.17. vbi ſuccorum craſsities cum ardenti calore iungitur,calculi generantur:& eodem lib. Calculos (inquit)ſolent gignere edulia craſſa craſsi ſucci,maximè cùm homines calidiores iuſto fuerint,ſiue ob naturalem intemperiem,ſiuè ob alium quendam affectum ipſis poſtea innatum, nõ tamẽ pro caloris modo meatuum tranſitus latos habeant:& ſic lib.5. de ſanit.tuẽ. dixerat. Calculos in calidioribus generant cibi craſsi ſucci. Itaque in ſumma quatuor neceſsariò requiruntur cauſæ calculorum generatrices:materiæ craſſæ viſciditas,ſiuè ab hoc ſiue ab illo alimento prodeat:viarum ſtrictura & coarctatio: expellentis facultatis impotẽtia: & vltimò exceſsiua illarum partium caliditas: Quas omnes diligenter conſiderare oportebit,vt iuxtà omnium indigentiam & conditionem, præcautionem & curationem huic affectioni neceſsariam inſtituamus.

Signa. Tot ſolent veſicæ ſuccreſcere affectionum varietates,tum quæ ſenſibus à laborante poſſunt percipi,tum quæ ad modum excernendi vrinam pertinent, quòd difficilimum videatur,obſcurum & maximè abditum diſcernere,à qua nam cauſa oriatur earum quælibet dum apparet,cùm ferè ſimillima ſortiãtur ſigna,& omnes ab vna cauſa prodeant,aut variæ cauſæ ad vnius generationem concurrere ſoleant, ita vt perdifficile ſit diſtinguere,vtra earum in affectum concurrat. Referã tamen quæ frequenti experimento certiora eſſe comperimus,& probata ſunt fidiſsimo authorum omnium decreto: ſed primò diſtinguam quæ ambigua ſunt: nam licèt omnia in quouis affectu reperiantur, non tamen omnia eodem modo & ordine,ſed quædam ab initio vnius viſuntur, quæ in alio affectu non niſi in fine,& alia pariter vario modo. Verùm in lapide dignoſcendo,ſtatuendum eſt, quædam eſſe ſigna quæ ipſum futurum oſtendunt: alia quæ incipientem: nonnulla quæ creſcentem:& alia quæ perfectum. Sic profectò vrina craſſa præludium eſt futuri lapidis:arenoſa ſignum incipientis:alba & perſpicua facti:cruentis mucoribus plena iam adulti:ſuppreſſa grandioris:cum teneſmo & doloribus, longè maioris ac exulcerantis iam veſicam,ita vt recto inteſtino communis fiat affectio. Sed qualiter vnumquodque id valeat moſtrare,iam audies. Inquit enim Hippo. Quibus in vrinis arenoſa ſubſiſtunt,his veſica laborat calculo: quod ſanè ſignum tam eſt incertum & infidum, vt nullum aliud incertius reperiri poſsit. Præſertim cũ idem author lib. de internis affect.renum calculum monſtrare copioſam arenam cum vrina excretam referat:quinimo eâdem parte taxat antiquos, qui ex arenulis venantur magis calculum veſicæ,quàm renum. Præterea experimento fidiſsimo conſtat,pleroſque eorum qui calculum patiuntur, non emittere arenas, aut eorum qui arenas mittunt, neque renum neque veſicæ calculo laborare. Sed dimiſſa varietate hunc locum exponentium,veram arbitrandum eſt fieri ſententiã, ſi aliquid illi additum ſit,quod neceſsariò deeſſe conſtat:nam is eſt Hipp. loquendi laconiſticus modus,quo in aphoriſmis plerunque vtitur. Id quidem eſt,verum eſſe aphoriſmi ſenſum,dum arenoſa hæc & ſubſiſtunt & frequenter ſubſiſtunt. Cuius doctrinæ gratia duo expendiſſe oportet: vnum quidem arenoſum ſedimen nõ ſolùm in veſica poſſe gigni,ſed in renibus & in iecore & venis, cæterum diſtinguí,quòd iecoris & venarum arenulæ (ex ſanguinis aduſtione ibidem facta, aliquando

quando per ſanitatem ex calido iecore,aliquando in morbis flauiores & auricolores,vt non rarò in declinatione febriũ ardentium ex ſanguine contingere ſcimus) ſubtiliores ſint & flaui coloris raròque aut nunquam ſubſideant, ſed cum vrina innatent ſedimento immerſæ,aut matulæ adhæreſcentes. Item quæ ex renibus prodeunt plerumque ſubſident,licèt aliquando innatent, & cum hoc craſsiores exiſtunt & inæquales, omnes tamen flaui & rubri coloris magis quàm cinericij aut ſubalbidi. At quæ ex veſica decidunt,craſsiores,albidiores,inæquales& in fundo matulę reſidentes viſuntur:quo fit vt ipſis hac lege viſis,certiſsimum ſit lapidis indiciũ. Reliquũ verò quod conſideratione dignum exiſtit in earũ excretione eſt, prædictas arenulas ſemper debere ſubſiſtere,non per interualla,vt in reliquis quas mox memorauimus:ſic enim verbũ illud præſentis temporis (ſubſiſtunt)oſtendit, non quidem aliquando:præterquam quòd renum arena,arena quidem eſt, non arenoſum ſedimentũ. Differunt profectò non parũ arena & ſabuloſum ſedimen: quippe hoc conſtituitur non ex arenulis,ſed ex fruſtulis ac laminis & paruis portiunculis ſemipituitoſis & iam ferè concretis,quæ ex lapidibus excidũt ob frequẽtes motus,& longè magis cùm lapis vnus non eſt ſed varij exiſtunt. Huius veritatis probatio eſt,exhibitio eorũ quę calculũ minuunt:nã ab aſſumptione (maximè ſi vel equitando, vel quouis alio modo ſe exercuerit laborãs) maiorem prædicti ſedimenti arenoſi copiam cõperies,indicium quidẽ lapidis ibidem exiſtentis: qui ſi durus fuerit,laminoſa aderit ſubſidentia:ſi tophaceus,lapidum fruſta apparebunt: quòd ſi nil horũ adſit,lapis proculdubio non eſt. Aliud profecto ſignũ non minoris dubitationis eſt,vrinam aliquando apparere tenuẽ & perſpicuam,quod omnino prædicto opponitur,cũ antea dictũ ſit hunc affectum fieri in his qui vrinã mingunt albã & craſſam. Sed dirimitur controuerſia,quia dũ lapis gigni debet, mirũ non eſt ſi vrina craſſa mingatur:quinimo ex craſsitie eius quod remanſit in veſica, lapis futurus prædici poteſt. At cùm iam genitus ſit,craſſum lapidi adhęret & vrina mingitur clararitẽ calore quod craſſum eſt concreſcit,& vrina ipſa ob cruditatẽ talis excernitur,nam fatigata lapidis conſortio natura, nequit vrinam coquere ac mutare,ſed qualis in veſica ſuſcipitur ſeparata parte craſſa,mox excernitur. Prẹter quam quòd ob irritamentum,quã pauciſsimum ibidẽ immoratur. Aliud inſuper eſt ſignum,quod diuerſas ſolet deſignare veſicæ affectiones,nimirum pituitoſum ſedimentum,nam id non ſolùm lapidis generationem atteſtatur,ſed & defluxum à toto,vel capite aut ventriculo,quod ſanè citra lapidis concretionem frequẽter prodire conſpicimus,corpore ſeſe per vrinam expurgante. Verùm cùm veſica calore immodico affecta eſt,pituitam allicit,& aliunde tranſmiſſam recipit,& receptã exurit,ac facilè in lapideã ſubſtantiam vertit,quod ex hoc excremento venaberis alijs ſignis adiuncta:quod monſtrat adhuc clariùs,dum excernitur cum difficultate & ardore,maximè ſi aliquando appareat,ac nonnunquam deliteſcat. Sed miſsis his ſignis quæ ambigua ſunt,ex pluribus in vnum ſimul collectis certitudinẽ capeſſere oportet,vt Hipp. ſtatuit.4. de morbis,dicens. Cæterum morbus ſigna quinq; habet,nam vbi meiere vult,dolorem habet & vrina plurimum fluit, velut in vrinæ ſtillicidio,& eſt ſubcruenta,nimirũ veſica à lapide exulcerata, & veſica in flãmata eſt,verũ hoc ſignũ incõſpicuũ eſt,indicat autẽ ſumma pars præputij: quã doq; mingit arenoſa. Adducit etiã alia ſigna pariter ſimul iuncta lib. de locis aqua & aëre dicens. Quare pueri(quia frequenter ijs accidere ſcripſerat) calculoſi fricãt ac trahunt pudenda,videtur enim ipſis cauſa mictionis de loco eſſe: ſigna autem ſunt in his quæ hæc ipſa patiuntur,vrinam ſplendidiſsimam calculoſi mingunt,ad

ſimilitudinem ſeri,eo quòd id quod eſt craſsiſsimũ ac bilioſiſsimum iſthic manet, & coaceruatur ac concreſcit.Sed Galen.lib.attributo de Dinamidis,alia etiam col ligit dicens. In veſica qui naſcitur calculus ſequentia habet ſigna, pleni videntur & cibo ſaturi, frequentes ſentiuntur inflammationes ventris & ſtrepitus, videntúrque oſcitare, neque oſcitant, ſed totum os diducunt: ſequitur totius corporis ſtupor, ſomnus grauis, vrina liuida fit, & vix egreditur, intumeſcunt etiam pudenda & inde calculi fiunt:quę ſanè ſigna recenſere ſtudui,quòd ex his aliqua quibuſdam proficua, alijs alia fore arbitratus ſim. Verùm in ſuma in huiuſmodi affectu,vrinæ apparent crudæ & ſubalbidæ, ſedimentum arenoſum aut ſquãmoſum, vrinæ ſtillicidium adeſt, & ad vrinam reddendam frequenter impelluntur, & aliquando vrina repente ſupprimitur.Raſis autem & alij ex veteribus,tanquam euidentiſsimum adſtruxerunt eſſe huius mali ſignum, laborantes dum meiere ſtudent aut dolore vexari, aut ad erectionem membri excitari, forſan ob conſenſum partis,quę veluti titillatur lapide,cum extremo membri ſeu capite eius,& ob id,ea pars ſemper condolentia afficitur,vel ſimul erigendi cupiditate tentatur. Præterquam quòd ponderis ſenſu in veſicæ regione, frequenter premuntur ſic affecti,& nullibi quieſcere poſſunt,ſed moueri,& crura alternatim mouere coguntur,quod ſolet eſſe non minus certum quàm euidẽs ſignum.Præter hæc omnia vtiliſsimum quoque eſt, vel digito per anum immiſſo,ipſum lapidem tactu perquirere,vel immiſſa per pudendum candela cerea,aut cathetere ipſummet explorare:haud difficile enim ijs probationibus tibi erit noſſe ſit ne lapis an ſecus, ſi diligenter examines.Nec minoris probationis eſt,dum vrina ſuppreſſa exiſtit,laborantem ſupinum ponere,cruribus eleuatis,atque ipſum concutere: quòd ſi tunc vrinam reddat, ſignum eſt calculo fuiſſe obſtructã:quod eleganti quadam ſententia dixerat Hipp. li.de coacis præ.tex.51. ſic dicẽs. Calculoſi ita figurati vt ne lapis in meatũ vrinariũ procedat facilè meiunt:quibus verbis & præſidium & ſignum ſcripſiſſe conſtat.

Præſagiũ. Miſerabile profectò malum, quod neq; curatum neq; citra curationẽ periculo caret.Cũ hoc tamen ex his qui eo affecti ſunt,nõ curati citius pereunt: curati verò licet citius aliquando intereant,euadunt tamen nonnunquam (quia ſatius eſt aliquod experiri auxilium quã nullum)& ex his ij magis qui pueri ſunt, & inter reliquos qui viribus conſtant,& ij etiã qui vel ſenectutem caducã non agunt,vel prędoloribus & inedia admodum conſumpti nõ ſunt:tandem vſq; ad 60. annum nõ pauci curantur, nõ tamen omnes tutò aperiuntur, nam perpetuum eſt quod fieri debet, & cùm nulla alia ſit ſalutis in arte medica via neque ratio curationis præter apertionem, arbitrandum eſt non omnes laborantes ſanitati poſſe reſtitui. Cum hoc tamen licèt aliquando alijs auxilijs vti authores conſulant, cenſeo rarò aut nunquam profuiſſe,apertionem verò vel mortem accelerare,vel Deo Maximo faciente ſaluberrimum fieri auxilium. Nec minoris momenti eſt ad certum futuri boni vel mali preſagiũ eliciendum,noticia magnitudinis lapidis:quippe qui grandior eſt,non ſine periculo extrahitur,conuulſi enim plerunque moriuntur homines:qui longè minor, haud tutò extrahitur,quia vel non apprehenditur,vel apprehenſus protinus effugit aut frangitur,quo fit vt irritum fiat plerunque lethale vulnus.Qui verò mediocris eſt magnitudinis tutiùs extrahitur,idq; ſecuriùs ineuntibus vere & autũno quàm alijs tẽporibus:verũ ſi dolores ac febres vrgeant,ne laborans languidus efficiatur ac ineptior ad perferendum ſciſsionis laborẽ,quouis tempore fieri poteſt,dũmodo inclemens æſtus aut gelu nõ ſit,ſed cœlo ſereno.Nec plurimũ immorandũ eſt, ſit ne Luna increſcens aut decreſcens,ſi neceſsitas vrgeat & periculum

periculum ſit in mora, ne vel lapis plus iuſto creſcat, vel laborans languidior fiat, hæc enim periculoſiora ſunt: verùm ſi omnia quæ ſcrupulum fortiuntur vitari poſſunt longè tutius & vtilius erit.

Curandi ratio. Licèt veſicæ lapis idem natura ſit affectus cum renum calculo, in curatione tamẽ & præſeruatione aliquid habet peculiarius: nam præter auxiliorum efficaciã, quæ maior in veſicæ lapide quam in renum,prærequiritur, etiam ex occaſionibus & cauſis aliquid peculiarius elicitur,quod diuerſiſsimum eſt ab eo,quod in renum calculi curatione requiritur. Itaque in præſeruatione,quæ maioris eſt momenti, maiori diligentia ſtudendum eſt cauſas illidere: & ſi quid generari inceptum eſt, antequam vel in lapideam duritiem mutetur, vel in magnam ſuccreſcat molem, comminuere,abſtergere,& à veſica quàm citiſsime expellere.In qua re eadem eſt inſtituenda victus ratio,& idem vitæ ſtudium,ac eadẽ prorſus purgandi tum ventriculum,tum corpus vniuerſum,tum caput,inſtitutio: cæterum diuerſo modo,in hoc quod eſt genitos calculos comminuere & abſtergere,ita vt hic comminuendi modus,proficuus etiam ſit renum calculis, non tamen omnino è contra, licèt aliqua vtrique affectioni proſint.Præterea adeo eſt vtilis & neceſſarius,vt etiam in curatione proficuus viſus ſit, dum duritiem lapis non contraxit immedicabilem. Et ob id in duas potiſsimas partes diſſecare hanc curationem inſtitui: vna quidem præcautionem & curationem nondum concreti lapidis inſtituet, reliqua verò lapidem iam induratum reſpiciet.

Ad primam igitur,quæ præcautioni meræ proficua eſt accedẽdo, nihil noui adſcribere placet,præter ea quæ capite præcedenti diximus: verùm dum iam aliquid concreſcere incipit,præcauere oportet,quo minus in lapideam duritiẽ migret,ſed longe ante id præpedire opus erit.Quod ſane fiet,ſi præſtiteris ea præſidia, quæ lapidẽ frangere nata eſſe authores ſcribunt,antequã ipſe in duritiem concreſcat ſoliorem:nam eo tempore prodeſſe aliquando cõperimus,poſtea verò rarò aut nunquam. Quapropter ſi prætatis ſignis conſtiterit, materiam in veſica contentam aliquo modo indurari(quod noſces ex ardore vrinæ cũ pituitoſa excretione)tũc quidẽ conſidera,quatuor eſſe medicamẽtorum genera quæ lapidem cõminuere poſſunt,vt iuxta maiorem aut minorem cõcretionem & vetuſtatem hoc aut illo vtaris.Sic enim ſi lapis cõglutinari cœperit(nã id eſt primum principiũ,vt Hippo.4.de morbis fatetur dicens.Glutinũ quidẽ fit,pituita ad fęcẽ admixta,& primũ parua lanugo ſuperſtat,deinde quod accedit arenoſum fit,glutino fiẽte pituita) tũc quidẽ his auxilijs(ex his quę Gal.9.phar.loc.annumerat)vtendũ eſt,quibus diſſoluto debile & nondũ cõcreto glutine,facilius lapis diſſoluatur. Quem vſum præſtat, inter alia quæ breuitatis gratia prætermitto,nichociana Indorum calidiſsima herba, ab eiſdem tabaco appellata,cuius puluis põdere.ʒ.ß. cum aqua ſaxifragiæ exhibitus, plurimum huic vſui conducit:veluti ſtillatitia eius aqua,aſparragi & cardus comeſtibilis, qua mirum in modum quàmplurimos ab huiuſmodi malo liberatos vidimus.Calcitrapa etiã(cardus genus quoddam) miris laudibus apud populum extollitur,licèt nullus antiquorũ eius meminerit(præter Rembertũ Dodoneũ & Rueliũ)cuius indies maiorẽ agnoſcimus in purgãdis renibus & veſica vim & efficaciã: dũ ſtillatitius eius liquor ſũmo manè põdere duarũ vnciarũ ſumatur, cũ hoc tamẽ maiorẽ in hoc opere præſtat efficaciã puluis ſeminis aut florũ eius. Eiuſdẽ naturæ eſt puluis centinodij,graminis ſubtiliter triturati,cauliũ,fabarũ vmbra ſiccatarum, virgæ aureæ,ac reliquorũ quæ renũ lapidẽ frangere antea diximus.Quòd ſi his exhibitis non profuerit, & cũ vrina pituitoſius & laminoſum friabileq; ſedimentum

apparuerit, ad ſecundum genus tranſeundum eſt, conſtans quidem ex tenuibus partibus, acido ſapore & copioſa humiditate cum calore moderato. Quippe talia in lapide frangendo efficaciſsima exiſtunt: nam à tenuitate habent vt penetrent denſas & iam concretas lapidis partes: ab aciditate quòd inſcindant & diſiungant gluten iam iam ferè concretum: à copioſo humore, quòd madefaciant & veluti emolliant quod calore indurari cœperit, egent tamen moderato calore ad penetrationem: nam quæ acriùs calfaciunt, magis excoquunt & indurant. Cuius generis ſunt ſuccus limonum, oxalidis, radicis rubi, betonica ipſa, graminis radix, adiantum, aſplenium, ſmirnij ſemen, rumicis radix, vitis lacrhyma, ſemen malvæ ſilueſtris, radices canarum, blitis, ſaxifragiæ, vrticæ, amygdalæ amaræ, nuclei ceraſorum, perſicorum & alia huius cenſus. Quem quoque vſum adimplet aqua illa mirabilis ſtillatione extracta ex cardus folijs, ſucco limonum & ſaccharo, præcedenti capite huic etiam muneri inſtituta. Tertij verò generis medicamenta ea ſunt, quæ impropriè lapides inſcindere dicuntur: nam abſtergendo tantùm atterendoque ſuperficiem, plurimum huic vſui conferunt: talia autem ſunt omnia quæ ſua aſperitate abſtergunt & veluti atterunt, duo enim corpora aſpera ſimul colliſa atteruntur inuicem & comminuuntur. Quem ſanè vſum præſtant pleraque ex his quæ apud authores reperiuntur, qualia ſunt vitrum contritum, lapis ſpongiæ, lapis lyncis, cinis leporis combuſti, cinis corticum onorum, lapis veſicæ hominis aut apri, lapis gallorum, cornu cerui, lapis veſicæ fellis bouis, puluis pſeudoſmaragdi, cinis etiam noctilucarum, cicadarum & cantharidum, licèt hæc etiam alia ratione prodeſſe poſsint. Quarto loco ea porrigere oportet medicamenta quæ copioſam vrinam prouocent, vt quod ex lapide excuſſum eſt & in arenulas aut fruſta comminutum, inundante multa vrina facilè pellatur: huius naturæ ſunt ſeminum frigidorum maiorum lac, aut ipſa in puluerem cum ſaccharo candore redacta: quæ ſanè præter beneficium prædictum, calorem immodicum lapidum generatorem attemperant & compeſcunt, ac vrinam manſuetiorem reddunt. Verùm ne quid huic tractationi deeſſe videatur, ex his omnibus aut alijs quæ capite præcedenti diximus, aliqua efformare & componere oportet, quæ vſui probatiora exiſtant. Tale eſt quod recipit ſanguinis hirci præparati (præparatur primò dũ hircus vſus fuerit petroſelino folijs raphani & alijs huius naturæ) lapidis iudaici, lapidis veſicæ fellis vaccæ, aſari, amygdalarum amararum, ſeminis cucumeris, bdelij, coſti, pulueris virgæ aureæ, ſingulorum partes æquales, mellis quod ſufficiat fiat electuarium: quibus etiam addi poſſunt ſeminis althææ & petroſelini. ana. ʒ.ij. ſi electuarium ſit lex vnciarum. Serapium etiam confici poteſt quod recipit radicum apij, fœniculi & petroſelini, ſaxifragiæ, virgæ aureæ, milij ſolis ana. m.j. ſeminum dictarum herbarum. ana. ʒ.ij. cichorij cum radicibus, ſcolopendrij ana. m.ſ. contundantur omnia mediocriter, & bulliant in. vj. lib. aquæ ad medietatem, tandem diuidatur hæc quantitas, & in medietate bulliat. ʒ.j. cantharidum ſine alis & capitibus (quibus frequenter in potionibus hac lege vſus eſt Hippocrat lib. de internis affectionibus & de natura muliebri) quæ priùs in puluerem debent redigi, & tranſacta prima ebullitione coletur & adde ſaccharı libram vnam. Alteri tamen decoctionis medietati adijciatur mellis lib. j. & bulliant donec fiat ſyrupus: eius tamen qui cantharides recipit, ſumat laborans quarto quoque die. ʒ. j. & intermedijs diebus alterius ſyrupi ſumat. ℥.iij. Stillatitia item confici poteſt aqua quæ recipit radicis aſparragi, canarum, ſaxifragiæ, virgæ aureæ, milij ſolis, ſingulorum lib. ſ. quibus tantundem foliorum addere oportet aceti

aceti ſquillitici lib. iiij. ſucci limonum lib. ij. vitri vſti lib. ſ. polij montani lib. j. quæ omnia adinuicem piſtata & commixta excepta vaſe vitreo inſtillentur, cuius aut vino aut aqua decoctionis althææ porrige ℥. j. Hæc quidem à me dicta ſunt, non quòd exiſtimem lapidem (nec mediocriter durum) aliquo eorum aut omnibus poſſe frangi: nam multis iam annis experimento fidiſsimo obſeruaui, & à veteribus ac probatiſsimis huius temporis Medicis obſeruatum accepi, nullum horum auxiliorum adminiculo ſanitati fuiſſe reſtitutum. Sed id dictum fuiſſe arbitrandum eſt, vt ſi forſan omnino concretus non eſt, his conteratur, quod fieri mirũ in modum aſſolet, & etiam ne deſit copia auxiliorum ei qui calculi generationem & principium inhibere ſtuduerit: nam eo vſque poſſunt aliquid hæc auxilia, non vltra, quantumuis ab imperitis velut certa & magni momenti habeantur. Interim tamen, narcoticis curabis dolorem ſedare: quippe doloribus conteruntur, ac imbecillitantur ſumopere: Id quidem facies, eo quod recipit ſucci liquiriziæ ℥. ſ. myrrhæ, ſtiracis, thuris, maſtichis. ana. ʒ. j gummi tragacanthi & arabici. ana. ϑ.ij. opij, corticis mandragoræ. ana. ʒ. j. papaueris, alkekengi, ſeminis endiuiæ, plantaginis & biſmaluæ. ana. ϑ.ij. cum ſyrupo iuiubarum fiat opiata, cuius ſumat aut ϑ.ij. aut. ʒ. j. Quo etiam vteris in vlceribus veſicæ cum dolore.

Verùm ſi his omnibus adhuc ex arte factis, vel lapis non imminuatur, vel eius augmentum non inhibeatur, tunc iam ad extractionem eius vniuerſa medentis diligentia dirigenda eſt. Noſces autem tempus iam huius auxilij adeſſe (licèt ſatius Areteo & viris doctiſsimis viſum ſit, tutiorem eſſe apertionem, quo minor fuerit lapis: nam dum maior fuerit, veſica quoque neceſſariò ſauciatur, & licèt periculum apertionis euadat laborans, vel vlcerata manet, vel fiſtuloſum ſupereſt foramen, per quod vrina perpetuò inſtillat, & ob id inquit idem author ſecuriùs excidi dum valde paruus eſt lapis, ſi inhæreat calculus veſicæ, nam dum liber vagatur cum vrina, os veſicæ exulcerat) ex colliquationibus cum minori dolore & mitioribus accidentibus, præterquam quòd vrina liberaliùs redditur. Verùm ſi lapis liber eſt & cum vrina per veſicam vagatur, maximè ſi grandior ſit, vrina cruenta aliquando mingitur, dolores ſunt vehementes, virilia ſæpius arriguntur, vt etiam retulerat idem Areteus, nam verendum eſt, ne febribus & doloribus, ſi diu differatur, adeo contabeſcat laborans vt ſæuitiam auxilij per ferre non poſsit: quando enim meiunt ſic affecti, dolent, tractant trahũtque pudenda tanquam calculum cum veſica exempturi. Anus quoque vitij particeps redditur, pruritu & teneſmo laborat, ambo enim inter ſe copulantur, ita vt vno affecto, & alterum afficiatur pariter: & propterea inflammato podice, vrinæ exitus clauditur, & veſica exacerbata ſedes non deijcit, vrina ſupprimitur, & per interualla liberè exit, & iterum ſuppreſſa grauiores concitat dolores, in ſuppreſsione circa perineum vt in collo veſicæ inhæreat lapis, vrina verò exeunte in toto ambitu remanet moleſtia, & veſica ponderoſum ſentit dolorem. Quibus ſignis, & facta ex digito aut candela per tactum certiori probatione, curandum eſt ipſum lapidem extrahere, priùs tamen curabis vrinam reddi: quod latiùs inſtitutum reperies, ſequẽti capite de vrinæ ſuppreſsione, vbi aduerſus omnem cauſam præſidium reperies: vel propulſo lapide cathetere, candela, iũco, haſtula petroſelini, digito aut motu corporis violento, vel facto ſupino decubitu cruribus elatioribus & corpore vehementer commoto. Itẽ fomentis & inſeſsionibus ex decocto violarum, althææ, parietariæ, camemali, meliloti, fœnugræci & ſeminis lini, ac inunctionibus ex oleo dulci, axungia gallinæ, anatis vel butyro & mucagine pſyllij & ſeminis cytoniorum. Quibus

factis,& corpore purgatione, aut ſi plenum fuerit, leui ſanguinis detractione, ne vires labantur, præmunito, die ſereno mediæ temperiei, in quo non vigeat aliquis ſiderum aſpectus huic muneri aduerſus, corpus artifici huius miniſterij perito cõmittes, ſed maximè orationibus, eleëmoſynis, ieiunijs & ſacrificijs ſacerdotum, vt Dominus noſter miſereatur illi,& præſtet felicem euentum ac ſalutem.

De vrinæ ſuppreſsione,& de ea quæ veſica non patiente fit. Caput. XII.

QVM veſicæ officium ſit,admittere & recipere ſeroſum iecoris & totius venoſi generis excrementum, ipſumq; continere,& rurſus ex voluntatis imperio & naturæ adminiculo tempore reddere, mille modis in vtroq; munere deflecti comperimus. Quippe ſecernẽs venarum vis primum locum tenet, ſeligens in alimentum quod vtile exiſtit: quo fit vt inutile vagum ſuperſit, quod renes per emulgentes venas huic muneri dicatas, incredibili efficacia trahunt, vt inde ſibi alimentum capeſcãt, ſero in eorum ſubſtantia percolato ad inanitatem eorum. Quod ſanè poſtmodum pellitur per meatus vrinarios ſeu vreteras appellatas in veſicam (ipſa nõ quidem trahente, vt Galen. 6. de locis. cap. 3. viſum eſt, licèt contrarium aſſerat. 5. de vſu partium. cap. 2. nam trahit ſolùm per vreteras ſibi adhærentes, non propria vi, & hoc eſt trahere, nimirum per vreteras: & non trahere, hoc eſt per propriam vim) quæ ſanè receptum excrementum continet, & vndique vi ſuarum fibrarum, maximè tranſuerſarum comprehendit adeo, vt nullum inane reperiatur ſpatium, ne vrina, animale ſe mouente, vndique fluctuaret ac flueret. Quod etiam præcauet muſculo ipſius veſicæ voluntariè operante ac continente ipſam, ne citra animalis imperium dilaberetur. His ſic conſtitutis, in munere continendi aut retinendi vrinam, multa ſuccreſcere ſymptomatum genera, proculdubio comperimus, quæ quidem omnia reducere ad triplex læſionis genus oportet, vt in quauis alterius membri actione reperiri contingit. Primum quidem in actu meiendi omnino ablato, iſchuriam, ſeu vrinæ ſuppreſsionem Medici appellant: ſecundum in eiuſdem actione diminuta, quod ſymptoma ſtranguriam, ſeu vrinæ ſtillicidium continet: tertium quidem ſitum eſt in deprauata eiuſdem veſicæ actione, nimirum cùm vrinam quidẽ reddit homo, ſed cum dolore & difficulter, quod ſanè vitium dyſuria nuncupatur. Cui damno alia duo ſymptomata, quæ in vrina viſuntur, neceſſariò adiungere oportet, nimirum vrinæ abundantiam ſeu vbertatem, ſiue ea cum voluntatis imperio excernatur, quæ propriè diabetes nuncupatur, ſiue citra voluntatem aut inter dormiendum, vel ſecus. Sed omnibus ad cuiuſque proprium caput relegatis, ſolùm hac in parte in animo eſt, de vrinæ ſuppreſsione, ſeu iſchuria tractationem contexere.

Supprimitur igitur vrina,& veſica veluti ſui muneris oblita conſpicitur, vno è tribus modis: primo quidem quia vrina non trahitur à renibus: ſecundo quia licèt trahatur, non tamen recipitur: tertio verò & vltimo, quia etiam ſi recipiatur à veſica, ab ipſa non emittitur. Atqui licèt ſola ea vrinæ ſuppreſsio, quæ vitio fit veſicæ, verè & propriè iſchuria à veteribus nuncupetur, reliquarum etiam quæ nomine proprio

proprio carent, vt Galen. viſum eſt. 3. de cauſ. ſymptom. cap. 2. hac in parte meminiſſe operepretium duxi: nam & grauiores & periculoſiores ſunt, & magis præſidijs orbatæ: tum ob rei difficultatem, tum verò quia nullus vt par eſt, earum meminerit, forſan ipſarum magnitudine deterritus, quamuis Galen. loco citato & 1. de locis affect. cap. 1. ac Barbarorum nonnulli earum leuem quandam mẽtionem fecerint, curationem tamen aut contempſerunt, aut ignorarunt. Quapropter primò ab earum tractatione me expediam, paulo diligentiùs rem conſiderans, ac præſidia ſcribens, quæ vſu & ratione mihi probatiora viſa ſunt. Secundò verò ad legitimam iſchuriam deueniam, ſtudens diligenter illi auxilia proficua docere.

De vrinæ ſuppreſsione veſica non patiente.

QVm ſtatutum ſit renes & veſicam officio & colligantia ita inter ſe cõnecti, vt rarò alterum ſine reliquo lædi conſpiciamus, ſaltem veſica, quæ & proprios luit affectus, & eos etiam, quos renes pati conſpicimus, maximè quatenus attinet ad vrinæ tractum & percolationem: ob id vrinam non reddi à veſica conſpicimus, tum per eſſentiam patiente ipſa, tum verò per conſenſum. Cæterum contingit veſica non læſa, ſed omnino vrina orbata & vacua, vrinam ſupprimi vno è quatuor modis. Primum quidem optimè aduertit Philoteus. 7. aphoriſ. 46. ſtatuens quandam eſſe obſtructionem in craſsioribus inteſtinis, à craſſa & viſcida pituita ortam, quæ prohibet anadoſim ſeu diſtributionem ad hepar, & conſequutione quadam ſuccorum generationem, & ſubinde vrinæ ſecretionem: quo fit vt corpus humiditate plenum mille accidentibus prematur, & veſica nihil vrinæ ſuſcipiat nec contineat. Secundo fit emulgentibus vel obſtructis vel non ſugentibus. Tertio renibus obſtructis, aut præ imbecillitate non trahentibus vrinã. Quarto verò & vltimo vreteribus adeo obſtructis, vt ne minimum vrinæ percolare poſsint.

Quouis enim prædictorum modorum vrina non conſcendat in veſicam, lethalis omnino efficitur affectio, vt prudenter ſcripſerat Aretæus lib. 2. de cauſis diuturnorum c. 3. dicens. Quòd ſi ſupra renes intercludatur vrina, paucis diebus ſuperſtites ægri moriuntur, ratio tamẽ mortis haud diſsimilis eſt, ijs qui aqua ſuffocati moriũtur: extinguitur enim vtriſq; calor, verùm diuerſo modo: nam ſuffocatus aqua moritur, quòd ea ventriculus plenus ſeptum comprimat, & ſpirituum ac reſpirationis cohibitione vita priuetur: cæterum in his quibus vrina ſupprimitur, ipſa deducta cum ſanguine per vniuerſum genus venoſum, prohibita quæ per arterias fit tranſpiratione, ob venarum plenitudinem, compreſsione in ipſas illata, ſuffocat: velut antea dictum eſt, quia protinus ipſis ſuccreſcit pulmonis hydrops, cuius interuentu ocyſsime ſuffocantur. Denique, licèt preſidiorum vi per ſudorem vel per expurgans medicamentum aliquid aquoſum excernatur, ſupereſt tamen adhuc tanta in vaſis omnibus vrinæ copia, vt perpetuo pulmonis motu, ad ipſum tanta vrinalis ſubſtantiæ copia trahatur, quòd protinus ſuffocatus moriatur homo. Præterea, non rarò in tumorem veluti aquoſum corpus vniuerſum attollitur, & refrigeratus laborans aqua illa, quæ in extimis frigiditatem contrahit, moritur. In quo malo non minus graue & moleſtum Medicis eſt, rarò aut nonnunquam eſſe adinuentum

inuentum tantæ efficaciæ præsidium, quod magnitudine mali par existat, quàm multis tentatis nihil prodesse: & ob id cordati Medici viso affectu, protinus præsagio vtuntur, potiùs quàm præsidijs. Cum hoc tamen Deo auspice conabimur methodo & arte aliquid adinuenire, quod forsan vtile & proficuum erit.

De intestinorum obstructione.

Verùm si ex obstructione crassorum intestinorum affectio suboriatur, eo quidē fiet, quia impedita distributione alimenti ad hepar, neque alimenti fiet confectio, neque vrinæ vlla separatio, & vniuersum corpus atrophia contabescet, venter vomitione perpetua infestabitur, aut aluus liquidiora excernet: inflatur vterque venter, torminibus afficitur, & homo sibi ipsi redditur grauis & impotens. Verùm licèt aliquo tempore vrinæ aliquid excernat homo, sensim longe minus erit, donec præ siccitate corpore consumente vniuersam humiditatē, viæ arescant, corrugentur & omnino nihil fluat, aut si quid fluxerit non recipiatur, quo regurgitante in venosum genus, cùm omnino sit præter naturam, molli & laxo tumore partes eleuantur citra nutritionis beneficium, vrina nulla in vesicam conscendente: quod hydropicorum nonnullis accidere conspicimus, ablata omnino anadosi, obintestinorum prædictam obstructionem ex crassis succis obortam. Quo fit vt prope mortem, & venter detumescat, & nulla vrina reddatur, quia nihil aquosum quod in ventrem fluat, aut serosum quod in vesicam, generatur in iecore, ob prædictam anadosis priuationem. Quod cùm acciderit, & his signis præcognitum fuerit, & maximè quia sensim & paulatim fit suppressio, diligenter studendum est, quantumuis vomitibus & alui deiectionibus infestetur homo, ipsum crassum humorē educere expurgantibus pharmacis, quæ vim habeant deobstruendi & extergendi atque expurgandi, liberandique intestina ab infartu. Cui sanè muneri præbere oportet terebinthinæ. ℥.ʃʃ. cum puluere liquiriziæ, vel eandem cum puluere bus senæ, aut decoctum senæ cum oximellite, vel mel squilliticum cum infuso agarici, aut lactæ seminis cartami. Verùm antequam horum aliquid porrigas, præstare oportet oximellitis simpl. aut squillitici. ℥.ʃʃ. cum mellis rosacei. ℥.j. vel mellis squillitici ℥.j. cū decocto liquiriziæ, idq; octo aut duodecim diebus, cogens primò laborantem tertio aut quarto quoque die vomere. Quo facto, clysmatis veteris ex decocto mercurialis, camemali & saluiæ cum melle & sale, nullo adhibito oleo: quòd si aliquid amplius purgare studueris, vel agarici dilutum, vel foliorum senæ decoctum addes, aut carholici vel diaphœnici. ℥.ʃʃ. Quibus præmissis ad prædictas purgationes deuenies, & postea laboranti porriges aliquod ex antidotis quæ chalybem recipiunt: quod si feceris antequam ex toto vrina cohibeatur, maximi erit momenti. Ipsaq; cohibita theriacæ singulis diebus porriges. ℥.ʃʃ. & desuper bibendas dabis hydromellitis. ℥.iij. aut si id præ calore frequentius porrigere displicuerit, singulis diebus ex vsu erit sumere hydromellitis ex aqua liquiriziæ. ℥.iij. oximellitis squillitici. ℥.ʃʃ. Interim tamen corpus balneis aquæ dulcis committes, nam & affectioni quæ atrophia est, & symptomati ex vsu erit, ac vias siccitate & corrugatione contractas dilatabit, ac insuper si quid vrinæ per ambitum corporis præfuerit, discutiet. Quòd si laborans nequiuerit præ imbecillitate id ferre, oleis amygdalarum dulcium, sesamino, liliorum & seminis lini, dorsum, vreteras & vesicæ regionem inunges: item fomentis veteris resoluentibus, calfacientibus, & quæ vim habeant dilatandi prædictas partes, qualia adduximus capite de colico dolore aut de ileo.

Ex emulgẽtium venarũ læsione.

Accidit etiam prædicta vrinæ suppressio ob aliquod vitium venarum emulgentium, quod sanè vel in impotentia trahentis seu sugentis facultatis situm est, vel in obstru-

obstructione: nā cùm munus horum vasorum sit, perpetuo motu à renibus sumpto principio, & procedente vsque ad venam cauam, à qua oriuntur, vrinam allicere & fugere, & has actiones temperamenti vitio, mille modis lædi contingat, fit facile, vt etiam in his vasis idem mali genus re vera accidat. Quod quidem contingit ad aliquod iecoris vel renum intemperamentum, prædictis vasis etiam præstitum & commune per colligantiam factum, quale est frigidum & humidum. Quo fit vt hydropicis non rarò accidat ventris & totius corporis maior tumor, & celerrimum mali augmentum, quòd pauciſsimam reddant vrinā: eam tamen paucam reddunt, quòd vasa prædicta & renes præ frigiditate trahere desierint, & ob id abū dat serosus humor in prædictis partibus. Ät si impotentia eo crescat, quòd omnino desistat à tractione facultas, prorsus etiam supprimi vrinam continget. Quod sanè malum non rarò euenire assolet, eisdem emulgentibus obstructis à pure, sanguinis grumo & crassa atque copiosa pituita vel tuberculo, aut re aliqua extrinsecus comprimente. Obstructionis horum vasorum causa, aliquando in virginella, mensibus nondum cœptis, conspeximus vrinam iterum remeare ad iecur, neque per venam portam ad mæseraicas & per intestina conscendere, ac peranum excerni, aliquādo cum grauissimis lagonum & laterum doloribus, nonnunquam secus: quam curauit vsus chalybis, reseratis vijs & vrina conscendente per propria vasa.

Signa causa huius.

Verùm cùm symptoma hoc, siue ab hac siue ab illa causa oriatur, vnum sit, signis distinguere causam & ipsam cognoscere opus erit: nosces autem ex emulgentium vel renum imbecillitate suppressionem ortam fuisse, quòd citra dolorem alicuius partis, nec molestiam præsentem aut præhabitam laborans omnino vrina sit orbatus, quod nulli aliarum causarum accidere est credendum. Item in reliquis causis vrina subitò & affatim supprimitur, in hac verò paulatim & sensim redditur minor indies magis ac magis, donec ex toto supprimatur. Tandem in alijs vrina antequàm supprimatur, statutis & consuetis temporibus excernitur: in hac verò causa, non solùm pauca vrina, sed per longiora interualla meitur, quia quàm pauciſsimum in vesica colligitur. Et licèt idem quoque signum adsit in intestinorum obstructione, distinguetur tamen, quòd vrina in illa sit alba, ob defectum actionis iecoris, quam supplere vesica non potest: at in hac imbecillitate, cùm vrina boni coloris ad vesicam conscendat, & ibidem aliquantulum immoretur, lixiuij instar excernitur, quod colorata descendat, illa verò decolor: qua ratione hæc subit intensiorem, illa verò remissum colorem. Præterea, id nosces ex prægresso aliquo affectu vel iecoris vel renum, qui ex frigiditate ortus adhuc præfuerit: adiungitur etiam dorsi veluti impotentia & laxitas quædam, quæ citra dubium atteſtatur frigidum & humidum illarum partium intemperamentum. Constabit tamen malum ab obstructione ortum ducere, ex subita suppressione & ex causis præsentibus aut præcedentibus, quæ natæ sunt aut humores ad obstructionem efficiendam mouere, aut materiam obstructioni aptam suppeditare, qualis est crassorū ciborum esus, intemperata vitæ institutio, ex potibus & exercitijs mox à cibo: item intempestiua & importuna medicamentorum vrinam mouentium adhibitio, corpore existente crudo & humoribus crassis pleno.

Curandi ratio.

Quia rarò accidere arbitramur iecori aut renibus & prædictis venis imbecillitatem, præsertim frigidam & humidam, citra materiæ accessum succrescere, quæ licèt non obstruat, imbibita tamen & adhærens extrinsecus vel cum ipso sero prolabens, prædictam pariat impotentiam: ob id quidem principium curationis auspicari

ſpicari oportet à leui & repetita purgatione,cum rhabarbaro,maximè in ſubſtantia præſtito. Sic enim facta prima purgatione ex infuſo eius & lacte ſeminis cartami,cum ſyrupo roſarum rubearum ex infuſionibus, vel cum expreſsione agarici & rhabarbari,deinceps rhabarbarum maſticandum porrigere oportebit, aut ex puluere eius cum ſaccharo factis tabellis,maximè ſi admiſcueris aromatici roſati modicũ, vel cũ oximellite aut melle roſaceo,vel miua aromatis condita. Quibus factis,quæ verè vrinam mouent, ad ipſoſque vrinæ meatus deferunt, porrigere opus erit: quippe hæc cùm calida ſint,intemperiem corrigere ſunt nata,& ob acrimoniam,facultatem laceſſunt,& tenuitate præſtita vrinam mouent ad eas partes copioſam,atque hæc arbitror eſſe maioris momenti, quàm quoduis aliud ex medicis auxilijs. Inter quæ non minoris momenti eſt vſus terebinthinæ abietis cum puluere aliquo ex his,quos diximus lapidi renum eſſe ex vſu, vel cum puluere liquiriziæ Præterea diureticis præmiſsis,dorſum inungere oportebit oleo belzoini, Mathioli,aut aqua vitæ inſtillata ex theriaca,terebinthina, ſquilla & vino rubro, aut facta ex eodem vino,cum maiorana,rore marino,ſaluia & petroſelino cum radicibus. Prodeſt & inunctio ex oleo naphæ,balſamo,petroleo,oleo rutæ, oleo ceparum,de pipere aut cinnamomo: neque erit abs re iecur & omnes ventris partes eiſdem inungere. Verùm tanquam vltimum præſidium ad balnea naturalia ex sulphure confugere oportebit,quod magni ſolet eſſe vſus. Sed illud mihi vtilius viſum fuit ſemper, nimirũ curationem aggredi dum vrina imminui cœperit, nam in tam graui affectu vtilior eſt præcauendi quàm curandi ratio. Et ob id factis expræditis medicamentis purgationibus,inſtituto exſiccanti & calfaciẽti victu, & omni viuendi genere, maximè ſi potus ſit ex vinis medicatis & aromatis conditis,ſudare ex decocto guayaci,ſpartæ parellæ aut radicis Chinæ,corpus oportebit: nam licèt periculum ſit,ne vrina ad extimas corporis partes trahatur, id quidem vereri non oportebit,quia prædicta pharmaca, præter id quòd ſudores mouent, eius quod in ambitu corporis eſt, vrinas quoq; ſingulis diebus ſummo manè epota,mouere nata ſunt. Verùm vt hoc terrore decepti Medici non dehortentur à ſaluberrimo hoc præſidio, addere decoctis oportebit quæ vim habent irritandi ac mouendi vrinas,velut ſemen dauci,vrticæ,cardus ſtellati,petroſelini,radicis fœniculi & aſparragi,quibus vias vrinæ ſeruientes irritari ad tractum & pulſum vrinæ certiſsimum erit. Præterea oportebit viſcerum vires roborare vſu aromatici roſati cum ſemine angelicæ,aut ipſo ſemine cum ſaccharo in forma boli: diambra vti etiam oportebit cum triplo diarrhodonis: prodeſt & theriacæ vſus aut mithridatij. benefacit electuarium de hyacintho,conſerua acori aut radicis carlinæ cum vino aromatico.

Si ex obſtructione earũdem emulgentiũ ſuppримatur vrina.

Licèt obſtructio communis ſit affectio venis emulgentibus,renibus & vreteribus,placuit tamen ſeorſim emulgentium obſtructionis meminiſſe, vt ſignis eam à reliquis diſtinguere poſsimus,ac ſimul cauſas venari,etiam ſi poſtea curationem vnam omnibus communem ſtatuere commodius videatur. Noſces autem earũ obſtructionem,quòd ſubitò & repente vrina deliteſcat, nulla in renibus, veſica aut vreteribus apparente læſione,neque præhabita in eiſdem partibus affectione aliqua,quæ poſsit earum affectum monſtrare. Præterquam quòd vel decubitus morbi alicuius præceſsit,vel craſſorum alimentorum eſus,aut aliorum intempeſtiua aſſumptio: ſed maximè,vt præcedenti paragrapho dixeram,cùm morbo aliquo exiſtente crudo,aut crudo ventriculo,vel non vacuato corpore, laborans imprudenter vſus fuerit diureticis,quibus aliquid crudum & obſtruens neceſſum eſt ad vias

vias vrinæ tranſmitti. Huius etiam mali cauſa eſt,ſi quis in dorſo percuſſus,ſanguinis grumo ibidem impacto prædictam obſtructionem perpetiatur. Huius curationem mox leges.

Si renes & vreteres obſtruantur.

Cùm renum obſtructione aut vreterarum,vrina ſupprimitur (præter imbecilli tatem eorum quæ ſimilia habet ſigna,& conſimilem curationem cum imbecillitate emulgentium quam adduximus) non eſt cognitu difficilis cauſa: nam rarò accidit aut nunquam niſi in vtroque rene & vtriſque vreteribus par malum inſit: quippe ſi in altero ſit tantùm facilè reliquum vrinam trahet, & per vreterem ſibi proximam mittet vrinam. Cæterum rerum euẽtus,vſus & ætas nos iam docuerunt alio etiam modo poſſe huiuſmodi ſuppreſsionem vitio renum ſuboriri,quod maximam mihi intulit & alijs doctiſsimis viris admirationem. Quippe fuit vir quidam illuſtris, Hieronymus à Roda pincianæ cancellariæ Præſes, cùm Flandriam vt præfectus totius exercitus in rebus pacis & iuſtitiæ Philipi inuictiſsimi ac maximi Hiſpaniarum Regis iuſſu adiret,calculo dextri renis affectus, quadraginta diebus dolore incredibili cruciabatur,qui ſanè adeo fuit intolerabilis & pertinax vt nullis ceſſerit præſidijs: tandem poſt dies prędictos,lapidem nucleo dactili perſimilem & æqualem proiecit,euaſitque ſuperſtes & ſine dolore trium annorum ſpatio. Poſtea tamen in Hiſpaniam reuerſus,vt præeſſet prædictæ dignitati, iterum ſiniſtrum renem apprehendit conſimilis dolor vehementia & duratione, tandem conſimilem lapidem proiecit poſt quadraginta dies,multis adhibitis preſidijs. Eua ſit quidem à dolore,ſed non à grauiori malo: nam tranſactis tribus diebus à lapide proiecto,ſuppreſſa eſt omnino illi vrina,tandem iterum conuocatis Medicis conuentum eſt inter omnes,nullam aliam eſſe cauſam,præter obſtructionem ab arenulis,aut calculo & pituitoſis ſuccis, quibus profecto virille plurimum abundabat. Quod equidem videbatur rationabilius,in homine calculoſo,pituitoſo & ad modum cibis & potibus intempeſtiuè vtente: tandem affectio nullis ceſsit præſidijs,& poſt trigeſsimum diem obijt. Facta tamen diſſectione me poſtulante, inuenimus renes grandi foramine peforatos à cauitate renis vſque ad dorſum eiuſdẽ, nihil tamẽ pituitæ neq; arenularũ neq; alterius rei,cui tribui poſſet vrinæ ſuppreſsio, neque in ipſo,neq; in vreteribus repertũ fuit. Vbi neceſſum & rationi conſonũ erat conijcere,illa foramina relicta fuiſſe à lapidibus illis,quos tanto labore proiecit,quòd in carne renum geniti fuiſſent,& ea magnitudine creuerint, quæ renes ipſos vndiq; perforare valuiſſent. Poſtea tamen ob prædicta foramina renes non potuiſſe ſuctionem & tractionem moliri,vt palam cuiuis erit,ſi exactè coniecerit renum officium & ſtructuram illi muneri dicatam. Potuiſſe tamen vno rene per forato,altero vrinam allicere, tribus illis annis intermedijs inter vnam & alteram lapidis proiectionem,iam verò vtroque aperto non potuiſſe. Placuit hiſtoriam fideliter recenſere,quam proprijs oculis ſum contemplatus,non quòd huiuſmodi malum vllis poſsit cedere auxilijs,ſed quòd oporteat id ſignis diſtinguere ad certitudinem præſagij proferendam,ſi iterum forte acciderit. Quippe idem malum conijcere oportebit,vbi poſt tot dies grandior lapis excernitur ex renum carne: quippe perforari renes erit neceſſum,& ſubinde non poſſe vrinam allicere. Nam quis aliam cauſam ſubeſſe vſquam intelliget,ſi poſt lapidis grandioris excretionẽ, vrinam ſupprimi conſpexerit,maximè ſi idem in vtroque rene acciderit. Sed probat hanc ſolam eſſe cauſam,quòd laborans nullam in renibus neque in qua uis alia corporis parte perſenſit moleſtiam,toto ſuppreſsionis tempore,quod eſſet impoſsibile,ſi noua lapidis vel alterius rei adfuiſſet generatio,& ob id longè magis moleſtantur

ſtantur laborantes, à aquauis re præter naturam accedente, quàm à foraminibus illis. Quo fit vt ex vrinæ difficultate hac ratione orta, nullam vel leuiſsimam laborantes perſentiant moleſtiam: quòd ſi dixeris, idem quoque accidere in emulgentium & renum imbecillitate, ſcito non poſſe fieri ſubitò, vt in foraminibus illis, neque præceſsit lapidum magnorum expulſio: ſed huius cauſæ, quæ nullum admittit præſidium hæc dixiſſe ſit ſatis.

Verùm cùm vrina ſupprimitur obſtructis renibus, vel vreteribus, ſcito vna è quatuor cauſis poſſe fieri, nimirum ab inflãmatione, vel tuberculo cuiuſque prędictarum partium, vel eis vicinarum, quæ compreſsione dictas vias coarctet, vel à calculo, aut ſanguinis grumo, vel denſa, atque viſcida pituita ibidem impacta. At noſces inflammationẽ aut calculum eſſe, ex ſignis quæ adduximus capitibus prędecedentibus de inflammatione & calculo renum, & pari ratione in eiſdem auxilia proficua & neceſſaria reperies. Quòd ſi ex grumo ſanguinis, vel pituita prodierit, noſces primũ ex prægreſſa ſanguinis fluxione per meatus vrinarios, vel quòd præceſſerit ictus, caſus, percuſsio, aut magni ponderis ſubleuatio, quibus ſanguinẽ fundi, vel fuſum concreſcere erit arbitrandum, cuius grumum vias obturare coniucta bile eſt: maximè cùm repente & totius corporis dolore, atq; grauioribus accidentibus vrina ſupprimatur. Quippe concretus ſanguis ea ſolet efficere ſymptomata, quæ veneno ſimilia exiſtunt: quo fit vt ſi vrina ſupprimatur, cum corporis angore, extremorum frigiditate, lenta febricula, frontis ac ceruicis frigido ſudore, præcedentibus quæ ſanguinem fundere potuerunt, credendum ſit ſanguinis grumũ id fabre facere. Verùm nulla harum occaſionum præcedente, neq; apparentibus prædictis ſymptomatis, ſi vrina ſupprimatur, maximè ſi nõ omnino ſubitò, ſed paulo aliquibus antea diebus præfuiſſet: item ſi neq; calculi aut inflammationis ſignũ vllum apparuerit, coniectabile profectò eſt, ex craſſa pituita ortam fuiſſe obſtructionem. Quibus accedit ante acta vitæ ratio cruditatibus & crapulis dedita: quibus omnibus accedit (quantunuis diu retenta ſit vrina) veſicam nullomodo moleſtari, quòd in omnibus his cauſis omnino vrina careat.

Præſagiũ. Duo tamen ante curationem mihi expendenda ſuccreſcunt: primum, an ſufficiat vnius emulgẽtium, renum aut vreterarum obſtructio, aut læſio, vt fiat omnimoda vrinę ſuppreſsio: reliquum verò, quid mali vel boni ex huiuſmodi ſuppreſſa vrina Medicus prædicere poſsit. Circa primum, præter ea quæ diximus capite prędecedenti, duo mihi ſeſe offerunt expendenda, primum eſt, eam ſortiri renes inter ſe cõnexionẽ, eam etiam in ſubſtantiã ſimilitudinẽ, vt facilè ſit conijcere, altero affecto, reliquum quoq; eundem affectũ paſſurum. Secundo verò, & quod verius eſſe arbitror eſt, actionem illã trahendi vrinam, cõmunem eſſe vtriſq; ſimul, nõ alteri. Nam licèt duo renes huic muneri facti ſint, non ob id eſt quòd alter eorũ eam efficere ſufficiat, ſed quòd ambo neceſſariò exiſtant ad tã validam actionem perficiẽdã. Quippe certum eſt vtrunq; renẽ trahere, cæterum alterũ, vel leuiter, vel quàm pauciſsimum, nimirum quantũ ſat ſit, ne protinus in morboſos incidat affectus homo: verùm cũ hoc tractio illa prout ſecundum naturam ex vſu eſt homini, vtriuſq; ſimul agentis eſt, non alterius: quòd ſi alter altero affecto, agere aliquid poſsit, non quidem eſt quãtum oportet & neceſſum exiſtat, vt poſt aliquod tẽpus in affectum aliquẽ defectu actionis alterius non procedat laborans. Actus etenim trahendi cuiuſq; maior eſt, dum ambo ſimul trahunt, quàm in quouis eorũ altero ociante: vixit quidem homo deficiente vnius actu, ſed mille morbis obnoxius, quia cùm valida illa actio ad puritatẽ ſanguinis neceſſaria ſit, deficiente vno, debiliter fier & morboſè,

boſè, licèt ad vitam ſufficiat alterius actus, morboſam tamẽ & ærumnoſam. Cum hoc profecto experimento didicimus in affectionibus quę grauiſsimæ ſunt & doloribus immerſæ ingentiſsimis, licèt alter renum liber ſanitue exiſtat, nihil tamẽ trahere poſſe, quia in grauiſsimis doloribus vnius, facilior eſt conſenſus, quàm in quauis alia affectione: qua quidẽ ceſſante ſi ex toto ceſſet, vt in doloribus renũ cõtingit, ambos trahere certũ eſt, ſin aliter & in nõ doloroſis affectionibus, dũ in altero affectio ſubeſt, mediocris efficitur tractio, vt in caſu poſito cõtigiſſe narrauimus.

Quatenus verò ad præſagium attinet, huius ſaltẽ ſuppreſsionis quæ ſupra veſicam fit, expẽdendum eſt in primis, multis rationibus eſſe cũctis alijs periculoſiorẽ: primò, quia ſi vrina renes aut emulgẽtes trahere aut ſuſcipere nõ poſſunt, proculdubio lõge minus præſidia quibus ab affectione liberẽtur, trahere poterũt: ſed ſi ad eã partẽ non perueniant, prodeſſe nequibunt, ergo cõſtat grauitatis periculi euidentioris ratio. Erit cum hoc ſignum ſpei, aliquid, quãtumuis parũ ſit, vrinæ reddi, maximè ſi turbidior apparuerit: nã quæ clara exit, preſsioris obſtructionis eſt indiciũ, & eo ſalubrior erit, quo copioſior & turbidior. Tandẽ imminẽtis periculi inditiũ eſt difficulter reſpirare (quia ſignũ eſt, pulmonẽ ad ſe allicere vrinalẽ ſubſtantiam) ſingultire, (quòd arguat vrinam imbibitam iam in ventris ſubſtantia, ac regurgitare à iecore in omnes partes) aut graui ſomno corripi: quippe euidens eſt argumentum, non ſolùm caput recipere, ſed putrefieri etiam prædictum ſerũ, & in caput euaporare: vtcunq; tandem accidat vrgentioris & certioris periculi eſt prædicta affectio. *Præſagiũ.*

Licèt obſtructionis (quã ſolùm hac in parte curare inſtitui) quadruplicẽ aſsignauerim cauſam, tumorẽ videlicet præter naturã, ſanguinis grumũ, lapidẽ, & pituitoſum ac craſſum ſuccũ, cùm inflãmationis iã meminerimus, & capite præcedẽti, lapidis, ſupereſt ſolũ ea obſtructio curãda, quæ aut à grumo ſanguinis vel eius copia prædictis partibus impacta ſit, vel excraſsis ac viſcidis ſuccis, qđ frequẽtiùs accidere cõperimus. Nã ſępiſsimè vi & ſęuitia dolorũ, in his qui calculos patiũtur, attrahitur ad dolẽtes partes tãta huius ſucci copia, q; nata ſit poſt dolorũ leuamẽ, prędictã obſtructionẽ molliri. Quod quidẽ vitiũ, licèt accidere poſsit renibus, vreteribus aut emulgẽtibus venis, vna eâdẽq; methodo & eiſdẽ medicamẽtis curari deſiderat. In qua curatione, cũ triplex ſeſe offerat exequẽdũ officiũ, vtrũ eorũ primo teneatur aggredi perit⁹ Medicus, nõ eſt ita inuẽtu facile: quippe cõſiderare oportet obſtructionẽ, vrinæ copiã, & accidẽtia, quæ ea retẽta ſuccreſcũt. In quare primò cõijcies, an morb⁹ adhuc ſit in principio, vbi parũ aut nil vrinæ copia vrget (nam hęc eſt quę ſuffocationem innati caloris molitur) vel copioſior iam in corpore abundet, quæ certior eſt prædicti periculi vrgẽtia & cauſa: itẽ an aliquod ſuccreuerit accidẽs, velut difficilis reſpiratio, ſomni grauitas, ſingultus, & vomitus, quib⁹ mors citius accerſitur: nã ex cuiuſq; vrgẽtia principiũ curationis venaberis. Sed ſit ita q; aliquis ſuppreſsione prędicta corripiat, ac mox Medicũ accerſat, eo tẽpore ſtudẽdũ eſt genero ſo atq; libero animo (nãq; laborãtes nihil aliud expoſtulãt, neq; auxilijs cõcupiſcũt, q; meiere, ſed Medic⁹ cauſam illidere ſolũ conetur oportet) obſtructionẽ q; citiſsime aperire, & ob id antequã vel vrinę copia vel accidẽtia ad ſe curationẽ vertãt (nã tũc ſanitatẽ laborãtis ac vitã tueri eſt perdifficile) ipſã demere oportebit. Quod ſanè facies, præmiſſa eâdẽ die purgatione leui, qua excremẽta viarũ deponere poſsis, & ſe quẽti die cõfugiẽdũ eſt (ſi laborãs ſanguine nõ abũdet, nã tũc nõ erit ab re parũ ei⁹ extrahere) ad ea auxilia, quæ vi & efficacia magna cuiuſq; corporis partis obſtructiones illidũt: nã & eorũ vi, & efficacia exercitij arbitror haud difficilè aperiri poſſe prædictas obſtructiones, vt reliquarũ partiũ. Quod ſanè auxilij genus quia nuſquã quiſquã tẽtauit, ob id cẽſeo nõ profuiſſe, & nullũ ex ſic affectis ſanitati fuiſſe reſtitutum. *Curandi ratio.*

Auxiliū tñ huic malo proficuū arbitror id omnè quod ex chalybe præparato aut citra præparationē cōficitur:ſed huic vſui vno è tribus modis parari mihi vtiliſsimū fore videtur:primò exhibitis.3.j.&.ß.licontripō cū.3.j.limaturę chalybis ſubtiliter limati,quæ omnia diſſoluātur in aqua graminis,& calida ægro adhibeātur, & mox ſeſe per locū accliuē & decliuem exerceat:& idem ſequenti die faciat,inuncto eius dorſo ante prādium & cœnā oleo coſtino,de croco,ſcorpionū aut de ſquilla. Præterea ſecundò eidem muneri præſtabis dialaccę.3.ij.chalybis.3.j.diſſoluantur in.3.j. oximellitis ſimplicis,& cū aqua decoctionis ſeminis petroſelini, dauci & graminis fiat potio,qua ſumpta etiā laborās ſeſe exerceat. Tertio parari poteſt aliud nō minoris momēti qđ recipit diacurcumę & theriacę ana.3.ß.pulueris ſanguinis hirci & ſeminis petroſelini ac rubiæ ana.Ɔ.j.chalybis.Ɔ.ij.oximellitis ſquillitici.3.iij.cū aqua radicū diureticarū fiat potio,& pariter laborans ſe exerceat. Idē cōficies ex antidoto hemagogo cū chalybe & aquis prædictis,& cum ſemine hederæ & lapati,cētaureæ minoris,virgæ aureæ vel vrticæ. Sed mirū in modū cēſeo profuturam terebinthinā abietis,cū iure aliquo,aut in bolis cū ſaccharo cādito exhibitā. Præterea ciuſ dē efficaciæ eſt ius galli cum croco,cinnamono,petroſelino & modica reſina pini. Pari ratione prodeſſe ſcimus pilulas quæ recipiunt myrrhæ,aſtari, ariſtolochiæ vtriuſq;,ſeminis capparorū ana.3 j. ſpicę nardi,ſquināti ana.3.j.ß.apij,petroſelini, agnicaſti,ana.3.j.cum oximillite fiant pilulæ. Præſtat & ſuccus limonū cum aqua graminis,aſparragi aut decocto fœniculi marini.Item aqua ſtillatitia ex terebinthina cū ſquilla & oleo cytoniorū,quā admiſcere oportebit cū omnibus cibarijs & iuribus: prodeſt & puluis corticis liquiriziæ cum vino. Quòd ſi ſenſeris in emulgentibus obſtructionem eſſe,addes prædictis infuſionē rhabarbari, aut agarici, vel expreſsionē cartami,idque trium quatuorue dierum ſpatio facies. Prodeſt & ſuffitus per infundibulū ſumptus,qui recipit vini albi lib.iiij.amygdalarum amararū piſtarū.3.ij.aniſi.3.iij.ſeminis ſeſami.3.iiij.ſinapis.3.ij.ſeminis petroſelini.3.iij.origani 3.iij.&ß.bulliāt lēto igne,&ſuffiatur laborās per infundibulū iuxta rectū inteſtinū. Prodeſt vinū infuſionis ceparū manè ſumptum: ex vſu quoq; eſt puluis qui recipit virgæ aureæ.3.ij.liquiriziæ.3.iiij. corticum auellanarū.3.iij. puluerizentur & cribrentur ſubtiliter,& manè ſumatur.3 j.&ß.cum vino: itē ſuccus raphani cū vino ſumptus.Præſtat etiam aqua ſtillatitia ex ſucco fabarum viridiū, ex ſemine raphani,maluarū,cardus ſancti & ſemine ſinapis,omnia conquaſſentur, & per alēbicū ſtillentur,& ſumat laborans.3.ß.Renes verò & vreteres inunges ſanguine vulpis, de quo fertur mirum in modū prodeſſe. Quòd ſi nihil vrinæ excerni conſpexeris, iam ad ſecundā indicationē deuenire oportet,cui munus eſt ſeroſam abundantiā reſpicere,cuius occaſione periclitatur laborans ſuffocatione,& extinctione caloris innati totī corporis habitus: quę licet nō ſufficiāt ad ſanitatē recuperādā, leuat tñ &diutiùs ,progat laborātis interitū. Quo caſu neceſsū eſt ad ea medicamēta cōfugere,quę aquas educūt,velut in hydropicis ars pręcipit:quo tēpore corpī purgabis lacte ſeminis cartami & ſucco ireos,aut aqua ſtillatitia ex theriaca, radice lilij,ſemine cartami, radice cucumeris aſinini & terebinthina,cuius.3.ß. porigere poteris. Neq; diſplicet,ſi corpus pletoricū ſit, ſi ſanguinolētæ vacuationis aliqua prę fuit ſuppreſsio,ex iecore aut quauis alia parte ſanguinē detrahere,vt ſubſit vētilationi locī, & ne ocyus laborās ſuffocetur. Verùm ſi ne his quidē ,pdeſſe videatur ad ſtilloticas aquas cōfugiēdū eſt,ſi bis terue &pluries fęces inſtillēt,donec in puluerē reduxeris, & eorū cū aquis aliquid prębueris. Cuius rei gratia in balneū Marię inijcere poteris ſquillā,parietariā,aſparragi radices,lupulos,cicera vino madefacta, aut aceto.l.ſuco, limonū,ononidē,rutā,pulegiū,myricā,adiantū,marrubiū,eleniū,ſemē alkekēgi,raphani

phani folia & radix cū aceto in quo maduerint & ſabinę modicū:ex quibꝰ ad fęcis indurationē & exſicationē fiat inſtillatio,qua vteris modo dicto.In quo caſu veluti in deſperato ad.g.j.vel.ij.cantharidum cum.Ɔ.j.ſeminis dauci & ameos,deuenientē dū fore conſulit vrgentiæ ratio,maximè ſi protinus porrexeris ius galli veteris cum radicibus diureticis. Ferunt etiā.Ɔ.j.olei ex chalcantho prodeſſe ſi optimè ſit præparatū.Atq; poſtquam id feceris,curādū eſt,id vrinæ quod ad partes carneas & minutas venas migrauit,per ipſam cutim educere:quod ſanè facies vel balneorū aquę dulcis aut ſulphureæ vſu:nā in hac ſuppreſsionis ſorte, tāquam erroneum arbitror, mox à principio mali balneis vti. Quippe præter id quòd partibus obſtructis interni,neq; obſtructioni quidquā opitulantur,impediūt vrinā deferri ad proprios meatus,eamq, ad extimas partes euocāt. Qua propter,ſolùm ſeroſa humiditate per ambitū diſperſa,vt diffłatione vel ſudore reſoluatur euacueturq; prodeſſe poſſunt. In qua etiam indicatione maximi fore momenti ſum arbitratus, ſudores mouere, ligni guayaci aut ſpartę parellę decocto,aquis deſtillatitijs facto,quo vrinas etiam mouere ſolemus. Verùm vbi iam ſeroſus humor per corporis ambitū diuagatur,ſolùm habet locū prædictum auxilium,non ante, ne idem cōtingat ac ex balneis intēpeſtiuis dānum. Fugiendum etiam eſt in hoc caſu ab his quæ veſicæ adhibita aliquādo prodeſſe ſolent, cùm potiùs moleſtiam quàm beneficium afferre queant: ſatius enim erit eo tēpore,dorſo adhibere fomēta & inūctiones ex oleo de tabaco,aut de cocto eius,parietariæ,ceparū & porrorū,quibus addere oportet cātharidū. Ɔ.ij.Sed confert inſuper ad eandē indicationē cōplendā & rurſus gratia mitigationis ſymptomatum,cucurbitis vti diuerſis corporis partibus adhibitis, maximè cum ſcarificatione:tum vt aquam à fontibus caloris,& membris præcipuis diſtrahant:tum verò vt ſymptomati alicui ſubueniant,vt ſomno(cuius ratione eiſdem & oxirrhodinis vti oportebit)ſcapulis affixis & brachijs,aut gratia ſingultus dorſo & ventri, facta inſuper inunctione ex oleo naphæ,angelicæ,camemali,theriacæ & reliquorū, quæ vim habēt digerendi. Quibus factis,ſperandum eſt Deo fauente,malum ſubſidere:quo tēpore deueniendū eſt iterū ad ea quæ inſcindendo proſunt,addito prædictis oximellite,& dorſo fomentis ex ſpongia aut veſica cum aceto ſquillitico,vel de radice cucurbitæ ſilueſtris,vel emplaſtro ex ſquilla,oleo liliorum, aut ex vrtica, apio,petroſelino,althæa,ſtercore bouino cum melle & reliquis huius naturæ, quæ ſufficere videntur in re abdita & nouiter tractata.

De ea ſuppreſsione quæ fit veſica affecta.

I veſica per primogeneā affectionē patiēte vrina ſupprimatur, multis profecto modis id poſſe fieri ſcimus:vtcūq, tñ fiat veſica affecta, vera iſchuria iure optimo appellatur, quæ diſtenta præcopia vrinæ veſica à ſuperioribus cauſis diſtinguitur.Sed vt modos ac naturam huius ſuppreſsionis exactè expendas,ſcito tria neceſſariò prærequiri ad vrinæ expulſionē legitimam.Primum veſicę ſenſus, quo pondus grauitatemue aut quāuis aliam moleſtiam percipiat animal, qua ad excernendum excitetur facultas, cui id munus incūbit.Secundum robur & integritas facultatū huic muneri ſeruientium.Tertiū verò & vltimū,viarū per quas vrina exeat,expeditio & liber exitus.Quo fit vt quouis horū deficiente,neceſſum ſit vrinam non reddi: ſic profectò ob ſenſus defectū, reſoluto nimirū neruo ſenſifico à lūbis & oſſe ſacro deſcēdente,per quē vrinæ morſum molē & pondus ſentiens veſica, excitatur ad hanc naturalem & inuoluntariā

vrinæ excretionem (licet Gal. contrarium videatur ſtature: nam intelligendum eſt de reſolutione oris eius, quæ non ſuppreſsionẽ ſed fluorem nata eſt efficere) ipſam detineri contingit, vt in paralyſim inferiorum partium corporis patientibus non rarò conſpicimus. Nam vbi nullus aderit ponderis ſenſus, qui animal ad expellendum excitet, proculdubio potentia omnino ociabitur, ac ex conſequenti vrinam non reddet, vt delirantibus frequenter contingere cernimus. Supprimitur etiã deficiente naturali potentia excretice eiuſdem veſicæ, cui munus eſt, ſeſe comprimens tranſuerſarum fibrarum adminiculo, & ociantibus atque laxatis obliquis & rectis vrinam pellere, quę ſanè imbecillis facta id munus non exequitur, & ex conſequenti vrina nõ redditur. Cui cauſæ reduci poteſt nimia veſicæ extenſio ab immodica vrinæ copia vltra modum & tempus retenta. Repleta enim tenſaq; veſica, quantum ipſa diſtenditur tantum meatus eius arctior anguſtiorq; euadit, & ipſa veſica impotens deinceps ad ſeſe contrahendum, vt contingit his qui vrgẽtibus negocijs vel conuiuio occupati meiere nequeunt, aut diu obliuiſcuntur. Huic etiã cauſæ accedit reſolutio muſculorũ abdominis, quibus excernendi munus pari ratione incũbit: quo fit vt ipſis reſolutis, cùm veſica nõ ſatis cõprimi poſsit, vrina quoq; non reddatur. Cum hoc tamen arbitror hanc ſolã cauſam non ſufficere vrinã continere: nam prædictos muſculos non fabrefecit natura vt vrinã excernant, ſed vt excretionẽ perficiant, inceptã tamen à facultate naturali: & ob id arbitrãdũ eſt, vrinã non ſupprimi horũ vitio omnino, ſed non reddi omnino manẽte ſemper in veſica aliqua eius portione, ita vt veſica indigeat ad integram excretionem eorũ muſculorũ adminiculo, non quidẽ ad excretionẽ ſimpliciter. Supprimitur inſu per vrina ab emortua ſecernẽte facultate, nõ vt in paralyſi, vt dictũ eſt, ſed vt in acutiſsimis nõ rarò cõtingit febribus: quem admodum dixerat Hipp. li. de Coacis non longe à principio, hæc ſcribens verba. Ex perfrigratione intercepta vrina, peſsimũ. Cuius rei gratia ſciẽdum eſt in his morbis duobus modis vrinã poſſe ſupprimi: vno in criticis iudicationibus, in rigore & frigore aluo & vrina ſuppreſsis, quæ ſalutem potius (ſi ſalutaria præceſſerunt ſigna) quã mortis præludium exiſtunt: altero verò emortuo calore veſicæ, & perfrigerato neruo qui in veſicam diſtribuitur: quippe huiuſmodi vrinæ ſuppreſsio non prodit, quia incendio abſumatur ſerum, aut non trahatur ob renũ infirmitatẽ, aut non exeat propter obſtructionẽ à calculo, grumo carũcula & ſimilibus, aut eo quòd ſurſum refluat cõtracto intus calore, & motionẽ criticã aggrediente: quippe hęc ſine periculo manifeſto ſunt (licet aliquãdo abſceſſum ad partes ſuperiores cõmonſtrent, aut recurſum ad principalia, quod periculo non caret) ſed prodit ab extinctione innati caloris facto ab extraneo calore (ſicut aliquãdo ab externa frigiditate) febrili & maligno, quę per refrigerationẽ nata eſt inferre. Calor enim & conſumit & cõſumitur ſubſtracto humido, quod eſt caloris ſubiectum, & ob id calor febrilis ſpiritus inchoat, refrigeratio verò ſuccreſcẽs perficit: quã ſanè frigiditatis noxã prima omniũ percipit veſica oblapſum proportionalẽ, cuius calor facilè à frigore extingui poteſt: nã eſt in patiente veſica duplex diſpoſitio, & in agẽte duplex vis, calor nimirũ & frigiditas. Quo fit vt non excernat perfrigerata, quia vel neruus ſenſificus ampliùs nõ ſentit extincto calore, vel quia veſica ſeſe colligere nequit emortua facultate excretrice: quippe in phreniticis alia ratione ſupprimitur, vt dictum antea eſt. Cum hoc tamẽ ſciendum eſt, ex hac eãdem cauſa inuoluntariè aliquando fluere vrinam, vt in his qui morti proximi ſunt, differentiæ tamen ratio conſtabit capit. de vrinæ incontinentia.

Vltimò tamen ſupprimitur vrina vitio meatus vrinarij, quod ſanè vitiũ multiplex eſſe

eſſe poteſt: nam aliquando muſculus veſicam claudens adeò conuulſione comprimitur, vt etiam ſi veſica mille modis expellere conetur, nequaquam tamen excernere poſsit: itẽ meatus obturatur, vel ab humoribus craſsis, à ſanguinis grumo, à pure, à tuberculo, aut tumore quouis præter naturam, à carne ſupercreſcente, caruncula, verruca aut cicatrice, vel vltimò à lapide veſicæ ipſum meatum iuxta collũ veſicæ obturante: qui ſanè omnes ſunt modi, quibus in veſica cõtingit vrinã ſupprimi, quod ad vnguẽ noſſe & cuiuſq; cauſam diſtinguere opus erit, vt cuiq; proficuum auxilium adhibere poſsimus. Nec obliuioni tradendũ eſt, per cõſenſum vicinorũ mẽbrorũ adeò veſicam & vrinarium meatũ ſolere cõprimi, quòd prorſus vrinã nõ reddat, vt fœminarum pleriſq; accidere conſpicimus ob vteri cõſortium: cuius vitio (ſiue ex frigiditate externa cõtrahatur, ſiue ex flatu) nõ rarò cõprimitur veſica & vrina ſupprimitur, ſicut aliquãdo alui excrementa, quod de alijs partibus pari penſu ſubaudiendum iudico.

Si præſtiterimus ſigna, quibus cauſam diſtinguere cuius liceat, conſtabit facilè, quæ interſit differentia cauſarum, quantunuis affectus ſit vnius naturæ. *Signa cauſarum.* Deficere ſentientem potentiam noſces, primò quia licèt veſica in tumorem eleuetur, eo quòd copioſam contineat vrinam, & tumor in pube appareat, quo diſtinguitur ab ſpuria ſuppreſsione, reddere tamen non excitatur facultas naturalis, quia cum moleſtiam aut pondus non ſentiat, non gliſcit ad expulſionem: eo maximè ſi abdominis muſculi pariter reſoluti ſint, tunc enim naturalis potentia, non ſeſe cõtrahit, neq; animalis cõpreſsione iuuat, & ob id nihil excernitur. Quod vitium reſoluta potẽtia vel ſentiente, vel mouẽte in muſculis, vel vtraq; fieri eſt credendũ: nã cùm ſine moleſtia homo nõ excernit, vrina veſicã repleẽte, id ſolùm eſſe eſt arbitrandũ, maximè ſi cũ hoc, alia etiã mẽbra reſolutionẽ pati cõperiamus: qualis nam præfuerit cauſa, haud difficulter noſces expręgreſsis: ſi vitã laborans egerit intẽperatã, ſi nimio potui indulgeat, ſi ab alto ceciderit, ita vt in vertebris ſpinę aliquod ſubſit luxationis dãnum. Verùm ſi ob vitiũ excernẽtis ipſius veſicæ facultatis vrina ſupprimatur, duobus ſignis id tibi manifeſtũ facies: primo ex cauſa, quæ cùm neceſſariò frigida & humida intẽperantia futura ſit, impoſsibile eſt eam laborãtes non percipere, maximè cùm adſit ignauia & frigiditas vicinarũ partium: ſecundo, quia licèt laborans ab vrinę põdere moleſtetur irriteturq; validè, nequit tamen vrinã reddere: quòd ſi conetur muſculis abdominis id efficere, quàm pauciſsimũ emittet, ſi tamen manibus veſicæ regionẽ cõpreſſeris, longe maiorẽ extrahes vrinę copiã. Sed id etiã venaberis ex pręgreſsis cauſis: quippe ſi laborãs in locis degit humidis, diu natationi in frigidis aquis ſeſe dedit, vſuſue fuerit frigidiſsimis præſidijs in regione veſicę gratia alterius mali, facile erit cauſam & morbũ noſſe. Cæterũ ſi vrina ſuppreſſa ſit muſculi colli veſicę cõuulſione, vrina quidẽ non reddetur, ſed magna cũ violentia naturæ & potẽtiæ animalis muſculorũ abdominis, idq; guttatim & cũ dolore cõtinuo atq; acutiſsimo ipſius colli veſicæ. Quod ſanè faciliùs noſces ex tactu: nã durum apparet perineum, & partes recti inteſtini dolore etiã coafficiuntur: tandẽ ſimilis ſuccreſcit dolor, ei qui ex lapide ibidem impacto accidere ſolet: differt tamen quòd in hac cauſa vrina redditur aliquãdo copioſè, lapide ſeparato à veſicæ collo, in cõuulſione verò nequaquã, nec dolor ceſſat vt in calculo: tandẽ cathetere aut cãdela facta probatione, exacerbatur dolor, & in calculo miteſcit, ſeparato à parte dolente. Conuulſionẽ etiam iudicabis ex cauſa, quæ plenitudo maiori ex parte exiſtit, ex menſibus aut hæmorrhoidibus ſuppreſsis, ex ictu in ea parte nõ probè curato, ex ſoluta vnitate vel punctura, quarum ratione protinus ſanguis

missus non fuit, aut aliquod acre medicamentum præstitum fuerat. Verùm si ex ore vesicæ occluso vrina supprimatur, idque ab inflammatione, vel quouis alio tumore fiat, facilè nosces tactu, dolore, febre, tumore sensibus percepto: si tamen à lapide meatum obstruente fiat, ex signis capitis præcedentis nosces, præter id quòd quo maior fuerit, minus obstruetur foramen, & quo minor, magis, quia penitiùs in cauitatem sese inserit: & ob id mihi non placuit eius signa iterum referre. Verùm sanguinis grumus, pituita aut pus dum id malum efficiunt, ex ante fluxo sanguine, vel præexistente vlcere in vesica noscuntur facilè, vt Galeno placuit lib. 6. & 1. de locis affect: præcesserit itē ictus casus aut percussio, & etiā cathetere immisso parum vrinæ fluit, & cum ea sanguinis ramentum, & insuper adsunt grauissima accidentia cum animi deliquio & resolutione. Si tamen cum vrina aliquando pus excreuerit natura, modò tamen supprimatur, licebit eam causam conijcere, maximè si præcesserit abscessus, vlcus, aut vulnus. At si turbida vrina aliquādo apparuerit, & postea supprimatur, coniectabile erit ex crassis viscidisque succis cohiberi, & foramē obturari, maximè si id ante acta vitę ratio etiam attestetur, vt capite de vrinæ difficultate latius scripturus sum. Quòd si horum signa non apparuerint, iuxta optimam rationem conijcies verrucam, caruneulam, callum, vel supercrescentē carnem addesse in vrinario meatu: maximè si primo accessu difficulter reddatur vrina, postea tenuiter, & tandem supprimatur: sed huius rei probationem, candela vel cathetere firmiorem inuenies. Præterquā quòd vrinam, quantumuis prosperè succesisset, aliquando subitò supprimi contingit, quòd spongiæ modo prædicta caro intumuerit, pituita vel quouis alio succo ibidē imbibita, & ob id licèt cathetere aut candela aliquomodo excernatur, iterum supprimi contingit, ni resoluentibus auxilijs id studueris exsiccare: qui sanè euentus fidissimum præstat indicium prædictarum causarum: lapidem verò hoc malum efficere, præcedenti capite mostrauimus. Sepe etiam multi affectus simul complicātur, vt vlcus, calculus & caruncula, ita etiam species affectus noscetur artificiosa coniectura, vel cathetere, aut iunco immisso: vt ex eo quod cuspidi adhæsit, coniectura in scientiam euadat.

Curandi ratio.

Curandi autem ratio tantum est varia futura, quantum causarum varietas numerosa existit. Sed in genere duplex medendi via proficua apparet: altera quidem quæ symptomati subueniat, & altera quæ causam illidat: namque dum vrina supprassa est & laborantē premit, alienum ab omni ratione videtur, aduersus causam pugnare, sed vrinæ tantùm excretioni prouidendum erit. Quod profectò fit dilatatis vtcunque meatibus, & vijs laxioribus factis, vt vrina faciliùs instillet, aut aliquo ingenio, cathetere nimirum, cadela vel iunco extrahatur. At si vitio ex pultricis facultatis affectio pullulauerit, compressione manuum supra vesicæ regionē facta, vrinam proijcies: quod etiam facies, si facultatis sentientis impotentia fiat, vel musculorum abdominis resolutione: nam hac lege vesicam à plenitudine vrinæ vendicabis, quo deinceps securiùs necessarijs præsidijs vti possis. Verùm cùm ex vitio meatuum retenta fuerit vrina, vias ipsas latiores reddes fomentis, euaporationibus, insessionibus, aut inunctione ex oleo amygdalarum dulcium, seminis lini, camemali, anethi, scorpionum, liliorum alborum, oleo etiam nardino, costino, irino, & rutaceo, cum butyro vaccino, & adipibus gallinæ, anseris & anatis, in perineo & iuxta partem pudendam facta: inunges etiam eadem partes vnguento dialthææ, vel aragon, aut theriaca. Prosunt & fomenta vel insessiones, ex decocto maluarum, violarum, althææ, fœnugræci, seminis lini, meliloti, camemali, anethi,

thi, rutæ, artemisiæ, sampsuchi, & seminum althææ, & maluarum: & facta insessione, vel fomento ex vesica, aut filtro, vel spongia locus perfundi debet aliquo ex prædictis oleis calido. Item naturam irritare oportet ad meiendum, iniecto modi co oleo cepæ, aut porri per siringam in pudendi caput: item cimicibus cōfrictis, vel nitro, aut nitri spuma ibidem appositis, aut facta exteriùs inunctione cum eodem oleo. Quòd si neque adhuc his factis, vrinæ quidquā excernatur, iunco, candela, hastula petroselini, aut cathetere studendum est vias dilatare, quibus si quid in via inhęret, auferatur, liberiorque maneat vrinæ exitus. At vesica vrina iam destituta, ac laborante à dolore & molestia immune, iuxta suppressionis causam curationem aggredieris, nequaquam vtens potulentis aut diureticis auxilijs.

Si ex imbecillitate prodeat curatio.

Si igitur excernentis facultatis vitio & impotentia vrina non redditur, quòd vesica frigiditate præter naturam sit affecta, post extractam vrinam, quàm citissime corpus purgabis medicamentis quæ frigidos succos educere possint, vt infuso agarici cum syrupo ex infusionibus, expressione seminis cartami, aut infuso foliorum sennæ cum syrupo ex infusionibus: nec minoris momenti est terebinthinæ vsus. Quo facto, eam vitæ rationem institues, quæ modicè calfaciendi & exsiccandi vires habeat, potum instituens ex decocto ligni guayaci cum liquirizia, radicis chinæ, sasafrasæ, aut spartæ parellæ. Quo facto frequentiùs veteris insessionibus, aut fomentis prædictis, vel vnguento, quod recipit olei nardini, costini & rutacei, ana ʒ. j. olei scorpionum ʒ. ß. mastichis, florum stœchados ana. ʒ. ij. castorei. ʒ. j. sagapeni & bdelij ana. ʒ. ß. dissoluantur gummi in vino albo, & addita cera fiat vnguentum: item vnguento agrippæ, vel comitissæ, quæ mirum in modū prodesse solent. Eundem quoque vsum præstat oleum de pipere, de cinnamomo, de caryophyllis, de belzoino & de theriaca, vel aqua vitæ, vel ipsa sola per se. Calorem etiam reuocat cucurbita cum multa flamma eisdem partibus affixa, vel cataplasma impositum ex farina fœnugræci, pulueribus camemali, anethi, seminis rutæ, baccarum lauri, stercore caprino, & vino dulci ac melle.

Si ex sensus defectu aut resolutione musculorū fiat suppressio.

Verùm si ex sensus defectu aut musculorum abdominis resolutione vesica vrinam reddere nequeat, præterquam quòd vtile est sensum excitare immisso in pudendi caput aliquo ex prædictis pharmacis, omni arte curandum est, ijs quæ stupefactos sensus excitant vti, & præmissa purgatione, humiditatem in eisdem partibus exsiccare & ebibere opus erit, oleo de castoreo, de belzoino, oleo vulpino, oleo vetustissimo cum ambra, oleo de pipere, petroleo, & vnguentis ex eisdem factis, cum sagapeno & opopanaco. Præterea aqua vitæ fouere partes oportebit, aut decocto ex ligno guayaco, vel vino ex eius decoctione, cum cinnamomo, saluia & ruta: prodest etiam inūgere vniuersam vesicę regionē sanguine vulpis calido. Prodest & cataplasma ex pulueribus prædictis cum aqua vitæ & melle. Cæterum si locum concesserit affectionis vrgentia, balneis sulphureis, aut sudationibus ex ligno guayaco, vel radicæ chinæ vtendum erit. Quòd si his adhuc malum non cesserit, sed vrina paulatim cohibeatur, fontanellam altero crurum apperies, qua quod pituitosum ac humidum est, tàm in hac causa quàm in vesicæ imbecillitate, sensim & paulatim spiret: quo facto dorsum prædictis oleis interim vngere opus erit, & sedi adhibere artemisiæ folia, cum mirrha & aqua vitæ trita: præterea fouenda pars est decocto origani, thymi, anethi & centaureæ cum oleo rutaceo, & de castoreo, addita aqua vitæ.

Si ex sanguinis grumo suppriматur.

Quòd si sanguis concretus meatus obturauerit, his vtendum est medicamentis, quæ lapidem comminuere possediximus præcedenti capite. Habet tamē hoc proprium

proprium & peculiare huiuſmodi cauſa,quòd ſemper aliquid calidorum pharmacorum ſibi commiſceri deſideret:quippe non ſat eſt tenuia,acida,acria aut humore multo inundantia porrigere,ni caliditatis aliquid obtinuerint. Quapropter his qualitatibus prędita medicamenta,idonea ſunt grumo diſſoluendo,vt caliditate fundatur quod concretum exiſtit:cuius naturæ ſunt oximel potui datum, maximè confectum decocto artemiſiæ,rubi & betæ,& earundem herbarum ſucci, cũ leporis aut hædi coagulo admixto aceto mulſo. Tandé his omnibus admiſcebis, quæ vim habeant alexipharmacam,accidentium & ipſius ſanguinis concreti gratia:ſic theriacam admiſcebis,aut mithridatum,aut conſeruam ex acido limonum ſucco confectam cum lapide bezoar & electuario de gemmis. Item cordi præſtabis quæ poſsint vires roborare,vt vnguentum naphæ cum pulueribus diamargaritonis frigidi,aut vinum calidum cum caryophyllis diambra & diamuſco.

Si ex pure cõcreto fiat ſuppreſſio.

Cùm purulenta excretio adeo copioſa,craſſa ac viſcida profluit, vt impactum eius nonnihil ibidem immoretur vrinam cohibens,tunc quidem ea auxilia adhibenda ſunt quæ abſtergendi vires ſortiantur,maximè ſi eis miſcueris quæ tenuandi vim habeãt, velut eſt aqua hordei cum melle, ſaccharo roſaceo,vel decoctum lentium cum melle:item ſtillatitia aqua ex hordeo terebinthina & ſaccharo. Idẽ etiam præſtat aqua lactis,aut ſtillatitia ex eâdem aqua,ſi priùs in ea incoxeris ſaccharum,mel,alumen & cortices hordei & lentium. Sed ſic affectis ſingulis diebus bibendum dabis lac ſeminum frigidorum maiorum cum ſaccharo. Et pari prorſus methodo incedes,ſi pituitam conſtiterit vrinam ſupprimere, hoc vno adſeruato, quòd in hoc caſu purgare per aluum corpus vniuerſum priùs oportet, aut membrum cuius occaſione pituita conſcendit ad veſicam,aut per vomitum ſi ventriculus cauſam præſtiterit. Nec minoris momenti fore arbitror corpus decocto radicis chinæ ſudare,ac ſæpius eius aquam bibere.

Si ex lapide ſuppreſſio fiat.

Multis profectò modis,lapide vel à renibus excreto,vel in veſica ipſa genito,vrinam ſupprimi comperimus:nã primo aut lapis ſeſe inſerit in ipſum pudendi foramen,prætergrediens oſculum veſicæ:quo tempore curandum eſt, primò Hippocratis conſilio vti,qui lib.de Coacis ſcribit:Calculoſi ita figurati, vt ne lapis in meatum vrinarium procidat, facilè meiũt. Quippe experimento comperimus duplici corporis figura,lapidem à veſicæ collo dimoueri : vna plurimum inflexo corpore, qua calculus ſeponitur in albeum veſicæ, & mox vrina in decliue poſita in fiſtulam ſubit vrinariam:altera verò dum corpus ſupinè poſitum, ſublatis femoribus & clunibus concutitur,quo in aduerſam ſpinæ cauitatẽ calculus relabatur. Quod ſi ex debilitate veſicæ vrina ſupprimatur, decliue ſit laborantis corpus,quo veſicæ ceruix decliuis etiã & prona ſit. Quo facto ferramento vnco per canale pudendi immiſſo,ipſum extrahere conandum eſt:aut ſi id fieri videatur perdifficile, ſaltem manibus frangere,vel ferramento forcipis figura facto, quo compreſſo lapide,facilè frangi contingit. Verùm ſi id fomentis, vnctionibus & euaporationibus,extrahere nequeas,curabis ipſum in veſicã iterum immittere, cathetere, vel quouis alio inſtrumento,ne laborans ſuppreſsione periclitetur. At ſi lapis paruus ſit,cæterum qui oſculum veſicæ non poſsit permeare,id cognoſces quòd omnino ſuppreſſa ſit vrina,quia totam cauitatẽ ingreſſus totam obſtruit, quo tempore curandum eſt quouis inſtrumento ab ore veſicæ ſeiungere. Si tamen lapis grandior ſit (quod noſces,quia cùm omnino non ſe poſsit in os veſicæ inſinuare,non exto to vrina ſupprimitur,ſed ſemper aliquid excernitur licèt cum difficultate) poſtquam ipſum remoueris, ſtatuendum tibi eſt quod Galen. ſcripſit libr. de renum affect.

affect. dignotione,nimirum certiſsimum eſſe,nullum reperiri in arte auxiliũ, quo ſuppreſsio ex hac cauſa contracta radicitus curari poſsit, præter operationem manualem. Nam licet à pleriſq; authorum curandi ratio in hac cauſa ſita ſit in lapidis comminutione,neque tutò,neque facilè,& vt certiùs loquar,nunquam id ars noſtra conſequetur: non facilè,quia diſsita eſt veſica à locis per quæ deuorantur medicamenta: quo fit vt antequam lapidem pertingant,in itineris medio omnẽ vim & efficaciam amittant:non quidem tutò,quia vehemẽtis naturæ eſſe oportet medicamenta lapidem frangentia,quorum efficaciam neque partes per quas deferũtur, neque rurſus veſica cùm membranoſa ſit, citra grauiſsimam noxam perferre poterunt, modò per ſiringam in veſicam ipſam immittas,modò deuoranda porrigas. Quæ tamen,etiam ſi citra hæc damna ingenerantur, nunquam viſa ſunt lapidem fregiſſe,quòd eorũ vires conterat vrinalis ſubſtantia. Id tamen ſupereſt conſilij, ſcilicet dum lapis nondum omnino concretus eſt,ea ex vſu fore,dũ tenuium exiſtunt partium & inſcindentia, atque attenuantia ſunt, qualia adduximus præcedenti capite: dum verò induruit, ſatius eſt ad operationem manualem peruenire,quàm fruſtra tentare,quæ aut profutura non ſunt,aut maius damnum allatura, cuius rei prouidentiã adduximus præcedenti capite. Interim tamen dũ apertio fit præcauendũ eſt ne nimium creſcat lapis, vomitibus,purgationibus,& moderatiſsima victus & vitæ inſtitutione:item dolorem,tenaſmonẽ & vigilias mitigare oportebit,ne vires ad eo labantur,quòd ſufficere tanto operi non poſsint: quod facies his quę ſomnum conciliant, & inunctionibus iuxa perineum mitigatorijs ex oleo de ſemine cucurbitæ aut amydalarum dulcium,vel ex vnguento cucurbitæ aut roſarum,item ex vnguento ſanthalino: præterea per clyſteria ex iure & hordei decocto,oleo amygdalarum dulciũ,& ſaccharo. Per pudendum verò ſi fieri poſsit nihil immittes, emolliuntur enim partes colli veſicæ quo faciliùs à lapidis ictibus exulcerantur, licèt primo acceſſu videantur dolores mitigari.

Si ex carne aut callo in cauitate pudendi vrina ſuppriматur.

Dum carnis extuberantia, cuiuſuis naturæ ſit,in vrinario ductu adnaſcente,ſupprimitur vrina,eâdem quoque lege primo ſymptomati ſubueniendum eſt,tamen depoſita vrinæ copia prædictis auxilijs, longe diuerſa ratione aperiri deſiderat. Nanque ſolùm ea auxilia huic obſtructioni proficua fore conſtat, quæ carũculam perforandi,& carnes exedendi vires habent: præmiſſa tamen medicamentorum copia,quæ emolliendi & laxandi carnem & carunculam ipſam dilatandiq; partes efficaciam ſortiantur,per inſeſsiones,fomenta,inunctiones & emplaſtra. Quibus factis,tentare conuenit haſtulas petroſelini,maluarum aut iunci per pudendi canale ad veſicæ vſque cauitatem inmittere, quibus caro aut carũcula,ſi fieri poteſt, perforetur. Quòd ſi ob duritiem fieri nequeat,immittenda leuiter eſt candela cerea(cauendum tamen ne eius aliquid intus excidat)quod ſi ita res ceſſerit,vt caro rumpatur,quod ex ſaltu & candelæ noua portione ingreſſa cognoſces, maiorem te exiſtima huius negotij feciſſe partem. Cæterum ſi candela non ſatis fuit, conficienda eſt virgula plumbea,qua iterum conari oportet carnem dirumpere: ac ſi hæc non profuerit argenteo cathetere vtendum eſt,donec caro paulatim & leniter perforetur. Sedato tamen ſanguinis fluore, ſi quis fuerit, & relicta ibidem per diem cerea candela, aut petroſelini haſtula,poſtea extracta curioſè eſt inſpicienda, qua in parte ſit contuſa & compreſſa (nam pars perforata, ad ſimilitudinẽ nerui aut cordæ cuiuſdam,candelam ſolet cingere & excauare) circa quam eſt obducẽdum medicamentum huic muneri proficuum, exſiccans nimirum & erodens, quod carnem depopuletur & exedat,qualia ſunt ex metallicis & mineralibus plura.

ta.Cæterum quia periculum eſt,ne etiam ſana caro aliquid ab huiuſmodi patia-
tur,ob id miſcere atque alterare ea opus erit,& etiam accipienda eſt priùs menſu
ra loci patientis per ceream candelam,& qua parte(vt dictum eſt)candela ipſa ſan
guine aut pure maculata apparuerit,eâdem profundo foramine excauanda eſt,
atque in foramen immittendum cauſticum medicamentum, vt qua parte cande
la ſignata fuit ex rupta carne,in eandem medicamẽtum immittatur. Verùm quia
in rebus dubijs & periculo plenis,ſatius eſt expertis vti, quã intrepide noua expe-
riri,placuit ea ſcribere,quæ experimento fidiſsimo probata cõperimus. Primum
ex vſu eſt illud quod conficitur ex calce & lithargyrio, quod mirum in modum
primo acceſſu prodeſſe ſolet: poſtea verò tranſactis aliquibus diebus ex vſu eſt il-
lud, quo ſæpe & tutò vtebatur Luſitanus quidam in hac re peritus, non ſine ma-
gna omnium admiratione. Quod ſane recipit ęruginis,auripigmenti,vitrioli,alu
minis rupei,ſingulorum ℥.ij. perfuſa acerrimo aceto, inter duos marmoreos lapi-
des ducantur accuratiſsimè,i edactaque in leuorem tenuiſsimum exponantur ſoli
caniculari, exſiccatus puluis rurſus aceto affuſo ducendus ac læuigandus eſt, ſi-
militerque ſoli exponendus, id quod octo aut nouem dierum curriculis facere
eſt neceſſum,donec partium ſumma tenuitate acquiſita,omnem prorſus acrimo
niam atque mordacitatem amiſerint: namque valida medicamenta ex aceto die
bus plurimis contrita,morſu quidem & acrimonia facilè orbantur, vires tamen
non amittunt. Confecto itaque puluere, accipito argenti ſpumæ quod lithar-
gyros appellatur ℥.ij. olei roſacei ℥.iiij. quibus per cocturam ad emplaſtri conſiſtẽ
tiam redactis,illius ℥.ij.permiſceto cum pari portione prædicti puluꝛis,aut mino
ri, ſi corpus fuerit imbecillum,vel acriori ſenſu præditum. Poteris inſuper confi-
cere ex prædicto puluere aliud veluti linimentum cum modico olei amygdalarũ
dulcium aut de ſeminibus cucurbitæ,cum modiciſsima cera, ita vt fiat linimen-
tum,ſed admiſcere oportet puluꝛis ʒ.j.cũ ℥.iiij. olei prædicti & ʒ.ij. cerę albæ pu-
riſsimæ.Et tandem ipſum poteris efficacius aut remiſsius efficere, quãtum perſen
ſeris mollius aut cum mordicatione ſuum munus exequi.Atque id & hac ratione
admixtum arbitror eſſe id vnguentum quo vtitur peritus quidam Italus, Auguſti
nus de Alaba nuncupatus,quo mirum in modum carunculas & quaſuis alias ex-
creſcentias citra dolorem & moleſtiam exstirpare comperimus:quinimo ſæpe vl-
cerum ipſius pudendi dolorem & cruciatum leuat,eodem linimento intincta cã-
dela,quam circundat linteolo tenuiſsimo à principio ad cuſpidem, & ſuper lin-
teum vniuerſam vnguento illinit efficaciori aut mitiori, prout neceſsitas ſedan-
di dolorem aut erodendi carnem ſeſe offert. Cæterum vnguentum arbitramur
eſſe idem magis minuſue oleo & cera admixtum: addit profectò vt cenſeo,pom-
pholygis præparati nonnihil,& hac lege non opus eſt excauare candelam,quo
vnguentum excipiat, ſed per vniuerſam illinire. Quòd ſi ex lue Gallica &
virulenta gonorrhœa hæc mala in pene & veſica ſuboriantur,co-
pioſiora præſidia reperies libr.de morbo Gallico
cap.de virulenta gonorrhœa.

De vrinæ

De vrinæ ſtillicidio & ardore. Cap. XIII.

ALTERVM ſymptoma quod veſicæ in ipſo meiendi munere accidere ſcimus,in diminuta eiuſdem actione ſitum,ſtillicidium vrinæ Medici appellant,(& nonnulli eiuſdem ardorem)eo quòd guttatim, parum & frequenter vrina excernatur,idque cum calore, conatu ac vi,& nonnunquam cum dolore. Eſt ſanè affectio tenesmo ſimillima,cùm parum in ea excernatur,licèt vehementer id nitatur laborans. Neque ob id credendũ eſt,ſimilem eſſe hanc affectionem ei, quam difficultatem nuncupamus:nam in ſtillicidio,licèt dolor, ardor, ac vehemens in meiendo conatus adſint,parum vrinæ aut nihil excernitur, at in difficultate, etiamſi hæc eadem accidentia comperiamus,vrina tamen non guttatim,ſed confertim & copioſè excernitur. Quod quidem malum ſolius veſicæ ſymptoma eſſe aſſeuerat iure optimo Galen.lib.6 de locis,licèt viarum etiam vitio prodire poſsit (dimitto hac in parte criticam ſtranguriam ſeu vrinæ ſtillicidium,cuius meminerat Hipp. lib. 1.popul.par.1.text.41.quòd in hac acres humores per renes ab vniuerſo corpore expurgentur:itẽ abſceſſum ſtrangurioſum,cuius etiam prædicto non diſsimilis meminit. 3.popu.part. 1.)attinens ad immoderatum excretricis facultatis irritamentum, etiamſi excretio ſua natura diminuta ſit,quòd parum aut nihil permittatur vrina in veſica immorari,& ob id,vt guttatim congeritur,ita guttatim & diminutè excernitur.Neque huic ſententiæ aduerſatur Galen.lib.de diff. ſymptom.& 3.de cauſis cap.2. ſtatuens ſymptoma hoc ſitum eſſe in genere excretorum immodicè, atque inſequi deprauatum motum excretricis veſicæ facultatis: nam aliud eſt facultatem validè irritari & immodicè excernere in modo & conatu,aliud verò immodicum eſſe quod excernitur. Sic enim in hoc ſymptomate ipſa facultas immoderatè excitatur ad expellendum,& frequentiſsimè expellit,& ob id ad immodicè excreta reduxit Galen.cæterum quia id quod excernitur eſt quàm parciſsimum,ob id ad diminutam excretionem quantumuis validè excitetur facultas,iure optimo reduximus. Scio tamen non defuturos qui ad deprauatam veſicæ actionem id pertinere ſtatuant,quod mihi profectò mirum non videtur: nam prout quiſque hoc vel illo modo conſiderat prædictum ſymptoma,ſic profectò ad hoc vel illud genus facilè poterit reducere.

Habet hoc mali genus cauſas vt Galen.ſcripſerat lib.6.de locis cap.4 & 3.apho riſmor.16.& 25.& 5.58.& 7.48. in vniuerſum duas:quarum prima iterum in tres cauſas diſſecta eſt: vna cùm vrina ipſius acris exiſtit & mordax, ſecunda cùm ex acrium & mordacium humorum adhæſu contracta eſt mordacitas,& tertia ex ardore(vt Barbari fatentur,quorum nonnulli eam affectionem,ardorem nuncuparunt)cùm videlicet viæ vrinæ exſiccatę,ab eo humore deſtituantur, quem gignit natura in adenoſis carunculis,quas velut duas glandulas ad ceruicem veſicæ,lentum ſed non craſſum gignentes humorem, appoſuit, quo manſuetior reddatur adhuc naturalis vrina. Qui ſanè humor exſiccatur,vel ex nimia & frequenti venere,vt ex Gale.conſtat 14.de vſu part. vel ex nimia ariditate & macie corporis. Proficiſcitur etiam ex inflammatione prædictarum glandularum, maximè exeunte ſanie,vel ex hæmorrhoidibus etiam inflammatis:item ob ſeminis ſcalorem & potiſsimum ſeroſæ illius ſubſtantiæ cauſa,& tunc coitum præcedere ſolet retentio, *Cauſæ.*

dum

dum corrũpitur,vnde puris reiecto,pudendi mador & erectio ſuccreſcũt,vel propter infectæ mulieris vitium,quod cõtactu contrahitur, idque potiſsimum cùm quis ſemen iam commotum retinet. Præterquã quòd ſola vrina naturalis, vbi prædictæ partes exſiccantur immodica venere,ſufficiens eſt prædictum effectũ gignere,quia acriùs mordet ob defectum humiditatis naturalis prohibentis prædictam mordicationem. Secunda verò cauſa eſt retentricis facultatis impotentia,cùm videlicet grauata,& ſi pauca etiam vrina ſit,eam confeſtim pellit,antequam coacer uetur,haud ſecus atque inteſtina alimentum nondum mutatum in lienteria. Sed in harum cauſarum prima & ſecunda,non patitur veſica primario & proprio affectu,ſed vitio aliarum partium:in tertia verò per primogeneam affectionem. Verùm has cauſas mille occaſionibus ſuccreſcere eſt coniectandum: primò quidem ex iecoris vel totius corporis calida intemperie,quæ nitroſam generat, aut genitã talem reddit vrinam & mordacem ac ixoroſam:qua dilabente in veſicam, rationi conſonum eſt,eam frequenter excitare ad excernendum. Fit etiam acris & mordax, exadhæſu bilioſi aut acris humoris,vel nitroſi ſucci,quos generat calida & ſicca intemperies(quantumuis in Gal.litera lib.3.aphor.com.16.ſcriptum reperiatur,præter ſiccam & calidam inſuper & humidam:arbitrandum eſt enim codicem eſſe mendoſum,& intellixiſſe ſiccam)quibus in veſicam conſcendẽtibus,mirum non eſt ſi ſtranguria ſuboriatur. Quos etiam humores autumnalibus tẽporibus ſuccreſcere,atq; prædictũ affectum concitare duplici nomine cõperimus: tũ ob temporis inæqualitatẽ, qua partes redduntur imbecilles:tum etiã quia autũni tempore,quo frequentiùs hanc affectionẽ cõperimus,copioſior fit acriũ & vitioſorũ humorum prouentus,vt Gal.refert.6.aphor.55.& 3.com.9. dicens: Autumnus morbis qui ex corruptione fiunt aſsimilatur:nam cũ bilioſi & exuſti humores cæteriq; vitioſi in æſtate geniti,liberè diffl ari nõ poſsint,vt in æſtate, intro verſi ad interiora viſcera hos grauiores affectus gignũt. Puris etiã aut purulenti ſeminis mictio frequẽtiſsimè prædictũ affectum gignere cõperimus. Præterea vrina efficitur mordax & acrior,cũ pituitoſus ſimul atq; ſalſus humor in veſicam conſcẽdit: quippe ex viſciditate adhæret fixiùs tunicis veſicæ, & ob ſalſuginẽ à bile vel nitroſo humore contractã,efficaciùs mordet,& maiori impetu ſtillicidiũ mouet. Quæ ſanè cauſa cũ frequentior ſit,diligentiùs venit expendenda:nam & caput & ventriculus & corpus vniuerſum in veſicã dum malè afficiuntur,crudos ſuccos immittunt, ſalſugine hac inſignitos. Conſiderabis tamẽ (quod cap.de dyſenteria aduertimus) an putuita ſalſa efficiatur per putredinem,an ſeri adufti admiſtione, vel ex adhæſu pauci amari,quippe id ad curationem maioris eſt momenti, quam primo acceſſu videri poſsit. Vltimò tamẽ prædicta affectio ſuccreſcit ex veſicæ vel ceruicis eius vlcere vel calculo,cui in veſica exiſtenti ardor ſemper comes eſt: cui cauſę accedit etiam vicinorũ membrorũ conſenſu poſſe lædi,vt vtero,recto inteſtino inflãmatis aut aliter affectis,vel intẽperatis. Sic enim prẽgnãtibus accidit,quibus obvterũ creſcentẽ veſicamq; cõprimentẽ,vrina ſtillatim profluit non rarò,ſicut in teneſmo & inteſtinorũ vitijs. Nam ex inflãmatione prædictarũ partium,vel quouis alio tumore,contingit dupliciter fieri:quippe affinitate & vicinia veſica fit affectionis particeps:aut intumeſcentibus his duabus particulis cõprimitur,ſicut & prægnãtibus accidit cũ fœtus eſt grãdior. Dimitto etiã lapidem,carũculã aut carnẽ ſupercreſcentẽ in collo veſicæ,aut pudendi via, quibus aliquando intercipitur meiẽdi actus,nonnunquã verò & vrina guttatim profluit. Altera autẽ cauſa, quæ primogenea eſt & propria veſicæ,ab eius intẽperie originem ducit, ſita quidẽ in impotentia

tentia retentricis facultatis veſicæ ipſius. Cuius doctrinæ gratia ſciendum eſt,veſicæ interiorem membranam contextam eſſe varijs fibrarum ſortibus, quas dum intendit, vrinam continet, & ſi ſolùm tranſuerſis operetur, exprimit. Præterea in veſicæ collo muſculus adeſt,cui incumbit vrinæ meatum eouſque claudere, quouſque animal meiere velit,ex pondere vel acrimonia vrinę laceſsitum: nam antea (cùm ſenſus & appetitus moueant animal) licèt velit, non tamen meiere poterit. Huic etiam muſculo incumbit,ipſam vrinam permittere fluere,idque voluntariè (licèt actus meiendi ſit naturalis à veſicæ vi expellente factus) vel cùm malè afficitur, inuoluntariè,vt paulò inferiùs latiùs ſcripturus ſum. His habitis, cùm facultas continens in veſicæ fibris ſita,ob aliquod intemperamentum languidior facta eſt, tunc quidem vt guttatim admittit vrinã ab vreteribus,ita prorſus guttatim ipſam expellit. Contingit autem hoc malum frequentiùs veſicæ, ex aliqua occaſione refrigeratæ,vt dum Auſtrales venti,vt Gal.aduertit.3.aphor.nimium perflant & permeant ad intima, maximè ſi præſit ſimul aliqua humiditas, quibus reſolui videtur veſica, namque nequeũtibus his fibris prę laxitate vrinam continere,protinus exciditur & guttatim profluit. Itaque in prima cauſa expellẽs facultas ſupra modum & ante tempus excitatur,in hac verò retentrix languida parum operatur: vtcunq; tamen ſit,quod excernitur minutiſsimum eſt, & ab eo excretionis modo affectio denominationem ſumit.

Vt affectus innoteſcat,ſignis opus non habemus, cùm de ſe notiſsimus exiſtat, ea tamen nobis neceſſaria ſunt, vt cauſas noſſe & diſtinguere poſsimus. Sic prodire ex acrimonia vrinæ, vtcunque acrimonia contracta ſit,facilè noſces ex dolore, teneſmo & moleſtia: vrina enim delabente vltra modum naturæ conſuetum, aut ſupra partem exeſam,exulceratam vel phlegmone oppreſſam, nequit citra dolorem excerni: quippe actiones quæ in noſtro ſitæ ſunt arbitrio, ſi doloroſæ extiterint facilè cohibemus,vt videre eſt in parua pleuriticorum reſpiratione, quæ ob id parua efficitur (licèt maiorẽ calor adauctus prærequirat) quia præ dolore nequit animal thoracem diſtendere quantùm neceſsitas expoſtulat. Atqui cùm meiendi actus quodammodo ſit voluntarius,& ob adductas cauſas nequeat in hoc affectu citra dolorem fieri,conatur animal eundem cohibere,& rurſus acrimonia vrinę laceſsitum,iterũ èxcitare,in quibus ſita eſt ſtillicidij ratio. Verùm prædicta accidẽtia pari ratione prodeũt ex vlcere,tumore prẽter naturã,aut partis calida intemperie: quod noſces ex ſignis quę prẽcedẽtibus capitibus reperies. Quòd ſi dolor nõ adſit, & vrina eodẽ modo excernatur,credibile eſt ex impotentia contentricis facultatis prædictum ſymptoma ſuboriri. Ardoris vrinæ cauſam diſces, ſi præcedẽtem victus formã aut vitæ modũ quæſieris. Quippe nonnunquã fit ex defluxu humorũ poſt equitationem longam aut celerem,vel acrium immodicum vſum: at ſi ob hæmorrhoides fuerit,ipſæ monſtrabunt: verùm dũ ex ſciſſuris ani vel colli veſicæ ſuboritur,ſolus vrinę ardor abſq; puris effuſione apparebit,ſicut pus copioſum vlcus vitio ſius factum. Si tamen poſt coitum, præſertim cum infecta,glandulis inanitis prodeat,monſtrabitur ex pudendi erectione ſine cauſa,& ex redditu vrinæ cum maximo dolore, profluit etiam ſanies aliquando liuida, vireſcens, cum mordicatione in meatu. Diſsidet tamen pudendi erectio in hac affectione,à libidinoſa erectione, quia fit etiam contractio cum dolore,nõ in neruo cauo, quia ſic erigeretur potiùs quàm inflecteretur,ſed fit hæc erectio ob plenitudinem aut inflammationem vel inanitionem in meatu vrinæ: ex quo prodit, vt qui tunc coitu vtuntur, erecto membro,illis ſciſſura fiat aut vlcus,quo doloroſior & moleſtior efficitur.

Præsagiū. Discestamen ex interrogatione anteactæ vitæ, qualis præcesserit occasio, aut præsit adhuc causa quæ affectum concitet, vt non solùm curare discas, sed & præcauere: nam grauissimus est affectus, & vt Areteus refert lib.2. diuturnarum cap 4. (quippe sæpissimè in lapidem vesicę cōmigrasse visum est, præsertim cùm vita crapulis dedita cruditates gignit) præter id quòd nullus vesicæ affectus placidus est, qui acutus existit inflammatione, vulnere, conuulsione & febribus immedicabilibus, interficit: vlcus verò, abcessus, resolutio aut lapis magnus tolli nequeunt. Quæ sanè omnia grauiora difficilioraque existunt in senibus quàm in reliquis: nam si affectio ex acutis sit, ob languidum robur citius interimit, si ex diutinis, frigidis & cum frigidis humoribus, tardiùs sanescit & difficiliùs coquitur, & ob id diutiùs patiuntur, donec contabefacti pereant, nullum à præsidijs susceptantes leuamen, vt Hippoc. docuerat lib.2 aphor.40.

Curandi ratio. Sciungere ante omnia mihi est in animo, quorum ex sic affectis, non licèt in hoc capite curationem instituere: quippe dum per consensum aliarum partium vesica patitur, aut si inflammatione, vlcere, lapide vel abscessu & carne excrescente à proprio munere deficit, proculdubio præcedentibus capitibus medendi ratio quærenda est. Quapropter hac in parte solùm de eo stillicidio vrinæ, quod ab acrimonia vrinæ ipsius, vel ab impotentia facultatis prodit, agere instituo. Sic profecto (præterquam quòd tibi est opus sequentis capitis curationem diligenter, in gratiam huius affectus, legere) dum ob vrinæ mordacitatem & acrimoniam stillicidium succrescit, triplex erit medendi ratio, iuxta trium causarum (quibus vrina redditur acrior) diuersitatem. Primò namque ipsamet talis efficitur citra commercium extraneæ substantiæ, sed solùm ex alimentis & potibus, quæ nimium iecur excalfaciunt, aut ex ipsius iecoris scalida intemperie, qua serea substantia, quæ ibidem gignitur, acrior sua natura euadit. Quo tempore vrina in vesicam conscendente, mordicationem & irritamentum infert validum, cui protinus subuenies victu qui in mansuetiorem & temperatiorem reddat: nam carnibus vtendum erit pullorum, elixis cum lactucis & scariolis vel cucurbita, ouis sorbilibus, pane loto: lactucis & scariolis elixis cum lacte amygdalarum dulcium: amylo etiam veteris, farre, aut farina hordei cum iure pulli, vel aqua butyro & saccharo: prodest & ptysana, vel ius pulli cum hordeo & saccharo violarum decocto. Potus sit aqua saccharata vel hordeo decocta, aut radicibus buglossæ vel scorzioneræ: quod si corpus senile fuerit, aut consuetudo inueterata, dilutiore veteris veteris vino, nō tamen ex toto auferes. Inunges quoq; iecoris regionem vnguento santhalino & rosaceo: dorsum refrigerāti Galeni, de cucurbita vel resumptiuo. Balneis quoq; aquæ dulcis veteris, fugiens ab omni vacuatorio auxilio. Hoc tamē vnū in hac causa magni solet esse momenti, nimirum ea præsidia adhibere, quæ vrinali humiditati admixta, ipsam reddant mulcebrem & lenem: cuius naturę sunt emulsiones seminis melonum & cucurbitæ cum aqua maluarum aut seminis earum, extractæ, vel decoctum aut aqua stillaticia maluarum, portulacæ, sonchi & similium cum saccharo aut syrupo violarum, papaueris vel de portulaca. Nec parui est momenti lactis capræ aut asinæ vsus, quippe quod & calorem attēperat, & vrinam mansuetiorem reddit: valet & serapium de mucilaginibus, & mucilago ipsa psyllij & seminis cytoniorum cum aqua maluarum & saccharo feruefacta.

Verùm si vrinæ acrimonia ex pure, bile, aut salsa pituita sibi admixta succrescat, longe alia est incedendum via (quippe à vitiato semine si prodeat, cap. de gonorrhœa reperies curationem) nam si à pure suboriatur præter vlceris aut rupti abscessus (à

sus (à quibus suboriri potest) curationem, absterſione & agglutinatione omni arte vlcus ipsū curabis, & pus quod exit cōtēperare studebis atq; admiscere, quo minus mordax exeat: quod facies ijs quæ nuper diximus, & iniecto in vesicam per siringā sero lactis, decocto hordei cū saccharo, decocto etiam maluarum & seminū althęę & syrupo violarum & rosarum. Inunges etiā vesicæ regionem ac iuxta perineum oleo amygdalarū dulcium, vel de semine cucurbitæ & melonis, de papauere, vnguento rosarum aut cucurbitæ, & tandē omni diligentia studendum est quàm citissime vlcus ad cicatricem deducere, vt suo loco abunde dictum existit. Cæterùm si ex acriori bile aut salsa pituita malum oriatur, omni diligentia curandum est humorē imminuere, aliò transferre, & admiscere ac attemperare. Sic primò eandē victus & vitæ rationē institues, quam nuper in prima causarum scripsimus, & protinus ante omne aliud auxiliū, leui aliquo pharmaco corpus purgabis, cuius naturæ est casia, sero lactis superbibito, aut manna in eodē sero vel aqua hordei & maluarum liquata, item syrupus ex 9. infusionibus violarum. Verùm quia salsa pituita nō vno modo efficitur, eius generationem primo diligenter inquires, ac iuxta id purgantia hæc aut illa, vel quæ attemperēt porrigere studebis, vt latiùs scriptum reperies cap. de dysenteria. Quo facto diligenter residuum humoris studebis contemperare, & admiscere aliquo ex his quę nuper adduximus, & tandem per aluum aut vomitum per vices & interualla purgabis. Cui vsui pituita salsa redundante, siue à capite defluat, vt non rarò assolet, siue in vētre genita & bile admixta talis fiat, siue ex putredine prodeat, vomitibus bis aut semel in hebdomada factis, curandum est ipsam à vijs consuetis auertere, & cū hoc paulatim imminuere. Verùm si bilis amarior sit, diluto rhabarbari in copiosiori aqua maluarum aut violarum, vel lactis aut borraginis, per ventrem bis terue in hebdomada expurgabis, porrigēs inter vnam & aliam purgationem aliquid eorum quæ vrinam contemperare diximus. Quòd si rhabarbari vsus non profuerit, conseruam ex floribus violarum cum saccharo porriges, aut decoctum eius singulis diebus.

De sanguinis detractione. Quibus factis, in dubium vertere instituī, an liceat aliqua occasione in hoc malo (si febris non adsit, nam si ea sit, nulli est dubium) sanguinem detrahere. In qua re docet Hipp. lib. 6. aphor. 36. & 7.48. vrinæ stillicidium & difficultatem curare vena poplitis interna scissa: quæ sanè sententia vt dubia est, ita periculo non caret eius præceptum sequi. Cuius ratione abdubitare primò oportet, an in quouis vrinæ stillicidio, vel quauis eius difficultate, liceat sanguinem mittere: nam ex Hippo. & Galen. prædictis locis videtur cōstare, solùm esse mittēdum, vbi ex vesicæ vel partium vicinarum inflammatione prodeunt, siquidem docēt ex talo debere fieri, & huius etiam sententiæ sunt ferè omnes authores. Verùm cum hoc statuendum est, vbi ex bile acriori aut salsa pituita malum oritur, etiam necessum esse sanguinem detrahere, tum diuersionis, tum etiam refrigerationis gratia. Quo fit vt parcè & partitè, ne vires (quibus in hoc malo laborantes summopere opus habent) labantur & concidant: nam hoc solo terrore, pleriſque visum est, nullo modo sanguinem esse mittendum, verùm cum hoc mittendus est prædictis rationibus citra vllam dubitationem, parcè & in mali initio. Quapropter licèt ab Hippocra. dictum sit ex talo absolutè esse mittendum, non semper id venit exequendum: sed in prædictorum succorū redundantia semper ex interna brachij vena, nisi defluxio à capite fiat, nā tunc ex cephalica cōmodiùs fiet. Item dum ex vesicæ aut vicinarū partiū inflāmatione affectio prodit, nō semper ex talo mittēdus sanguis est, sed primo inflāmationis accessu ex brachio, maximè corpore existēte pleno: procedēte verò morbo, ex

talo deriuationis gratia: dixit tamen Hipp. ſolũ ex talo, quia ex ea parte miſſo ſanguine ſolùm vrinæ ſtillicidium leuamen ſuſceptat, quod à parte affecta deriuatione ſanguis extrahatur: cæterum aliarum indinationum gratia, ab alijs etiam partibus mitti poteſt. Vltimò tamen videndum eſt, dum ex talo ſanguis mitti debet, an ſemper ex interna eius vena mittendus ſit: namque non deſunt inter neotericos, qui per verbum illud Hipp. internam tali venam, intelligant venas quę ſunt ſub cute, ad differentiam earum quæ ſunt in cute, & ſcarificatione ſcinduntur: verùm id prætermittamus, non enim in animo eſt contumelioſum eſſe, ſcio enim diuiſionem hanc nullius eſſe momenti ac præter mentem Hippoc. & Galen. cùm pari ratione in pluritide internam cubiti venam ſecare iubeant, & per internam axilarem, intelligant omnes Medici. Sed cenſeo prædictum virum, in excuſationem ſumere locum quendam Gal. 5. de vſu. part. qua parte vtramq, tali venam, tam internam quàm externam ab eodem trunco diſſeminari, & ob id fruſtra videri prædictam diſtinctionem conſignare, nimirum inter venam internam & externã, hoc eſt, quæ in externa parte pedis apparet, & ea quæ in interna, ac ex conſequenti, quid aliud authores voluiſſe per internas intelligere. Cuius dubitationis interpretationem nos adduximus. lib. de recto præſ. vſu. cap. de ſang. miſ. ſtatuentes ex Auic. & alijs, quòd licèt vtraque vena ab eodem trunco diſſeminetur, cum hoc tamen certiſsimum eſt & experimento confirmatum, partes internas maiorem communionem cum trunco interno & externas cum externo ſortiri, & ob id quæuis pars affecta, vterus nimirum & veſica in internis, & coxendix in externis, ſuam expoſcit ſectionis differentiam, adeò neceſſariam & proficuam, vt nulla lege excuſatio prædicta admittenda ſit.

Cæterum ſanguine miſſo, vbi opus fuerit, aut non miſſo, ſi affectus non poſtulauerit, clyſmatis ex lacte, ex decocto hordei, maluarum & mucilaginibus, oleo roſarũ violarũ & amygdalarum dulcium cum butyro, tertio quoq; die prope ſomnum vtendũ erit. Proſunt & aquæ dulcis balnea: fomẽta item ex decocto maluarũ, violarũ, roſarũ, portulacę, camemali, meliloti & ſeminis lini: eiuſdẽ vſus ſunt inſeſsiones ſeu euaporationes, item & inunctiones ex oleo roſaceo, violarũ, nenupharis, papaueris, amygdalarum dul. & butyro vaccino, aut axungia anatis, vel anſeris cum mucilaginibus pſyllij, ſeminis cytoniorum & althææ: conficies inſuper prædicta vnguenta, quæ ſuperiùs adduximus: & etiam illud, quod recipit butyri recẽtis ℥.j. oleorũ violarũ & roſarum ana. ℥.j. ſ̃. olei papaueris. ℥.j. mucaginis ſeminis pſyllij & cytoniorum aqua roſarũ extractæ ana. ʒ.ij. ſanthalorum omnium & trochiſcorum de cãphora ana. ʒ.j. cum modica cera fiat vnguentũ. Prodeſt mirum in modum ſyrupus ex mucilaginibus à Matthęo de Gradi ſcriptus: itẽ is qui cõficitur ex decocto quod recipit lactucę, portulacę, ſcariolæ ana. p.j. florum violarũ. p. ij. capitũ papauerũ numero. ij. ſeminis pſyllij & cytoniorum. ana. ʒ.iij. emulſionis ſeminum frig. mai. ℥.iiij. colentur omnia & clarificentur, & cum ſaccharo fiat ſyrupus. Præſtat & puluis qui recipit ſeminis papaueris. ℥.j. ſeminis lactucæ & portulacę parum toſti ana. ʒ.iij. pulueris liquiriziæ & quatuor ſeminũ frigidorum maiorũ mũdatorũ ana. ʒ.j. ſacchari cãdi violati. ʒ.iij. miſce & fiat puluis, cuius cũ ouo ſorbili vel cũ iure ſummo manè laborans ſumat. ʒ.j. Inter omnia quidẽ quæ prodeſſe non parũ, ſum cõpertus, eſt butyrum ex amygdalis extractum ingeſtum antecibum: ſi tamẽ velis alia præſidia præſtare quæ vtiliter expertus ſum in hoc cauſarum genere, leges vltimam partem ſequentis capitis. Verùm ſi à capite ſalſuginoſum humorem fluere nobis compertum ſit, & prædicta auxilia non proſint, curandum eſt, fontanellam

fontanellam in altero brachiorum aperire, qua expiret humor ad inferas partes prolabens, quo ſolo præſidio cenſeo plures ex hac cauſa affectos liberari poſſe.

Altera verò cauſa quam tertio loco ſtatuimus, ſita in defectu humidi glandularum, quas diximus eſſe iuxta pudendum, ac ex nimio coitu exſiccari, vt Gal. aduer tit. 14. de vſu part. eam ſolùm expoſtulat curandi rationem, quæ in renutritione ſita, humorem copioſiùs gignat, ac humectet & reficiat. Quam quidem ex equeris victu optimi, copioſi & humidioris nutrimenti: balneis etiam, quiete & omni refectionis genere. Inſuper in veſicam per ſiringam immittere oportebit vel mucaginem pſyllij, vel lactis aliquid, aut decoctum hordei cum ſyrupo violaceo: item oleũ de cucurbita, tum infuſum, tum illitum: prodeſt etiam inunctio ex butyro, & pleraq; ex his quæ præcedentem cauſam compeſcere diximus. Verùm ſi ex inflammatione prædictarum glandularum ſeu adenum aut paraſtatarum, vel exulceratione ab infecto ſemine, aut retento & vitiato, vel vltimò à contagioſa fœmina fœdato, protinus ex talo ſanguinem demes, & ſiringa quæ repellunt in veſicam infundes, vel clyſteria, cuius cenſus ſunt, hordei decoctum cum ſyrupo violarum, aut aqua plantaginis vel ſolatri cum eodem ſyrupo, vel roſarum. Quòd ſi dolor vrgeat, vel ingens calor, albumen oui fortiter agitatũ & dilutiſsimum aqua ſolatri erit injicie dum, vel lac mulieris, aſinæ aut capræ. Verùm ſi adhuc fluxionem aliquam vigere conſtiterit, ad ea quæ modicè adſtringunt veniẽdum erit, dummodò corpus priùs caſia vel manna purgaueris, vel ſerapio ex infuſionibus violarum cum aqua lactis, præmiſsis ſerapijs & apozematis, quæ huic muneri prodeſſe ſuperius diximus: tandem ad extimas inunctiones: vltimò tamen ea curandi ratio inſtituenda eſt, quæ acrimoniæ puris proficua exiſtit, quẽ vſum præſtat lenitiuum quod recipit aquæ maluarum. ℥.iiij. ſyrupi violarum. ℥.j. & ſ̃. itẽ decoctum hordei & maluarum quãtitate. ℥.xij. in quo extrahatur lac. ℈.j. ſeminis hyoſcyami & papaueris albi ac mucilago. ʒ.ij. pſyllij, lactis amygd. dulc. ℥.ſ̃. cuius manè aut dum laborans it dormitum porrige. ℥.ij. Proſunt trochiſci alkekengi pondere. ʒ.j. cum. ℥.ij. prædicti decocti & ℥.j. ſerapij violacei: item aqua acetoſæ cum ſyrupo portulacæ vel papaueris, vbi ardor vehemens fuerit. Sed partes ſcalidas inunges liquore albuminis oui agitato cum lacte mulieris: vel hoc quod recipit mucaginis ſeminis pſyllij & cytoniorum extractæ aqua cucurbitæ violarum & maluarũ. ℥.ij. lactis mulieris. ℥ j. liquoris oui ℥.ij. Item in magno ardore prodeſt ceratum roſaceum cum mucagine ſeminis hyoſcyami & papaueris: valet & oleum roſaceum lotum aqua plantaginis, cum duabus g. opij. & modico vino. Quòd ſi vlcus præfuerit & velis ipſum detergere, infundes in pudendum aquam hordei cum ſaccharo, aut lactis ſerum cum eodem ſaccharo aut ſyrupo roſaceo: at ſi mens fuerit conſolidandi, amylum addes aut ceruſam lotã, nutritã lacte caprillo, dũmodo lapidis ſuſpicio nõ ſit, quo tẽpore ab his glutinoſis fugiẽdũ eſt: vel partẽ fouebis vino auſteriuſculo cũ ſucco plãtaginis aut virgæ paſtoris depurato, & bolo armeno, mumia, trochiſcis de karabe, de terra lẽnia & de ſpodio: quorũ etiã. ʒ.j. poteris per os porrigere cũ ſyrupo violaceo aut roſaceo.

Quòd ſi vrinæ ſtillicidium ex ſecundo cauſarum genere ortum duxerit, iuxta illius naturam præſidia quoq; adminiſtrare oportebit: ſita nanq; eſt eius ratio in impotentia retentricis facultatis, quæ ab intemperamento frigido & humido, aut ſolùm humidiori, languidior facta, nequit ſtatuto tempore vrinam adſeruare, ſed protinus defluere permittit. Quo caſu inſtituta vitæ & victus ratione exſiccanti & modicè calfacienti, facto menſæ principio à paſſulis cum granis & vino, vel carne cytoniorum ſicca & iterum vino decocta cum ſaccharo & cinnamomo,

vtatur carnibus plerunque aſsis, in cœna ouis ſorbilibus, aut conditis cinnamomo & caryophyllis. Vino vtatur generoſo aut aromatis condito, vel aqua radice chinæ, ſparta parella vel ligno ſancto decocta, aut cum cinnamomo vel aniſo aut ſaſafraſa indica. Quatenus verò ad humorem peccantem attinet, ipſam pituitam (præmiſſa diligenti præparatione ex rhodomelle, oximellite, ſyrupo ſtœchados cũ aqua maioranæ aut origani vel radicis chinæ) purgabis infuſo agarici cum ſyrupo ex infuſionibus, aut diluto foliorum ſenæ, vel expreſsione cartami cum eodem ſyrupo, aut pilulis ex terebinthina cum rhabarbaro & puluere liquiriziæ: item pilulis aggregatiuis, maſtichinis, de agarico, vel ex his quæ conficiuntur ex agarico, rhabarbaro, maſtiche & hiera ſimplici Galeni. Hanc ſanè purgationem primo mali acceſſu copioſiorem inſtitues, poſtea tamen per vices & interualla purgabis, ſtudens humorem non ſolùm conterere, ſed à vijs etiam vrinæ diuertere: inter vnã tamen & reliquam purgationem, vteris theriaca, mithridato, aut inſtillatione theriacæ & mellis ſquillitici, aut eodem melle ſquillitico. Quo facto oleo aut ſanguine vulpino partem illinies, & cum oleo de pipere, de cinnamomo, de ſtirace, de abiete, de petroleo, balſamo, oleo Mathioli, de hyperico, & de rore marino. Verùm ſi hæc non prodeſſe conſtet, ad ſudationem ex decocto ligni guayaci, ſpartæ parellæ & radicis chinæ, confugiendum eſſe conſulit rei natura & cauſa: quem quoque vſum præſtãt balnea naturalia, maximè ex ſuphure. Et ſi ne hæc quidem prodeſſe compereris, fontanellam altero crurum aperire oportebit, qua ſpiret pituita in prædictis partibus imbibita, quod præſentaneum ſolet eſſe præſidium, ſicut potus aquæ ſulphureæ naturalis vel aluminoſæ.

De vrinæ difficultate. Caput. XIIII.

VLtimum verò ſymptoma, quod actionionibus veſicę ſuc creſcere diximus, in deprauata eius actione ſitum, Medici vrinæ difficultatem appellarunt, quia in eo vrina magno cruciatu atque dolore, aut cum vi & efficacia, nec nõ & meiendi libidine expellitur, cæterum in maiori quantitate quàm in ſtillicidio. Eſt enim penis & veſicæ, veluti dyſenteria inteſtinorum difficultas, ſicut ſtillicidium velut recti inteſtini teneſmus. Sic enim Gal. 6. aphor. 36. & maximè. 7. 48. expreſsit huius affectionis conditiones, ſtatuens conſiſtere in duobus, nimirum in vrinæ excretione cum dolore, aut cum difficultate. Itaque laborantes in excretione vrinæ, aliquando perſentiunt dolorem & moleſtiam maximam, adeò vt in medio actus meiendi ſubſiſtant, & pertimeſcant vrinam reddere, ita vt perterrita natura vrinã cohibeat, à cuius acrimonia poſtmodum irritata, iterum excernere conetur, licèt cum eodem dolore. Aliquando verò excernitur cum difficultate, hoc eſt conantibus muſculis abdominis veſicam comprimere, & veſica etiam ſeipſa comprimente irritata ad excretionem, ſed nequeunte actum perficere. Differunt tamen in hoc, veluti teneſmi difficultatis genere ab ſtranguria, cui proprium ſolet eſſe, quia in hac vrina ſolùm excernitur guttatim, quantumuis natura conetur expellere: at in difficultate, licèt vi & conatu excernatur vrina, exit tamen copioſior. Pertinet igitur vrinæ difficultas ad veſicæ peculiarem actionem: nam cùm eius munus ſit vrinam continere, donec animal voluntatis imperio excernere inſtituat, & poſtmodum ipſam propria

propria vi & efficacia pellere, ſtillicidium vrinæ ad primum eius munus attinere certiſsimum exiſtit, ſicut expellendi difficultatem ac vitium ad ſecũdum. Vtcunque tamen ſit, affectio ſoli veſicæ propria eſt, & ſita in genere excretorum vel retentorum, vitioſe & præter naturæ modum, vt placuit Galen. lib. 3. de cauſ. ſympto.

Vt dupliciter fieri hanc affectionem dictum eſt, ita & eodem modo duo ſortiri cauſarum genera erit ſtatuendum (præter cauſam externam, nimirum ictum, caſum aut percuſsionem, quorum non minor habenda eſt ratio, dum ab eis malum oritur) primum quidem cauſam continet in diminuta actione excernentis facultatis ipſius veſicæ, in quo ſita eſt vera difficilis redditus vrinę cauſa & ratio. Nam ſicut in huius facultatis impotẽtia ſtranguria ſita eſt, ita in eiuſdem irritatione cum modica imbecillitate (quæ licet conetur, nequeat actũ cõplere) difficultas cõſiſtit: quippe dictum eſt, villorũ tranſuerſorũ ope veſicam à ſe exprimere vrinã, quo fit, vt ipſis nequeuntibus omnino opus perficere ob imbecillitatẽ aut impedimentũ, ſtudeat natura vi & conatu quod moleſtat pellere, quod vix aut difficulter poteſt, atq; ob id in ſubſidiũ aduocat muſculos abdominis, quibus etiam nititur quãtum poteſt expellere: quod ſanè efficit, cæterum difficulter & cum vi atq; conatu maximo. Pari prorſus ratione idem ſymptoma accidit, dum nerui à lumbis & oſſe ſacro ad veſicam peruenientes, quibus pondus aut acrimoniam vrinæ perſentit, modicè reſoluuntuntur vel torpeſcunt: tunc quidem adeò dilatatur veſica vrinæ copia (vt ſolet accidere his qui pudoris cauſa, aut ob mentis detentionem, vrina non redditur: etenim eo temporis dum meiere non conantur, vrina ſtillatim profluit, quod Gal. dixerat. 6. de locis: verùm iam in ſe reuerſi ſic detenti homines vrinam reddunt, non quidem guttatim vt antea, ſed cum difficultate & vi) vt in meiendo ſeſe non poſsit veſica comprimere, niſi iuuantibus prædictis muſculis abdominis, & natura vi etiam conante ſupra modum ipſam excernere: quo tempore contingit copioſam & confertim excerni, & ſic fit mictus tardior ſed copioſior & cum difficultate. Secundum verò cauſarum genus continet eas omnes, quæ meatus redditui vrinæ ſeruientes coarctare poſſunt, licèt non ex toto, nam tunc ſuppreſsio non difficultas ſuccreſcit: neque rurſus ferè ex toto, quia tunc ſtillicidium efficitur, ſed dum mediocriter obſtruuntur, nam tunc vrina quidem excernitur magis quàm in ſtillicidio, ſed cum difficultate. In harum cenſu primum locum tenet inflammatio prædictarum viarum, vlcus cum tumore, leuis caruncula, ſuper creſcens caro, humorum acrium ſed maximè pituitoſorum & ſalſorum affluxus, qui natus ſit prædictas vias anguſtare potiùs quàm naturam laceſſere, nam hoc ad ſtillicidium, illud verò ad difficultatem pertinere eſt arbitrandum. Frigus item internum aut externum, velut Borealium ventorũ, ſiccitas quæ corrugatione coarctet, & tandem omnis intemperiei inæqualitas quæ dolorem & coarctationem nata ſint concitare. Quibus cauſis accedit alia non minoris momenti, nimirum vteri decubitus ad veſicæ collũ, vt in moniali ordinis diui Iacobi triginta dierum ſpacio conſpeximus, quæ nullis niſi vterinis leuabatur præſidijs, diu enim (ſpacio nimirum vnius & duorum dierum) vrina ſupprimebatur, poſtea verò cum difficultate & dolore copioſam reddebat. Quæ cauſæ cùm vias anguſtiores reddunt, præter id quòd dolorem concitant, cogunt etiam naturam ad expellendum gliſcere, & cùm præ viarum anguſtia liberè non poſsit, conatur vi & efficacia id efficere, ac licèt vrinam excernat copioſiorem quàm in ſtranguria, id tamen conſequitur cum eadem violentia dolore ac moleſtia.

Signa eius sarum.

Cùm prædicta meiendi difficultas citra dolorem ſuccreſcit,licèt cũ vi & efficacia fiat,proculdubio ab impotentia ſecernentis proficiſci erit credendum, maximè ſi citra ponderis aut vlceris vel acrimoniæ ſenſum reddatur,& æquali tenore ac tempore ſanitatis,& pari etiam copia,licèt cum vi & efficacia prorumpat,& nõ niſi manus compreſsione iuuante. Verùm cũ tenuiter excernitur & minor adeſt vrinæ impetus,coniectandum eſt ab aliqua cauſa vias coarctante fieri, maximè ſi cum difficultate accedant quoque dolor & moleſtia. Sic enim à caſu vel ictu vel percuſsione proficiſci,monſtrabunt quæ præceſſerunt,& ex ipſa laborantis relatione perdiſces. At ab inflammatione fieri,propria eiuſdem ſigna monſtrabunt, vt ſuo loco abunde diximus: verùm ſi cum dolore pus exierit,à rupto abſceſſu, & puris acrimonia & coarctatione ab eodem facta,coniectandum eſt prodire meiendi hanc difficultatem. Cæterum ſi cum dolore veſicæ,ac citra ponderis ſenſum & cum diſtentione fiat,ab ſpiritu flatuoſo fieri eſt arbitrandum. Quòd ſi tenſio non adſit,& dolor vrgeat ac difficulter vrina excernatur, ab inæquali intemperamento prodire conſpicies: quale nam ſit intemperamentum, quæ adſunt & vigẽt qualitates,& quæ præceſsit vitæ & victus forma,facilè monſtrabunt: nã ex ventis qui perflant,& ſi dormierit homo in locis frigidis,humidis,ſtagnoſis vel præcalidis,ſenexue ſit aut nimio potui frigido indulgeat,cognoſces. At ſi ab aliquo humore vias coarctante fiat,neceſſum erit eius aliquid cũ vrina excerni, ac eius calorẽ mutare ad propriam conditionem: & ſi ex callo vel carne creſcente,cathetere vel candela perdiſces,ſicut ſi à lapide: item ſi ex ſanguinis grumo,ex ſanguinis fluore præcedente,aut cauſa nata efficere eius profuſionem. Ab vteri decubitu proficiſci comperies,ex tenſione dolore & coxendicum moleſtia ac menſtruorum defectu, vitio,aut diminutione.

Curandi ratio.

Habent hæ duæ affectiones hoc proprium & peculiare,vt ferè eadem præſidia vtrique poſsint prodeſſe. Quapropter ad curationem cuiuſque vtrumque caput licebit diligenter expendere: ſed in primis dum ex procartartica cauſa quis difficulter meierit,caſu nimirum aut ictu,ante omne auxilium ſanguinem ex talo mittes,ſi corpus plenum non ſit,aut difficultas ex uteri prolapſione prodierit, ſin aliter primo ex baſilica,& poſtea ex talo. Quo facto veſicæ ac perinei regionem inunges roſaceo & modico aceto, ſuperſparſis pulueribus roſarum & myrtillorum, aut ſimul cum prædicto roſaceo admiſcebis & parti appones. Deinceps verò leuiter veſica manibus comprimenda eſt,vt citra dolorem quod continet pellat, idque facies bis terue die, ſi veſicam inflammari contingat,ſin aliter rariùs,& ea auxilia præſtabis quæ ſuperiùs ſcripſimus.

Facultatis ſecernentis vitium ac ſentientis torporem curare ſtudebis, eâdem omnino methodo & eiſdem auxilijs quæ dicta ſunt præcedenti capite,in reſolutione veſicæ: præter quæ corpus purgare ſtudebis pilulis maſtichinis cum agarico & hiera ſimplici confectis,aut ex rhabarbaro & maſtiche factis, vel cum infuſo foliorum ſenæ in aqua nouem infuſionum roſarum facto. A qua purgatione, veſicæ regionem & perineum inungere oportebit oleo iaſminorum, de belzoino, de ſtiracc, de caſtoreo, de nuce indica, nardino, coſtino & vnguẽto marciaton: præſtat & inunctio theriacæ dilutæ in vino, aut oleo vulpino vel ſambuci, aut oleo ſcorpionum. Cæterum huic cauſæ & frigori prædictas partes intemperanti, prodeſt vnguentum quod recipit olei anethini & ſcorpionum. ana. ʒ.j. caſtorei ʒ.ij. galbani ʒ.iij coquantur in balneo Mariæ & fiat linimentum. Prodeſt & aliud quod recipit olei liliorum ʒ.j. & ℈. olei cucumeris aſinini ʒ.℈. galbani & opopanacis. ana. ʒ.j.

ʒ.j. pulueris caryphyllorum, macis, ciperi & angelicæ ana. Ə.j. cum cera fiat linimentum: eundem quoque vſum præſtant fomenta & inſeſsiones ex decocto maioranæ, artemiſiæ, hyſſopi, thymi, parietariæ & roſmarini. Item emplaſtra ex eiſdẽ oleis ſupradictis: vel omentum hœdi recenter extractum & calidum adhibitum, aut pellis cũniculi calida cum axungia eiuſdem facta priusinunctione: item emplaſtrum quod recipit raphani contuſi, parietariæ,& ſiſymbrij ana. m.℈. ex quibus coctis & contuſis cum axungia cuniculi fiat cataplaſma. Quibus factis & interim dum fiunt,viſcidam frigidioremque pituitã parabis aqua mulſa vel rhodomelle cũ modico oximellite & decocto thymi, fœniculi & origani, poſtea verò prædictis pharmacis purgabis: tandem corpus vel ſudoribus vel balneis committes, vt præcedenti capite dictum eſt: at ſi totum corpus veſicæ conſentire videatur, fontanellam altero crurum aperies. Verùm ſi ex humore acri & mordaci, aut alia calorifica cauſa, vrinæ difficultas principium traxerit (nam ſanguinis grumum, inflammationem, vlcus aut creſcentem carnem, capite de ſuppreſsione vrinæ curare docuimus) præmiſſa ex caſia vel manna aut ſyrupo violarum ex infuſionibus cum aqua lactis, purgatione, ac ſanguine etiam miſſo, ad corporis refrigerationẽ deuenies, inungens partes oleo violarum, cucurbitæ & nenupharino, aut ex eiſdem fiat ceratum, additis g.iiij. camphoræ pro ſingulis cerati vncijs. Proſunt & fomenta vel inſeſsiones roſarum & violarum facto decocto cum ſemine lini, fœnugræci & althææ, maluis & papauere, ſeminibus etiam additis: proſunt & linimenta ex butyro & vnguento roſaceo, vel reſumptiuo, & refrigeranti. Item per os ſumere oportet ſyrupum violarum, portulacæ, papaueris, iuiubarũ & borraginis cum aqua ſtillatitia ex acetoſa, plantagine & pentaphillo, aut cũ decocto portulacæ & lactucæ, vel expreſsione ſeminum communium. Præſtat & lac amygdalarum dulcium cum amylo, aut lac capræ vel aſinæ, aut ſerum lactis cum cremore hordei. Ante cœnam tamen præſtat ius pulli confectum cum radicula althææ & ſemine cytoniorum & hordeo: item mirabilis eſt efficaciæ ſummo manè ventre ieiuno, ouum crudum calidum ex gallina ſumere ſpatio duodecim dierum. Sed maximi vſus eſſe didici amygdalarum hac lege confectum, excipe ſeminum pſyllij, melonum & cucumeris ana. ʒ.ij. ſeminis althææ & cydoniorũ ana ʒ.j. ſeminis lactucæ, hioſcyami albi & papaueris albi ana. g.xij. gummi tragacanthi. ʒ.j. & ℈. fiat decoctum & in leui colatura diſſolue lac amygdalarum dulcium cum ſaccharo albiſsimo, & in prædicto etiam decocto, ſi vlceris ſuſpicio ſit, diſſolues bolum armenum, terram ſigillatam, aut ſanguinem draconis: item porriges lac vſtulatum, vel ſyrupum myrtillorum, aut roſarum viridium vel ſiccarum: præterea ſaccharum roſarum vel triaſanthalũ, aut tragacanthum frigidum. Item ſumat laborãs ſingulis diebus hunc puluerẽ, qui recipit ſeminis melonum excorticati. ʒ.ij. ſeminis citruli, cucurbitæ, portulacæ, papaueris albi ana. ʒ.℈. ſeminis hyoſcyami albi. Ə.℈. ſacchari albiſsimi. ʒ.iij. fiat puluis, cuius porrige. ʒ.j. Exvſu quoque eſt. ʒ.j. trochiſcorum de alkekengi cum ſyrupo violarum: laudatur etiam vſus vitellorum ouorum recentium cum oleo amygdalarum dulcium, vel ſaccharum violarum, quod guſtui gratius ſolet eſſe Sed inter omnia prodeſſe comperimus balnea aquarũ dulcium, & inunctiones per dorſum ex vnguento roſarum, reſumptiuo, refrigerante, oleo violarum, loto mulieris lacte: prodeſt & infuſio eiuſdem lactis ab vbere ſuper dorſum. Mirum etiam in modum prodeſt lythargirij ceratum dorſo & perineo apponere, aut eaſdẽ partes inungere eo quod recipit lythargirij. ʒ.℈. ceræ lotæ, tutiæ ana. ʒ.iij. aceti & ſucci plantaginis quod ſufficiat, fiat ad modum linimenti. Nec minoris momenti eſſe conſtat

clyſmata

clyſmata ex lacte,ex decocto maluarum, violarum & hordei cum oleo roſarum, violarum,butyro & ſaccharo:item ex oleo amygdalarum dulcium cum emulſione ſeminum melonum,cucurbitæ & citruli,ac ſi dolor plurimum vrgeat, confugiendum eſt ad oleum de papauere,tum clyſmati additum menſura ℥.ß.tum exteriùs illitum:quem quoque vſum præſtat dolentes partes inungere vnguento pouleonis,aut lacte mulieris cum. g.ij. opij. In quo etiam caſu ad ʒ.j. vel ß. philonij perſici aut romani confugiendum erit:quippe exolutione & animi angore atque deliquio,periclitantur non vtcunque laborantes hoc pernicioſiſsimo affectu. Inſuper per ſyringam in penẽ inijcies,lactis mulieris aut vaccini ℥.ij. ſarcocollæ vel amyli ʒ.ß.dummodo nulla adſit lapidis ſuſpicio: quòd ſi malũ ex vteri recurſu ad veſicam ſuboriatur, recurrendum eſt ad caput de vteri recurſu & reuerſione, lib. noſtro de fœminarum morbis.

De vrinæ incontinentia. *Cap. XV.*

INter deprauatos meiendi actus, non minoris momenti eſſe diximus eos,qui ad vrinæ incontinentiam pertinẽt: nam triſte eſt & miſerabile malum, animal vrbanis & intellectualibus negocijs dicatum, in actu excernendi perpetuò exiſtere:& ob id opus eſt benigniſsimum & magni pretij,ipſum ab ęrumna hac turpi & calamitoſa præſidijs eruere, quãtum poſsibile fuerit. Cuius affectionis occaſione,& vt clariùs eluceſcat eius natura, ſcire oportet, meiendi actum neque omnino eſſe naturalem, vt multi cenſuerunt,neque ex toto voluntatis imperio ſubditum, vt Gale. pulchrè aduertit.6.de locis cap. 3. ſed in eo exequendo,duas neceſſariò intereſſe actiones omnino diuerſas,naturalem nimirum & animalem,quarum aliqua deficiente, actionẽ hanc fieri eſt impoſsibile.Harum enim vni datum eſt,excrementum hoc à veſica, dum aliquo modo moleſtiam perſentit expellere,cuius muneris eſt naturalis potentia expultrix,tum inteſtinorum tum veſicæ: alteri verò excrementa hæc à vi excernente commota ac impulſa,liberè permittere fluere,cui officio aſsiſtit muſculus oris veſicæ,& tranſuerſus recti inteſtini vehementer ipſum claudens: quippe hæc inſtrumenta licèt non ſint expulſioni dicata,permittunt tamen fluere pro arbitrio animalis,quod naturalis pellere nititur. Quo fit vt in actu meiendi prædictus muſculus nihil operetur,quinimo ocietur & quieſcat ab opere ſibi inſtituto, quod eſt vrinam non permittere fluere citra voluntatis imperium: operantur tamen eo tempore quo vrina excernitur,tum veſicæ excernens facultas, per tranſuerſas fibras agens,laxatis obliquis & rectis,(quibus vrina continetur aliquo modo,& quibus præſtitit natura neruũ ſenſificum à lumbis & oſſe ſacro deſcẽdentẽ, per quem vrinæ morſum molem & pondus ſentiens excitatur ad naturalem & inuoluntariam excretionem)tum verò muſculi abdominis, quos equidẽ certũ eſt quieſcere & ociari,cùm muſculus colli veſicæ operatur vrinam continens & cohibens,ne exeat citra voluntatis imperium. Quapropter ſtatuendum eſt,has veſicæ & inteſtinorum actiones vtramque facultatem expoſcere,quarum altera operetur & altera quieſcat,ex cuius quiete & alterius munere actio meiendi perficitur in veſica. Præterea expendenda eſt Galeni doctrina.5.de vſu part.cap.16.quo loco ſtatuit triplicem muſculi veſicæ vſum:quorum primus eſt,ne aliquid vrinę in meatu

meatu vrinario relinquatur, adeo validè ſeſe voluntariè comprimere, vt veluti ſaltu & vi quod reliquum eſt expellat, quo nihil interſit ibidem: ſecundus vt os veſicæ claudat omnino,quæ vera eius eſt actio:tertius verò,vt excernendis excrementis viam patefaciat & præſtet,quam potiùs ceſſationem ab actione eſſe arbitramur. Quibus ſuppoſitis euidenter conſtabit, vrinæ incontinentiam duplicis eſſe naturæ:alteram quam propriam cenſemus, reliquã verò impropriam ſeu ſpuriam:impropriam quidem ſcimus pertinere ad veſicæ corpus, nam retinens eius facultas dum languet,ſtillicidium frequentiùs,vel aliud ſymptoma concitat: propria verò ad prædictum veſicæ muſculum,eſſeque morboſam & præter naturalẽ actionem,& muneris continendi vrinam ceſationem,ob quam ſymptoma oritur ad excretorum immodicè attinens. Differt tamen ab ſtillicidio,quòd citra dolorẽ ſuccreſcat,quia in eo adeſt actus muſculorum abdominis, citra quorum adminiculum nequit facultas pellere,quia claudit muſculus veſicæ ac impedit vrinæ exitum,ni ex vi prædictorum muſculorum pelleretur:at in mictu inuoluntario, ipſa vrina defluit,quia eam exire permittit prædictus veſicæ muſculus. Quod quidem ſymptoma in duplici eſſe differentia arbitramur:nam aliquando omnimodam arguit facultatis iacturam,quia eius munere omnino priuatur animal, quo tempore vera vrinæ incontinentia ſuccreſcit: aliquando verò ſolùm apparet diminuta eius actio,velut in his qui ſe in lecto mingunt,idque tantummodo inter dormiendum:quorum omnium hac in parte cauſas recenſere,ac medellam adſcribere eſt in animo.

Cauſas incontinentiæ vrinæ (vt ipſa incontinentia duplex eſt) duplices neceſ *Cauſæ.*
ſariò licèt conſtituere:quaſdam quæ propriè ſunt veræ incontinentiæ,& reliquas diminutæ ac ſomno factæ. Sic profecto incontinentiæ prima cauſa eſt imbecillitas continentis facultatis,quæ talis redditur, reſoluta veſicæ facultate. In qua re primo expendendum eſt,triplicem poſſe in veſica reſolui facultatem: quarũ vna eſt ea cui incumbit vrinam in cauitate continere retinens appellatas, ac operans ope fibrarum tranſuerſarum, quas intendit vt retentionem moliatur. Secunda eſt ſentiens,per totum veſicæ corpus diſperſa, qua vtitur ad percipiendam qualitatem aut copiã vrinæ,vt expellat natura ſtatis temporibus: quippe niſi moleſtiæ ſenſus præcedat,nulla fiet vrinæ excretio. Tertia verò & vltima eſt motiua animalis in muſculo colli ſita,cuius miniſterium eſt continere vrinam,aut vt propriùs loquar cohibere ne citra animalis imperium exeat. Quibus ſuppoſitis ſtatuendum eſt,vt antea dixerã impropriè dictum eſſe,primam facultatem quæ merè naturalis eſt,reſolui,neque dum imbecilla redditur(quod illi proprius eſt) mictum efficit inuoluntarium,ſed forſan indoloroſum ſtillicidium, quòd ipſa ociãte aut nequeunte continere,expultrix aliquid exprimere ſemper nitatur,adeo vt ſtillatim vrina fluat: nos autem id ſymptoma impropriam vrinæ incontinentiam vocabimus. Præterea,neque admodum propriè adhuc dicitur, ſentientem facultatem veſicę reſolui,cùm id propriùs de motiua intelligi debeat,præterquam quòd illa reſoluta,potiùs cohibet eius naturalem & conſuetum effluxum, quia cùm natura moleſtiam non percipit,non excitatur ad expulſionem. Quo fit vt propria reſolutio muſculo veſicæ debeatur,quippe vel homine ſomno graui oppreſſo, vel delirio correpto continere vrinam nequit vel muſculo acrimonia,putredine aut ſalſugine humori laceſsito vel irritato dilatari cogitur, & ſic vrinã permittit defluere:vltimò verò ipſo reſoluto:quam ſane reſolutionem multis modis fieri euidentiſsimum eſt. Primo quidem à frigore denſante ſpiritus animales & canales

aut

aut neruos per quos deferuntur,item neruorum fibras quibus muſculus intertexitur,dummodo frigiditas hæc calorem nata ſit extinguere,alioqui potiùs retentionem & compreſsionem vrinæ molietur:nam ſicuti frigidi eſt condenſare dum extrinſecus occurſat,ita mortificare dum intus permeat,maximè ſi cum humiditate adiungatur,nam hac lege ſenibus accidit inuoluntarius mictus, & his qui in locis frigidis & humidis degunt:ſecundo obſtructis meatibus vel humore imbibito,laxiori facta neruoſa ſubſtantia, aut plus iuſto repleta, quo ineptum redditur inſtrumentum ad continendam vrinã. Quæ ſanè reſolutio fit vno è quatuor modis,nimirum obſtructis reliquis neruis: aliquando obſtructo ſolo hoc neruo qui ad hanc partem peruenit: ſæpius verò ſequitur obſtructionẽ priorum neruorum à quibus hic deriuatur:tertio contingit læſo neruo per compreſsionem aut dilacerationẽ factã à re ſoluente vel comprimente, vt Gal.retulit 6.de locis cap.4.accidiſſe cuidam,qui ex luxatis vertebris ſpinæ inferioris è regione veſicæ, comprimebatur neruus proprius ad hunc muſculum pertingens:quarto verò vitio iſtius muſculi accidit vrinæ incontinetia,nimirũ quando muſculus is tranſuerſus aut dilaceratus ob grandioris veſicæ lapidis extractionem aut artificis imperitiã,qui ſcindẽdo muſculũ attingit,aut extrahendo lapidem dilacerat. Quo fit vt quãuis vulnus curetur & ad conſolidationẽ ducatur,ſemper tamen hoc incõmodum homini inſit,vt vrinã continere nequeat,ſed fluat ipſo nolente. Itaq; hos læſionis modos inſpicere oportet,& cõſiderare an ab externo frigore,caſu, percuſsione aut dilacerationе vel luxatione proueniat: an ab iterna cauſa inflammante,obſtruente,laxante aut replente muſculum vel eius neruum,modò in exortu,modò verò intra muſculum ipſum. Adijcies tamen prędictis cauſis aliã,quã Hipp.lib. de Coacis præſcribit dicens: Quibus incogitanter vrina procedit,& pudendum retrahitur,de ſpe depoſiti ſunt: qua ſententia ſtatuendum eſt,ipſum intelligere,non de veſicæ aut muſculi colli eius paralyſi ſeu reſolutione,ſed de totius corporis,& maximè veſicę mortificatione,ab extincto calore vel totius,vt in his qui morti ſunt proximi, vel partiũ illarum,vt in his quibus ex vlcere,vel tumore,vel caſu aut ictu corrumpitur ſubſtantia,emoritur calor. Sed mirandum eſt,quo modo cohæreat ſententia hæc cũ ea quam adduximus cap. de ſuppreſsione vrinæ ex eodẽ Hipp.etiã in Coacis præ. vbi hæc refert verba. Ex perfrigeratione intercepta vrina peſsimum: qua parte intelligendum eſt de perfrigeratione,quæ fit per emortuum calorem ipſius partis aut totius. Ex quo ſubit dubitandi ratio,quomodo ex vna & eâdem cauſa adeo diuerſi ſuboriãtur effectus, ac ſuppreſsio vrinæ & eius inuoluntarius fluor. Cui dubitationi dicimus,textum hunc vltimum intelligendum eſſe de perfrigeratione quæ ſolùm lædit ſenſificam veſicæ facultatem, alterum verò precedentis capitis,de ea perfrigeratione quę omnes interficit & perdit,& ſic in illo ſolùm dicit peſſimũ eſſe,in hoc verò,hoc eſt in primo, de ſpe depoſiti ſunt,quia nequeũt ſanitato reſtitui,ſicut hi quibus ſolùm ſentiens facultas reſoluitur. Quas ſanè cauſas facilè colliges ex diligenti interrogatione vitæ anteactæ, atque etiam ab his quæ præceſſerunt & adſunt. Cauſæ verò quæ noctu & inter dormiendum vrinam fluere cogunt, vim habent plerunque in pueris & humidioribus naturis, ſunt tamen longè inefficaciores & debiles quàm præcedentes: & ob id inter dormiendum meiere,ſignum eſt minoris mali prædicti muſculi,& facilioris cauſæ, quàm dum inuoluntariè fit mictio,idque ob triplicem rationem: vna quia fit inter dormiendum,dum ſic affecti profundiori corripiuntur ſomno, quippe tunc minus eſt animalis potentia actionibus intenta,& ob id minus reſiſtit actibus naturalis poten-

potentiæ expellentis: ſecunda quia ſic afficiuntur, qui abundantiores humiditate exiſtunt,quo fit,vt muſculus facilius reſoluatur,& vrina ſit abundãtior:tertia quia ſic affecti admixtam habent cum vrinæ copia acrimoniam & mordacitatem, qua perſentita excitatur ad expulſionem facultas tempore ſomni,quo motiua ociatur magis quã reliquæ potentiæ,& ob id facile contingit his tribus cauſis ſimul coeuntibus vrinam inuoluntariè fluere inter dormiendum: quia præterquam quòd muſculi potentia eo tempore ociatur,grauata retentrice veſicæ,& excitata quæ expellit, aſsiſtente etiam imaginatiua potẽtia,animal mouetur ad permiſsionem fluxus vrinæ,quo tempore vrina copioſè fluit,cæterum dum ſolùm eſt vitio muſculi,guttatim inſtillat citra vllum facultatum aliarum actum.

Præfatiõ. Accidit plerunq; vrinæ incontinentia pueris & valde ſenibus:illis ob immodicã humiditatem:his verò ob virtutis defectum à frigiditate impẽſa, quibus omnibus accidit potiſsimum,cum nimio potui indulgent,ſic enim dum dormiunt, tantam copiã continere nequeunt:ſed accidit omnibus,maximè dormientibus, ob adductas rationes,aliquando tamen prẹgnantibus dum fœtus eſt grandior. Verùm quę ex ictu, caſu, luxatione vel muſculi percuſsione ſuccreſcit cum inflammatione & alijs accidentibus,periculo non vacat,quinimo nullum admittit artis præſidium, neq; ab eo ſubſidium ſuſceptat,præſertim,ſi vt dictum eſt,ab emortua fiat facultate,quæ verò à muſculo ociante medio modo ſe habet.

Curandi ratio. Licèt quatuor ſtatuerim vitiorũ ſortes,quibus prædicta affectio ſuccreſcit, duas primas(quæ in frigiditate & humiditate muſculi claudentis veſicã, aut neruorum huic muneri ſeruientium ſita eſt) vna medẽdi ratione firmabis & corriges, nimirũ per ea auxilia,quę vim habeant calfaciendi,vel exſiccãdi & calfaciendi ſimul. Reliquas verò duas quę in ſoluta vnitate ſitæ exiſtunt,vnam etiam communemq; exoptant,leui tamẽ diſsidio differentẽ. Si igitur ita accidat,quòd vel neruus vel prædictus muſculus humore frigido abũdet,ita vt vel facultas permeare ad inſtrumentũ liberè non poſsit,aut ſi tranſierit,muſculus ſit adeo laxus,mollis & infirmior factus, quòd vndiq; veſicæ os claudere ac premere non poſsit:tunc profecto, præmiſſa victus inſtitutione,quæ exſiccandi & calfaciẽdi vires ſortiatur (qualis eſt ex paſſulis, pane bis cocto,carnibus pullorũ,caponum,perdicũ, turturum & cuniculorũ aſsis, aut elixis cum dauco,cinnamomo,aniſo,coriãdro præparato & caryophyllis: cum potu etiã ex aqua decocta radice Chinę,ſaſafraſa Indica,ſparta parella,aniſo vel cinnamomo,parca etiã inſtituta cœna ex ouis ſorbilibꝰ cũ puluere cinnamomi aut pyris aſsis cũ modico vino) ante omne aliud auxiliũ ſtudebis exactè venari occaſionẽ,ne prẹſtiterit aliqua ſuppreſſa & cõſueta vacuatio:nã iuxta cuiuſq; naturã iterũ reuocare ſtudebis,ac ſi id fieri nõ poſsit, corpus purgabis, ſi cacochymiam cauſam eſſe cõſtiterit,eo pharmaco quod illi è directo reſpõdeat. Si tamẽ mẽſes aut hæmorrhoides ſuppreſſæ fuerint,tũc quidẽ ſanguinẽ mittes,ſi eos reuocare ita facilè nõ ſit poſsibile,ex talo parcè & per interualla,quæ tũc ſat ſit copiã deponere,ac ſi crudior iã ſãguis cohibitꝰ factus fuerit,vt nõ rarò aſſolet,parciùs ſanguinẽ detrahes,& mox purgabis infuſo foliorũ ſenæ cũ ſyrupo roſarũ rubrarũ ex infuſionibus, vel modico rhabarbaro,aut diluto corticũ mirabolanorũ cum aqua deaurata & prædicto ſerapio:poſtmodũ verò ad ea quæ partẽ roborãt(vt mox leges)deueniendũ erit. Verũ ſi ex defluxu pituitæ fluxilis quæ ſemp defluat,aut craſſę quę ibidẽ imbibita,prędicta mala efficiat,morbus ſuboriatur,cauẽdũ erit à ſanguinis detractione,niſi corpꝰ pari põſu ſanguine abũdauerit, quinimo p̃miſſa p̃paratione ex rhodomelle diluto aqua ſaſafraſę aut radicis chinę aut ex ſyrupo ſtęchados cũ modico oximellite,vel roſarũ

cum decoctione ligni guayaci, corpus purgabis his quæ pituitam educũt, vt infuso agarici, foliorum senæ & expressione seminis cartami cũ syrupo ex. 9. infusionibus. Quem quoque vsum præstant pilulæ de agarico, aggregatiuæ aut confectæ ex rha barbaro, agarico & mastiche: cui etiam affectioni prodesse scimus. ʒ. j. pulueris mechoacani Indici cum vino aut iure pulli: prodest & purgatio ex conserua rosarum Persicarum, cum succo etiam rosarum confecta. Sed facta quauis harum purgationum, deinceps paulatim vacuare studebis, exhibito infuso. ℈. ij. agarici in liquore 9. infusionum rosarum, aut cum prunis damascenis, decocto foliorum senæ & saccharo conditis, vel apozemate ex his & ligno guayaco, radice Chinæ & sasafrasa Indica. Quibus factis, exercitio vt par est imperato, corpore ieiuno, quod in parte impactum est studebis discutere, & si quid adhuc in corpore supereſt, diuertere à parte affecta, & tandem resoluere & conterere, in quo munere vti poteris sudationibus ex ligno guyaco, sparta parella, radice Chinæ, aut ex decocto sasafrasæ: item balneis sulphureis naturalibus vel arte factis: tandem fontanella, si humor à capite fluat, brachijs erit affigenda, sin aliter altero crurum. Interim tamen dum hæc fiũt, intus & extra studendum est, quod supereſt aut parti est impactum discutere: quorum primum facies theriacæ. ʒ. j. in aqua sasafrasæ vel myrti granorum aut vino liquata: item castorei. g. viij. cum aqua borraginis. Prodest etiam ad cohibendum vrinæ fluxum, puluis qui recipit granorum myrti, glandium torrefactorum, corticum thuris, cimini, ciperi ana partes æquales, fiat puluis & detur. ʒ. j. cũ vino. Valet etiam confectio quę recipit nucis cupressi, thuris, myrtillorũ, cimini torrefacti, fimi columbarum ana. ʒ. iij. succini, coralli rubei, rosarum rubearum ana. ʒ. ij. conserua cytoniorum quod sufficiat, fiat confectio; cuius sumat laborans. ʒ. ij. Ferunt etiam prodesse ad compressionem prædicti musculi, & discussionem eius quod ibidẽ impactum est, aut ad calfaciendum, si causa solùm frigiditate lædit, inunctiones, fomenta, insessiones & clysmata rerum calidarum: cuius census est inunctio ex oleo vulpino, costino, de pipere, de belzoino, de stirace, de abiete, de ruta, balsamo aut petroleo, vel oleo hypericonis, de rore marino, vel eo quod ex ligno guayaco extrahitur, vel de cinnamomo, caryophyllis aut aniso extractis arte chimica: ex quibus cum ladano aut cera possunt fieri vnguenta vel cerata huic vsui proficua. Item in sessiones aut fomenta parari possunt ex vino decoctionis roris marini, anisi, dauci, cimini, camemali, pulegij, anethi, saluiæ, ligni guayaci & amaraci cum granis myrti: prodest & partes vicinas perfricare aqua vitæ, decocto guayaci aut malicorij, vel maioranæ in vino. Clysteria etiã parabis, quæ maximi momẽti solẽt esse, velut est id quod recipit. ℥. viij. decocti saluiæ, rutæ, primulæ veris, myrrhæ, camemali, stœchados, olei castorei & omphancini ana. ℥. ij. Cui simile est, quod conficitur ex decocto rosarum siccarum, maioranæ, saluię & malicorij. ℥. viij. olei myrtini. ℥. ij. aliud item conficies, ex eodem decocto & modica theriaca. Sunt insuper quædam quæ potui data vrinæ fluorem cohibent, velut est leporis testiculus tostus ex vino odorato, vel potio calaminthæ & myrrhæ ante cœnam: item pulmo hœdi, lingua anseris, galli guttur, vesica suilla, tauri & capræ: sed satius est probata & rationalia præsidia adhibere, quàm hæc quæ minoris arbitror esse momenti.

Verùm si ex vertebrarum luxatione, aut dilaceratione musculi vesicam claudẽtis, vrinæ incontinentia succrescat, longe aliter rẽ agere oportet. Quippe dũ ex vertebrarũ luxatione prodit (licèt curatu sit difficilior & periculosior) studẽdũ est ante omne aliud auxiliũ, luxatas vertebras reducere, ac si id fieri ita facilè non possit, qđ in articulis aliquid humoris induruerit, emollientibus dorsum lenire oportet, & postea

postea ipsum dirigere, ac tandem quod ibidẽ imbibitum est, balneis sulphureis, frictionibus asperis, inunctionibus dictis profligare oportet. At si id non profuerit, lũbis, perineo & pectini ea præsidia sunt adhibenda, quæ resoluendi, roborandi ac firmandi prædictas partes vires habeant: qualia sunt quæ nuper diximus & capite de paralysi abũde scripta reperies. In dilaceratione verò prædicti musculi, si ex lapidis extractione fiat, oleo ex terebinthina vtendum est, aut eo quod apud nos de Aparicio appellatur, mirabilis profectò efficaciæ in neruorum & musculorum solutionibus, superpositis emplastris aut oleis adstringentibus, velut emplastrum quod conficitur ex oleo omphancino, rosaceo, myrtino & pulueribus rosarum & myrti cum albumine oui, aut cum cera facto linimento. Præstat emplastrum ex vino adstringenti cum pulueribus rosarum myrtillorum corticum mali granati, boli armeni, terræ sigillatæ & sanguinis draconis, aut ceratum ex eisdem cum oleo rosarum. Verùm si ex ictu aut casu affectio prodeat, priùs sanguine misso ex brachio, ac postea ex talo, solo albumine oui cum rosaceo & myrtino oleo ac pulueribus rosarum & myrtillorum rem ages, postea verò, superpositio cerato ex rosaceo & bolo armeno, sanguine draconis & myrtillis, vltimò tamen si intemperies supersit, cerato ex lithargyrio.

Eis verò qui inter dormiendum in lecto mingunt, ferè eadem quæ prædictis ex paralysi vesicæ affectis, prodesse poterunt. Verùm ne tibi adhuc specialiùs desit præsidiorum copia, curabis, parciori potu instituto, eoque ex aqua decocta anisо vel radice Chinæ, & præstito cibo exsiccanti ex passulis, amygdalis tostis & assis carnibus, diligẽter exquirere, an humidius solito & debito corpus exist at: quo tempore institues purgationem per epicrasim factam, in pueris ex conserua rosarum Persicarum, aut lacte seminis cartami, vel infuso foliorum senæ cum syrupo de rosis rubeis: in adultioribus verò cum pilulis de hiera, aggregatiuis, mastichinis, aut ex rhabarbaro & agrico & mastiche, ac vltimò eis, quas Barbarorum nonnulli plurimum laudant, quæ recipiunt myrrhæ, castorei, costi, cupularum glandium, pirethri ana. ʒ. ij. & ℔. terantur & conficiantur cum succo myrti. Quo facto si non profit, corpus sudatorijs auxilijs leuioribus committes, frictionibus asperioribus, exercitijs, & his omnibus quibus corpus exsiccari contingit. Postea verò perineum & pubem inunges prædictis auxilijs, maximè cum theriaca & oleo belzoini: item cum oleo rutæ & abietis, superspargis pulueribus boli, sanguinis draconis, myrtillorum, mastichis, rosarum, stœchados, maioranæ & myrrhæ: prodest etiam inunctio cum sanguine vulpis, maximè si ex paralysi prædicti musculi affectio suboriatur. Oportet insuper partem fouere & euaporationem excipere ex decocto saluiæ, herbæ paralysis, rutæ, corticis quercus & corticis pini ac mespili ana. m. ij. ligni guayaci. p. ij. coquantur in lixiuio aut vino: eiusdem quoque vsus exist unt fotus ex decocto guayaci cum rore marino, maiorana & corticibus pini. Item ex vsu est sumere in prima mensa glandes & amygdalas tostas. Curandum insuper est bis terue noctu laborantem excitare, vt vrinam reddere securiùs possit: præterea theriacæ aut mythridati. ℈. j. porrigere poteris, præsertim pueris & puellis pituitosis:

item oleis paulo ante scriptis, quæ arte chimica extrahi diximus, bis die perineum & pubem inunges.

De diabete. Caput. XVI.

ESe iam offert tertia & vltima sors eorũ symptomatũ, quæ in excretione vrinæ cõtingere antea dictum est: nam cùm euidẽtissimum sit, vesicę actionem in meiendi munere aliquando aboleri ex toto, nõnunquam verò imminui, ac non rarò vitiari, in hoc vitiato actionis genere sitam esse eam affectionẽ, quã Medici diabetẽ appellant, nulli esse dubium arbitror. Quippe non minus vitiatum aut minoris momenti vitiũ existit quod in adaucta actione situ est, quã quouis alio modo. Quapropter statuendum est, diabetem esse subitam potus omnis per vrinas cum magna siti profusionem. Cuius diffinitionis occasione, tria huic affectioni nomina succrescunt, & triplicem ob id præstant considerationẽ curationi summopere necessariam: quippe ob subitum & celerem transitum diabetes nuncupatur, nam ea est huius nominis interpretatio: celeriter enim trahitur, & longè celeriùs defluere permittitur, ita vt ob id necessum sit, celerrimum efficere transitum ab ore in matulam ipsam: sic enim dum potus ingestus est, ita excernitur per vesicam, aut nihil vel parum immutatus, quo fit vt sola hac ratione diabetes nuncupetur. Statuitur secundo in definitione, esse trãsitum potus omnis, ex quo prodit copiosam colligi in matula vrinam, adeo vt iure optimo hydrops matulæ nuncupetur: nam sicut in hydrope naturalis inter omentum & peritoneum cauitas aqua perpetuo fluxu impletur, ita profectò matula frequenti & copioso mictu plena semper supereſt: quo fit vt multi diffinerint prædictam affectionem esse profluuium vrinæ, vi renum raptæ, vbi potioni cõcolor est ipsa vrina, fusa toto corpore materia, aut à capite, aut seri copia. Quam sanè sententiam tuetur Areteus diffiniens esse carnium & membrorum in vrinam colliquationem, ob quam summa totius corporis macies, & copiosior multo vrina redditur, quàm potus sit: quia non id solùm quod bibitur protinus crudũ meitur, sed humor etiam copiosus à renibus colliquato corpore trahitur, in quo sanè præcipuam diabetis rationem cõsistere arbitror, & ob id etiã hydrops matulæ dicitur. Tertiò statuitur in prædicta diffinitione, diabetem esse magnam & subitam vrinæ profusionẽ, tamen cũ magna siti: cuius accidentis occasione Medici ferè omnes dipsacum appellarũt: nã cùm renes perpetuo trahẽdi desiderio teneantur, & incessanter à iecore omnẽ humorem alliciant atq; à venis, & hæ à vẽtriculo, & huiusmodi motus sine intermissione patiatur natura, fit profectò vt implacabili siti premãtur laborãtes, cuius occasione dipsacus nũcupatur hic affectus, hoc est quasi vehemẽter sitiens. Itaq; à celeritate motus diabetes, à copia excretæ substãtiæ hydrops, & ab accidẽti quod sequitur, dipsacus nuncupatur.

Neq; immerito profecto antiquitas hæc tria nomina huic affectioni præstitit, nam iuxta cuiusq; rationẽ vna prodit consideratio, ita vt magni admodum momẽti tres insurgant considerationes, quibus integrati vniuersam huius affectionis naturam euidentissimum existit. Prima sanè prodit ex celeri transitu eius quod potatur: ex qua diabetes similis est lienteriæ. Nam sicut in hac cibus qui ingeritur citra vllam transmutationem eijcitur, patientibus ventriculo & intestinis, ita prorsus in diabete, vt ex Gal. 6. de locis, &. 1. de crisibus capit. 12. euidenter constat renes præcipuè ac nõ rarò vesicam affici. Cum hoc tamen non cuilibet lienteriæ diabetẽ conferre licebit, sed ei tantũ, quæ vehementissimam quoq; cibi appetentiam,

tiam, caninam appellatam, sibi adiunctam habet: nam sicut hi qui canina appetentia vexantur, affatim impleti, paulo post euomunt, aut alui fluore corripiuntur, nõ valente ventriculo ipso deuoratorum pondus ferre, ita prorsus renibus ac vesica accidere coniectandum est. Quippe ad modum caninæ appetentiæ ventriculi, renes quoque ipsi auidissimè multum serosæ substantiæ alliciunt, & cùm eam non possint continere neque conficere, protinus pellunt ad vesicam. Interest tamen differentia, quòd lyenteria, quæ comitem habet caninam famem, paulatim videtur contrahi, cùm manifestè constet quando incipit, & rursus quãdo increscat ac vigeat: in diabete verò non item, imo videtur repente ferè oriri & consistere. Cuius dubij rationem reddẽs Galen. statuit, cibi appetitum qui in ore stat ventriculi animalem esse appetentiam, quæ sine sensu esse nequit: renum verò quibus incũbit serosum humorem attrahere, appetitum naturalem esse, & citra sensus aliquã perceptionem fieri, ideoque principium & incrementum prædicti appetitus, non ita facilè animaduertimus, quia sensum latet, & ob id repente fieri iudicamus, quã uis etiam sua tempora sortiatur.

Secunda consideratio prodit ex immodica copia, non ingestæ substantiæ modò, sed etiam excretæ: quorum alterum à læsione vnius potentiæ, & reliquum à læsione alterius prodire est compertum. Nam vt antea diximus, aliud in hoc affectu est, celerem esse eorum quæ ingeruntur transitum, & aliud, copiosum quod ingeritur & appetitur. Quippe celer transitus causa est copiosæ excretionis, siquidem plurimum trahitur & nihil detinetur, & ob id plurimum meitur. Sed vehementis tractionis causa non ita in promptu est (mox tamen leges) tractum verò esse copiosum prodit, non solùm quòd ingestum sit plurimum, sed quòd corpus quoque colliquari accidat ac sanguinem exsuccari. Quæ sanè cõsideratio tanti est momẽti, vt nulla medendi ratio proficua sit arbitranda, si citra eam procedere institueris: quippe hæc modum ponit appetitui, & corpus præcauet, & vniuersam ferè curandi rationem moderatur ac dirigit.

Tertia verò & vltima consideratio versatur circa sitim, quæ ex celeri transitu serosæ & potulentæ substantiæ, ac ex vberrima eius profusione succrescit. In qua quidem consideratione sciendum est, renes interdum vehementi appetitu trahẽdi vrinam vexari, quem cùm exequantur, copiosum serum ad se alliciunt, sed mox attractum præ imbecillitate continere adseruareque nec momento temporis queunt, & ob id statim ad vesicam per vreteras delabi sinunt: quem postea vesica eius põdere excitata excernit, sed vbi iam à renibus decesit vrina, iterum inaniti trahunt è proximis venis serosum humorem, qui sanguini mixtus erat, quo vbi sanguis fuerit destitutus, vasa eum continentia exsiccata à iecore trahunt, iecur verò à ventriculo & intestinis, quo exsiccantur venæ ventriculi, præsertim quæ ad os eius attinent, quo fit vt ab indigentia & appetitu naturali renum, prædicto modo potus desiderium & appetitus animalis excitetur. Fit igitur quasi repetitus circulus, quia statim ex ventriculo iecur rapit epotum humorem, & à iecore venæ, à venis renes, vnde fit vt assiduè sitiant, nec potu satiari possint, & plurimam subinde vrinæ copiam excernant. Atque licèt verum sit, appetitum quoque succrescere huic affectioni, cum hoc tamen statuendum est nos latere eius principium, quia non protinus ac incipit copiosus mictus, sitis quoque succrescit, sed dũ corpus & humores humiditate & naturali sero priuantur, & ob id dictum est repente ferè suboriri.

His tribus considerationibus præhabitis, expendenda nunc est huius affectionis

natura,ſita quidem in renibus ipſis tanquam in propria ſede,licèt Gale.eius etiam principium veſicam quodammodo ſtatuat, ſcribens hunc renum veſicæque affectum,ſimilem eſſe ventriculi inteſtinorumque læuitati. Conſentit quidem quodammodo veſica & copia vrinæ premitur, cum hoc tamẽ neque ipſe morbus nec morbi cauſa eſt in veſica,ſed in ſolis renibus.Eſt autem attrahendæ vrinæ inexplebilis cupiditas,& retinendi impotentia:ex qua concluſione conſtat,diabetem eſſe ſymptoma in genere excretorum immodicè,excedens à naturali ſtatu quantitate & qualitate,ac inſequens noxam functionis ipſorum renum.Ex hac quidem ſequela,ſciſcitandum ſupereſt,ſuppoſito,ſymptoma eſſe facultatum quæ in renibus vigent, cuinam proprium exiſtat,& rurſus à quo morbo prodeat. In qua dubitatione,licèt Galen.diuerſis in locis varius videatur in recenſendis potentijs quæ læduntur,rei tamen veritas eſt,eandem ſententiam vbique tueri & docere.Nam ſtatuerat 6.de locis attractricem & retinentem ſummopere lædi,& ob id neceſsitate huius dicti coactus lib.1. de criſibus addidit, concoquentem & retinentem veluti extinctas eſſe in hac affectione,quo fit vt tum ex eius mẽte,tum vltimò, ex ipſius affectionis natura conſtet,neceſſariò omnes tres facultates oblædi,concoctricem nimirum,attrahentem & retentricem. Nam cùm in diabete celeris futurus ſit ſeroſæ ſubſtantiæ tranſitus,oportuit retentricem languidam eſſe: quippe ſi munere ſuo fungeretur, cohiberet vtique vrinæ celerem exitum, ac ex conſequenti non conſtaret affectio ex celeri trãſitu. Pari prorſus ratione oportuit,coctoriam renum extinctam apparere,cùm nullum ſui muneris exequatur finem,quia retinens quæ illi miniſtrat,omnino ab actione deſiſtit. Verum ſi quis diligentiùs expendat Gale. ſententiam de coctrice læſa in diabete, proculdubio reperiet, non potuiſſe intelligere in verbis lib.1. de criſibus.de coctrice renum,ſed de venoſi generis & iecoris coctrice : nam renes præterquam quòd vrinam non concoquunt ſi obtinuiſſent propriam coctricem,qua alimentum ſibi conficiunt,languidã,proculdubio vrina potiùs excerneretur ſanguinolenta quàm tenuis & clara, & ob id credendum eſt ſolùm intellexiſſe de venarum ac iecoris coctrice . Credibile enim non videtur coctoriam renum labefactari,cùm vrinam renes non conficiant,& eorum coctricem ſolùm nutritioni ſubſeruire,licèt alijs aliter videatur,& renum coctricem appellemus aliquando,ſequuti Gale. loquendi modum. Item ex neceſsitate naturæ eiuſdem affectionis prodit, attractricem eſſe ſummè irritatam ab ingenti appetitu: nam cùm naturam diabetis integrari conſtet,non modò ex celeri tranſitu,ſed ex copioſo mictu, neceſſum vtique erat,copioſum potum expetere, & omnem ſucculentam ſanguinis & corporis ſubſtantiam allicere & trahere,vt appetitui ſatisfacere potuiſſet:quibus accedit expellentem quoque præ ponderе aut acrimonia excitari ad celeriorem pulſum. Quo fit vt omnes oblædi opus ſit, & his omnibus modis renes infirmari,vt diabeticum affectum gignere poſsint,vt expreſſerat 7.metho.cap.8.

Cauſæ. Cauſas huius affectionis,varias,diuerſas ac ſæpe contrarias reperies apud authores ſcriptas:quippe Areteus inter Græcos præſtantiſsimus,fieri à frigiditate ſtatuit: nec deſunt inter Arabes qui id quoque aſſerant: Paulus à calore : Ætius à calore cum humorum mordacium affluxu. Quam ſanè varietatem cenſeo ortam fuiſſe à Galen.qui nullibi,quod ego legerim,cauſas diabetis integrè expreſsit. Cæterum ſtatuendum eſt,tot eſſe cauſarum differentias, quot potentiarum diuerſarum læſiones.Quapropter ſtatuendum eſt,vehementis tractionis renum cauſam eſſe eorum ſcalidam intemperiem,vt Alexandro & Paulo viſum fuit. Celeris verò vrinæ tranſitus

tranſitus genuina exiſtit cauſa,idem calor, qui deijcit retinentem facultatem, ſed potiſsimum immodica vrinæ copia,eiuſque cum prædicto calore humiditas,quorum alterum facultatem infirmat, alterum verò grauat, quouſque permittat defluere.At expultricem etiam ad celeriorem pulſum laceſsit affluxus humorum bilioſorum,& ſalſedinem præ ſe ferentium: nam ex mordicatione illa & graui etiam vrinæ pondere, gliſcit hæc potentia ad expellendum , non reluctante retentrice. Præterea appetitum excitat naturalem attrahendi vrinam in ipſis renibus,tum humiditatis,tum ipſius vrinæ inanitio & indigentia,quæ neceſſariò ſequitur ex celeri eius tranſitu . Quòd ſi aliquando concoctrix facultas (vbi aliquid vrinæ ibidem immoretur)non poſsit ſuum munus perficere,mirum non eſt,ſi ſtatuerint Barbari Medici cum Areteo,morbi frigidi occaſione fieri,nimirum defectu caloris innati & eius extinctione, quo coctionem partes contradictæ moliuntur: verùm prædictam caloris priuationem ſeu refrigerationem contractam fuiſſe plerunque vi caloris præter naturam exurentis,haud ſecus quàm hydropem aliquando in fine febrium ardentium fieri dictum eſt.Cum hoc tamen non deſunt ex iunioribus qui ex frigiditate poſitiua ſuboriri ſtatuant, & probent euentu in his qui potibus nimium refrigeratis niue vtuntur : in quibus vel calorem coquentem venarum & iecoris extingui contingit,(quo facillimum eſt conijcere velut crudum protinus, vt in lienteria proijci) vel renum attracticem plurimum excitari,ab ingẽti renum appetitu ex prędicta frigiditate,haud ſecus ſecus quàm in fame canina cibi appetitus in ventriculo excitatur : referuntque id ad duarum facultatum renum impotentiam ſeu vitium, ex immodica illa frigidi intemperantia. Quod ſe arbitrantur probaſſe ex Galen.7. metho. cap.8. vbi omnem actum cuiuſuis partis ex duarum qualitatum intemperantia deijci ſtatuit. Sed ne quis horum rationibus deceptus vt iacet hanc doctrinam ſectetur, cùm frigiditas in renibus nequeat eo modo ac in ventre appetitum excitare (cùm in hoc ſit animalis & in renibus naturalis) præter quam quòd tractus in hac cauſa alia ratione fit ac in legitimo dipſaco (dupliciter enim fieri ſtatuendum eſt : vno illegitimè,copioſa redundante ſerea humiditate: aliò verò legitimè & propriè,virtutibus renum malè affectis.) Nam refrigeratis iecore & venis,veriſimum eſt crudam & copioſam vrinam gigni, quam trahentes renes protinus reijciunt, tum ratione ponderis, tum quia diſsimilis eſt ,& nullum inde capeſcunt alimentum,quo fit vt auidiùs trahere gliſcant, & cum tractum ſit eiuſdem naturæ eodem modo proijciunt & iterum trahũt,ac ſic in perpetuo verſantur tractu, quantum ſat ſit ad ſpurium dipſacum factum citra trahentis vitium, licèt plurimum trahat, quia non trahit ex intemperie ſed ex indigentia: qua lege intelligere oportet eos qui ex frigida cauſa diabetẽ oriri ſtatuunt,& hinc eſt quòd etiam fami caninæ aſsimiletur . Quo fit vt mirandum non ſit, ſi adeo varios morbos variaſque cauſas adduxerint authores in diabete, ſiquidem variæ oblæduntur facultates,& varijs modis.Supereſt tamen caloris præter naturam varias poſſe eſſe occaſiones & cauſas: internas quidem vt febres ardẽres:externas verò vt ciborum acrium, calidorum & mordacium eſus , vel vini potentioris immodicus vſus, aut adhæſus ignis iuxta renes,inſolatus, vel immoderatum exercitium.Humorum verò acrium,mordacium,ſalſuginoſorum affluxus vel ex toto vel ex iecore nimium ſcalfactis,aut à cerebro ſalſam pituitam inſtillante , nec non à prauo vitæ & victus inſtituto.

Signa. Signis profectò videbatur opus non eſſe,cùm affectio cognitu facilis ſua natura exiſtat:verùm quia ipſi ſimilis quodammodo eſt vrinæ fluor,oportet diſiungere &

ſignis vtrunque diſtinguere. In primis itaq; vrina copioſior multo redditur, quàm potus fuerit (quod in fluore vrinæ non accidit) quia corporis colliquationem ſibi habet adiunctam: item cum dolore aliquando vrina excernitur, vt ſcribit Aretæus, quod in fluore non reperitur. Sic & viſcera ipſis vri videntur, omnia faſtidiunt, animo ſunt dubio, ſaliuam habent albam & ſpumantem, præcordia grauia & ſitim incompeſcibilem, ac ſi ampliùs increſcat morbus, calor mordax in viſceribus ſentitur, ex perenni & violenta ſeri attractione, abdomen corrugatur, venæ intumeſcunt, & qui ſic afficiuntur tabidi fiunt ex vi trahendi venarum immodica, qua totum corpus neceſſaria fraudatur ſubſtantia. Quòd ſi vel modico tempore ab excretione vrinæ abſtinuerint, tument lumbi, teſtes & ilia, haud ſecus quàm in hydrope, quod ſerum in prædictas partes inſtillet. In ſumma acutus & grauiſsimus pernicioſuſque exiſtit morbus, & qui cito & grauibus ſymptomatis interficit.

Curandi ratio.

Curandi rationem huic affectioni proficuam, neque vnam neque ſufficienter efficacem inuenire hucuſque authores valuerunt: cuius difficultatis cauſam eſſe arbitror, quòd facultates variæ ab vna ſolùm intemperantia oblædantur, quæ licèt vna ſit, & ob id facilè ab vno contrario miteſcere oportuiſſet, varijs tamen conditionibus affecta, varios quoque læſionis modos fabrefacit: quippe ſola ſcalida & acris caliditas tractum molitur vehementem: hæc eadem aqueo ſero quem traxit admixta imbecillitatem retẽtrici præſtat, item eadem met cum vrinæ vel alicuius humoris mordacitate & acrimonia aut ſalſugine excretricem irritat & accelerat: præterea ipſa etiam caliditas calido innato conſumpto atq; reſoluto, frigiditatem gignit, qua concoctoria facultas iecoris & venarum infirmatur. Quo fit, vt licèt refrigeres attemperesque prædictam caliditatem, niſi modum etiam ſibi adiunctum compeſcas, nihil vtile & proficuum efficies: id autem efficere, quàm difficile ſit, præter authores etiam monſtrat euentus. Quapropter prudenti Medico opus eſt, qui præter id quòd ad menſuram refrigerare ſciat, reliquas etiam qualitates frenare poſsit citra alterius noxam. Sic etenim vt minus erres, conſiderare oportet, ſit ne ſola renum intemperantia (quod rariùs accidit) an cum aliquo ex bilioſis aut ſalſuginoſis ſuccis adiuncta: item an ibidem defluat vi & iudicio alicuius morbi febrilis, vel ex iecore calido & bilioſo, an toto corpore ad calorem intemperato, an vltimò ex capite ſalſam pituitam inſtillante. Quòd ſi ex nuda intemperie prodeat, eam curationem inſtitues, quam proficuam fore mox leges intemperantiæ cum affluxu materiæ, ipſa iam educta & conſumpta: & ob id ſat erit id ſemel ſcribere. Igitur ſi ex calidi, acris, aut ſalſuginoſi humoris in renibus imbibiti diabetes oriatur, triplex erit medendi ratio: vna quæ humorem educat: altera quæ humoris ſubſtantiam aliò transferat & diſcutiat: & tertia quæ renum calorem attemperet: nam triplex eſt læſionis modus qui ſuccreſcit ex prædicto calido ſucco: primus quidem eſt valida attractio: ſecundus ex vrinæ copia deiecta retentio, & tertius non mediocris expulſio ex ſuccorum acrimonia. Quarum affectionum neutra curari poteſt, prius quàm ſucci redundantia imminuatur, & ob id, ab ea ſimul cum leui attemperamento initium curationis auſpicari oportet. In quo opere, primò eum victum & vitæ modum inſtitues, quo & aluus ſoluta ſit, & animus à pathematis liber. Cui ea alimenta porriges, quæ parum ſeroſę humiditatis gignãt, & cum hoc quæ plurimum nutriant, cuius naturæ ſunt extrema animalium & auium: item aues montanæ, & ſilueſtres carnes recenter interfectæ, atque oua ſorbilia & ptyſana. Proſunt & olera quæ frigidæ ſint naturæ: vitanda quæ ſalſa ſunt & acria aut mordacia. Pro potu porriges aquam deauratam aut hordeo decoctam cũ vino

vino rubro & craſſo, cui addes ſuccum malorum punicorum aut decoctum pomorum ſeu pyrorum aſtrigentium. Poſtea verò ſiue à iecore, ſiue à toto corpore prodeat bilioſus aut acris & ſalſus humor, præmiſſa eiuſdem temperatione ſyrupo violaceo, borraginis, nenupharis, roſarum, de portulaca, de papauere & ſimilibus, cum aquis cucurbitæ, hordei, ſeridis, lactucæ & ſcariolæ, protinus & ante omne aliud auxilium, purgabis manna, caſia, & ſyrupo ex infuſionibus violarum cum infuſo mirabolanorum aut rhabarbari. Purgatione ſemel facta, antequam morbus vetuſtior fiat, venam ſecabis, parcè tamen & partitè, idque maximè ſi vitio iecoris ſcalfacti aut totius corporis affectio ſuccreſcat. Verùm ſi ex imbibitione humoris bilioſi & acris in renum corpore malum prodeat, ex talo ſanguinem mittere, magni fore momenti arbitror. Premiſsis his vacuationibus, interim dum interiem corrigere ſtudemus, paulatim oportet humorem peccantem ad ventrem & alias partes euocare, iuxta Hippoc. ſententiam. 4. aphor. vltimo, vbi ſtatuit quòd vrina multa noctu reddita, paruam ſignificat deiectionem alui: quo theoremate videtur ſignificaſſe, quòd in alui profluuijs, ſi humoris ab aluo ad veſicam fiat auerſio, alui profluuium miteſcet: atque etiam vice verſa, ſi immodica vrinæ excretio ſit, illi facilè ſubueniemus facta aluo citatiori & fluidiori. Quo fit vt iure optimo dixerit Gale. lib. de hirudinibus, reuulſione & cucurbitulis, vrinæ profluuia ad alui deiectiones & ſudores eſſe reuellenda, vt idem ſtatuerat. 6. epid. 2. ſed vtiliter inſtitues etiam bis aut ter in hebdomada vomere, maximè ſi à ſalſa pituita malum oriatur. Inſuper clyſmatis eſt agendum blandioribus, nonnunquam prædictis pharmacis per vices & interualla vtendum: cui vſui præſtat maſticare, bis aut ſemel in hebdomada. ℥. j. caſiæ fiſtulæ, & pulpam eius deuorare, ſuperbibita aqua hordei vel cucurbitæ.

Quibus factis, ſi humores aut auerti aut euocari omnino poſsibile non ſit, ſereã venarum ſubſtantiam ad cutem omni ingenio euocabis, vt faciliùs quod ſupereſt, continere poſsit natura. In quo opere ſudores mouere oportebit, vel radice chinę, vel decocto pentaphilli, aut florum papaueris erratici vel bugloſsi: tandem id tentabis medicamentis, quæ calida non ſint, ſed ſolùm tenuium partium, aut copioſo vapore turgentibus: quod etiam tutiſsimè mouere poteris cucurbita aqua calida plena & pedibus aut ſub alis admota. Idem etiam exequi poteris, & commodiùs profectò, balneis aquæ dulcis, quibus non ſolùm ad extima euocatur ſeroſum in venis contentum, ſed attemperatur etiam corpus vniuerſum & iecur. Item corpus fricabis ſummo manè diligẽter, præſertim manibus vnctis oleo amygdalarum dulcium, aut de ſemine cucurbitæ cum modico ſale aut nitro. Præterea exerceri coges laborantes, ac tandem illis potum imminues, non tamen adeo rigidè quòd ſitim tollerare deinceps nequeant. Quòd ſi hæc omnia prodeſſe non poſsint, ea deuoranda præſtabis, quę quodammodo vias coarctent & ſerum craſsiorem reddãt: cuius naturæ eſt ſanguinariæ vel plãtaginis ſuccus, ex vino nigro bis die præſtitus, aut palmularum decoctum, baccarum myrthi, pyrorum, meſpilorum & ſimphyti cum aqua tepida admixtum, maximè ſi inter coquendum vermes terreſtres addideris. Prodeſt & ſaccharum roſarum decoctum & admixtum terræ lemniæ, bolo trochiſcis de ſuccino, de ſpodio, cum ſyrupo ex ſucco omphãcij, myrtino, roſarum, ſiccarum & aqua plantaginis. Item exteriùs renibus adhibebis quæ conſimiles vires habeant, & cum hoc ipſorum feruorem attemperent: cuius naturæ eſt emplaſtrum quod recipit pampinorum vitis, ſummitatũ ſalicis, portulacæ, virgæ paſtoris, ſemperuiuij ana. m. j. poſt leuem coctionem piſtentur, & adde farinæ hordei lib. ſ. olei roſati

olei roſati & aceti.ana.ʒ.ij.fiat emplaſtrum quod actu frigidum prædictæ parti ad hibeatur. Præſtat & eidem apponere ſuccum ſolatri & pampinorum vitis cũ oleo omphancino & modico bolo armeno. Parabis etiam aliud quod recipit ſucci lactucæ, portulacæ, pampinorum vitis & vmbilici veneris.ana. ʒ.j. farinæ hordei ʒ.ſſ. gummi tragacanthi infuſi in aqua roſacea ʒ.iij. mucilaginis ſeminum cytoniorũ ʒ.iiij. olei roſacei & myrtini.ana.ʒ.j.& ſſ. hypociſtidis, balauſtiorum, corallorum rubeorum & rhu obſoniorum.ana.ϑ.ij. aceti & ceræ parum, vt fiat vnguentum. Ferunt etiam laminam plumbeam dorſo appoſitam mirum in modum prodeſſe.

Quòd ſi hæc adhuc non ſufficiant, intemperiem ſcalidam, ſiue ſola à principio perſtiterit, ſiue cum humoris affluxu (vbi copiam ſufficientem depoſueris) compeſcere & attemperare deinceps ſtudebis, præſtitis ſerapijs & apozematis quæ id valeant efficere, velut eſt ſyrupus violarũ cũ aqua cucurbitæ, aut ſyrupus portulacæ vel de mucilaginibus cum aqua hordei, tandẽ ptyſana aut puls ex farina hordei: proſunt apozemata ex aqua cucurbitæ & hordei cũ ſyrupo de roſis ſiccis aut de papauere & portulaca: item conſerua violarum, bugloſſæ, borraginis & roſarũ cum pulueribus electuarij de gemmis aut diamargaritonis frigidi. Sed exteriùs id quoque tentabis efficere, inunctis renibus, perineo & iecore, vnguento roſaceo, ſanthalorum, refrigerante Galen. de cucurbita & reſumptiuo. Præſtat & inunctio ex oleo roſaceo omphancino, cytoniorum, de papauere, myrtino aut nimphæę cũ modico aceto. Iecori etiam opitulatur quod recipit ſanthalorum omnium ʒ.ij. ſuccі plantaginis & cichorij.ana.ʒ.j. olei roſacei & myrtini.ana.ʒ.j.& ſſ. ceræ & aceti parum, ſupra quod adhibere poteris epithema quod recipit aquarum cucurbitæ, roſarum & portulacæ.ana ʒ iiij. aceti roſati ʒ j. ſanthalorum omnium & trochiſcorum de camphora.ana.ʒ.j. miſce. Ex vſu quoque eſt iecur & renes inungere eo quod recipit olei roſarum & myrtillorum.ana.ʒ.j. vnguenti de cucurbita ʒ.ſſ. pulueris coralli, turis & ſanguinis draconis.ana.ʒ.j. ceræ quod ſufficiat. Quòd ſi placuerit dorſo cataplaſma affigere, recipe foliorum hyoſcyami, papaueris, ſolani ac roſarum.ana.m.j. portulacæ & vmbilici veneris.ana.m.ſſ. ſanthalorum, corallorũ rubeorum & balauſtiorum.ana ʒ.j. olei roſacei, ſeminis cucurbitæ & cytoniorũ, ana.ʒ.j. contundãtur quæ contundi poſſunt, & miſceantur cum ſucco ſolani & modico aceto, ac fiat cataplaſma. Verùm ſi hæc non proſint, ad narcotica deuenire conſulit vrgentiæ ratio: cui vſui præſtabis laboranti id quod recipit carnis cytoniorum & conſeruæ roſarum.ana.ʒ j. mucaginis tragacanthi & ſeminis cytoniorum extractæ aqua roſarum.ana.ʒ.ſſ. amyli ʒ.iij. boli armeni & ſanguinis draconis.ana.ʒ.j. miſce & cum ſyrupo papaueris fiat opiata: præterea laboranti præſtabis dum it dormitum, ſi hæc non proſint, ϑ.ij. vel ʒ.j. philonij Perſici vel Romani cum polygoni ſucco & modico vino: item extrinſecus renes inunges oleo de papauere vel vnguento populeonis.

At ſi ex capite ſalſam pituitam delabi compereris, ſcito nullo alio præſidio citius & tutius malum poſſe corrigi, quàm in brachijs aperta fontanella: quod experimento fidiſsimo comprobatum habeo.

De go-

De gonorrhœa, ſeu de ſpontanea ſeminis profuſione. *Cap. XVII.*

VM gonorrhœa ſit, vt Galen. placuit 6. de locus capit. 6. & Ætio, ac Paulo, ſeminis inuita ac præter voluntatẽ excretio, quæ continuè naturalibus non intentis, ex retentricis naturæ facultatis imbecillitate proueniat, quòd ſine venere (vt refert Celſus) ſine nocturnis imaginationibus, ſic fertur, quòd interpoſito ſpatio, tabeho minem conſumat: & cùm etiam ſit alia ſeminis excretio, quam Galen. loco citato, voluntariam ſeu naturalem apellat, ob id profectò, qua parte ſemen fiat, qua etiam ad tempus recipiatur adſerueturque, & per quas vias tandem excernatur, quo modo fiat excretio, vt particulam affectam faciliùs in hoc malo inueniamus, & quibus cauſis ac facultatum læſionibus prodeat, expendendum diligenter eſt. Quarum dubitationum gratia, ſciẽdum primo erit, huic ſeminis miniſterio varia dicaſſe naturam inſtrumenta, diuerſaque vaſa: nam ab arteria magna, magna itidem vena iuxta renum regionem, vaſa quædam deriuantur ad teſtes, & ipſos pertingunt, atque eo pertinentia multipliciter & varicoſè reuoluũtur. Quorum ſanè officium eſt, ſanguinem qui futurus eſt materia ſeminis, tranſmutare, & ad naturã ſeminis ſuſcipiendam parare: quo fit, vt in eiſdem albeſcere incipiat, & quo magis prope teſtes accedit, eo magis, magiſque albeſcat, donec tandẽ perfectionem & integritatem ac veram ſeminis formam in teſtibus ſuſcipiat. A teſtibus autem vaſa alia ex denſiori materia & ferè ex neruacea ſubſtantia fabrefacta, caua etiam, vt venæ & arteriæ, ortum habent, quæ quaſi miniſtri teſtium ſunt, & elaboratum ſemẽ ſuſcipiunt, adſeruantque. Quod equidem ſemen ſiue ſponte ſiue ſecus profluat, ab his vaſis per fiſtuloſum neruum, quo precipuè conſtat penis, impulſum vi quadam, generationis & coitus tempore eiaculatur. His habitis, expẽdendũ inſuper eſt, quo modo ſemen excernatur ſecundum naturam, & quo modo aliter: quippe non quomodocunque ſe habentibus prædictis inſtrumentis, commodè fieri poteſt ſeminis proiectio: nam & neruum fiſtuloſum dilatari oportet, vt faciliùs ſemẽ propelli poſsit, quòd lenta quadam ſubſtantia ſemen conſtet: & rurſus vaſa quæ anteſtant ac ſemen elaboratum adſeruant, opus eſt in ſeipſis contrahi & quaſi conuelli, ita ſanè fit vt maiori vi ſemen propellant. Quo fit, vt in epylepſia & his qui conuelluntur, ſi vehementior fiat motus, ſemen quoque effundatur, fit tamen cõtractio illa naturalis, quę ad modum conuulſionis exiſtit, non quidem ab exſiccatione inanitioneue, ſed potiùs ex eorum vaſorum plenitudine, quæ diſtenſa in latitudinem, ſecundum longitudinem contrahuntur & abreuiantur: at plenitudo tunc & fit ex copioſo ſemine & vberrimo ſpiritu, qui partim in ſemine mixtus cũ eo confluit, partim verò ex arterijs ibidem congeritur quoad penis intenditur, erigiturque præeuntibus quibuſdam imaginatricis motibus, & alijs quæ huic operi neceſſaria exiſtunt, quibus ſimul conſcendentibus, ſemen natura tranſmittit. Verùm dum ſeminis effuſio ſpontanea eſt & morboſa, longe aliter res ſe habet: namque neruus ille fiſtuloſus non dilatatur, quia non eunt cum ſemine alij ſpiritus ex arterijs, & ipſum ſemen eis orbatum exit. Præterea non comprimuntur vaſa, quæ ſemen adſeruare diximus, & ob id non exit ſemẽ confertim & ſubitò, quia nulla vis concurrit ad eius effuſionem, quinimo laxantur & aperiuntur prædicta

vaſa,

vasa,& cùm neruus fistulosus non dilatetur,semen instillat paulatim & lentè, & ob id citra delectationem excernitur ac citra penis erectionem, quia paulatim effluit,non confertim & subitò:hæc enim solùm sunt quæ dolorẽ aut delectationẽ inferunt. Quem sanè morbosum actum,vt ad vnguem calleas,scito Gal.6.de locis cap.6.dictas vacuationis differentias referre:priorẽ quidem naturalem,quia constans natura suo munere fungens,noxia quæque oportunè pellit:alteram symptomaticam:illam quidem exequuntur prædicta instrumenta,agentia,vt primo loco dictum est,more naturali,compressione nimirum vasorum semen continentiũ, & dilatatione fistulosi nerui:symptomaticã verò eisdem potiùs ociantibus,ac modo dicto secũdo loco agentibus,aut potiùs patientibus, quã vi & efficacia naturæ, & ob id symptomaticæ vacuationis duas annumerat species : quarũ vna est vbi nihil agente natura,sponte sua contentum à continente loco effluit, quia continerì à vi & potentia ibidem operante non potest,velut contingit in morituris sudor & ventris fluxus,cuius naturæ etiam est spontaneus seminis fluxus. Cui plerunq; accedit vasorũ quæ sanguinem à caua vena & magna arteria, alliciunt, auida trahendi cupiditas,quam multi nõ expendentes,rarò salubre præstant auxiliũ. Quippe ex sanguinis attracti vbertate, plerunque vasa quæ continent imbecillitantur, & id malum efficiunt:quem tractum solet mouere scalida prædictorum vasorum intemperies,haud secus quàm in diabete renes efficere dictum est: ex quo prodit ocyssime corporis vniuersi contabescentia,& sitis ac animi deiectio: quæ omnia expendisse ad curationẽ magni est momenti. Altera verò species fit, quando morbosus ipse affectus expellit, vt contingit in epylepsia dum semen effunditur: nam ex conuulsione prædictarum partium expellitur semen vi,non tamen naturali sed violenta,ex non naturali motu à causa præter naturam facto,licèt naturali quodammodo similis existat. Quibus etiam modis aliud addidit idem Galen. nimirum vbi vacuatur quoque idem semen, non tamen deficiente retentrice, vt in prima specie,neque morbo pellente,vt in secunda,sed natura irritata, ac leges proprias inuertente. Itaq; cùm retentio naturalis fiat,cùm clausus permanet meatus,& contentum à continente haud quaquam impellitur, sed contra comprehẽditur atque retinetur,& retentio non est naturalis,sed fit ob excretricis facultatis imbecillitatem,sequitur necessariò excretionem fieri ob retentricis infirmitatẽ, aut ob aliquam dispositionem, quæ haud secus quàm naturalis ipsa excretoria vis prædictas partes mouere possit. His habitis,statuendum est veram gonorrhœã esse symptoma in genere excretorum immodicè,pertinens quidem ad sola vasa spermatica (non ad pudendum vt priapismus) & ad eorum retentricem facultatem languidam & omnino ferè deiectam. Quamobrem arbitrandum est, reliquos duos inuoluntarios seminis fluxus,non propriè dici gonorrhœam,sed per similitudinem quandam:nam Galen. asserente loco citato, seminis excretio aliquo modo animale munus efficitur,quod non repugnat fieri præeunte in aliquo eius actu potentiæ interioris munere, haud secus quàm in mictione fit, siquidem voluntas in mictu locum habet in musculi ocio, in seminis verò excretione,quodammodo videtur in via semen stimulare, Ingreditur namque in semine excernendo musculi vasis seminarij secernentis contractio, huius enim ope saltem expressio fit, cui consentiunt brachia & crura,quòd etiam contrahantur simul. Verùm in excretione non naturali,propriùs ad retentricẽ naturalem vtriusque partis,tũ vesicæ,tũ verò seminariorũ vasorum referẽdũ est. Est tamen differentia,quòd vrinæ inuoluntaria excretio, potiùs ad musculi resolutionem, impropriè ve-

priè verò ad retentricem naturalem pertinere erit arbitrandum : seminis tamen spontaneum profluuium,propriùs ad naturalem retentricem languidam, impropriè quidem ad prædictum musculum, vt de ea seminis effusione quæ in epilepsia contingit dictum est. Theodorus Priscianus & Moschio inter fœmineos affectus gonorrhœam quoq; nuncuparunt & anumerarũt:cum ex Pytagora, Democrate, Hippoc.& Epicuro euidenter constat fœminas quoq; semen idq; fœcundum præstare:quod Gale.& Medici ferè omnes probarunt. Licèt Hippon philosophus quẽ sequutus est Ateneus statuerit,semen quidem emittere, cæterum illud esse infœcundum; Arist. ex Zenonis & Stoicorum fere omnium sententia solùm tribuit fœminis semen æquiuocè tamen, quos sequitur Auerrois.2.collec.10. vtcunque tamen sit (nam latiùs disputaturi sumus hanc controuersiam lib.de principijs artis medicæ Deo fauente) fœminis gonorrhœa velut viris succrescit, & eisdem signis dignoscenda ac eâdem methodo curanda ac in viris. Qualis verò naturæ sit Gallica gonorrhœa,& quomodo ab ea quę in hoc capite scribitur dissideat mille modis, & curationem reperies lib.de morbo Gallico cap.de virulenta gonorrhœa.

Causas verò & occasiones vnde quis in hanc affectionem inciderit, diligenter venari oportebit, nam & via curationis facilior multo constabit, ac certiùs & clariùs morbi natura elucescet. Inter occasiones vna est nimia veneris abstinentia, maximè si priùs ea assuetus fuerit homo,contra verò ex immodico coitu in hunc affectum multo plures inciderunt. Quod fieri comperimus vno è duobus modis : primo quidem ex immodico vsu,vt dictum est, alio verò ex congressu cum inquinata fœmina,siue menstruis sit occupata, siue Gallico morbo infecta, siue alio vitio quod pudendas partes occupet & conspurcet. Quippe infecta mulier per pudendi canalẽ halitum suæ infectionis infundit,qui ad parastatas perueniens (parastatæ sunt glandulæ semen retinentes, quæ sunt in vasis circulatorijs in easdem parastatas desinentibus) mille modis conspurcat, inflammationibus, vlceribus,scissuris vel resiccationibus in pudendo virili factis,à quibus vel vasa adeo imbecillitantur, vt semen effluere sinant, vel semen vitiant, ita vt aliquando exeat sanies liuida & viresćens cum mordicatione in meatu vrinario : cuius occasione membrum erigitur cum contractione & dolore, quia non fit erectio propter repletionem nerui caui (vt antea dictum est) siquidem tunc non inflecteretur, sed quia virus illud ad vrinarium meatum permeans, id malum efficit. Quod sanè vitium, nisi cito præueniatur,iecori efficitur commune, & vniuersum hominem eâdem labe inficit & conspurcat : quo fit vt protinus in pudendi pustulas aut vlcuscula erumpat,in bubones & capillorum defluuium,& tumores, qui hominem miserè perdunt. Quam quidem seminis defluxionem neoterici Gallicam gonorrhœam appellarunt,quia non à vasorum imbecillitate solùm, sed à corrupto & vitiato semine,& à læsione prædictarum parastatum,& vasorum quæ in ipsas terminantur,& omnium quæ spermatica vocãtur. Prodit etiam communis gonorrhœa ex ingentibus laboribus,præsertim eorum qui lumbos & renes supra modum calfaciũt, vt in longiori equitatione,maximè in solis ardoribus aut vestibus nimium calfactorijs. Item prodit ex seminis ipsius vitio, quod vel retentum nimia copia grauat, vel mala qualitate inficitur, quia acrius & mordacius redditur, siue id à prauo vitæ & victus instituto prodeat, siue à quauis alia causa. Præterea cùm omnis excretio quæ fit in corpore viuenti, fiat à facultate propellente aut ociante, arbitrandum est, vitia seminis quæ acrimoniam aut copiam præ se ferunt, expellentem vasorum semper lacessere: ea verò quæ aut in tenuitate, humiditate, vel

frigiditate consistunt, semper ad retinentem facultatem attinere, cuius etiam con
ditionis est calor, exercitium, insolatus ac nimius veneris vsus. Quibus adiungitur
humida & calida, & aliquando frigida prædictorũ vasorum intẽperies, qua facultas
torpida seu resoluta effecta, munus retentionis non exequitur: quas potissimũ ex
quisitæ gonorrhœæ arbitramur causas. Alia insuper gonorrhœæ species, quæ in cõ
vulsionibus accidit, causam habet vehemẽtem prædictorum vasorũ cõcussionem.

Signa. Eam enim gonorrhœam, quæ propriè & verè talis existit, ab ea quæ impropriè
talis est, distingues, quòd hæc cole fit intento ac rigido, licèt euerso & cum seminis
effusione, etiamsi inuoluntariè profluat, haud secus quàm in legitima; quã digno-
sces quod citra penis erectionem fiat, & citra vllum sensum doloris vel molestiæ,
præterquàm profusionis. Ea verò quæ ab excernente fit facultate, dum irritata est,
acrimoniam infert in pudendi extremitatem, ac sæpe vniuersum eius canalẽ exul
cerat, mordet & dolore non leui afficit: præterquam quòd ea quæ excernuntur nõ
referunt seminis speciẽ, sed vario colore affecta, fœtore insigniuntur graui, idq; ma
ximè si gonorrhœa ex Gallica lue contracta sit, quod in legitima gonorrhœa non
accidit, in qua solùm liquida & alba excernuntur, licèt aliquando crassa prodeant
seminis vbertate, nullum prauum odorem referentia. At si ex externis occasioni-
bus prodeat, ex interrogatione dices.

Præsagiũ. Nunquam prædictæ fluxionis consuetudo salubris est, cùm vel eo quod vtile fu
turum corpori est, defraudatur homo, vel vitium præ se ferat, signum maioris mali,
aut causa non minoris. Sic gonorrhœam passi ob immoderantiam veneris, in ta-
bem plerunque degenerant ob imbecillitatem retentricis: in atrophiam, quòd col
liquari in vtraque causa corpus sit necessum: in illa, à corpore trahentibus vasis ob
indigentiam: in hac verò, vniuerso corpore ob prædicta vasa transmittente ob con
sensum, & ne desit ad propagationem speciei materia. At quæ Gallica est, mille ac-
cidentia accersit, quæ vel hominem tollunt, vel miserè totius vitæ cursu torquent.
Accidit plerunque pubertatem agentibus: viris nõ raro: fœminis frequentiùs: hæc
tamen est differẽtia, quòd vera gonorrhœa viris frequẽtiùs accidit, rariùs quæ spu-
ria existit (hoc est) quæ ex alijs humiditatibus semini simillimis efficitur, ac ob id
varium præ se fert colorem. At fœminis hæc spuria, in qua per vterum ipsæmet &
vniuersum corpus purgantur ab albis & varij coloris purgamentis, frequentissimè
accidit: quæ verò ex semine fit, in virginibus quàm rarissimè accidere visum est, vt
ex Galen. constare videtur. 2. de semine cap. 1. in alijs verò frequentiùs.

Curandi ratio. Nec temere, nec protinus aut vtcunque gonorrhœam sistere expedit: nam sæpe
visum est, eos qui studuerũt huiusmodi seminis profluuia importunè & violẽter si-
stere, præsertim antequã corpus ab spurcitijs purgetur, bubonibus fuisse correptos,
inflãmatione testiculorum, renũ & lumborũ doloribus, & mille alijs affectionibus
vexari. Quapropter priùs quã parti affectæ manus adhibeamus auxiliares, corpori
vniuerso prouidendũ est, ne nobis quid simile aut deterius cõtingat. Ea igitur erit
potior medendi ratio, quæ vnam quamq; causarum illidat, initio sumpto ab ea quę
potissima est: hæc nanq; retentricis facultatis vasorũ impotẽtia existit: quæ sanè à
duplici causa principiũ trahere solet, nimirũ ab exuperante vasorum tractione, or-
ta quidem ab intẽperie humida & calida vasorũ, non eorum quæ trahunt, sed eorũ
quę semẽ cõtinere diximus. Si verò ex trahẽtiũ vitio profusio accidat (hoc enim fre
quẽter succrescere solet, licèt ab impotẽtia retẽtricis malũ oriatur, quòd nõ possint
adseruare tantũ semẽ, sed defluere permittãt, & ob id vasa inanita p̃ fluore auidiùs
trahunt, haud secus quàm in diabete) quod nosces ex dorsi grauitate, seminis vber
rima

rima copia, corporis lactura, siti intensa, oculorum cauitate, cutis scabritie & alijs,
quæ calorem nimium earum partium attestentur. Cuius beneficio leges caput de
diabete, & præsidijs huic muneri ea parte adductis, vteris: inter quæ lamina plũbea
lumbis alligata magni solet esse momẽti. Item quæ modicè sanguinẽ minuũt, vasa
refrigerant, & quodãmodo seminis acrimoniam retundunt, vt sanguine misso, &
parca victꝰ forma instituta seminis vbertas minuatur, & reliquis præsidijs mitescat
eius acrimonia, quo securiùs deinceps quæ coercẽdi fluxum & comprimẽdi laxas
partes vires habent, adhibere possimus. Quam legem adseruabis in his qui ab in-
termissa venere in hunc affectum prolabuntur, præterquã quòd inutile non erit,
quinimo necessarium sanguinem detrahere. Verùm si ex continentium vasorum
imbecillitate semẽ profluat, nõ neglecta causa attractionis prædicta, quia plerunq;
ambæ iunguntur, curationẽ instituies, victu exsiccante, parco & solidioris substan-
tiæ, velut sunt perdices, gallinæ, turtures & cuniculi, nec non & caro arietis aut vi-
ituli: quæ aliquando adstringẽte aliquo cõdiantur, vt cytonijs, mespilis & vuis acer-
bis, sparsis puluerib. coralli, margaritarum, boli armeni, terræ lẽniæ & rasuræ ebo-
ris. Parari etiam fercula oportet farre, oriza cum granis vuæ acerbæ: prosunt in pri-
ma mensa passulæ, amygdalæ tostę, anisum vel coriandrum præparatum saccharo
conditum: tandem vniuersa victus & vitæ ratio velut in paralysi instituenda est:
sit etiam potus ex decocto sasafrasæ Indicæ, ex radice Chinæ, aut ligno sancto vel
aniso, aut baccis myrti.

Præmissa victus & vitæ institutione, curãdi ratio à totius corporis leui purgatio-
ne auspicãda venit, ex decocto senæ in liquore. 9. infusionum rosarum rubearũ: vel
purgetur homo infuso rhabarbari vel agarici cũ modico syrupo rosarũ: prosunt &
pilulæ mastichinæ, de hiera, cum modico agarico & rhabarbaro. Purgatione facta,
antequã ad topica auxilia conscendas, humorẽ in prædicta vasa confluentẽ, à qua-
cunque parte prolabatur, aliò trãsferre & imminuere oportebit. Sic etenim semel
in hebdomada vomitum concitabis, quo ventris cruditates, quæ plerunque huic
malo fomẽtum præstare assolent, excernantur, facta priùs ex melle rosaceo per ali
quot dies præparatione. Verùm quia non rarò ab inundante in vniuerso corporis
ambitu & venoso genere humiditate, gonorrhœa prodit, laxatis & imbecillioribus
factis prædictis vasculis, ab eodẽ quoq; ipsam educere ac inanire opus erit, per bal-
neorũ sulphureorũ vsum, sed maximè per sudationes ex decocto radicis Chinæ &
corticibus radicis ligni sancti. Quòd si neq; purgationes frequentes, nec vomitus,
nec balnea, nec sudationes prodesse possint, conijcies protinus aliquid esse iam in
prædictis vasis imbibitum, cuius habẽda ratio sit. Quod profecto fiet tribus modis.
Primo quidem his auxilijs quæ vim habeant digerendi ac resoluendi quod imbe-
cillitatẽ molitur. Cuius naturæ sunt fomẽta ligni sancti, camemali, saluiæ, maiora-
næ, pulegij, origani & absynthij ex vino facta: qđ etiã facies ex decocto sulphuris,
rutæ, abrotoni, anethi, foliorum lauri & baccarum eius. Idem beneficium præstant
emplastra ex eisdẽ herbis facta cum farina seminis lini, fœnugræci, radicis ireos
cũ vino & sapa: inunctiones quoq; ex oleo irino, belzoini, stiracis, terebinthinæ, de
pipere, de caryophyllis aut cinnamomo. Prosunt etiã cerata ex eisdẽ cum ladano,
terebinthina & cera addito puluere ireos: quẽ quoq; vsum præstat vtrũq; diachylõ
cũ puluere camemali & ireos. Quibus, si omnino causa frigida sit, addes calida quę
adstringãt & robur retẽtrici addãt, vt sũt thꝰ, mastix, cortex thuris, anisũ torrefactũ,
origanũ & ciminũ. Sed cõfici potest ad firmãdã partẽ id oleũ quod recipit mirrhæ,
aloës, spicæ nardi, sanguinis draconis, mumiæ, opopanacis, bdelij, carpobalsami,

maſtichis,gũmi Arabici & ſtyracis ana.ʒ.ij.& ß.muſci.ʒ.ß.terebinthinę ad pondus omnium,& mixta inſtillẽtur,donec oleũ,quod mirabilis eſt efficacię exeat.Quòd ſi his adhuc fluxionẽ ſiſti nõ conſtet,arbitrandũ eſt ſimul cũ humiditate caliditatẽ vigere, quo tẽpore ab his calorificis omnino abſtinere, & frigidis adſtringẽtibus rẽ agere oportet.Quapropter præmiſsis vacuationibus,adſtringentibus & refricãtibus vti oportet,quorum vberẽ copiam paulo inferiùs leges:à quibus,ſi adhuc affectio perſtet,tutiſsimũ eſt conſiliũ,fontanellã altero crurum aperire,qua expiret humiditas quæ vaſa laxiora reddit, quo auidiùs & firmiùs deinceps vaſa cõplectatur. Scito tamen omnibus medicamentis huic affectioni ex hac cauſa & reliquis per potum proficuis,admiſcere oportere ſerapium de acetoſitate citri, aut conſeruam eius,tanquam medicamenta magni momenti.

Quòd ſi profuſio fiat ex ſeminis vitio in vaſis contracto,vel ex alimentis,aut ex damno à copioſo vel vitioſo ſanguine & reliquis humoribus mutuato,ita vt acrius, ſcalidum & mordaciſsimum effectũ vaſa excitet ad expulſionem,& corpus etiam cõterat & colliquet,inſtituta victus & vitę ratione tẽperatioris ac frigidioris qualitatis,melioris ſubſtantiæ & copioſioris nutrimenti,ſanguine miſſo,parcè tamẽ vel ex iecoris vena,ipſum attẽperare deinceps opus erit,ſyrupo granatorũ,cichorij,roſarum,de papauere,de nenuphare,de agreſta & ſimilibus,corpus purgabis ea lege, quã præcedenti capite ſcriptum reperies,nimirum caſia,manna,ſyrupo ex infuſionibus violarum,aut roſarũ rubearum cũ ſero lactis aut aqua hordei.Quo facto,ſero veteris caprino,& omni arte ſtudebis calorẽ corporis cõpeſcere aut humores attemperare,incraſſare,ac vias quodammodo coarctare, humore præſertim frænato:cui vſui non mediocris pretij exiſtunt balnea vel dulcis vel ferratæ aquæ,aut ex decoctione prædictarũ herbarum.Quæ ſanè omnia facies,ſi præſtiteris cum cibis viticis & cannabis ſemen,præſertim toſtum,itẽ ſemen & folia lactucæ ac earũ cauliculos: à vini potu cauere ſic affectos oportet,quinimo aqua frigida inſtituẽda illis eſt,maximè ferrata aut deaurata.Tandẽ hoc ſyrupo veteris qui recipit ſanguinariæ,acetoſæ,plantaginis ana.p.j.portulacę,capreolorũ vitis,vmbilici veneris & rubi ana.m.j. & ß.myrtillorum,ſeminis coriandri præparati & ſeminis papaueris albi ana.ʒ.ß.foliorum lactucæ,florũ nenupharis, borraginis & violarum ana.p.ß.foliorũ rutæ,viticis,menthæ & calaminthæ ſiccorum ana.ʒ.iij.bulliant ſecundũ artem in aqua pluuiali quãtum ſat ſit,cuius recipe lib.iiij.ſucci roſarum rubearum,granatorũ,pomorum acidorum ana.lib.ß.miſce & cum ſaccharo & exiguo aceto fiat ſerapiũ, cuius ſumat laborans. ʒ.ij. Cui ſimilem effectum præſtat,aliud quod recipit granorum myrti,oſsium granatorum ana.ʒ.ß.balauſtiorum,corticum granatorum, hypociſtidos ana.ʒ.ij.ſeminis cytoniorum,ſeminis acetoſæ & roſarum rubearum ana.ʒ.j. coralli rubri.ʒ.ß.bulliant in ſufficienti quantitate aquæ chalybeatę & vini nigri ad cõſumptionem tertiæ partis, & adde.ʒ.iij. huius decocti pulueris mirabolanorum citrinorum.ʒ.j.& ß.& detur bis aut ter in hebdomada. His conſimilis eſt alter qui recipit foliorũ ſcariolæ & endiuiæ ana.m.j ſeminis rutæ,lactucæ,citruli,nymphææ ana.ʒ.j.contundantur omnia craſſo modo & infundantur in lib.iiij. aquæ pluuialis, & bulliant ad conſumptionem duarum tertiarum, & facta colatura cum ſaccharo fiat ſyrupus cuius. ʒ.iij. manè porriges. Præſtat idem beneficium electuarium quod recipit ſacchari roſati vetuſti. ʒ.ij. ſpodij. ʒ.ij. coralli rubei. ʒ.j. & ß. mirabolanorum citrinorum. ʒ.ß. cum aqua plantaginis aut ſyrupo de ſucco limonum fiant boli, quorum ſumat laborans. ʒ.iij. Item potui dabis, dum laborans it dormitum, id quod recipit granorum myrti, balauſtiorum, corticum granato-

granatorum,gallarum,corticum pinearum,hypociſtidos,acatię ana.ʒ.ij ſpodij ʒ.j. & ß roſarum rubearum,coriandri præparati ana.ʒ.iij.bulliant in ſufficienti quantitate aquæ chalybeatæ vſq; ad conſumptionem tertiæ partis,deinde coletur & colaturæ adde ſacchari quantum ſit ſatis ad conciliandam dulcedinem. Prodeſt & electuarium quod recipit conſeruæ borraginis,& de ſucco citræ ana.ʒ.j.aromatici rosati.ʒ.iij.cineris inteſtinorum gallinæ lotorum aqua abſynthij ʒ.ß.ſeminis agni casti.ʒ.j.& ß.cum ſyrupo roſarum fiat opiata. Summopere etiã iuuat puluis qui recipit cineris pellicularum ſtomachi gallinæ.ʒ.ß.aniſi.ʒ.j. coralli rubri vſti & loti. ʒ.j. agni caſti.ʒ.ß.ſacchari albi ad pondus omnium, capiat ante cœnam cocleare vnũ. Paſtilli etiam parentur qui recipiunt ſeminis rutę,agni caſti & vrticæ ana.g.v.ſeminis lactucæ,portulacæ,plãtaginis & papaueris albi ana.ϑ.j.ſeminis coriãdri præparati & cannabis torrefacti ana.g.iiij.ſeminis roſarum, coralli rubei & ſanthalorum anã.ʒ.vj.ſeminis melonum. ʒ.iij. ſacchari diſſoluti in aqua roſarum quod ſufficiat, fiant paſtilli,quorum vnum capiat laborans cum vino rubro aut aqua chalybeata. Quòd ſi vrgentia fluxionis & doloris his non ſedetur,ad.ʒ.ß. philonij Perſici cum ʒ.ij.ſacchari roſarum tutò & vtiliter peruenies.

His factis exteriùs balneis aquæ dulcis humores ac ſemen attẽperabis,& ſi quid redundat ad extima reuocabis. Item partes iuxta pudẽdum maximè perineum & renes inunges, & præter alia quæ huic vſui proficua reperies, ex vſu quoq; erit vnguentum quod recipit olei roſacei omphancini,cytoniorum,nenupharis & myrti ana.ʒ j.cremoris ſeminis lini & cytoniorum extracti aqua roſacea ana.ʒ.ß. foliorũ rutæ,agnicaſti & menthæ ana.ʒ.ß. bulliant in prædictis oleis, & facta expreſsione, adde pulueris coralli, ſanthalorum rubeorum, ſanguinis draconis & boli Armeni ana.ʒ.j.ceræ quod ſufficiat,& fiat vnguentum.Aliud parabis quod recipit olei myrtillorũ,maſtichis & omphancini ana.ʒ.ij. pulueris nucum cupreſsi & myrtillorum ana.ʒ.j & ß.macis,caryophyllorum & agnicaſti ana. ʒ.ß.cerę quod ſufficiat,vt fiat vnguẽtum aut ceratum. Eundem etiã vſum præſtat quod recipit radicis ireos.ʒ.j. myrtillorum,foliorum lẽtiſci & cupreſi ana.ʒ.ij. roſarum rubearum & ſanthalorũ ana.ʒ.j.ſeminis agnicaſti.ʒ.j. fiat decoctio in li.ij.vini rubri:fœminis verò hæc eadem præſidia adhibebis inguinibus & veſicæ lateribus vſque ad latera pudendi.

Verùm ſi ex vbertate ſeminis,ocioſa vita & laſciuis actibus plena,alimentorum copia,& alijs quę copioſum ſemen gignunt, affectio ſuboriatur,maximè ſi laborãs continens ſit,huic medeberis(ſi vxorẽ nõ duxerit)tenuiori victu,oportunis laboribus & exercitio,abſtinẽtia ab ſpectaculis, cogitationibus & colloquijs quæ venerẽ incitant: præterea à ieiunijs,orationibus,vigilijs,& omni cõtinentiæ & parſimoniæ diſciplina,quod præſtantius huic malo præſidium exiſtit. Inſuper etiam eis veteris quæ exſiccare ſemẽ poſſunt,ſicut illa vitãda quæ ipſum augere. Prodeſt in hoc malo vſus ſeminis agnicaſti, aut rutæ ſaccharo cõditę:itẽ & cõſerua vel ſyrupus de ſucco citræ, vbi priùs ſanguinẽ miſeris:nam in his bis terue in anno ſanguinẽ mittere, peculiare eſt præſidium, ſicut laminam plumbeam renibus affigere,vel vnguentum refrigerans,roſarum aut ſanthalorum: item aliquod ex nuper dictis medicamentis, quæ refrigerandi & conterendi ſemen vires habeant.

Quòd ſi gonorrhœa ex Gallico morbo contracta ſit, licèt diutiùs duret, minus tamen corpus contabeſcit, cuius ſanè curandi ratio vniuerſa, in iecoris & totius corporis prouidentia ſita eſt,haud ſecus quàm morbus ipſe Gallicus, ſudoribus,vnctionibus,apozematis, & alijs quæ eandem vim habent, qualia latiùs ſcripta reperies libro noſtro de morbo Gallico.

De podagra, iſchiade & reliquis articulorum doloribus.

Caput. XVIII.

AVdax temerariumque facinus, & omni imprudentia plenum, omnibus viris doctis & prudentioribus ſemper viſum fuit, aggredi id negotiũ, cuius finem aut felicem euentum fidiſſimo & diutino experimento firmatum eſt, nunquam quenquam fuiſſe cõſequutum. Et cùm omnem animum (quantumuis generoſus ſit) conterat & infirmet euentus dubia ſpes, aut forſan certa deſperatio, decreueram articulares dolores curare non aggredi, quòd quotidiano euentu ſit confirmatum, radicitus hunc affectum ſicut & alios, artem noſtram non poſſe adeo euellere, vt ſemel curatus iterum atque iterum non redijſſet, & in medio floridæ iuuentutis & maiori ſalutis ſplendore, velut occultus trucu lentuſque hoſtis non inſiliſſet, impetumq, intollerabilem feciſſet: quippe omnes ferè aut ſaltem plures eorum quos ſemel apprehendit, totius vitæ curſu miſerè & calamitoſè viuere cogit. Cum hoc tamen, ne plura huic operi deeſſe viderentur, fretus diuino auxilio ipſumque implorans, conabor aliquid frugis in hac re ſcribere, vt ſi ex toto non poſsint articulares affectus eradicari, ſaltem mitigare aut præcauere efficereque vt per longiora interualla repetant, ſtudebo. In quare, primò quid omnes articulorum morbi commune habeant mõſtrabo: & rurſus quid peculiare vnuſquiſque ſortiatur, vt cuiq; propriam poſsimus adſcribere naturam, cauſam & curationem.

Ante tamen ſtatuendum eſt, articulorum noſtri corporis (quibus hæ affectiones propriæ exiſtunt) varias eſſe ſortes, quas tres tantùm genere exiſtere comperimus, licèt quodlibet genus in multo plures ſpecies diuidatur, quibus hac in parte opus non habemus. Oſſa enim coaleſcunt aliquando ſine alicuius materiæ interuentu, vt in mollioribus & fungoſis: vel materia aliqua mediat, vt in duris & ſiccis per ſimphiſim, hoc eſt per ſimplicem adnaſcentiam, vt quorundam oſsium capitibus accidit, quibus addidiſſe aliquid natura videtur, quòd breuiora eſſent quàm oporteret: vel per leuem alterius ſubſtantiæ interuentum. Secundo modo committuntur inter ſe oſſa per ſynartroſim, quæ leuem quendam motum admittit, & in tres alias differẽtias diſſecatur, nimirum in ſuturã, gomphoſim & harmoniam. Tertio quidem, oſſa cohærent per dyartroſim, quę nihil aliud eſt, quàm oſsium cõpoſitio, quæ ad motum voluntariũm comparata eſt, vt quæ ex duobus oſsibus cõſtet: vno cauitatem habente, & reliquo caput in cauitate recipiente: quo conſtat motum exerceri manifeſtum. His habitis ſtatuendum eſt, primam oſsium connexionem, adeo preſſo nexu & coarctato fieri, vt nihil poſsit intercidere quod dolores poſsit concitare: præterquam, quòd licèt aliquid interſit, quia ligamentis non vincitur & coarctatur, ob id dolores non infert. In ſecunda vero ad penſum leuis motus, leues etiam ſuccreſcunt dolores, quia aut nullo ligamento cohærent, vt capitis ſuturæ, aut ſenſu leui præditum eſt, vel plurimum diſcedere nequit, & ob id plurimum dolere non poteſt. In tertia quidem oſsium connexione omnes articulares morbi ſedem habent, videlicet vbi ea eſt inter duo oſſa cauitas & amplitudo, quòd ſpatiari ac moueri liberè poſsit alterum os in alterius foramine, in quo ſanè

ſpatio

ſpatio eum contingit prolabi humorem, qui facta grandi extenſione, prædicta ſymptomata efficiat, & varios articulorum dolores.

Præmittendum inſuper eſt, hoc habere omnes articulorum dolores commune (non loquimur hîc de dolore ex ictu, caſu, aut luxatione articulorum, quantumuis intenſè doleant, licèt poſsit articularis morbus ab his etiam cauſis ſuboriri) nimirum quòd vt verè articularis morbus ſit, ſiue arthritis, ſiue podagra aut iſchias dicatur, prærequirit materiam fluentem ac morbum effecturam, quæ prolabatur in cauitatem articuli, videlicet in ſedem illam, per quam caput oſsis ſpatiatur: quòd ſi ibidem non ſit, ſpurium potius & illegitimum fieri articularem morbum eſt arbitrandum, quantumuis intenſos accerſat dolores, quàm legitimum & verum. Quippe vniuerſa huius mali ratio, vt Galen. apertè fatetur. 6. aphor. 49. ſita eſt in hac peculiari conditione, qua veluti eſſentiali differentia, ab omnibus alijs articulorum morbis diſsidet: nam in prolapſione humorum fluentium per venas ad cauitates articulorum, eos primò ſuſceptant articulorum loca (quo morbi natura integratur) deinde circunſtantia omnia vſque ad cutim: qua ratione fit, vt abſcedentibus à ſe inuicem oſsibus, ligamenta, neruique & tendones adeo tendantur, quòd dolores & cruciatus maximos generent, quia ſimul cum articulationibus tenduntur & veluti dilacerantur. Ex hac etenim humorum prolapſione in articuli cauitatem prodit Hippocrat. dixiſſe, non ſolui hos dolores, nec materiam diſsipari & euacuari ab ea parte ante quadrageſimum diem, quia ſpatium illud calore orbatum, nequit ante id tempus prædictum munus perficere. Nam ſi in ſolis carnoſis aut ligamentoſis partibus extitiſſet humor, cùm hæ innumeris gaudeant venis & arterijs, longè citius euaneſceret reſolueretur que. Quo fit vt credibilius ſit his tantùm partibus legitimum articularem morbum proprium eſſe, ſicut reliquis ſpurium & illegitimum.

Sed in hac re dubitabit aliquis & meritò, quî fieri poſsit, quòd intra articulos dilabatur materia, ſiquidem dum ipſa nõ reſoluitur, ſed in tophaceam migrat naturã, extra articulũ cõcreſcit, ita vt videatur vero ſimilius extra contineri, quã intus prolabi. Verũ ſi quis rẽ diligẽter examinet, reperiet eâdẽ ratione, neq; in vinculis, neq; in tendonibus materiam permanere, ſiquidẽ extractis tophis, vincula & tendones illæſi conſpiciuntur, quod erat creditu perdifficile, ſi in eis continetur materia dolores concitans. Quo fit vt arbitrandum ſit, materiã tam in ſpatijs quàm in tendonibus in halitum digeri: in ſpatio quidẽ, quia cùm latior locus ſit, faciliùs inde euaporat diſcutiturque, præterquàm quòd articuli dum mouentur concaleſcunt, & ita calefit & attenuatur, & quaſi funditur ac ad facilem digeſtionem paratur, pariterque in tendonibus & vinculis: quo fit vt in neutris tophaceam acquirat naturam. In membranis verò quia motu carent & calore, ac prope oſſa exiſtunt, mirum non eſt ſi ibidem materia conſpicuè & frequentiùs induretur. Cum hoc tamen non renuo concedere in articulis, in ligamentis & reliquis partibus aliquãdo poſſe concreſcere: quod probant dearticulationes quæ tophis indureſcentibus ſuccreſcunt: item & dolores, qui quouis motu facto prædictis membris ſic affectis concitantur, præſertim cùm tortuoſa ſint, & nulli actioni idonea.

Præterea id etiam omnibus articulatibus morbis eſt commune, nimirum prædictas neruaceas ſubſtantias pati neceſſariò, & ob earum affectum (ſiue per conſenſum ab oſsium diſceſſu, ſiue per eſſentiam humore ibidem imbibito) dolores ſuccreſcere intollerabiles & immanes. In qua re expẽdiſſe & exquirere oportet, quanam ratione plures ex articulorum affectibus motum omnino auferre aut ferè

oblædere

oblædere citra vllum dolorem posint, solùm membris motu orbatis: alios verò motu illæso dolores, siue moueatur membrum (quod longè doloro siùs fit) siue secus, adeo acerbos excitare, quòd videantur ferro aut vinculis ossa & ligamenta dilacerari vi & efficacia incredibili. Cuius rei gratia in memoriam reuocare oportet, articulorum ligamenta duplicis esse naturæ: quædam enim sensu prædita manifesto existunt: nonnulla verò sensu omnino orbata, nimirum ea quæ ex tendone constituta vicem ligamenti gerunt: velut sunt ea quæ tibiam cum coxa coniungunt, & femur cum coxendice: quippe hæc cum ossis cartilagine nascuntur, & quasi ab ipsa oriri constat, condrosyndesmi appellata, nullumque à neruis susceptantia beneficium, ac ex consequẽti sensu carent: illa verò quę sensu prædita existunt, vt quæ à periostio sortiantur principium, membranosa etiam sunt & neruorum filamentis intertexta validissimis, vt quæ duo ossa vehementioribus motibus dicata colligatura erant: tendones etiam dolent vt nulli esse absconditũ arbitror. Quibus perspectis facile erit distinguere controuersiam, ac scire quare partes quædam, motu orbentur citra dolorem vt eæ quæ ex tendone constitutæ, vicem ligamenti gerunt, aliæ verò dolorem vehementem concirent.

His duobus suppositis sequitur etiam aliud non minoris momenti, nimirum essentiam omnibus articularibus doloribus communem sitam esse in ratione symptomatis, videlicet doloris, cæterum proficisci à complexu & syndrome plurium morborum, qui ex vna humoris defluxione prodiens, varios concitat affectus: nã humor in cauitatem articuli prolapsus, solutionem continui efficiens ob separationem vniùs ossis ab alio (quæ licèt contigui sit disiunctio, extensionem tamen in partes vicinas efficit) cauitatem replens in via morbum parit, aut in loco non naturali sibi: postea verò inflammationem & succensionem contrahens, inflammatorium gignit affectum: hoc est (non veram inflammationem, siquidem nũquam visum est conuulsione corripi eos qui articularibus morbis sunt oppressi, quæ neruosarum partium inflammationibus ferè communis existit) intemperiem articuli & partium omnium circunstantium cum humorum affluxu, qui non inflammationem vt dictum est, parit, sed humorum imbibitionem citra abscessum & collectionem, quæ verè apostemosa sit. Quippe arbitrari potius oportet vel illius partis venas adeo repleri, quòd partem in tumorem eleuent, vel aliquid exudare (præterid quod in articuli cauitatem prolabitur & stillat) in carneam subst ãtiam, quo pars intumescit & longè minores fiunt dolores, quàm si citra partis externum tumorem, totum humoris quod fluit in articulum prolaberetur: & ob id, dum pars intumescit, dolores subsident & quiescunt aliquantulum. Itaque præcipua affectus ratio sita est in dolore, morbus verò qui causa est, in continui solutione ob articulorum disiunctionem & ligamentorum extensionem: item & in inæquali intemperie, quæ affluxu materiæ vtrumque vicium præstat: cum hoc tamen vt inflammatio medellam susceptat, eo quòd ex defluxu principium trahat.

Præterea omnes articulares affectus duplicem habent causarum sortem omnibus communem (licèt quilibet specialius aliquid prærequirat, quod suæ speciei constitutiuum existat) nimirum articulorum impotentiam (siue ex natiuis principijs, siue ex indebito vitæ instituto proueniat) ac humorum abundantiam, dum vtraque causa simul concurrat, vt ex Gal. 4. aphorism. 28. & 29. apertè videtur constare, eo quòd neutra seorsum id præstare nata erit. Quod probat euidens ratio, siquidem articulares dolores per interualla repetunt, & datur locus intermedius à dolore immunis, quamuis eadem præsit articulorum imbecillitas quæ per se dolorem

rem efficere nequit, quo fit vt vtraq; causa opus sit: illa quæ recipiat & congreget humores præimbecillitate, & hac qua humores qui ad eam partẽ fluunt distensionem efficiant. Natiua autem impotentia dupliciter succrescit: vno modo ex primæua articulorum structura & conformatione, qua laxiores, molles & ea ratione ineptos ad motum efficiat, & quæ non sufficiat discutere quod ad ipsos confluit: quo fit, vt aptissimi existant excrementis recipiendis, & facilè motu cõtinuo ad se quidquid in corpore superfluum fuerit alliciant, & cùm digerere non valeant, promptissimè in hæc mala procidant. Secundo verò modo impotentia contrahitur in articulis, qualis à patre arthritico, podagrico aut ischiadico præstita fuit in principijs generationis: quippe is est vnus ex hereditarijs morbis: nam cùm ossea partes ex seminali materia fieri habeant, quidquid imbecille & morbidum patres obtinuere, facilè filijs communicant. Succrescit non minus prædicta impotentia ex desidiosa vita crapulis & ebrietati dedita: quippe podagram Bachi & Veneris filiam finxerunt antiqui. Venus enim intempestiua & immodica summã parit articulorum impotentiam, quę facilè in podagram commigrat, maximè si accedant causæ quæ recrementa adaugent, vt intermissio consuetæ euacuationis, cuiusuis succi sit: quo certum est articulos debilitatem contrahere accedente venere. Nam ob id dixit Hippocrat. pueros, eunuchos & fœminas podagra non vexari: sed adeò vitæ luxus creuit, vt eunuchos, fœminas & pueros in hos morbos delabi non rarò conspiciamus: cùm scriptum sit Plinij temporibus, paucos fuisse visos podagricos, quod Seneca etiam pulchra alia ratione confirmat. Quippe accedente venere succrescit concussio, motus & concalfactio articulorum, ex quo celerius eo materia decumbit: atque etiam fit vt podagrici magna ex parte salaces sint: quibus si diuersorum atque crudorum ciborum copia accedat, facilè quod supereſt, in eã partem allicitur. Sunt etiam quæ imbecillitatem pariant aliæ non paucę nec minoris momenti causæ, vt frequentes equitationes, quemadmodum de Schitis retulit Hipp. lib. de locis aqua & aëre, & exercitium intempestiuum à cibo, compressio calceamentorum, item calorifica & humectiora exercitia, & frequentia balnea. Ob id quidem senilem ætatem his doloribus expositam esse, euidenti experimento est confirmatum, quia motus instrumenta refrigerari iam incipiunt: quo fit vt per totum vitæ discursum doloribus premantur, licèt remissionem & interualla susceptent. Altera autem causa quæ non minoris est momenti, in humorum qui ad particulam fluunt vitio, sita proculdubio existit: in cuius enodatione tria mihi expendenda (etiam omnibus articularibus affectionibus cõmunia) sese offerunt. Primũ sanè est qualis naturæ sit materia, quæ nata sit id malum efficere: nam neq; in hoc authores concordi animo existunt. Statutum enim est ab Hipp. lib. de internis affectionibus & Gal. ac veteribus omnibus, ex quouis humore articulares affectus fieri posse, vbi ea vbertate abundant, quòd inundationis fluuiorum modo alueum excedant egrediãturque, & è venis exilirant per diapedesim aut anastomosim: quo profecto constat potius copia quàm solo vitio fieri posse. Et quanquam id dogma à veteribus receptum fuit, non defuere inter neothericos, qui mordicus aduersus omnes statuerint, solùm pituitosum serosumque succum id malum posse efficere. Sed his missis tenendum est, omnes humores in id cõspirare posse: quod probant varij tumorum colores, dolores diuersi, accidentia varia, terminus declinationis non vnus, ac rursus curandi ratio varijs modis instituenda ex necessitate diuersitatis causæ: quòd si vnus tantùm esset humoris modus, non opus esset tanta in curatione & consideratione varietate. Hoc tamen expendes, quòd licèt articulares

affectus

affectus omnes,omnes etiam humores posſint efficere, cũ hoc tamẽ arthritidem plerunque ſanguinis vbertas:podragam cum ſanguine bilis vel pituitæ fluxilis copia:iſchiadem pituitæ fluxilis maiori ex parte redundantia,licèt id quoque aliter poſsit accidere,vt paulo inferiùs monſtrabo. Nam euidentiſsimum eſt, humores frigidos & craſſos,non poſſe ſub propria forma,adeo anguſtos meatus permeare, niſi adminiculo bilis flauæ,quam ſcimus faciliter diſcuti, manereq; pituitoſum & craſſum,ac nonnunquam in tophos abire. Itaque fiunt hi morbi natura interiùs ad articulos trãſmittente quantitate aut qualitate moleſtos ſuccos:idque hyeme præſertim genitos,quos ver fundens in articulos agit,ſicut æſtate ob orarios fructus plures quoque gignuntur,quos autumno in articulos mittit,non tamen plurimos,quia æſtas plures diſsipauit.

In qua re ſupereſt adhuc tanquam ſummè neceſſarium differere qualis naturæ ſit humor,qui in podagram degenerare ſit aptus:nam licèt ſucci abundent,aut vitiati ſint,non ob id ſequitur in articulares affectus protinus degenerare. Quapropter ſciendum eſt,ex communi ferè Medicorum ſentẽtia,hos debere eſſe crudos: quippe putridi,aut aliter vitiati rarò aut nunquam fiunt huius mali cauſa. Verùm quia cruditas varijs modis conſideratur(putredine nimirum aut defectu coctionis) videndum eſt quæ harum cauſa proximior ſit. Cui dubitationi dicendum eſt eam ſolam,quæ defectu fit caloris coquentis, huic malo cauſam præſtare, cæterũ cùm calor multis modis deficiat,ſtatuendum quoque erit,ſolam eam cruditatem aptam eſſe quæ caloris raritate & tenuitate fit. In qua re ſcimus,caloré fieri rariorẽ & huic cruditati aptum(intelligimus enim de calido innato & ſubſtãtia eius) vno è tribus modis. Primo ob partem pinguiorem quæ ab eo ſuperatur & educitur, vt in frequentioribus actibus venereis, vel in frequentiſsimis & copioſis ſanguinis detractionibus contingit. Secundo ob diſſolutionem eiuſdem caloris à calore externo,veluti his contingit qui frigus nullo modo experiri volunt, & aromatis, aut vinis potentioribus vtuntur. Tertio rareſcit calor & impotens efficitur, quòd ei admiſceatur aliquid incoctum,ſed calidum,vt in his qui vitam agunt otio & crapulis diditam, quippe in his non cõſumitur humidum aqueum. Itaque impotens & rarior efficitur,per detractionem vtilis,aut additionem inutilis,vel à ſeipſo,vt à calore. Sic profectò in his quibus aliqua prædictarum cauſarum viget, perpetuam aut frequentem cognoſcimus podagram;maximè ſi accedat temporis iniuria cruditatibus gignendis apta,ac idonea etiam eas fundere. Denique ex his quæ hucuſque dicta ſunt, euidenter colligitur corpora fieri huic malo paratiora vno è tribus modis:poteſtate nimirum, veluti ſunt quæ calorem aliquo ex tribus memoratis modis habent rariorem & imbecillum in iecore,corde & venis:ſecundo præparatione,vt qui crudum aliquo ex tribus modis genitum iam habent in venis: tertio verò actu,quemadmodum ſunt corpora,quæ vel habent in articulus habitualem diſpoſitionem,vel actu laborant. Præter quæ etiam conſiderare licèt, hanc cruditatem ſuſcipere bilem,pituitam & melancholiam, necnon & ſanguinem, & ita fiunt podagræ genera iuxta numerum humorum:nam vbi cruditas aduenit in bile fit æſtiua podagra:ſi in pituita hyemalis:ſi in omnibus humoribus aut ſanguine vernalis,& ſi in humore exuſto autũnalis. His ſuppoſitis ſtatuendum eſt, hanc cruditatis ſortẽ non eſſe vtcumq; genitã,& vt reliquæ,quæ vel febres, defluxiones & cæteros morbos procreant,ſed aliquid ſortiri peculiare,quo magis in hunc affectũ articularem, quàm in reliquos commigrat: id quidem eſt humores fieri tenuiores cum fuſione & mordacitate, quibus facile ab omnibus partibus reijciuntur, donec

donec ad articulos perueniant,qui ob natiuam & contractam etiam à cauſis dictis impotentiam,eos facillimè ſuſceptant,& ſuſceptos cõtinent,donec vel omnino reſoluantur(quod antequàm fiat longè imbecillior remanet articulus,quo facilius deinceps alios admittit) vel reſoluta parte tenuiori craſſa in tophũ degeneret. Quæ omnia ſi quis diligenter penſitet, reperiet proculdubio,quæ corpora ex his poſſunt ſanitati reſtitui,quæ verò præſeruari per diutinum tempus,& quæ neutrum. Quippe ſi caloris tenuitas ex crapula & otio ſuboriatur, & ea ratione cruditas,ſanitati eos reſtitues victus parſimonia & exercitio, vt legitur apud Porphi. in vita Plotini de ſenatore Romano. Nec maioris difficultatis eſt podagra ex calore ambientis vel vini aut aromatum,ſi aquæ fiat potor laborans,& regionem in frigidiorem ac temperatiorem mutet. Verùm ſi ex reſolutione pinguoſę partis humidi fiat caloris raritas & impotentia, ſiue ex venere, ſiue ex ſanguinis profuſionis frequentia,proculdubio,& inſanabilis fit, & crebris acceſsionibus laborantem ſummopere torquet & infirmat. Quapropter arcẽdi ſunt ſic affecti, à venere & à ſanguinis crebris profuſionibus,vt mox referam.

Præterea quiuis humor ſit qui redundat, vno è duobus modis efficere poteſt quemlibet ex prædictis morbis: videlicet per defluxum, aut per paulatinam congeſtionem:hoc tamẽ eſt diſsidij,quòd quiuis articularium morborum qui per defluxum fit,cùm è venis prolabatur humor,rarò ſimplex eſt,nec vno conſtat ſolùm humore,quinimo varijs & plerunque confuſis. At qui paulatim congeritur,ſiue à capite,ſiuè à recrementis partis prodeat, maiori ex parte ab vno tantùm humore ortum ducit: quinimo qui hac lege fiunt dolores,morbi Gallici ſoboles ſemper exiſtunt,quo & diutius durant,& non ex toto delitescunt, neque laborans ad antiquum regreditur ſtatum,ſed dolore ſemper videntur premi per vniuerſum perioſtium extenſo.

Habent etiam hi dolores aliam cauſam præter dictas,communem etiam,nimirum ſiccitatem articulorum,contractam ex conſumptione humiditatis naturaliter in articulo exiſtentis,vt Hippo. ſtatuerat lib. de internis affect. cuius latiùs meminero paragrapho de podagra.

Sequitur ſecundò diſceptandum,à quibus nam partibus prædicti humores in articulos prolabantur,nam id quoque in controuerſiam ducunt authores non cõtemnendi. Quippe ſtatuunt falſum eſſe, ab alia parte quàm à capite fluxionem hanc proficiſci,atque inſuper addunt non fieri à cerebro,ſed ab externis partibus quæ extra caluariam ſunt & intra cutim,licèt principium etiam & occaſionem habere poſsit ab internis: quippe copioſus excrementitiuſque humor, pituitoſus & tenuis per ſuturas caluariæ euaporans,cohibitus à craſsiori cute, cùm non poſſit ſpirare,paulatim congeritur,& protinus ad articulos truditur, non per venas neque per arterias,ſed per extimas tantùm,quæ proximæ ſunt cuti partes. Sunt etiã qui aſſerant,à cerebro proficiſci fluxionem hanc,ex recrementis ibidem præter naturam congeſtis,& eam fieri per venas,iterum ad ipſas remeantibus prædictis recrementis,quæ per palatum,nares aut ſpinalem medullam aſſueuerant expurgari. Cæterum cùm mille modis videatur hæc ſententia aliena ab omni ratione, & eam infirmauerint alij authores,ob id ſatis mihi erit ſtatuere, originem aliquando fluxionem ſumere à ventriculo: quippe ex ventris doloribus articulares dolores ſuborros fuiſſe conſpeximus,& authores non contemnendi ſcripſerunt. Interdũ verò ab inteſtinis prodeunt fluxiones,quæ in articulos prolapſæ grauiſsimos concitant dolores. vt ex Hippo. & Galen. conſtat. 6. popu. par. 4. com. 3. nam ex colicis

& re-

& renalibus doloribus non rarò viſum eſt fieri. Item ſuccreſcunt articulares dolores, ſemine, menſtruis aut puerperio deficientibus. Præterea viris ex intercepto ſanguinis conſueto & vtili hæmorrhoidũ fluore, quinimo ex quauis vtili & conſueta euacuatione ſuppreſſa proficiſci, omnibus viris doctis euidentiſsimum fit. Sed ſpecialiùs aſſueſcit fluere à capite, à quo intra tunicas tendonum per foramẽ nucæ pituita exudat, quæ per palatum aut nares purgari aſſueuerat: quod libr. de glandulis & de locis in homine euidenter etiam docuerat Hippoc. à quo cenſeo Fernelium mutuaſſe: itaque à capite multis rationibus fieri has ad articulos defluxiones arbitrandum erit, non tamen ſemper nec ſolùm per extimas infra cutem partes, ſed per venas quæ in capite plenitudine turgentes, ac pituitoſis & tenuibus ſuccis abundantes in articulos ſeſe exonerant: & nonnunquam vt docuerat Hippoc. per ſpinalem medullam intra tunicas tendonum, nec opus eſt materiam iterum ad venas remeare, ſed per tunicas delabi. In quibus doloribus longè ante, dorſi & omnium ferè membrorum vel laſſitudo, vel moleſtia, vel leuis dolor percipitur, qui poſtea materia collecta vno in loco grauiores concitat. Specialiùs tamen & frequentiùs totius corporis conſenſu hi dolores ſuccreſcere aſſolent, quod plerunque articulares dolores potiùs quàm podagricos aut iſchiadicos poſſe concitare arbitror: quippe (vt dictum eſt) fluxionis modus quaſi inundatio fluminis & illuuies quædam in cauitatem articulorum & partes vicinas ſuccreſcit: & vt communi venarum damno vniuerſum corpus plenitudine affectum eſt, ita communi vitio afficiuntur articuli ferè omnes, aut partes illas circunſtantes. Longè tamen frequentiùs ex iecore prodit fluxionis materia: nam cùm cacochymia, aut vbertate vel cruditate eſculentorum vel excrementorum id fieri debeat, & horum omnium vitiorum officina ſit iecur affectum, aut alimentorum qui in ipſo coquuntur vitioſa conditio, ob id profecto ab ipſo ad venas commeatus horum vitiorum fieri, & ab his ad venarum extrema & articulorum inanitates, arbitrandum erit, vt latius inferiùs leges.

Tertium verò & vltimum, quod diſputatione dignum iudicaui, eſt ſcire, quibus vijs hi humores in articulos dilabantur: nam ſunt qui aſſerant, neque per venas, neque per alias vias ad articulos effundi ſanguinem aut alium humorem ſanguini mixtum, quia potius fieret in illis partibus inflammatio quàm quiuis alius affectus: quin potius dolentes partes ad ſe trahere ex vicinis quod ſuperuacuum exiſtit. Nãmque non ſolùm adſtruunt non fieri per venas, neque per neruos, neque per conſpicuos meatus internos, ſed per partes & meatus exteriores, qui proximi ſunt cuti. In quære ego ſentio aliquando hos dolores fieri, vt dictum eſt, cæterum rariùs, frequentiùs tamen per venas & membranas tendonum, ac ſæpe neruorum, & conſpicuos atque occultos carnis & reliquarum partium corporis meatus: cæterum frequentiùs & communiùs per venas & communia vaſa quibus alimentum partes ſuſcipiunt. Probat hanc veritatem diebus aliquot ante doloris acceſſum, venas partis turgere, & tumore cõſpicuo manifeſtas eſſe: quippe credendum non eſt, tumorem præexiſtentem, aut poſt dolorem ſubſequutum in partibus, ex attractione aut euocatu à dolore facto ſuccreſcere, ſed potius ex humore in venis partis vberiùs congeſto, fluxurò quidem ad inanitates articulorũ: quo fit, vt quo magis poſt ingentes dolores partes intumuerint, longè minus doleant, quòd humor tumorem efficiens, non permeet ad locum dolorem effecturus, ſed ibidem permaneat. Quod ſanè ſi ex attracto partes intumeſcerent, procul dubio longè magis dolerent, quo tumidiores extitiſſent.

Hæc

Hæc autẽ ſunt omnib⁹ articularibus doloribus cõmunia, & ſigna ac præſagandi principia cõmunia quoq; præſtãt: verũ quia hęc cõmodi⁹ in vniuſcuiuſq; doloris ſpeciei diſceptatione explanare mihi viſum fuit, ob id in eũ locũ adſeruare ſtudui.

Præſeruandi ratio.

Eſt quoq; præſeruãdi quædam ratio his omnibus affectibus cõmunis, & ob id eã ante cuiuſque tractationem ſcribere placuit. Potiſsima enim ſalutis pars ſita exiſtit in præcautione malorum quæ ſuccreſcere aſſolẽt: nam duo ſunt quæ homines deſiderant: ſanitate nimirum citra intermiſsionem frui, quã ſi amiſerint, recuperare amant & omni diligentia ſtudent. Sic in ſalute tutanda præcauendaq; in articularibus morbis, duo potiſsimũ ſcitu neceſſaria exiſtunt, nimirũ cauſas infirmare aufferreq; eodem prorſus modo, ac in morborũ profligatione: ſecundũ longè eſſe facilius cauſas compeſcere tẽpore ſanitatis, quàm dũ morbus iã incepit aut viget. Circa primũ ſtatuendũ eſt, vt duplices ſunt horũ dolorũ cauſæ (nimirũ articulorũ impotentia, & humorũ vbertas aut vitiũ) ita prorſus duplicẽ eſſe præcauendi viã & rationẽ: videlicet articulorũ firmitudinem & reductionẽ ad antiquũ ſtatũ, & humorũ imminutionem. Verũ quia articulorũ impotentia plerunq; aut natiua exiſtit, hæreditaria, vel diu facta & habitualis & fixa, aut ex magnis occaſionibus & cauſis contracta, ob id, huic non plurimũ eſſe innitendũ, ne fruſtra tẽpus & operã perdamus, conſulit curandi ratio. Nam vt ſtatutum eſt à Gal. & veteribus omnibus, vtramq; cauſam ſimul iunctam neceſſariã eſſe ad horum dolorum conſtitutionem, ita prorſus altera deficiente, reliqua nullius erit momenti & efficaciæ. Quo fit vt ſi humorũ abundantiã aut vitiũ imminuas, proculdubio morbũ ipſum quoque præcauebis: nam citra humorũ abundantiã aut corruptelã, impoſsibile eſt, ſiue articulorũ præſit impotentia, ſiue externa aut interna accedat occaſsio, articulares dolores ſuccreſcere. Quapropter ſtudui, loco huius imbecillitatis, quã emendare nequimus, docere externas & internas occaſsiones præcauere: quippe hæ ſæpe morboſum apparatũ mouent ad articulos, cuius acceſſu ipſi deinceps infirmantur, aut ſi præſunt imbecilles faciliùs ſuſceptant. Itaq; nunc duo mihi ſubſunt agẽda in præcautione: alterum eſt humorũ copiã & congeſtionẽ inhibere, aut iam cõgeſtã minuere: reliquũ verò erit interdicere aut præcauere occaſsiones quibus humores hi aut excrementa fundi, liquari & ad articulos ipſos moueri contingit. Inter auxilia quidẽ quæ primo operi proficua eſſe poſſunt, nullum aliud profectò vtilius & tutius ac facilius adinuenies, quã eam victus & vitæ rationẽ inſtituere, quæ humorum augumentũ vel vitiũ nata ſit inhibere. Sic victus parſimonia (cœnis plerunq; ſublatis) ferè omnẽ ſcopum implet: nã præterquã quòd humorum generat minimã copiã, genitam quoq; conterit & euacuat, ac naturam reddit auarã, quo minus aliquid ad affectas partes tranſmittat. Pari prorſus ratione, ea victus cõditio eligenda eſt, quæ humori quondã fluẽti ex oppoſito aduerſa ſit: quippe ſi humor tenuis eſt fluere ſolitus, vel biliоſus & ſeroſus, alimẽta futura ſunt paulo craſsiora, quo minus fluere poſsint ex eis geniti ſucci: ſi verò ex crudorũ ſuccorũ abundantia malũ oriatur, vt facili⁹ cõcoquat natura & minus craſſa ſuperſint excremẽta, tenuiori vel mediocri victus forma vtẽdũeſt. In omnibus tamẽ hãc legẽ ſeruabis, nimirũ q, alimẽta ſint optimi ſucci, nõ acria, nõ ſalſa, nõ mordacia & acuta, neque ea quę vim habeãt inſcindẽdi, attenuãdi vel laxãdi & fundẽdi aut aperiendi meatus, nec rurſus copioſã prẽſtẽt & ſeroſã humiditatẽ vt ſunt fructus orarij. Quapropter carnibus vtatur humo arietis, vituli, caponum, gallinarum, cuniculorum, & alijs quæ eiuſdem ſint naturæ: quæ ſanè neque ſale neque aromatis plurimùm condiendæ ſunt, ſimplicitatem enim alimẽtorum & puritatẽ ſummopere exoptat

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

hæc præcauendi ratio. Vinũ verò omnino interdicere, non solùm in curatione, verùm in præcautione, consultissimũ fuit apud omnes authores, & nunc experimento quotidiano confirmatum: ita vt non defuerint qui in solis vino & venere omnẽ huius mali rationem constituerint. Verùm si ætatis, ventriculi aut cordis indigentia, eo oportuerit vti, parcum sit, nigrum, satis dilutum aqua deaurata vel ex radice Chinæ decocta. Si tamen ex cruditatibus ventriculi materia foueatur, modicum concedere poteris, aut loco eius aqua vti decocta fœniculo, cinnamomo & similibus, vt inferiùs leges. Verùm si venarum vitio id fiat, à vino abstinẽdum est prorsus. His sic constitutis constat humores non minus congregari ac vitiari in his corporibus, alimentorum vbertate & vitio, quàm suppressa cõsueta & vtili vacuatione, cuiusuis sit cõditionis: quapropter eã reuocare protinus, tutissimè & citissime præcauet. Verùm quia reuocatio suppressarum fluxionũ non ita facilis est, ob id prædicta victus parsimonia, interim dũ reuocatur, vtẽdum est: aut si neutrum suffecerit vacuatione iuxta humoris ideã peccantis molita, malum præcauebis. Pari prorsus ratione succrescunt in corpore excrementa, ex demisso exercitio: quod iterũ institues, lentè tamen & paulatim factum, ne humores calore exercitij fusi, ad cõmotos articulos faciliùs confluant. Cæterũ quia hæc nõ semper sufficere possunt, aut corpus nequit his legibus adstrictum viuere, sed maiori licentia vtens, vbertatem & vitiũ humorum cõgregat, ob id statutis tẽporibus, antequã vitium aut copia naturã lacessant ad motum eorum, idoneis vacuationibus ipsos cõterere oportebit. Quapropter vt ex Celso constat, sanguis semel missus annuã in his affectibus promittit sanitatem. Et ob id in arthritide maximè, & in quouis alio articulorum dolore qui à sanguine prodit, ineunte vere sanguinem fundes, quantum postulauerit plenitudinis ratio, maximè si suppressa sit aliqua sanguinis vacuatio. Hoc tamen in præcautione obseruandum est ad venæ sectionem, quòd si arthritis sit, ex communibus brachiorum venis sanguis mittendus est: in alijs verò, particula quæ dolore assuescit affligi, venam quę vtiliùs secanda sit, ostendet: nam in podagra brachiorum venas scindes, sicut in ischiade: in chiragra verò ex talo sanguinem fundes, nisi suppressa vacuatio aliud monstrauerit. Senioribus verò & his qui habitualẽ habẽt morbum sanguinẽ non mittes, longe enim citius in morbum deduces, quia vires ocyssime labũtur, sat enim est vel victus parsimonia vti, vel leui purgatione. At dũ vitiosus humor causam malo præstare assolet, purgandũ profectò eisdem temporibus est, siue per vomitum (vt inferiùs sum monstraturus) siue per aluũ humoris conditio vacuationẽ futuram monstret. Hoc tamen obseruandum est, videlicet quòd dum ventriculus & prima corporis regio huic malo præstat principiũ, vomendum est ter quaterue in mense, ante tẽpus quo natura assuescit dolores cõcitare: quod si laborans renuerit, aut nõ profuerit, terebinthinæ vsum cum rhabarbaro experimẽto fidissimo & grauissimis authoribus firmatum reperio. Idem beneficiũ præstabit hiera simplex Gal. cum agarico. Verùm si vniuersum corpus humores regerere assuescat, arthriticis pilulis purgabis, ac si id semel aut pluries feceris, & cũ hoc malũ reuertatur (maximè si de morbo Gallico suspicio sit) sudationes institues ex radice Chinæ sola aut cum modico guayaco: quod cautè facito, vt consulit Celsus qui ablegandam esse consulit à plerisq; articulorum morbis sudationẽ, vtpote quæ maiores concitat fluxiones suo calore, ac prõptiùs cogit humores recipi in articulis propter mollitiẽ & dilatationẽ ipsorum: quod de balneis pari ratione licèt intelligere, vel fontanellam in sano crure aperies si manus patiantur, vel in brachio si pedes. Quòd si in capite humores cõgregari assuescãt, pilulis cocchijs, de agarico vel Arabicis

bicis vteris. At si ex iecore humores acres, serosi, vel aliter vitiati prodeant, purgabis rhabarbari infuso cum mirabolanis & syrupo ex rosis rubeis. Si tamen serosi humores abundent, syrupo solutiuo ex rosis Persicis vteris cũ expressione seminis cartami: & pari ratione si adustum quid fuerit, diluto foliorum senæ cũ aliquo ex prędictis syrupis, vel manna vteris. Hoc vnum in hac curatione adseruabis, nimirum acriora medicamenta prædictis adhibenda non esse: quippe nõ rarò ob humorum vehementem commotionem, dolores qui diu quieuerant, succrescunt. Superest adhuc vltimam causam expendere, cuius ratione nõ rarò articulares dolores accidere assolent. Quippe licèt corpus purgatũ sit, & ab alijs humoribus immune, adeo occasiones solent quosuis succos turbare, quòd solæ hæ dolores accersant. Sic proculdubio immodicus veneris vsus, ob impensam humorum agitationẽ & facultatum impotentiã, solus podagricos creat ex fortissimis hominibus. Venus enim immodica cruditates generat, & humores resoluto vitali spiritu vitiat, & ob id materiam huic malo præstat: potẽtias imbecillitat & articulos, ac insuper in humoribus concitat motum. Pari etiam ratione animi passiones, otium immodicum, intẽpestiuum exercitium, vigilia intẽsa, somnus profundior, crapula & ebrietas mille modis huiusmodi dolores accersunt. Item cæli status (vt paulo inferiùs mõstrabo) nec non aëris, regionis & habitationis conditio. Quarum rerum certam legem ac vnã rationem scribere, quæ omnibus proficua sit, mihi perdifficile videatur: nã sunt qui australibus ventis, sunt qui alijs benè, malèue se habeant: sunt qui in regionibus humidis, sunt etiam qui in siccioribus, frigidis aut calidis. Quapropter experimento iuuamenti aut læsionis sumpto, præcautionem cuique proficuam instituere oportebit: hoc vnum tamen certò scio omnibus fore proficuum, nimirum his omnibus vti temperatioribus & medijs, vtpote quæ nulli extremorũ lædere possint: & hæc de præcauendi ratione sufficiant.

De arthritide.

Articularium morborum nomen & genus meruit is dolor, qui omnes aut plures articulos occupat, arthritis ob id appellatus: cuius natura peculiaris, quæ ipsum ad cõstituendam speciẽ ab alijs disidentẽ contrahit, proculdubio est, nõ dolorem, symptomaue esse, & in ossiũ articulationibus vigere (quod cõmune est & genericũ omnibus articularibus morbis) sed plures aut omnes articulos occupare (quod nulli reliquarũ specierum accidit) itẽ non prærequirere articulorum eã imbecillitatem, quæ facta sit & habitum acquisierit, sed longè leuiorẽ, licèt requirat maiorem multo humorum copiam, quæ nata sit omnes articulos adire. Nam ex duplici causa, quæ complexu mutuo hos affectus efficit, articulorum imbecillitatem innatam aut factam cum leui humorũ copia requirit ischias aut podagra: at arthritis maiorem longè humorũ copiam, & leuiorem imbecillitatẽ, eamq; potius à causa extrinseca ortã, nisi hereditari⁹ fuerit affectus, & adhuc in eo quædã partes imbecilliores supersunt alijs, ita vt rarò arthritis succrescat, frequentiùs tamen podagra, chiragra aut ischias. Quam sanè doctrinam probant duo euentus, quos euidẽtissimos cõperimus in arthritide: primus est partes dolore corripi, principio accepto ab ipsarũ tumoribus, cũ è cõtra podagricis & chiragricis accidere visum sit, nimirũ primò partes dolere, postea in tumorẽ eleuari: secundus quòd arthritis non requirit quadraginta dierum spatium ad resolutionem humoris, vt in podagra & reliquis statuit Hipp. 6. apho. 49. Primus sanè prodit ab hac peculari conditione, qua insignitur arthritis, nimirũ prodire semper à totius plenitudine, quã in omnes articulos deponit natura, tumefactis venis & prolapsa etiã materia in partes ligamentosas, mẽbranosas & carneas: licèt statuendum sit, aliquid etiã in articulos prolabi, cæterũ id quàm

pauciſsimum eſſe, quo fit vt facillimè reſoluatur, quia aptiores ſunt prædictæ partes humoribus quibuſuis diſcutiendis, quàm oſſeæ articulationes, in quibus neceſſum eſt tempore diuturniori ſuppleri, quod caloris impotẽtia nequit efficere: quibus etiam accedit articulorum imbecillitatem non eſſe adeo intenſam ac in reliquis doloribus, & ob id, citius reſolui humores. Sequitur tertiò ex his omnibus nõ ita frequenter redire arthritides ac podagram & iſchiadem aut chiragram, quia cùm imbecillitas non ſit habitualis, omnibus cauſis quæ grandiores non ſunt, facillimè reſiſtit: quo fit, vt quàm rariſsimè aut nunquam reuertatur, niſi vitæ intemperantia copioſam congreget plenitudinem: at in podagra & reliquis à leuioribus cauſis & in minori materiæ copia redit dolor, & frequentiùs ingruit, quia articuli ſunt lõgè imbecilliores ex natura, & quia ſemel ibidẽ ſuſcepta materia imbecillimi remanent, & ſuſceptioni paratiores. In arthritide verò, radicitus diſcutitur materia omnis, quo nihil ſupereſt quod impotentiam articulorum adaugeat.

Cauſa. Habet quidem cauſas arthritis cum reliquis articulorum doloribus communes, & veluti peculiarem & intrinſecam habet plenitudinem vaſorum, præſertim ſanguinis: externam verò omnem occaſionem, quæ articulis laborem & exercitium afferat inſuetum, quo ipſi incaleſcant, laxentur & dilatentur, ac humores fuſi, effer ueſcentes & commoti in ipſos confluant, quos facilè pars labore effecta laxa & imbecilla, alliciat aut ſuſcepter. Quales verò ſint cauſæ quæ laborem, laxitatem aut calorem articulis afferant, ſuperiùs diximus, ſicut eas quæ ſanguinis & reliquorum ſuccorum vbertatem miniſtrare poſſunt. Nec prætereũdum eſt hac in parte, poſſe ab articulorum ſiccitate arthritim ſuboriri, ſed hanc cauſam in podagra ſpecialiùs enodatam reperies. Interim tamen ſcito, ex ſiccis temporibus aut alimentis vel inordinatis exercitijs, adeo reſiccari articulorum humiditates (nõ ligamentorum aut oſſeæ ſubſtantiæ, ſed mucilaginoſæ intra articulum contentæ) quòd ſpuriam arthritidem generet, maiori impotentia ad motum præſtita cum mitioribus doloribus.

Signa. Affectus ſua natura cognitu facilis exiſtit, quippe dolent citra cauſam manifeſtam plerunque omnes corporis articuli: verùm cum hoc à Gallici morbi doloribus, qui his ſunt ſimiles, non ita facilè diſtingues. Vtrunque enim doloris genus eaſdem partes videtur infeſtare & eodem modo: cæterum diſſident, quia Gallicus rarò aut nunquam fit cum tumore, qui ſi forte apparuerit, non in omnibus articulis, ſed in aliqua ſignatim parte comparebit: at arthritis cum tumore, in omnibus aut pluribus plerunque conſpicuo. Præterea Gallicus ſenſim paulatimq; ingruit, & non ſimul in omnibus aut pleriſque: arthriticus verò, licèt paulatim cauſa in membro adhuc dolente gigni poſsit, in articulos tamen ferè omnes, ſubitò affatim & cõfertim decidere oportet. Item Gallicus dolorem infert iuxta perioſtion, in intima particulæ regione: arthriticus autem in extimis, vbi tumor apparet, & in intimis etiam. Inſuper Gallicus plerunque ſemper habet comitem diuturnum capitis dolorem: arthriticus rarò, aut leuem. Præterea Gallicus noctu & in temporum mutationibus, maximè auſtrina & calore lecti exacerbatur: arthriticus omnibus diei partibus citra vllam remiſsionem, niſi præſtito auxilio. Etiam Gallicus incipit poſt bubones venereos repercuſſos & intrà verſos: arthritis verò poſt crapulam, demiſſum exercitium aut cum plenitudine acceptum. Cognito affectu, fiat ne à ſanguine venaberis ex venarum & totius carnis tumore, rubore, tenſione & continuo dolore. Vrinæ his ſunt mediocres, aut parum à naturali mutatæ, præterquàm quòd nubeculæ inſtar, ſedimentum in medio appa-

ret. Quod

ret. Quòd ſi præualuerit in ſanguine bilis, color inter rubrum & pallidum medius aderit, dolor acutior cum maiori & euidẽtiori calore, qui maius ſuſceptat à frigidis leuamen, quàm ſi à ſolo fieret ſanguine. Tumor citius apparet cum exacerbatione per tertium: ſitis valida: febris intenſior cum vrina etiam ſubflaua & acri. Verùm ſi pituita redundauerit, color albus ſubter cutem apparebit, & tactui cedet ad modum tumoris pedum in hydropicis: dolores nonnunquam mediocres, ſed qui per plures horas durant, & paulatim aliquando increſcunt. Quòd ſi ſalſa ſit pituita, pruritus accedet maximus cum mordacitate: vrina item tenuis & craſſo ſedimine plena. Sic ex atra bile, fieri noſces ex atro partium colore, frigoris ſenſu, & dolore frangenti ſimile, ac veluti abradente profundas particulas, quarto tamen die exacerbantur manifeſtiùs accidentia.

Verùm ab hac cauſa orta arthritis difficulter curationem ſuſceptat, quia nullo cedit præſidio. Præterea ſi præſto huic affectioni præſidium non attuleris, plerunq; in habitualem podagram commigrat. Et licèt dictum ſit à veteribus ferè omnibus, podagram, chiragram aut iſchiadem in arthritidem mutari, cenſeo nõ exquiſitam eſſe arthritidem, ſed etiam quæ ex tribus prædictis conflatam arthritidem ęmulatur: quippe aliud eſt, hominem his omnibus ſimul iunctis vexari, & longe aliud arthritide ex vna communi cauſa, & vno generationis modo: nam illæ licèt ſimul iunctæ reperiantur, varijs tamen de cauſis & occaſionibus fieri poſſunt, & ob id arthritidem non conſtituunt, licèt omnes articuli doleant. Succreſcunt frequenter hi dolores vere & autumno, quòd ſic affecti & parati in eos incidere, neque ſudant aut mingunt his temporibus quantum aſſueuerant. *Præſagiũ.*

Cùm id quod magis in articulorum doloribus perpetuò vrget, ſit dolorum & laborum ac vigiliarum ęquitia, non rarò coguntur Medici eiſdem vniuerſam præſtare curationem, neglecto morbo, quem primò auferendum eſſe conſulit medendi ratio. In qua re vel nihil vel parum beneficij laborantes ſuſceptant, & non rarò, leui aut fucato leuamine præſtito, in longè maiora mala dilabuntur, aut affectio in diuturniorem commigrat, quòd euerſo ordine curationem ſequamur, nulla cauſarum & morbi habita prouidentia. Quapropter, licèt laborantes anxiè expoſtulent quàm citiſsime ab his moleſtijs liberos eſſe, & concupiſcant quæ poſſumus & quæ non poſſumus: cum hoc tamen generoſi Medici eſt, præſtito mitigatorio auxilio, vniuerſam curationem & omne ſtudium in morbi ablatione conuertere, quæ certior erit ac ſecurior mitigationis ratio. *Curandi ratio.*

Sic à primo mali inſultu ea vitæ & victus ratio inſtituatur, quæ aẽrem miniſtret temperatum, & ſi biliosa fuerit fluxio frigidiorem: alimenta quæ modicè nutriant, quibus ſobriè quoque vtatur, ita vt neque copiam adaugeat, neq, vires plurimum deijciat: licèt primis diebus tenuior forma ſit inſtituenda, quantum ſat ſit, vt aura facta natura, minus ad articulos tranſmittat. Potus ſit aqua deaurata, exercitium nullum, ſomnus moderatus, aluus ſoluta clyſmatis, & animi perturbationibus laborans ſit exors.

In curatione verò ſtatuẽdum eſt, ſiue ſolius ſanguinis plenitudo ſit (quam huius mali potiſsimã cauſam eſſe diximus) ſiue quauis cacochymia admixta, modò perſtent cruditates, modò ſecus, à clyſmate ſanguinẽ eſſe mittẽdum. Nã vt ex Hippo, & Galen. conſtat lib. 3. popu. eadem omnino inſtituenda eſt prouidentia aduerſus cauſam in curatione ac in præcautione: inquit enim: Quæcunque ex recta ratione faceremus morbis preſentibus, melius eſt eadẽ, vel ipſis iã incipiẽtibus vel incęptu ris moliri: quod maximè verũ eſt, de his morbis quæ à fluxione humorũ pendẽt, &

quando ſunt in initio. Quo fit, vt iure optimo teneamur & plenitudinem minuere, & impetum ad articulos auertere, vt præceperat lib. de ſanguinis miſſ. cap. 19. quod nullo auxilio commodiùs facies, quàm ſanguine miſſo. Primis quidem diebus diligenter & copioſiùs, iuxta virium cõſenſum: poſtea verò per interualla, quo vires morbo & præſidijs ſufficere poſsint, idque ex brachijs & interna vena facies: quia ſicut in acutis morbis, vt conſuluerat Hippocr. 4. acutorum. 24. ea ſciſſa, partes principes protinus euacuantur, ita & vniuerſum corpus. Verùm ſi ex ſuppreſſa aliqua ſanguinis conſueta & vtili vacuatione arthritis oriatur, non protinus reuocanda: quinimo priùs plenitudo ab ea exorta deponenda per venas brachij ſciſſas, poſtea verò quòd ſupereſt, auertendum deducendumq; per venas parti per quam ſolebat fluere proximas. Quapropter ex talo ſanguinem mittes, & affectu à vehementia ſubſidente, ſi diu perſtiterit, ſuppreſſam fluxionem reuocare ſtudebis per hirudines, ſi hæmorrhoides obcœcatæ fuerint, vel per ea auxilia quæ citra humorum turbationem & nouum motum, menſes mouere nata ſunt: cuius naturæ exiſtunt cucurbitæ femoribus affixæ, ac nonnunquam ſcarificatæ, vel ſciſsiones venæ tali, per quas parum ſanguinis ſed frequenter extrahatur, maximè ſi ſuperiores partes magis doleant. Cauere tamen in hac curatione omnino oportet reliqua quæ menſes mouere nata exiſtunt, vt quæ maius damnum ſint allatura, citra id quòd menſes mouere poſsint.

Cæterum in opere purgationis multa etiam conſideratione digna nobis ſe ſe offerunt. Primum quidem eſt, arthritidem peculiariùs expoſcere & ferre longè meliùs purgationes, quàm podagram aut iſchiadem: nam cùm humor ſit in omnibus vaſis & ad omnes articulos fluat, & vniuerſus in motu exiſtat, naturam potius habebimus adminiculantem medicamento exhibito, quàm quòd ſperandum ſit, ob id citatiùs moueri, & in partes dolentes irruere, vt in reliquis articulorum doloribus frequenter conſpicimus: quinimo ſalubriter euacuatur redundans copia, & quæ adhuc ſupereſt in vaſis auertitur à locis dolentibus, & ad ventrem reuellitur. Cum hoc tamen in ſanguinea arthritide longè minus eſt purgandum, idque tardiùs & mitioribus medicamentis: exacerbatur enim ſanguis pharmacis acrioribus & calidioribus ac bileſcit, & ob id longè deteriùs ſe habent laborantes. Quo fit vt neceſſum ſit, ſedata doloris vehementia & inclinante affectu, poſt ſufficientem ſanguinis detractionem, manna, caſia, aut ſyrupo ex roſis rubeis purgare: ſemper tamen roboris gratia, & vt viæ arctiores fiant & fluxui ineptiores, aliquid rhabarbari vel corticum mirabolanorum admiſcere, quo etiam feroſam ſanguinis partem (qua ipſe fluxibilior efficitur) educamus. Verùm ſi bilioſa fuerit plenitudo, licèt ſanguis etiã mittendus ſit, non tamen differenda purgatio eſt, donec ex toto quod ſuperabundat, vena ſciſſa extrahamus, ſed bis terue ſanguine miſſo, protinus purgare conuenit (etiam ſi vlteriùs ſanguinem detrahere opus eſſe videatur) medicamento quod vires habeat bilem educere: qualis naturæ eſt in liquore nouem infuſionum roſarum manè. ℥.ij. diſſoluere, vel purgationem inſtituere, cum ſyrupo ſolutiuo ex additione ſenæ, aut manna diluta in infuſione foliorum ſenæ. Quippe ſi vlteriùs purgationem differas, feruidior fiet vniuerſa ſanguinis maſſa, ac ex conſequenti fluidior, & forſan cogeris plus ſanguinis extrahere (vt laboranti doloribus oppreſſo ſubuenias) quàm vires ferre poſsint, in morbo aduerſus quem diu ſunt pugnaturæ: præterquam quòd refrigeratio hac lege contracta, non eſt ex vſu his affectionibus, vt quæ fiat potius defectu caloris & ſpiritus euaneſcentis, ac reſoluti ſanguinis miſsione, quàm euacuatione bilioſorum, quæ inſufficienter efficitur ſanguine miſſo. Ob id primo acceſſu copioſiùs purgare licebit, quo facto, ſi quid ſanguinis ſupereſt euacuandum, tutius efficitur & liberior ſubeſt via alijs purgationibus, ſi eis opus fuerit. Cæterum ſi pituitoſa ſit aut melancholica plenitudo, parciùs ſanguinem mittes, & per plures ac partitas vices, lõgioribus interuallis factas, quo in ſanguinem aliquid pituitæ mutari poſsit, admiſcerique adequatiùs, vt vtilior exiſtat ſanguinis detractio: frequentiùs tamen erit purgandum, non tamen ita copioſe ſed per epicraſim, vt quod arte aut vi naturæ purgationi diſponitur, aptiùs & faciliùs educatur. Quo etiam purgationis modo deſſueſcit natura à cõſueto fluxu & tranſmiſsionis loco: idque facies infuſo agarici aut cartami ſucco cum ſyrupo roſarũ Perſicarum. Verùm quod in hac cauſa vtilius fore arbitror eſt, quantum ſanguine aut bile redundantibus pernicioſum exiſtit, purgare pilulis aggregatiuis, arthriticis, de agarico & reliquis quæ vim habeant humores à diſtantiſsimis partibus allicere, vt trifera perſica, benedicta laxatiua, electuario eleſcopi, diaturbit cum rhabarbaro & diaphenicone: eiuſdem quoq; naturæ ſunt pilulæ cocchiæ, fœtidæ, aureæ, de ſagapeno, de hermodactilis, aut de opopanace: nec minoris momenti eſſe arbitror (ſi febris non adſit) terebinthina & rhabarbaro purgare. Quas purgationes repetes, iuxta laborantis indigentiam, robur aut affectus diuturnitatem: nam habito horum omnium reſpectu, plus minuſue, frequentiùs aut rariùs eis vteris.

Factis prædictis tum ſanguinis, tum redundantis humoris vacuationibus, longè maiori vſurus es prudentia in adminiſtrandis topicis auxilijs, quàm in quouis alio articulorum dolore. Quippe ſiue repellentibus vtaris, ſiue diſcuſſorijs aut anodynis, ſemper lædes: nam cùm fluxio fiat ad plures articulos, ab ipſis repellere verendum eſt, ne in principaliorem partem decumbat fluxio, cùm plures partes, quantumuis minus principales ſint, efficaciores ac potentiores exiſtant ad membrum principalius pellere, ſi repellentium beneficio iuuentur. Si tamen quod contentum eſt diſcutere velis, proculdubio longè magis ſperandum eſt, ex tot partibus calfactis, humores plurimum fundi ac vias laxari, & ad partes ipſas ipſos euocari. Item ſi mitigare ſtudueris, imbecilles ac effœminatas reddes partes, & lõgè molliores, quo certum eſt iterum longe faciliùs in eundem morbum aut aliquam eius ſpeciem caſuras. Quapropter hoc mihi perſuaſum habui & experimento vtiliſsimo obſeruaui, longè ſatius eſſe, nullo vti particulari auxilio, quàm ſpe leuis mitigationis, in grauiora pericula laborantem deferre. Cum hoc tamen non erit abre, vni aut duabus partibus ea adhibere præſidia, quę profutura podagricis affectionibus inferiùs ſcribam. Hoc tamen vnum eis ex vſu fore arbitror, corroborationis gratia iam inclinante affectu & vt diſcutiatur, ſi quid adhuc remanet in partibus, nimirum vino rubro chalybeato, ſolo aut aqua ferrariorum admixto vti.

De podagra & chiragra.

Quantumuis genere eædem ſint hæ duæ affectiones inter ſe & cum arthritide, cum hoc tamen aliquid habent peculiare, quo ab ipſa diſsident natura & curatione. Eſt itaque podagra (& pari penſu de chiragra eſt ſubaudiẽdum, circa naturam cauſas & curationem) articulorum pedum & manuum inflammatoria defluxio cum dolore. Quibus verbis apertè innoteſcit huius mali natura: quippe citra defluxionem fieri eſt impoſsibile, ſi vera ac legitima futura eſt podagra: item prærequirit ſuccenſum exiſtere humorem citra collectionem quæ abſceſſum efficiat, nam aliter phlegmonis aut alterius tumoris præter naturam conditionem ſortietur, nõ podagræ. Præterea doloroſum prærequirit ſymptoma, alioqui mollitudo ſuccreſcet articuli & laxitas, non podagra. Ratio primi eſt, quia cùm huius mali natura ſita ſit

sita sit in articuli extensione & separatione, necessum proculdubio erit, aliquid humoris in eius articulationem & cauitatem procidere, cuius occasione partes discedant, & ossa adinuicem separentur. Ratio etiam secundi est, quia si humor non inflammetur aut saltim incalescat, iudicationem non sortietur, sed necessariò, humore diu permanente in alium affectum mutetur podagra: incalescentia enim & feruor iudicij est causa: nam ad pensum caloris præter naturam, natura nititur ipsum mutare & deuincere, cauens ne calor ille partibus adhærescens, ipsam omnino ac eius innatum calorem infirmet, perdat & superet. Tertij verò ratio est, quia cùm humor, quantumuis tenuis sit, non possit in cauitatem articuli prolabi nisi per ligamentorum substantiam, dolorem ob id non mediocrem concitat, sed longè grauiorem, cùm ad discessum articuli ipsa quoque ligamenta tenduntur ac veluti dilacerantur.

Quo supposito, statuendum est, podagram esse duplicis naturæ & conditionis: vnam quidem legitimam & exquisitam: alteram verò spuriam & illegitimam: illam quidem solùm constitutam & genitam ab humore intra articuli cauitatem prolapso, quæ ob id gutta à Barbaris dicitur, quia stillatim & guttatim in eam partem procidit. Hanc verò duplicē vlterius arbitramur esse: vnam quæ fit humoribus in tunicis ligamentorum & tendonum in neruis aut in eorum venis turgentibus & distendentibus, nulla eorum portione in articulos prolapsa: alteram verò quam Hippo. arbitratus est fieri ex siccitate, hoc est contrario prorsus modo ac legitimam generari diximus, nimirum per resiccationem humiditatis intra cauitatē articuli ad faciliorem motum præstitæ: quod sanè nouisse ad curationem non est parui momenti, vt mox referam, si priùs causas cuiusque adduxero. Quibus addes has omnes posse insigniri & fœdari Gallica conditione, qua mille modis ipsam simulat & variat, ac miris varietatibus cum temporis diuturnitate immutat.

Causæ. Podagræ & chiragræ causas easdem esse, cùm his quæ articularibus morbis sunt communes euidentissimum est, hoc tamen habent proprium & peculiare, quòd maiori ex parte (sicut arthritis à totius plenitudine, licèt articuli non sint adeo imbecilles) concitētur ex articulorum impotentia, quantumuis morbosus corporis apparatus sit leuis, aut externa occasio parui momenti. Probat hanc veritatem, morbum posse esse hereditarium, cuius morbosum apparatum credendum non est à parentibus contrahi, sed solùm partium natiuam impotentiam, quæ leuissimis causis in similem affectum ducit genitos. Habet etiam hic affectus aliud peculiarius (licèt non desint qui arthritidi etiam tribuant) nimirum spuriam podagram à siccitate articulorum posse etiam fieri. Cuius causæ solus meminit Hipp. lib. de internis affectionibus, vbi statuēs coxendicis causas, scripsit à bile & à siccitate posse fieri. Qua parte non licet per siccitatem intelligere siccam intemperiem partium solidarum articulum ipsum constituentium, ossium nimirum aut ligamentorum, sed solùm consumptionem glutinosæ illius humiditatis, quam natura præstitit articulis, gratia facilioris motus. Nam cùm à causa aliqua, præsertim externa, prodierit prædicta humidi consumptio, tunc profectò, articuli motus prepeditur & dolor quidam leuis succrescit: ac licèt Hipp. huius causæ solùm meminerit in ischiade, pari quoque ratione arbitror alijs articulis posse succrescere. Huius causæ dolores scripserat Hippo. 3. aphorism. 16. in siccioribus constitutionibus suboriri: quod confirmauerat Galen. eodem commento. Immodicæ enim aëris siccitates (inquit) articulorum humiditatem consumentes, eos ad motum difficiles ac impotentes reddunt, doloremque hinc nonnunquam inuehunt. Cum hoc tamē hos

hos dolores visus est à consortio arthritidis ablegasse, quod nos intelligimus à legitima & vera, verùm sub spuria posse contineri nemo negauit, siquidem concessit Hippoc. loco nuper citato. Sed causas consumptionis prædicti humidi eas arbitramur esse, quæ articulorum naturalem humiditatem resiccare possunt: quo fit vt diutinum ac vehemens exercitium sub sole factum, vt Hippoc. docuit lib. de internis affectionibus id plerunque efficiat: præterea aëris immodicæ siccitates id natæ sunt efficere, vt 3. aphor. 16. nam consumptis humiditatibus, quæ ad articulos fluxuræ sunt, id facilè succrescit, & arthritidem accersit, si diu duret aëris intemperies. Quibus accedit æstuosus ac diutinus affectus, qui temporis tractu easdem conterit, ita vt ab his conualescentes ægrè incedant & cum dolore ac difficultate: sicut qui vel tenuissima victus ratione aut nimis resiccanti vsi fuerint, velut refert Hippocrat. 2. popular. parte. 4. de his qui orobos comederunt, quibus genuum dolores succrescebant. Frequentior tamen & communior podagræ & chiragræ causa est ea, quæ nata existit, vel plura in aliquo membro congregare excrementa, quę id tanquam potentius ad pedum ac manuum articulos regerat, quod frequentiùs iecori intēperato aut capiti imbecillo contingere scimus, vel quę humoris alicuius magnum cum sanguine suggerat prouētum, vel quod in ipsa particula indies aggregatur, ac postmodum in articulum decidat. Nec arbitrandum est vt excremen tum congeritur sensim & paulatim, ita & in articulum migrare: quippe tunc nullum inferret dolorem, sed arbitror iuxta articulos aggregari, & copia facta subitò & affatim in articulum decidere, vt latius leges in ischiadis causis. Quæ autem sint causæ quæ hos succos hac lege gignere natæ sint, superiùs diximus: & ob id vitare oportet quæ prauos succos gignunt alimēta, aut exercitia & animi passiones, quæ genitos vitiant, vel vitiatos mouent. Sunt etiam causæ quæ præter id quòd alimenta vitiant, aut cruditates generant, ipsas mouent & articulos infirmant, vt vetus vinum immodicum, & quoduis exercitium si intempestiuum fiat, aut excedens sit, maximè si consuetum intermittatur exercitium, aut præter consuetudinem corpore existente crudo aut pleno, quis eo vtatur. Tandem omnes causarum sortes ad sex tantùm genera reducuntur: nam quædam materiam substernunt, huic morbo gignendo idoneam, qualia sunt cibaria prauí succi, acris, mordacis & crassæ substantiæ: quædam probos cibos & laudabiles vitiant, ac ad deterrimā conditionem mutant, vt iecoris, aut ventriculi, vel capitis intemperamenta adeo praua conditione affecta, quòd ad nuper dictas qualitates eos mutent, quantumuis laudabilis sint substantiæ & conditionis: rursus alia prædictos succos ad articulos mouent & exagitant, vt exercitium, insolatus, calidiores aut frigidiores venti, ira & quoduis aliud quod natum sit vel humores fundere, vel repellere, vel vias aperire aut quomodolibet mouere. Præterea aliæ articulos infirmāt, vt assiduus labor, calceamenta aut vestimentum quoduis nimis arctum, balneorum calidorum frequentia, & tandem omnia quæ ipsos calfacere, laxare aut mollire nata existunt. Vltimò tamē sunt etiam aliæ causarum sortes quæ id omne efficere habent, velut est veneris immodicus intempestiuus & insuetus vsus, aut vini meracioris vbertas, vel frequentes cruditates. Item frequēter & copiosè in quouis dolore sanguinem mittere, præsertim ætate iam inclinante, vel rursus eādem ætate non minuere cibi quātitatem in iuuentute assuetā. Hæ enim causæ, tum vires labefactant imminuta innati calidi substantia & morbo habituali facto, tum cruditates generant, humores vitiosos reddunt, articulos infirmant, & tandem humores exagitant & mouent ac ad articulos deferunt: quæ sanè omnia curaturo magni fore momenti arbitror, quibus addes

addes venereæ contagionis conſortium,quo moleſtior,diuturnior & curatu difficilior efficitur.

Signa. Signis nec ad ſymptomatis neque ad morbi cognitionem opus habemus:cauſarum verò ſigna,præter ea quæ adduximus paragrapho de arthritide, non ſunt admodum obſcura:quippe ex natura ægri,ex colore articuli, doloris proprietate, ex his quæ proſunt aut obſunt,ex anni tempore,ex cæli ſtatu, ex prægreſſo vitæ modo,ex proxima occaſione petita,ex diligẽti interrogatione cognoſces. Quòd ſi ab articulorum exercitatione malũ oriatur,noſces facilè ex prægreſſo diuturnoque morbo,ex cauſis quæ præceſſerunt,ſiccare aptis,ex leui dolore cum maiori ad motum efficiendum ineptitudine,ex cutis extimæ ſiccitate, & maximè quia nullus apparet tumor, neque tactu dolor perſentitur, quod alijs ſpeciebus non ita accidit.

Præſagiũ. Studendum eſt diligenter ne articulorum dolores ex habitu fiant, aut ipſi ſæpius repetant,ne habitum contrahant,quippe tunc difficulter ſanitati integre reſtituitur homo(nedum cùm in tophaceam ſubſtantiam commigrat humor in articulos cõfluxus) quinimo fidiſsimo acceptum eſt experimento,curatos longè deteriùs ſe habere: nam præſidia non poſſunt non afferre imbecillitatem corpori(ſi ſanguinis miſsio aut expurgans ſit medicamentum)aut parti affectæ, ex adhibitione topicorum,quæ aut laxant & effœminant articulum, dũ anodynam ſortiuntur vim,vel calfaciendo alliciũt,aut refrigerando crudiorem reddunt humorem & diſcuſsioni ineptiorem efficiunt: præterquam quòd ſi partem roborent, ad principalius membrum deducitur humor maioris mali cauſa futurus:ob id profectò principijs mali,maiori eſt vtendum diligentia, ne in habitum commigret, cùm poſtea non ſolùm nihil boni præſtare poſsint,quinimo longè fixiorem reddant affectum,& ob id frequentiùs rediturus ſit, quantumuis primo acceſſu videantur malum aliquando mitigare & compeſcere:quippe vt inquit Auicẽna dolore marceſcit & extenuatur membrum. Efficitur habitualis ex eiuſdem materiæ congeſtione ob eandem vitæ deprauatam conſtitutionem: item ob ſenectutem ex natiua impotentia huius ætatis: in conualeſcentibus qui improbè ſe gerunt. Quo fit vt pueri podagra non laborent,vt ex Hipp. 6. aphoriſm. 30. euidenter colligitur. Præterea confirmatur,quia in autumno frequentiùs ingruit huiuſmodi affectio(cùm ob aliquam occaſionem priùs non concitatur) quòd ex orarijs fructibus & potibus in æſtate ſanguis vitietur,& maximè quòd partes imbecilliores ſint eo tempore,ſicut vere,quòd liqueſcant ex hyeme concretæ cruditates. Sic fœminæ ex conſuetæ vacuationis ſuppreſsione plerunque podagra corripiuntur, alioquin verò minimè,licèt arthritidę non rarò corripiantur, ob demiſſum exercitiũ cum ſanguinis vbertate,aut ob intempeſtiuum, vel accedente alia cauſa quæ ſanguinem & humores fundat.

Curandi ratio. In curandi munere,circa podagram multa ſeſe mihi offerunt expendenda,quæ curaturo & laboranti,Deo auſpice,ſpero non parum profutura. Primum quidem monitum velim lectorem,ne communi errore deceptus arbitretur, quòd ſicut duplex eſt podagræ cauſa,nimirum articulorum imbecillitas & humorum prauorũ redundantia,ita quoque futura eſt duplex curatio eius affectus dum viget,& in acceſsionem aſſurgit,quinimo neceſſum eſt conijciat, articulorum roborationem potius ad profilaticam & præcautoriam curationis partem attinere,quàm adverè curatiuam. Quippe periculo non caret,vigente acceſsione & humorum confluxu ad articulos,tunc ipſos roborare,quinimo(vt antea dictum eſt) longè grauiora mala

mala & inopinata pericula ſuccreſcere viſum eſt, ex huiuſmodi opere, non rarò. Quapropter in præcautione impenſa cura & diligentia adhibenda eſt circa huiuſmodi imbecillitatem,antequam eius occaſione articulus humores ſuſceptet: nã tunc ſolùm humoris fluxuri,fluentis & fluxi habenda cura eſt: & poſtea nulla humoris ſorte prædominante,ad articuli roborationem deueniendum eſt, ne morbus reuertatur. Nam duo ſunt quæ exoptant qui his doloribus infeſtantur:primũ vt à dolorum inclementia eos tueamur:ſecundum verò, vt morbus ampliùs non reuertatur,aut quàm rariſsimè. Et ob id roborationis munus ad profilaticam partem relegamus, ſolùm hac in parte facta mentione alterius cauſæ.

Humorum prouidentia(quam vt veram curationem hîc inſtituimus) triplici perficitur munere, (vt humores ipſos tribus omnino modis lædere conſpicimus) nimirum vniuerſali vacuatione quæ fluxuros reſpicit: reuulſione,quæ fluentes: & euacuatione ab ipſa parte affecta, vel ab illi proxima, quæ in particula contentos aut mox caſuros educit. Præter quas quarta non minoris momenti addenda eſt,quæ dolores mitigare ac compeſcere ſtudet, non vt dolores leniat ſolùm (quod non eſt huius conſiderationis) ſed vt ſedato dolore minus humores ad partem euocentur. Circa primum ſtatuendum eſt,doloribus incipientibus omnem curam impendendam eſſe iuxta corporis morboſum apparatum:qui ſanè ſiue ex ſanguine,ſiue ex quouis alio humore fiat,ſemper ſanguine miſſo demendus eſt,quantum par ſit vt viribus non labentibus minor fiat. Hoc tamen habet peculiare ſanguinis abundantia, quòd copioſiorem expoſtulat euacuationẽ, quam non ſolùm citra virium facturam ferre poteſt,imo longe vegetiores & maiores ſanguine miſſo apparent,quod in aliorum humorum redundantia non ita euenit:nam licèt ſanguinem mittere ſit opus, longè citius vires labuntur, tum ob id,tum ob dominiũ reliquorum humorum: quo fit,vt plus minuſue extrahendũ ſit,quo magis acceſſerit aut diſceſſerit à ſanguinis natura. Quapropter ſi ſanguinẽ redundare conſtiterit,primo mali acceſſu,longè tutius erit à diſtantioribus partibus à parte affecta ipſum fundere,maximè ſi ſuppreſsione alicuius ſanguinolentæ fluxionis,malum fiat:id enim tollerat innoxiùs natura,& poſtulat affectionis tempus,quod principium eſt. Verùm ſi vitioſos ſuccos abundantiores eſſe conſtiterit, tunc quidem propriùs ad partem affectam accedere erit opus, & venas non longè ab ea diſtantes tundere,vel ſaltem eas,quæ maiorem habent cum ipſa communionem,quo minori copia extracta,(quia maiorem vires non tollerabunt) maioris ſit commodi. Ex cuius rei ignoratione,& ex largiore & frequentiore ſanguinis detractione facta in quouis dolore, non pauci ex his qui articularibus morbis premuntur, aut habituales nacti ſunt, aut in eam imbecillitatem deuenerunt, quæ maius damnum attullit,quàm ipſe affectus. Quòd ſi habitualis iam fuerit affectio,non plurimum innitendum eſt, quouis dolore accedente,in ſanguinis detractionibus:quippe ſic imbecillior effecta totius corporis natura, vitioſos aut prauè confectos copioſiùs generat ſuccos,qui poſtea ob corporis & articulorum imbecillitatem,ex largioribus & frequentioribus ſanguinis detractionibus longè frequentiùs dolores ſuccreſcunt. Quapropter pluribus cõſului ab his frequentioribus ſanguinis profuſionibus abſtinere,qui tardiùs in doloroſas ob id inciderunt acceſsiones,maximè cùm parciori victus forma deinceps vtuntur,ſi corpus inclinantis fuerit ætatis. Nec nos terrere debent febres quæ ſuccreſcunt vt accidentia, nec cogere ob id ſanguinẽ mittere,quippe hæ ceſſant protinus vt ceſſat fluxio:ſecus res ſe habet ſi febris alterius ſit naturæ & cauſæ, aut aliquod membrum princeps

ceps adierit malum, quippe tunc tutiſsimum eſt ſanguinem detrahere, ſin aliter, minimè, faciliùs enim conualeſcunt laborantes & tardiùs incidunt in doloroſam acceſsionem nullo ſanguine miſſo, quàm ſi ipſum extraxeris: nequit enim reſolutus & imbecillus calor, ita prõptè humorem ſuperare & diſcutere, ac mox denuo alios generat ſuccos longè deteriores, deficiente caloris robore ob ſanguinis detractiones, turpius enim eſt, in hæc mala laborantem ducere ſanguine miſſo, quã non miſſo paulo diutius dolorem ferre, qui ſua ſponte mox ceſſabit corpore ſuperſtite robuſtiori.

Neque arbitrandum eſt (vt fere omnes authores ſtatuunt) in vitioſorum humorum redundantia, protinus eſſe, malo adhuc in principio & augmento exiſtente, purgandum: quippe cùm ratio mali ſita ſit in humorum motu, proculdubio, ipſis vlteriùs motis vi purgantium medicamentorum, citatiùs in particulam affectam ruunt: quo fit vt multi eorum qui purgans medicamentum ſumpſerunt his temporibus, denuo grauioribus doloribus premerẽtur, & affectio quæ quadrageſimo die finiẽda erat, nouo affluẽte humore, longè diutiùs protrahatur. Quapropter experimento fidiſsimo obſeruaui, tutiſsimum & rationi conſonum eſſe, tardiùs vti purganti pharmaco, ſi humores lentè fluant, aut in huius affectus inclinatione. Quippe mox à principio multi faciunt, decepti humorum apparenti turgentia, nã cùm conſpiciunt ad varios articulos fluere, arbitrantur id fieri ob humoris aut naturę turgentiã, ac motum de parte in partem, & mox ad purgans medicamentum confugiunt, & forſan non ſine magno periculo. Quippe humorum motus ad varios articulos in hoc malo, diuerſiſsimus longè eſt ab humorum turgentia, vt hęc affectio à turgentibus longè diſsita eſt: nam in hac humores à toto vel à parte, & ab internis ad extimas partes fluunt, quo minus impendet periculum, quia non eſt idem humor qui omnes partes peruadit, vt in turgentia, ſed partẽ humoris fluxuri mittit natura ad pedes, partẽ ad manus & brachia. Præterquam quòd interna viſcera in his fortiora ſunt, & externa membra imbecilliora: at in turgentibus vere interna viſcera plerunque languidiora exiſtunt, & motus eiuſdem humoris fit de membro ad membrum, vel princeps vel internum. Quapropter in his ſi expedit eâdem die purgandum eſt, ne fiat decubitus ad princeps membrum: at in articularibus, forſan ex vi medicamenti, quinimo neceſſariò trahendus eſt humor motus, naturæ impetu ad extimas partes miſſus, ad interna viſcera, quo fiat purgatio, quo faciliùs in membrum princeps decumbet, quàm dum natura rectè operans ipſum in articulos trudit, quem motum alioqui ſecuriorem, nos interturbamus & diuertimus ac retrahimus ad internas partes vi medicamenti: Quapropter generoſum Medicum non decet turbari, nec ob varios partium dolores, protinus ad purgantia confugere, ſed dolores ipſos mitigare, ac lenire, donec faciliùs & ſecuriùs res agatur. Verùm dum corpus ſatis per ſanguinis detractionẽ euacuatum exiſtit, & ad varias & ſupernas, aut internas partes conſpicimus, impetu & more turgentiæ humores irruere, ita vt vereamur ne ſimul in aliquod membrum princeps dilabatur, vt aliquando in caput aſſolet, tunc quidem nil amplius concitari poterunt humores, quinimo naturam reddent adminiculantem, ac probè admittunt & expoſtulant expurgans medicamentum. Qualia autem debeãt eſſe in vtroque caſu, nimirum inclinantibus doloribus, aut ſæuiente irruenteque in varias partes humorum impetu, non eſt ita inuentu facile. Sciendum tamen in hac re, in ſanguinis redundantia nunquam aut ſolùm inclinante affectu purgandum eſſe, vt ſi quid crudum præ doloribus, aut bilioſum ob calorem

calorem factum eſt, tunc extrahatur blandioribus pharmacis; vt eaſia, manna (dummodo rhabarbari infuſo diluantur, ne plus laxent partes, & humores fluxui aptiores reddant, potius quàm ipſos alliciant) ſyrupo ex infuſionibus cum expreſſione corticum mirabolanorum, & ſi quid bilioſum apparuerit, rhabarbari: ſic electuarium catholicon, confectio Hamech ſimplex & diaſenæ eundem vſum præſtant: valentioribus tamen in his vti non conſulo. Verùm ſi cacochymi ſint humores, ipſiq; lentè a principio fluant, purgandi non ſunt: ſed dũ malum inclinat, ſeligenti purgatione, ne reuertantur ob reſidui copiam, purgandi ſunt. Sic bilioſos rhabarbaro, infuſo ſenæ, & pituitoſos agarico, turpeto, cartamo ſi aquoſi ſint, & diaphœnicone, cum ſyropo roſarum Perſicarum, & alijs huius naturæ. Ac ſi pilulis vti velis, leuiores porriges, vt ſunt maſtichinæ, de aſſaieret ex Auic. item ex hiera ſimplici & agarico confectæ: paulatim tamen ad maiores deuenies, vt ſunt aggregatiuæ, de hermodactilis & arthriticę: nec minoris momenti eſt diatarbith à Montagnana ſcriptum, quo multi cum felici euẽtu vtuntur: ſimiliter & vſus terebinthinę cum rhabarbaro. Eiſdem tamẽ vti poteris materia furioſiùs mota, in minori tamẽ doſi, ſiquidem motus humoris vicem præſtat medicamenti, ac forſan eſt veluti eius calcar. Omnibus tamen admiſcere oportet, quæ vim habeant roborandi vias, ne humor citius deinceps moueatur: quapropter rhabarbari aut corticum mirabolanorum modicum his omnibus addes. Verùm dum humor impactus eſt, & iuxta partem affectam inhærens, gũmoſum aliquid addes, ac ſemina etiam & aromata, quæ vim habeant attenuandi & liquandi, quo faciliùs medicamentum trahere poſsit quod impactum eſt: atque hæc de purgatione & ſanguinis miſsione, habito reſpectu ad vaſorum plenitudinẽ vel cacochymiã & humorẽ fluxurum ſint ſatis.

Vlterius prædicto humori fluxuro, nec non & fluenti prouidendum erit: cui ſanè propriè reuulſio retractioque proficua exiſtit. In quo opere ferè eadem ſubminiſtrat ars inſtrumenta, ac in curatione ſimpliciter dicta, licèt nõ omnia exequi tutò poſsimus. Retrahuntur etenim fluentes humores ſanguine miſſo, expurgati pharmaco, non tamen pari commoditate, niſi ad interna vergat fluxio: vomitu etiam, ſudoribus & frictionibus totius corporis. Verùm ſi cacochymi humores cõfluxerint expurganti pharmaco vti, conſiderandũ eſt inueteratane fuerit affectio, an corpus ſenile aut languidũ, vel facilè reſolubile: quippe tunc nec cõfertim, nec per epicraſim purgãdũ eſt: illud quidẽ ne imbecillius reddatur corpus & cacochymiæ plus generet: hoc verò ne diſſueſcat natura à cõſueta ad articulos tranſmiſsione, citius enim hac curatione periclitãtur: ſat enim erit eo tẽpore bis terue, per maiora interualla leui vti medicamento, quo & aliquid expurgetur, & vires meliùs ſe habeãt, & cõſuetudo adſeruetur incolumis: vereri enim oportet ſi ad articulos vergat fluxio retractionẽ ſine euacuatione, & cũ ipſa nõ niſi plurimũ malo vrgẽte. Sic profectò ſanguinis miſsione retrahimus ab articulis humores qui fluũt: nã ſi ex capite fluxio fiat, communem aut cephalicam venam contrarij lateris ſcindes: ſi dextra manus doleat, ſiniſtram, & aliquando dextrum etiam crus tundere magni eſt momenti, & grauiſsimi authores conſulunt: ſi dextrum crus, ſiniſtri etiam brachij cephalicam tundes: quod ſi adhuc magis reuellere velis, eiuſdem brachij venam carpi aperies. Verùm ſi iecur malo cauſam præſtiterit, præter venã baſilicam quam primo aperies, non erit abs re ex ſaluatella vltimo loco ſanguinem mittere. Quòd ſi vteri conſortio malum oriatur, ſiue manus ſiue pedes doleant, ab incolumi pede tutiùs & vtiliùs ſanguinem mittes: tum quia altero pede male habente, reliquum ſcarificare iuſsit Galen. tum verò quia ab ea parte fiet commodior à membro man-

dante euacuatio. Secus res se habet, si grandis admodum fuerit in corpore (siue ea occasione, siue quauis alia) plenitudo: tunc enim necessum est eam priùs per brachiorum venas euacuare, siquidem eo tempore non minor fit reuulsio, licèt non sit ea quæ originem respicit. Purgatione enim, cautiùs tamen & vt dictum est, vitiosos humores reuellimus, qua occasione, siue vniuersum corpus his abunder, siue ventriculus eos crudosque quotidie gignat, nullo alio auxilio (non solùm præcautionis gratia, quod tutiùs arbitror posse fieri, sed & curationis) fluentium reliquias reuelles & fluxuros euacuabis commodiùs, quàm per vomitum. Quapropter, præmissis alijs vacuationibus, consulo, vbi pituitosus humor prævaluerit (siue solus fluxionem concitet, siue alijs admixtus) quarto quoque die, & facta priùs diebus inter medijs ex rhodomelle præparatione, vomere. Sic pari ratione, si caput fluxionis origo sit, & impetus quodammodo cessasse videatur, per epicrasim purgare (quo natura dissuescat à consueto fluxionis loco) vtilissimum est, his pharmacis quæ caput respiciant, cæterum in parua copia, ea nimirum quæ sufficiat, non corpus turbare, sed à capite aliquid per ventrem educere. Purgabis etiam fluxione restita aliquo modo corpus vniuersum & ventrē crudis ac frigidis humoribus plenum, quo ad intestina reuellas & viscera robores, pilulis ex terebinthina & rhabarbaro, aut factis ex eâdem terebinthina & pulueribus hieræ simplicis Galen. si ex ventre fluxionem prodire constiterit. Quòd si articularis affectio Gallicam contagionem sortiatur, duo mihi probatissima obseruauit præsidia: primum dum corpus ac venosum genus adhuc vbertate prauorum succorum abundat, maximè in venis iuxta articulos, quo vtiliter vsus sum in diuturnis affectionibus & qui alijs remedijs non cedunt. Huius descriptio se habet in hunc modum: recipe spartæ parellæ lib. j. raſuræ ligni guayaci ℥ iij. ʒ. coquantur in lib. x. aquæ ad tertiam, & selige spartæ parellæ ramenta, & contere in mortario lapideo, donec fiat veluti massa, & exprime in prælo, adseruaq; hac quod ibidem extrahitur, & iterum scobem dissolue in. ℥ iiij. prædicti decocti, & in prælo iterum exprime, & sic facito ter vel quater, & expressiones omnes admisce cum residuo decocto, & finito residere, & clariorem partem recipe: item camepitis ℥ v. coquito mediocriter, & facta colatura adde foliorum sennæ ℥ vj & iterum bulliāt ac colentur post. xij. horas, & his omnibus adde lac seminis cartami extractum ex ℥ vj. in aqua stillatia cichorij & agrimonijan. ℥ vj. sacchari quod satis vt fiat serapium, cuius porrige tertio vel quarto quoque die. ℥ iij. vel. iiij. ac poteris etiam agarici non nihil addere, si parum egesserit laborans. Reliquum præsidium est cùm iam humores Gallici in articulis aut propè ipsos inuerauerint, torporemq; & leuē dolorem inter mouendū inferunt: quod sanè tanti solet esse momenti, quòd desperatos ad mediocrem sanitatem reduxerit: fit tamen ex trium gallinarum carne, quas contusas elixare oportet cum spartæ patellæ ℥ xiij. camepitis ℥ vj. epithymi & polipodij ana. ℥ j. ʒ. limaturæ monocerotis. ʒ. vij. cichorij, fumariæ, pimpinellæ & capillorum veneris ana. m. j. agrimoniæ. m ij. quæ omnia post coctionem in alembicum conijcies & instillabis, vel in duplici vase, & instillationis illius summo manè cum modico pane dabis laboranti. ℥ iij. & in iuribus aut obsonijs alijs admiscebis. ℥ ij. singulis diebus. Sudoribus etiam non contemnendi authores, consulunt materiam fluentem ad articulos, ad cutem reuellere: quo præsidio doloribus vigentibus aut incipientibus, vel vtcunque existentibus, non vterer: quippe articulos laxare, emollire ac infirmare, idoneus existit sudor: præterquam quòd humores fundit ac liquat, quorum licèt aliquid ad cutem euocetur, retrahatúrque, coniectabile est, ad laxos & dolentes articulos non minorem co-

rem copiam fluxuram. Quapropter, cum præmeditatione & non sine timore præcautionis gratia, vsui esse potius possunt, quàm ad reuellendum si fluxerint, idque maximè, dū corpus morbo Gallico oppressum sit, aut pituitosis scatet succis in carne & partibus extimis. Pari prorsus ratione subaudiendum est de balneis, cuiusuis sint qualitatis & sortis, præsertim si calida sint actu, quę renuere omnino oportet ni habitualē velimus reddere morbū. Sunt etiā qui vrinam mouētibus pharmacis reuellere & ad vesicam diuertere humores nituntur: quod profectò dū humores ipsi adhuc in motu existunt, siue incipiat, siue vigeat impetus, grauioris solet esse periculi: nam præter id quòd plures & lōgè citatius ad articulos mouentur, si forsan ad vesicam eant, vel exulcerationem, vel difficultatem, vel lapidi materiam præstant. Quapropter, si his vsurus est, purgantibus per ventrem admisceto, vt diuretica attenuent, & purgantia per aluum attenuatos alliciant & expurgent humores. Verū si habitualis fuerit affectus, quo minus purgabis, minus lædes: satius erit eo tempore optima vitæ ratione instituta ab omni auxilio supersedere, melius enim est vires diu integras adseruare, quàm leuis mitigationis gratia in languorem immedicabilem corpus ducere, morbo integro manente.

Habita fluxuri & fluentis humoris prouidentia, mox & interim fluxi ac in articulos prolapsi magna habenda est cura, vt qui maius faceſſat laboranti, & ob eius molestiā, Medico etiam negotium. In qua re, licèt à Medicis omnibus statutum sit, fluxum humorem & in particulam contentum, protinus repellendum aut coquendum esse, ac mox discutientia admiscenda, quo id quod impactum manet, per insensilem halitum digeratur, & postea solis repellentibus esse vtendum, ac in omnibus his temporibus anodyna & lenientia pharmaca esse admiscenda, aut per se sola adhibenda: cum hoc tamen quia particulæ natura, fluxi humoris conditio, loci dispositio & morbosi affectus ratio aliquid peculiarius sibi circunscribunt, prædictis scopis vel contrarium vel diuersum, ob id profecto, neque temere, neque vtcunque, neque semper aut quibuslibet medicamentis horum aliquid tentare licet. Dixeram enim superiùs, quanta afferat pericula incautè repellere: nam ad alias partes maioris periculi non rarò commigrat repulsus humor, vel in eâdem concretus duritiem immedicabilem contrahit, & non rarò materiæ maiorem copiam ad intima ex extremis pellit. Si tamē minus aut plus quàm par sit, aut vbicunque diaphoretica & resoluentia porrexeris, non minus lædes, aut euocatis plus iusto ad particulam humoribus, aut præexistentium nimium resolutis & exsiccatis tenuioribus partibus, quo terrestres & lōgè duriores supersunt. Pari ratione anodyna laxāt, & narcotica imbecillitāt partes ipsas. Quibus periculis plures homines cautiores facti, maluerunt potius dolores citra leuamē perferre, quàm leui quodam & momentaneo beneficio suscepto, in grauiora pericula & frequentiores dolorum accessiones delabi. Cum hoc tamē, his qui impatiētes sunt, & dum modo ab inclementia dolorum eruātur, nihil horum formidāt, adhibere oportet, corpore puriori & vacuo reddito, in principijs, quę modicè refrigerādo potius quā per adstrictionē, repellendi vim habent: adstringētia enim constrictionē materiæ in parte maiorē moliuntur, quæ licèt sanitatis tēpore ad corrigendā morbosam articuli laxitatem proficua sint, humori fluxo in prędictas cauitates aduersissima exi stunt. In frigidorum tamen administratione hoc adseruato, quod (ne opus sit vehementioribus aut eis diutius vti) semper quę anodynā vim habeant ipsis admiscean tur. Verùm hæc anodyna nō quæcunque esse oportet, sed si materia calida sit, quæ modicè attēperandi vim habeāt, si verò acris & mordax, quæ leniēdi, si frigida, quæ

modicè calfaciendi aut actu calida ſint. Quapropter materia à prædominio calida exiſtente(nam rarò contingit vnius ſolũ humoris fluxionẽ fieri)pedibus aut manibus primo acceſſu adhibere poteris,quæ ex lacte ſolo vel cũ oleo roſaceo aut violaceo parari poſſunt: itẽ emplaſtrum ex mica panis oleo & lacte,aut ex farina hordei & fabarum cum eodẽ lacte, vel ex eâdẽ mica panis madida aqua roſacea vel ſucco ſolani & lacte,cocta cũ modico oleo donec fiat cataplaſma. Paratur etiã emplaſtrũ ex folijs hyoſcyami in lacte bubulo coctis: itẽ ſi pars nimium rubeat,excipe ceruſæ ℥.ij.diſſolue in aqua intybi & modico aceto & fiat vnguentum. Itẽ irrigationes ex aceto & roſaceo cum modica mucagine pſyllij,ſi in profundo humor hæreat: verũ ſi in ſuperficie ſit,oleo prędicto cum vini guttulis vteris: prodeſt & cataplaſma ex farina hordei & fabarum cum poſca & oleo dulci. Apponuntur etiã berbaſci flores & folia,lẽticula paluſtris,pſyllium,nimphæa,violaria & portulaca trita per ſe vel cum roſaceo,aut facto emplaſtro cum mica panis & modico aceto: idem præſtat quod recipit olei roſarum omphancini & aquæ violarum vel ſolani ana.℥.ij. pãnis etiam ſæpius ſupra partẽ appoſitis. Pręſtat,quoq; ſi ardor ſit magnus,id quod recipit ſucci ſemperuiuiæ & lyſimachiæ an.℥.iij.aquę endiuiæ maluarũ & lactis vaccini an.℥.ij. ponantur ſupra partẽ. Præterea proſunt lutea ouorũ(nam albumina nonnihil conſtringunt)cũ oleo roſaceo & modico ſucci ſolani. Sed maioris momenti cõpertum eſt pleriſq; fuiſſe emplaſtrum ex medulla caſiæ fiſtulę cũ oleo violarum & mica panis. Dimitto hac in parte alia nõ pauca auxilia, quibus paſsim vulgus,authorũ cõſilio,vtitur,vt aquæ frigidæ inſperſio eſt,vel appoſitio pharmacorũ quę adſtringẽdo roborãt & repellunt,cùm re vera hæc omnia vetuerit Gal.nõ ſolũ in critica arthritide,ſed in ea etiã quæ à mẽbro dilabitur principe: quippe inquit li.2. de natura humana com.11. Iam nõ rarò cùm in morbo articulari & podagra artus humores penetrent,& illinc repulſi in principẽ aliquam partẽ inuaſiſſent,morte conſpeximus hominẽ affectũ eſſe, vnamq; reſtare ſpẽ ſalutis, ſi ad artus retrahere eos valeamus. Atq; licèt videatur in omni arthritide id eſſe intelligendũ,arbitror re vera ita non eſſe,cũ ipſemet.5.aphor.25.repellendũ fore in his affectionibus ſtatuerit: ſed intelligendus eſt per repellẽtia,ea quæ roborant & cõſtringunt nõ eſſe adhibẽda,ne fiat ad prædictas partes recurſus,& in critica etiã & ea cuius humor delabitur à capite. Quòd ſi cõſtiterit humoris impetũ coercitũ aliquo modo eſſe, pderit ad intẽperiẽ cõpeſcendã ceroto ex lythargirio,vel vnguẽto ſanthalino vti,& alijs huius naturæ: prodeſt & hordeacea farina cũ cytonio & aceto in modũ cataplaſmatis adhibita.

Verùm ſi copia humoris adhuc permanſerit,quo faciliùs poſtea digeri poſsit,coquendus liquefaciendusq; humor eſt anodynis,& his quæ vt coctionem moliatur natura,aut reſolutionem(quod longe tutius exiſtitat)tenuant, liquãt & digerunt. Cuius naturæ eſt quod recipit radicis maluarum & althææ ana. ℥.j. violarum & maluarum ana p.j florum cichorij,violarum & meliſſæ ana. p.j.& ℈. fiat decoctio in iure inteſtinorum & contundantur,& adde vitella ouorum.n.iiij.farinæ lini & fœnugræci ana.℥.ij.olei camemali.℥.ij.miſce. Præſtat etiam emplaſtrum de mica panis factum cum eodem decocto,vel cataplaſma ex prædictis farinis, oximellite & axungia gallinæ vel oleo camemali: quæ ſanè omnia & reliqua huic vſui proficua mutabis frequentiùs,& ne ſicceſcant curabis.

Cæterum quia doloris vrgentia ſæpe magnum faceſsit negocium, ob id ad ea quæ dolorẽ leniunt tranſeundum erit,vel ſi placet,reliquis admiſcebis. Huius naturæ eſt quod Alexander cõmendat cataplaſma ex folijs braſsicæ coctis leuigatiſq; diligenter,quibus adijce fęcẽ aceti,& duo crudorũ ouorũ lutea,& roſacei modicũ, ac mixta

ac mixta ſimul apponito: nec minoris momenti eſt aqua ranarum per ſtillationem extracta aut per decoctionem. Mitigat etiam ſemen pſyllij,ſi in aqua feruenti maceretur, & cum mucagine & hordacea farina fiat molle cataplaſma: idem præſtat roſaceum & betæ ſuccus: nec minoris momenti eſt emplaſtrũ ex caſia fiſtula antea ſcriptũ. Quòd ſi dolor adhuc ampliùs vrgeat,his addes opij modicũ cum croco,vel vnguenti populeonis quod viſum fuerit,aut olei de papauere,à quo initiũ ſumere erit opus. Cæterũ opij ſolùm vſq; ad grana.vj.addes. ℥.ij. cuiuſuis alterius anodyni, vnguẽti populeonis tertiam partem, olei vero de papauere medietatem. In eundẽ quoq; vſum præſtantur cicutæ, papaueris, mandragoræ, hyoſcyami folia læuigata cum ouorum luteis,roſaceo & farina hordeacea: quæ auxilia ſæpius mutare oportet. Idem beneficium pręſtat mica panis poſca imbuta cum ſucco ſemperuiuiæ,ſolani vel portulacæ: item lenticula paluſtris cũ ſucco portulacæ aut oleo roſaceo vel de papauere: probatiſsimi vſus eſt in doloris vehementia id quod recipit ſolani,violarum ana.m.j.florum hyoſcyami.m.ij. florum violarum & camemali ana.p j. fiat decoctio in lacte,his cum axungia porci cõtuſis & cribratis croci℈.ij. addito fiat cataplaſma: quæ ſanè omnia mox auferes, & partem oleo dulci aut aqua tepida ex decocto thymi,pulegij & ſimilium,vel poſca calida ablues. Vteris inſuper his quæ ſomnum conciliant,vt ſyrupo papaueris,de portulaca aut philonio.

At quia reſoluendi munus eiſdem fit medicamentis, quibus pugnare oportet aduerſus frigidorum humorum inclementiam,ob id,ne eadẽ medicamẽta ſæpius cogar repetere, frigidorum prouidẽtiam aggredior. In quorum adminiſtratione, quę non minus requirunt vniuerſalem vacuationem per ſanguinis detractionem, præparationem,purgationem & vomitum,expendendum eſt,quòd neq; in principio fluxionum pituitoſarum,neque in ſtatu calidi fluxus,valida diſcutientia adhibenda ſunt,vt multi ex authoribus,ſumpta occaſione à priſcorum decretis,conſuluerunt: quippe aliud eſt diſcutere copioſam denſamq; materiam in tumoribus contentam,& longè aliud,eam quæ in articulis continetur: nam illa niſi adhibueris quæ validè diſcutiunt ac digerunt, à mitioribus potius in pus vertetur, quia expoſtulat,cùm craſsior ſit ea quæ in articulos decubuit,attenuari, fundi & liquari,alioqui non diſcutietur. Cum hoc tamen potius vterer his quæ poteſtate calida ſint, quàm quæ actu: nam illa, quantumuis minore polleant calore, temporis tractu efficaciùs agunt: hæc verò magis euaporando indurant: ſic profecto, materia quæ decubuit in articulos,cùm tenuis ſit & fluxilis(qua ſæpe articulus mucidus efficitur: & tendonum capita inualida ad firmum tenendum articulum: quo fit vt veluti paralyſi affecti, nec crura, nec lumbos erigere ac firmare poſsint, qui ſic affecti ſunt, quod plerunque dolore ceſſante ſuccreſcere comperimus: maximè cùm Medicus plus iuſto mitigatorijs & blandioribus auxilijs vſus fuerit, aut complicatus fuerit affectus cum iecoris imbecillitate vel malo corporis habitu) mitiora deſiderat auxilia, quæ tantùm nata ſint leniter eam ducere: nam à vehementioribus quod tenuius eſt diſsipabitur, & craſſum durius remanebit: & ob id neceſſum eſt in materia frigida adaugere efficaciam, in calida minimè. Quapropter primo mali acceſſu ſi frigida ſit materia, aut in ſtatu calidioris, ea porriges quæ leuiter digerunt, quale eſt quod recipit olei camemali & anethi ana. ℥.j. puluerisireos. ʒ.j. miſce. Aliud ſi dolor vrgeat conficies,quod recipit mucaginis ſeminis lini & fœnugræci extractæ in aqua ſtillatitia camemali. ℥.ij. puluerис camemali ʒ.ij. olei liliorum & ſambuci. ana. ℥.j. axungiæ anſeris ʒ.vj. fiat linimentum: item aliud maioris efficaciæ recipit vnguenti dialthææ

& resumptiui.ana.℥.j. mucaginis seminis fœnugræci extractæ aqua stillatitia camemali ℥.iij.pulueris ireos & ibæ arteticæ.ana.ʒ.j.& ß.emplastri meliloti ℥.j.mala xentur omnia in oleo liliorum & fiat vnguentum: prosunt etiam terebinthi folia trita cum adipe suillo & oleo.Quòd si materia durior sit,veteris linimento quod recipit vnguenti marciaton & dialthææ.ana.℥.j.butyri recentis ℥.j.& ß.olei liliorũ, amygdalarum dulcium & lumbricorum.ana.℥.ß.cerę quod sufficiat.Aliud etiam maioris momenti recipit olei lumbricorum,liliorum & anethi.ana ℥.iij.olei rutæ ℥.ij.vini albi & sapæ.ana.℥.iij.ranarum communium numero xxx.salis.℥.j.coquãtur ad osium separationem,& facta forti expressione adde terebinthinæ & croci parum,& fiat linimentũ,quo partes rigidæ & tensæ vngantur.Idem præstat aliud quod recipit asellorum & vermium.ana.℥.ij.coquantur in sapa ad dissolutionem, quibus adde axungiæ gallinæ & anatis.ana.℥.ij.reducantur ad formam linimenti. Præstat & oleum vermium,asellorum,hepatis ranarum & gallinarũ : item oleum in quo torpedo coquatur,maximè si ei aliquid ex calidioribus addideris , vel miscueris prædictis vnguentis.Corroborat mucidos articulos & qui corpus sustinere nequeunt,neque motum efficere,vt contingit his qui malo etiam corporis habitu & perpetuo defluxu laborant simul cum doloribus,emplastrum quod recipit vini rubri.lib.ß.olei lumbricorũ & de rore marino. ana.℥.j.ß.olei de Aparicio ℥.j.aquæ vitæ ℥.iij.pulueris cornu cerui spongiosi ℥.ij.pulueris camemali ℥.ß.salis ʒ.iij.bulliant omnia ad vini consumptionem in duplici vase,& adde cremoris fœnugræci & seminis lini.ana.℥.ij.pulueris ibę.ʒ.iij.sulphuris viui ʒ.ij.emplastri confortatiui Vigonis & Guillen Seruen & oxicrocei q. s. vt fiat ad modum emplastri mediocris consistentiæ,aut mollioris.Prosunt etiam fomenta ex oleo & sale: item ex decocto parietariæ,origani,calamẽti, chamæpiteos,chamædreos,ibæ arteticæ, radicis ireos aut floris eius,& axungijs ibidem liquefactis. Quòd si dolor ampliùs vrgeat,cataplasmatis veteris quæ recipiunt farinam fœnugræci,seminis lini, cicerũ & lolij cum aqua mulsa aut vino tenui decoctas,addito oleo nardino,vel theriaca, mithridato,vel conserua de hyacintho aut oleo Mathioli: prodest & cinis radicis brasicæ aut cauliculorum eius cum axungia gallinæ.Præstat & emplastrum quod recipit prædicti pulueris ℥.ß.stercoris bubuli & farinæ hordei.ana.℥.ij.cum aqua mulsa fiat emplastrum:idem facies ex stercore vaccæ cũ melle,aut capræ cũ posca & farina hordei.Item recipe farinæ fabarum ℥.iiij.decoquatur in decoctione ranarum & ibæ arteticæ in oleo & vino facta,& formetur cataplasma. Huic quoque vsui subseruiunt amaraci folia,item thymus, sisymbrium,satureia,pulegium, sampsucus cum serpyllo & fœniculo ac mẽtha,tum emplastris admixta,tum in pulue rem redacta & cataplasmatis addita,tũ etiam decocta ad fotus & irrigationes efficiendas. Poteris etiam ex eisdem & alijs ceratum conficere, quale est id quod recipit olei scorpionum & lumbricorum.ana.℥.iij axungiæ anatis, anseris & butyri an.ʒ.ij terebinthinæ lotæ aqua vitæ ℥.j.& ß.diachylonis quod sufficiat vt fiat cera tũ:itẽ aliud recipit emplastri diachylonis lib.ß. sulphuris, iridis, aristolochiæ.ana. ℥.j.chalcitidis ℥.ß.malaxentur cũ oleo rutaceo& reducantur ad formã cerati. Alia etiam non pauca reperies apud authores scripta,quæ mitiora reddita,non mediocris erunt commodi.

His omnibus factis,si adhuc humorũ reliquiæ superfuerint,ad balnea ex feruẽti musto te conferes,vel ad ea quæ ex oleo & sulphure fiunt,vel ex oleo & sale, vel ex vinaceis,quæ profecto,si corp⁹ priùs vacuationib⁹ præcaueris, magni solẽt esse momenti vbi per interualla repetit affectio, & iam videtur subsidere & quiescere ac inclinare.Nam in reliquis quæ ob Gallicam contagionem aut quauis alia causa,vel semper vel ferè durant,ex vsu nõ sunt:quinimo læpe (licèt primo accessu videantur prodesse)maioris mali & intensioris doloris ac diuturnioris affectionis solent esse causa.Sed de balneorum vsu in articularibus affectionibus non minoris momenti controuersia suboritur. Quippe extant authores nõ contemnendi qui id consulant , quos nisi prudenter interpreteris,in mille errata protinus incides. Extat enim Ætius qui lib.ʒ. ser.4. cap.48. fomenta & balnea mille modis parari iubet: sunt & alij authores qui id quoque cõsulunt. Verùm si quis eorum verba & mentem callere velit,reperiet facilè podagricum affectum(hoc est imbecillitatem articulorum) neque rursus humoris vbertatem curari posse balneorum adminiculo: soluuntur enim quouis balneo humores , effœminantur articuli & laxiores redduntur,quantumuis resolutoria aut adstringenti vi polleant,nam plus prę ualent aquæ humiditas & tepor,aut calor ad humorum fusionem & articulorum laxitatem, quàm possit aquæ aut mineralis vel cuiusuis alterius medicamenti vis ad resoluendum: præterquam quòd Ætius solùm consulit in declinatione & ad conterendas mali reliquias corpore iam satis vacuato eis vti, quo nihil possit ad partem confluere,licèt aquæ calore aut humiditate partes laxentur, quod fieri est necessum quouis balneo. Quapropter Galen.11. metho.cap.20. eleganti discursu statuit omnibus articularibus morbis balneum esse aduersissimum:& licèt ibidem loquatur de balneo aquæ calidæ, quod febrientibus erat vtile, nihilominus tamẽ balnea omnia quę actu vel potentia calorem sortiantur,idem & efficaciùs possunt efficere. Quippe ratio propter quam balnea articularibus morbis aduersa existũt, sic exprimitur à Gal.ea parte statuente, primo adhuc in febribus si pars aliqua princeps languida sit,maioris esse detrimenti & periculi , & ob id nulla lege esse administranda : de reliquis verò particulis sic scribit. Quòd si præterquàm quòd nulla princeps pars imbecilla sit,etiam inferioris notæ partium aliqua sit inualida, veluti podagrici pedes,& ijs qui articulari vitio laborant vniuersi corporis articuli, maxima salutis pars ægro comparabitur ex balneo , ipsis infirmis partibus quæ superuacua sunt excipientibus. Assolent enim nonnunquam & citra balneum superuacanea in partes infirmas confluere: à balneo verò magis, vtpote succis ipsis per id liquatis,tum vijs per quas meent patefactis: ambo enim hæc ex moderato calore proueniant necesse est. Qua sententia euidentissimè constant rationes,quibus facillimè probari potest,necessariò quæ articularem patiuntur imbecillitatem,& maximè quæ eam contraxerunt habitualẽ corpora, summopere infirmati, ac diutiùs laborare,& forsan habituale contrahere damnum , licèt primo accessu videantur iuuari,resoluta aliqua eius humoris,qui ibidem morabatur parte. Quo fit vt mihi persuasum semper habuerim fugiẽdum esse in huius mali curatione à balneorum vsu,nisi in his doloribus qui per interualla repetunt, cùm iam inclinant:quo tempore sale,nitro, sulphure aut vinaceis,vt dictum est,veteris,non alijs:sicca enim balnea porriges vtiliùs quàm humida , omnia tamen inclinante malo , ad conterendas reliquias, nam vbi causa integra est,omnia & singula aduersissima existunt, nã si aliter feceris, maximè si affectio sit ex his quæ ob contractum habitum ferè semper affligunt,aut in his quæ comitem habent Gallici morbi contagionem,proculdubio sumopere lædes.

Verùm si constiterit à capite fluxionem fieri , ad fontanellas brachijs adapertas deuenies , quibus plures homines ab his doloribus immunes multis diebus fuisse conspeximus.

Cæterùm quia ſæpe reliquiæ humoris, quæ in corpore ſuperſunt, conſpurcata omnium humorum maſſa nouum dolorẽ accerſunt, ob id eos conterere opus erit, factis iterum atq; iterum minutis purgationibus, pilulis in præcautione ſcriptis: & ſi caput malo cauſam præſtiterit hoc vteris ſerapio quod recipit mellis roſacei. ℥ iij. ſyrupi ſtœchados. ℥.j. decoctionis arthriticę & betonicæ lib.j. diagalãgæ. 3.ij. fiat ſyrupus. Item hoc vtatur maſticatorio bis in hebdomada quod recipit pyrethri contuſi. 3.iij. decoquatur in oximellite & maſticet. 3.j. ac poſtea colluatur os aceto roſaceo & aqua frigida: præſtat manè aliquibus diebus porrigere theriacæ. 3. ß. Præſtat etiam hoc quod recipit conſeruæ acori vulgaris. 3.ij. cõſeruę anthos & ſtœchados. ana. ℥. ß. zingiberis conditi 3.ij aromatici roſati, diagalangę ana. 3.j. corallĳ prę parati & cranei humani præparati ana. 3 ij. cum ſyrupo de corticibus citri fiat opiata, cuius manè per aliquot dies ſumat laborãs. 3.j. ſuperbibens parũ aquę abſynthij.

Quòd ſi ex reſiccatione humidi exiſtentis intra articulos, ſpuria hæc podagra ſuboriatur, ſtudendum eſt, velut corpus hecticũ omni arte reficere, tum cibis boni ſucci & copioſioris nutrimenti, ac mucilaginoſæ humiditatis, tũ balneis aquæ dulcis, aut decoctionis maluarum, althęæ, ſeminis pſyllĳ, cyoniorũ aclini, vel fomentis ex eiſdem: atem inunctionibus ex butyro, axungijs, medullis, mucilaginibus, & tandẽ moderato exercitio & alijs, quæ copioſa adduximus capite de febre hectica, cauentes omnino ne vlla vacuatione aut diuerſione vtamur. Frequẽtiſſimo euentu conſtat pleroſq; ex his quibus diu dolores durant, ita vt nullis cedãt auxilijs, pati deinceps tophaceam ſubſtantiam in digitis tum manum tum pedum, idq; vel ob humoris craſsitiem & terreſtem conditionem, vel ob incuriam exhibẽdi medicamenta reſoluentia. Quo fit, vt malam figuram adepti manci ſuperſint diſtortis & tromboſis digitis, materia in articulis contenta ad gypſi naturam verſa. In qua re ſciendũ eſt hos tumores ſupereſſe difficilis reſolutionis, quòd fiant ex ixoroſa ſerea & ſemiputri materia, vel in terream naturam verſa: ſi primum, antequàm in vlcerationem aut duritiem immedicabilem degenerent, aperiendi ſunt, & ea lege curandi ſi ſecundum, & corpus non admodum vetuſtum fuerit, cutis inſcindenda eſt, & tophacea materia leuiter vel abradenda vel vrenda paulatimq; extrahenda, tum ferramento aliquo, tum medicamentis emollienda, quo faciliùs cedat ſeparaturq; à carnoſa ſubſtantia: curandum tamen ne id fiat interim dum dolores vigent, ne longe magis ad afflictam partem confluant, ac ſi quid manſerit in articulis impactum, antequam ad immedicabilem duritiem perueniat, vtendum eſt diachalciti de à principio cum modico ſeuo caprillo vel oleo de cucurbita, & poſtea ſolo quo magis reſoluat.

De iſchiade. Iſchias, præcipua & grauior articulorum affectuum ſpecies, quanuis eſſentiam nanciſcatur in dolore ſitam, ac in inflammatorio affectu à quo dolor concitatur, nomen tamen accepit à loco affectionis: Quippe iſchion grandis quidam eſt articulus, in quo oſsis femoris caput cum oſſe coxendicis alligatur: quæ ſanè colligantia & cohærentia cum aliquo intercedente humore diſiungitur & ſeparatur, ac veluti dearticulatur iſchias, ſeu vt Barbari ſcribunt ziatica, vel vt ex Plinio conſtat, ex articulo hoc coxendicus dolor appellatur. Eſt quidem hæc affectio prædictis eſſentia & ſymptomate ſimillima, diſsident tamen dolorum vehementia & extenſione ac ſitu: hoc quidem quia articulus in profundo ſitus exiſtit: vehementia, ob neruoſarum partium vbertatem, quæ eam partem attingit: extẽſione quidẽ, ob colligantiam multarum partium ſibi vicinarum, & quia nerui etiam nõ parui momẽti per eam partem deſcẽdunt: quo fit vt non rarò circà poplitẽ reperiatur etiã dolor vſq; ad pedem,

ad pedem, initium ſumens (vt viſum fuit Paulo lib 3. c. 77. & Ætio li. 12. c. 1.) à lũbis & partibus circumuicinis vigens etiam in genubus. Cæterũ vt hæ differentiæ clariùs eluceſcant, ſtatuendum eſt, coxendicis dolorem eſſe duplicis naturæ & conditionis: alterum legitimum & verum, genitum quidẽ ex articuli ſeparatione ab humore ibidem congeſto aut defluxo intra pixidem articuli: qui licèt dolorem non inferat ea parte, efficit tamen ob diſtenſionem neruoſarum partium quæ circunſtant, ingentes & diutinos dolores: reliquum verò ſpurium & illegitimum, factum ex vitioſo temperamento ſimplici, aut cum affluxu humoris ad ligamenta & tendones, & vſq; ad cutem per carnẽ prędicti articuli: vel etiã ob cõſenſum veteri malè affecti à partu vel grauidationis tempore. Nam cùm ligamenta veteri ad internam coxendicis partem alligari certum ſit, dum ligamenta hæc à flatu, à frigore, ab humore, vel ab veteri retractione ad contrariam vel ſupernam partem malè afficiuntur aut diſtenduntur, perſimiles dolores concitare euidentiſsimum eſt.

Cauſæ. Cauſas habent hi coxendicis dolores inter ſe diuerſas, ſed ab alijs articulorum doloribus certo quodam modo diuerſiſsimas, quarum cognitio maioris eſt momẽti ad integram huius affectus naturæ cognitionem, & ad exactam curationem. Statutum quippe eſt, omnes articulorũ dolores duas tantùm ſortiri cauſas, præter ſiccitatem quam adduximus, nimirum articulorum impotentiam, & ad ipſos humorum confluxus: cæterum coxendicus dolor habet etiam alias illis conſimiles, verùm quæ diſsimilem exoptant curandi rationem, ob diſsimilem modum, quo in articulo congregantur. Quippe certum eſt fieri ab articuli impotentia, contracta vt reliqui articuli ſortiuntur, atque etiam ex frequenti equitatione, aut aſcenſu in magnis equis, vel ex frequentiori venere. Prolabitur præterea humor in articulum pituitoſus, ſanguineus, ac nonnunquam melancholicus, cæterum cum bile aut tenui & ſeroſo aliquo ſucco admixtus: decidit etiam biliоſus humor in articulum, quod multi negarunt, ſed re vera vt ex Hippocrat. conſtat lib. de internis affectionibus, à bile etiam vitus eſt accidere, ſæuiſsimoſq; dolores concitare, tantò ſæuiores, quantò ſincerior profluxerit. Differentia autẽ in hoc genere cauſarum, nõ leuis ſuccreſcit: nimirum, quòd in reliquis articularibus morbis hi humores, aut is qui affectum effecturus eſt, vel criſis ratione, vel per defluxũ à toto vel à parte aliqua, congregatur intra articulum: at in iſchiade, his etiã modis, & per paulatinam congeſtionem ab humore fluente, vel ab excremento non expurgato neque ibidem conſumpto. Quippe aliud eſt ex partibus vicinis paulatim aliquid fluere, aliud quidem alimentum in excrementum vertere, & aliud ex proprio alimento plura congregari excrementa ob partis impotentiam, quæ nequit ea purgare: aliud à capite prolabi: item aliud à toto irruere: & etiam diuerſum eſt per decubitum aut alterius morbi iudiciũ fieri, quæ omnia curaturo maximè ſunt ꝓ̃cua. Quæ ſanè vitia alias habẽt anteriores cauſas, vt ſunt vẽtris cruditates, exercitij demiſsio, ſuppreſsio hæmorrhoidum, menſiũ aut alterius vacuationis conſuetę & vtilis. Alterius autẽ iſchiadis quę illegitima eſt & ſpuria, cũ duplex ſit, duplices quoque ſunt cauſæ: nam ea quæ fit extra articulum in ligamentis & partibus carnoſis ac neruoſis, venarum plenitudine aut vitio plerunque fit, & maximè à craſſioribus ſuccis, vt ex ſuppreſsis hæmorrhoidibus plerunq; conſpicimus, vel ex morbo Gallico, aut alijs ſuccis, quos externa frigiditas ibidem perfrigerando condenſat ac indurat. Sunt etiam aliæ cauſæ, quæ & materiam ſuppeditant: aliæ quæ ipſam mouent ad partemq́ue euocant, vt de anni temporibus ſuperiùs dictum eſt. Reliqua autem iſchiadis ſpecies, quæ vteri fit conſortio, vel ab eius plenitudine, con-

tractione,frigore aut flatu sæpius succrescit: cæterum id vel humore iuxta partem prædictam transmissò, vel flatu incluso, vel vtero contrahente ligamenta quibus coxæ alligatur:quo fit vt maiori ex parte dolor iuxta inguen appareat,signum quidem quo euidentiùs fieri ab hac causa comperimus.

Signa. Signis tantùm distinguere opus est causæ naturam & operandi modum, nam hæc sunt quæ variam curãdi rationem metiri possunt: sic profecto per decubitum fieri monstrabit prægressus morbus,in cuius inclinatione coxa dolere cœpit. A toto corpore humorem delabi, ipsius grauitas, color & plenitudo aut vitium monstrat: à capite catarrhosum præfuisse caput,& nunc ab eo immune, præter quàm quòd præcesserit ipsius grauitas: à ventriculo oriri monstrat frequens cruditas aut vomitus consueti suppressio : à carne & partibus circumiacentibus, monstrabit dolor perseuerans, quod alijs causis non accidit, nam frequentiùs per exacerbationes ad pensum fluxi humoris inuadit: ab excrementorum partis congerie,dolor lentus,articulorum promptior laxatio, ac forsan mox à principio. Qualis verò sit humor fluxus,præter partis colorem,tumorem,vitam anteactam & doloris cõditionem, monstrabit etiam motus morbi celeritas,vrinæ color,accidentium natura, & signa omnia quæ prima huius capitis parte adduximus, ac ea quæ scripsimus in arthritidis dignotione. Verùm si morbus fuerit spurius,facilè monstrabitur eo quòd nisi articulus moueatur, parum aut nihil dolet, quòd intra ipsum humor non sit,nam tunc cùm perpetuò articulum disiungit, ita perpetuò premit dolore. At si ab vteri consortio doleat, vel ab inguine bubone aut alio vitio obsesso, plerunque dolor magis iuxta inguen comparebit, dolorque ibidem vehementior erit,in postica verò leuior,præterquàm quòd aderit hæmorrhoidum vel mensium

Præsagiũ. suppressio.

Malum hoc (scribit Celsus) rarò hominem dimittit, si semel assuescat: qui verò ex sanguine fit dolor (quod rarò accidit) vt constat ex Galen. 10.de compositione pharmac.loc.citissimè curatur,& pari ratione ex bile,cæterum sequior est. Præterea vt ex Hippoc.6.aphor.59.& 60.constat,quibus coxa excidit,præ mucorum abundantia,his diuturnus efficitur affectus,& sæpe crus tabescit:sic qui tophis molestantur in carne excrescentibus,rarò aut nunquam sanitati restituuntur.Item hyeme australi,ex salsa pituita succrescere hos dolores sperandum est: aquilonia, ex tenui & fluxili:aduentante vere, ex humorum fusione:æstate,ex adustis succis aut biliosis,qui pituitosos ex cruditatibus genitos exacuunt & mouent. Si verò ex vteri cõsortio fiant,laborantẽ citò vel subitò sanitati restitui constat,nisi mensium aut hæmorrhoidum suppressione fiãt:quippe tunc nisi probè redeant,aut arte in grandioribus & senioribus fœminis præueniatur,sanguine per statuta interualla misso,difficiliùs curantur.

Curandi ratio. Curandi rationem consimilem ferè exoptat ischiadicus dolor, cum reliquis sui generis, tam in victus ratione, quàm in rerum non naturalium vsu. Verùm cum hoc in sanguinis detractione, expurgantium vsu, ac particularium præsidiorum administratione, non parum euariat à reliquorum indicatione: quapropter iuxta cuiusque causæ indigentiam,generalia hæc præsidia administranda esse arbitrandum erit,initio sumpto à sanguinis detractione. In qua re,vnum hoc tanquam cõmune & probatum principium haberi debet, nimirum, quòd incipiente dolore cuiusuis causæ accessu fiat,semper à sanguinis detractione auspicãdum erit, solùm causæ naturæ habito respectu, quatenus ad quantitatis mensuram extrahendam attinet,nam copiosiùs in calidioribus succis quàm in frigidis,ipsum extrahere oportebit. Verùm semper sanguinẽ mittere ante omne aliud auxilium opus erit, à quo tamen loco & quoties,aut quantum, specialiorem requirit causarum indagationem. Quippe si vteri aut hæmorrhoidum consensu vel suppressione malum oriatur ,proculdubio ex reliquo crure sanguinem mittere,longè tutius & vtilius est, quàm ex quauis alia corporis parte.Cæterum si in corpore ob prædictam suppressionem grandior succreuerit plenitudo, necessum erit à venis brachiorum prius sanguinem fundere,ne copiosiori sanguine inferiùs cõfluente, ob tali scissionem, longè maior fiat obstructio.quo facto ad venas tali(vt dixi) sani cruris deuenien-

dum erit,extrahendumque quantum vires ferre posse visum fit.At si capitis vitio malum oriatur,primò ex contrario brachio sanguinem mittes: postea verò ab eo quod è regione cruris affectũ est.Cæterum si per decubitum alterius morbi coxendicus dolor fiat,ab ea parte,per quam commodiùs reuellere possis sanguinem fundes,dummodo ad membrum mandans humores fluentes non reuoces: quippe id summè pernicio sum est,poteris tamen sanguinem fundere à venis quæ materiam fluxuram ex membro mandante euacuent.Dum tamen ab vniuerso corpore sanguis(quòd copia eius corpus plenum existat)profluit,considerabis,sit ne vetustus dolor,an nuper concitatus,nam si recens sit,citra vllam dubitationem à venis brachij contrarij lateris,sanguinem primò fundes,quousque plenitudinis maiorem partem deposuisse constet: quod verò reliquum est,ex brachio eiusdem lateris extrahes.Quo facto,ac dolore perseuerante,ad scindẽdas cruris affecti venas deuenies:quod fieri potest vno è tribus locis ipsius cruris, non tamen indistinctè & vtcunque:nam quæuis prædictarum suum præstare habet beneficium, quod altera nequit.Sic enim præceptum est Hippo.Galen.& reliquorum in poplite aliquando esse scindendam venam:item nonnunquam in talo iuxta externam partem,ziaticam appellatam venam:præterea non mediocre experimento comperimus & à Gainerio maximè commendatum,in pede ipso,ea vena scissa quę est inter minimum digitum & sibi vicinum,maximi fuisse iuuamenti.In qua re arbitror tundendam esse venam poplitis,dum ex plenitudine(quam per superiorum venarum scissionem iam deposueris) malum ortum duxit:tali internam ,cùm ab vtero aut hæmorrhoidibus vitium oritur:eam verò quæ est inter digitum minimum & sibi proximum,cùm id quod in penitioribus partibus(non intra articulũ, quippe sanguine misso non euacuatur)nimirum quod in tendonibus& ligamentis cõtinetur , casurum veremur in eorum spacia:at ziaticam venam tundimus, dum à venis maioribus supra articulum existentibus, euacuare nitimur. His sic habitis, vt quisque iuxta laborantis indigentiam hac vel illa scissione vti discat, humoris ideam considerabis,nam licèt cuiusuis sit naturæ humor,semper sanguinem mittere sit opus , & pro modo & situ humoris fluentis aut fluxi, ex hac aut illa parte fieri debet venarum scissio,cum hoc tamen quantũ liceat extrahere, sola humorũ idea & natura monstrare nata erit,vt sæpius dictum est , ita tantò parciùs mittes, quantò vetustior fuerit affectio,aut humor frigidior,corpus senile aut viribus languens:audaciùs tamen in contrarijs statibus & humorum conditionibus.

Quo facto & interim dum fit,humorem purgationi disponere opus erit: in cuius euacuatione hac vti oportebit lege,quòd in pituitosis ac melancholicis humoribus, nunquam aut quàm rarissimè vtamur purgantibus per infernam aluum: nam cùm coniectabile sit,à ventriculo aut splene , vicios os plerũque humores succrescere,dubium non est,quin tutius sit per vomitum expurgare: efficitur enim reuulsio quæ maioris in hoc affectu momenti est, & per conuenientem regionem

euacuatio.

euacuatio. Quapropter præſtitis præparationibus ex rhodomelle, in pituitoſis ſuccis, oximellite & ſimilibus, ac ſyrupo borraginis & melle etiam roſaceo, in melancholicis, cum aquis & decoctis quæ ſæpius huic vſui adduximus, bis in hebdomada laborantem vomere coges. Verùm ſi bilioſus ſit humor qui fluit, aut copioſiori bili admixtus, licèt optimum ſit vomere (vt omnes ferè ex Galen. præcepto authores conſulunt) cum hoc tamen mitioribus medicamentis bilem ad infernam aluum ducere, maioris ſolet eſſe momenti. Cæterum ſi ex partis vitio indies ſuccreſcant iuxta articulum excrementa, nullam arbitror fore vtiliorem vacuationẽ ea, quæ fit per epicraſim. Inter præſidia purgationi aptiora ſcriptum eſt à veteribus omnibus acria clyſteria (etiam ſi dyſenteriãconcitent) proficua ſummopere fore: quippe hæc & materiam diuertunt, & à parte quodammodo videntur deriuare: horum ſanè decoctum conficiunt ex centaurea minori, linocoſto, camemelo, ſtœchade, aut abrotono, cui addes vel electuarium indum, catholicum, diaphoniconem, hieram ſimplicem aut logodij, vel pilulas fœtidas, vel de hermodactilis, aut ſuccum ireos, & huius cenſus alia.

Verùm quia hæc duo præſidiorum genera, ſolùm nata ſunt materiam fluentẽ aut fluxuram euacuare, conſtituere oportet alia quæ id etiam efficere poſſint, & cum hoc fluxam iam & intra articulum contentam diſsipare, & educere: huius naturæ ſunt ſudationes ex guayaco, ſi humor pituitoſus ſit & vetuſta affectio, vel morbi Gallici ſoboles: verùm ſi vetuſtior fuerit & humor ſeroſus & fluxilis, ſudationes fiant ex radice chinæ. Quòd ſi vereatis ſudationibus vti ob reliquorum arti culorum laxitatem quæ facilè ſuccreſcit, fomentis veteris ſpongia adhibitis ex vino calido, vbi ferbuerit iuniperus, vel aqua vitæ imbibita, aut decocto quod recipit ſaluiæ, foliorum lauri, foliorum ſambuci, ibæ, ſtœchados, roris marini, camemali, radicum ebuli. ana. m. j. fiat decoctum, quo vtere: vel fiat ſic. Excipe radicum & foliorum ebuli, & althææ. ana. m. j. foliorum rutæ, ſabinæ, ſambuci & pulegij. ana. m. ß. florum camemali, fœnugræci, & meliloti. ana. p. ß. decoquantur in tribus partibus olei & vna vini, & vtere: fomentum item inſtitues cum lixiuio ex cinere cruris equi aut cerui & aqua fabrorum cum modico ſale. Proſunt & euaporationes prædictarum decoctionum ſupra ignitos lateres factæ, aut per infundibulum ex vaſe vbi fiunt, ſumptæ. Eiuſdem etiam efficaciæ ſunt fotus ex ſucco rutæ, ſaluiæ & ibæ cum aqua vitæ.

Quòd ſi ne hæc quidem prodeſſe videantur, ad ea auxilia quæ ſimul dolorem leniant & materiam diſcutiant deueniendum erit, quippe repellentibus in hac affectione vti non parum erit periculoſum. Quapropter poſt hæc, & interim dum ſanguis mittitur, præſidijs veteris, quæ in podagra profutura eſſe diximus: quòd ſi non profuerint, quia profundior eſt locus vbi continetur humor, efficacioribus vti oportebit, dummodo prædictis vtaris, interim dum corpus ſufficiẽter euacuas: his verò quæ mox referam ſufficienter iam corpore euacuato, nam cùm vehemẽtiora ſint, ſi corpus impurum ſteterit, verendum eſt ne plus ad partem affectã euocẽt, maioremque dolorẽ cõcitent. Quapropter facto à leuioribus initio, primũ vnges partem oleo irino, de caſtoreo, de piperibus & de pyrethro cũ modico aceto & axũgia, vel cũ vinò & oleo dulci: itẽ Pauli emplaſtro veteris, qd fit ex lupinorũ amarorũ farina cũ oximellite. Præſtat & vnguẽtũ Altomaris ſcriptũ fol. 680. quod recipit cremoris ſeminũ maluarũ & althææ cuiuſlibet ʒ.iij. farinæ fœnugræci & ſeminis lini. ana. ʒ. ß. adipis anſerini & ſuilli. an. ʒ.iiij. olei rutacei & camemelini. an. ʒ. j. & ß. ceræ & acetiparum, fiat vnguentũ. Item emplaſtrũ ex menthaſtro fluuiali cũ oximellite confectũ: idem præſtat ruta cum melle trita, vel emplaſtrum ex coſto, ex furfure cum ſapa & ſale: item ex ſtercore bouino aut caprino cum farina hordei, melle & aceto: idem præſtat hyſſopus humida. Præterea emplaſtrum ex farina hordei cammonio & aceto: valet & mel cum ſale: ruta cum paſſulis cum carne: cinis caulium cum adipe. Præterea fœnugræcum in vas fictile conijcito, & ſimul affundito poſcam ſufficientem, & coquere ſinito donec diſſoluatur, & adde mellis quod ſat fuerit, & iterum bulliant & terantur ac parti appone, quod facito duobus tribuſue diebus. Verùm dum adhuc fluxio inſtat, & dolores exacerbãtur, neceſſum eſt cum emollitione & mitigatione reſoluere: ad hoc ex vſu eſt quod recipit ſymphiti raſi minutim inſciſi & triti li. j. & ß. mãnæ thuris. ʒ. ij. ouorum recentium. nu. iiij. iterum miſce & adde adipis ſuilli veteris lib. j. & læuigata parti apponito. Nec minoris momenti eſt quod recipit picis partes duas, ſulphuris viui partem vnam, trita & mixta parti apponito. Conficies etiam cataplaſma quod recipit foliorum rutæ, althææ, ſaluiæ ac ſambuci ana. p. ß. coquantur, & adde olei irini & de caſtoreo ana. ʒ. j. & ß. cremoris fœnugræci & feminis lini an. ʒ. ij farinæ lupinorum & hordei ana. ʒ. j. cum poſca fiat cataplaſma: idem fieri poteſt ex folijs lauri, pulegij, ſabinæ & ebuli cum eiſdem farinis & oleis. Vngatur etiam vnguento aragon, marciaton, aut Comitiſſæ: vel vtere emplaſtro quod recipit ſucci foliorum rutæ, ſambuci & calaminthæ ana. ʒ. j. bdelij, opopanacis, ammoniaci diſſoluti in aceto ana. ʒ. ß. mirrhæ & reſinæ ana. ʒ. iiij. cremoris ſeminis lini, althææ & fœnugræci ana. ʒ. j. & ß. farinæ hordei & fabarum ac lupinorum ana. ʒ. vj. picis & ceræ quod ſat fuerit. Aliud etiã conficies non minoris efficaciæ, quod recipit ſucci ebuli li. j. ſucci hederæ. ʒ. ij. olei antiquiſsimi & rutacei ana li. j. ß. coquantur & adde ſtiracis, caſtorei ana. ʒ. iij. opopanacis, ammoniaci ana. ʒ. ß. diſſoluantur in oleo, & adde parũ ceræ. Præſtat & diachylonis cum ſulphure ʒ. j. pro lib. vel idem diachylon cũ chalciti de, vel ſi morbi Gallici ſuſpicio ſit, adde emplaſtri ranarum quod ſufficiat. Quòd ſi ne hæc quidem omnia adhuc prodeſſe videantur, ad veſicatoria emplaſtra deuenire aliquando cogit vrgentiæ & vetuſtatis affectionis ratio: maximè humore nimis frigido apparente. Quæ ſanè medicamenta ego ſemper recuſaui, nam potius ſolent nouam fluxionem concitare (maximè cùm ob morbi diuturnitatem, corpus neque ſufficienter purgatum, neque proba vſum vitæ inſtitutione comperimus) quàm fluxum humorem diſcutere. Cum hoc tamen ſi vrget neceſsitas, adhibere oportet medicamentum ex radice cucumeris agreſtis cum axungia: valet & id quod recipit vrticæ Græcæ, ſaluiæ ana. m. j. ſalis. p. j. contundantur & bulliant in vrina, & partem ablue. Aliud conficies quod recipit abſynthij, radicis ebuli, furfuris triti ana. m. j. ſtercoris columbini lib. j. & ß. ſalis lib. j. coquantur in aceto donec acetum conſumatur & fiat emplaſtrum: præſtat etiam ſolùm vinum cum ſtercore columbino: vel aliud quod maioris efficaciæ eſt, & ſic efficitur: Iberidis radicem tundito, & cum axungia admiſceto, & per tres horas in viris, & duas in fœminis ſupra partem ſinito, & poſtea partem ablue tepida. Vnguentum item facies quod recipit euphorbij & nitri ana. ʒ. j. olei liliorum. ʒ. iij. ceræ quod ſufficiat: conficitur etiam ex ficubus & ſinapi. Sed maioris pretij arbitror eſſe mel anacardinum ſupra partem illitum, dummodo ſpatium ſit tantùm vnius horæ, quo ſemoto bullæ aperiantur & permittantur fluere. Præſtat & cauſticum ex capitello viuæ calcis & alumine & mox ſublatum: eiuſdem vſus eſt oleum cum nitro adeò agitatum, quòd ad humenti formam reducatur, quia efficaciùs reſoluit & minus cauſticum eſt.

Supereſt adhuc quoddam remedij genus, quod & fluxuro & fluenti ac fluxo humori

humori ex vſu exiſtit, nimirum vſtio partis affectæ, vel alterius. In qua re non ſatis conuenit inter authores qua in parte fieri debeat: nam ob ignorationem differentiæ cauſarum, quibus iſchiadicus dolor ſuccreſcit, varias inter ſe ſententias protulerunt, quòd alter vnam cauſarum, & alius reliquam conſideret, & ſic iuxta hanc vel illam conſiderationem, huic vel illi parti vſtionem iubet fieri. Summa tamen rei eſt, quòd in coxendice quæ fit per alterius morbi decubitum, quia nulla ſupereſt materia antecedens, articulus proculdubio vrendus eſt, vſtioque ſupra ipſum efficienda, vt expiret quod in ipſo continetur & exſiccetur pars ipſa. In ea tamen quæ fit ex imbecillitate articuli, qua ſibi excrementa congregat, quæ mucidum reddunt ipſum articulum, aperienda in eodem crure fontanella eſt, vt per ipſam inſtillet quotidie, quod indies in ipſo congregatur: & pari prorſus ratione in eâdē parte excauanda eſt, ſi ab vtero aut lecore malum oriatur. Verùm ſi ex defluxu à capite fiat dolor, brachium eiuſdem lateris aperire oportet, aut, vt probatiſsimi authores conſulunt vrere aut ſcindere conuenit cartilaginem, quæ in medio auris eiuſdem lateris exiſtit, quam nullo alio in caſu proficuam fore erit arbitrandum. Quod præſidium ralatum mihi fuit à viro quodam præſtantiſsimo: proficuum tamen eo eſſe poteſt, quia ibidem ſcinditur arteria quædam minutiſsima, quæ per eam partem perreptat. Si tamen totius corporis conſenſu dolor ſuccreſcat, in contrario crure fontanella eſt aperienda.

Et huius libri hic eſto finis.

Laus Deo.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE MADRID

MADRITI.
Apud Thomam Iuntam.
M. D. XC. IIII.

2ℓ hiera Logadionis ℥ij decocti camemadi anethi, et malue aurear. ℥ij. Sabi gemmę ℈ß mel ℈ß et fiat clyster.

La ayuda que llaman de la viega.

2ℓ Sabi gemmę, et aquę communis mę
etaula ayuda de la viega.